016

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
4 C
3

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

III. 14. h

68.1.7

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HYDRA SOCINIANISMI EXPUGNATA:

Sive

JOHANNIS VOLKELII

MISNICI, DE VERA RELIGIONE,

(*ut falſò inſcribuntur*) libri quinque:
quibus præfixus eſt
JOHANNIS CRELLII Franci,
(*ejuſdem commatis*) liber de DEO & EJUS ATTRIBUTIS, ita ut unum cum illis opus (*integrumque Socinianæ impietatis Syſtema*) conſtituat:
Cum eorundem Refutatione exacta per additas Annotationes & Cenſuras neceſſarias.

AUTHORE

SAMUELE MARESIO, S. Th. Doctore,
ejuſdemque Facultatis in Academia Illuſt. & PP. Ord. Groningæ & Omlandiæ primario Profeſſore, ac in Templo Academico Verbi Divini linguâ Gallicâ Adminiſtro ordinario.

Cum indicibus neceſſariis.

TOMUS TERTIUS ET ULTIMUS.

GRONINGÆ,

Typis FRANCISCI BRONCHORSTII, Civitatis Groninganæ Ordin. Typographi, ANNO MDCLXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Nobiliſſimis & Ampliſſimis VIRIS,

D.D. JOHANNI TIASSENS, Toparchæ in Loppersum / Garſhuyſen / Northorn &c. cum annexis, Civitatis Groninganæ Conſuli Seniori Graviſſimo.

D.D. GERARDO BUININGH, Senatori Groningano Spectatiſſimo.

D.D. JOHANNI WICHERS, J. U. D. Reip. Groninganæ Senatori Conſultiſſimo;

D.D. OSEBRANDO JOHANNI RENGERS Domino in Slochteren / Frailenborch & Colham / Toparchæ in Farmſum / & Vierburen / &c.

D.D. EGBERTO CLANT, Te Nyenſteyn / tot Sandweer / Oldenzijl / Ooſter-Nyland / Rottem / & Elſwert / Toparchæ.

D.D. BOCONI KETEL, Grietmanno in Weſterdeel-Langewolt / Toparchæ in Groote Gaſt / cum annexis.

Academiæ Provincialis Curatoribus Sapientiſſimis, Fautoribus & Mæcenatibus meis jugiter devenerandis, Salutem in Domino.

Nobiliſſimi & Ampliſſimi Domini.

HOminum Societas omnis nititur duabus primariis columnis, Pietate nempe & Juſtitiâ, quarum hanc labaſcere oportet ſi illa corruerit. Ideo generis noſtri hoſtis juratus, non aliò magis collimat omnibus ſuis technis quam Pietati evertendæ, ejuſque ſtudio inter homines extinguendo. Singulas illius ad hanc rem machinas recenſere nihil attinet. Sed earum nullæ nocentiores ſunt, quam quæ ſpecioſo Religionis & Pietatis prætextu conteguntur: Tum enim deprehenditur optimi peſſimam eſſe corruptionem, ac fortius acetum ex vino generoſiore fieri. Bonum dum ſe ſimulat malus, tunc eſt peſſimus: Impietas & Irreligio pariliter tum maximè eſt metuenda, ubi cothurnum Pietatis & Religionis perſonam poteſt induere, atque cum illo Veterum Sacrilego, ad aram Jovis ſuam accendere lucernam, ut illius compilet fanum. Non defuerunt quidem ab ævo homines apertè profani, qui Epicuri de grege

* porci

porci, Numinis & Religionis ſecuri, Atheiſmum palam profiterentur & Pietatem omnem irriderent: Verùm tales plus ſibi nocuerunt quam aliis, ac potiùs deteſtationi quam imitationi fuerunt. Nam boni omnes abominantur ejuſmodi Lucianos, & cohorreſcunt toti ad ſolum nomen & titulũ libri *de tribus Impoſtoribus*, quem ajunt olim ex Italia prodiiſſe. At Satan multo plus proficit ſub vulpina pelle quam ſub leonina, & plus damni infert Pietati ſub amico vultu, quam ubi animum hoſtilem publicè prodit. Id verò nunquam ei meliùs ſucceſſit quam per hodiernos Socinianos, quos jure dixerim tanto peſtilentiores impietatis Doctores, quanto tectiùs & ſubtiliùs Atheiſmum ſuum diſſeminant ſub ſpecioſo purgatioris Religionis prætextu. Penitiùs enim penetranti in illorum Myſteria patet eos nihil Chriſtiani retinere præter nomen, nihil Pietatis præter larvam, nihil Religionis præter titulum: ut qui eos dixerit, Mahumetanis infideliores, Sadducæis & Epicuræis profaniores, hodiernis Deiſtis deteriores, verum dixiſſe, neque tamen adhuc ſatis pro eorum meritis dixiſſe, deprehendetur. Adeo certum eſt totam eorum doctrinam eſſe centonem omnium impietatum & blaſphemiarum quas unquam Diabolus ex orco protruſit, ut quoties ea propiùs attenditur, illud veniat uſurpandum, οὐδὲν ὑγιές. Certè omnis Salus & Pietas conſtat Dei Cognitione & Cultu. Horum autem utrumque Sociniſmus evertit. Chriſtianorum Deus eſt unus & trinus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, cui ex formula communi ſui Baptiſmi ſolemniter conſecrantur: At Sociniani & iſti Baptiſmo, quem habent pro frigida & inutili cæremonia, & quod pejus eſt ipſi S.S. Trinitati, cujus Confeſſione fides Catholica continetur, bellum ἄσπονδον indicunt. Chriſtianorum Chriſtus eſt Immanuel & θεάνθρωπος, verus Deus & verus homo, ſolus Mediator Dei & hominum: At Chriſtus Socinianorum eſt purus putus homo, cujus æternam Divinitatem abnegare, arietare, impugnare, ſibi gloriæ ducunt; tam proteruiter & impudenter, ut ſuis annumerent Patriarchis Ebionitas, Artemonitas, Photinianos & ſimiles excetras, quorum nomina

veris

veris Catholicis & Chriſtianis ab ævo execrationi fuêre. Immò ſi attendam ad ea quæ docent de Chriſto poſt ſuam aſſumptionem in gloriam, nequidem revera eum hominem, ex B. Virgine natum, cenſent amplius ſupereſſe, ut pote cui abrogant illud corpus in quo paſſus eſt pro nobis & reſurrexit è mortuis, aliud aliquod phantaſticum, inorganicum, inextenſum, illi nunc affingentes, quod prioris illius nihil habeat vel materiæ vel formæ. Chriſtianorum Salus eſt à Jeſu Servatore, facto peccatum pro nobis ut eſſemus Juſtitia Dei in ipſo; At hunc Servatorem abnegant Sociniani, dum ejus Satisfactionem & Meritum pro nobis directè & ex profeſſo impugnant. Chriſtianorum verorum gloria eſt ſibi cavere ab Idolis: Hinc priſci Chriſtiani, nixi Dei Verbo, uſque ad ſanguinem depugnarunt cum omni illa Idololatria quæ cultum ſoli Creatori debitum in Creaturas transferebat, & iis ſerviebat, qui ut loquitur Paulus, naturâ Dii non erant; Ne quid dicam de Patribus noſtris, ideo jure ſecedentibus à communione Sedis Romanæ, ne ſuas conſcientias tali crimine pollucrent: At Sociniani conantur Chriſtianos in Anthropolatras mutare, dum ei quem pro mero habent homine & à quo nihil humani fuerit alienum, volunt deferri poſſe cultum religioſum & divinum, adorationis, invocationis, fiduciæ, ſoli vero & æterno Deo debitum: Quâ ratione ex ipſo-met Chriſto, vero Deo & vita æterna, vile Idolum fabricantur, quòd illum *naturâ Deum* ore blaſphemo negent. Chriſtianorum verorum cultus & obſequium dirigitur, ex Dei Verbo, indubijs promiſſionibus vitæ æternæ in cœlis obtinendæ, quantum ad animam divulſam à corpore, illicò poſt mortem, & quantum ad corpus, per illius reſurrectionem glorioſam in die Judicii; cùm è contrario impiorum ſpiritus poſt mortem in Tartarum detrudantur, eorum corporibus in conſummatione ſæculi denuo conjungendi, ut unà mortis æternæ & gehennæ apud Inferos cum dæmonibus tormenta nunquam finienda ſuſtineant: At Sociniani negant animas hominum ſupereſſe poſt mortem; negant hujuſce carnis in qua vivimus, & ejuſdem

numero corporis quod circumgeſtamus, reſurrectionem expectandam; negant reſurrectionem impiorum, negant inferos, negant gehennam, negant dari pœnas ullas ſenſus poſt hanc vitam, & ſolâ deſitione definiunt mortem æternam: Atque ſic cum igne gehennæ omnem Virtutis amorem, omne Pietatis & Juſtitiæ ſtudium, fraudulenter eunt extinctum: Nam Piorum parum intereſt, quoſdam ſui fortè ſimiles, (quanquam nequidem ſimiles, utpote qui corpore materiali & organico ſint carituri,) olim in fine mundi ſint divinitùs excitandi; ſiquidem ipſi-met non ſint glorificandi, neque in hac quâ vivunt animâ, cùm in morte perierit atque in nihilum redierit; neque in hoc corpore quod circumferunt & in quo ſub ſpe ſalutis tam gravia patiuntur, cùm idem ſubſtantivè reſurrecturum non ſit: Ut ideo quilibet eorum jure uſurpet id quod Sardanapali ſepulchro dicitur inſcriptum fuiſſe, *Ede, lude, bibe, poſt mortem nulla voluptas.* Impii verò ex iſtis principiis tantò licentiùs fibulam laxabunt ſuis ſceleribus, quanto ſecuriores pœnarum omnium poſt hanc vitam, illud quibunt dicere quod tribuitur profanis apud Prophetam, ab Apoſtolo repetitum, *Edamus & bibamus*, *nam cras moriemur.* Certè ut nemo eſt qui queratur quod ante centum annos non extiterit, ita nemini impio grave erit ſi deſierit eſſe poſt annos quinquaginta; adeoque vivet dum dies eſt, & tanto faciliùs præferet delicias certas & præſentes hujus ſæculi, ſpei dubiæ regni cœlorum, quanto tutiorem ſe credet ab Inferorum metu, & fabulis anilibus annumerabit quæcunque de pœnis Tartari poſt hanc vitam Chriſtianorum vulgus ſibi perſuadet. Igitur ut qui cautiùs ſtudent Atheiſmum inſtillare, incipiunt à neganda exiſtentia dæmonum, ita Sociniani Pietatem everſuri, quam ſemper crepant, & cujus prætextu ſuarum hæreſeôn plurima capita conantur adſtruere, incipiunt à neganda animæ immortalitate & pœna æterna impiorum, detortis etiam in ſequiorem ſenſum ipſis-met Scripturis ſacris, & transformatis in axiomata Theologica Principiis Atheiſmi. Nec illis quicquam gra-

tis

cis imputo: Patet quod dico toti Belgio, ex horrendo illo libello, qui linguâ Belgicâ non ita pridem prodiit, ſub titulo *de Apoſtaſia Chriſtianorum*, quo non tantum Satisfactio Chriſti pro nobis, noſtrique gratuita Juſtificatio ex illius merito, impugnatur, verùm ex profeſſo, Providentia & Præſcientia Dei, impiorum reſurrectio, Inferorum pœnæ, animæ immortalitas; quæ etiam ibidem impiè ſtatuitur primùm à dæmone excogitata ac hominibus ſuggeſta ad eorum deceptionem: Patet etiam ex Curcellæanis & Volkelianis commentis, quorum refutationem, ferè ſimul nunc emitto in publicum, ex quibus liquet me nihil hìc tribuere iſtis Titanicis Theomachis quod verum non ſit: Ut quam jure ſibi debet gratulari Fœderatum hoc Belgium, quod faventiſſimum & ſecuriſſimum præbeat hoſpitium Eccleſiæ Chriſti, quæ columna eſt & firmamentum veritatis, tam ejus dolendæ veniant vices, quod tam licenter graſſetur in illius viſceribus Mendacium & Impietas. Non optem Superiorum Zelum procedere hìc ad ſeveriora in perſonas ſupplicia: Scio enim fidem perſuaderi debere, non imperari; nec tortoribus ſed doctoribus, Religionis defenſionem & propagationem eſſe committendam: Sed optem coarctari utcunque licentiam quam ſibi ſumit id genus Seductorum, non ſine aliquo probro Reipublicæ inter exteros, evulgandi etiam linguâ vernaculâ quicquid lubet, & ſua zizania non clanculùm & noctu, ut olim, ſed palam & plenâ luce diſſeminandi apud plebem novitatis avidam & juſto plus curioſam. Optem quoque eam poſſe corcordiam & harmoniam ſtabiliri inter ſacrarum literarum Profeſſores toto hoc Belgio, quâ miſſis quæſtiunculis ad ſummam rei parum facientibus, (de quibus interdum acriùs & acerbiùs juſto inter ſe digladiantur,) conſertâ manu partitiſque operis, iſtiuſmodi publicis graſſatoribus obſiſterent, & eorum impia dogmata, quam primùm caput exerunt, concurſu facto lapidarent; lapidibus ſcilicet ex Scripturarum lapidicina deſumptis, quibus etiam lapidandos eſſe hæreticos, jam olim dixit Chryſoſtomus. Fateor prodire interdum ejuſ-

modi

modi hæreticorum & heterodoxorum libellos, quos ſatius ſit negligere quam refutare, ne illis pretium accreſcat ex Adverſantium nomine: Sed tamen plerumque reſponderi debet ſtulto juxta illius ſtultitiam, ne ſilentium eorum quos decet eſſe publicos Vindices Veritatis, trahat in argumentum convictionis, aut triumphi materiam. Novi equidem contra Apoſtatam *Apoſtaſiæ Chriſtianorum* ſcriptorem, egiſſe Venerandas Synodos Hollandicas quod ſuum erat, impetratâ per R. R. & Vigilantiſſimos ſuos Deputatos à Supremo Magiſtratu proſcriptione publicâ, tum illius nocentiſſimi libelli, tum *Quaternionis Curcellæani* contra me, ex eodem Spiritu eademque Schola profecti: Sed neminem actutùm noſtri Ordinis novi, qui priorem linguâ aut Patriâ aut Latinâ refutarit: Illi, quod ſciam, hactenus obſtitit ſolus *Petrus Serarius*, Vir quidem bonus & doctus, & quem video in plurimis, quantum Belgica aſſequor, fœliciter ſatis hanc pugnam depugnaſſe: Sed cùm adhæreat Mennonitis, licet ei illorum parti longè ſaniori quæ abhorret à Socinianiſmo, mirum non eſt quod ſubinde ſuis nitatur hypotheſibus, & à Reformatarum Eccleſiarum doctrina, ex quibuſdam fortè præjudiciis non uſquequaque percepta, quandoque recedat. Eos tamen pro nobis eſſe, qui non ſunt contra nos, meritò cenſuerim. Me quod attinet, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI, nihil unquam omiſi ſtudii, nihil intermiſi laborum, quod præfiſcinè dixerim, ex quo verſor in Eccleſiæ Miniſterio & Docturæ Scholaſticæ functione, ad Orthodoxiam noſtram, & puriorem, quam Dei gratiâ profitemur, Religionem, contra quoſlibet illius Adverſarios, etiam ferociſſimos, pro virili mea parte propugnandam & aſſerendam. Illius meæ diligentiæ Specimen eſt hoc ultimum majoris molis in eo genere opus, quod VESTRARUM NOBILISSIMARUM ET AMPLISSIMARUM DOMINATIONUM Nominibus, quâ poſſum obſervantiâ nunc offero & dedico. Ultimum ut illud dicam graves habeo rationes: Ejus enim nunc ſum ætatis, quæ non magis patitur me vaſtum & longioris ſubſellii inſtituere conſilium literarium, quam fas
eſt

Digitized by Google

eſt viatori ſub veſperam prolixius & difficilius iter ingredi. Et ſenex qui novam incipit ædificare domum, creditur eo ipſo ſibi ſepulchrũ fodere. Appellantur *Profeſſores Jubilati*, in communione Romana, qui per viginti annos Doctura Scholaſticæ vacarunt: Poſtea enim rude ut plurimùm donantur, & honeſtę quieti litare poſſunt: Decurrit nunc ad finem annus quadrageſimus tertius meæ vocationis primæ ad Miniſteriũ Euangelicum, expletus eſt trigeſimus ſeptimus gradus Academici honeſtè ſuſcepti ac profeſſionis Theologicæ primùm exercitæ, propediem abſolvetur vigeſimus hujus meæ in Veſtro Athenæo ſtationis; in qua quid quantumque præſtiterim, Vos meminiſſe quam me commemorare ſatius eſt; ut jam tempus ſit de illo Pyrrhi cogitare, *Quieſcemus*. Quia tamen Imperatorem mori ſtantem oportet, ut Veſpaſianus dicebat, pergam porrò in meis laboribus quantum potero: ſed quia ultra poſſe nemo obligatur *non* vos deſtituet *animus*, ut loquar cum Phædro, *ſed vires meæ*. Nihil tamẽ temporis in poſterum vel Polemicis vel Eriſticis ſcriptionibus impendam, quantũ potero, quicũque etiã noſtra admordere voluerint. Jam enim ante paucos dies expiravit annus meus Climactericus ſive ſexageſimus tertius, quem fatalem eſſe Literarũ meliorum cultoribus plerique arbitrantur, & LXIV. auſpicatus, debeo eſſe ἐξαγώνιος, id eſt ἔξω τοῦ ἀγῶνος, & extra teli jactum, ut jure nemo amplius queat me provocare ad ſingulare certamen, aut mecum contendere & in arenam deſcendere velit. Nec tamen quamdiu mens ſana manebit in corpore ſano, deſiſtam ab honeſto labore. Sed quicquid Deus mihi vitæ & virium pro ſua benignitate largietur, impendam partim reviſioni & novæ editioni meorum præcedentium operum quà ἐκδοτῶν quà hactenus ἀνεκδοτῶν, partim illi Biblico verè aureo quod eſt ſub manibus, ex cujus editione plurimum & Eccleſiæ ædificationi, & veſtræ Belgicæ Fœderatæ utilitati, & hujus Academiæ celebritati, acceſſurum confido: Certè, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI, ſi inſiſterem moribus in aliis nonnullis Academiis receptis, jure poſſem in hoc ſenio, vel ex hoc ſolo capite aliquam vacationem ab ordinariis laboribus à vobis petere, & forte quâ eſtis humanitate exſpectare. Pergam tamen quoad Deo meo libuerit, & quantum per ætatem & valetudinem licuerit, in meæ vocationis quà Academicæ quà Eccleſiaſticæ functionibus ſolitis, daboque operam ut potiùs videar la-

 boribus

boribus ſuccubuiſſe quam me illis juſto citiùs ſubduxiſſe. Ultimi verò hujuſce mei Polemici partus, Splendidis Veſtris Nominibus inſcribendi, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI, præter Veſtrum in me ſingularem Amorem & Favorem, quem agnoſcere, celebrare, deprædicare magis publicè nequeo, cauſa eſt ſpecialis, quam referendo oſtentator nonnullis videri poſſem, diſſimulando verò ingratus meritò cenſeri deberem; Dum anno ſuperiori peregrè abeſſem cum Veſtro conſenſu, prodiit ſcriptum publicum non ſolum peracerbum in me, qui forte reſcribere potuiſſem, niſi illius author fuiſſet infra Cæſaris iram, & ipſe jamdiu pertæſus eſſem iſtiuſmodi ſcriptionum eriſticarum, ſed quod magis eſt multifariàm contumelioſum Supremis Poteſtatibus, quæ proſcribere poſſunt. Vos autem, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI, cùm domo abſens neſcirem quid hîc fieret, hanc cauſam ad animum revocaſtis; ad Comitia retuliſtis de iſto libro maledico, quo & Majeſtas Provinciæ non modiocriter lædebatur, & Veſtri *Mareſii* nomen valde contumelioſè præter jus & fas proſcindebatur: Veſtraque directione & authoritate factum, ut nomine Ill. ac P. P. D. D. ORDINUM & querela de illo ſcriptore inſtitueretur apud Supremum illius Magiſtratum, quem & is in eodem libro non uno modo graviter offenderat; & Programma publicum excuderetur, quo ſcriptum illud ceu famoſum proſcriptum fuit, & meæ famæ abundè proſpectum honeſtiſſimo illo & omni exceptione majori teſtimonio, quod eodem Edicto de inculpatis moribus & pia ac honeſta converſatione mihi perhibetur: Sed neque in Adverſarii mei Provincia ceſſatum eſt; nam ibi ſuſtinuit pœnam ignominioſæ exauctorationis, cujus ſententiam Ampliſſimus illius Magiſtratus ad perpetuam rei memoriam typis deſcribi curavit. Deus novit quod condoleam illius caſui; in quem creditur incidiſſe dum maluit aliorum affectibus indulgere, quam obſequi rectæ rationi: cùm aliàs omnis noſtra Controverſia, tantis indigna motibus, de re levicula fuerit, niſi quod in illa Magiſtratuum & Legum Reipub. fundamentalium authoritas verteretur. Potuiſſem certè graviora paſſus, illas quoque injurias, ut multas alias ex eadem pharetra in me per plures annos contortas, vel ſcripto retudiſſe, vel ſilenter concoxiſſe: Jamdiu enim in Symbolum meum id Apoſtolicum delegi,

Digitized by Google

διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας. Atque ſcio, non ſecus ac B. Hieronymus, *per bonam & malam famam pervenire ad regna cœlorum*: Nam *Conſcia mens recti famæ mendacia ſpernit*: & ſemper mihi videor audire Auguſtinum, his verbis me compellantem; *Neque melior es cùm laudaris, neque deterior cùm vituperaris: idipſum es quod es, neque major eſſe potes, quam quantus Dei voluntate es.* Mens generoſè pia, ſe attollit ſupra laudes vel convicia aliorum, ita ut nec illas ambiens, neque hæc curans, in ampliſſimo bonæ Conſcientiæ theatro plenè acquieſcat: Interea tamen quia *Conſcientiam Deo debemus, famam proximo*, non eo uſque profeci in ἀναισθησίᾳ Stoica, ut non potuerit mihi non eſſe perjucundum tantæ Dignitatis Vindices innocentiæ meæ obtigiſſe; nec ſolùm Supremos meos Dominos, Ill. ac PP. ORDINES GRONINGÆ ET OMLANDIÆ, illius curam eximiam ſuſcepiſſe, verùm etiam Nobiliſſimum & Ampliſſimum Senatum Ultrajectinum, tale in meo Adverſario exemplum ſtatuiſſe, quod jure retrotrahi & applicari poſſit ad omnia στηλιτευτικὰ ſcripta in me ab aliis circa eandem revera cauſam per viginti continuos annos emiſſa; & mihi ſit in futurum pro Moly Homerico contra venenatos iſtiuſmodi calamos, ut deinceps non debeam τοῖς βατράχοις ἀντικοαξᾷν, aut illam eriſticam ſerram cum quoquam reciprocare. In hoc uno, injuriarum ſunt damnati cœteri omnes qui facem ei prætulerunt in iſto ſcribendi genere, & quorum lineis, dùm ejuſdem cauſæ hyperaſpiſtem agit, voluit inſiſtere. Corraſerat ille nonnulla ad ſui defenſionem coram Ampliſſimo ſuo Magiſtratu, quæ dum hæc ſcribo ſub titulo *Apologiæ* pro *Netheno*, linguâ vulgari prodierunt in publicum: Sed illa ſunt tam abſona, tam in Ill. ac PP. DD. ORDINES hujus Provinciæ contumelioſa, tam Vobis, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI CURATORES, injurioſa, tam offenſiva Ampliſſimi Magiſtratus Ultrajectini, cujus ex poſtfacto juſtiſſimam & mitiſſimam Sententiam, ceu violentam, iniquam, tyrannicam, ſtudet evertere, totque in me conviciis horrendis referta, ut vel hac ſolâ ſuâ *Apologiâ* ſui condemnationem & exauctorationem apud Judices Æquiſſimos, ſtudio promoviſſe videatur. Propugnat ibi verboſiùs quod jam tanquam ex *Acronio*, in ORDINES Noſtros evomuerat: quaſi convicium eſſe deſi-

niat in Poteſtates Superiores, quod tibi aliquis alius in eo præjuerit. Sed unde hic illi maledicentiæ ſuæ teſtis? Ex eo nempe corpore Epiſtolarum Remonſtranticarum, quas tanquam *ſordes & velut furoris excrementa, inſigni impudentiâ in lucem* protruſas, proclamat D. Doctor *Ryſſenius*, intimæ admiſſionis apud D. D. Theologos Ultrajectinos, *pag.* 110. *ſuæ Synopſeôs impuræ Theol. Rem.* editæ Ultrajecti anno 1661. eodem tempore quo ibidem ſcriptor *Neceſſariæ defenſionis*, ex illo tam bello volumine tela amentata ruſpabatur, quæ in Ill. ac PP. D. D. ORDINUM Noſtrorum Majeſtatem intorqueret. Ad quem dicitur ſcripta fuiſſe illa Acroniana epiſtola? Ad *Conradum Vorſtium*, hominem Socinianum, & cujus vocationi ad Academiam Leydenſem, omnes boni olim obſtiterunt, adeo ut etiam illius ipſos moderatiores Remonſtrantes puduerit. Scilicet ex talis hominis Muſæo tale κειμήλιον erat producendum. Quin *Acronium*, ſi hæc ſit revera illius epiſtola, & quam non emiſiſſent in lucem Remonſtrantes, niſi occulto flagraſſent odio adverſus illius nomen & memoriam, juſto liberaliùs ſuis affectibus in ea indulſiſſe, non ſolum probat luculenter quod ſolœciſmum Grammaticum Politico cacographo conjunxerit, dum Proceres hujus Provinciæ *ſuos Harpyas* appellavit, ſed quod in ea verba *ibidem* proruperit de tòta hac Provincia, indigniſſima, atrociſſima & falſiſſima, quæ niſi etiam ſua fecerit Apologiſta, parum profecerit ex illius teſtimonio: Ita enim ibi, perſonatus, ut credere malim, loquitur *Acronius. Fateor mihi etiam noſtrorum craſsâ barbarie & Cyclopicâ ingratitudine erga Miniſterium, ſic obtundi ingenium, ut torpeſcere jam penè incipiat. Nulla hic eſt cultura eruditionis, nullus honos. Regio indoctis Miniſtris oppleta eſt, & ſi qui ſunt peritiores, vix quinque numero, ij ſanè pariter omnes, partim effrenatâ illâ ἀταξίᾳ, quæ hìc inter tot Sectarum agmina regnum obtinet ac licentioſè graſſatur, partim exactionum mole infracti, animis fatiſcunt, & rubiginem contrahunt.* Queritur ibidem, *cauſam Euangelii hìc peſſimo loco eſſe*, etiam cum *curas Viſitationis Claſſium hujus Provin-*

Digitized by Google

Provinciæ ab Illuſt. Proprincipe ſibi *demandatas* commemorat? Certè aut *Acronius* iſta non ſcripſit, aut præter jus & fas, ex occulta quadam animi exulceratione, hæc illi excidiſſe fatendum eſt. An igitur ex tali titulo licuit Noſtrorum ORDINUM accuſatori ſuas criminationes vel nectere, vel tueri? Nec contentus Apologiſta illis prioribus injuriis, eas novis contegit ne perpluant. Taxat enim eos imprudentiæ & iniquitatis, & quod rem ad ſe non pertinentem aggreſſi ſint, expoſtulando apud ipſius Superiores de injuriis mihi factis in *Neceſſaria* ſua *defenſione*, (meliùs capitalem invectivam & accuſationem eam inſcripſiſſet) etiam me abſente in Galliâ & priuſquam ego de illis queſtus fuiſſem: Quaſi non ſit vel boni Magiſtratus ſuos bonos Cives tueri in notoria injuria, etiam non exſpectatâ querelâ ipſorum, vel juris & moris receptiſſimi inter Supremas pari jure ſed fœderatas Poteſtates, potiùs excitare alterius nobile officium ad reparationem injuriæ aut damni Civi ſuo per illius ſubditum illati, quam ex lege *Diffamari*, alienum Civem ad ſe evocare, vel ſubditum ſuum lædentis juriſdictioni, quia actor forum rei ſequi tenetur, ſubjicere? Non deerat Noſtris ORDINIBUS juſta ratio ac poteſtas ſe & ſuos vindicandi adverſus ſcriptum injurioſum & famoſum, quam etiam ſuo loco & tempore publico ſuo Edicto exercuerunt: Sed cùm cenſerent non ſufficere illi crimini expiando, proſcriptionem & condemnationem ſcripti ipſius, verùm perſonali coercitione tantam petulantiam debere vindicari, rem detulerunt ad rei Superiores & Magiſtratum, ut in ipſum quod æquum foret, ſtatueretur. Quid quæſo in eo eſt quod vel ipſe Momus carpere queat? Imo quod æri & cedro ad perpetuam laudem & memoriam, Prudentiæ, Juſtitiæ, Æquitatis, Sanctitatiſque Procerum Noſtrorum, incidi non debeat? Meminerant nempe ſe ſuis Academicis legibus ſpecialem nobis promiſiſſe protectionem *contra quoſvis lædentes aut lædere volentes*: Videbant ſuum *Mareſium* Principibus Achivis permiſtum, & unà ſecum graviſſimè læſum, ac tanto graviùs & iniquiùs, quanto magis ipſis perſpecta eſt illius Orthodoxia,

Digitized by Google

thodoxia, Probitas, Innocentia, Sedulitas in ſua functione; & cùm per ſuam abſentiam minus poſſet vel ſeipſum tueri, vel juſtitiæ auxilium implorare. Ideo illius cauſam ſuæ conjunxerunt, imo propriè ſuam fecerunt; quod ſatis intelligerent Reip. & Academiæ ſuæ intereſſe retundi atroces illas injurias in primarium ſuum Profeſſorem jactatas, quarum falſitatem & mendacitatem, innocens & honeſta illius converſatio per hos viginti annos continuos ſub oculis ipſorum, in aprico ponebat. Id nempe mordet Apologiſtam, quod Ill. ac P. P. D. D. Ordines Groningæ et Omlandiæ, Domini mei Clementiſſimi, non obſurduerint ad illius latratus, nec paſſi fuerint per ipſius maledicentiam, reddi inutilem, quantum in eo foret, operam illam, quam, ſub Dei Gratia, ad ſui nominis Gloriam, Eccleſiæ ædificationem, Academiæ hujus celebritatem & decus, non inutiliter impendo & impendi: Verùm pergit ulteriùs, & in Vos quoque, Nobilissimi Et Amplissimi Domini Curatores, inſurgit non uno modo, ac multifariàm accuſat neglecti Veſtri Muneris, præſertim in tolerandis *Maresio* & *Schoockio*, quos jamdiu ex Veſtro Athenæo, juxta ipſius calculos, ejeciſſe debuiſſetis, quod ſcilicet ſubinde debuerint contra aliorum inſultus ſe acriùs defendere. Nam iſti homines vellent nos humiliter oſculari virgas, quibus ipſis ſubinde vapulamus; litem cum Fimbria iis movent qui toto corpore ferrum eorum non exceperint, & ſua tela in ſe retorqueri, aut potiùs ſuum vomitum quo alios conſpurcant in ſe rejici, ægerrimè patiuntur. Quantum ad me, primò ait jus ſibi fuiſſe me ita excipiendi, quod ipſum aggreſſus eſſem: At ſi hoc verum foret, non ipſum eſſem aggreſſus conviciis, ſed rationibus, ut pote qui dum meum judicium oppono illius judicio, in cauſa quæ mea fuit antequam ſcirem eum eſſe in rerum natura, declaraveram eum mihi eſſe *virum minimè malum, ſed pium & doctum*, (quibus elogiis ex charitatis dictamine & judicio profectis ipſe prior reclamavit, & tam ſe illis indignum, quam me in illis hallucinatum fuiſſe, palam demonſtravit:) adeo ut nihil

Digitized by Google

hil dixerim ad perſonam, ſed tantum ad cauſam, juxta illud notiſſimum, *Parcimus perſonis, dicimus de vitiis.* Si igitur illum eram aggreſſus, debuiſſet me ſequi meâ *ripâ*, ut loquitur Plautus, nec convitiis ex pleno horreo congeſtis agere, ſed rationibus & argumentis. Verum facilè eſt demonſtrare ipſum revera fuiſſe aggreſſorem. Nam libro D. Doctoris *Eſſenii*, ſui Collegæ contra me ex profeſſo directè ac nominatim ſcripto, & ut Galli loquimur, *de gayeté de cœur*, etſi ipſum nullâ unquam vocula laceſſiviſſem aut provocaſſem, præfixit carmen Satyricum & mordax, quo hoſtilem ſuum animum in me ſatis propalabat. Hanc primam dum muſſo injuriam, ei paullò poſt ſucceſſit ſecunda; Cùm enim Belgicum ſcriptum adornaret, primum quod ſciam ab ipſo in lucem emiſſum, quo prætextu conciliandi diſcordantes Venerandi Presbyterij Ultrajectini ſententias circa bona pſeudo-Eccleſiaſtica Ultrajectina, revera cauſam ſui quondam Præceptoris & Evergetæ contra illius in ſacro Miniſterio Collegas, quâ poterat vehementiâ propugnabat, formaverat ſtatum quæſtionis quam ſuſceperat ventilandam, mei ipſius nominatim verbis, quod & notari volebat, ne crederetur in alium quam in me ſcripſiſſe. Nonne id erat aggreſſorem agere, & me ultrò provocare ut mecum contendiſſe ferretur? Ne dicam illum jure habendum pro aggreſſore meo, qui adverſariis meis ſuppetias laturus, publicè accedit ad eorum partes, illiſque ſe conjungit in cauſa contra me. Et in illa ſua *Apologia* diſertè profitetur, ſe maximè motum ad acuendum in me ſtylum & ita ſcribendum ut fecit in ſua non *neceſſaria Defenſione*, quod cauſæ ſui quondam Præceptoris & Promotoris, & tunc etiam Collegæ, (nam hoc ultimo gradu nunc excidit,) ſuccurrendum judicaret. Quare viſo virulento ejus ſcripto facilè cognovi qui factum quod nupera conſilia Irenica Venerandæ noſtræ Synodi per R. R. ſuos Deputatos non proceſſiſſent Ultrajecti, quoniam videlicet tunc iſt ud fulmen in meum caput cuderetur, cujus vibrationi optata Reconciliatio interceſſiſſet & obſtitiſſet. Præterea ſe juſtificaturus, prolixum texit catalogum eorum,

Digitized by Google

qui æquè duriter ſuis ſcriptis antea me exceperint, adeoque putat hoc ſibi tanto juſtiùs licuiſſe, quod hactenus ſui gregis hominibus fuiſſem inſtar illius Mercurij apud Mæmonidem, qui jactu lapidum à viatoribus colebatur. At vir Sapiens debuiſſet iviſſe, non quà ibatur, ſed quà erat eundum; & ſpectaſſe, non quid factum fuiſſet ab aliis, ſed quid jure fieri oportebat. In eo genere potiſſimùm, apud quemlibet bonum obtinet illud Horatii, *Odi imitatores, ſervum pecus.* Imò vix dubitem quin hæc ipſa ratio quâ vult ſe tueri, Veſtræ Juſtitiæ zelum, Nobilissimi Domini, adverſus illius ſcriptum incenderit, quo tandem illi maledicentiæ torrenti agger validus opponeretur, & quocunque modo ſufflaminaretur illa licentia libellorum famoſorum ex vnius hominis prodeuntium Schola, quam vaginam contentionum non minori jure dixero, quam Jornandes ſuam Scanziam *vaginam nationum* appellat. Et certè eorum omnium quos ſatis magno numero Apologiſta inter ſuos ἡγουμένους in hac arte recenſet, uno forte D. *Dallæo* excepto, nemo eſt qui ſuo Præceptori & Collegæ per meram illius factionem non militaverit contra me, & belli quod inter nos duos tranſigi, imo extingui, debuiſſet, acceſſorium non fuerit; prout ab initio noſtræ Syrraxeôs minatus fuerat, ut ipſius-met literis ejus manu ſcriptis olim probatum dedi, ſe doctiores è Paſtoribus & Studioſis ad hæc certamina evocaturum; Neque puduit ipſum Apologiſtam eos recenſendo qui graviter in me dixerunt, *Lemannos, Chabanæos, Bertlingios, Baccas, Riverios, Spinæos, Ubbenios, Stevartios* &c. obſcura pleraque nomina, ipſos D.D. *Voetios* commemorare, Roſcios in eo genere, factionis iſtius Antimareſianæ capita, reliquorum incentores, & duces capros ipſos gregis quos tota hæc armenta ſequuta ſunt Sed bellè diſſimulavit quæ fuerit origo iſtius litis, & quam iniquè mecum ab illis actum fuerit. Quid enim à D. *Voetio* Patre, priuſquã vel vocula durior mihi in illum excidiſſet, quid ab ejus D Filio paſſus ſum, hic non dixero, ne infandum mihi doloremcogar renovare. Tanti mihi conſtitit quod meam innocentem ſententiam de facto

Sylvæ-

Sylvæducenſi contra illius theſes, rogatu Magiſtratus tum mei, in quem illæ directè, ex profeſſo & nominatim conſcriptæ fuerant, modeſtiſſimè defendiſſem, ac Soli Ultrajectino, qui poſtea tamen eclypſim aliquam paſſus eſt, in re nullius momenti obloquutus fuiſſem, atque ſic interceſſiſſem illi Dictaturæ Theologicæ, quam Vir Doctiſſimus, & quem aliàs ſemper magni feci, ſibi deberi putabat in omnia & in omnes. Addo tamen quod ex omnibus meis Adverſariis quos nominat Apologiſta, etiam ex iis qui duriſſimè egerunt, ſi D. D. *Voetios* excepero, nemo fuit qui ad eum maledicentiæ gradum conſcenderit, ex quo ipſi libuit in me detonare, Theologo in Theologum, juniori in ſeniorem, fratri in fratrem, & quem antea in epiſtola data 5. Decemb. 1659. ad me & R. meum Collegam D. Doctorem *Widmarium*, inter veros Eccleſiæ *Prophetas eximium locum tenere* agnoverat: Ut tanto æquiùs in illum egerint Proceres, quanto eminentiorem locum in hac ſcena occupavit, quò in hoc uno, injuriæ ab aliis mihi illatæ ſimul ac ſemel vindicarentur, & pœna ad paucos, exemplum ad omnes ſpectaret. Et certè quantopere ipſius liber diſplicuerit omnibus bonis, imò, ut ajunt, ipſiuſmet Collegis, non ſolùm poſſim oſtendere privatis literis multorum Virorum Eruditorum, ejus acerbitatem deteſtantium, eumque indignum pronunciantium cui reſponderem, ſed etiam liquet ex Actis ipſius-met Venerandæ Synodi Ultrajectinæ, habitæ ante Procerum noſtrorum literas Ultrajectum miſſas, quæ offenſa acerbiſſimo ſtylo illius muſtei libri, authorem ad ſe citaverat, de ſuo facto coram reſponſurum; ſed ipſe ſibi malè conſcius, Cognitioni Synodi Provinciæ ſuæ ſe ſubjicere contumaciter detrectavit, & noluit novum hunc ſuum partum, quod non eſſet genuina Veritatis ſoboles, Soli Venerandi illius Cœtus exponere; & ſic juſto Dei judicio evenit, ut dum ſtuduit declinare cenſuram Eccleſiaſticam, in condemnationem juridicam inciderit. Denique coacervavit Apologiſta ex meis libellis per hos viginti annos in lucem editis, quicquid putavit illis in-

eſſe acerbitatis in alios, quo ſuam culpam hac arte excuſaret. Eò pertinent *Excerpta Mareſiana*, ut ea inſcripſit, quæ quidem non excuſa ſunt, cum reliqua Apologia, ſed tamen & exhibita fuerunt Judicio, & huc etiam miſſa ad Venerandum hoc Presbyterium à Presbyterio Ultrajectino, ut mecum ſuo nomine communicarentur, & quid ad ea, quæ pro ſua Defenſione Apologiſta illi Cœtui obtulerat, reſponderem, ſibi perſcriberetur. Miratus ſum meritò illum agendi modum, nullâ æquitate, nullâ legum Civilium, vel Canonum Eccleſiaſticorum, authoritate nixum, nec aliò ſpectantem quam ad me obtorto collo pertrahendum ad ſuum forum, ut ſub prætextu litis jam illîc conteſtatæ inter Apologiſtam & me, & per conflictum Juriſdictionis Eccleſiaſticæ & Civilis, ſiſti poſſet ſententia quæ propediem ab Ampliſſimo Magiſtratu ferenda dicebatur: Ut jure Venerandum noſtrum Presbyterium noluerit ex iſtiuſmodi delegata poteſtate, & vi commiſſionis Ultrajectinæ, mihi imponere neceſſitatem ad iſta reſpondendi in foro Ultrajectini Presbyterij; & ego etiam reſpondere detractaverim, quod meum de cauſa aliena judicium vel teſtimonium non peteretur, ſed reſponſurus fuiſſem, vel tanquam actor, qualis nolebam ibi eſſe, vel tanquam reus, qualis ibi fieri nec poteram nec debebam. Quod ſi Venerandus ille Cœtus, noſtri petiiſſet interceſſionem, vel ad mitigandos animos offenſos in hac cauſa Ill. ac P.P. D.D. Ordinum, vel ad tentandam mei cum illo ſuo reo & ejus Collegis ſanctam reconciliationem, eâ forte ratione ipſe imminenti tempeſtati ſubductus fuiſſet. Quî hoc conſilium profeciſſet apud Proceres, neſcio; Sed me quod attinet illicò declaraſſem, me omnes injurias, mihi, alias procellas experto, ab ipſo & aliis factas, ex animo condonare, & conſentire ut comprehenderetur in amneſtia Chriſtiana cum D. *Voetio*; quam ſemper ita & obtuli & petii, ut interea ſemper paratus fuerim, & etiamnum, reſpondere in competenti meo foro, vel Academico, vel Eccleſiaſtico, ad ſingula capita criminationum Apologiſtæ, & ſuorum Excerptorum in XXXVIII. titulos diſtributorum, ſi vel

publicè

Digitized by Google

publicè ex Nobili officio, id à me articulatim exigatur, vel quilibet privatus, vir honeſtus, & qui perſonam habeat ſtandi in judicio, ſe legitimum actorem aut delatorem aut accuſatorem conſtituat. Abſit à me ut me ἀναμάρτητον conſtituam, mihique tribuam infallibilitatem Papæ; *Homo ſum, humani à me nihil alienum puto*: Nec teſte Regum Sapientiſſimo minùs peccamus in multitudine verborum quam fallimur in multitudine ſomniorum: Et jure id meum fecerim quod dixit Auguſtinus, *in ep. ad Marcellinum. Si mihi Deus quod volo præſtiterit, ut omnium meorum librorum, quæcunque mihi rectiſſimè diſplicent, opere aliquo ad hoc ſpecialiter inſtituto, colligam atque demonſtrem, tunc videbunt omnes homines quam non ſim acceptor perſonæ meæ.* Interea tamen multa ſunt quæ hic obſervanda judicem: I. Perperam nititur Apologiſta meo exemplo: Si enim malè egi, me acerbiùs, ut retur, defendendo, non debuit me imitari: Si benè, non ſolum non debet id mihi vitio verti, ſed etiam agnoſcendum, aliter eum feciſſe quam feci: ſiquidem quod fecit culpatur ab omnibus; quod verò feci, à nemine, ſi extra partes fuerit. Ex quo verſor in luce hominum, nullus meorum libellorum incurrit in cenſuram publicam, vel Magiſtratus ullius Reformati, vel Senatus Academici, vel Collegarum in Facultate Theologica, vel Presbyterij aut Synodi ullius: cùm ſcriptis Adverſariorum meorum non ſemel in utroque foro contrarium evenerit: Unde colligo rerum intelligentes, potiùs me dignum miſeratione judicaſſe, quod redactus eſſem ad hoc ſcribendi genus, quam indignatione: Ecquis enim ſibi perſuadeat hunc homuncionem, exterum, ut illi ſæpè exprobratum eſt, nullâ clientelâ, affinitate, aut conſanguinitate, ſed ſolâ ſuâ virtute ſuffultum, tantum ubique potuiſſe, ut in ipſius gratiam cornicum oculi configerentur, & veniam daret corvis, vexaret cenſura columbas? II. In omnibus meis ſcriptis eriſticis, etiam acerbiſſimis, nunquam aliter egi quam defenſivè, & poſtquam ab aliis, priùs à me nec læſis nec offenſis, intolerabiliter provocatus & laceſſitus fuiſſem, quod ex ſola libellorum qui

carpuntur lectione, igne liquido liquidiùs liquet: **Eſt autem** ſui defenſio juris naturalis, ſi in ea ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ: Si verò videar alicubi modum non ſervaſſe, ut qui ſe defendit gladio non appendit ictus ad libellam, certè aliquid eſt condonandum infirmitati humanæ, & juſto dolori viri boni iniquè læſi; maximè cùm non proruperim illicò ad mei defenſionem, ſed multa tulerim priuſquàm eò devenirem, neque ſolùm primum, ſed etiam ſubinde ſecundũ & tertium ictum exceperim, cùm nec primus juxta Juriſconſultos debeat expectari, ante quam me ad reſponſionem accingerem: Habet verò & muſca ſplenem, ut eſt in Adagio, & patientia ſupra modum læſa furor fit. Ecquis autem tam ferreus & patiens, ut vel in vita civili, atrocibus & falſiſſimis impetitus calumniis, quæ ſibi & ſuis notam inurant æternæ infamiæ, eas cum indignatione & cordolio non refutet, vel in Profeſſione Theologica, defectionis ad Papiſmum, Idololatriæ propugnatæ, Dei omnipotentiæ impugnatæ, heterodoxiæ aſſertæ, iniquiſſimè accuſatus, ſe cordatè non defendat, cùm in hæreſeôs accuſatione, juxta Hieronymum, nemini patienti eſſe liceat? Diu eſt quod optavi mihi dari meorum Scriptorum Judices & Cenſores rigidiſſimos: Paratus ad quamlibet pœnam ſubeundam, ſi deprehenderer, vel in realibus & dogmaticis non litaſſe veritati, vel in perſonalibus quippiam in quemquam effudiſſe mendaciter ex mera calumniandi & injuriandi libidine, aut alio fine & animo quam retundendi longè graviora & acerbiora quæ priùs præter jus, fas & verum, in me contorta fuerant. III. Nulla mihi unquam tam acerba exciderunt, quin ſubſiderent longè infra amaritiem Adverſariorum meorum, ut comparativè loquendo, non pantheram pro leone reddidiſſe, ſed roſas pro ſpinis, amaracum pro aconito, repoſuiſſe videar. Fruſtrà ſanè ad me gravandum oſtentantur ſummæ cutis evulſiones, & unguium in illa cicatriculæ, quas alij à me paſſi ſunt, dum diſſimulantur grandia & profunda vulnera, quæ illi priùs mihi inflixerant. Si acriori quandoque uſus ſum lixivio, cùm unus homo integros ſuæ factionis

ctionis mainpulos undique in me concitabat, illud potiſſimum adhibui, vel ubi atrociores calumniæ ad ipſam famam ſpectantes, retundi debuerunt, vel refutanda fuerunt horridiora dogmata,& magis à Pietate & Veritate remota, ac periculoſiora in noſtra Theologia, qualia Stevartiana erant; quæ nec ipſa Facultas Thelogica Ultrajectina approbabat, etſi illo homine uteretur, ad ſuum tuendum contra me paradoxum de poſſibili vacuo & pluralitate mundorum: Res quas Stevartius illinebat ſuis chartis contra Juſtitiam originalem, propagationem peccati originalis, notitiam Dei naturaliter omnibus inſitam, unius hominis μονοτοπίαν &unilocalitatem,non probabantur D *Voetio*; ſed tantum modus injurioſus admodum quo in me, illæſus à me, inſurgebat, & quod ſub ſuo vexillo contra *Mareſium* militaret. Quin etiam quod illum Philoſophaſtrum non dignum judicarem quo cum nominatim confererem manus, nonniſi diſſimulato meo nomine, reſpondi ad famoſos illius libellos, clanculùm editos contra voluntatem Superiorum ſuorum, qui illi omnem contra me ſcriptionem interdixerant. Uno verbo, mea ſcripta deprehendentur ab hominibus extra partes conſtitutis, non tam felle reſperſa, quam condita ſale & aceto, quod ridentem dicere verum nihil vetet, nec aliter excipi mereantur *propugnatores abſurdorum paradoxorum*, quos Leges noſtræ Academicæ conceptis verbis ferri nolunt. IV. Utraque Provincia & Ultrajectina & noſtra, etiam diu antequam Apologiſta in ſcenam prodiiſſet, viſa ſemper fuit me hac in parte vel planè extra culpam collocaſſe, vel ſaltem tacitè excuſaſſe. Noſtra quidem, quod ſuis olim ad Proceres Ultrajectinos literis, quæſiverit rationem me reconciliandi cum D. *Voetio*, indignata acerbitatem Scriptorum Ultrajecto contra me prodeuntium, quorum ultimum tunc, inſcriptum *Cauſa deſerta*, ſub nomine D. *Voetii* junioris prodierat, quodque Noſtri Proceres, Veſtri Prædeceſſores, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI, Ultrajectum ſcribendo, ſe non alio habere loco quam libelli famoſi, ſive, ut eorum literæ ſonabant, van een Blaeu-Boeckje/ conceptis

verbis profitebantur. Illa verò, non ſolùm quod nullam unquam de me querelam ad meos Superiores detulerit, nequidem eo tempore quo mei Adverſarij videbantur illic eſſe in flagrantiſſima gratia, verùm etiam quod primarium illius Membrum, variis eorum laceſſitum contumeliis & ſcriptis, meum de ſua cauſa Judicium valdè honorificè petierit, illudque publicè proſtare voluerit. Hinc liquet, me Dei beneficio, vitam, mores, ſcriptioneſque meas, aliter ſemper inſtituiſſe quam meos Adverſarios: ſiquidem omnium Superiorum meorum favor, citra ullius offenſam, toto illius belli vicennalis tempore illibatus & integer perſtitit, cum univerſali in hac Provincia, quà Politicorum, quà Eccleſiaſticorum, quà Academicorum, indignatione in eos qui me tam violenter perſequebantur; & ſingulari benevolentiâ ſemper gaviſus ſim, non ſolùm prioris Membri Provinciæ Ultrajectinæ, ſed etiam multorum aliorum ibidem, qui me eò pluris faciebant, quod tam acerba præter meum meritum à quibuſdam ſuis Profeſſoribus paterer: Multis Ultrajecti placuerunt quæ ſcribebam ad mei defenſionem, & nulli diſplicuerunt Groningæ; cùm è contrario nulli placuerint Groningæ quæ in me Ultrajecto prodibant, & ea plurimis Ultrajecti diſplicuerint. Principibus verò placuiſſe viris non ultima laus eſt: Cenſebat Chryſoſtomus, grave eſſe laudari ubi non ſis, & ubi ſis torqueri: Sed Dei ſingulari beneficio mihi hactenus contigit non ſolùm laudari & diligi ubi ſum, verùm ubi alii me abſentem torſerunt, ibi à majori & meliori parte, æſtimari & approbari. V. Ita ſemper me defendi contra primarios meos Adverſarios, ut ab una parte pacem ſemper obtulerim & petierim, quod toti mundo conſtat, etſi eam nequiverim ullâ æquâ ratione illis extorquere; ab altera multos eorum qui me aggreſſi erant ultrò, ſilentio ac contemptu refutaverim; multos etiam ita mihi reconciliaverim, ut ægrè ſint laturi quod meis Adverſariis ab Apologiſta annumerati fuerint. Nob. & Amp Quæſtor Zuerius, diu ante ſuum obitum nobiſcum reconciliatus erat, ipſeque quoad vixit, ejuſque ſuperſtes vidua,

Nobiliſſi-

Digitized by Google

Nobiliſſima Matrona, totaque illorum familia florentiſſima, honoratiſſima, omnia humanitatis & amicitiæ officia, cum meo filio, Eccleſiæ Gallo-Belgicæ, quæ Sylvæducis eſt, hactenus Paſtore, conſtanter commutavit: Ipſe D. Lemannus ibidem cum illo vixit pacificè & amicè. D. Riverius, quamdiu Delfis ſuperſtes fuit, me ſæpiculè curavit officiosè ſalutari, nec in illa ſua Eccleſia Delfenſi tam deſpicabile fecit *Mareſianum* nomen, quin *Mareſii* filius natu major, in ipſius-met Riverii ſucceſſorem nunc ſit ad eam evocatus. Tam ſincerè proceſſit peracta ante triennium reconciliatio inter R. D. Dallæum & me, Magnæ Principis & Religioſiſſimæ Virginis (cujus luctuoſiſſimam toti Eccleſiæ mortem lugeo cum bonis, dum hæc ſcribo,) Celſiſſ. D. Buillioneæ interventu, ut ad huc anno ſuperiori cùm eſſem Lutetiæ, nos mutuò amiciſſimè inviſerimus. Contra D. Spinæum nunquam ſcripſi, eum nunquam læſi, ejus prodromum nunquam legi: Sed & is, quâ videtur eſſe pietate, cùm putaret mihi ſubeſſe aliquam cauſam non injuſtæ offenſæ, quod calculum ſuum vehementiùs adjeciſſet ſententiis quibusdam D. *Voetii*, de quibus inter nos contendebamus, ei nominatim quæ eſt de poſſibili ubiquitate alicujus meræ creaturæ, atque ſic in partes contra me palam veniſſet, haud ita pridem curavit per honeſtum quendam ſtudioſum me humaniter ſalutari, teſtari ſuum ea de re dolorem, mihique omnia amicitiæ ſinceræ officia offerri, quibus & ego reſpondere ſemper annitar omnimodo. VI. Id me ſummopere ſolatum eſt in hoc Eriſticarum ſcriptionum ſalo, quod ſemper ex dictamine Conſcientiæ, coram Deo renum ſcrutatore, veritati litaverim, nihilque propoſuerim aut defenderim, quod vel Paradoxiæ ulli in Eccleſiam introducendæ, vel Orthodoxiæ labefactandæ, vel Reip. perturbandæ, vel Magiſtratuum authoritati convellendæ, ullo modo inſerviret. Origo & initium totius hujus mei mali fuit negotium Sylvæducenſe: Quod primùm in eo conſcripſi pro Optimatum Sylvæducenſium & mei prioris judicii defenſione, contra Diſputationem Ultrajectinam, in illos directè, nominatim ac contumelioſè, & ut ipſi publicè profeſſi ſunt valdè calumnioſè, in me verò indirectè & obliquè propoſitam, anno 1642. hîc viſum fuerat priuſquam Groningam evocarer: Et tantum abeſt ut mei electioni obſtiterit, ut è contrario inſervierit ei promovendæ,

Digitized by Google

dæ, ex judicio Nobiliſſimorum & Ampliſſ. p. t. D. D. Curatorum, ipſiuſque R. & Clariſſ. D. Doctoris Altingij τῦ ἐν ἁγίοις, in quo ſolo tunc reſidebat Facultas Theologica, & cui Collega deſtinabar. In hac autem cauſa, quæ primùm inplacabile D. *Voetii* odium mihi conciliavit, nihil aliud egi quam Libertatem Chriſtianam nobis partam ſanguine Chriſti in rebus Adiaphoris propugnare. Et cùm hæc cauſa ad Venerandas Synodos fuiſſet delata, ipſæ verò illam intactam reliquerint, eo ipſo eventus docuit juſtitiam& veritatem à partibus meis ſtetiſſe. In cauſa Trapezitica, circa quam libuit D. *Voetio* cum ſuis me vocare ad partes, nihil aliud quam jus Magiſtratuum in modo uſurarum definiendo propugnavi; in quo præter reſpectiva Reſcripta Ill. ac PP. DD Ordinum Gelriæ & Hollandiæ & praxim jugem omnium civitatum Belgii Fœderati, plures Claſſes & Synodi integræ nobis nunc adſtipulantur. In cauſa Prædeſtinationis ſupralapſariæ, *communem* Reformatarum Eccleſiarum ſententiam, definitiones Synodi Nationalis Dordracenæ, Ill. ac PP. DD. Ordinum hujus Provinciæ decreta, aſſerui, in contrarium fruſtrà nitentibus cum D *Voetio* ſuis tum in hoc bello ſtipendiariis Bertlingio & Ubbenio. Quas Pelagianas hæreſes libuit Apologiſtæ mihi affingere, poſtquam literis ſuis me ſummopere laudaverat ob Gratiæ cauſam benè defenſam, in mea nupera Diſputatione de *Prædeſtinatione Angelorum*, abundè retuſas dedi. Præciſitates capillares & Sabbatarias impugnavi, ſed quæ nunc fœtent omnibus, niſi forte iis, quibus, juxta Adagium, ſtercus ſuum benè olet. Non potui concoquere Bona opera dici in noſtra Theologia, cauſas efficientes, per ſe & propriè dictas ac in ipſummet effectum influentes, vitæ æternæ, ne cogerer admittere merita Pontificia, & Socinianorum juſtificationem ex operibus, aut recedere à conſtanti Proteſtantium axiomate quod hauſerunt ex Bernardo, ***Bona opera eſſe viam ad Regnum, non cauſam regnandi.*** Nolui ſubſcribere ei ſententiæ quæ poſſibilem pluralitatem mundorum ſimul adſtruebat, item exiſtentiam materiæ abſque omni forma, & poſſibilitatem vacui, ac ſimilia, propter quæ libuit quondam D. Jacobo Ravenſpergero, dum viveret Ultrajectino Profeſſori, ut ſuo Collegæ gratificaretur, cùm à me ne per ſomnium quidem læſus fuiſſet, me tanquam *impotentem omnipotentiæ divinæ hoſtem*, quo acerbius nihil dici

dici poteſt, publico ſcripto traducere. Metuebam enim ne in admiſſione vacui & ſpatii ſine corpore, haberent Pontificii unde propugnarent accidentia ſine ſubjecto in ſua Miſſa, & corporis Chriſti præſentiam adſtruerent inextenſam ſub indiviſibili puncto. Metuebam, ne realis diſtinctio quantitatis à materia, aut materię exiſtentia abſque forma, vel formæ merè materialis extra omnem materiam, publicum præberet patrocinium Tranſſubſtantiationi. Metuebam, ne aſſertâ poſſibili pluralitate mundorum, ſatis huic noſtro, de cujus ſolius creatione & redemptione loquitur Scriptura, poſſet adaptari nomen τῦ πάντος & Univerſi, vel ſatis defendi quod docet Apoſtolus univerſum genus humanum ex uno ſanguine factum fuiſſe. Ubiquitatem poſſibilem meræ Creaturæ à Jeſuitis primùm aſſertam in ſubſidium ſuæ Miſſæ, periculoſè defendi arbitrabar, quod inde Ubiquitaria cauſa promoveretur, & everterentur argumenta Veterum & Recentiorum contra Macedonianos, Photinianos & Socinianos, pro æterna divinitate Chriſti & Spiritus Sancti, ab eorum multipræſentia & ubiquitate deſumi ſolita. Circa Bona Pſeudo-Eccleſiaſtica Ultrajectina, inſtiti Dei Verbo, juxta quod patrimonio Chriſti & bonis verè ſacris, ea non poſſint accenſeri, quæ Idolo & Superſtitioſo cultui fuerint conſecrata; Inſtiti definitioni Synodi Nationalis Medioburgenſis anni 1581. Inſtiti unioni Ultrajectinæ, quæ anima eſt eſt & fundamentum totius Reip. Inſtiti jugi & conſtanti praxi Proteſtantium ubique & ipſiuſmet Eccleſiæ Ultrajectinæ; Inſtiti Procerum in eadem Provincia decretis & udicio. In his ac ſimilibus ita mihi ſum meæ Orthodoxiæ conſcius, ita quoque illius conſcias habeo omnes Eccleſias Reformatas per totam Europam, ut non defuerint etiam haud ita pridem quæ me hinc per honeſtiſſimas vocationes avulſiſſent, niſi Vos injectâ manu me honorificè detinuiſſetis. Reſpondi fateor ſubinde vehementiùs D. *Voetio* primario meo Adverſario, imò unico; Sed reſpondi tantùm, & poſtquam per ſe, per filium ſuum, per Lemannum, per Riverium, per Chabanæum, ac ſimiles conductitios ſuos manipulares, mille conviciis, mille injuriis, mille

**** calumniis

Digitized by Google

calumniis, impetitus fueram, nec ullâ ratione ejus pacem quiveram redimere: Lemanni prius ſcriptum, quòd ſimul ac prodierat proſcriptum fuiſſet, attingere detrectavi; niſi quod paucula de illo enotarim in *Ult. Pat.* ex quibus patet bonum illum virum, nullâ vel umbrâ injuriæ à me affectum, ſe ſuopte motu in hac fabula Davum feciſſe: Poſterius conductitiâ Latinitate Boxhornii, ut ferebatur, exaratum, penitùs neglexi. Riverij priori ſcripto reſpondi ſufficienter in *Ult. Pat.* Poſterius indignum judicavi quod ulteriùs protererem. Chabanæi libellus fuerat editus Ultrajecti, quo tempore de armiſtitio noſtro inter Proceres Ultrajectinos & Veſtros Prædeceſſores conventum fuerat, ipſo tamen D. *Voetio*, ſive patre ſive filio, ut tum ad me perſcriptum fuit ab homine fide digniſſimo, eum ad prælum corrigente: nec editus fuerat niſi in ſubſidium falſi teſtimonii, ab ipſius uxore contra me emendicati, & mihi objecti in *Tribunali iniquo* D. *Voetii*: Quare ſatis habui ea de re publicè exſpoſtulare cum ipſomet meo primario adverſario, quem non latebat Chabanæum & ſuam conjugem nobis biennio antequam huc vocarer reconciliatos fuiſſe per arbitros Compromiſſarios, poſtquam abundè & plenè ſatisfeciſſent de illa atroci injuria, (cujus cauſâ eos in jus vocaveram, & quæ tum illo teſtimonio, tum illo libello malitioſé refricabatur,) per ſolemnem recantationem & Palinodiam ſuis manibus & quinque Arbitrorum Honoratorum, omni exceptione majorum, ſubſcriptam. A multis tamen annis mihi ipſi in hoc bello ſilentium imperavi, & multa irrefutata reliqui; Et quamvis videam quotidie nova in me tela ex eadem pharetra prodire, & nullam Diſputationem, nullam Diſſertationem, nullum Tractatum patri vel filio excidere, ubi non vapulem, obſtinatè tamen taceo, nec dignor illa refutare. Reſpondi ſemel Baccę Ungaro Quackeriſanti, qui ſe auctoraverat ſuo pręceptori ad lancinandas Diſputationes quaſdam Practicas hîc me Præſide habitas, & illius Præciſitates aliquas propugnandas, ac ſub ſanctæ *Simplicitatis* nomine immodeſtiſſimè ac ruſticiſſimè me impe-

impetierat: Sed ſecundum illius ſcriptum, quod noluerant R. R. DD. Genevenſes apud ſe excudi, indignum judicavi in quo refutando quicquam impenderem, ne Bacchæ bacchanti ulteriùs adverſando eam ex inſana inſaniorem facerem. Reſponderunt pro me duobus libellis injurioſiſſimis Stevartianis, Jonathan Heloſius & Nathanael Agamenius; ſed ad tertium ejuſdem furfuris cum prioribus duobus conticui, & *ranis* illius *coaxantibus*, quæ in titulo libri apparebant, ranam Seriphiam, ideſt pertinax ſilentiũ, oppoſui. Reſpondi D Ubbenio, qui ultrò nullâ injuriâ unquam à me læſus, ſolùm ut gratificaretur meo Adverſario, liti de Objecto Prædeſtinationis, parum prudenter tertius litigans intervenerat, & me duplici ſcripto valdè duriter exceperat: Sed ſatis habui Bertlingium circa eandem cauſam, in Præſide Diſputationis quam Ultrajecti contra me ſuſceperat, contundere & refutare. Reſpondi D.D. Eſſenio, ſed cùm nullâ à me voculâ prior læſus, grandem & operoſum librum contra me directè & nominatim emiſiſſet, ut lethaliter ægrotanti cauſæ ſui Collegæ de Bonis Pſeudo-Eccleſiaſticis extremam unctionem adhiberet. Nolui etiam reſpondere tertij in eadem Facultate Profeſſoris opuſculo Belgico, quod *Conciliatio* vel *Concordia* dicebatur, quamvis ſatis directè in me conſcriptum fuiſſet, nec alio fine editum quam cauſæ D. Eſſenij contra me & quatuor alios R.R. Paſtores Ultrajectinos, idem mecum ſentientes incruſtandæ & ſtatuminandæ. Breves quidem oppoſui *Reflexiones*, ſcripto ſive Conſiliò longè breviori & mitiori ejuſdem Authoris: ſed ad grandem *Defenſionem*, quam illis repoſuit, etſi ipſa publicè proſcripta ipſeque propter eam exauctoratus non fuiſſet, planè conticuiſſem. Reſpondi etiam Blondelli *Papiſſæ*, & hiſtoriæ veritatem contra ipſum propugnavi; Sed nec eò deveni niſi provocatus inſultibus injurioſis Curcellæi Sociniani; quem etiam inter ſuos contra me teſtes, Apologiſta profert, forte ex illius Lege qui dicebat, *Flectere ſi nequeo Superos Acheronta movebo.* Quod ſi ipſi lubebat me ex illo capite per τοὺς ἐξ ἐναντίας gravare, potuiſſet Cur-

cellæanis ſæviora mihi objeciſſe ex Jeſuita Labbæo, qui poſtea Blondelli cauſam contra me ſuſcepit defendendam. Denique ſcripſi quidem contra R. D. Dallæum, ſed moderatiſſimè, communem Eccleſiarum noſtrarum doctrinam contra patronos Univerſalis gratiæ propugnando, & acquieviſſem in tribus prioribus Exercitationibus, quæ & Nomini ejus parcebant, & nihil præter illius honorem ſpirabant, ſalvâ diſſentiendi libertate, ni illis oppoſuiſſet ſuas valdè acerbas *Vindicias*, quæ mihi & alias ſeptem Exercitationes & *Stricturas* paullò commotiores extorſerunt. Et certè cùm jam nos reconciliatos ſciret Apologiſta, non debuiſſet hoc vulnus quod in cicatricem abierat refricare, & unguem ſe in iſto ulcere, quantum potuit, conſtituere. Sed adhuc ampliùs conſtare debet, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI, quam parum appoſitè, ex his omnibus voluerit iſte homo mihi invidiam creare apud ſuos Judices, & comprobare tanquam legitimè dicta quæ in me evomuerat; me traducendo ceu *verum Pſeudo-prophetam*; *Chriſtianæ veritatis pacis & Reformationis oſorem & hoſtem*; *verum Bileamum*; *inſtrumentum Satanæ*; *mancipium avaritiæ, quem princeps tenebrarum monſtrat à nummi doloſi eſcâ quovis ducat agatque*; *ac perpetuo ſibi ſervitio mancipatum teneat*; *animarum ſeductorem*; *Veritatis divinæ & pietatis corruptorem*; *inſtrumentum Satanæ ad Chriſti regnum oppugnandum & Satanæ regnum propugnandum*; *mendaciorum & impietatis patronum*; *Bileamum, Semeium & Doegum*; *inter Chriſtianos Reformatos, veri Chriſtianiſmi, Reformationis ac pietatis foris ſimulatorem, intus hoſtem, illuſorem, oppugnatorem & proditorem, à quo omnes ſalutis ſuæ amantes ſibi cavere debeant*; *cujus multa mala, falſa, noxia, ſcandaloſa, & animabus hominum mortifera ſcripta, non à Spiritu oris Dei proceſſerunt, ſed ex cadaveroſa & fœtida hominis Galli Theologia, cooperante Beelzebule nata ſunt*; Hæc ſanè talia ſunt quæ in Adverſariis ipſis horrorem, in bonis omnibus indignationem excitent. Jam autem facilè queam hìc ſuo ipſius ore & eum condemnare & me abſolvere. Illa enim

omnia

Digitized by Google

omnia quæ ceu dicta ſcriptaque à me aſſumit in fundamentum harum atrocium injuriarum. præceſſerant Septembrē anni 1659. Jam autem adhuc 25. Auguſti, anni 1659. me alio planè loco habebat, quam nunc, ſi ſentiebat modò quod loquebatur: Ut quocunque ſe hîc verterit debeat ſe ipſum inteſtabilē confiteri, qualis jam, ſententiam ſuo non majori merito quā meo cordolio paſſus, evaſit. Etenim eſt penes nos epiſtola illius manu ſcripta & ſubſcripta anno 1659. 25 Auguſti, cum hac inſcriptione; *Reverendis, Clariſſimis, Doctiſſimis Viris ac Dominis, D. Samueli Mareſio, & D. Abdiæ Widmario, S. S. Theol. Doctoribus & in Academia Groningo-Omlandica, Profeſſoribus, fratribus in Chriſto honorandis.* Si talis ſum, imò jam talis eram, qualem me deſcripſit in ſua *Defenſione*, iis verbis quæ Ampliſſimus Magiſtratus ſuus, in ſententia ejus condemnatoria enotavit, cur me his titulis decoravit? An bonâ Conſcientiâ potuit Pſeudo-prophetam, & verum Diaboli mancipium, animarum ſeductorem ac hoſtem Veritatis, non ſolum ut *Reverendum & Clariſſimum*, ſed etiam tanquam *fratrem in Chriſto honorandum* ſalutare? Sane ei quem talem putaverim qualem me paullò poſt deſcripſit, ne *Ave* quidem dixerim, ſi obſequi velim Apoſtolò: Igitur debuit vim feciſſe ſuæ Conſcientiæ vel tunc vel poſtea; & quodcunque elegerit, novam in ſeipſum ferret ſententiam. Sed ne credatur hanc fuiſſe ſuæ epiſtolæ ἐπιγραφὴν tam honeſtam, non propter me ſed propter Rev. meum Collegā, audiatur quid à nobis voluerit & quomodo me in ea compellaverit Ita ergo loquebatur: *Salutem à Chriſto ſalutis fonte. Reverendi, Clariſſimi & Doctiſſimi Viri, Fratres in Chriſto honorandi. Etſi inter noſtræ & veſtræ Academiæ Facultatem Theologicam, propter diſcrepantes in quibuſdam Theologicis ſententias, nonnihil ſit disſidii*, (unde ergo leves illæ paleæ, tam citò in trabes intolerandas abierunt?) *eam tamen de vobis hactenus fovi opinionem, vos non eum contentioni & æmulationi cum fratribus in Belgio locum conceſſuros, ut inde detrimentum ullum accipiat, communis veritas utrimque tradita & admiſſa*, (unde igitur

 enatæ

enatæ poſtea hæreſes *Mareſij*, quæ ipſum collocent infra teterrimos hæreticos?) *ſed eam unà nobiſcum promotum velle; & uti nos veſtrum pro communi cauſa laborem candidè æſtimamus, ita & vos noſtrum æſtimaturos. Inter dogmata veritatis communis hactenus per Dei gratiam utrimque defenſa, eſt & illud, Gratiam Dei in Chriſto non eſſe Univerſalem; quod non ſolùm contra Pelagianizantes extra communionem noſtram, ſed etiam contra Fratres quoſdam noſtros in Gallia tenemus & defendimus. Qua in re, tu Clariſſime Mareſi, tuum nobis probaſti pro communi cauſa zelum, editâ contra D. Dallæi Apologiam doctâ Epicriſi, quæ mihi & lecta eſt & placuit.* (unde ergo poſtea eo uſque illi fœtuit, ut & mihi objiciat *fœdi & abominabilis Pelagianiſmi evidentia fundamenta*, & nihil ferè frequentiùs ex probret quam meum cum R. Dallæo diſſidium?) *Ego quoque ad Veritatem & pacem in Eccleſia Dei promovendam, tractandam ſumpſi publicis diſputationibus, materiam hactenus non uſitatam, de Decreto Dei circa poſſibilia quæ non fiunt, & inter uſus illius doctrinæ etiam prolixè oſtendi, eam aptum eſſe medium componendi controverſiam illam de Gratia Univerſali, inter noſtros noviſſime agitatam; Quare cùm & tu, Clariſſime Mareſi, in illa præ multis aliis, ut ſcriptum tuum oſtendit verſatus ſis,* (quod qui cadat in hominem ponentem Pelagianiſmi fundamenta *non obſcura, ſed pueris, catechumenis & tyronibus intelligibilia*, divinent alij:) *& verò confidã te aliorum honeſtos pro defenſione communis hujus veritatis conatus non improbare, non dubitavi hoc ſcriptum meum, quod cũ aliis Theologis Belgicis communicavi, etiã ad Veſtram Academiam & te ac Reverendum Collegam tuum mittere, obnixè petens &c.* Certè qui hęc contulerit cum ſtylo *Defenſionis Concordiæ*, hominem deprehendet ἑαυτοντιμορήμενον, & revera αὐτοκατάκριτον, & qui potuit ex eodem ore flare calidum & frigidum, & dulce & amarum ex eodem fonte profundere. Cùm autem noſtris de cauſis nos honeſtè ex cuſaſſemus ab illa cenſura quam à nobis exigebat, prolixas iterum 15. Decembris ejuſdem anni ad nos dedit literas, quibus noſtrum denuo petebat judicium, ejuſdem

dem ferè ſtyli, quarum, brevitatis ſtudio, aliquot tantum referam periodos: Sic igitur inter alia loquebatur: *Deinde prophetiam hanc meam aliis etiam Prophetis extra Urbem & Academiam noſtram, inter quos etiam Vos, Reverendi Fratres, eximium locum tenetis, communicare volui, eorumque de ea exquirere judicia*, &c. Item, *Hoc potiſſimum ergo eſt, Reverendi Domini ac Fratres, quod vos rogatos vellem, annon hactenus tractatum iſtum meum probare poſſetis? Hoc mihi ſatis eſſet.* Item, *Judicium Veſtrum de omnibus & ſingulis minutiis libri mei non requiro, neque vellem ſtudia & occupationes veſtras graviores hac non neceſſariâ interpellatione meâ turbari. Quod ſi tamen placeret Vobis, ut excellentibus Prophetis, judicium veſtrum de reliquo meo tractatu ejusque capitibus aliquanto ſpecialiùs communicare, eſſet id mihi ſanè gratiſſimum* &c. Unde ergo illi homini tam derepentè in Pſeudoprophetam, Seductorem, Veritatis corruptorem, Bilheamum, Pelagianum hæreticum, & quid non, abii? Certè aut illic viliſſimi adulatoris, aut hic ſpurciſſimi calumniatoris, perſonam ſuſtinuit: forte ex Diogenis Cynici diſciplina, qui ſe profitebatur canem Melytæum omnibus adblandientem cùm eſuriebat, ſed ferocem Moloſſum, omnes mordentem cùm ſatur erat. His omnibus addo quod etſi illa omnia quę ſparſim extant, judicio Apologiſtæ, acerbiora in omnibus illis meis ſcriptis, quæ adverſus varios & de variis emiſi intra viginti annos, in unum recolligerentur, tamen longè ſubſiderent infra ea quæ ipſe unus, uno libro; in me unum congeſſit, licet nullum habuerit juſtum argumentum vel à re quæ tractabatur, vel à modo quo adverſus eum mea defenderam, tam virulenter in me inſurgendi. Quin etiam, dato me non indignum ſibi viſum fuiſſe, quem ita duriter tractaret, annon periit illi omnis prudentia, cùm citra ullam ſonticam cauſam inſurrexit in Ill. ac P. P. D. D. ORDINES hujuſce Provinciæ, in illius ſuæ Proceres & primarium Membrum, in Nobiliſſimum & Ampliſſimum ſuum Magiſtratum, cujus alumnus & ſtipendiarius erat? Ecquid abſurdius quam iſtam Superiores allatrandi, etiam ſcriptis conviciosis,

Digitized by Google

viciosis, licentiam, velle tueri exemplo Prophetarum, qui divinitùs & immediatè mittebantur à Deo, ut ipſos Reges & Principes populi ſui publicè corriperent? Illi certè Prophetæ erant. Sed unde Saul inter Prophetas? Tum Prophetæ non Regum tantum, ſed etiam Sacerdotum ſuorum carpebant vitia. Ac hic ſui unius Pontificis cauſâ acturus, inſurrexit imprudenter in Supremas Poteſtates, nec reveritus eſt Dei Vicarios. Neque hæc dico, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI, quò Vos in fœdiſſimam illam Apologiam concitem; Ea enim jam Ultrajecti tanto juſtiùs proſcripta eſt, quanto impudentiùs hac ratione novis criminibus in Ampliſſimum illum Magiſtratum ſuum vetera cumulat, addit ſitim ebrietati, & ex delirio incidit in phreneſim. Vulgò quidem dicitur homini condemnato fas eſſe in ſuum Judicem invehi per viginti quatuor horas: Sed tamen intereſt Tribunalium Supremorum & Majeſtatis Judicum, illam petulantiam reorum coerceri, qui audent in ſententias quibus ſunt damnati, ſtylum acuere, & in eos ſcribere à quibus proſcripti fuerunt. Haud ita pridem vidimus in hac Provincia manu Carnificis publicè comburi, ejuſmodi ſcriptum quaſi Apologeticum, in ſupremum Judicem conſcriptum. Nec etiam mens mihi eſt virulentæ illi Apologiæ Antapologiam opponere. Debet illius author priùs reſtitui in integrum, quam ullus Vir honeſtus cum illo confligere velit. Programma Ill ac PP. DD. ORDINUM hujus Provinciæ in illius librum, & Ampliſſimi Magiſtratus Ultrajectini Sententia ex eo libro in ipſius perſonam, quæ publicè proſtant, mihi ad plenam defenſionem abundè ſufficiunt. Hic duplex clypeus par eſt retundendis ficulneis Apologiſtæ telis: Et quæ non potuerunt ſufflaminare ejus condemnationem apud æquiſſimos Judices, quos eò minùs poſſit accuſare proſopolepſiæ mei reſpectu, quòd in ſua Apologia falſiſſimè fabulatur, me illos quondam, dum propugno jura primi Membri ſuæ Provinciæ, graviter læſiſſe, non magnæ erunt efficaciæ ad illius exiſtimationem inter bonos reſarciendam: Et cùm ab Ampliſſimo ſuo Magiſtratu fuerit etiam ideo condem-

natus,

natus, quod in ſua *Defenſione concordiæ*, aliud illius præcedens Judicium in duos quoſdam R.R. Viros ex Urbe dimiſſos, mordaciter admodum & valde imprudenter carpſerit, (occaſione quaſi arreptâ ex quibuſdam meis privatis literis, quibus eos contulerim cum Hazazele iniquitatem aliorum extra portam efferente, etſi ſanctè proteſter coram Deo me non meminiſſe quod tale unquam ad quemquam ex amicis perſcripſerim;) non video multum profuturam hanc illius editam Apologiam ad Ampliſſimi illius Senatus deliniendos animos & gratiam promerendam: Sed iſta omnia cenſui apud Vos commemoranda, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI, partim quo magis conſtet talo firmiſſimo ſtare quæ in illum hominem & ab ILLUST. ac PP DD. ORDINIBUS, ſub Veſtra faventiſſima procuratione, & ad eorum querelam à Nobiliſſimo & Ampliſſimo Senatu Ultrajectino, publicè proſtant, eumque revera, etſi condenſaret in decuplum ſuas *Apologias* & *Excerpta*, juſtiſſimè condemnatum & ἀναπολογητὸν remanere; partim ut ſignificem juſtiſſimas me habere cauſas propoſiti illius mei quod mihi trabali clavo fixum eſt, obſurdeſcendi deinceps ad hujus hominis & ſimilium criminationes omnes, donec circa illas coram meo competente Judice, legitimo ordine, perſonaliter conventus fuero; partim denique ut Vobis Gratias agam quàm poſſum maximas & per Vos ILLUST. ac PP. DD. ORDINIBUS, Dominis meis Gratioſiſſimis & Clementiſſimis, quod Veſtri *Mareſij* Innocentiam, Vobis perſpectiſſimam, in Veſtram tutelam ſuſcipere, & tam æquè vindicandam procurare, dignati fueritis. In hoc autem ἐυχαριστηρίῳ qualicunque meo, comprehenſos velim Vobiſcum, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI, ut Nobiliſſimum & Ampliſſimum D. REGNERUM TIAERDAM, in cujus locum quoad Curam Academiæ, Tu nunc ſucceſſiſti, *Nobiliſſime & Ampliſſime* BUNNINGI, ut ille Tibi in Illuſtri Ordine Nob. & PP. DD. Deputatorum hujus Provinciæ; ſic Ampliſſimos, Sapientiſſimos & Conſultiſſimos Dominos SYNDICOS reſpectivè Groningæ & Omlandiæ, quos ſucceſſivè

***** in hoc

Digitized by Google

in hoc bono opere bonam operam & Vobis, & mihi, & Academiæ, & Juſtitiæ ipſi navaſſe, grato recordabor animo, quamdiu hic ſpiritus hos reget artus. Grati verò illius mei animi τεκμήριον hoc, quod Veſtris Nominibus do, dico, addico, hunc inquam tertium ac ultimum tomum mei laboris contra Volkelium, & impia atque Achriſtiana imò Antichriſtiana Socinianorum dogmata, benevolâ quæſo ſuſcipite mente, & meipſum tenero illo juſtoque quo me hactenus complexi eſtis favore, fovere pergite, quo meæ vitæ reſiduum, juxta naturæ curſum & leges non diuturnum futurum, dum Deo meo ſervio, meque ſuæ Eccleſiæ ædificandæ ac Veritati Euangelicæ propagandæ & propugnandæ dies noctesque totum impendo, quietè queam in hoc otio literario abſolvere. Ita Deus Vos, Veſtris, Reipublicæ, Academiæ, mihi meiſque diutiſſimè ſoſpitet & ſuperſtites eſſe jubeat, ut ſum & maneo quoad me Supremus Arbiter vitæ & necis ſuperſtitem eſſe volet,

Ex meo Muſæo Groningæ Nonis Sept. MDCLXII.

Nobiliſſimarum Amplitudinum Veſtrarum,

Devotiſſimus & ad Omnia obſequia paratiſſimus Cliens

SAMUELE MARESIUS.

Digitized by Google

AD
LECTOREM.

PRodit tandem *Amice Lector*, hic noſter tertius ultimuſque tomus in Volkelium, à multis deſideratus; à nonnulls etiam, parum humaniter, conviciis expetitus: Diu cum prælo luctatus eſt, & eo incultior non ſine meo cordolio venit in publicum. Præli Lentitudo & Culpa, mihi non debet imputari: Jam XIV. Maij, prima Indicum pagina cœperat excudi: In illis expediendis cum præcedenti Præfatione, etſi nequidem ad momentum *Copia*, uti loquuntur, fuerit expectanda, per quadrimeſtre integrum hæſerunt Typothetæ. Errata plurima Typographica humaniter feres, vel auferes: Quædam collegerunt quidam ex Ornatiſſimis & Præſtantiſſimis Dominis Studioſis, qui privatim ſe exercuerunt ad ultimam Operis partem. Inter eos D. *Paulo Oniæ* Leſnenſi, quòd *Indicum* colligendorum & diſponendorum moleſtiam primariam ſuſcepit, quamvis in quibuſdam à nonnullis ſuis Doctiſſimis Condiſcipulis fœliciter adjutus, plurimùm me debere profiteor. Forte olim ſi Deus dederit vitam & vires, Opus integrum cultius, emendatius, & per δευτέρας φροντίδας auctius, prodibit. Tu interea hoc noſtro qualicunque labore, utere, fruere, & benè Vale.

In

HYDRAM SOCINIANISMI

CRELLIO-VOLKELIANAM

expugnatam & confectam per Celeberrimum

Dn. SAMUELEM MARESIUM.

NOn cano, quî Dominus, Mundi Anticipator & Author,
Principiô ex nihilo Verbo fabricavit Olympum,
Atque hinc cunctarum produxit ſemina rerum;
E tenebris lucem dicto ſecrevit opacis;
Aëreas liquido ſuſpendit fornice lymphas:
Mox terras juſſit ſiccatas ſurgere ab undis,
Littoribuſque ſuis æquor ceu limite clauſit;
Nec mora, de terra quercus, fæcundaque cuncta
Semina plantarum cunctis proſevit in ori:
Inde polos cæli miros convolvit in orbes,
Et ſtatuit puro radiantes æthere flammas,
Solùm diſpoſuit Solis rata jura diei,
Stellarum & Lunæ præfecit lumina nocti:
Hinc vis proceſſit, quæ millia plurima gentis
Squamigeræ tremulâ ludunt per flumina caudâ;
Ac volucres levibus quæ tranant aëra pennis:
Inde oviumque boumque greges per rura, per agros,
Eduxit, nemorumque feras per luſtra vagantes;
Quæ lux ſexta fuit, quâ mox ſuperaddidit Almus
Sanctius hoc animal, quod mente excelleret altâ,
Atque loco Domini dominari in cætera poſſet,
Nempe hominem, ſummum referentem in imagine Numen,
Adam dictum ab humo, & latus è latere addidit Evam,
Ambo ſacri nudique colentes Numinis ambo.
Aurea tunc verè, tunc verè ea floruit ætas,
Fabula quam vanè dixit Saturnia regna.
Non ſic tunc miſeri ſubigebant arva coloni,
Nondum erat auditum cantari claſſica, necdum
Impoſitos duris crepitare incudibus enſes;
Dulcis ubique quies, & neſcia fallere vita;

Ampla

Digitized by Google

Ampla ſais cunctis Paradiſi dona ferebant;
Non peſtis metuenda fuit, viſque aſpidis ulla;
Nec mors nota, caput fuſcis quæ jam petit alis;
Scandere ſed licuit vivis cæleſtia regna
Poſt vitam hanc, dubium removente omne Arboit Vitæ.
At Coluber Satanas, mox ipſe extruſus Olympo
Ob ſcelus, haud homines paſſus pia ſceptra tenere
Non tulit eſſe pios, ſed Serpens callidus Evam
Spes fingens vetitâ fallaces Arbore ineſcat;
Hæc peccans cómedit, malum præbetque marito.
Heu homo ſic ruit, & ſacræ loco imaginis atram
Induit effigiem, miſeram, averſamque Jehovâ.
Heu miſerandus homo, quantum mutatus ab illo,
Perdidit omne decus, virtutum in mente coronas.
Nec nocuit ſoli ſibi, ſed ſtirps corruit omnis.
Effugêre bonum, rectum, verumque, piumque,
In quorum ſubiêre locum pravum, ſcelus omne,
Fraudeſque, inſidiæque, & amor ſceleratus habendi;
Nil totum eſt reliquum, magis ac magis omnia cernas
In pejus ruere, ac retrò ſublapſa referri.
O genus infelix à lapſu! ut nil ſine multo
Terra dat ingrato ac duro ſudore, labore?
Quàm cultis etiam ſegnis conſurgit in arvis
Carduus, intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſpina,
Lappæque tribulique, interque nitentia prata
Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenæ.
Quis canat, ut mater fit vulgò enixa dolore
Infantem, iſque cadat, raroque exurgat in annos,
Ut cadit in pratis mox fœnum falce reſectum.
Quot ſubeunt morbi? quot ſunt diſcrimina vitæ?
Quàm cunctos homines tandem mors abripit atrox;
Quàm varii impugnant hoſtes; nunc bruta, elementa,
Nunc homines; fratrum ut paſſim quoque gratia rara?
Ipſemet Antiquus Serpens, Satanas, Draco ſævus
Ingenium ſervans animas & corpora perdit,
Ante omnes Chriſtoque, Deoque, piiſque inimicus
In ſacrata ſuum jaculatus verba venenum,
Atque voces diras eructans percitus irâ.

Hoc

Digitized by Google

Hoc ſibi ſine Draconigenas alit uſque Miniſtros.
Talis erat proles Cajini, & in aſtra Gigantes
Bellum ſpirantes, ridentes verba Noachi,
Ægyptique Magi, Balaam, myſtæque Baalis,
Et vario cultu multi falſique Prophetæ:
Turba fuit talis Sadducæa, ac Phariſæa,
Ille Magus Simon, Bar-Jeſus, atque Cerinthus,
Ebjon, Montanus, Manes, Samoſatenianus
Cum Photino, Arius, Pelagius, Eutychus, atque
Neſtorius, Mahometh; hinc Servetuſque, Socinus,
Crellius, huic junctus Volkelius, atque farinæ
Ejuſdem innumeri, Chriſti hoſtes, Antichriſti,
Hydræ lethiferæ, ſemen Serpentis, hyænæ.
Scilicet has inimicitias poſuit Deus ipſe,
Ipſum ritè malum qui permittitque, regitque,
Ut mage confundat Serpentem, illum Baſiliſcum,
Atque hujus fœtum, veſanos Numinis hoſtes;
Seminisè contrà, Mulier quod protulit Alma,
Et comitum Hoc duce ſit pugna ac victoria major.
Aſpidis Hic etenim caput ac vim conterit omnem,
Hujus utut calcem trux Anguis conterat imum.
Euax! Unus homo, Chriſtus, ſic reſtituit rem,
Se ſiſtens medium inter noſque Patremque ſequeſtrum,
Et Deus ipſe & Homo, proprium fundenſque cruorem,
Atque crucis culpas miſerorum morte piavit,
Quos à principio dedit ipſi Gratia Patris,
Militiam inde ſuam ſibi vindicat, inſtruit, armat,
Quâ ſimul expugnat tam turpes fortiter hydras.
Hi pii erant Patriarchæ, tot ſanctique Prophetæ,
Et viri Apoſtolici, ſtudio zeloque ſecuti
Patres, Doctoreſque ſuo numero, ordine, donis,
Oppoſiti, ſacris in caſtris belligerantes,
Ora retundentes blaſphema, oracla tuentes.
Haud licet, ut numerem vexilla, duceſve tribunos.
His, SAMUEL, meritò accenſeris, Clare MARESI.
In bellis DOMINI quos non ſtraviſti inimicos?
Papicolas, κακὰ θηρία? turbas Pelagianas?
Atque Dei, Chriſti, Sancti quoque Spiritus hoſtes,

Hydram

Digitized by Google

Hydram peſtiferam verè, Infauſtamque Socini,
In grege non Chriſti, ſed Turcæ fæce, locandam?
Martius hanc Miles Chriſti cùm adoriris hyænam,
Gratulor ex animo Victori; Eccleſia gaudet;
Aſſueſcetque piè bellis Studioſa juventus.
Proſperet eventum! reddat tibi præmia Chriſtus!
Vipereumque ſibi ſemen ſubmittat Jeſus!
Concidat ipſe brevi Princeps peſſumdatus Anguis!
Omne ſed à Sanctis ſummè Benedictus in ævum
Sit Pater, & Natus, Flatusque Sacer, DEUS UNUS!

Ita vovet & applaudit
Collegæ conjunctiſſimo & honoratiſſimo voce
licet Senis minùs culta

ABDIAS WIDMARIUS V.D.M.
ac S.S. Theol. D. & Prof. Ord.

IN

In Annotationes & Cenſuras
Admodum Reverendi & Celeberrimi Viri
DN. D. SAMUELIS MARESII,
Oppoſitas Syſtemati Crellio-Volkeliano;
quæ inſcribuntur

HYDRA SOCINIANISMI EXPUGNATA.

NErvoſâ brevitate placent, ſunt omnia docta,
Sunt ſolida, & ſacris conſona cuncta libris.
Imo quot hic ſunt verba, tot hic ſunt fulmina, quorum
Ictu confeſtim dogmata dira ruunt.
Hinc doctis gratus labor hic, meritoque vocabunt
Poſtera nunc Magnum ſecula MARESIUM.

Præceptori meritiſſimo
L. M. Q.
P.
JOANNES NICLENIUS.

DE

DE VERA RELIGIONE
Liber Quintus:
De adjumentis ad perſeverantiam in fide ac pietate neceſſariis.
CAPUT I.
De Conſtantia ſeu perſeverantia in fide & obedientia.

Reſpondente ad hoc & tria ſequentia JOHANNE HENRICO MUSCULO, Helvetio-Bernate.

QUæ hactenus de fiducia in Deo Chriſtoque collocanda, de- 361.
que horum legis obtemperatione diximus, eorum diligens conſervatio, abſque ulla dubitatione magnam vim habet, ad quemlibet hominem in cœleſti ſtatu collocandum: cum Deus ſibi obedientibus ſempiternam beatitatem ſanctiſſimo fœdere pactus ſit. Verùm hoc divinum fœdus tunc demum ratum firmumque futurum eſt, ſi in officio ad extremum uſque permanſerimus. Hoc enim illud eſt, quod diviniſſimus Autor hunc in modum loquitur: (*Heb:3.14.*) *Participes Chriſti effecti ſumus*, id eſt, immortalitatis per Chriſtum patefactæ exploratiſſimam ſpem habemus, *ſi initium ſubſtantiæ uſque ad finem firmiter retineamus*, id eſt, ſi in ea fide, quam ab initio complexi fuimus, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtanter permaneamus. Huic ſimile illis Chriſti verbis continetur: (*Matth:10.22.*) *Qui ad finem uſque perſeveraverit, ſalvus erit.* Item illud: (*Heb:11. 39. ex Hab:2.4.*) *Iuſtus fide vivet: qui autem ſeſe ſubtraxerit, non placebit animæ meæ.* Hinc illa Chriſti admonitio: (*Apoc:2.10.*) *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* & illa Pauli: (*Col: 2.6,7.*) *Quemadmodum Chriſtum Ieſum Dominum accepiſtis, ſic in ipſo ambulate, radicati & ſuperædificati in ipſo, & confirmati fide, ſicut & didiciſtis, abundantes in illa cum gratiarum actione. Videte, ne quis vos decipiat*, &c. & illa ejusdem: (*Rom:11. 22.*) *Vide bonitatem & ſeveritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt ſeveritatem: in te autem bonitatem, ſi permanſeris in bonitate: alioquin & tu excideris.* Ex his aliiſque ſimilibus ſacrarum literarum teſtimoniis perſpicuum eſt; fœdus iſtud Chriſti operâ nobiſcum pactum, nequaquam, ut diximus, conſtare poſſe, imò ex noſtra parte irritum fore, niſi eos cum fide obedientiaque ſtatum noſtrum uſque ad finem vitæ tueamur.

‡ *Quæ hactenus de fiducia*] Cùm hæc *fiducia* ſit ea cujus meminit Propheta Jerem:XVII,5.7. nequit collocari in Chriſto, quin eo ipſo Jehova eſſe ejuſdem naturæ & eſſentiæ cum Patre agnoſcatur.

Cum Deus ſibi obedientibus] Non tamen illis propter hanc ſuam obedientiam *ſempiternam beatitatem pactus* eſt, ſed pro-

 pter

Digitized by Google

pter Chriſti ſatisfactionem, meritum & obedientiam, cujus intuitu juſtificamur coram ipſo Rom: v, 19.

Fœdus iſtud Chriſti operâ] Imò pactum fuit Chriſti ſanguine, quem ideo vocat ſanguinem Novi Teſtamenti effuſum pro multis in remiſſionem peccatorum Matt: xxvi, 28.

Niſi nos cum fide] Perſeverantia in fide & obedientia ſic eſt conditio Novi Fœderis, quam Deus à nobis ſtipulatur, ut ſimul ſit Dei beneficium, Chriſti ſanguine ſuis pactum, quod in illis, juxta Electionem ęternam, ſuâ gratiâ infallibiliter operatur, Phil: 1, 6.

362. Hîc verò operæ pretium fuerit diligentiſſimè inquirere, quo pacto, quidvè faciendo, fidelis Chriſti natio fidei obedientiæque conſtantiam ſervare poſſit. Videtur autem hoc duplici potiſſimùm ratione fieri poſſe: quarum altera omnium communis eſt, inque mutuis cohortationibus conſiſtit; altera verò ad quemlibet ſeparatim ſpectat. Ac prior quidem illa à divino illo Autore hunc in modum nobis præſcribitur: (*Heb:3.12.*) *Videte fratres, ne in aliquo veſtrûm ſit cor pravum diffidentiæ, deficiendi, à Deo viuente: ſed cohortamini invicem quotidie; ne quis occalleſcat fraude peccati.* Quo in loco apertè docemur, cùm diffidentiæ cauſa ſit cordis aut animi pravitas, quæ ex dictis factiſque non obſcurè apparet; ideo diligenter eſſe aliena etiam facta obſervanda, & crebris cohortationibus, quantum in nobis ſit efficiendum, ne fortè peccato paulatim ſeſe per ſummam fraudem inſinuante, & quotidie plus de divino metu, quo quis præditus ſit, imminuente, mens humana tandem callum contrahat. Cum his conjungenda ſunt illa ejuſdem auctoris verba: (*cap.12.15.*) *Obſervate ne quis deficiens à gratia Dei, ne qua radix amarulentiæ ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur* (ſeu *inficiantur*) *multi.* ubi, ut exemplo etiam malo occurramus, monemur. Ad idem officii noſtri munus & Paulus nos cohortatur, (*1 Theſſ.5.14.*) dum ait: *Rogamus autem vos, fratres, monete inordinatos, conſolamini puſillanimes, ſublevate infirmos, patientes eſtote erga omnes.* Quibus quidem Apoſtoli verbis hæc videtur contineri ſententia: Non dubium eſt, ut alibi, ita & inter vos, homines eſſe variè moratos: dum alii militibus illis ſimiles ſunt, qui ordinem in acie non ſervant, quippe qui à norma divinorum mandatorum deflectunt, atque ideò inordinati nominari poſſunt; alii ſunt animo fracto ac imbecillo, quippe vel peccatorum conſcientiâ, vel divinorum judiciorum terrore, vel periculorum Chriſtianis imminentium metu perculſi; alii denique infirmi ſunt, qui vel propter virium debilitatem crebriùs labuntur; vel ob imperfectam divinæ veritatis notitiam in fide nutant, aut errores ei admixtos habent. Erga hos omnes patientes clementeſque uos eſſe convenit: ſed in primos quidem ita, ut eos officii moneatis, & quantum in vobis eſt, ad frugem eos reducatis, præſertim ſi quamcunque ſpem ſui ſanandi oſtenderint: idque tum ſempiternæ felicitatis præſtantiâ, tum pœnarum gravitate propoſitâ.

Digitized by Google

ſitâ. Alteros verò, nimirum puſillanimes, ita conſolamini, ut vel ſummam Dei miſericordiam, quâ in condonandis delictis pœniſque avertendis erga reſipiſcentes utitur, vel admirabile ipſius auxilium, quo in rebus adverſis ſuis adeſt, gloriæque coronam fortiter pro ipſius veritate pugnantibus paratam, 363. ante illorum oculos conſtituatis. Ultimo tandem loco memoratos, nempe infirmos, omni humanitatis genere complectimini, omnes illis offenſionum materias, quoad ejus fieri poteſt, ſubtrahendo, & paulatim quaſi manu ad perfectiorem veritatis cognitionem eos deducendo.

‡ *Ac prior quidem illa*] Hic locus Heb: 11, 12. ita ſingulos alloquitur, ut ſpecialiùs connotet Paſtorum officium.

Idque tum ſempiternæ] Non video qui *pœnarum gravitate propoſitâ* poſſint inordinati *ad frugem* reduci, ex hypotheſi Socinianorum, quibus mors æterna, omnium pœnarum quæ poſſint excogitari eſt leviſſima.

Vel ſummam Dei miſericordiam] Hanc verò non exerit niſi in Chriſto, & intuitu plenæ ſatisfactionis ab ipſo præſtitæ pro nobis; & abſque qua judicium ſine miſericordia remanet peccatores.

In eandem aliqua ex parte ſententiam & Judas loquitur: (*Iud. v.22.23.*) *Hos*, inquit, *habito delectu, commiſeramini; illos verò cum timore ſervate, ex flamma ignis eripientes, odio habentes & tunicam à carnis contactu commaculatam.* Quorum quidem verborum hic ſenſus eſſe videtur, ut eos, qui à recto pietatis ac ſalutis tramite deflexerunt, in viam revocetis, eâ utimini prudentiâ, ut in illos, qui per imbecillitatem in aliquod peccatum labuntur, ſitis miſericordes, non quidem peccatum approbando, ſed tamen ex altera parte ita cum illis agendo, ne eorum miſeriæ inſultare videamini; ſed ut potiùs eorum miſeriâ vos affici intelligant. Illos verò, qui gravioribus peccatis ſeſe obſtringunt, aut contumaciùs in iis perſiſtunt, terrore ac metu divinorum ſuppliciorum incuſſo, ad frugem revocate; vel, ſi ita mavis, ſummâ ſollicitudine ſummoque ſtudio ad officium reducite, nec illorum correctionem in craſtinum differte, ſed tanquam ſi ignis flammâ jam jam conſumendi ſint, ita confeſtim illos rapite. Interim tamen, dum in illis ab interitu vindicandis eſtis, vobis ipſis diligenter cavete, ne fortè ad vos mali contagio dimanet. Quare quemadmodum dum peſte v.g. infectos juvare cupimus, diligenter nobis cavere ſolemus à contactu veſtium à corpore infectorum: ita etiam vos, dum homines illos, peſtilentiſſimis erroribus aut vitiis infectos exitio conamini eripere, cavete vobis ab omnibus iſtis rebus, quæ vos quoque inficere ac perdere poſſent. Denique, ut alia mittamus, & Jacobus nos monet: (*Iac: 5. 19. 20.*) *Fratres, ſi quis veſtrûm à vero aberraverit & eum quispiam revocaverit, intelligat eum, qui peccatorem ab erroris ſui via revocaverit, animam ex morte vindicaſſe, multitudinemque peccatorum texiſſe.* Erit quippe in cauſa, ut qui lapſus erat, interitum effugiat, ſcelerumque ſuorum remiſſionem conſequatur.

Digitized by Google

‡ *Quare quemadmodum*] Hoc dictum Judæ com. 23. de *tunica à carnis contactu maculata*, magis reſpicit legalia; Tunc enim contactu rerum immundarum, ipſa tunica maculabatur; unde Eſ. LXIV, 6. peccatorum juſtitiæ conferuntur cum panniculo abjectiſſimo, ſive cum *panno menſtruatæ*, ut habet V.V. Et notum quod ſub lege ſordidaretur veſtis contactu vel morticinii, vel ſanguinis, vel ſeminis in gonorrhęa, etiam involuntaria & morbida, fluentis. Quare coacta ſunt & aliena à mente Apoſtoli, quæ hic de peſte & veſtibus peſte infectis diſſeruntur; quamvis non probemus eorum ſententiam qui negant in peſte contagium ex fomite, cui quotidiana experientia repugnat.

CAP. II.

De carne, primo hominis Chriſtiani hoſte.

JAm ut eam conſtantiæ tuendæ rationem videamus, quæ ſeparatim ad unumquemque ſpectat; hoc imprimis homini Chriſtiano cogitandum eſt, hoſtes ſibi eſſe acerrimos, quibuſcum continenter bellum gerendum ſit. Diligenter igitur animadvertendum hoc in loco eſt, tum qui ſint hoſtes noſtri, tum
364. quibus armis decertent; & ſimul qua ratione illis ſit occurrendum atque obſiſtendum. Hoſtes igitur noſtri tres potiſſimùm ſunt: quorum primus eſt caro ſive appetitus noſter; alter mundus; tertius diabolus. Ac carnem quidem ſive appetitum ideo in fidei noſtræ hoſtibus numeramus, quòd ejus quaſi proprium eſt, illis ſeſe opponere, quæ ratio benè conſtituta approbat; multò magis autem iis rebus bellum inferre, quæ intelligentiam humanam ſuperant: veluti eſt ſpes de ſempiterna felicitate nobis oſtenſa, & aſperrima illa via, quæ ad iſtam felicitatem ducit. Quam quidem utramque ita oppugnat caro noſtra, ut neget, id, quod Chriſtiana religio nobis proponit, præmium ita eſſe certum, ut ei meritò fidere debeamus: cum id ſenſibus noſtris minimè ſit ſubjectum, & poſt mortem demum dicatur obtinendum: præterquam quòd non videatur conſtare, utrùm id tanti ſit faciendum, ut omnia, quibus vita hæc abundet, bona, omnes voluptates corpori noſtro gratiſſimas, omnes honores, omniaque commoda præ eo ſpernere, & omnes acerbitates ejus cauſsâ perferre debeamus. Quare multò ſatius eſſe ſuadet, præſentibus, ideoque certis notiſque bonis perfrui, quàm felicitatis futuræ gratiâ, utpote incertæ atque ignotæ, illa aſpernari; & ſic nec temporaria, nec ſempiterna bona poſſidere, quo nihil excogitari poſſit ſtultius atque miſerius. Quæ quidem carnis ignea tela duplici ratione reſtinguere poterimus. Primùm animus in fide obfirmandus eſt, quibuſque argumentis ſempiternæ hæreditatis poſſeſſio confirmata ſit, aſſiduâ attentiſſimâque conſideratione perpendendum. Hæc enim ſacra illa animi noſtri anchora eſt, quam divinus ille autor, tutam atque firmam, & uſque ad velaminis interiora ingredientem nominat, quò præcurſor pro

ſor pro nobis intravit Jeſus. (*Heb.6.19.20.*) In hoc enim anchoræ iſtius firmitas conſiſtit, quòd Jeſum Chriſtum ducem ſalutis noſtræ in cœlos ingreſſum eſſe videmus, & eum quidem in finem, ut noſtri eódem perducendi poteſtatem aſſequeretur. Deinde Dei auxilium humiliter implorandum eſt, ut divino illo ſpiritu nos contra omnes carnis impetus armet, vitæque illius futuræ guſtum animis noſtris præbeat, ut ita præ ejus dulcedine omnes nefariæ cupiditatis illecebras contemnamus, proque nihilo putemus. Atque hæc arma non ſolùm ad carnis impetus refringendos, ſed etiam ad reliquos duos hoſtes facillimè ſuperandos, maximam vim habent. His enim efficitur, ut quæ caro firma ſtabiliaque eſſe contenderat, ea fluxa, incerta, momentaneaque eſſe; ſola autem cœleſtia bona, ſolida, ſempiterna, nullique mutationi obnoxia eſſe comperiamus, & ſic ſpiritu iſto, qui his armis continetur, opera carnis fortiter interimamus. Hoc autem magis fiet, ſi ad duo illa, quæ diximus, 365.
& hanc tertiam vincendæ carnis rationem adjunxerimus: ut nimirum etiam atque etiam cogitemus, quàm ſint omnes illius cupiditates, libidines, voluptateſque, & turpes, & porrò homine Chriſtiano indignæ, utpote quem Deus ex reliquorum hominum turba exemptum, ſingularem ſanctumque hominem, adeoque filium ſuum eſſe voluit. Hunc igitur pecudum more ad iſta tam futilia obſcænaque ſeſe abjicere, illiſque conſtringendum tradere, nónne indignum à rationeque alienum eſt? Si enim quemlibet hominem Deus à belluis ratione differre, illiſque, quæ nobis naturaliter cum beſtiis communia ſunt, tantùm neceſſitatis gratiâ uti voluit; quid tandem de Chriſtiano homine exiſtimandum eſt, quem non tantùm naturalis intelligentiæ, ſed etiam divini ſpiritus lumine, rerumque cœleſtium cognitione, diviniſſima quadam ratione illuſtravit, inque ſpem beatæ immortalitatis erexit? Homo divinus, ſi ſummæ dignitatis ſuę pręſtantiam mente animoque conſideret, nequaquam hoc à ſeipſo impetrabit, ut belluarum more libidinibus ſeſe dedat, corpuſque Deo ac Chriſto conſecratum turpitudinum contagione polluat: quin imò ne unquam vel leviſſimam maculam ſubeat, omnem ſibi ipſi vitiorum ſubtrahet materiam. Abſtinebit etiam à crapula, à guloſitate, vitabit otium, comeſſationes, ludos, jocos, ſermoniſque obſcænitatem fugiet, oculos manuſque ab omni impuritate continebit: contrà autem jejuniis, laboribus, vigiliis, corpus ſuum exercebit, mentem in rerum divinarum contemplatione defiget, hominibus cum ſanctitate viventibus adhærebit, illorum mores imitabitur, colloquiis fruetur, & ſic facilè omnes carnis impreſſiones ſuſtinebit.

‡ *Ac carnem quidem*] Caro ut hoſtis eſt, non ſignificat tantum appetitum, quà opponitur rationi, ſed in genere naturam corruptam & depravatam, quà latè patet, ut opponitur regenerationi. Nec poſſunt ea tribui carni quæ hic leguntur, quin nativa hominis corruptio eo ipſo concedatur.

Quam quidem utramque] Hæc oppugnatio Evangelicæ veritatis nequit eſſe à

Digitized by Google

carne, niſi ut per peccatum originale corrupta & depravata eſt. Neque hic Author enumerat omnes hoſtiles impetus qui ſunt à carne; ejus enim conatus & ſtratagemata multò latiùs patent.

In hoc enim anchoræ] Chriſtus non demum ingrediendo eſt aſſequutus *noſtri eodem perducendi poteſtatem*, ſed eam poteſtatem jam ſibi competere illo ingreſſu teſtatus eſt; Eo enim ingreſſus eſt ut *præcurſor* noſter Heb: VI, 20. prout dicebat ſe ideo proficiſci ut ſuis locum pararet Joh: XIV, 3. non demum ut poteſtatem eum parandi ſibi compararet & acquireret: Illa enim poteſtas nititur redemptione noſtri illius ſanguine, ut tota docet Scriptura.

Homo igitur divinus] Cùm hoc idem elogium quod hîc cuique fideli tribuitur, ſoleant Sociniani tribuere Chriſto, ceu quid magni de illo dicturi, eo ipſo revera teſtantur, ſe nihil multò ſublimius de Servatore ſentire, quam de quolibet fideli gregario.

Et ſic facilè] Iſti homines perperam facilitatem magnam ſibi ſpondent, in reprimendis carnis & concupiſcentiæ motibus: cùm Paulus ipſe tantopere in iſta pugna deſudaret, ut etiam ſe ei imparem quadantenus profitendo, exclamaret Rom: VII, 24. *Ærumnoſus ego homo, quis me eripiet ex iſto corpore mortis.* Hieronymus non tam facilem reperiebat hanc victoriam, cùm diceret *ad Euſtoch. de cuſt. virginit. Ille ego qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpè choris intereram puellarum; Pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſuum jam carne præmortua, ſola libidinum incendia bulliebant.*

CAP. III.

De mundo, altero Chriſtianorum hoſte.

IAm quod ad alterum noſtrum inimicum, nempe mundum attinet; animadvertendum eſt, hîc Mundi vocabulo, omnium illorum hominum colluviem intelligi, qui à Deo ejuſque voluntate ſunt averſi, qui nihil deguſtârunt divinitatis, qui nihil ſapiunt niſi terrena, fluxa, carnaliaque, & in his vitæ beatæ ſummam collocant. Quibus rebus omnibus cum nihil Deo, hoc præſertim tempore, magis contrarium ſit; fit, ut mundo dediti in Dei inimicis meritò habeantur. Cum enim, ut eſt apud Johannem; (*1 Ioh: 5. 19.*) in maligno, id eſt, Diabolo poſitus ſit, & porrò omnem vitæ ſuæ rationem ad illius arbitrium dirigat; cumque Diabolus à Deo odio capitali diſſideat; fieri-ne poteſt,
366. ut qui mundo dat operam, is Dei amicus numeretur? Hic igitur hoſtis fidem noſtram ita oppugnat, ut carnem noſtram, ſatis alioquin ad nefarias cupiditates propenſam, majori earum deſiderio incendat, non ſolùm ea, quæ caro ſuadet, approbando; ſed etiam eorum, qui mundano more vitam inſtituunt, exempla ante oculos noſtros conſtituendo. Adde etiam artificia, quibus nos irretire ſtudet, veluti cùm facilem expeditamque, voluptates, opes, gloriamque ac honores parandi viam oſtendit. Item, cùm in rebus mundanis conſectandis ſummum honorem, in negligendis verò turpitudinem, contemptum,

Digitized by Google

ptum, hominum odia, paupertatem, vitæ pericula, & alia ſexcenta poſita eſſe aſſerit. Verùm iiſdem armis, ut ſuprà diximus, contra mundum dimicandum eſt, quibus & carnem eſſe ſuperandam demonſtravimus. Si enim fide ſpeque exploratiſſima ſempiternarum tum voluptatum, tum opum, tum futuræ illius ſolidiſſimæque gloriæ armati, & inſuper divino illo favore ac ſpiritu corroborati fuerimus; omnes mundi vanitates, omneſque ipſius honores, omnia commoda, omnem contemptum, periculaque omnia in minimis ponemus. Sic enim ſeſe gerere neceſſe eſt omnes, quibus de ſumma Dei erga ſe clementia, deque cœleſtis patrimonii poſſeſſione perſuaſum eſt. Quid quòd, qui tota mente in virtutis amorem, divinique ſtatus deſiderium rapti ſunt, ii hominum mundanorum congreſſus, omniaque illorum ſtudia, quantum in ipſis eſt, ita vitant, ut neque auribus neque oculis uſurpare velint, quæ ab illis ad vanitati ſerviendum ſuſcipiuntur. Quæ quidem eorum continentia, magnum illis ad mundum prælio ſuperandum affert adjumentum, utpote omnem ſcelerum ſegetem ac materiam illis ſubducens, eoſque intra ſanctitatis cancellos retinens. Quod tamen non eo pacto à nobis dictum exiſtimari volumus, quaſi hominibus divino lumine colluſtratis,pedem extra domum efferre nefas eſſe putemus. idcirco enim hanc cautionem dictis noſtris adjunximus, *quantum in nobis eſt.* Nam ut penitus à conſuetudine hominum mundanorum abſtineamus, id fieri vix, aut ne vix quidem poteſt. Aliter enim, ut Paulus, (*1 Cor:5.10.*) nobis ex orbe migrandum eſſet, vitæque noſtræ ratio, quæ in victu cultuque magna ex parte conſiſtit, niſi aliquis ſaltem humanæ ſocietati locus relinqueretur, conſervari non poſſet. Adde, quòd fides pietaſque noſtra inter homines ampliſſimum campum habet, in quo excurrat, ſeſeque exerceat. Adde etiam, quòd ſal terræ, luxque mundi ita eſſe debemus, ut tum ſermone, tum vitæ exemplo, homines ad virtutis ſtudium incitemus; (*Matt:5. 13.14.15.16.*) idcirco exeundum quidem domo eſt, ſi res poſtulet; ita tamen 367.
ut mundum fidei noſtræ hoſtem eſſe, ſemperque nobis inſidias ſtruere meminerimus; ideoque non niſi armati inter homines compareamus, ſedulò caventes, ne vel ſermone, vel præſentiâ, vel per quandam incogitantiam, ope noſtra mundi dicta factáve comprobemus aut adjuvemus,ſed, ut Jacobus monet, (*Iacob. 1. ult.*) incontaminatos cuſtodiamus.

‡ *Hic igitur hoſtis*] Mundus hoſtis eſt non tantum à dextris, blandiendo & alliciendo ad vitia, ſed etiam à ſiniſtris, inſectando, perſequendo, aquâ & igni interdicendo propter Pietatis ſtudium & amorem Veritatis, Joh:xv, 18. 19.

CAP. IV.

Digitized by Google

CAP. IV.

De tertio hoſte noſtro Diabolo.

TErtius ultimuſque fidei noſtræ hoſtis eſt Diabolus, cujus tum natura unà cum ipſius qualitatibus cognoſcenda eſt; tum qua ratione pugnare ſoleat, inveſtigandum. Primò igitur Diaboli natura qualitateſque, ex ejuſdem nominibus, quibus à divinis autoribus notatur, optimè perſpici poſſunt, quæ quidem hæc potiſſimùm ſunt:

Primum eſt ipſum vocabulum Diaboli, quod apud Græcos calumniatorem deſignat, & in falſas aliorum criminationes intentum: quia tum ipſe ex calumniis & mendaciis totus compoſitus eſt, tum aliis ad eadem ſcelera dux autorque exiſtit, & ſic ſui ſpeciem in eorum animis linguaque ingenerat. Qua de cauſa non modò mendax, ſed etiam mendacii pater vocatur; (*Ioh*: 8. 44.) & qui ipſius ea in re perſequuntur veſtigia, diaboli filii appellantur; de quibus fuit Elymas ille, qui ob ſimile calumniandi ſtudium quo in Domini vias pervertendas incumbebat, filius Diaboli à Paulo appellatur. (*Act*: 13.10.)

Alterum nomen eſt Satanas, quod Hebræis adverſarium ſignificat, (*Apoc*.12. 10.) nimirum tum ipſius Dei, tum eorum, qui Deum colunt ac diligunt. Deo autem ita adverſatur, ut omnibus, quæ vel à Deo ortum habent, vel cum ipſius voluntate conveniunt, ſeſe opponat, atque inprimis illi Dei conſilio, quod de nobis ſempiterna ſalute donandis ante mundum conditum inivit. Itaque in eo, omni conatu laborat, ne quis cum ſanctitate vivat, & porrò ne ſempiternam ſalutem aſſequatur. Eodem autem nomine & homines, qui quacunque ratione divinæ voluntati reſiſtunt, appellantur. Petrus enim, verbi causâ, quantumvis alioqui diſcipulorum Chriſti facilè primus, Satanas à Chriſto fuit appellatus, quia Dei de Chriſto Judæorum operâ interficiendo voluntati, licet per ignorantiam quandam, reſiſtebat inquiens: *abſit à te Domine, non accidet tibi hoc.* (*Matt*:16.22.)

Tertium eſt Accuſatoris vocabulum, (*Apoc*:12.10.) quo Diabolus non eam ob cauſam appellari videtur, quòd verè proprieque loquendo nos accuſet:
368. ſed quòd eundem ad ſcopum actiones ſuas referat, quem illi ſibi propoſitum habent, qui propriè loquendo alios accuſant. Is autem ſcopus eſt, ut alteri noceant, ejuſque commoda impediant. Quocirca & Satan ita fideles accuſare dicitur, ut eos in ſcelera impellere, & ſic Dei gratiâ ſempiternâque felicitate privare omni ſtudio conetur. Quo pacto è contrario Chriſtus pro fidelibus interpellare, eorumque advocatus apud Patrem eſſe dicitur, (*Rom*:8.34. *Heb*.7.26. 1 *Joh*:2.1.) non quidem quòd verè proprieque Patrem pro nobis roget, aut cauſam noſtram oratione defendat, cum jam omnia illis largiendi amplis-

amplíſſimam poteſtatem habeat; ſed quòd in eundem cum propriè dicto interpellatore & advocato ſcopum reſpiciens, illis auxiliatur, ut Dei benevolentiam gratiamque, & ſempiternam beatitatem conſequantur, & à criminibus, quæ à Satana illis intentantur, abſoluti, pœnam effugiant.

1 *Tertium eſt Accuſatoris*] Imò revera Sycophantę, Delatoris, Obtrectatoris, Accuſatoris partes ſuſcipit contra pios, procuraturus eorum condemnationem apud Deum, ut patet non tantum ex Apoc: XII, 10. ſed etiam ex Jobi I, 11. & II, 5. necnon Zachar: III, I. Unde Scripturæ Chriſto tribuunt partes Patroni & Advocati, qui Satanæ accuſationes retundat, nos ſubducat reatui, & nobis obtineat in judicio divino ſententiam abſolutoriam & juſtificatoriam Rom: VIII, 33. 34. I Joh: II, 1. 2. Quapropter hæc duo in Satana non ſunt confundenda, ut fit perperã à Volkelio hîc loci; nempe primò ſtudium juge homines *in ſcelera* impellendi, quò *Dei gratiâ ſempiternaque fœlicitate* priventur, quo potiſſimum reſpectu Tentator appellatur; ſecundò accuſatio eorum apud Deum, ex capite peccatorum in quę illos vel propriâ infirmitate lapſos, vel ſuâ ipſius ſuggeſtione & aſtutiâ præcipitatos obſervat; ad inſtar eorum lenonum qui poſtquam incautos homines induxerunt in lupanaria, eos deferunt ad Magiſtratus Miniſtros, ut ex legibus contra illos agatur.

Non quidem quod verè] Cùm id tam ſæpè tribuatur Chriſto in Scripturis quod intercedat & precetur pro nobis ad dextram Dei, non eſt hoc ſimpliciter & abſolutè ei denegandum: quamvis illa interceſſio non procedat per modum *ſuffragii*, ut vulgò loquuntur, ſed potiùs per modum *juriſdictionis*, & ſita ſit in jugi & efficaci repræſentatione Obedientię & Satisfactionis ſuæ pro nobis præſtitæ, cujus intuitu omnium malorum depulſionem, & omnium bonorum ſalutarium collationem conſequimur. Sed in *Advocati* titulo, reſpicitur inſuper ad forenſe illud judicium quo juſtificamur coram Deo & abſolvimur à peccato. In hoc enim judicio, Deus judex eſt; homo reus; actor & accuſator Satan, qui applicato jure legis ad facta hominis concludit in illius condemnationem & maledictionem æternam: rei patronus & advocatus Chriſtus, qui juri & poſtulato legis opponens Meriti ſui efficaciam & pleniſſimam ſuam Satisfactionem. pro nobis, obtinet reo abſolutionem à reatu criminum, quæ aliàs verè ipſi objiciebantur, & indemnitatem à pœna; quia, ut illud Nahumi I, 9. eo quadantenus trahunt Canones vulgò dicti Apoſtolorum *can.* 24. *non vindicabit* Dominus *bis in id ipſum*; nec, ut Jura loquuntur, *bona fides patitur ut bis idem exigatur.* Et ſi attendatur ad locum I Joh: II, I. 2. facile erit obſervare advocati titulum Chriſto aſſignatum, ut in foro divino opponitur Satanæ accuſatori, non ſpectare præcautionem peccatorum in quæ Satan nos vellet impellere, ne committantur, ſed remiſſionem eorum, quæ commiſſa fuerint, ne nobis ad condemnationem imputentur.

Quartum nomen eſt, Serpentis illius antiqui appellatio. (*Apoc: 12. 9. & 20. 2.*) quo quidem nomine duas ob cauſas Diabolus vocatur: primùm, quòd ſerpenti ſit ſimilis, tum propter ſummam vafriciem, tum quòd ſemper paratum venenum habeat, ad homines lethaliter inficiendos: deinde quòd in ſerpente primùm perniciem generi humano machinatus eſt, & tum vafriciem illam ſuam, tum lethale venenum ad primos parentes noſtros fraude circumvenien-

Digitized by Google

dos & interficiendos contulit. Quam ad rem Paulus alludens, illos Corinthianos hunc in modum alloquitur: *(2 Cor:11.3.) Metuo, ne quà fiat, ut quemadmodum ſerpens Evam decepit verſutiâ ſuâ:ita corrumpantur ſenſus veſtri à ſimplicitate, quæ eſt erga Chriſtum.* Diabolus quippe blanditiis, aſſentandique artificiis, jam tum per miniſtros ſuos, homines ab Evangelii puritate ad mortiferos errores traducere ſtudebat.

Quintum eſt nomen Draconis; *(Apoc: 12.3.4.7.& d.)* quod illi propter ſummam crudelitatem impoſitum eſt. Ut enim Draco animalia devorat: ita Diabolus omnibus viribus ad perniciem noſtram incumbit. Qua de cauſa & cum leone circumeunte, & rugiente confertur: *(1 Pet:5.8.)* quia, ut famelicus leo circumire ſolet, & prædam, quam devoret, quærere: ita & Diabolus, incredibili adverſus nos odio, & nos in exitium præcipitandi deſiderio flagrans, nihil non agit, ut furore ſuo à veritatis ſanctimoniæque ſtudio deterritos perdat atque extinguat.

Sextò, tum Malus ſive malignus, tum Spiritus malitiæ appellatur; *(Matt:6.13.& 13.19.38. 1 Ioh: 2.13. &c. Epheſ: 6. 12.)* quia nimirum & malitiâ omnes vincit, & malitiæ omnis autor exiſtit, & denique à malitia nunquam diſceſſurus eſt. Quo fit, ut, vel ſi quis homo malus eſt, vel ſi quid mali accidat, id ex Diabolo ortum habere dicatur: *(Matt:13.38. Ioh:8.44. 1 Ioh:3.10.12.)* veluti
369. eſt juramentum per temeritatem ſuſceptum, quod eam ipſam ob cauſam à malo, id eſt, Diabolo proficiſci Chriſtus aſſerit. *(Matt:5.37.)*

Septimò, Tentatoris nomen diabolo imponitur, *(Matt: 4.3. 1 Theſſ:3.5.)* nempe quòd hominum animos conſtantiamque tentat, ſæpeque tentando efficit, ut homines fidem obedientiamque abjiciant, in ſceleraque præcipites ruant. Cujus rei exempla apud divinos antores reperiuntur. Primò enim Ananiam Petrus ſic alloquitur: *(Act: 5.3.) Cur tentavit Satanas cor tuum, ut mentireris* (vel *falleres*, hoc eſt, fallere velles) *Spiritum ſanctum*, id eſt, cur ea fuit animi tui mentiſque perverſitas, ut Diaboli tentationibus tantum apud te loci reliqueris? Item illud Pauli: *(1. Cor: 7.5.) Ne tentet vos Satan ob incontinentiam veſtram*, id eſt, ne impuritatis ſcelere vos implicet. Et illud: *(1 Theſſ: 3.5.) Propterea & ego non ampliùs ſuſtinens, miſi ad cognoſcendum fidem veſtram, ne fortè tentet vos, qui tentat, & inanis fiat labor meus.* Quo in loco *tentare* idem ſignificat, quod minis terroreque homines à veritatis ſtudio prohibere. Sic Chriſtus nos ſupplicare jubet, *ne Deus nos in tentationem inducat: ſed ut à malo*, nempe Diabolo, *nos liberet. (Matt: 6.13.26.41.)* Quæ quidem verba hanc continent ſententiam: Deum nimirum ſuppliciter nobis orandum eſſe, ne tantam noſtri tentandi, id eſt, affligendi, Diabolo poteſtatem permittat, ut nos à fide juſtitiaque colenda abſterreat: ſed ſi illi fidem explorare noſtram placeat, nos tandem ex faucibus iſtius acerrimi hoſtis eripiat, & ut victoriam de illo reportemus, efficiat.

‡ Con-

Digitized by Google

‡ *Conſtantiamque tentat*] Non tantum probaturus, vel experturus quam ſit firma, ſed eam everſurus. Tentat enim Satan ſuggerendo quod malum eſt,& homines qua poteſt illiciendo ad peccandum.

Vel falleres] Benè eſt quod agnoſcit Volkelius, illud Act: v, 3. ψεύσασθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, non tam eſſe (quod tamen ipſius gregales quandoque volunt,) mentiri Spiritum Sanctũm, ut cum quis ſe bonum virum, vel divitem mentitur, cùm ſit nequam vel pauperior Iro, quam mentiri Spiritui Sancto, & velle ipſi imponere eumque fallere. Hinc nullus interpretum reddidit *ut mentireris Spiritum Sanctum*, ſed *ut mentireris Spiritui Sancto*, vel *ut mentireris in Spiritum Sanctum*. Nec abiit hîc loci Volkelius in citatione hujus teſtimonii à Vulgata Verſione & omnibus interpretibus, niſi ut illud adſtrueret commentum, quo ſui volunt luculentum pro divinitate & perſonalitate Spiritus Sancti argumentum eludere; cui tamen, propriâ reluctante conſcientiâ, non audet adſtipulari.

Quo in loco tentare] Non video cur τὸ *tentare* 1 Theſſ: III,5 & *in tentationem induci*, in oratione Dominica, ad ſolas afflictiones reſtringere debeamus: Nam etiam poteſt Satan pios tentare ad fidem eorum labefactandã, non minus à dextris, per proſpera, jucunda, & voluptatum illecebras, quam à ſiniſtris, per adverſa, afflictiones & perſecutiones: Et qui petit à Deo non induci in tentationem ſed liberari à malo, non tantum petit liberari ex afflictione vehementiori, quæ fidem ſuam extinguere, & ipſum in extremam ruinam præcipitare poſſet, ſed etiam non ita permitti ſuggeſtionibus & illecebris Satanæ, ut prævaleant, & ſe abducant à tramite officii. Nam ut in præcedenti petitione rogamus remiſſionem peccatorum eorum quæ commiſimus, ſic in hac ultima petimus prophylacticon adverſus ea, quæ Satanâ impulſore & prævalente quocunque modo, nam *dolus an virtus quis in hoſte requirat*, abſque dubio eſſemus graviſſima commiſſuri.

Octavo, tum Princeps, tum Deus, tum potens hujus mundi nominatur: (*Ioh:12.31. & 16.11. 2 Cor: 4.4. Epheſ: 6.12.*) quia & plurimum in mundo poteſt, & maxima pars generis humani ipſius imperium ductumque ſequitur.

Nono, princeps aëris appellatur, (*Epheſ: 2.2.*) propterea quòd ſpiritus cùm ſit, & ideò corporis terreſtris mole minimè oppreſſus, in aëre degit, poteſtatemque ſuam exercet.

Ad extremum is dicitur, qui mortis habet imperium, (*Hebr:2.14.*) id eſt, imperium mortiferum: quia homines, quos ſibi mancipavit, dominatu ſuo ita opprimat, ut tandem in ſempiternæ mortis vincula eos conjiciat.

‡ *Nono, Princeps aëris*] Diabolus non appellatur *Princeps aëris* Eph: II,2. ſed Princeps poteſtatis aëris, non tam à ſede quam occupat, (eò magis faceret locus Eph:VI,12) quam potius ab efficacia quę ei conceditur in aërem & ſublunaria, ad varias ciendas tempeſtates, ut colligitur ex Job: I,19. Ideo Scholiaſtes Græcus hujus nominis apud Paulum rationem hanc reddit; ἄρχει γὰρ καὶ ἐξουσιάζει ὁ σατανᾶς τῶν ἐναερίων καὶ πονηρῶν πνευμάτων.

Ad extremum is dicitur] Imò Heb:II,14. dicitur Satan habere *imperium mortis*, quo ſenſu carnifex diceretur habere imperium patibuli vel rotæ. Eſt enim Lictor & Tortor juſtitiæ divinæ, quæ ejus operam adhibet in torquendis ac puniendis iis qui propter peccatum morti

æternæ ſubjiciuntur : Sed obvium ſenſum declinat ſtudio Volkelius , quod nulla gehennæ & inferorum tormenta agnoſcat.

Ex his veteratoris iſtius nominibus eum in modum explicatis, non ſolùm ipſius ingenium atque natura, verùm etiam aliqua ſaltem ex parte dimicandi ratio intelligi poteſt. Sed tamen, ut hæc, qualis ſit, clariùs pateat, fuſiùs nobis de ea explicandum eſt. Hoc igitur inprimis animadvertendum eſt, hoſti iſti noſtro id unicè propoſitum eſſe, ut omnes fidei ac pietatis noſtræ partes non ſolùm labefactet, ſed prorſus etiam convellat. Quam quidem rem duplici via aggredi ſolet. vel enim in mentem noſtram impetum facit, ut eâ ſu-
370. peratâ, deque ſtatu ſuo dejectâ, facilè etiam voluntatem noſtram ſubigat atque opprimat; vel contrà, ſi pro ſua calliditate ita facto opus eſſe videt, primò ad voluntatem machinas ſuas admovet, ut facilior ſit aditus ad mentem labefactandam, peſtiferiſque erroribus implicandam.

Jam ad priorem noſtri oppugnandi rationem quod attinet; intelligendùm eſt, Diabolum id omni ſtudio agere, ut diſciplinam illam cœleſtem, quâ mentes noſtræ imbutæ ſunt, ex animis noſtris evellat, idque vel divinis literis, quibus ea conſignata eſt, labem aliquam aſpergendo; vel, ſi hoc aſſequi non poteſt, errores ex illis per ſummam fraudem funeſtiſſimos eliciendo. Scripturam porrò ſanctam iis maculis aſpergit, ut vel eam falſam commentitiamque eſſe perſuadere conetur, vel, ſi hoc minùs ſuccedat, obſcuritatis, aut imperfectionis damnet. Nos igitur, ut primum illius ſtratagema evitemus, firmiſſimis nos contra has ipſius machinas muniemus præſidiis, & mortifera illius tela repellemus.

CAP. V.

De ſacrarum literarum autoritate.

Reſpondente LUDOVICO WOLZOGEN à MISSINGDORFF, Nob. Auſtriæ.

AC primò quidem, ut ſcripturam eam, in qua Chriſti diſciplina continetur, veriſſimam eſſe convincamus, tum ex certis indubitatiſque ejuſdem religionis circumſtantiis argumenta petemus; tum nullam eſſe cauſam demonſtrabimus, quin libris de ea conſcriptis fides adjungatur.

Jam quod ad Chriſtianæ religionis circumſtantias attinet, quarum nomine ea omnia complectimur, quæ ad illam aliqua ratione ſpectant; primò omnium occurrit ipſe Jeſus Nazarenus, ejus religionis inter homines auctor. Hunc enim in rerum natura fuiſſe, certam religionem diſcipulis ſuis præſcripſiſſe, eandem prodigiis atque portentis poſt homines natos inauditis confirmâſſe, à ſuis gentilibus in crucem ſublatum fuiſſe, tandemque revixiſſe, evidentiſſimis

Digitized by Google

mis argumentis demonſtrari poteſt. Si namque Jeſus iſte nunquam fuit; unde jam inde à religionis Chriſtianæ primordio, tanta, tamque admirabiliter continuata hominum eam profitentium ſeries ac multitudo, ad noſtram uſque ætatem pertingens? Si enim Moſen, ſi Machometen, ſi alios religionum duces aliquando extitiſſe, ex continua ſubſequentium ſucceſſione intelligimus; quæ dementia eſſet, idem planè non perſpicere in tanta religionis Chriſtianæ propagatione? Quid verò Judæos, Jeſu ejuſque diſciplinæ capitales hoſtes impellit, ut non ſolùm eum fuiſſe, cultuſque divini rationem tradidiſſe; verùm etiam maxima miracula edidiſſe, & quod maximum eſt, ab ipſorum 371.
majoribus turpiſſimo mortis genere affectum fuiſſe, apertè ingenueque fateantur? Num hac ratione aliquam ſibi eorum, apud quos degunt, benevolentiam colligere nituntur? At nunquam poſſunt pernicioſiùs vitæ fortuniſque ſuis conſulere, quàm hæc proferendo. Num Chriſtianis illudere cogitant? At quàm acerbus ludus iſte eſt, quem tanta calamitas comitatur. Reliquum igitur eſt, eos ipſa veritatis vi impulſos hoc facere.

Jam quid de illis dicemus, qui omnium primi Domini Jeſu religionem amplexi ſunt? Hi certè nonniſi firmiſſimis rationibus innixi, ad ejus ductum ſeſe applicare, aut eundem conſtanter ſequi potuerunt, quem à gentilium ſuorum principibus, haud aliter ac hominem ſeditioſum, flagitioſum, maximorumque ſcelerum manifeſtum abjici, contemni, & tandem teterrima morte affici viderant. Hinc namque efficitur, eos, præterquam quòd Jeſum Nazarenum animadverterunt hominem eſſe nullius criminis affinem, vidiſſe quoque eundem à mortuis excitatum. Aliter vel ad illius religionem ſeſe minimè contuliſſent, vel in ea non perſtitiſſent: quandoquidem minimè dubium eſt, quin prorſus concideret Chriſti crucifixi religio, niſi reſurrectione ipſius tanquam firmiſſimo argumento niteretur; nec rei tam inauditæ, tamque omnem rationis humanæ intelligentiam ſuperantis gratiâ vitam profudiſſent, niſi eam ipſo oculorum aſpectu comperiſſent. Niſi fortè eos ſcientes volenteſque ob inſigne, quod ipſi probè noſſent, mendacium mortem oppetere, ideoque omni rectæ rationis judicio, ipsâ denique humanâ naturâ, temeritate quadam projectâ, ſeſe exuere voluiſſe, nobis exiſtimandum eſt. Quo quidem abſurdius cogitari nihil poteſt. Cum verò, ut modò indicavimus, religio Chriſti Jeſu, in ipſius à mortuis reſurrectione ita ſit innixa, ut hac ſublata, illam funditus everti neceſſe ſit; dubium poteſt eſſe nullum, quin ejuſdem diſciplinæ primi profeſſores atque aſſertores, Chriſtum à mortuis reſuſcitatum eſſe affirmârint, & eundem redivivum ſibi viſum eſſe dixerint. qua enim alia ratione eam religionem aliis hominibus perſuadere potuiſſent? Sed neque ſatis fuit aſſerere; verùm etiam rem tam admirabilem, tam inauditam, tam incredibilem validiſſimis atque evidentiſſimis rationibus demonſtrare fuit neceſſe, ut ab aliis

reciperetur, ac firmiter conſtanterque crederetur. Viderunt nempe majores noſtri, non tantùm ſingularem in illis elucere vitæ ſanctimoniam, ſed etiam divina admirationeque digniſſima opera, Chriſti virtute ac nomine ab illis
372. fieri; & nec acerbiſſimo illos hominum odio, nec innumeris periculis, quæ undique vitæ eorum intenta erant, nec denique teterrima morte, à rei iſtius confeſſione depelli poſſe. Hæc impulêre majores noſtros, ut eandem viam ingreſſi, haud diſſimili ratione Chriſti religionem ſequerentur ac tuerentur. Neque enim quiſquam poteſt eſſe neſcius, quanta crudelitate ac immanitate, ab ipſo hujus diſciplinæ exordio in eos ſævitum fuerit, qui ad eam ſtudia ſua contulerant. Mirum tamen eſt, quanto ardore homines innumeri, aliis religionibus, quibus erant innutriti, poſthabitis, hanc arripuerint; quàm inflammato veritatis ſtudio, quàm nullo terreno lucro allecti, ad Chriſtum confluxerint; & porrò quantis acceſſionibus ſat brevi temporis ſpatio religio noſtra fuerit amplificata. Et quamvis omnibus ferè ætatibus, iis rebus hoc genus hominum expoſitum fuerit, quæ eorum religioni non tam incrementum, quàm everſionem ac peſtem allaturæ videbantur: tantum tamen abeſt, ut ſumma potentiſſimorum hominum tyrannide extincta fuerit, ut aliis religionibus, quas nulla vexabat crudelitas, paulatim evaneſcentibus, præter Judaicam, quam divinitùs profectam Chriſtiana agnoſcit, hæc una remanſerit, tantoſque progreſſus fecerit, ut brevi temporis curriculo omnem terrarum orbem complexa fuerit. Non ſolùm enim in firmiſſimis eam inniti fundamentis, omnes facilè perſpexerunt; ſed iis etiam tum præceptis, tum promiſſis conſtitutam eſſe, cum quibus nulla aliarum religionum mandata promiſſaque comparari poſſunt: Et cum hoc noſtro ſeculo, poſt Chriſti diſciplinam Moſaica Mahometanicaque religio omnium maximè vigeant, quæ ſimiliter præceptis promiſſiſque continentur, operæ precium eſt oſtendere, & præceptionum ſanctitate atque perfectione, & promiſſorum amplitudine ac magnificentiâ, noſtram hanc illis longè multumque antecellere: adeò ut, ſi quis modò ullam religionem in mundo eſſe arbitretur veram, Chriſtianam veriſſimam diviniſſimamque agnoſcere cogatur.

‡ *Aliter vel ad illius*] Ut hac viâ procedat Volkelius poſt Socinum ad probandam authoritatem Scripturæ, facilè ferimus: Quamvis eum commodiùs proceſſurum arbitremur qui Moſis & V. T. libros prius repoſuerit in arce; cum Authoritas librorum Novorum ex Veteribus ita pendeat, ut Chriſtus & Apoſtoli non aliunde quam ex Scripturis ſua comprobaverint. Sed de eo quicquid ſit cum grano ſalis ſumi debet, quod Apoſtoli & primi Chriſti diſcipuli dicuntur nunquam vitam ſuam profuſuri fuiſſe reſurrectionis Chriſti gratiâ, *niſi eam ipſo oculorum aſpectu comperiſſent*: Cùm etiam tam multi poſt eos vitam profuderint pro aſſerenda reſurrectione Chriſti, qui eam *ipſo oculorum aſpectu* non compererant. Quin ipſe Chriſtus Beatos pronunciat *qui non viderunt & crediderunt* Joh: xx,29.

Cum

Cum verò ut modò dixi] Sed cur non idem dixeris de ejus aſcenſione in cœlos, ſive aſſumptione in gloriam?

Viderunt nempe majores] Fuerunt illis hæc miracula, motiva ad fidem, non principium credendi; neque viſis vel auditis tantum miraculis adſcribi debet, mirus ille ardor *quo homines innumeri aliis religionibus quibus erant innutriti poſthabitis, hanc arripuerunt*, ſed virtuti Entheæ Spiritus Sancti, homines de veritate Euangelica pleniſſimè perſuadentis, quomodo dictum à Paulo, Euangelium eſſe potentiam Dei ad ſalutem omni credenti Rom: 1, 16.

Et cum hoc noſtro ſæculo] Iniqua eſt hęc conjunctio & odioſa comparatio cum Chriſti doctrina, diſciplinæ *Moſaicæ Mahometánicæque*; cùm Mahometes fuerit Impoſtor, Moſes fidelis Dei ſervus in tota ſua domo. Moſaica autem præcepta & promiſſa, non ſubſidere infrà mandata & promiſſa Chriſti, quoad rei ſubſtantiam, ſuo loco probatum eſt.

Et quidem ut Mahometanis (utpote Moſaicis longè inferioribus) inſtitutis ſuperſedeam, deque Moſis tantùm diſciplina verba faciam; quis non videt, eam tantam vitæ probitatis perfectionem ab Iſraëlitis nequaquam exigere, quantam Chriſtus à nobis. Quæ enim patientia, quæ caſtitas, quæ ſanctitas, quæ in Deum proximumque tanta charitas à Moſe præcipitur, ut poſſit cum admirabili vitæ integritate ac ſanctimonia, cum ſumma patientia, caſtitate, & charitate, quâ nos præditos vult eſſe Chriſtus, conferri? Ut taceam, quòd quæ aliis præſcripſerat Moſes, ea ipſe omni ex parte nequaquam conſervavit, ideoque promiſſa illa regione excluſus fuit: Chriſtus verò non 373.
magis doctrinâ, quàm vitæ ſanctiſſimæ exemplo ſuos diſcipulos inſtituit. Quid verò de utriuſque promiſſis dicemus? Moſes certè nonniſi ea populo Judaico pollicebatur, quæ terrenorum bonorum affluentiâ, mobilique & fluxâ felicitate continebantur: Chriſtus autem, ut ſuis promiſit ævum ſempiternis gaudiis, voluptatibusque nullâ mæſticiâ terminandis affluentiſſimum: ita illud tum ipſe, tum ejusdem nobis donandi ampliſſimam poteſtatem eſt adeptus.

‡ *Quis non videt eam*] Imò quis videt hîc ullum diſcrimen inter officia moralia à Moſe præſcripta, & exacta à Chriſto, qui geſtienti ad vitam æternam per ſua opera, nihil aliud commendat quam Mandatorum Moſaicorum obſervationem Matth: XIX, 17. nec aliò amandat fratres epulonis ſub Abrahami perſona, ut vitent gehennam, quam ad Moſem & Prophetas Luc: XVI, 29. Annon ſummam patientiam pręcepit Moſes, qui etiam inimico benefacere juſſit Exod: XXIII, 4. ut ipſe omnium hominum manſuetiſſimus & patientiſſimus Num: XII, 3. maluit affligi cum Dei populo, quam frui ad tempus peccati deliciis, & probro Chriſti omnes Ægyptiorum theſauros poſthabuit Heb: XI, 25. 26. Annon ſummam exegit caſtitatem & ſanctitatem, qui voluit homines ſanctos eſſe, quia Deus ipſe Sanctus eſt Levit: XI, 45. nec alii uſui quam caſtitati commendandæ, inſervire, quod Sacerdotes femoralibus debebant eſſe ſuccincti; ut pollutionem legalem inducebat, menſtruorum & ſeminis profluvium, etiam involuntarium & morbidum? An alia charitas *in Deum proximumque nobis* à Chriſto & Apoſtolis commendatur, quam quæ eſt finis mandati Moſaici 1 Tim: 1, 5. & legis complemen-

Digitized by Google

plementum Rom: XIII, 8. 10. quæque illo legis ſummario de Deo & proximo diligendo præſcribitur, quòd urget ipſe Servator Matth: XXII, 37. 38. 39. 40?

Ut taceam quod quæ] Hoc quidem oſtendit multū eſſe diſcriminis inter perſonam Moſis & Chriſti, quale concipi debet inter famulum & herum Heb: III, 5. 6. inter hominem infirmum ac peccatorem, & θεάνθρωπον æternum Dei filium, qui rapinam non duxit æqualis eſſe Deo; ſed non probat mandata per Moſen propoſita eſſe imperfectiora mandatis Chriſti: cùm illa continuerint ipſam Dei legem ſacratiſſimam & perfectiſſimam, quæ non venit æſtimanda ex nævis & imperfectione Miniſtri per quem Deo placuit eam promulgare.

Moſes certè nonniſi ea] Id verò eſt longè falſiſſimum; Nam Moſaicum erat illud *Hoc fac & vives*, quod de vita æterna eſſe intelligendum, ipſe Chriſtus docet Matth: XIX, 16. 17. Atque ut Maledictio per Moſem denunciata erat mors æterna, ita Benedictiones per eundem promiſſæ, etiam complectebantur vitam æternam, quamvis plerumque ſub involucro & umbra beneficiorum terreſtrium. Annon ibi promiſſio vitæ æternæ, ubi Deus ipſe pollicebatur ſeipſum fore ſuis clypeum & mercedem ampliſſimam Gen: XV, 1? Sed quid expreſſius eo loco qui extat Deut: XXX, 19. 20. ubi Moſes proteſtatus ſe vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, propoſuiſſe Iſraëli, ei ſuadet ut eligat vitam & vivat diligendo Jehovam & adhærendo ei, *nam ipſe*, inquit, *eſt vita tua & longitudo dierum tuorum?* Nunquid enim verè felix & ſimpliciter æterna illa vita, in qua Deus ipſe eſt vita ſuorum, adeoque omnia in omnibus? 1 Cor: XV, 28.

Ita illud tum ipſe] Hoc quidem differt Chriſtus à Moſe, quod ipſe ſit ſervator Moſis & omnium ſanctorum tam ſub V. quam ſub N. T. ſed nemo ſanus ibit inficias etiam Moſen, cujus fides in Chriſtum tantopere celebratur Heb: XI, 25. 26. adeptum fuiſſe vitam æternam, ſive illud *ævum ſempiternis gaudiis voluptatibuſque nullâ mœſtitiâ terminandis afluentiſſimum*: Unde in Chriſti transfiguratione ei cum Elia legitur ad fuiſſe Matt: XVII, 3.

Verùm inquiet aliquis, cum religio Chriſtiana in tanta ſit varietate ac diſſenſione conſtituta; ut non unâ eam omnes viâ ac ratione colant; quî fieri poteſt, quin in diverſas partes diſtractus animus, omnem ejus amplectendi curam abjiciat, perpetuoque de ipſius autoritate dubitet? Huic reſponſum volumus, iſtam multorum diſſenſionem nequaquam tanti eſſe faciendam, ut quis meritò ipſam religionem aſpernari, aut in falſitatis ſuſpicionem vocare debeat. Has enim diſcordiarum faces, non ſanctiſſima Chriſti diſciplina, non ſalutaria Dei præcepta atque inſtituta, non veræ pietatis ſtudium; ſed ſuperbia, ſed ambitio, ſed ſcelerata cupiditas, ſed peſtiferæ ſcripturarum ad cujusvis affectum detorſiones, ſed denique omnium flagitiorum ac diſſenſionum ſeminator diabolus incendit. Huc accedit, quòd inter omnes conſtat, quamvis maxima diſſenſione, diſſimilimaque alii ab aliis ratione hanc religionem confiteantur, eſſe quandam ejus ſummam, in qua omnes ſine ulla controverſia congruunt, illamque eo contineri libro, qui Novum Teſtamentum appellatur. Quod quidem veriſſimum eſſe, ſi quis negare audeat, næ ego eum judicio vehementer labi, ne dicam, prorſus orbatum eſſe exiſtimaverim.

Digitized by Google

verim. Ut enim is cum ratione inſanit, qui non credit, Judaicam religionem libris Moſaicis comprehenſam eſſe, cum id omnes Judæi profiteantur, aut Mahometanam Alcorano conſignatam eſſe, cum omnes ejus religionis aſſeclæ id aſſerant: ita nequaquam homo ſanæ mentis exiſtimandus eſt, qui Chriſti religionem Novi Teſtamenti libris contineri negat, cum id omnes Chriſtiani nominis homines affirment.

Sequitur, ut nullam eſſe cauſam demonſtremus, cur Novi Teſtamenti ſcriptoribus fides habenda non ſit. Conſtat igitur inter omnes, atque adeò naturâ cunctis inſitum eſt, duas eſſe cauſas, ob quas mendacium dicere quispiam ſit exiſtimandus. Aut enim quæ narrat, ipſum perſpecta cognitaque minimè habere, aut ſcientem volentemque fallere neceſſe eſt. Quorum quidem neutrum in divinos illos viros conferri meritò poteſt. Primò enim, quis ea, quæ monumentis ſuis prodiderunt, ipſos ignoraſſe affirmare poterit; 374.
cum partim iis interfuerint, partim eo ipſo tempore, & in iiſdem locis vixerint, ubi & quando ſunt geſta? Quidam enim ipſo Jeſu Nazareno familiariſſimè ſunt uſi, quidam verò ejuſdem Apoſtolis conjunctiſſimi fuerunt; ut non ſolùm ex ipſorum monumentis, ſed etiam ex ſanctiſſimorum hominum proximè illos ſubſequentium teſtimonio, & Chriſtianorum ſuccedentium perpetuo conſenſu manifeſtiſſimè apparet. Alterum quoque, videlicet eos ſcientes volenteſque tantum mendacium in ſe admiſiſſe, non niſi ab eo illis affingi poteſt, qui religionis Chriſtianæ naturam prorſus ignorat. Fieri enim non poteſt, ut qui Chriſti diſciplinæ deditus eſt, is mendacio delectetur: quandoquidem in maximis Chriſti præceptis numerandum eſt, ne quis ullo ſeſe adſtringat mendacio, nedum falſas hiſtorias conſcribendo, univerſum humanum genus funeſtiſſima fraude circumvenire cogitet. Cum autem dubium non ſit, quin qui Chriſti religionem literis mandârunt, veri Chriſtiani & ipſi fuerint; quid cauſæ eſt, cur illis tantum crimen, tamque immane dedecus inuramus? Hoc accedit, quòd ſi ſcripta eorum in mendaciis habenda ſunt, nullam tantæ fraudis cauſam, ab eadem verò abſtinendi plurimas habuerunt. Neque enim eos latere potuit, ſi modò homines fuiſſe volumus, quantas talia in vulgus emittendo excitaturi eſſent tragœdias. Nam & captum humanum erant ſuperatura; & porrò ab hominibus, cum nulla evidenti ratione comprobari poſſent, extremæ ſtultitiæ damnanda; & quòd humanis cupiditatibus obſiſterent, non præclaram exiſtimationem, non hominum ſtudia, non denique ullam utilitatem corporiſque voluptatem illis paritura. Qua igitur alia re illos ad ſcribendum impulſos fuiſſe putabimus, præter invictiſſimam vim veritatis? Hic verò non ſuſtinebit ſe adverſarius noſter, quin per inſtrumenta ſua dicat, meritò dubitari poſſe, an libri N. T. ab iis conſcripti fuerint, quibus vulgò tribuuntur. Quod quidem aliqua ſaltem ex parte tolerandum videretur,

Digitized by Google

deretur, ſi ulla ad contrarium perſuadendum ratio afferri poſſet, & ipſa Apoſtolorum ſcripta multis in locis eoſdem autores ſuos commemorando non indicarent. Etenim ad confirmandum, eum eſſe libri cujuſpiam autorem, cujus nomen eſt adſcriptum, nullo alio opus eſt argumento, quàm vel coætaneorum teſtimonio, vel ſaltem eam ætatem proximè ſubſequentium autoritate, & doctorum hominum conſenſu. Quæ teſtimonia cum his libris non deſint; nulla cauſa eſt, quin ab iis ipſis, quibus aſſignantur, editos eſſe planè credamus. At dicet, non omnibus Novi Teſtamenti libris nomina adſcripta eſſe; ideo-
375. que vel ob id ipſum de eorum autoritate meritò dubitari poſſe. Occurro igitur, & minimè conſequens eſſe affirmo, ut ob autoris ignorationem ſcriptum aliquod rejiciamus, dummodo ab illis, qui accuratam rei illius, de qua agitur, tenent ſcientiam, in veris numeretur. ‡Cùm enim hîc de Epiſtola Hebræis ſcripta potiſſimùm agitur; conſtat, eam primis illis temporibus, cùm hadhuc multi ſupereſſent eorum, qui cum ipſis Apoſtolis conſuetudinem habuerunt, à viris rerum iſtiuſmodi peritis approbatam fuiſſe. Cujus rei non ſolùm magno argumento eſſe debet, quòd in Syriaco Novi Teſtamenti codice, quæ interpretatio ſanè eſt perantiqua, ea Epiſtola habetur; ſed Euſebius etiam lib. 3. Hiſt: Eccleſ: c. 3. & lib. 6. c. 14. id, quod diximus, apertiſſimè teſtatur. Ac cum de Apocalypſeos autore quoque ita diſputetur, quaſi dubium ſit, eum ipſum Johannem Apoſtolum eſſe, non video, qua ratione ad hoc negandum quis poſſit induci. Nam & Juſtinus (*Iuſt: Dial: cum Tryph:*) & Irenæus, (*Iren: l. 4. 37. vid. etiam Euſeb: Hiſt: Eccl: lib. 5. c. 8.*) qui à Johannis ævo non multùm abfuêre, ab eodem librum illum ſcriptum eſſe teſtificantur: & Irenæus quidem non obſcurè ait, id teſtimonio eorum ſua ætate fuiſſe confirmatum, qui Johannem Apoſtolum de facie noverint.

‡ *Cum enim hic de Epiſtola*] Hujus Epiſtolæ authorem ignorari gratis fingitur: cum Paulinum characterem paſſim oſtentet, eamque Paulo vindicent unanimi conſenſu omnes Scriptores Græci. Quin in ipſo *Syriaco Novi Teſtamenti codice*, ad quem provocat Volkelius, ita legitur ad hujus epiſtolæ calcem, in editione Boderiana: *Finis epiſtolæ quæ ad Hebræos ſcripta eſt ex Italia & Româ miſſa per manus Timothei: Impleta eſt ſcribi per auxilium Domini noſtri Scriptura quatuordecim Epiſtolarum ipſius Pauli.* Euſebius *lib. 3. Hiſt. Eccl. cap.* 3. dicit quidem nonnullos fidem voluiſſe abrogare Epiſtolæ ad Hebræos, quaſi Pauli non ſit, ſed tamen aſſerit quod Epiſtolæ Pauli πρόδηλοι καὶ σαφεῖς, *conteſtatæ & notæ*, ſint quartuordecim; quibus adeo iſta ad Hebræos venit annumeranda; & *lib. 6. cap.* 14 *Græcæ edit.* 11. *Lat.* Clementis Alexandrini authoritate id comprobat, allatis ex eodem argumentis cur Paulus nomen ſuum ei non præſcripſerit: ut omninò debeat Volkelius iiſdem argumentis quibus utitur ut probet hanc epiſtolam eſſe canonicam, perſuaderi eam à Paulo conſcriptam fuiſſe.

Non deſunt etiam, qui diſſenſionem quandam, in qua novi Teſtamenti ſcripto-

ſcriptores ſint conſtituti, prætendant. Hæc autem vel ſpeciem tantùm diſſenſionis habet, & porrò indigna prorſus eſt, de qua hoc loco laboremus; vel ſi vera aliqua diverſitas eſſe ſtatuatur, eam aut in re magna, & quæ caput aliquod ſit diſciplinæ Chriſtianæ, conſiſtere volumus, aut in ea, quæ nullum ad vitam beatam, aut certè perexiguum habeat momentum. Illud quidem demonſtrari nullo modo poteſt; cum admirabili ac prorſus divina conſpiratione ſcriptores iſti in rebus ſalutaribus conſentiant. Hoc verò tantùm abeſt, ut fidem illis minuat ac infirmet, ut potiùs mirum in modum augeat, atque confirmet. Cum enim diſſenſio iſta, quæ ſtatuitur, nonniſi hiſtoricis rebus contineatur; an non apertiſſimum eſt, eos de rebus, quas literarum monumentis conſignârunt, neutiquam conſiliis inter ſe collatis ad circumveniendos homines ſcripſiſſe? ſed & diverſos fuiſſe autores, & quòd alii aliis firmiore res geſtas memoria cuſtodierant, diverſa quoque ratione pauciſſimis in locis eas deſcripſiſſe; interim tamen nonniſi veritatis vi impulſos, idem in ſumma monumentis ſuis tradidiſſe. Quòd ſi ob leviſſimam diſſenſionem iſtis omnibus iſtorum ſcriptis fidem derogare voluerimus; profectò multò magis neceſſe fuerit, omnes de quacunque re ſcriptas hiſtorias, ut commenticias ac futiles contemnere, explodere, ac conculcare. Non ſolùm enim ſæpenumero earum ſcriptores de mul- 376.
tis maximiſque rebus rebus diſſenſerunt; ſed & homines eos fuiſſe conſtat divino ſpiritu carentes, maximaque ex parte, quæ literis mandârunt, ipſos per ſe non habuiſſe comperta, nec ullo periculi metu, ſed ſummæ laudis præmio propoſita, ſcribendi partes ſuſcepiſſe; & porrò haud ſatis dignos eſſe, quibus indubitata fides tribuatur. Quibus in rebus quàm noſtri ſcriptores illis antecellant, cumulatè me jam demonſtraſſe arbitror. Illud tamen præterire neutiquam volui, aliarum hiſtoriarum (ſi vel omni falſitatis ſuſpicione eas liberare velimus) veritatem nonniſi ex ipſarum lectione intelligi poſſe: ſcripta verò Apoſtolorum ex apertiſſimis eorum, quæ inibi leguntur, effectis, veriſſima eſſe cognoſci poſſe, ſuprà ſatis ſuperque demonſtravimus. Quæ igitur amentia illos agitat, qui, verbi cauſâ, plus fidei Livio, Salluſtio, Cæſari, aut cuivis alii hiſtorico tribuendum cenſent, quàm Matthæo, Johanni, Paulo, Marco, Lucæ, reliquiſque Chriſti Apoſtolis: cum tot tantaſque aliis hiſtoricis credendi cauſas nullo pacto habere poſſint, quantæ & quot, quemlibet cordatum hominem, ad Euangeliſtarum Apoſtolorumque ſcriptis firmiſſimam fidem adjungendam, planè impellunt.

‡ *Vel ſi vera aliqua*] Diverſitatem quidem debemus admittere in Scripturis Euangelicis; cùm Euangeliſtarum alter hanc referat vel hiſtoriam, vel circumſtantiam, alter illam: Diſſenſionem nullam; cùm ſcripſerint acti à Spiritu Sancto, falli & fallere neſcio 2 Pet: I, 21. 2 Tim: III, 16. nt nimium hac in parte largiatur Volkelius adverſariis Scripturarum; nam qui in minimo infidelis eſt, in magnis fidelis eſſe nequit. Diverſitas, ſufficienter oſtendit Euangeliſtas *de rebus quas lite-*

 rarum

rarum monumentis conſignarunt, *neutiquam conſiliis inter ſe collatis*, *ad circumveniendos homines ſcripſiſſe*, ut diſſenſio aliqua eum in uſum concedenda vel fingenda non veniat. Ideò veri Chriſtiani ab ævo ſtuduerunt talem diſſenſionem inter libros ſacros amoliri, quo ſpectant libri Auguſtini *de Conſenſu Euangel.*

Hîc verò objicient, non ſolùm in diverſis autoribus novi Teſtamenti, ſed etiam in uno, unam eandemque materiam tractante, diſſenſionem inveniri. Lucas enim hiſtoriam converſionis Paulinæ deſcribens, jam Pauli comites vocem audiviſſe, neminem autem vidiſſe ait; (*Act: 9.7.*) jàm verò Paulum inducit affirmantem, comites ſuos lucem quidem vidiſſe, vocem autem ad ipſum loquentem non audiviſſe. (*c.22.9.*) Verùm cum verbum *audiendi* apud Hebræos jam ſonum auribus percipere, jam verba intelligere ſignificet; tollitur omnis repugnantia: & ſenſus erit, comites Pauli, quamvis vocis ſonum audiviſſent, vocem tamen ipſam non audiviſſe, id eſt, non intellexiſſe articulatim ejus verba. Audire autem ſæpè intelligendi ſignificationem habere, ex his locis perſpicuum eſt, Gen:42.23.4. Reg:18.26.Jer:5.15.1.Cor:14.2.

Verùm non ſatis habet adverſarius. Objicit enim per ſua inſtrumenta, ſcripta N. Fœd. depravata eſſe, ideoque ab iis omnem aſſenſum meritò cohiberi. Aut igitur volunt iſti, qui hæc objiciunt, univerſam ſive hiſtoriam, ſive doctrinam depravatam eſſe, aut quaſdam tantùm partes. At prius illud quomodo ſuſtineri poterit; cum nulla nec ratione, nec ullius fide digni hominis teſtimonio probari poſſit? Fidem enim in hoc negotio illi tantùm mereri putandi ſunt, qui à pravis affectibus, & ipſius religionis Chriſtianæ odio
377. alieni, illique tempori, quo hæc ſunt ſcripta, proximi fuerint. Ubinam verò ejuſmodi teſtimonia extant, ex quibus conſtare poſſint, univerſam hiſtoriam ac doctrinam, ab Apoſtolis aliiſque divinis viris aliquando ſcriptam, depravatam immutatamque eſſe? ut taceam, hoc poſito, non eos ampliùs forè librorum Novi T. ſcriptores, quos antea eſſe probavimus. Hoc verò poſterius, vel eo pacto aſſerunt illi, ut hiſtoriam doctrinamque in rebus magni momenti haudquaquam immutatam fuiſſe exiſtimemus, ſed in rebus tantùm exigui momenti; vel ut aliquam etiam in magni momenti rebus mutationem factam fuiſſe credamus. Jam ſi illud verum eſt, quantum id, quæſo, valebit ad illis fidem abrogandam, in quibus aliquid eſt momenti? Hoc autem ſi ita ſe haberet, certè nec tanta ſcriptorum divinorum conſenſio, nec tot libri iſtius exemplorum per totum orbem terrarum diſſipatio, nec innumeri Theologorum commentarii mutationem illam latere paſſi fuiſſent. Huc accedit, quòd Deus Opt. Max. cum infinita atque immenſa benignitate genus humanum complectatur, nequaquam hæc tantæ ſuæ gratiæ monumenta depravari permiſiſſe credendus eſt, quibus voluntatis ſuæ notitiam, ſempiternæque ſalutis viam omnibus aperire decrevit.

Hîc

Digitized by Google

Hîc verò, utcunque ſeſe res iſta habeat, inquiet adverſarius; manifeſtiſſimum tamen eſſe, nequaquam Chriſti religionem tam evidentibus rationibus nixam eſſe, ut de ea nemo dubitare ulla ratione queat, etiamſi maximè velit; cujus generis argumenta ſolent eſſe ea, quibus Mathematicæ diſciplinæ nituntur. Verùm hoc illis objiciat veterator iſte, qui religionis Chriſtianæ naturam ignorant. Qui enim eam cognitam habent, hanc illius rationem eſſe ſciunt, ut fidei meritum poſtulet, ut virtuti vitioque, ut præmio ac pœnæ locum relinquat, ut denique haud aliter, ac Lydius lapis, hominum vel ad probitatem, vel ad flagitium inclinationes exploret. Quæ omnia concidere neceſſe eſt, ſi veritatem diſciplinæ Chriſti ita omnibus manifeſtam eſſe volumus, ut oculis cerni manibuſque contrectari poſſit. Quid eſt enim, ut fide conſequi ea ſtudeam, quæ ante oculos meos ſunt conſtituta? Vitia quoque quam ſedem habebunt, & porrò ſuppliciorum quis erit locus, ſi præmium tam amplum quod religio Chriſtiana nobis pollicetur, tale eſſe volumus, ut nemo tam poſſit eſſe adverſus veritatem contumax, quin dubitare de eo deſinat? Neque enim fieri poteſt, quin cui vitæ futuræ beatitas eſt explorata, is non ſolùm ab omni flagitio ac turpitudine abſtineat, ſed totum ſe etiam ad ſanctitatis ſtudium accommodet, eoque omnes animi conatus conferat, ut ad divinum illum ſtatum pervenire poſſit. Quid, quòd omnis huic diſciplinæ animos hominum explorandi via præcluderetur, ſi ob nimiam 378.
ejus evidentiam omnes eam amplecti cogerentur. At nunc rectè dixeris, eam Lydium eſſe lapidem, quo hominum animi explorentur: quandoquidem homines ad virtutis ſtudium propenſos argumentis veroſimillimis, tum ad fidem divinis promiſſis adhibendam, tum ad vitæ ſanctimoniam alacriùs conſectandam, facilè adducit: contrà homines ad ſceleris cupiditatem inclinatos, non ſolùm nulla rationum probabilitate ad credendum pieque vivendum impellere, ſed longiùs etiam ab omni aſſenſione atque obedientia arcere atque dimovere ſolet; & id quidem non ſuâ naturâ, ſed per quandam occaſionem; quatenus videlicet perditis ipſorum moribus nefariæque ad turpitudinem proclivitati repugnat. Valde igitur divinæ ſapientiæ ſempiternæque juſtitiæ congruens ac conſentaneum erat, ea ratione ac viâ hominibus de ipſis ſervandis conſilium aperire, ut iis qui probitate delectantur, ſcriptorum novi Teſtamenti veritas facilè perſuaderetur; illis verò, qui flagitiorum tenebris mentem obſcurârunt, divinæ gratiæ argumenta non ſatisfacerent. Sic enim fit, ut ſummus omnium rerum dominus, aliis miſericordiam ampliſſimumque virtutis præmium tribuendi, in alios verò debitam ſeveritatem exercendi; in utriſque tum ſapientiam, tum potentiam ſuam oſtendendi, ampliſſimam occaſionem habeat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

* *Ut fidei meritum poſtulet*] Nequibit cenſuram ἀκυρολογίας hîc declinare Volkelius, qui aliàs profitetur nullum propriè dictum *meritum* cadere in creaturam. Non debet verò religio Chriſtiana habere certitudinem Mathematicam, ſed fidei, quæ non ſenſibili demonſtratione, ſed ſupernaturali revelatione nititur: Tam certa autem eſt perſuaſio hæc fidei, tamque firma, licet alio ſubnixa principio quam demonſtrationis Mathematicæ, ut plures mortem oppetant ex ea & propter illam, idque alacriter & intrepidè, quod nemo unquam eſſet facturus propter evidentiſſimam Euclidis demonſtrationem. Ut autem nihil deterit de certitudine objectiva religionis Chriſtianæ, ex Dei authoritate ac verbo pendente, quo nihil certius dari poteſt, quod fidem poſtulat ad illius certitudinem ſubjectivam, ita non deſinit eſſe certiſſima, eo quod *virtuti vitioque præmio ac pœnæ locum relinquat*; Quis enim ſanę mentis dixerit, propoſitionem aliquam eo minus certam, quod virtutis ſit Theologicæ eam admittere, & vitii eam rejicere?

Ac Lydius lapis] Id convenire religioni Chriſtianæ eſt falſiſſimum. Nec enim explorat hominum, *vel ad probitatem vel ad flagitium inclinationes*; cùm omnes ante eam admiſſam & fide ſuſceptam ſint naturâ filii iræ, inepti ad omne bonum, proclives ad omne malum; ſed potius ipſum diſcrimen inter probos & flagitioſos facit: Nam illi demum probi fiunt, quibus conceditur eam admittere; illi remanent flagitioſi, ac intendunt ſua crimina, qui perſeveranter & obſtinatè eam rejiciunt.

Quæ omnia concidere] Certitudo objectiva religionis Chriſtianæ per hæc non evertitur; licet enim illa non ſuſpendatur ex ſenſitiva perceptione, nam *ſi vides non eſt fides*, per id tamen non deſinit eſſe firmiſſima; ut pote cùm nitatur revelatione divinâ, quâ nihil verius, nihil certius dari poteſt: Fides quoque tam firmam inducit πληροφορίαν & perſuaſionem rerum creditarum, ut ipſam ſenſitivam perceptionem & ſcientificam ſive Mathematicam demonſtrationem, etiam ſuperet, ut modò dictum. Confer Joh: xx,29. & 1 Joh:1, 1. Aliud autem eſt non poſſe nec debere fidei Chriſtianæ myſteria, ita evidentia eſſe omnibus, ut nemo de illis queat dubitare, quod ultrò largimur; cùm etiam homo animalis nihil aliud poſſit, ſibi relictus, quam de illis dubitare & ea rejicere; aliud verò nunquam poſſe illa tam firmiter perſuaderi, iis quorum corda Deus aperit quò credant Euangelio, participes ad id Spiritus ſapientiæ & revelationis Eph:1.17. quin de illis adhuc dubitare non poſſint: quod omninò negamus: cùm lumen fidei ita ſit efficax ad redigendum in captivitatem omnem cogitationem ut obediatur Chriſto 2 Cor: x, 5. omnemque noſtram rebellionem & contumaciam edomandam, ut nemo illius particeps, queat amplius vel contra ſtimulum calcitrare, vel ita eſſe *adverſus veritatem contumax*, ut illam rejicere aut falſi inſimulare velit. *Non enim poſſumus quicquam adverſus veritatem, ſed pro veritate*, 2 Cor: xiii, 8.

Neque enim fieri poteſt] Si aliter fieri non poteſt, quod largimur, admittenda ergo irreſiſtibilis & infallibilis operatio Spiritus Sancti in Electorum converſione, cùm per illuminationem efficacem gratiæ, vitæ futuræ beatitatem habeant exploratam, ut liquet ex 1 Cor: ii, 9. 12. Tum hinc patet poſſe voluntatem hominis per lumen gratiæ in intellectu, ſic determinari ad bonum, ut nequeat illud alacriter non ſectari, citra læſionem intrinſecæ ſuæ Libertatis; cui per conſequens, non quælibet neceſſitas, ſed ſolum coactio & violentia reluctatur. Hæc autem duo capita Volkelii Pelagianiſmum alibi ab ipſo aſſertum, manifeſtè evertunt.

Quid quod omnis huic] Modò dixi falſum hîc ſupponi à Volkelio. Nec enim illi obediunt Euangelio, qui antecedenter ad ejus præconium ſunt cœteris meliores,

& magis

Digitized by Google

& magis *ad virtutis ſtudium* propenſi, ſed illi demum quos cæterà æquè perditos ac alios Deus hoc ipſo præconio, à poteſtate tenebrarum in regnum lucis, & à vitiorum imperio ad virtutis ſtudium & ſtadium deducere decrevit. Quod autem Volkelius inſuper ſtatuit prædicationem Euangelicam niti tantum *argumentis veroſimillimis* & rationibus duntaxat probabilibus, nimium labefactat illius certitudinem; cujus reſpectu πληροφορία fidei, omnem Mathematicam ſcientiam & demonſtrationem firmitate ſuperat.

Sic enim fit, ut ſummus] Miſericordia quam Deus exerit erga peccatores eos convertendo, non eſt præmium virtutis antecedentis, quæ nulla in ipſis erat; ſed cauſa pietatis conſequentis: Gratia vocationis, non invenit homines bonos, ſed facit: In iis verò quibus Euangelium eſt odor mortis ad mortem, Deus ſuam exercet juſtitiam, negando illis gratiam intrinſecam converſionis, quæ nemini peccatori debita eſt, & ſic permittendo, ut extrinſecæ prædicationi ultrò ac proterviter reluctentur, cùm ſe ad illam habeant ut veſpertiliones ad Solem. Quod efficaciter vocet indignos, miſericordiæ eſt indebitæ; quod alios pariliter indignos prætereat, debitæ eſt ſeveritatis & juſtitiæ: Illi gratiam referunt, quam non erant meriti, ne glorientur quod ſeipſos ab aliis diſcreuerint, contra Pauli aſſertum 1 Cor. IV, 7. Hi vero pœnam conſequuntur quam erant commeriti, & privantur beneficio, quo omninò indigni erant, quodque nullo modo ipſis debebatur.

Quanquam autem ad religionis Chriſtianæ veritatem ſatis eſt, novam ſcripturam certam, firmam, omniumque aſſenſu digniſſimam eſſe: tamen ne ullus locus adverſario noſtro cavillandi relinquatur, placet hoc in loco Veteris quoque ſcripturæ autoritatem ante omnium oculos conſtituere. Quæ quidem res non tantam habere videtur difficultatem, quanta hactenus in novæ ſcripturæ confirmatione ſubeunda nobis fuit. Ut igitur hanc rem paucis perſtringamus, duo potiſſimùm de Veteris Teſtamenti autoritate nobis perſuadere debent, quorum alterum certiſſimo utriuſque ſcripturæ, novæ & veteris vinculo; alterum verò Judaicæ religionis circumſtantiis continetur.

‡ *Quanquam autem ad*] Nova Scriptura in Veteri fuit velata, Vetus in Nova revelata: nec illa hac nutante quicquam poteſt habere certitudinis vel firmitatis, & ordo poſtulat ut Novum Teſtamentum ex Veteri probetur & confirmetur; quod dum nolunt bonâ fide admittere Sociniani, in eo paria faciunt cum Marcionitis & Manichæis, & ſe demonſtrant, quamvis occcultiùs illis, Adverſarios Legis & Prophetarum.

Primò enim in confeſſo eſt, novam ſcripturam ex vetere ita aptam tantaque neceſſitate cum illa nexam eſſe, ut ex illius veritate perſpecta, hujus certitudo ſponte ſua emergat. Novum enim teſtamentum de vetere teſtari, & divinitus ea, quæ vetere illo codice continentur, edita pronunciare, palàm eſt. Qua de cauſa & horum auctores frequentiſſimè ea ſe docere memoriaque prodere affirmant, quæ antea Prophetæ ſummâ diligentiâ perveſtigârant, divina colluſtratione præſenſerant, & ſanctiſſimi ſpiritus impulſu prædixerant. 379.

Deinde

Digitized by Google

Deinde quòd attinet ad ea, quæ diſciplinam Judaicam perpetuò comitantur; videmus ſanè, populum Judaicum religionis adeò eſſe retinentem, ut neque onerum legalium gravitate, nec aliarum diſciplinarum facilitate, nec innumeris inſectationibus, quibus perpetuò propoſitus eſt, nec denique teterrimæ mortis acerbitate ab inſtituto dimoveri poſſit. Hinc effectum eſt, ut multæ aliæ religiones, quamvis his moleſtiis vacarent, ad nihilum venerint, hæc verò ad noſtra uſque ſecula duraverit. Cujus quidem rei nulla alia cauſa reperiri poteſt, niſi quòd illæ infirmis admodum argumentis fuerint nixæ: hæc altiſſimis manifeſtarum confirmationum radicibus defixa, firmiſſimiſque promulgationis ſuæ principiis fundata, labefactari nullo modo potuerit. Hæc tamen non perinde à me dicuntur, quaſi & hac tempeſtate Judaicam religionem eam eſſe exiſtimem, quam omnes amplecti debeant. Ut enim à divino numine eam profectam eſſe non dubitem: tamen ipſa ſeſe multis in locis Meſſiæ adventu, novique Fœderis pactione terminandam fuiſſe, manifeſtò indicat; adeò ut non exigua mentis cæcitate Judæos laborare neceſſe ſit, qui cum in illa verſatiſſimi eſſe debeant, tamen rem tam claram, tamque oculis omnium ſubjectam, non vident. Eo autem conſilio hæc de Judaica religione à me diſputantur, ut veteris teſtamenti ſcriptis, quibus illa continetur, pleniſſimam fidem tribuendam eſſe demonſtrem.

Reperiuntur tamen nonnulli, quibus quinque Moſis volumina, non uſquequaque vera eſſe videntur, propterea quòd multa literis conſignare auſus fuerit Moſes, quæ antequam ipſe in lucem prodiret, eveniſſe neceſſe eſt. Sed vel concedunt iſti, Moſi fidem adhibendam eſſe in iis rebus, quæ inſpectantibus non tantùm compluribus hominibus, ſed integris etiam nationibus, ſuo potiſſimùm miniſterio geſta narrat, vel non concedunt. Si non concedunt; cur non omnia eodem modo rejiciunt? cur ea tantùm commemorant, quæ multis retrò ſeculis facta narrat, quaſi in cæteris ei fides adhiberi poſſit: ut ſanè jure poteſt ac debet; niſi dicere velimus, illum tunc contra teſtatiſſimam apud complures gentes veritatem, impudentiſſimè mentitum fuiſſe, & eos ipſos, qui optimè norant, num res ita ſe haberet nec ne, h. e. Iſraëlitas ſua ætate viventes, quos oculis ſuis plæraque eorum, quæ facta ſcribit, contemplatos aſſerit, decipere voluiſſe. Quòd ſi concedunt, ei in iſtiuſmodi rebus fidem eſſe adhibendam; neceſſe eſt, ut cætera omnia admittant, quæ ab illo
380. ſcribuntur, licèt multis ante ipſum ſeculis facta. Narrat enim ea ſibi contigiſſe, eaque ſuo miniſterio divina ope fuiſſe peracta, quæ apertiſſimè demonſtrant, eum in ſumma fuiſſe apud Deum gratia, diviniſſimumque prophetam extitiſſe, ita ut neceſſe ſit, veriſſima eſſe omnia illa, quæ tam conſtanter aſſerit. Nam in virum tam divinum, tam charum Deo, nec ignorantia iſtarum, nec turpiſſimum mendacium cadit. Reliquum igitur eſt, Moſi in omnibus, quæ ſcribit, pleniſſi-

Digitized by Google

pleniſſimam fidem adhibendam eſſe. Non deſunt autem, qui multos veterum monumentorum locos corruptos atque adulteratos eſſe affirment. Sed hoc ipſum non ita eſt in promptu, quin evidentiſſima egeat probatione; quam ſanè unde iſti ſint petituri, diſpicere neutiquam poſſum. Huc accedit, quòd ſi maximè corruptos eſſe conſtaret; nihil tamen id haberet virium, ad omnem illis autoritatem fidemque derogandam. Aut enim caſu fortuitoque eam depravationem contigiſſe volumus, aut voluntario ſceleratorum hominum facinore. Si illud verum eſt, nihil certè ponderis habere poteſt, ad univerſam veterem ſcripturam falſitatis arguendam; cum ejuſmodi depravatio nonniſi in rebus vel nullius, vel exigui momenti evenire ſoleat. Si verò altero modo aliqua incidit corruptio, profectò nonniſi ad juratos Chriſtiani nominis hoſtes Judæos ea referri poteſt, penes quos perpetuò voluminum iſtorum cuſtodia fuit. Minimè autem veriſimile eſt, illos alios locos adulterare cogitaſſe, quàm quos Chriſto in crucem ſublato, vitæ reſtituto, inque ampliſſimo æternæ dignitatis gradu collocato, ſuffragari viderunt. Verùm cum, ut diximus, veterum ſcriptorum veritas ex Novi teſtamenti certitudine potiſſimùm appareat, nihilque magni momenti illis comprehendatur, quod in hoc quoque ſcriptum non legatur, præſertim quod ad ipſum Chriſtum pertineat; conſequens eſt, illorum locorum depravationes nequaquam impedire poſſe, quominus omnia, quæ de Jeſu Chriſto, perque ipſum parta ſalute ſcitu ſunt neceſſaria, animo complectamur; multò autem minùs efficere, ut in cæteris quoque rebus fides ſacræ Veteris Fœderis ſcripturæ abrogetur. Hîc verò dices, religionem Chriſtianam ueteris ſcripturæ teſtimoniis niti, quæ niſi fuerint ab omni depravatione puriſſima, Chriſti diſciplinam apud nos ratam firmamque eſſe non poſſe. Reſpondemus autem, non ita noſtram religionem in veteris ſcripturæ teſtimoniis innixam eſſe, ut eorum depravatio ruinam & interitum ipſi afferat. Jam enim ſatis ſuperque demonſtratum eſt, Domini Jeſu diſciplinam, nulla etiam veteris ſcripturæ ratione habita, ſatis firmis aliarum rationum præſidiis ſeptam atque munitam eſſe, eoque rem deveniſſe, ut po- 381.
tiùs ex hujus noſtrę veritate illius certitudo, ſecundùm ſeculi hujus rationem, ſit ponderanda, & propter corruptionis ſuſpicionem nihil amplectendum, quod cum novi Teſtamenti doctrina per omnia non congruat. Hæc autem omnia non perinde à nobis diſputantur, quaſi Deum vigilantiſſimum animarum noſtrarum cuſtodem, ſaluti noſtræ ita indormiviſſe putemus, ut iſtos locos corrumpi permiſerit, deque fide ſua, ut pręſtanda, ita etiam omnibus ſeculis demonſtranda, tam parum laboraverit: cum potiùs nihil illi unquam antiquius fuerit, quàm ut ſummam ſuam in hominum genus benignitatem, inque ſervandis promiſſis conſtantiam omnibus teſtatam relinqueret: quarum utraque, ſed inprimis poſterior, vehementer obſcurata & tenebris involuta fuiſſet, ſi

Digitized by Google

ſua de Chriſto promiſſa corrumpi ac depravari permiſiſſet. Huc accedit, quòd qui Chriſto ſunt dediti, omnia veteris Teſtamenti teſtimonia de ſempiterna felicitate, per Chriſtum crucifixum humano generi tribuenda, & intelligunt probè, & reipſa confirmata eſſe, exploratiſſimum habent; tantum abeſt, ut ulla eorum facta ſit depravatio.

‡ *Verum, cum, ut diximus*] Imò cum loca quæ à Scriptoribus N. T. citantur ex Veteri, ad Euangelicæ doctrinæ confirmationem & comprobationem, integra & illibata ſuperſint, hinc potiùs liquet Judæos non poſſe ullo modo argui inſtitutæ ullius depravationis in Codice ſacro, ex odio Chriſti & religionis Chriſtianæ.

Reſpondemus autem] At hæc reſponſio eſt omninò abſurda: Nam labaſcente authoritate & fide Veteris Teſtamenti, ex quo Chriſtus & Apoſtoli ſua conſtanter depromſerunt & comprobarunt, Scriptura Novi ſtare non poteſt: Quin, abſit dicto blaſphemia, pro impoſtoribus eſſent habendi, nobis commendando Moſem & Prophetas tanquam ſcriptores θεοπνεύστους, & eorum ſcripta, tanquam Dei verbum, ſi hoc elogium illis non conveniret. Quod ſi *corruptionis ſuſpicio* poſſet cadere in Vetus Teſtamentum, non videmus quî Novum ab illa quiret penitùs liberari. Sed benè eſt quod Volkelius, etiam argumento deſumpto ex Dei Providentia & Vigilantia, cui poteſt addi magna ad ſuperſtitionem uſque ſedulitas Judæorum in ſacro hoc depoſito conſervando, unde Auguſtino in *Pſal:* 56. *librarii noſtri* dicuntur, integritatem & perfectionem librorum Veteris Teſtamenti ita propugnat, ut hac ratione eorum depravationem nolit vel ſupponere vel admittere.

Hinc verò callidus iſte veterator arrepta occaſione, ad Novum Teſtamentum falſitatis damnandum regredietur, & ex eo illius vanitatem conſtare inquiet, quòd qui illud literis conſignarunt, ii multa ex vetere ſcriptura adducunt teſtimonia, quæ vel in ea non habeantur, vel ad rem quam illis comprobare conſtituerunt, nihil quicquam pertineant. Ad illud igitur, quod priore loco objicitur, duplici modo reſpondemus. Primò enim intelligendum eſt, multos veteris ſcripturæ libros periiſſe; & porrò quæ in Novo Teſtamento ita adducuntur, ut, ex quo veteris Teſtamenti loco depromantur, minimè appareat, ea illis ſcriptis olim comprehendi potuiſſe, quæ intercidiſſe modò diximus. Non haberi autem veteris inſtrumenti ſcripta, inter alia inde conſtat, quòd 1 Paral. 29. 29. commemoratur liber Nathanis Prophetæ, & volumen Gad videntis. & 2 Paral: 9. 29. ejuſdem Nathanis & Abiæ Silonitis, & Addonis videntis librorum fit mentio, quos tamen minimè extare palàm eſt.

‡ *Primò enim intelligendum*] Hæc perperam dicuntur; Nam primò nullus locus citatur in Novo Teſtamento tanquam deſumptus ex Veteri, cujus ſedes non poſſit commodè aſſignari. Tum abſurdè Chriſtus & Apoſtoli citaſſent teſtimonia ex libris quæ jam ſuo tempore intercidiſſent, cùm nemo potuiſſet expendere bene-ne an ſecus producerentur: quod tamen & fieri juſſit Chriſtus Joh: v, 39. & factum legitur à Beroenſibus Act: XVII, 11. Ullos verò libros V. T. periiſſe poſt

Digitized by Google

Chriſti & Apoſtolorum tempora dici nequit, quin Eccleſiæ Chriſtianæ nota inuratur vitioſæ ſupinitatis, quod Theſauri iſtius fidei ſuæ commiſſi proculdubio ab Apoſtolis, portionem aliquam intercidere paſſa fuerit. Quid quod idem Canon & numerus librorum ſacrorum V. T. qui tempore Chriſti & Apoſtolorum obtinebat, uti à Joſepho recenſetur *lib.1. contra Apion.* & Euſebio ex ipſo *lib. 3. Hiſt. Eccl: cap.* 10. perſeverat integer in hunc uſque diem apud Judæos & Chriſtianos? Adhæc, aliquem librum Canonicum Veteris Teſtamenti periiſſe, gratis aſſumitur; cùm hoc repugnet illi Dei vigilantiſſimæ providentiæ, ex qua modò argumentabatur Volkelius; & ſi qui libri commemorati in Sacro textu perierunt, eo ipſo conſtare debet eos ad Canonem nunquam pertinuiſſe: *Qui cecidit ſtabili non erat ille gradu.* Nam quæ Canonica ſunt, ſcripta fuerunt ad perpetuam Eccleſiæ Inſtitutionem, & in jugem ac indeclinabilem normam morum & fidei: fruſtra autem ad id ſcripta fuiſſent, contra quam Sapientiæ divinæ convenit, ſi edaci dente temporis atteri & conſumi potuiſſent; nec poſtea habuiſſet Eccleſia in reliquis integram regulam credendorum & faciendorum, ſed tantum partem illius; quod ei Scripturarum *plenitudini*, quam olim venerabatur Tertullianus evidenter repugnat.

Non haberi autem] Primò non ſtatim Canonicus eſt aut θεόπνευςος liber aliquis, eo quod nominetur & commemoretur in Scripturis Sacris: Imò nec quæcunque ab hominibus aliàs Prophetis ſcripta ſunt, ſcriptis Propheticis & divinitùs inſpiratis ad perpetuam Eccleſiæ inſtitutionem, debent annumerari. Vidit & dixit iſtud ante nos Auguſtinus *lib. 18. de Civit. Dei cap. 38. In ipſa regum Judæ & Iſraël hiſtoria, quæ res geſtas continet de quibus eidem Canonicæ Scripturæ credimus, commemorantur plurima quæ ibi non explicantur, & in libris aliis inveniri dicuntur quos Prophetæ ſcripſerunt, & alicubi quoque eorum Prophetarum nomina non tacentur; nec tamen inveniuntur in Canone quem populus Dei recepit. Cujus rei fateor cauſa me latet, niſi quod ego exiſtimo, etiam ipſos quibus ea quæ in autoritate religionis eſſe deberent, Sanctus utique Spiritus revelabat, alia ſicut homines hiſtoricâ diligentiâ, alia ſicut Prophetas inſpiratione divinâ ſcribere potuiſſe; atque hæc ipſa fuiſſe diſtincta, ut illa tanquam ipſis, iſta verò tanquam Deo per ipſos loquenti judicarentur eſſe tribuenda; ac ſic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis hæc ad religionis authoritatem, in qua authoritate cuſtoditur Canon.* Deinde cùm 1 Chron: XXIX, 29. dicantur Nathan & Gad deſcripſiſſe res Davidis priores & poſteriores, nihil eſt cur his duobus non tribuamus partem libri primi Samuelis, à cap. 25. ad finem, & totum librum ſecundum, quibus hiſtoria Davidis fusè continetur. Ita ſentiunt Paulus Burgenſis *addit. 2. ad cap.* 29. 1. *Paral.* & Genebrardus *Chronol. lib.* 1. *pag. mihi* 48. qui citat in eam ſententiam Hebræorum *Baba Batra cap.* 1. & *R. Moſem Kimchi.* Qui pari ratione ſtatuerit libros duos Regum partim à Nathane, partim ab Achia Silonita & Iddone vidente, ex 2 Chron: IX, 29. partim etiam ab Eſaia & Jeremia, fuiſſe conſcriptos, haud ita à vero aberrare deprehendetur. Saltem tam facile potero aſſerere commentarios Nathanis, Gadi, Ahiæ & Addonis, citatos Eſdræ in Chronicis, ſupereſſe in illis quos dixi libris Samuelis & Regum, cum horum Authores alios Volkelius nequeat nominare, quàm ipſe aſſerit audacter eos intercidiſſe.

Secundò conſtat, novi Teſtamenti ſcriptores plerumque Græcam Septuaginta interpretum editionem ſecutos fuiſſe. Nam & Græcè ipſi ſcribebant, & interpretatio illa plurimum apud Hebræos, de quibus & Apoſtoli erant, au-

Digitized by Google

toritatis habebat. Adde, quòd ſcriptiones ſuas illorum hominum, inter quos tunc vitam agebant, captui accommodare volentes, nequaquam literis ſyllabiſque ita adhæreſcebant, ut ne tranſverſum quidem unguem ab illis ſibi recedendum exiſtimarent, dummodò à verborum ſententia minimè deflecterent.

382.

‡ *Plurimum apud Hebræos*] Non omnes utique, ſed potiſſimum ἑλληνιςάς, ſive ἑλληνίζοντας: cum è contrario alii eam valde improbarent, adeo ut ſolemne jejunium & angariam inſtituerint octavo menſis Tebeth, qui noſtro Decembri ex parte reſpondet, quod ut habet Kalendarium Judæorum, *illâ die Lex in Græcum verſa ſit tempore Ptolomæi regis, & tenebræ occuparint mundum triduo.* Fabulantur enim triduanas tenebras ob hanc verſionem adornatam, toti orbi incubuiſſe.

Ad alterum reſpondemus: primùm nonnulla Vet. Fœderis dicta citari in Novo, non quòd divinus ſpiritus in iis primùm proferendis, ad eas res reſpexerit, ad quas in novo fœdere accommodantur: ſed quód ad eas propter ſimilitudinem ac convenientiam quandam jurè accommodari queant: quo pacto viri quique doctiſſimi multa ſæpè ex Poëtis aut Hiſtoricis dicta citant, & ad inſtitutum ſuum accommodant, licèt primi illorum dictorum autores de iſtis rebus, ad quas ea poſtmodum traducuntur, ne cogitârint quidem. Huc pertinere videntur inter alia hi loci Matth: 15. 7. & ſeq. cap. 21. 16. Rom: 2. 24. c. 3. 4. c. 9. 20.

‡ *Non quod divinus Spiritus*] Ut nolimus inficiari interdum Scriptores Novi Teſtamenti imitari phraſim Veteris, eamque ſuo fini accommodare, tamen mera alluſio vel accommodatio cenſeri non debet, ut vellent adverſarii, cum ex profeſſo hæc vel illa de hoc aut illo ſubjecto dicta fuiſſe aſſeruntur, ut nominatim Heb: 1, 5. 6. 8. 9. 10. ubi necquicquam volunt Sociniani recurrere ad alluſionem vel accommodationem meram, quo eludant expreſſa & evidentiſſima argumenta pro æterna Divinitate Chriſti. Imò nec loca quæ hìc in exemplum talis accommodationis proferuntur, eò debent temerè pertrahi, quaſi Chriſtus & Apoſtoli in rem ſuam citarint quædam Veterum Scripturarum dicta, quæ revera nihil ad illam fecerint: quod non tam fuiſſet alludere ad phraſim Veterem eamque imitari, quam Auditoribus & Lectoribus ſuis turpiter illudere: maximè ubi authoritate divinâ ſuâ tueri, vel Adverſarios convincere volunt, nec tantū ſtudent ornatui aut rhetoricæ amplificationi, *quo pacto viri quique doctiſſimi multa ſæpè ex Poëtis aut Hiſtoricis dicta citant & ad inſtitutum ſuum accommodant, licet primi illorum dictorum authores, de iſtis rebus, ad quas ea poſtmodum traducuntur, ne cogitârint quidem.* Matth: xv, 7. & ſeq. appoſitè & directè ad rem ſuam, profertur à Chriſto cenſura Prophetæ Eſaiæ xxix, 13. adverſus hypocritas, Deum volentes colere ex præceptis humanis, cùm utriuſque criminis rei eſſent illi in quos hoc fulmen vibratur à Domino. Ecquid aliàs quæſo conſequeremur utilitatis ex Sacra Scriptura, niſi correptiones, adhortationes, comminationes, promiſſiones, conſolationes, à Prophetis propoſitæ hominibus ſui ævi, etiam directè & propriè poſſent

Digitized by Google

poſſent in caſu & cauſa ſimili ad alios ſpectare? Videatur locus Rom:xv,4. Quamvis igitur de illis nominatim perſonis, quas tunc compellabat Chriſtus, non loquutus fuerit Propheta, tamen ſatis erat ad ſolidam Chriſti argumentationem ex illo quod loquutus fuerit de earum vitiis. Ne dicam quod ſint interpretes Eruditi, qui hoc Eſaiæ effatum, etiam directè de temporibus Chriſti ſtatuant intelligendum. Sanè Hugo Grotius, bonus aliàs Socinianorum amicus, ita loquitur *ad Matt: 15. Verba quidem Eſaiæ primò videntur ſpectare ea tempora quæ Babylonicam obſidionem anteceſſerunt; ſed ita ut non minus, imò etiam magis, quadrent Chriſti temporibus, quod manifeſto conſtabit ſi inſpiciatur tota περικοπή. Dicit enim Deus effecturum ſe ut Iudæi, præſertim verò Hieroſolymitæ, ſacra Prophetarum effata legentes, non intelligant, idque in pœnam corruptæ religionis, quam à vera pietate ac dilectione, ad inanes ritus traduxiſſent. Itaquè futurum ut ipſi Magiſtri qui omnium ſapientiſſimi habebantur, in fœdos errores incidant. Ecquid potuit in iſtos homines aptius dici? Sciendum eſt, quod ſæpè notatum eſt, poſſe unum idemque vaticinium plus ſemel impleri: ita ut huic & illi tempori conveniat, non ſolo eventu ſed divina etiam verborum directione.* Sic Matt:xxi,16. quod in genere dixerat David Pſal:viii,3. de infantibus & parvulis gloriæ Dei deprædicandæ inſervientibus, à Domino applicatur in ſpecie ad eos pueros, quos Sacerdotes & Scribæ ægrè ferebant ipſi Hoſanna accinere; quod ſanè non pertinet ad qualemcunque accommodationem, ſed ad argumentationem ſolidam & firmiſſimam. Idem ſtatuendum de loco Rom:ii,24. qui ſi conferatur cum Ezech: xxxvi, 22.23. facile erit obſervare, quam directè faciat Propheta ad mentem Apoſtoli, quod malim exprimere verbis Junii quam meis: Is ergò ſic loquitur *Parall. lib. 2. par. 2. Loquutus eſt Ezechiel de regno Chriſti in plenitudine temporum adventuro, de Iudæorum impietate nomen Dei glorioſiſſimum profanantium indigniſſimè, & de ſcandalo ſeu offenſione Gentium. Quæ duo illis temporibus quibus advenit Chriſtus, tam apud Iudæos abundarunt quam quæ maximè. Erant autem Iudæi proculdubio hanc ſuam impietatem negaturi, quamvis apud Gentes omnes exploratiſſimam: Optimè igitur hoc loco Paulus confirmat ab authoritate Scripturæ inſtitutam reprehenſionem illorum; ut Romanos & credentes omnes ex Gentibus de veritate argumenti ſui confirmaret.* Sic etiam Rom:iii,4. Apoſtolus probaturus, Deum manere fidelem & veracem, etſi homines ſint infidi & mendaces, profert locum ex Pſal: li,6. ubi David agnoſcit veritatem & rectitudinem Dei, in iis quæ de ſe & contra ſe per Nathanem pronunciaverat; ut licet vellet mentiendo inficiari ſuum crimen, tamen fruſtrà foret, cùm reus eſſet peractus à Domino. Rom: ix,20. nulla extat Scripturæ vel Prophetarum diſerta citatio: attamen loca duo ad quæ videtur reſpicere Apoſtolus Eſ:xlv,9 Jerem:xviii, 6. per ſe & directè faciunt ad mentem illius; ſiquidem ex ſummo jure Dei in Creaturas, quod uterque Propheta aſſerit, oſtendit nefas eſſe hominibus peccatoribus obloqui voluntati divinæ, juxta quam ex eadem maſſa corrupta & peccatrice, fiunt alii vaſa ad decus, alii ad dedecus.

Deinde animadvertendum eſt, multa veteris ſcripturæ pronunciata duplicem ſenſum continere; nempè literalem ſeu hiſtoricum, quem vocant, & myſticum; & ideo, licet multa in ſenſum priorem accepta, parùm ad id, quod ab Euangeliſtis Apoſtoliſque tractandum ſuſcipitur, ſint accomodata: tamen ſi in ſenſum myſticum reſpicias, rei, quæ explicatur, aptiſſima eſſe comperies.

Digitized by Google

quale eſt illud, (*Matt: 2.15.*) *Ex Ægypto vocavi filium meum*, ab Euangeliſta tum adductum, cùm Chriſtum in Ægyptum migraſſe doceret; quamvis verbis illis primo ſenſu populi Iſraëlitici ex Ægypto liberatio ſignificetur. Huic ſimile & illud eſt: (*Matt: 2.18. Ierem: 31.15.*) *Vox audita eſt in Rhama; ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Ubi ſi primum ſenſum ſpectes, multorum Hieroſolymitanorum excidium deſcribitur. Urbem enim Hieroſolymam tribui Benjamin, ex Rachele ortum habenti, aſſignatam fuiſſe nemo ignorat. Matthæus autem per quandam dicendi figuram, verba iſta ad infantes Bethlehemæ interfectos accommodavit, vel quòd in Bethlehemico agro Rachel Jacobi uxor olim ſepulta ſit; vel potiùs, quòd id oppidum tribui Beniamiticæ vicinum fuit, nec dubium, quin Rachelis etiam poſteri in locis ei oppido vicinis occiſi fuerint ab Herode, præſertim cum tribus Judæ & Benjamin tum temporis ferè permiſtæ eſſent.

‡ *Deinde animadvertendum*] Nolumus hîc excurrere in controverſiam de ſenſu Scripturæ, ſit-ne unus, vel multiplex: Commodiùs forte loquuntur, qui unicum agnoſcunt, quem Grammaticum appellant, eumque vel ſimplicem, quibuſcunque terminis ſive propriis, ſivè figuratis exprimatur, vel compoſitum, ſive typicum, qui & typo & prototypo ex directa Spiritus Sancti intentione, huic tamen ſæpè ſublimiùs quam illi, convenit. Sed de eo quicquid ſit, faciles admittimus Volkelii diſtributionem ſenſus Scripturæ, *in literalem ſeu hiſtoricum quem vocant & myſticum*, modò hunc agnoſcat in typicis intendi à Spiritu Sancto, adeoque fas eſſe ex illo argumentari. Ita quod hiſtoricè completum fuerat in Iſraële ex Ægypto educendo Oſeæ XI, 1. myſticè ſpectabat revocationem Chriſti ceu Dei primogeniti & Iſraëlitarum capitis ex Ægypto, ad opus Redemptionis noſtræ peragendum Matth: II, 15. Quantum ad locum Jerem: XXXI, 15. citatum Matth: II, 18. non video cur debeamus recurrere ad ſenſum myſticum: Nam minus propriè hoc referretur ad *multorum Hieroſolymitanorum excidium*, cùm Hieroſolymis non magis Benjaminis & Rachelis poſteri habitarent, quam alii Iſraëlitæ, maximè Judæi, & ſi credamus Cunæo rerum Judaicarum non indiligenti ruſpatori *lib. 1. de Rep. Heb. cap. 7. hæc urbs nulli tribui aſſignata ſorte erat, ſed communis omnium fuit; quamobrem teneri illam eâ lege negant Thalmudici, quæ vitulæ mactatione expiari cædem juſſerat, quæ clam patrata in tribuum finibus eſſet.* Et cum Rama eſſet tribus Benjamiticę prope Betlehemum Jud. XIX, 9.13. ac juxta Betlehemum quę priùs Ephratha dicebatur Rachel fuerit ſepulta Gen: XXXV, 19. agatque Jeremias eo capite, ut tota ſeries oſtendit de Chriſto naſcituro & novum gratiæ fœdus nobiſcum ituro, longè præſtat illud vaticinium directè referre, ut factum à Matthæo, ad infanticidium Bethlehemiticum: quod cædis illius rumor & planctus ſtatim Ramam ſit perlatus, & illîc condolitum ſic vicinorum calamitati; imo facile potuerit ſævitia ſatellitum Herodis in ipſum Ramæ territorium, quod erat Betlehemitico conjunctum, extendi, ut etiam illius incolæ aliquid mali propter malum vicinum pati debuerint. Nec obſtat quod Bethlehemitæ erant ex tribu Juda quorum adeo clades ad Rachelem minus ſpectarit, cùm fuerit duntaxat mater Benjaminis & Joſephi. Nam Rachelis fit mentio maximè quia ſepulchrum ipſius erat prope Bethlehemum, quorum adeo pueros, ceu ſuos maternâ quadam teneritudine

Digitized by Google

tudine per proſopopœam complecti videbatur: ne dicam amarum admodum fuiſſe hunc planctum, qualis convenit matribus quæ ingenti prolis ſuæ deſiderio tenentur, ut de Rachele narrat ſacra Hiſtoria. Quin ipſi Judæi palparunt hunc ejulatum propriè Bethlehemum ejuſque viciniam ſpectaſſe, cùm finxerunt clamorem ingentem & triſtem ejulatum auditum fuiſſe ex ſepulchro Rachelis, quando per eam viam Nabuzardan captivos Judæorum Babylonem abduceret: quod tanquam fabuloſum meritò rejicit Lyranus *ad Ierem:* 31.

Fit autem non ſemel, ut quæ in Vetere teſtamento figuratè dicta erant, ea verè proprieque in Novo Teſtamento accipienda ſint: veluti illud eſt, quòd Davidi Deus, ſe gentes terminoſque terræ ſubacturum, inque poſſeſſionem addicturum promiſerat. (*Pſal: 2. 8. Act: 13. 32.*) In Davidem enim iſtud propriè loquendo minimè quadrare palàm eſt: cum is terminos terræ nunquam poſſederit. ideoque ſi ad illud tempus, quo regnavit, reſpectus habeatur, nonniſi Palæſtinæ terræ, aut aliarum vicinarum regionum terminos intelligere eſt neceſſe. Ad Chriſtum verò propriè vereque hoc ſpectare, quis non videt? 383. Huc & illa ejuſdem Davidis verba ſpectant, quæ Petrus ad Chriſti reſurrectionem confirmandam in medium attulit: (*Pſal:16.10. Act:2.29. & c.13.35.36.*) *Non derelinques*, inquit, *animam meam in inferno*, *nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Vidiſſe autem Davidem corruptionem, & ipſum per ſe conſtat, & Petrus ab illius ſepulchro argumentum ducens, idem apertè demonſtrat: ut facilè appareat, verba illa de non videnda corruptione, figuratè, vel cum certa temporis limitatione, ad Davidem referri, quatenus nimirum violentam mortem ab hoſtibus ſibi intentatam effugit; propriè autem atque abſolutè ad Chriſtum, qui revera nullam corruptionem expertus eſt, utpote tertio poſt mortem die in vitam revocatus.

† *Fit autem non ſemel*] Præſtaret dixiſſe, ſæpè ea prædici de Chriſto, ſub aliquo typo conſiderato, quæ multo magis & longè clariùs ipſi, quam ſuo illi typo conveniant. Quamvis neuter locus hîc citatus faciat ad rem: Nam ſi velimus dicere quod res eſt, Pſalmus ſecundus non eſt de Davide, ſed Davidis de Meſſia, ut nulla ſit illius pericopa quæ ad Davidem pertineat. Pſalmo vero XVI, 10. introducitur à Davide ipſe Meſſias de ſua morte & reſurrectione loquens, (quod teſtantur Apoſtoli Act: II, 29. XIII, 35. 36.) ceu fiduciæ ſuæ columen & firmamentum: Tam perperam enim conveniat Davidi, ideo eum non ſenſiſſe corruptionem, nec in ſepulchrum deſcendiſſe, *quod violentam mortem ab hoſtibus ſibi intentatam effugerit*, (nam ſanè hoc pacto plures quotidie mortales idem poſſent dicere) quam illum ideo omnes gentes & fines terræ poſſediſſe, quia ejus imperio tota Palæſtina, Galliâ multo minor, paruerit.

In hoc numero eſt & illud Eſaiæ teſtimonium, quod Matthæus, ad miraculoſam Chriſti conceptionem nativitatemque comprobandam, hunc in modum producit: (*Matt:1.23. Eſa:7.14.*) *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit nomen*

Digitized by Google

nomen ejus Emmanuel. Quam quidem vaticinationem impropriè ad Eſaiæ uxorē, (*vid. Eſa:8.3.*) ex eaque ſuſceptum puerum referri, totius loci circumſtantiæ, & ea, quæ ſequenti capite paulò poſt initium leguntur, convincunt. Senſus igitur eſt: Eſaiæ uxorem, tunc virginem, ipſi fuiſſe deſponſatam, & poſtea ex eo concepiſſe ac peperiſſe; ita ut virgo dicatur, non quod virgo poſtea permanſerit, ſed quòd tunc, cùm iſtud pronunciaret Eſaias, virgo adhuc eſſet. Sed in Mariam ea verba omnino propriè, adeoque ſenſu longè perfectiore conveniunt, utpote quæ virgo permanens, nullâ viri operâ accedente, divini tantùm ſpiritus vi atq; efficaciâ Chriſtum concepit, & in lucem edidit. Et ſanè aliquid in illis verbis latuiſſe majus, quàm id eſſet, quod in Eſaiæ uxore contigit, ſatis ipſius Prophetæ verba indicant. Apertè enim id ſignū vocat quod Dominus ſit editurus. Atqui id, quod in Eſaię uxore contigit naturali prorſus ratione fieri potuit, nec quicquā præter ipſam prędictionem habuit inuſitati. neque enim omnino certò affirmari poterat, niſi ab eo, qui Propheta eſſet, eam & concepturam, nempe abſque mora, & maſculum in lucem edituram. Sed id ipſum tamen fuit perexiguum. At id, quod in Maria Chriſti matre contigit, verè divinum fuit ſignum atque miraculū. Ut taceam, eum, quem Propheti{ſſa} peperit, valdè impropriè, rationeque admodum imperfecta Immanuelem, quod ſignificat *Nobiſcum Deus*, appellatum fuiſſe, nempè quòd ſignum quoddam eſſet futurus divinæ præſentiæ & favoris, populo ad exiguum tempus exhibendi. At Chriſtus perfectiſſima ratione ita dicitur; utpote per quem Deus ſingulariſſima ratione, & quidem perpetuò, propitius nobis adeſt, nos juvat ac ſervat.

‡ *In hoc numero eſt &c*] Hæc eſt impia & Achriſtiana eximii iſtius vaticinii de partu virgineo depravatio, deſumpta ex Judęo Salomone Jarki, & quę ſi admittatur nullo conſtabit ex Scripturis argumento, Meſſiam ex matre Virgine concipiendum & naſciturum fuiſſe. Si enim hoc dictum ullo ſenſu & modo in uxore Eſaiæ completum fuiſſe conceſſeris Judæo, nunquam poteris ei demonſtrare ulteriùs ad Meſſiam & B Virginem matrem illius pertinuiſſe. Sed facile eſt oſtendere nullo modo id ad uxorem Prophetæ pertinuiſſe. Nam primò non eſt ex ſtylo Scripturæ aut linguæ Hebraicæ proprietate, ut alicujus uxor, העלמה *hagnalma* ideſt virgo, dicatur. Secundò ariolatur Volkelius *Eſaiæ uxorem tunc virginem, ipſi fuiſſe deſponſatam*: Hoc enim nuſquam dicit Scriptura. Tertiò Eſaias cùm hoc effudit vaticinium non ſponſus duntaxat erat, ſed maritus & pater, adeoque ejus uxor, virgo eſſe deſierat: Diſertè enim illi edicitur Eſ. v11,3. ut procedat obviam Achazo, cum puello ſuo Scehar-Jaſchub. Quartò proponitur nativitas Emanuelis ex virgine in ſignum domui Davidis trepidanti & nutanti, ut nonobſtante impetu Retzinis & Peckachi, fiduciam conciperet ſuæ conſervationis, ex promiſſione Meſſiæ ex ſe olim prodituri: cui uſui nihil inſerviſſet partus propinquus uxoris Prophetæ; Nec in conceptu & partu mulieris juvenculæ, aliquid ita mirum, ut ideo *in ſignum* à Domino datum proponi debuerit: Et cùm aliàs Eſaiæ ceu patri jus conveniſſet nominis imponendi ſuæ proli, hoc tribuitur à Propheta Virgini matri, quod ſine patre conceptura & paritura eſſet. Quintò filiorum Eſaiæ neuter eſt dictus

Digitized by Google

dictus Emmanuel, quod nomen ſoli Chriſto Servatori & θεανθρώπῳ convenit; ſed primogenitus Scehar-Jaſchub, alter verò quem poſtea genuit ex Propheriſſa Maher-ſcalal-chasbaſch, ut liquet ex Eſ: VIII, 8. Et illi ſunt duo de quibus dixit Propheta Eſ: VIII, 18. *Ecce ego & filii quos dediſti mihi.* Quid quod haud abſurdè creditum Veteribus tanti fuiſſe hoc vaticinium de partu virgineo, ut Satan curarit illud inſeri carminibus Sibyllæ Cumanæ, quò alioſum deflecteretur, ut factum à Virgilio, dicente *Ecloga* 4.

Iam redit & Virgo redeunt Saturnia regna
Iam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo naſcenti puero quo ferrea primum,
Deſinet ac toto ſurget gens aurea mundo,
Caſta fave, Lucina; tuus jam regnat Apollo &c.

Nec aliunde videtur factum, quod apud Orientales Mathematicos ſignum Virginis in Zodiaco, uti obſervatum eſt Gaffarello, *Curioſit. inaud. cap.* 1. *n.* 2. *&* 3. exprimeretur figurâ formoſiſſimę puellę, quæ paſſis capillis frumenti ſpicam videbatur porrigere puerulo quem geſtabat in ſinu; *Intentio eſt*, inquit Arabs Alboazar, vulgò, ſed fruſtra, Albumazar, quem Hermannus Dalmata Latio donavit, *quod B. Virgo habeat figuram & imaginem infra decem primos gradus Virginis, & quod nata fuit quando Sol eſt in Virgine; & ita habetur ſignatum in Kalendario: & quod nutriret Chriſtum Ieſum filium ſuum in terra Hebræorum.* Quin etiam Orientales iidem nulli alteri ſigno Zodiaci quam illi figurā impoſuêre humanam, ut teſtarentur ſe aliquid eximium de Virgine quapiam inaudiviſſe. Imò & cùm recentiores Judæorum Aſtrologi ſtudioſè caveant non ſolum à quibusvis humanis figuris tribuendis Zodiaco, ſed etiam ab humanis nominibus illius reſpectu, nam v. g. Sagittarium vocant arcum, Aquarium ſitulam, &c. attamen unicum hoc Virginis ſignum ſæpiſſimè exprimunt nomine humano: Nec enim illis tantum dicitur שבולת *Sciboleth*, id eſt *ſpica*, ſed etiam בתולה *Bethula*, id eſt *Virgo*. Denique omnes illæ rationes quas hîc adhibet Volkelius probaturus *aliquid in illis verbis latuiſſe majus quam id eſſet quod in uxore Eſaiæ* contigiſſe fingit, adverſus eum militant, & oſtendunt directè & propriè ac unicè hoc vaticinium Chriſti natalitia ſpectaſſe, cui ſoli etiam convenit hoc nomen Immanuel, in vero ſuo ſignificatu; non tantum reſpectu beneficii quod per illum conſequimur, & quod *per eum Deus ſingulariſſimâ ratione & quidem perpetuò propitius nobis adeſt, nos juvat & ſervat*, ſed primò & maximè reſpectu ſuæ perſonæ, quod ſit Dei λόγος qui caro factus eſt Joh: 1, 14. & *Deus manifeſtatus in carne*, ut loquitur Paulus 1 Tim: III, 16.

CAP. VI.

De Sacrarum literarum perſpicuitate.

Reſpondente ad hoc & duo ſequentia NICOLAO METELERCAMP, Benthemenſi.

VErùm cum Sathanas, ut diximus, ſerpens ſit, ideoque, quò vult, ſeſe flectat atque contorqueat, fit ut, ſi prima via, nimirum à divinis literis mentem noſtram abalienandi, minimè ſuccedat, aliam ingrediatur, nempe ut divinam ſcripturam, quamvis alioqui veriſſimam, tanta obſcuritate eſſe involutam oſtendat, ut niſi ad Eccleſiæ (de qua infrà ſuo loco *lib.* 6. nobis expli- 384.

Digitized by Google

candum erit) confugiamus interpretationes, intelligi nequaquam poſſit. Callidè enim Diabolus id nihilominus agit, ut à divinis vocibus ad hominum commenta fidem noſtram traducat, inanemque reddat. Nos igitur, ne in hanc illius fraudem incurramus, hoc loco veram hanc de re ſententiam exponemus, ac rationibus confirmabimus; & quæ contrà proferuntur argumenta, falſitatis convincemus. Ita ergo ſtatuimus, ſacram ſcripturam tum in iis, quæ ad ſalutem ſcitu ſunt unicuique neceſſaria, tum in iis, quæ ad eam ita ſunt utilia, ut ad neceſſaria proximè accedant, perſpicuam eſſe; adeò ut, ſi quis mentem tantùm advertere velit, & ſtudium illud adhibere, quod præſtare omnes, qui ad ſempiternam felicitatem adſpirant, & poſſunt, & debent, ea ignorare nequeat. quod idem de multis aliis, quæ in ſac: literis continentur, cenſemus. Rem verò ita, ut diximus, ſeſe habere, aliquot rationibus oſtendi poteſt. Prima eſt, quòd Deus ſacras literas in eum finem, & ab initio perſcribi voluerit, & poſtea per tot ſecula ſingulari ſua providentia conſervârit, ut homines ex iis voluntatem ipſius cognoſcerent, & quæ ſaluti ſuæ neceſſaria eſſent, perdiſcerent. Quare fieri non poteſt, ut eæ tanta ſint involutæ obſcuritate, ut quivis divinæ voluntatis cognoſcendæ cupidus, ſuæque ſalutis amans ac ſitiens, eas, quantum ſatis eſt, h. e. quantum ad fiduciam in Deo ac Chriſto collocandam, mandataque ejus obſervanda eſt neceſſe, intelligere non poſſit. Quòd ſi dicas, Deum, qui ſacras literas hominum generi propoſuerit, curâſſe etiam, ut perpetuò extaret vera Chriſti Eccleſia, à qua earum intelligentia peteretur; reſpondemus primùm, illud ipſum, quænam ſit vera Chriſti Eccleſia, non niſi ex ſacris literis diſci poſſe. Quare eas per ſe claras eſſe oportet, & intellectu faciles, etiam antequam de vera Chriſti Eccleſia conſtet, idque in omnibus rebus ad ſalutem neceſſariis. Non poteſt enim certò conſtare, quænam ſit vera Chriſti Eccleſia, antequam conſtet, quænam ſit ſalutaris Chriſti doctrina. Deinde ſi ita ſeſe res haberet, ſatius fuiſſet, nihil ſcriptum
385. extare aliud, quàm Eccleſiam in omnibus eſſe audiendam. Sic enim minus fuiſſet controverſiarũ, quæ nunc de ſenſu ſac: literarum exoriuntur, & numero propemodum infinitæ, & graviſſimæ, quæ omnibus ſeculis, ab ipſis Chriſtianæ religionis incunabulis, Eccleſiam exercuerunt, hodieque exercent. Denique, cum Deus in ipſorum hominum arbitrio poſitum eſſe voluerit, ut veritatem ſalutarem vel amplectantur ac profiteantur, & cœtum aliquem inter ſe conſtituant, qui Eccleſia dicitur, vel ſecùs; non eſt ratio illa, ſcripturæ ſenſus per Eccleſiam indagandi, perpetua; aliamque perpetuam extare neceſſe eſt, quâ quivis ſalutis æternæ cupidus uti poſſit.

‡ *Ita ergo ſtatuimus*] Id ſtatuendum primò de Scriptura in ſe; ſecundò reſpectu fidelium à Spiritu Dei illuminatorum; non abſolutè de omnibus, etiam iis qui non colluſtrati à Deo, deſcribuntur mentibus excœcati, *ne irradiet eos illuſtratio Euan-*

Digitized by Google

Euangelii gloriæ Chriſti 2 Cor: IV, 3. 4. Adde 2 Pet: III, 16. Quâ ſuppoſitâ diſtinctione admittimus primam rationem quâ utitur Volkelius, cùm agat de eo qui ſit *divinæ voluntatis cognoſcendæ cupidus ſuæque ſalutis amans ac ſitiens*, quod nemini contingit qui jam non ſit eo ipſo præditus Spiritu Sancto.

Deinde cum Deus in] Revera etiam neceſſe eſt dari perpetuam & indefectibilem Eccleſiam in mundo, contra quam portæ inferorum prævalere non poſſint; quia tunc fruſtra foret Sacra Scriptura, ſi nullius prodeſſet ſaluti: ii vero qui ad ſalutem ex Scriptura inſtituuntur, ubi-vis gentium ſint, ſive in aliorum ſenſus incurrant, ſive non, Chriſti Eccleſiam in terris conſtituunt, cùm illius ſint oves quæ ejus vocem audiunt & ſequuntur. Nec ſimpliciter verum eſt quod *Deus in ipſorum hominum arbitrio poſitum eſſe voluerit, ut veritatem ſalutarem vel amplectantur ac profiteantur, & cœtum aliquem inter ſe conſtituant, qui Eccleſia dicitur, vel ſecùs*; Nam veritatem amplecti & profiteri, non pendet ex mero hominis arbitrio, ſed ex Dei illuminatione, gratia & Spiritu nos deducente in omnem veritatem: Neque Deus voluit id manere dubium & incertum, ex poſitumque mero hominum arbitrio, futura-ne eſſet Eccleſia in mundo; ſed decrevit eam per vocationem gratuitam & efficacem ſibi colligere in tempore ex certis perſonis quas ideo præelegit ad ſalutem, quò maximè ſpectat locus nobilis Rom: VIII, 29. 30. cùm apud omnes in confeſſo ſit, Eccleſiam hoc nomen habere ab ea vocatione quæ eſt ſecundum propoſitum & fluit ab electione æterna. Sed tanti momenti eſt Socinianis & Pelagianis ſuum Idolon liberi arbitrii ut malint contingentem & incertam facere collectionem alicujus Eccleſiæ, & omnia Dei decreta æterna de hominum prædeſtinatione ad ſalutem corruere, quam illud non tueri & in arce reponere.

Alterum argumentum eſt, quòd Moſes, Prophetæ, Chriſtus, & Apoſtoli, partim eadem, quæ literis conſignata habemus, partim iis ſimilia populo, de rebus ſcitu neceſſariis, viva voce tradiderunt. Ab auditoribus autem intelligi ſanè voluerunt, atque adeò etiam potuerunt; præſertim tunc, cum iis nondum ſupinâ ſuâ negligentiâ atque incuriâ, ſuâque malitiâ id eſſent promeriti, ut cæcitate quadam punirentur. Quòd ſi, quæ viva voce de rebus ſcitu neceſſariis fuerunt à divinis viris pronunciata, intelligi à populo potuerunt; cur non & ſcripta? præſertim cum hæc legendo repeti ſæpiùs queant. Nulla ſanè eſt cauſa, cur divini viri obſcuriùs res ad ſalutem neceſſarias ſcribere, quàm viva voce efferre voluerint. Accedit, quòd Epiſtolæ Apoſtolicæ, in quibus ſublimiora etiam Chriſtianæ religionis myſteria continentur, ferè ad ad homines rudes, qui non adeò magnos in doctrina Chriſti progreſſus fecerant, miſſæ fuerint, ut inde de rebus ſacris inſtruerentur. Præterea conſtat, & ante Chriſtum ſac: literas paſſim, tum publicè, tum privatim, abſque commentariis lectitatas, qui mos etiam in Chriſtianis Eccleſiis receptus olim fuit. Neque enim interpres ſemper ad manum fuit; nec neceſſarium exiſtimatum fuit, ut explicatio ſemper adhiberetur. Id autem ſatis arguit, ſacras literas generatim loquendo, non fuiſſe habitas obſcuras, & hominibus plebeiis ac ru-

Digitized by Google

dibus inacceſſas. Denique Spiritus S. ea de verbo Dei, quod S. literis continetur, pronunciat, quæ claritatem ejus ſatis oſtendunt, ea præſertim in parte, quâ nos illud perſpicuum eſſe volumus. Et enim David (*Pſal:119.114.*) Verbum Dei, quo nomine Legem potiſſimùm intelligit, literarum monumentis à Moſe conſignatam, lucernam ait pedum ſuorum eſſe, h. e. luculenter ſibi oſtendere, quà gradiendum, ſeu quid faciendum, quid contrà in vita ſit omittendum. Hoc autem facere quî poſſet, ſi ſatis perſpicuum non eſſet? Hinc & Moſes omnem ignorantiæ occaſionem populo præcidens, negat, (*Deut:30. 12, 13.*) Dei legem eſſe vel ſupra nos, vel procul poſitam, ſeu ab intelligen-
386. tia noſtra remotam, ſed prope nos adeſſe, atque adeò in ore noſtro & animo verſari. Paulus etiam (*1 Cor:4.3.*) Euangelium nonniſi iis opertum eſſe affirmat, qui pereunt, ſeu malitiâ ſuâ excæcati in interitum ruunt voluntarium. Non affirmamus quidem, ea, quæ ad ſalutem cognitu ſunt neceſſaria, aut neceſſariis proxima, ubique clariſſimis, & nullam difficultatem habentibus verbis fuiſſe explicata: ſed illud tamen aſſerimus, ſi quid eorum obſcuriùs fortè alicubi dictum fuerit, id alibi, nonnunquam etiam iiſdem in locis, clarioribus verbis exprimi. id quod illi quoque agnoverunt, quorum maxima eſt apud eos auctoritas, quibuſcum nobis hîc res eſt, nempe Hieronymus & Auguſtinus; quorum ille hunc in modum loquitur: *Moris eſt ſcripturarum, obſcuris manifeſta ſubnectere, & quod priùs ſub ænigmatibus dixerunt, aperta voce proferre.* Hic verò inquit: *Magnificè & ſalubriter ſpiritus ſanctus ita ſcripturas ſanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret; obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.* hæc illi. Prophetias quidem, quatenus myſticum ſenſum continent, per ſe obſcuras eſſe fatemur; cum Petrus (*2 Pet: 1.20.*) propterea aſſerat, eas propriæ diſſolutionis ſeu interpretationis non eſſe: verùm nihil oſtendi poteſt in myſticis Prophetiarum ſenſibus, unicuique ad ſalutem ſcitu neceſſarium, quod nobis in Novi fœderis ſcriptis luculenter explicatum non ſit.

‡ *Prophetias quidem, quatenus*] Imò tantum abeſt ut Apoſtolus 2 Pet:1,19.20. 21. ſermonem Prophetarum faciat obſcurum, ut è contrario illum & *firmiſſimum* pronunciet, & conferat *cum lucerna lucente in obſcuro loco*, adeoque tenebras diſpellente, & laudet fideles ceu *benè facientes* quod illi attendant; Quod verò ſubjicit nullam Prophetiam Scripturæ eſſe *propriæ explicationis*, ἰδίας ἐπιλύσεως, neutiquam ſpectat ad illius obſcuritatem, ſed potiùs ad illius authoritatem; tùm quod privato hominũ ingenio non ſit explicanda, ut fiebat ab hęreticis Parermeneutis quorum meminit Damaſcenus, ſed potius eodem Spiritu & lumine intelligenda, à quo primum profecta eſt; juxta illud Hilarii *lib. 1. de Trinit. Optimus lector eſt qui dictorum intelligentiam expectet potius quam imponat, & retulerit magis quam attulerit*; tùm quod non privato commento Vatum ſacrorum prodierit, ſed inſtinctu planè divino, ut ſtatim ſubjungit Apoſtolus; *Non enim*, inquit, *libitu homi-*

Digitized by Google

tu hominis allata eſt olim Prophetia, (quapropter nec eſſe poteſt ἰδίας ἐπιλύσεως,) *ſed acti à Spiritu Sancto loquuti ſunt Sancti Dei homines.*

Cæteroqui, ſi quæ occurunt in ſac. literis difficultates, præterquam quòd rerum iſtiuſmodi difficultate implicatarum cognitio ad ſalutem unicuique neceſſaria non eſt; eæ ferè ſacrarum literarum beneficio expediri poſſunt. Id verò triplici potiſſimùm ratione perficitur: nempe tum univerſæ ſcripturæ, quà intelligi faciliùs poteſt, analogiâ quâdam animo comprehensâ; tum circumſtantiarum cujuſque loci conſideratione; tum denique ſimilium locorum collatione. Ex quibus omnibus intelligitur, ſcripturam ſanctam immeritò obſcuritatis ſimpliciter accuſari. Iis autem, qui eam obſcuritate laborare ſimpliciter aſſerunt, præter rationes memoratas, veterum Eccleſiæ doctorum, quibus illi plurimum tribuunt, autoritatem jure opponimus. Ii enim non ſolùm verbis, ſed etiam ipſo facto ſcripturæ perſpicuitatem fuerunt teſtificati. Illud quidem ita, ut præclaras eadem de re ſententias dixerint: hoc verò eo pacto, ut ex illis, utpote notioribus, dogmata ſua demonſtrauerint. Ad ſententias quod attinet, Epiph: in hæreſ: 69. *Omnia* inquit, *ſunt dilucida & clara in divina ſcriptura.* Et hæreſ: 75. *Omnia clara ſunt in divina ſcriptura his, qui ratiocinatione divinum ſermonem audire volunt.* Et Cyrillus lib. 9. contra Julianum: *Nihil in ſcripturis difficile eſt iis, qui in illis verſantur ut decet.* Et Chryſoſtomus in prima homilia in Matthæum ait: *Scripturas & ſervo, & ruſtico, & vidua, & puero, & ei, qui valdè imprudens eſt, faciles eſſe ad intelligendum, & prorſus expoſitas.* Et 3. hom: 2. Theſſ: *Omnia*, inquit, *clara ſunt, & plana in divinis literis.* Et paulò poſt ait: *Omnia neceſſaria ſunt aperta & manifeſta.* Et Auguſtinus in Pſalm. 8. *Inclinavit*, inquit, *Deus ſcripturas ad infantium & lactentium capacitatem.* Hæc doctores illi, quos credibile eſt, cum nonnunquam *omnia* in ſac. literis clara & dilucida eſſe dixerunt, id de maxima eorum parte, atque inprimis de iis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, intellexiſſe, quemadmodum indicat ſecundus locus ex Chryſoſtomo à nobis adductus. Cui ſententiæ unà cum aliis quibuſdam neotericis aſſentitur Sixtus Senenſis lib. 8. Biblioth: annot: 151. ubi dicit: *Alteram ſcripturæ partem apertam ac dilucidam eſſe, utpote quæ ſumma primaque credentium principia, ac præcipua benè vivendi præcepta & exempla cognitu facilia complectatur.* Mireris tamen homines eſſe, qui non ſolùm in aliis, ſed etiam in ſalutaribus rebus ſanctorum voluminum perſpicuitatem deſiderent. Et primò quidem multi Veteris Teſtamenti cauſantur obſcuritatem, nempe quòd religionem contineat adumbratam, imaginumque ac figurarum tenebris immerſam. His tamen reſponſum volumus: Cum religio Judaico populo olim præſcripta in iis ipſis umbris, quæ clarè admodum ac dilucidè in Vet. Fœdere deſcriptæ ſunt, fuerit conſtituta; apparere, Deum pro temporum ratione ſatis perſpicuè ea,

Digitized by Google

quæ ad religionem petinerent, hominibus propoſuiſſe. Neque verò ideò Lex Moſaica obſcura dici debet, quia quid umbræ iſtæ in futurum tempus ſignificarent, tunc difficulter intelligi potuerit. Satis enim eſt, verum ac proprium iſtorum præceptorum ſenſum, qui tum temporis ab iis, quibus ea data erant, intelligi debebat, facilem perſpicuumque, & olim fuiſſe, & hodie eſſe. Res autem illis umbris ſignificatæ, ex novo fœdere intelligi, quantum opus eſt, poſſunt. quamquam ut ſingularum umbrarum ſignificationes cognoſcantur, nihil eſt neceſſe: cum id non modò rudiorum captum fugiat, ſed ne inter doctos quidem uſquequaque ſit exploratum. Intelligendum nempe eſt, ad perſpicuitatem ſcripti alicujus ſatis eſſe, verum verborum ſenſum facilè cuivis apparere: etiamſi res ipſa verbis ſignificata iterum aliud quippiam in futurum adumbret, quod non cuivis facile appareat.

‡ *Cum Religio Iudaica*] Et hoc cum grano ſalis ſumi debet; nec enim Deus populum Judaicum deducebat in pergulam pictorum, *in qua nihil veri omnia ficta*; ſed per umbras illas, corpus ipſum intelligi & apprehendi, quomodo poterat in illo ſtatu imperfectionis, omninò debebat; ut Mathematici ſolent ex umbra terræ cœleſtium corporum magnitudinem metiri ac æſtimare.

Deinde urgent, plurimas in ſcriptura ſacra extare ſententias ambiguas, imperfectas, prima facie ſecum confligentes, tropis ac ſchematibus involutas,
388. Hebraicis locutionibus, & præpoſtera verborum collocatione obſcuratas. Sed præterquam quòd omnia illa nequaquam tantas ſcripturæ tenebras offundenre poſſunt, quin is, qui Deo precibus adhibitis, in illis evolvendis diligentiam ac ſtudium ſuum conſumit, tandem divini ſermonis addiſcat naturam, & difficultates illas eluctetur; faſſi ſumus jam antea, non pauca in ſacris ſcripturis contineri, quæ obſcuritate aliqua ſint involuta: ſed inde haudquaquam conſequitur, ea, quibus ſempiterna continetur felicitas, tanta obſcuritate implicata eſſe, ut à quolibet intelligi nequeant: quin contrarium & rationibus paulò antè evicimus, & ipſos etiam Patres, quos vocant, nec non adverſarios quoſdam noſtros, ingenuè id confiteri oſtendimus. At dices: quid ſibi vult Petrus, (*2 Pet: 3. 16.*) qui Pauli Epiſtolis magnam apertiſſimé aſſignat obſcuritatem, quas eam ob rem indocti & inſtabiles ad ſuam ipſorum perniciem detorqueant? Occurrimus igitur, & hoc quoque ad omnem ſimpliciter ſcripturæ perſpicuitatem tollendam nullam vim habere dicimus. Primò enim non de ipſis Pauli Epiſtolis, quantumvis ibidem memoratis, ſed de rebus, de quibus Paulus ſcribat, Petrum loqui, ex ipſa verborum conſtructione perſpicitur. Verba enim ἐν οἷς ad Epiſtolas, quippe in fœminino genere poſitas, referri non debere patet, ſed ad proximè præcedentia περὶ τούτων, id eſt, *de iſtis*, nimirum de Chriſti adventu, mundique conflagratione diſputatis, & ſenſum

eſſe:

eſſe : eaſdem res, quia difficultatem quandam habeant, ab inconſtantibus in-
doctiſque ad ſuam ipſorum perniciem detorqueri, ut ſuprà in eodem cap. in-
nuit v. 3. 4. 5. Deinde eſto, locutus hîc Petrus fuerit de ipſis Pauli Epiſtolis,
eaſdemque difficultate quadam implicatas eſſe dixerit : num propterea univer-
ſa ſcriptura adeò erit obſcura, ut ne res quidem ad ſalutem neceſſarias ex iis
unuſquiſque poſſit diſcere? Nequaquam. Petrus enim ait, *quædam* in illis
eſſe intellectu difficilia, non omnia, aut plæraque. Adde, quòd illa ipſa, quæ
à Paulo obſcurè dicta eſſe videntur, intellectu facillima redduntur, ſi illorum
explicatio ex luculentioribus ejuſdem Apoſtoli aliorumque divinorum ſcripto-
rum verbis petatur. Præterea non diffitemur, ſæpe fieri, tum malorum homi-
num vitio, tum juſtiſſimo Dei judicio, ut, quia multi non tales ſeſe præſtant,
quales eſſe debent, vel ſcripturam ſalutarem minimè intelligant, vel intelle-
ctam olim non ampliùs percipiant, juxta illud Oſeæ: *Quis ſapiens, & intelliget*
iſta? intelligens, & ſciet iſta? quia recta via Domini; & juſti ambulabunt in eis: præ-
varicatores autem corruent in eis. (*Oſeæ 14. 10.*) Objicies tamen, illud ſaltem ex
Petri verbis concludi poſſe, homines indoctos à ſacrorum voluminum lectio-
ne arcendos eſſe, quia addat: quæ (ſcil. intellectu difficilia) *indocti & inſtabiles* 389.
torquent ad ſuum ipſorum interitum. Atqui Apoſtolus non de illis ſimpliciter lo-
quitur, qui indocti imperitique ſunt, ſed de iis, qui cum imperitia levitatem
inconſtantiamque conjunxerunt, unde non quidem à Paulinarum Epiſtola-
rum lectione abſtinendum, ſed inconſtantis animi vitium corrigendum eſſe
concludi debet. Nec ſanè Petrus quempiam ex iis, ad quos ſcribit, (ſcribit
autem ad omnes promiſcuè fideles, quos prioris Epiſtolæ initio expreſſerat)
ab Epiſtolarum Paulinarum lectione dehortatur : imò eo ipſo, quòd earum
quoque teſtimonium ſuo adjungit, non obſcurè ad earum lectionem hortatur;
ſed cautè legi, & accuratè expendi vult. Alioquin ipſe Paulus peccaſſet, qui
ſuas Epiſtolas ad eos etiam ſcripſit miſitque, qui gravibus erroribus implicati,
& religionis Chriſtianæ rudes erant, ut nimirum eas legerent atque intellige-
rent, & veritatem divinam inde diſcerent.

CAP. VII.

De ſacrarum literarum perfectione.

EI autem, quam hactenus deteximus irritamque reddidimus, Satanæ fraudi conjuncta illa eſt, quòd ſacram ſcripturam adeò imperfectam conatur perſuadere, ut niſi ad ea, quæ de manu in manum Eccleſiæ ab Apoſtolis tradita ſint, decurratur, peſſimè ſaluti noſtro conſultum fore ſtatuendum ſit. Quæ quidem illius techna huc ſpectat, ut dum in confictis iſtis traditionibus occupamur, di-

Digitized by Google

mur, divinum verbum negligamus, & ſic nihilominus à fide officioque noſtro deducamur. Hîc igitur ſimiliter, tum perfectam eſſe ſcripturam demonſtrabimus; tum traditiones illas, quæ hodie credulis hominibus obtrudi ſolent, hominum eſſe commenta convincemus.

Primò igitur animadvertendum eſt, nos hîc ex ea parte ſcripturæ ſanctæ perfectionem aſcribere, quatenus ad ſempiternæ ſalutis adeptionem nobis ſatis eſt. Hoc enim jure à nobis fieri, & rationibus, & autoritate eorum, quos iſti, adverſus quos diſputamus, maximi faciunt, oſtendemus. Et ad rationes quidem quod attinet; ſi ex ſacris literis, quantum ſatis eſt, diſci poſſunt ea, quæ ad fidem per charitatem efficacem conſtituendam ſunt neceſſaria; negari etiam non poteſt, omnia in illis contineri, quæ ad ſalutem æternam ſunt neceſſaria. Nam, ut Paulus docet, (*Gal: 5. 6.*) nihil in Jeſu Chriſto valet, niſi fides per charitatem efficax. Fides verò, ut ſac. literæ novi fœderis paſſim aſſerunt, (*Ioh:14.1.*) in Deo & Chriſto, ſeu (*1 Pet:2.21.*) in Deo per Chriſtum collocanda eſt. Credere autem in Deum, docente (*Heb:11.6.*) Auctore Epiſt. ad Hebræos, eſt, credere eum eſſe, & eſſe remuneratorem eorum
390. qui ipſum quærunt, h. e. rectè factis favorem ipſius ambiunt. quod idem de fide in Chriſtum, quæ ejuſdem cum illa eſt generis, ſtatuendum eſt. Hæc verò an ex ſacris literis non patent? Quod ad charitatem attinet, quâ omnes pietatis partes, eam imprimis, quæ ad proximum ſpectat, quæque omnium latiſſimè patet, complectitur Apoſtolus; ea quoque in ſac. literis ita deſcripta eſt, ut quicunque eam ex animo colere, mentemque advertere velit, ignorare non poſſit, quid ſibi ſit in omnibus vitæ partibus ſequendum; præſertim ſi ſapientiam à Deo petat, quam ille nemini denegat. Nam charitatis quidem erga proximum officia, ad quæ alia omnia quodammodo revocari poſſunt, ita luculenter, partim generalibus, (*Matt:7.12. Rom:13.8. & d. Gal:5.14.*) partim & ſpecialibus præceptis (*inter alia Matt:25.36. & d. Rom: 12.10.13. uſque ad fin: capitis. c.13.9. 1 Cor:13.4. & d. 2 Ioh:3.16.*) explicata ſunt, ut qui ea opere complet, de eo, quin omnibus numeris abſoluta charitate ſit præditus, dubitari nequeat. Similiter de iis officiis, quæ ad ipſum Deum ac Chriſtum propriè ſpectant, qualis eſt charitas, adoratio, gratiarum actio, invocatio; itemque de iis, quæ circa nos ipſos potiſſimùm vertuntur, qualia ſunt ſobrietatis, caſtitatis, patientiæ ac conſtantiæ officia, jure affirmari poteſt. id quod facilè experietur, qui afferre quippiam conatus fuerit, quod in ſacris literis, quatenus ad actiones moderandas eſt opus, non contineatur.

‡ *Credere autem in Deum*] Ut perperam diſtinguitur fides in Deum à fide in Chriſtum, cùm una ſit Eph: IV, 5. ita Heb:XI, 6. quærere Deum, non tam eſt *rectè factis favorem ejus ambire*, (quamvis rectè facta hinc non excludamus,) quam adire thronum gratiæ per Chriſtum Redemptorem, qui via eſt veritas & vita Joh:XIV,

Digitized by Google

Joh: xiv, 6. & unicum nomen datum ſub cœlo per quod nos ſervari oporteat Act: iv, 12.

Ut qui ea opere complet] Is ſanè *omnibus numeris abſolutâ charitate præditus* eſt, *qui ea opere complet* perfectè : at id nemini datur in hac vita & in hoc imperfectionis ſtatu, etſi eam perfectionem jactent cum ſuis Patriarchis hæ Pelagianorum reliquiæ.

Deinde in Lege olim Iſraëlitis ea omnia fuiſſe præſcripta, & à Moſe literis comprehenſa, quæ omnibus factu erant neceſſaria, ſatis teſtantur ſacræ literæ. (*Deut:28.58.30.10.31.24.32.46. 47. Joſ: 1.8.9.23.6. 3 Reg: 2.3. 2 Paral:34.21. 31.32.*) Non eſt autem proculdubio deterior hac inparte populi Chriſtiani conditio. id quod inde quoque patet, quòd quicquid præter ea, quæ in lege Moſaica continentur, atque ad Chriſtianos etiam pertinent, eſt ad ſalutem neceſſarium, diſcipulos ſuos docuit, & deſcripſerunt Euangeliſtæ. id Chriſtus Nam Chriſtus quidem diſcipulis ait: (*Joh:15,15.*) *Omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis*; intellige omnia, quæ ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſaria; licet quædam ad eam rem utilia, utpote quæ portare diſcipuli nondum poterant, nondum illis penitus explicuiſſet. Euangeliſtarum verò, eorum præſertim, quibus propoſitum fuit, univerſam Chriſti in terris viventis hiſtoriam, h. e. & ſermones, & facta, ad Euangelii prædicationem pertinentia, deſcribere, ut iis quoque, qui rebus geſtis non interfuerant, atque adeò omnis quoque poſteritas, fructum eorum ſalutarem perciperet; eorum, inquam, fuit, nihil iſtorum omittere, quæ Chriſtus docuiſſet, ad ſalutem omnibus ſcitu neceſſaria. Idque Lucas à ſe factum non obſcurè teſtatur, initio Euangelicæ atque Apoſtolicæ hiſtoriæ:
Nam illic quidem ait: (*Luc.1.3.*) *Viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia à principio di-* 391.
ligenter, ordine tibi ſcribere, optime Theophile, ut cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. hîc verò: (*Act:1.1.*) *Primum quidem,* inquit, *ſermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jeſus facere & dicere, uſque in diem, quâ præcipiens Apoſtolis per Spiritum ſanctum, quos elegit, aſſumptus eſt.* Non minore verò rerum cognitione præditus fuit Matthæus, qui rebus iſtis, quas ſcripſit, propè omnibus interfuit, iis præſertim, quę huc maximè ſpectant; nec minori fide ac diligentia in iis deſcribendis uſus eſt. Quàm multa verò adhuc, quę ad univerſam Chriſti religionem uberiùs explicandam, & ad ejus à Lege Moſaica differentiam oſtendendam pertinent, continentur tum in Actis, tum in Epiſtolis Apoſtolicis.

‡ *Non eſt autem proculdubio*] Imò ſi ſcripta V. T. ante Chriſtum complectebantur omnia *neceſſaria* ad ſalutem, multo magis neceſſaria omnia continebuntur nunc Scripturis utriuſque Teſtamenti, & poſtquam priſcę illi Scripturæ tam magna Novæ, ac lucis quæ in illa ſplendet, acceſſio facta eſt. Interea videtur Author ſupponere, non habuiſſe Veteres in ſuis Scripturis quicquid ipſis erat *ad ſalutem neceſſarium*; quod eſt falſiſſimum : Habuerunt enim omnia quæ ſibi & *factu* & creditu *neceſſaria* erant pro illo ſtatu obſcuriori & imperfectiori : ut ad vitandam

F gehennam

Digitized by Google

gehennam & ſalutem æternam conſequendam non aliò amandarentur quam ad Moſem & Prophetas Luc: XVI, 29. & Chriſtus meritò invitaret Judæos ad illas Scripturas diligenter ſcrutandas, quod in ipſis vitam æternam ſe habere ſtatuerent Joh:v,39.

Intellige omnia quæ ad] Quicquid ſit de illa diſtinctione inter *neceſſaria* & *utilia* ad ſalutem, non eſt cenſendus Chriſtus ſic omnia *neceſſaria* docuiſſe ſuos diſcipulos priuſquam aſſumeretur in gloriam, ut nonniſi utilia poſt ſuum diſceſſum per ſuum Spiritum ipſis ſuggeſſerit; nec de neceſſariis fuerit loquutus cum dixit Joh: XVI,12.13. *Adhuc habeo multa quæ vobis dicam, ſed nunc non poteſtis portare: Quum autem venerit ille Spiritus veritatis vos deducet in omnem veritatem.* Quare illa pericopa Joh:XV,15. *omnia quæ audivi à Patre nota feci vobis* eſt ſic intelligenda de neceſſariis, ut reſtringatur ad ea quorum pro illo ſtatu capaces erant Diſcipuli, ut etiam ex Chryſoſtomo & Euthymio obſervat Toletus *annotatione* 18. *in* 15. *Ioh.* Itaque omnia neceſſaria, implicitè ſaltem & quaſi in ſemine, illis jam priùs propoſuerat ante ſuum abitum ad Patrem, ſed eadem poſtea per Spiritum Sanctum inculcavit explicitè & diſtinctè magis, quod tum illa portare tantâ copiâ nequiviſſent.

Quòd ſi (id quod novę rationis loco eſſe poteſt) iſta omnia veteris Teſtamenti libris adjuncta, nondum ſufficiunt ad cognitionem omnium, quę ad ſalutem omnino ſunt neceſſaria; quis hominum rudiorum, ne dicam doctiorum, qui exiguam iſtorum, ſi molem ſpectes, partem memoriâ tenere poſſunt, ea, quę ad ſalutem omnino ſcitu ſunt neceſſaria, tenebit? aut an ita ſacri ſcriptores in iis, quę non ſunt ad ſalutem omnino neceſſaria, fuerunt occupati, ut omninò neceſſaria omitterent, & tale aliquid reticerent, quo ignorato reliquorum omnium fructus periret? An non potiùs ſtatuendum eſt, eos in hoc rerum genere, divino ſpiritu ad ſcribendum impulſos, potiſſimùm elaboraſſe, ut ſaluti eorum, quibus ſcribebant, maximè conſulerent? Eſſe in ipſorum ſcriptis multa, quę ſint certa ſalutis jactura ignorari queant, nemo, niſi qui neceſſaria à non neceſſariis prorſus neſciat diſcernere, negare poteſt, cum res ipſa id ſatis oſtendat: ſiquidem ab hominibus rudioribus, quorum infinitus eſt numerus, multa eorum ignorantur, quibus tamen ob eam ignorantiam nemo ſalutem adimit. Cur ergo non potiùs illa ab iſtis ſcriptoribus expreſſa putemus, in quibus cardo ſalutis vertitur, quęque ſine certa pernicie ignorari nequeunt? Prętereà Deus, qui religionem Chriſtianam uſque ad mundi finem vigere voluit, curavit etiam, ut tale aliquid perpetuò extaret, unde ea, quatenus omnino ad ſalutem eſt neceſſarium, cognoſci indubitatò poſſet. At nihil tale extat pręter ſacras literas. Nam ſi dicas, Eccleſiam eſſe unde ea cognitio ſemper peti poſſit, primùm ſtatuendum tibi erit, Deum etiam decreviſſe, ut Eccleſia vera (falſa enim ad eam rem inepta eſt) ſemper uſque ad mundi finem extet. Atqui id à Deo nec decretum eſt, nec decerni, niſi humano arbitrio vim inferre, & religionis naturam mutare voluiſſe cenſendus ſit, potuit: cùm ea res non ex ſola ipſius voluntate pendeat, ſed in ipſorum etiam hominum

Digitized by Google

hominum arbitrio magnam partem ſita ſit. Nam, quemadmodum ſuperiori 392. etiam capite indicavimus, ut Eccleſia vera extet, à qua omnes ſalutaris veritatis notitiam indubitatò petere queant, requiritur, ut homines complures veritatem eam amplectantur ac profiteantur, & cœtum aliquem, qui in omnium oculos incurrat, conſtituant. At in ipſorum hominum arbitrio eſt poſitum, utrùm id facere velint, necne: nec quiſquam ad eam rem à Deo cogitur. Paulus certè ad Romanos ſcribens cap. 11. (*v.* 20. *& ſeqq.*) apertiſſimè indicat, univerſam Eccleſiam ex Gentibus collectam, atque adeò etiam Romanam, cum qua illi iſtic nominatim res eſt, non minùs, quàm Judaicum populum, fide excidere, & à Deo rejici poſſe, inque ipſorum hominum arbitrio ſitum eſſe, num permanere in fide velint, necne. Quare non eſt, quod quis certam aliquam Eccleſiam hoc privilegio à Deo donatam eſſe contendat, ut fide excidere nequeat.

† *Atqui id à Deo nec*] Imò id *decretum* eſſe ſupra monuimus: Aliàs non foret regnum Chriſti æternum, & inferorum portæ adverſus illius Eccleſiam eſſent prævaliture; Ceſſaret quoque omnis uſus Scripturæ ſacræ, ſi nulla ſupereſſet in mundo Eccleſia, cui inſtituendę inſerviret; Et cùm mundus per & propter Eccleſiam quæ in illo colligitur ſubſiſtat, deberet penitùs interire, ſi nulli remanerent in eo qui Eccleſiam Chriſti conſtituerent. Per hoc verò Dei decretum de aliqua Eccleſia in mundo conſervanda, nec mutatur *religionis* natura, nec vis ulla infertur *humano arbitrio*; Quia Deus eos per quos decrevit Eccleſiam ſuam jugiter conſervare evocat quidem efficaciter & irreſiſtibiliter ad communionem beneficiorum ſuorum, ſed tamen ſuaviter & citra coactionem; ex nolentibus faciendo eos volentes, & operando in ipſis & velle & perficere Phil. 11, 13. Quare ſic ultrò & ſponte ſuâ veniunt, ut tamen id totum *ex ſola* Dei *voluntate pendeat*; juxta illud Auguſtini *de Grat. & lib. arbit. cap.* 16. *Certum eſt nos mandata ſervare ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt ut tantum velimus quantum ſufficit ut volendo faciamus. Certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt quod paulò ante poſui quòd Præparatur voluntas à Domino; de quo dictum eſt, A Domino greſſus hominis dirigentur & viam ejus volet; de quo dictum eſt, Deus eſt qui operatur in vobis & velle & operari. Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati qui dixit, Faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis*: Et cap. 17. *Ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens; Propter quod ait Apoſtolus, Certus ſum quoniam qui operatur in vobis opus bonum perficiet uſque in diem Chriſti Ieſu. Ut ergo velimus ſine nobis operatur; cum autem volumus & ſic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Nam quemadmodum ſuperiori] Equidem non ideo debet extare Eccleſia, ut ab ea *omnes ſalutaris veritatis notitiam indubitatò petere queant*, & quæ *in omnium oculos incurrat*; cùm hæc notitia aliunde ſit haurienda quam ex infallibili cathedra alicujus Eccleſiæ, nempe ex Sacra Scriptura ceu indeclinabili norma omnis veritatis, & quæ etiam poſſit haberi in & ab Eccleſia cæteroquin erronea & hæretica; eaque etiam interdum incidant

 tempora,

tempora, Elianis haub abſimilia, quibus illi qui veram Dei Eccleſiam in terris conſtituunt, non conveniant in cœtus viſibiles qui in omnium oculos incurrant. Fugit quandoque Eccleſia in deſertum ut lateat, dum univerſa terra currit poſt Beſtiam. Sed quamvis Eccleſia non debeat unquam extare eo fine qui hîc notatur à Volkelio, nec ſemper illius cœtus incurrant in oculos omnium, dum ſe abdit tempore perſecutionis, & intra actuum Confeſſionis negativorum vallum ſe continens, & abſtinens à Baalis adoratione & oſculo, ad actus Confeſſionis poſitivos progredi nequit; inde tamen non ſequitur quod aliquando poſſit omninò non extare. A dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter, inquiunt Logici, non procedit conſequentia.

Paulus certe ad Romanos] Conſtans eſt Volkelius in ſuo Sophiſmate: Nec enim ſequitur, nulla Eccleſia particularis & viſibilis, ne Romana quidem, *hoc privilegio* à Deo donata eſt, *ut fide excidere nequeat*; Ergo poteſt fieri, vel ut nulla omninò ſuperſit Eccleſia in mundo quæ Chriſto capiti ſuo per veram fidem adhæreſcat, vel ut ſancta Eccleſia, ſoli Deo nota & conſpicua excidat eâ fide quæ ſemel data eſt Sanctis Judæ com. 3. quæque, ut eſt Electorum Dei ſpecialis & propria Tit: I, 1. Act: XIII, 48. ita eſt omninò inamiſſibilis Rom: XI, 29. Luc: XXII, 32. Quare ut ab eorum non pependit arbitrio quod primùm crediderunt, ſed à Dei vocatione & Gratia quâ ex nolentibus volentes facti ſunt, ſic in ipſorum arbitrio ſitum non eſt *num permanere in fide velint, necne*, ſed eorum perſeverantia fluit ex eadem liberali Gratia, cujus vi ita firmatur & fixa redditur eorum voluntas in bono, ut nunquam perſeverare nolint, nunquam velint deficere.

Deinde, ut itidem ſuprà docuimus, non poteſt Eccleſia vera certò cognoſci, niſi priùs cognoſcatur, quæ ſit ſalutaris Chriſti doctrina. De nullo enim hominum cœtu certò tibi conſtare poteſt, eam eſſe veram Eccleſiam, niſi cognoſcas, eam amplecti ac profiteri ſalutarem Chriſti doctrinam. Unde autem id certò deprehendes, niſi ſcias, quænam ſit ſalutaris Chriſti doctrina? Quare aliud quippiam præter Eccleſiam extare neceſſe eſt, unde cognoſcas ſalutarem Chriſti doctrinam. Alioqui priùs cognoſcenda eſſet ſalutaris Chriſti doctrina, quàm cognoſceretur id, unde illa cognoſci debet. Præterea id ipſum ſaltem debuiſſet alicubi in ſac. literis clarè ac perſpicuè ſcriptum extare, debere ab Eccleſia peti omnia, quæ ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſaria, &, quænam ea ſit Eccleſia, ac unde debeat cognoſci, claré deſcribi, ne quis in ea cognoſcenda facilè errare poſſet. Nam ſi quippiam ſcriptu fuiſſet neceſſarium, hoc ſanè fuiſſet, ſine quo reliqua omnia, quæ ſcripta ſunt, nihil, aut parùm admodum prodeſſent. At id nuſpiam factum legitur. Denique ſi eam Eccleſiam, quam iſti, cum quibus diſputamus, perpetuò extitiſſe volunt, & à qua ſola certam & indubitatam rerum omnium ad ſalutem neceſſariarum, earum præſertim, quæ in ſacris literis non extent, notitiam petendam eſſe contendunt, multis in rebus, atque adeò in iis quoque, quæ ad ſalutem ſunt neceſſariæ, graviſſimè errare conſtet; tota illa de Eccleſia exceptio concidit. Id verò nos in hoc libro paſſim oſtendimus, ac porrò oſtenſuri ſumus, ubi gravis-

ſimos

Digitized by Google

ſimos iſtius Eccleſiæ errores & patefecimus, & patefacturi ſummus. Rationibus autem illis, quas hactenus attulimus, addi poteſt & illa, quòd benignitati ac ſapientiæ Dei, qui ſaluti humani generis uſque ad mundi finem conſultum voluit, conſentaneum ſit, ea potiùs ratione religionem Chriſtianam, ſeu do- 393.
ctrinam Chriſti ſalutarem, integram atque incorruptam ad poſteros propagare, & uſque ad mundi finem conſervare, quæ ad eam rem eſt inter cæteras hominibus aliquo modo uſitatas aptiſſima ac tutiſſima. At ejuſmodi eſt ſcriptura. Traditio, quæ huic aliquomodo opponitur, & ab iis, cum quibus disputamus, urgetur, ſcripturæ multùm concedit, nec ad notitiam rerum, abſque mutationis ac corruptionis ſuſpicione, ad ultimam uſque mundi ætatem, per tot ſecula tranſmittendam apta. Ea enim memoriâ hominum nititur, quæ ipſa debilis ac fallax eſſe ſolet: & præterea vix eſt, ut non ſubinde aliquid mutetur, addatur, dematur. Unde hodie tot inter Judæos fabulæ, niſi ex variis traditionibus? unde illæ Deorum fabulæ totius olim orbis conſenſu comprobatæ, quas qui in dubium vocârunt, ii omnibus ſuppliciis digni ſunt judicati? Scripturæ, præſertim in plurima exemplaria propagatæ, ac in varias orbis partes diſperſæ, ac Dei conſilio ac curâ conſervatæ, longè alia eſt ratio. Liber enim, ut vulgò dicitur, altera eſt memoria: & litera ſcripta manet; nec corruptioni ita eſt obnoxia. Unde ea, quæ ad poſteritatis memoriam durare volumus, ſcribi curamus; idque olim etiam viros ſanctos, cum perpetuam rei alicujus memoriam extare voluerunt, aut optaſſe, aut etiam feciſſe legimus, ut libri ipſi ab iis ſcripti teſtantur, (*Iob: 19. 23. Pſal: 102. 19.*) & Deum ac Chriſtum ipſum etiam non ſemel juſſiſſe videmus. (*Exod: 17. 14. 34. 27. Eſa: 30. 8. Ier: 30. 2. Apoc: 1. 11. 19. 21. 5.*) Opiniones de religione inter Judæos non ſemel mutatæ ſunt, cùm generatim omnes, etiam ſacerdotes, ad idololatriam deflecterent. Sed ii errores ex Lege Moſis ſcripta, quæ ſingulari Dei conſilio conſervata fuit, deprehenſi ac correcti ſunt, quemadmodum ex ſacrarum literarum lectione patet. Denique loca quædam Novi Fœderis non obſcurè iis, quæ hactenus diximus, adſtipulantur. Nam quid illud eſt, quòd Chriſtus Abrahamum cum divite illo, de fratribus, ne in iſtum tormentorum locum venirent, ſollicito, & ut per Lazarum monerentur, rogante, ita loquentem introducit: (*Luc: 16. 29*) *Habent Moſem & Prophetas, audiant illos.* quaſi dicat. ſufficiunt tuis fratribus Moſis & Prophetarum libri: ex iis omnia diſcere poſſunt, quæ ad ſupplicium hoc effugiendum illis ſunt neceſſaria. Quanquam hic locus ad veteris fœderis tempora pertinere videtur, de quibus non minùs, quam de novi fœderis temporibus ſolent dubitare ii, cum quibus nobis res eſt; utrùm nimirum omnia, quæ tum temporis hominibus ſcitu factuque fuerunt neceſſaria, ſcripta fuerint necne. Eum verò, cui religionis Chriſtianæ principia, (quæ nunc ex ſacris literis Novi Fœderic abundè diſci poſſunt) non ſine

 incogni-

Digitized by Google

394. incognita, ex lectione ſacrarum literarum V. Fœd. aſſidua, eximiam quandam rerum ad ſalutem pertinentium cognitionem haurire poſſe, ſatis docet Paulus. Nam ita, ad Timotheum ſcribens, (*2 Tim:3.15.16.*) *Ab infantia*, inquit, *ſacras literas nôſti, quæ te poſſunt ſapientem reddere* (eſt enim in Græco σοφίσαι) *ad ſalutem, quæ in Chriſto Ieſu.* Quid eſt autem *ſapientem quempiam reddere ad ſalutem*, quàm eximiâ quadam rerum ſalutarium notitiâ inſtruere? quę verò cognitio illa eſt, niſi omnia ad ſalutem neceſſaria ſcias? Id autem quod dixerat, ut aliqua ratione illuſtret ac comprobet Apoſtolus, inſigne illud ſacrę ſcripturę elogium addit: *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata* [eſt,] *& utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Quę ultima verba itidem indicant, aſſiduâ lectione ſacrarum literarum ad perfectionem eam perveniri poſſe, ut ad omne bonum opus ſimus inſtructi. Huc autem qui pervenit, is nulla re deſtituitur, quæ ad ſalutem cognitu eſt neceſſaria. Hęc porrò res veteres etiam impulit, ut in eandem ſententiam pręclariſſima ſacrarum literarum elogia reliquerint. Juſtinus enim in Dial. cum Tryphone, *ad ſcripturas confugiendum cenſet, ut in omnibus tuti ſimus.* Et Athanaſius contra Idol. *ſufficere*, ait, *ſcripturas divinitus inſpiratas ad veritatis judicamentum.* Cyrillus quoque in Joh: lib.7. in eandem planè ſententiam dicit: *Non omnia, quæ fecit Dominus, ſcripta eſſe, ſed quæ ſcribentes putaverunt ſufficere, tum ad mores, tum ad dogmata.* Auguſtinus quoque tractat.49. in Joh: *Electa ſunt*, inquit, *quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur.* Et contra literas Petiliani & Baſilii lib:3.c.6. *anathema*, ait, *eſſe debere Chriſtianis etiam Angelum ſi annunciaverit præterquam quod in ſcriptis legalibus & Euangelicis acceperunt.* Hieronymus quoque idem planè ſtatuit in Agg. cap. 7. *Quæ abſque autoritate & teſtimoniis ſcripturarum, quaſi traditione Apoſtolorum, ſponte confinguntur, percutit gladius.* Item in Matt:cap,23. *Quod de ſcripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Verùm nimis longum foret, omnia in hanc ſententiam Patrum teſtimonia adducere. Reliquum igitur eſt, ſacris voluminibus, ob ipſorum perfectionem, nihil nec adjiciendum, nec ſubtrahendum eſſe.

Hoc tamen non eo conſilio à nobis dictum exiſtimari velim, quaſi omnes dictiones, omnes ſententias, omneſque collectiones, iiſdem literis ac ſyllabis in ſancta ſcriptura non expreſſas, ob hoc ipſum repudiemus. Nam vel dictio
395. aut phraſis aliqua ſubaudiri; vel ſententia aliqua, ſi non verbis, reipſa tamen in ſacris literis contineri poteſt; vel denique ex iiſdem colligi. Id autem qualecunque eſt, perinde habendum exiſtimamus, ac ſi diſertiſſimè ſcriptum extaret. Neque enim in ſola verba, ſed præcipuè in verborum ſententiam animum intendere debemus.

CAP. VIII.

Digitized by Google

CAP. VIII.

De Traditionibus.

JAm ut ad Traditiones veniamus, quæ præter ea, quæ in ſacris literis continentur, cognitu neceſſariæ eſſe creduntur; animadvertendum eſt, Traditionem hoc loco appellari doctrinam ſive ſententiam, quæ à divinis viris viva voce cum aliis fuerit communicata, non verò ſcripto comprehenſa. Cum verò hoc ipſum duplici ratione poſſit accipi, nempe vel abſolutè ac ſimpliciter, vel certorum tantùm hominum ac temporum reſpectu; hinc duplex quædam oritur hujus vocis ſignificatio. Abſolutè enim Traditio dici poteſt doctrina vel ſententia ea, quæ viva tantùm voce à viris divinis fuerit aliis propoſita, à nemine verò eorum unquam literis conſignata, & eo pacto ad noſtram ætatem tranſmiſſa. Ea verò certorum tantùm hominum ac temporum reſpectu ita dicitur, quæ ab uno aut pluribus viris divinis, viva voce certis hominibus fuit aliquando patefacta, licèt interea fieri potuerit, ut eadem illa doctrina jam tum eſſet ab alio quopiam viro divino literis conſignata, aut poſtea conſignaretur, atque adeò ab illis ipſis, qui eam certis hominibus aut Eccleſiis, viva tantùm voce aliquando tradiderant, ad alios eſſet perſcripta; ac denique ad eoſdem illos, quibus eam antea ſine ſcripto tradiderant, poſtea perſcriberetur. Hoc pacto Lucas res, quas deſcribit, ſibi atque aliis traditas ait ab iis, qui ab initio oculati teſtes ac miniſtri fuerint ſermonis. (*Luc:1.2.*) Traditiones ergo illæ fuerunt reſpectu Lucæ & aliorum, qui eas ſine ſcripto acceperant ab aliis: at non traditiones ſimpliciter, poſtquam literis mandatæ, & ad poſteritatis memoriam hoc pacto fuerunt tranſmiſſæ. Sic Paulus 1 Cor: 11. (*v.23.*) primam Euchariſtiæ inſtitutionem Corinthiis ſe *tradidiſſe* ait, quam tamen eodem loco ſtatim deſcribit. nec quicquam prohibet, quominus ea ab aliis jam antè literis fuerit mandata. Similiter cap.15. (*v.3.& ſeqq.*) iiſdem Corinthiis tradidiſſe ſe ait ea, quæ ibidem de morte, ſepultura, & reſurrectione Chriſti ſcribit. Traditiones ergo hæ fuerunt reſpectu Pauli & Corinthiorum, tantummodo ad illud uſque tempus, quo ea ſcripſit Apoſtolus: poſtea traditiones, eorundem hominum reſpectu eſſe deſierunt. Et hujuſmodi
quidem traditiones olim extitiſſe, imò totam Chriſti doctrinam primò in hu- 396.
juſmodi traditionibus fuiſſe conſtitutam, ultrò fatemur. ſed eæ nihil ſacrarum literarum perfectioni derogant: cum, ut jam vidimus, nihil per ſe prohibeat, quominus omnes illæ traditiones fuerint ſcriptis comprehenſæ, & ad noſtram memoriam conſervatę: quod quidem de omnibus ad ſalutem neceſſariis omnino ſtatuendum eſſe, ſuperiori capite oſtendimus.

† *Sic*

† *Sic Paulus* 1. *Cor.* 11.] In his locis *Traditionis* vocabulum magis ſumitur materialiter & genericè de doctrina tradita, quam ſpecificè & formaliter de dogmate aliquo non ſcripto: Nam ſanè Sacræ Cœnæ inſtitutio jam ante ſcripta fuerat à Matthæo, forte etiam à Marco & Luca, cùm Paulus ad Corinthios ſcriberet ſe accepiſſe à Domino quod & ipſis tradiderat 1 Cor: XI, 23. & 1 Cor: XV, 3. & ſeqq. diſertè ait ſe quod acceperat illis tradidiſſe *ſecundum Scripturas*.

Ad hoc autem traditionum genus pertinent illa Apoſtoli verba, quæ pro verbo Dei non ſcripto vel imprimus urgentur, cùm Theſſalonicenſibus hunc in modum ſcribit: *(2 Theſſ: 2.15.) Tenete traditiones, quas edocti eſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Traditiones enim, quas per ſermonem edocti eſſent, non univerſis ſcripturis ſacris opponit, ac ne ſuis quidem ſcriptis omnibus, ne dum alienis: ſed tantùm Epiſtolis à ſe ad eoſdem Theſſalonicenſes ſcriptis; non negans interea, ea, quæ illi ex ore ipſius hauſiſſent, vel ab aliis eſſe literarum monumentis conſecrata, vel à ſeipſo ad alios perſcripta, aut poſthac ad eoſdem Theſſalonicenſes ſcribenda. Iis certè in his ipſis Epiſtolis quædam non exigui momenti ſcribit, quæ eos antea coràm docuerat. (*vid.* 1. *Theſſ:* 4. *&* 5. 2 *Theſſ:* 2. 5. *c.* 3. 10.) quid ergo prohibet, quominus alia etiam alibi ſcripſerit? imò cùm in aliis tum ipſius Pauli, tum aliorum divinorum virorum ſcriptis, non pauca eorum contineantur, quæ non potuit non Theſſalonicenſes docere Paulus, ſi illorum ſaluti voluit conſulere, ut certè voluit; nihil locus ille habet virium ad oſtendendum, eſſe quædam ad ſalutem ſcitu neceſſaria, quæ nuſpiam prorſus in ſacris literis extent, nec perſpicuè ex illis oſtendi queant. Hoc verò eſt illud traditionum genus, quod nos revera negamus, alii contrà urgent. Etenim, ut pleniùs ea de re ſententiam noſtram exprimamus, non negamus quidem, fuiſſe olim nonnulla, partim ad hiſtoriam ſacram, partim ad doctrinæ Chriſti uberiorem explicationem pertinentia, quæ viva voce aliis fuerint tradita, à nemine autem literis, pręſertim clarè atq; expreſſè, conſignata, & ad noſtram ætatem conſervata: ſed primò negamus, quicquam eorum, quæ literis penitus conſignata non ſunt, ad ſalutem omnino eſſe neceſſarium, imò ne ex eorum quidem numero illa eſſe concedimus, ſine quibus ęgrè ſalus ſempiterna obtinetur. Deinde, ne de hiſtoriis nunc quicquam dicamus, de quibus etiam hoc loco minùs eſt laborandum, niſi ſimul dogma quoddam, aut inſtitutum omnibus neceſſariò obſervandum, in ſe complectantur; de nullo dogmate, quod in ſcriptura ſacra non extet, nec ex iiſdem (*forte legendum* eadem) elici queat, certò & indubitatò conſtare poſſe arbitramur, id à divino aliquo viro
397. Eccleſiæ aliquando traditum eſſe: adeò ut de omnibus dogmatibus ad religionem pertinentibus, iis præſertim, de quibus ipſa ratio ac ſenſus communis judicare per ſe non poteſt, ex ſacris literis ſit judicandum, & admiſſis ſine dubitatione iis, quæ in iis perſcripta ſunt, aut ex illis firmiter concludi poſſunt, re-

jectiſque

Digitized by Google

jectiſque iis, quæ illis repugnant, cætera, vel rejici, vel admitti, ſine ſalutis periculo queant. quanquam quid de iſtis quoque ſentiendum ſit, ex ſacrarum literarum analogia quadam, & iſtorum dogmatum cum iis, quæ ſcripta ſunt, vel convenientia aliqua, vel diſcrepantia, à prudentibus, ſaltem probabiliter, exiſtimari poteſt.

‡ *Iis præſertim*, *de quibus*] Neſcio quænam dogmata *ad religionem* pertinentia talia ſint, *de quibus* abſque Scripturis, *ipſa ratio ac ſenſus communis judicare per ſe poteſt*. Nam dogmata religionis quà talia, fide ſuſcipi debent; fides autem eſt habitus inevidens & rerum quæ non videntur Heb: XI, I. ideſt quæ ſub rationem hominis animalis & ſenſum communem quà tales cadere non poſſunt.

His ita explicatis, videndum eſt, quid in contrarium afferri ſoleat. Primùm igitur ex eo, quòd Johannes (*Ioh: 20. 30. & 21. 25.*) non omnia Chriſti facta literis conſignata eſſe dicit, imò, ſi ſingulatim deſcriberentur, mundum illos libros non capturum affirmat, colligere ii ſolent, contra quos diſputamus, quaſdam ab Apoſtolis Eccleſiæ traditiones relictas eſſe. Eſto ita. nondum hoc illud eſt, quod quæritur. An enim fortè ex Iohannis verbis conſtat, eas ex earum fuiſſe numero, quæ ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſariæ? eas hodiè quoque certò & indubitatò ſciri? atque adeò eas ipſas eſſe, quæ nobis credendæ obtruduntur? haudquaquam. At hæc ſunt, quæ in controverſiam veniunt. Johannes de miraculis Chriſti loquitur. at quæ hodiè tanquam ad ſalutem neceſſariæ urgentur traditiones, non facta Chriſti miraculoſa ſunt, ſed dogmata atque inſtituta, quorum in Johannis verbis nulla fit mentio. Neque verò iſtorum Chriſti miraculorum, quæ ſcripta non ſunt, notitia certa ab iis, cum quibus hîc res eſt, jactatur, niſi fortè paucorum, quæ ſine ſalutis jactura non minùs ignorari poſſunt, quàm cætera ignorantur. Quid? quòd ipſe Johannes indicat, eorum cognitionem ad ſalutem neceſſariam non eſſe. Docet enim, ea, quæ ipſe ſcripſerat, ſufficere ad credendum, Jeſum eſſe Chriſtum. At hic unicus revera cognitionis miraculorum Chriſti finis eſt, & eatenus demum eorum notitia ad ſalutem videtur ſpectare, quatenus ad iſtius rei fidem nobis ingenerandam pertinent. Quòd ſi ergo ſine iis, quæ ſcripta non ſunt, fides illa nobis ingenerari poteſt, ut ſanè poteſt; apparet, eorum notitiam ad ſalutem non eſſe neceſſariam: nec mirum eſt, eam tandem in Eccleſia intercidiſſe. Illa quoque Chriſti verba adducere ſolent adverſarii, quibus diſcipulos ſuos ſic alloquitur: (*Ioh: 16. 12.*) *Adhuc multa habeo vobis dicenda, ſed quæ nunc ferre nequeatis. cùm autem venerit ſpiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem.* Ex quo loco mirandum eſt, quo pacto audeant concludere, Apoſtolos non omnia ad ſalutem neceſſaria literis conſignaſſe cum antecedens nullam ad hujus conſequentis illationem vim habeat; nec quemquam, qui locum inſpexerit, latere poſ- 398.
ſit, Chriſtum ante mortem reſurrectionemque ſuam, atque ante ſpiritum veritatis

 ritatis

ritatis miſſum, diſcipulis ſuis hæc verba feciſſe. Quo tempore, licet propter judicii imbecillitatem omnia Chriſtianæ religionis myſteria percipere non potuerint: poſtea tamen eos plenâ illorum notitiâ, quâ ad Apoſtolicum munus obeundum opus erat, completos fuiſſe, ex his ipſis Chriſti verbis clariſſimè patet. Quomodo igitur ex eo, quòd ante acceptum ſpiritum ſanctum omnia Chriſtianæ religionis myſteria intelligere non poterant, ſequitur, eos, poſtquam ſpiritum ſanctum acceperunt, & ſic omnia illa myſteria plenè intellexerunt, ea non ſcripſiſſe, quæ cæteris hominibus, quorum ſaluti conſulere debebant, ad eam adipiſcendam omnino eſſent neceſſaria? imò ſi quippiam ex hoc loco in alterutram partem concludi poteſt, potiùs inde colligendum eſt, eos, cùm omnia plenè per ſpiritum ſanctum edocti eſſent, quantum unicuique neceſſarium eſt, literis conſignâſſe, aut conſignari curâſſe. Quid verò abſurdius eſt, quàm multa illa, quæ Apoſtoli tunc ob Spiritus S. deſtitutionem mente complecti non poterant, referre ad miſſas, indulgentias, virginis Mariæ aſſumtionem ac glorificationem, demortuorum Sanctorum cultus ac venerationes, imaginum paniſque adorationem, purgatorium, Papæ primatum, Sacerdotum cœlibatum, dierum ciborumque diſcrimen, feſtorum celebrationes, quadrageſimam, & alia complura, his perquam ſimilia, quæ Pontificii Apoſtolicarum traditionum nomine dignantur. Atqui animadvertendum erat, illa multa, quæ ad ſpiritus ſancti adventum reſervata fuerunt, adeò fuiſſe ardua, ut citra ſingularem divini Spiritus illuminationem ab Apoſtolis percipi non potuerint; poſtea autem & ab ipſis, & ab aliis, quos illi docuerunt, rectè fuerint percepta. At iſtiuſmodi Pontificiorum traditiones vel adeò ſunt ad intelligendum faciles ac promptæ, ut etiam à pueris vetuliſque planè & exploratè percipiantur, nedum ut Apoſtoli Domino Jeſu aſſiduè utentes, iſta, quantumvis adhuc Spiritu ſancto deſtituti, aſſequi nequiverint; vel adeò ſunt abſurdæ & ab omni ratione adhorrentes, ut intelligi propterea nequeant, quòd contradictionem involvant, ut † Trinitatis ac miſſæ dogma, ut alia nunc mittam.

† *Ut Trinitatis ac Miſſæ*] Deus te compeſcat os impurum! Quid enim iniquius quam fundamentalem articulum Religionis Chriſtianæ, cujus profeſſionem expreſſam ipſe Chriſtianorum Baptiſmus tam luculenter continet, conferre cum Miſſæ commento, quod miſſum eſſe faciendum ex tota Scriptura liquidò colligitur?

Porró cum Romanenſes omnia iſta, quæ hactenus diximus, ad ſeſe referant, Apoſtolicarumque traditionum cuſtodes ſeſe eſſe aſſerant; oſtendemus, eos hoc falſó ſibi tribuere. Intelligendum enim eſt, quatuor potiſſimùm re-
399. quiri, ut aliquis hominum cœtus iſtarum traditionum cuſtodem ſe dicere poſſit: ut

Digitized by Google

ſit: ut nimirum, eam veram Chriſti Eccleſiam eſſe, omnibus ſit exploratiſſimum: ut ejuſdem cœtûs primarii homines nullo modo ab illis diſſentiant: ut eas ab ipſis Apoſtolorum temporibus uſque ad noſtram ætatem integras atque incorruptas conſervari potuiſſe, planiſſimè conſtet: ut denique ſcripto Dei verbo nequaquam repugnent, ſed ei per omnia congruant: cùm in divinum veracemque ſpiritum nulla cadat repugnantia, nullumque mendacium.

Primum igitur, quod in hoc negotio requirimus, Romanenſium Eccleſiæ adſcribi non poſſe, infrà, (*lib. 6.*) cùm de Eccleſia ex profeſſo agemus, copiosè demonſtrabitur. Hîc verò interea obiter dicimus, hac de re jam inde ab Apoſtolorum temporibus, quænam & ubi eſſet vera Chriſti Eccleſia, ſemper dubitatum, atque adeò acerrimè diſputatum fuiſſe; maximè autem tunc, cùm Eccleſiarum orientalium ab occidentalibus diſcidium extaret. Quod unum ſatis eſſe poſſet ad oſtendendum, Eccleſiam Romanenſem, primam rem ad hoc negotium pertinentem minimè habere, id eſt, minimè exploratum eſſe, eam jurè Eccleſiæ Chriſti veræ titulum uſurpare.

‡ *Hîc verò interea obiter*] Sed potiùs inter ipſas Eccleſias *dubitatum* & *diſputatum* eſt olim de veritate circa hoc vel illud dogma penes quam Eccleſiam eſſet, quam formaliter & conceptis verbis, *quænam & ubi eſſet vera Chriſti Eccleſia*, ut vix Orthodoxi, de hac quæſtione diſputarint cum aliis quam cum Donatiſtis: Nec tam de Eccleſia ipſa quam de primatu agi cœpit *cum Eccleſiarum Orientalium ab Occidentalibus diſcidium extitit.* Quod tamen hodie ſufficit adverſus *Eccleſiam Romanenſem*, quæ illum primatum, quem ſibi falsò arrogat, veræ & infallibilis Eccleſiæ Characterem indubitatum eſſe ſtatuit.

Alterum quoque, nempe conſtantiſſimam in iſtis traditionibus cuſtodum conſpirationem atque conſenſionem, eam nequaquam habere, argumento eſt illa de feſto Paſchatis veterum contentio, quam Socrates lib: 5. cap. 22. commemorat, (*vid. etiam Euſeb. Eccleſ: hiſt. lib. 5. cap. 23. & ſeqq.*) negans illud ab Apoſtolis inſtitutum fuiſſe: cùm tamen reliqui id Apoſtolis adſcribant. Et hi quidem rurſus in diverſas partes ita ſunt diſtracti, ut alii, videlicet occidentales, Paulum Petrumque ſeſe ſequi profitentes, poſt decimumquartum tertii menſis diem Paſcha ſuum celebrârint: Orientales & Aſiatici Johannem Philippumque autores ſe habere dicentes, ipſo decimoquarto ejuſdem menſis die hoc feſtum religiosè agitare conſueverint, At tanti hæc res olim fuit æſtimata, ut Victor Epiſcopus Romanus Eccleſias Aſiaticas propterea exommunicârit, quo nomine fuit ab Irenæo atque aliis reprehenſus. (*Euſeb: l. 5. Eccl: Hiſt. c. 25. 26. & Soc: d. l. c. 22. lib. 5. Hiſt. Eccl.*) Accedit, quòd Epiphanius, aliique patres, quos Romanenſes ſequuntur, jejunia ſtatis definiverunt temporibus: at Auguſtinus in Epiſt. 68. ad Caſulanum hunc in modum ſcribit: *Quibus diebus ſit jejunandum, nec à Domino, nec ab Apoſtolis definitum eſt.* Huc pertinent omnia,

quæ de admirabili rituum ac ciborum in diverſis locis varietate, tum Socrates, tum Beatus Rhenanus, aliique quàm plurimi ſcripſerunt: ex quibus facilè perſpicitur, nihil minùs iſta omnia, quàm Apoſtolorum traditiones eſſe. Quod idem de Euchariſtia infantibus, ut olim in Latina Eccleſia per tempus ſat longum fiebat, adminiſtranda, de ejuſdem mutilatione, ac quaſi decurtatione, aliiſque non paucis judicandum eſt, quæ
400. ab Apoſtolis inſtituta eſſe, alii ex iſtis traditionum cuſtodibus affirmant, alii negant. Qua de re vide Gelaſium diſtinct. 2. de conſecrat. Sabellicum Ennead: 7. lib. 2. Johannem Papam in vita Gregorii. Hinc perſpicuum eſt, quanta in varietate iſti traditionum cuſtodes ſint conſtituti.

Videamus jam, an, ſi ullæ unquam tales extiterunt Apoſtolorum traditiones, ſine ulla dubitatione ſtatui poſſit, eas jam inde ab ipſis Apoſtolorum temporibus, ad hanc uſque ætatem noſtram, ſalvas incolumeſque conſervatas fuiſſe. Quæ quidem res cur in dubium vocetur, cauſæ occurrunt evidentiſſimæ. Nam & cuſtodes, ut videmus, habuêre incertiſſimos; & labilis hominum memoria, & ſumma rerum divinarum, quæ omnibus propè ſeculis regnavit, negligentia, & magna ingeniorum perverſitas, nequaquam patitur, ut res nullis monumentis conſignatas, temporis longinquitate minimè deleri potuiſſe, nobis perſuadeamus. Quòd ſi Dei providentiâ abſque ſcriptionis adminiculo ſervari potuiſſe dicas; nihil efficies, niſi ſimul etiam probaveris, Deum id facere voluiſſe. Voluiſſe autem eum aliâ præter ſcripturam ratione, his præſertim ſeculis, voluntatis ac veritatis ſuæ notitiam inter homines conſervare, unde, quæſo, conſtat? contrà verò non niſi ſcripturarum beneficio eum perpetuæ hominum memoriæ conſultum voluiſſe, nos ſuprà ratione, & auctoritate ipſius ſcripturæ ſacræ, exemplisque inde petitis demonſtravimus.

Reſtat, ut ſcripto Dei verbo traditiones, quæ à Pontificiis jactantur, adverſari oſtendamus. Verùm quia id partim in ſuperioribus à nobis eſt præſtitum, in quibus inter alia de imaginum veneratione, de Sanctorum demortuorum cultu, de Miſſæ ſacrificio egimus, partim inferiùs in variarum quæſtionum explicatione copioſè præſtabitur; ideò hoc loco ei rei immorari non eſt neceſſe. Quare cum omnibus illis rebus deſtituantur Romanenſes, quibus inſtructos eſſe oporteret eos, qui ſe Apoſtolicarum traditionum cuſtodes eſſe, jure gloriari vellent; concludendum eſt, eos hac de re gloriari nullo jure poſſe.

Digitized by Google

C A P. IX.

De Trinitate.

Reſpondente ARNOLDO SEITTHERO, Benthemo-Weſtfalo.

VErùm ut illud, quod altero loco à nobis propoſitum fuit, tandem aggre-
diamur; intelligendum eſt, adhuc veteratorem iſtum Satanam nequa-
quam ſatis habere. Ut enim ſancta volumina & verè & perſpicuè conſcripta 401.
eſſe pleniſſimam ſempiternæ ſalutis rationem continere, tandem concedat:
miro tamen artificio ea ex illis dogmata elicit, quæ partim gloriæ divinæ, par-
tim humanæ ſaluti non parùm officiant. Atque huc primum pertinent errores,
qui de Deo, Chriſto, & Spiritu ſancto paſſim in Chriſtiano orbe vigent.
Iſtius enim hoſtis noſtri artificio jam olim effectum eſt, ut homines nec ſatis
intelligerent, qua ratione Deus eſſet unus, comminiſcentes in una illius eſſen-
tia tres divinas perſonas, quarum prima ſit Pater, altera Filius, tertia Spiri-
tus ſanctus: nec perciperent, quo pacto Deus, ut primus ſalutis noſtræ au-
tor, per filium ſuum Jeſum Chriſtum ſalutis rationem peregerit; perſuaſi,
hunc cum Patre eâdem contineri eſſentiâ, hujuſque ratione unum eundemque
cum illo eſſe: nec mente concipere poſſent, qua ratione ex Chriſti à mortuis
reſurrectione, noſtra penderet colligique deberet reſurrectio; ſtatuentes in
Chriſto Dei filio duas naturas, nempe divinam & humanam: cum inſignis hac
in re illius à nobis diſſimilitudo, nequaquam nos reſurrectionis iſtius ſpem ex
illius in vitam reſtitutione ſuſcipere permittat; quamvis divinus ſpiritus, Chri-
ſti à mortuis reſurrectionem firmiſſimum noſtræ reſurrectionis argumentum
eſſe, aliquot in locis apertiſſimè doceat. (*1 Cor: 15. 12. & ſeqq. 2 Cor: 4. 14.
1 Theſſ: 4. 14.*) Quomodo autem hoc cum vero conjunctum eſſe poteſt, ſi
Chriſtus, utpote divinâ naturâ, ut iſti affirmant, præditus, ſeipſum quidem à
à mortuis excitavit: nos verò, utpote divinâ naturâ deſtituti, id ipſum per
naturæ noſtræ imbecillitatem præſtare minimè poſſumus? Unde efficitur, ut
noſtram futuræ reſurrectionis ſpem, ex ſententiæ iſtius vi, ut futilem inanem-
que evaneſcere oporteat; quæ tum demum firma explorataque futura eſt, ſi
Chriſtum æquè, ac de nobis futurum dicitur, non ſua propria vi, ſed à ſummo
illo Patre in vitam revocatum eſſe, nobis perſuaſum fuerit. Quid, quòd idem
hoſtis noſter iſta confingendo, eâ homines difficultate implicavit, ut quo pacto
Deus filium, ſalutis nobis afferendæ gratiâ, ante jacta fundamenta mundi præ-
viderit, & tandem maturo tempore adveniente, ex Davidis ſemine ortum,
exque virgine natum miſerit, intelligere nequaquam poſſent: quanquam tum
Petrus, (*1 Pet: 1. 20.*) tum Paulus, (*Rom: 1. 3. Gal: 4. 4.*) tum reliqui Novi Teſta-
menti ſcriptores, rem ita ſe habere luculentiſſimè teſtificantur. Quis enim
tanto

Digitized by Google

tanto ingenio fuit, eſt, aut erit unquam, ut quomodo præſciri, quomodoque in tempore naſci is potuerit, qui ab omni æternitate ex Dei eſſentia genitus eſt, & ideo ſemper extitit, mente animoque comprehendat? Ad extremum, Spiritum ſanctum divinam perſonam faciendo, in tantam animos hominum
402. conjecit difficultatem, ut quo pacto idem Dei ſpiritus piorum nationi donetur, inque eam effundatur, intelligi non poſſet: cum neutrum in perſonam, quæ ipſe Deus ſit, cadere, nemo non videat. His omnibus commentis perennis ille inimicus noſter, non ſolùm eorum, qui tunc ad Chriſti ſeſe populum aggregaverant, fidem haud leviter oppugnavit: ſed etiam illos, qui Chriſti doctrinam amplexuri tunc fortaſſe erant, & hodie amplecterentur, niſi per illius fraudes ac fallacias ſtaret, à veritatis ſtudio & prohibuit olim, & nunc etiam prohibet; utpote quæ non modò divinis vocibus, quas eorum nonnulli ex parte agnoſcunt, ſed etiam rectæ rationis judicio apertiſſimè repugnent. Nos igitur, ut illius fallacias detegamus, omnia iſta ſigillatim ponderabimus, & quantum in nobis fuerit, divina ope implorata convellemus.

‡ *Atque huc primum pertinent*] Incipe à te Volkeli, & verum dixeris: Nam revera huc pertinent errores veſtri, *de Deo, Chriſto & Spiritu Sancto*, quos Chriſtiano orbi, recolligentes veterum Hæreticorum vomitum, obtrudere conamini. Stat benè Trinitas perſonarum in divinis, cum eſſentiæ divinæ abſolutiſſima unitate; cùm nihil delibet de unitate animæ tuæ, ſi magna parvis componere licet, trinitas in illa Facultatum, intellectus, voluntatis & memoriæ. Nec potuiſſet ſalus noſtra à Chriſto confici, niſi fuiſſet cum Patre verus Deus & vita æterna, adeoque verè θεάνθρωπος & Deus ac homo in unitate perſonæ.

Unum eundemque cum illo] Atqui ſi loquatur Volkelius de identitate ſubſiſtentiæ & perſonali, calumniatur Orthodoxos; ſi de identitate eſſentiæ & naturali, hoc dicit ipſe Chriſtus in Scriptura, *Pater & ego unum ſumus* Joh:x,30.

Nec mente concipere] Optimè Scriptura noſtram reſurrectionem futuram colligit ex reſurrectione Chriſti, eò quod noſtram carnem eadem facilitate & potentiâ queat ex ſepulchro reducere, qua ſuam vivificavit, & templum corporis ſui, furore Judæorum everſum, intra triduum iterum excitavit Joh: 11, 19. Et tantum abeſt, ut *diſſimilitudo* Chriſti à nobis quoad dignitatem perſonæ imminuere valeat ullo modo fiduciam noſtræ reſurrectionis, ut è contrario hęc fiducia inde pendeat quod Chriſtus ſit propter perſonæ ſuæ eminentiam ipſamet *reſurrectio & vita*, Joh:xi, 25.

Quomodo autem hoc] Sumus quidem ſuſcitandi à mortuis ſicut Chriſtus ex mortuis reſurrexit & factus eſt *primitiæ eorum qui obdormierunt* 1 Cor:xv,20. unde dicitur *primogenitus ex mortuis* Col:1, 18. Apoc:1,5. Sed tamen non ſequitur inde debere nos ipſos à mortuis ſuſcitare, *ſi Chriſtus ut pote divinâ naturâ præditus, ſeipſum à mortuis ſuſcitavit*. Quod ſi Chriſtus reſpectu totius ſui merè paſſivè ſe habuit ad ſuam reſurrectionem, nihilque contulit propriæ ſuæ virtutis ad hoc opus, non video cur magis ex reſurrectione Chriſti, Chriſtianorum reſurrectio debeat colligi, quam ex reſurrectione Lazari, vel eorum quorum fit mentio Matt: xxvii, 52. 53. Imò non video cur activè debeat in ultimo die aliquid conferre ad noſtram reſurrectionem, ſi merè paſſivè ſe habuit

Digitized by Google

ſe habuit ad ſuam: aut qui credatur voce & vi ſua ſuſcitaturus corpora noſtra, ſi naturâ divinâ præditus negetur; cùm ſuſcitatio mortuorum non minus quam Creatio ipſa ſit opus omnipotentiæ, quod omnes creatas vires in infinitum ſuperat. Nec poteſt Volkelius pertendere, tum demum firmam exploratamque fore ſpem noſtræ reſurrectionis, *ſi Chriſtum æquè ac de nobis futurum dicitur, non ſuâ propriâ vi, ſed à ſummo illo Patre in vitam revocatum eſſe, nobis perſuaſum fuerit*, quin ſtatuat Chriſtum non magis quicquam contributurum ad noſtram reſurrectionem, quam ad ſuam, adeoque eam non à Chriſto ſed à ſolo Patre eſſe expectandam. Adde quod perperam in Chriſti ſuſcitatione opponuntur propria ipſius vis & ſummi Patris virtus, cùm unica eademque ſit Patris & Filii ut eſſentia ſic potentia.

Quid quod idem hoſtis] Difficultates ſibi nectit Adverſarius gratis, ac nodum in ſcirpo quærit. Sanè potuit Chriſtus præſciri, ſive præconſtitui in Redemptorem noſtrum ante jacta mundi fundamenta, & naſci humanitatis ſuæ reſpectu in tempore, juxta loca Petri & Pauli citata Volkelio, licet quà Deus *ab omni æternitate* ex Dei eſſentia genitus ſit & ſemper extiterit. Non obſtat æternitas Chriſti ejus præordinationi in Redemptorem noſtrum de qua 1 Pet: 1, 20. ut nec ejus incarnationi ac nativitati in tempore ex Davidis ſemine & matre Virgine; cùm Patri coæternus potuerit ab æterno decerni in Mediatorem noſtrum, & carnem noſtram ad hoc munus aſſumere in tempore.

Ad extremum, Spiritum] At verò iſta non magis repugnant perſonalitati Spiritus Sancti, quam evertit perſonalitatem Patris ac Filii, quod ambo dicantur in nobis habitare & manere, & hic ſpeciatim donum Dei dicatur Joh: IV, 10. & toti piorum nationi proponatur manducandus ad vitam æternam.

His omnibus commentis] Ut iniquè admodum veritates Catholicas & fundamentales Chriſtianiſmi, iſti homines *commentis* humanis annumerant, ita facilè oſtendemus eas, *divinis vocibus* eſſe conformes, nec *rectæ rationis judicio* repugnare: Sed hæreticos, illis impugnando, & rectæ rationi reluctari, & divinas voces depravare ac corrumpere.

Ac primò quidem ad tres perſonas unâ eſſentiâ comprehenſas quod attinet; nihil hac ſententia à vero alienius eſſe inde patet, quòd non ſolum ipſa rei iſtius natura, ſed omnes etiam ſanæ mentis homines ſummo conſenſu comprobant, divinam eſſentiam numero unam, unumque adeò tantummodò Deum eſſe. Ex quo conſequitur, fieri nequaquam poſſe, ut in divina eſſentia plures ſint perſonæ, quarum quælibet ſit unus ille verus ſempiternuſque Deus. Hæc enim uſque adeò ſe invicem convellunt, ut pluribus in divina eſſentia perſonis conceſſis, ejuſdem unitas neceſſariò tollatur. Nam & unum & tres ſummos Deos hæc ſententia inducit.

‡ *Ac primò quidem ad tres*] Cum Trinitate perſonarum, unitati Eſſentiæ divinæ, quam largimur & ſuſpicimus, optimè convenit, teſte Apoſtolo 1 Joh: V, 7. qui hos tres, Patrem, Filium & Spiritum, *unum* pronunciat. Unde jubentur Apoſtoli baptizare in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti Matt: XXVIII, 20. ubi trium perſonarum unum *nomen* propter unitatem eſſentiæ commemoratur. Et cùm duæ perſonæ per legem connubii una caro ſint, atque una ſpecie eſſentia finita, v. g. humana, pluribus ſuppoſitis & perſonis numero diſtinctis ſit communicabilis,

Digitized by Google

non eſt quod pertendant Hæretici, pluralitatem perſonarum in divinis everti unitate eſſentiæ, quæ infinita cum ſit citra ſui diviſionem aut multiplicationem, pluribus ſuppoſitis communicari poteſt. *Pluribus* quidem *in divina eſſentia perſonis conceſſis*, neceſſariò tollitur unitas perſonæ divinæ, ſed non unitas eſſentiæ & naturæ. Manet unitas formalis naturæ humanæ, juxta omnes Philoſophos, licet pluribus perſonis communicetur. Si naturæ finitæ unitas ſpecifica non tollitur pluralitate perſonarum quæ eam participant, quanto minùs tolletur unitas numerica naturæ & eſſentiæ Divinæ, quæ eſt infinita, eò quod pluribus perſonis conveniat?

Nam & unum & tres] Id eſt falſiſſimum; Nam licet tres ſint perſonæ divinæ, non tamen ideo ſunt tres dii, cùm illę tres perſonę conveniant in una numero eſſentia & natura: Is non inducit tres animas, qui tres in illa diſtinctas facultates conſiderat, intellectum, voluntatem & memoriam; neque tres Soles, qui tria in Sole diſtinguit, nempe radios, lucem & calorem.

Fieri enim non poteſt, quin ſi ea vera eſt, quælibet divina perſona propriâ ſuâ nitatur ſubſtantiâ; (aliter nec per ſe ſubſiſteret, nec revera alia à reliquis cenſeri poſſet:) & ſic non una, ſed tres ſint divinæ eſſentiæ. Eſſentia quippe intellectu prædita, qualem Dei eſſe nemo ignorat, nihil quicquam à perſona differt; cum perſona nihil ſit aliud, quàm eſſentia, ſeu mavis, ſubſtantia intellectu prædita.

‡ *Fieri enim non poteſt*] Equidem *quælibet divina perſona propriâ ſuâ* nititur ſubſiſtentiâ, ideſt ſpeciali τρόπῳ ὑπάρξεως quem obtinet in natura communi, & juxta quem à cœteris duabus diſtinguitur; cujuſmodi ſunt Innaſcibilitas Patris, Generatio Filii ex Patre, & Proceſſio Spiritus Sancti ex Patre Filioque: Sed ſi vox *ſubſtantiæ* ſumatur pro rei eſſentia & quidditate, non debet quælibet perſona divina propriâ ſuâ niti ſubſtantiâ, ſive habere particularem ac ſpecialem ſibi eſſentiam, diſtinctam ab eſſentia aliarum duarum: Cùm eſſentiæ divinæ, ut ut ſingulariſſimæ, propter infinitam ſuam perfectionem, conveniat non uno ſubſiſtendi modo ſed tribus inter ſe diſtinctis terminari & exiſtere. Et ſic quælibet trium perſonarum *per ſe* exiſtit, ideſt non in alio tanquam pars vel accidens illius, eò quod unicam & communem habent ut eſſentiam ſic & exiſtentiam; cùm illa earum eſſentia neceſſariò exiſtat & ſit actus puriſſimus: Verùm ut quęlibet perſona divina exiſtit per ſe, exiſtentiâ communi duabus aliis, ita quælibet earum ſubſiſtit modo ſibi peculiari & incommunicabili alteri; prout eidem numero & natura ſubjecto, plures modi reales à ſe invicem diſtincti & ſibi mutuò incommunicabiles poſſunt convenire; ut obſervant Metaphyſici in tribus decantiſſimis affectionibus Entis, Uno, Vero, Bono. Quam parum autem Philoſophicè tres diſtinctas Entitates faceres ex tribus hiſce affectionibus Entis inter ſe diſtinctis, aut velles unamquamque earum propriâ ſuâ niti Entitate, eo quod abſque Ente cui conveniant nec exiſtere nec concipi poſſunt, cùm habeant ſimul unam communem Entitatem; tam parum Theologicè tres diſtinctas eſſentias colliges in Deo ex tribus perſonis inter ſe diſtinctis, eò quod abſq; ſua ſubſtantia ſive eſſentia, nec concipi nec exiſtere poſſint; cùm ſuā habeant ſubſtantiam unicam & communem, licet modo ſibi cuique proprio & incommunicabili: Pater per innaſcibilitatem, Filius

per

Digitized by Google

per generationem à Patre, Spiritus Sanctus per proceſſionem ab utroque.

Eſſentia quippe intellectu] Hoc eſt πρῶτον ψεῦδος adverſariorum, quod facile eſt evertere. Quam enim debeat diſtingui, etiam in Creaturis, eſſentia à perſona, quamque ſit vitioſa definitio perſonæ quæ hic à Volkelio profertur, & ratione & exemplis demonſtrari poteſt. Id primum evincit ſana ratio: Nam eſſentia eſt quid communicabile, ſiquidem ea cenſetur communicari perſonæ; ut ſatis percipio mihi debuiſſe communicari eſſentiam humanam, ad id ut homo forem: Sed perſona eſt quid ultimò completum & omninò incommunicabile. Tum homo generans hominem, cenſetur ei ſuam eſſentiam communicare; neutiquam ſuam vel perſonam, vel perſonalitatem. Deinde anima ſeparata Lazari eſt ſubſtantia ſingularis intellectu prædita: attamen perſona dici nequit, cùm non ſit per ſe una, & habeat eſſe incompletum & ſit pars perſonæ humanæ, remaneatque communicabilis corpori ſuo, ad integræ perſonæ reſtitutionem.

Ex quo fit, ut planè explodenda iſta ſententia ſit, niſi cum Sabellio delirantes, unam tantùm Dei perſonam, jam Patris, jam Filii, jam denique Spiritus ſancti nomine appellari volumus: præſertim cum ii, qui tres illas in divina eſſentia perſonas ſtatuunt, nihilominus aſſerant, Dei eſſentiam omni compoſitione vacuam eſſe; numero autem unicam ac ſingulariſſimam eſſe omnes agnoſcant. quod quidem hanc ob cauſam ſtudioſiſſimè inculcandum, ne fruſtra quis ſubſtantiam primam, quam vocant, cum ſubſtantia ſecunda, quarum illa numero, hæc ſpecie tantùm aut genere unica eſt, ad hunc errorem ſtabiliendum confundere ſe poſſe confidat. Tametſi enim, verbi causâ, natura humana unica multis perſonis humanis communis eſt: tamen cum non numero, verùm ſpecie, quod ajunt, una ſit; quid, quæſo, cum hac noſtra commune ha- 403
bere poteſt, quam primam atque adeò unam numero eſſe, jam apud omnes conſtitutum eſt? In una ſubſtantia ſecunda hoc pacto plura comprehenduntur ſuppoſita, ut interim præter illam communem animoque conceptam eſſentiam, quodlibet ſingulare ſuam peculiarem habeat eſſentiam, quâ à reliquis omnibus ſegregatur. Homo enim, verbi gratiâ, & Petrum & Paulum & Johannem ita complectitur, ut quilibet horum propriam ſuam humanitatem, ſeu humanam naturam atque eſſentiam habeat. Id quod in divinitate longè ſecus eſſe, ipſi adverſarii fatentur. aliter enim tres Deos fore, ipſimet ultrò fatentur, imò contendunt. Reliquum igitur eſt, divinam eſſentiam non eſſe ſecundam ſubſtantiam, ſed primam; & porrò exemplum humanæ naturæ, quæ pluribus perſonis ſit communis, ad explicandum, quo pacto unica Dei eſſentia pluribus perſonis communis eſſe queat, nihil habere momenti.

‡ *Ex quo fit, ut planè*] Nec debet explodi hæc veritas Catholica tam infirmo argumento, quo perperam opponuntur quæ amiciſſimè componi poſſunt ac debent, ſcilicet eſſentiæ divinæ unitas, & pluralitas perſonarum: Nec admitti debet ideo Sabellianiſmus, cùm veram diſtinctionem perſonarum divinarum agno-

Digitized by Google

ſcamus, eamque modalem, per τρόπυς ὑπάρξεως planè diſtinctos, non merè nominalem, aut ſolius rationis.

Dei eſſentiam omni compoſitione] Ex tribus perſonis inter ſe diſtinctis, nulla compoſitio in Dei natura poteſt colligi: cùm illa diſtinctio fundetur in modis ſubſiſtendi, quorũ eſt modificare, non propriè componere. Sed neque hoc argumentum à Simplicitate Dei benè ſonat in ore Socinianorum, quibus non repugnat Dei eſſentiam componi ex genere & differentia, item ex ſubjecto & accidente.

Numero autem unicam] Fateor eſſentiam divinam eſſe *numero unicam ac ſingulariſſimam*: Sed ut per id ſua communicabilitas ei non perit, prout mihi communicabilis & de facto communicata fuit illa natura humana ſingularis quæ mea eſt meaque ſubſiſtentiâ terminatur; ita nullam implicat contradictionem, eandem cùm infinita ſit, communicari pluribus ſuppoſitis, & tribus ſubſiſtentiis diſtinctis terminari, licet quomodo id fiat capere aut aſſequi non poſſimus, magis quam partum virgineum, aut reſurrectionem mortuorum, vel creationem mundi ex nihilo. Nec tamen multum deferendum obſervationi Volkelianę, de ſubſtantia prima & ſecunda. Quamvis enim in rebus creatis, non procedat ſemper argumentum à ſubſtantia ſecunda ad primam, vel ab unitate ſpecifica ad numericam, tamen benè procedit hoc argumentum à minori ad majus, à Creaturis ad Creatorem: Etenim, ut benè jam olim arguebat Raymundus de Sabunde *Theol: nat. tit.* 53. *ſi una natura creata de nihilo eadem ſpecie ſed non numero, poteſt eſſe in pluribus realiter, ut patet, quia una natura humana eſt in pluribus realiter eadem ſpecie, ut in Petro & Iohanne; quare non dabimus unum gradum majorem in unitate ipſius naturæ increatæ, infinitæ & ſine menſura, ut ſcilicet ipſa natura divina infinita, increata, una, neceſſariò indiviſa, realiter ſit & poſſit eſſe in pluribus perſonis inter ſe diſtinctis? Unde major unitas & identitas poſt unitatem in ſpecie, eſt unitas in numero. Ergo ſicut natura divina increata & infinita, aſcendit ſemper ſupra naturam creatam & finitam ſine menſura, ita unitas naturæ infinitæ & increatæ, aſcendit ſemper ſupra unitatem naturæ finitæ & creatæ, & hoc ſine menſura. Ergo poſtquam natura creata eadem ſpecie invenitur realiter in pluribus & ei repugnare non poteſt, quin hoc poſſit; ergo ipſa natura infinita, increata, eadem numero invenitur realiter in tribus; & ſibi non repugnat.* Hæc malui exprimere verbis iſtius Authoris, qui vixit ante 200. annos, quam meis, quo conſtet iſtam Volkelii obſervationem quam *ſtudioſiſſimè* velit inculcatam, præviſam & refutatam fuiſſe diu antequam prodiiſſet.

Quid quæſo cum hac] Id videlicet, ut quod formaliter habet perfectionis unitas ſpecifica naturæ humanæ, per quam *multis perſonis humanis communis* eſſe poteſt, conveniat eminenter unitati numericæ naturæ divinæ, ut hæc ejus unitas non repugnet illius communicabilitati pluribus ſuppoſitis. Et pro eo quod natura humana ſpecificè una multiplicatur numericè in perſonis humanis quibus communicatur, natura divina numericè una communicetur tribus perſonis citra ſui diviſionem vel multiplicationem; unde fiat ut non ſint tres Dii ex illa communicatione, ſicut ſunt plures homines ex altera.

Reliquum igitur eſt] Agnoſcimus equidem naturam divinam eſſe *ſubſtantiam primam*, ideſt ſingularem naturam, non univerſalem: Sed hanc ejus ſingularitatem negamus ejus communicabilitati obeſſe: cùm etiam natura ſingularis humana, ſuo ſuppoſito ſit communicabilis, ut in unoquoque noſtrûm facilè experimur. Quanquam ludit Volkelius in nomine *ſubſtantiæ primæ*. Si enim eo nomine intelligat ſubſtantiam ſingularem completam & incommunicabilem, cujuſmodi eſt perſona in intelligentibus; negamus eſſentiam divinam eſſe talem *ſubſtantiam primam*, cùm non ſit

Digitized by Google

non ſit perſona, ſed natura communis tribus perſonis; Si autem nomine ſubſtantiæ primæ intelligat tantum eſſentiam ſingularem ac individuam, quæ nequit dividi in plures ejuſdem nominis & naturæ, ei ſingularitati non obſtat communicabilitas & communicatio de qua loquimur. Sed latebras quærit ſuo errori in promiſcua uſurpatione terminorū, qui tamen diverſa ſignificant. Nam ſubſtantia prima propriè dicitur de ſuppoſito completo & incommunicabili; Eſſentia verò & natura ſingularis ſubſtantialis, cujuſmodi eſt Divinitas, abſtrahit à ſuppoſitalitate & communicabilis cenſetur. v. g. anima ſeparata Lazari, eſt natura vel eſſentia ſingularis intelligens; attamen perſona non eſt, vel incommunicabilis ſuppoſito per ipſius reſurrectionem. Omnem quoq; perſonam humanam poſſumus dicere eſſe ſubſtantiam primam Ariſtotelico ſenſu; ſed nemo ſanus dixerit hanc perſonam humanam, v. g. Petrum, eſſe eſſentiā humanam, etiam ſingularem: cùm ſolum poſſit dici, Petrum habere eſſentiam & naturam ſingularem, quæ eo ipſo concipitur fuiſſe illi communicabilis & de facto communicata eſſe.

Et porrò exemplum humanæ] Hoc exemplum non adhibetur ad *explicandum* modū quo unica Dei eſſentia pluribus perſonis communicatur; ſed tantum ad oſtendendum quod illa communicatio non implicet contradictionem; cùm unica eſſentia humana, cui tamē minus convenit perfectionis quam divinæ, pluribus ſuppoſitis communicabilis ſit. Quamvis enim non ſit utrobique eadem ratio unitatis, tamen nulla ſubeſt ratio cur uni numero naturæ divinæ, citra ſui multiplicationem, non poſſit aliqua communicabilitas competere ei analoga quæ convenit uni ſpecie naturæ humanæ per illius multiplicationem.

Niſi fortè divinis attributis ſeu proprietatibus hanc ſententiam conſtitui poſſe putamus, quæ cum in Dei eſſentia contineantur, interque ſe diſtinctæ ſint, nullam tamen ejus unitati afferunt everſionem. Verùm alia perſonarum eſt ratio: alia iſtorum attributorum. Hæc enim unitatem iſtam ideò minimè tollunt, quia non ſunt ſuppoſita, aut ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentes, (ſic enim plurimas haberemus divinas perſonas;) ſed qualitates ſunt, divinæ eſſentiæ inhærentes, vel ſaltem qualitatibus per quandam analogiam reſpondent. Nil verò repugnat, eidem numero ſubſtantiæ plurimas ineſſe qualitates. In una autem ſubſtantia prima intelligente, quæ una eſt perſona, plures eſſe perſonas, impoſſibile eſt. Cum igitur perſpicuum ſit, trium perſonarum complexionem cum divinæ eſſentiæ unitate haudquaquam convenire; reſtat, ut aut tres eſſe ſummos Deos, aut divinam eſſentiam unicâ tantùm perſonâ contineri ſtatuamus. Quorum cum illud etiam apud adverſarios falſiſſimum ſit; neceſſarium profectò eſt, ut errorem iſtum planè repudiemus. Operæ pretium tamen eſt, quid huic divinæ veritati objiciant adverſarii, diligenter animadvertere.

‡ *Niſi forte divinis*] Hoc revera argumentum procedit bifariàm; Primò à ſimili: Nam ſi pluralitas attributorum divinorum non repugnat unitati eſſentiæ divinæ, non eſt quod eidem repugnare ſtatuatur pluralitas perſonarum. *Ut ratio probat*, inquit idem Raymundus de Sabunde, quem ante citavi, *eod. tit. quod idem eſt in Deo poſſe, intelligere & velle, & ſunt idem quod eſſe in Deo, & ſic tria ſunt unum; & tamen hoc quomodo fieri poteſt, nemo comprehendit. Tantum autem eſt incom-*

Digitized by Google

prehenſibile, quod eſſe Dei ſit tria hæc, ſc. poſſe, intelligere & velle, quantum quod tres perſonæ ſint una ſubſtantia & unum eſſe; & tamen primum omnes concedunt. Non neſcimus quidem majorem eſſe diſtinctionem perſonarum inter ſe per actus notionales modoſque ſubſiſtendi ſibi proprios & incommunicabiles, quam attributorum, inter quæ ſanior Theologia non aliud diſcrimen agnoſcit quam rationis: Interea tamen hactenus valet hoc ſimile, ut non potiori jure rejiciamus pluralitatem perſonarum in divinis, eò quod aſſequi non poſſimus quomodo in una numero eſſentia conveniant, quam pluralitatem attributorum divinorum, eò quod nequeamus ſatis comprehendere quo pacto ea poſſit conciliari cum unitate & ſimplicitate naturæ divinæ. Secundò ad hominem; nam hæretici, ut hîc videre eſt, non admittunt eam, quam aliàs propugnamus, ſimplicitatem abſolutam naturæ divinæ, ſed pertendunt in eam cadere accidentia & *plurimas qualitates*, quæ juxta ſententiam communiorem Peripateticorum realiter à ſuo ſubjecto & inter ſe differunt. Quam hæc ſententia ſit abſurda, nunc non diſputo: Qui Deum ſtatuunt compoſitum ex ſubjecto & accidentibus, non tantum labefactant ſimpliciſſimam & abſolutiſſimam Dei Entitatem, ſed etiam debent concipere Deo ſuperiorem aliquam cauſam, quæ hæc in ipſo compoſuerit. Sed ſi Volkelio nihil eſt abſurdi, in Dei ſimpliciſſima eſſentia concipere plurimas qualitates realiter inter ſe diſtinctas, multo minus abſurdum erit in Deo concipere tres diſtinctos modos ſubſiſtendi ſimpliciſſimæ illius eſſentiæ convenientes; inter quos minus eſt diſcriminis quam inter accidentia & qualitates diverſæ conditionis in eodem ſubjecto; ſiquidem diſtinctio modalis, quam ponimus inter perſonas, minor eſt reali, quæ ſtatuitur inter diverſas qualitates. Neque ſunt nobis perſonæ divinæ plures *ſubſtantiæ*, ideſt eſſentiæ *per ſe ſubſiſtentes*, uti non ſunt plures dii, ſed unaquæque earum eſt una & ſimpliciſſima Dei eſſentia, modo proprio & incommunicabili ſubſiſtens.

Nil vero repugnat] Nec etiam repugnat eidem numero ſubſtantiæ, plures convenire modos, ſibi mutuo incommunicabiles; quorum reſpectu ſit tamen & maneat ſemper eadem numero ſubſtantia, variè modificata.

In una autem ſubſtantia] Fateor quod in una perſona plures perſonæ eſſe nequeant: Sed ludit perpetuò Volkelius in ambiguitate vocularum, ut fucum ſibi & lectori faciat. Vox enim *ſubſtantiæ primæ*, poteſt ſumi vel abſtractè de natura & eſſentia ſingulari, quæ ὐσία Græcis dicitur, vel concretè de ſuppoſito, in quo natura ſingularis ultimò completur & terminatur: Nec diffitemur ſubſtantiæ nomen in parvis Logicalibus & doctrina Categoriarum, ſumi potiùs concretè, quam abſtractè: Interea tamen dari & concipi poſſe naturam aliquam ſingularem, quæ non ſit Logicè concreta ac Categorico ſenſu ſubſtantia prima, ideſt completa ac ultimò terminata & ſic incommunicabilis, liquet vel exemplo animæ ſeparatæ, quæ eſt quid incompletum & ſuppoſito humano communicabile. Hoc itaque ſenſu negamus eſſentiam divinam, in qua ſunt plures perſonæ, eſſe in concreto ſubſtantiam primam, cùm ſit duntaxat natura & eſſentia ſingularis, cui communicari non repugnat. Et licet tres ei conveniant ſubſiſtentiæ, ſive tres modi diſtincti exiſtendi planè incommunicabiles, ex quibus tres exurgunt perſonæ divinæ, quarum unaquæque eſt ſubſtantia prima divina, ideſt eſſentia divina characteriſata, inde tamen nec tres eſſentiæ, nec tres ſubſtantiæ ſenſu abſtracto debent concipi; licet concedi queant tres ſubſtantiæ in concreto, eodem ſenſu quo tres perſonæ, quatenus unaquæque perſonarum ſubſtantia prima dici poteſt; Cum hoc diſcrimine

à ſub

à ſubſtantiis primis creatis, quod hæ naturam eandem habeant duntaxat ſpecificam, ut Petrus & Paulus conveniunt in eadem ſpecifica humanitate, multiplicata in eorum quolibet; illæ vero habeant eandem naturam divinam numericam, quæ cum ſit infinitæ perfectionis citra ullam ſui multiplicationem pluribus ſuppoſitis & communicari, & ſic terminari, poteſt. Sanè quando ſoli extabant protoplaſti, natura humana, in actu ſignato ac in præciſo ſuo conceptu & abſtractè ab Adamo & Eva, nec Adam erat nec Eva, ſed natura quædam communicabilis & communis utrique: Concretè tamen & in actu exercito omnis tunc natura humana erat Adam & Eva, quia hæ duæ tantum erant perſonæ ſive ſubſtantiæ primæ humanæ, quibus conveniebat quicquid humanitatis ſive humanæ eſſentiæ vel ſubſtantiæ abſtractè ſic dictæ erat in rerum natura. Quare ſi affectatæ ambiguitatis, arte Sophiſticâ Volkelii, ſcopulum hunc velimus declinare, non dicemus quod *in una ſubſtantia prima intelligente, quæ una ſit perſona, plures ſint perſonæ*; ſed quod in una natura divina ſingulari, plures ſint perſonæ, eò quod non uno tantum modo incommunicabili exiſtat nec unicâ ſuppoſitalitate terminetur, ut in me natura humana, ſed tribus. Uno verbo, ſi loquamur in ſenſu concreto, plures ſubſtantiæ in divinis poſſunt ſtatui, ut factum ab Hilario; modò pluralitas hæc arceſſatur à modis diſtinctis ſubſiſtendi qui tres ſunt, non à natura ſubſiſtente quæ unica eſt; Si verò in ſenſu abſtracto loquamur, unica tantum natura ſive eſſentia eſt agnoſcenda & admittenda, ſed trifariàm communicabilis, citra ſui multiplicationem vel diviſionem ullam, tribus ſuppoſitis ſive perſonis.

Cum igitur perſpicuum] Imò *perſpicuum* dedimus optimè convenire *trium perſonarum complexionem cum divinæ eſſentiæ unitate*, adeoque non *tres eſſe ſummos Deos*, ſed tres eſſe perſonas divinas, quarum ſic unaquæque diſcretè conſiderata, ſive diſtributivè, ſummus Deus cenſeri debeat, ut tamen ſimul & collectivè non tres dicant Deos, ſed propter eſſentiæ divinæ unitatem, unicum Deum ſuper omnia benedictum. Cùm hæretici nullam aliam habeant rationem rejiciendæ S. S. Trinitatis præter hanc quod nequeant aut nolint pluralitatem perſonarum conciliare cum unitate eſſentiæ, etſi de utraque foret ſilenter acquieſcendum in dictis Sacræ Scripturæ, eo ipſo patefaciunt quam nullo fundamento Orthodoxam doctrinam rejiciant.

Primò igitur dicent; non tantum nobis in rationis intelligentia ponendum, ut ad eam res tam arduas perpendendas eſſe putemus. Ut enim, ſi humano captu res divinas ponderes, nihil abſurdius videatur, quàm eſſe unam divinam eſſentiam tribus perſonis diſcretam: fide tamen, quâ ſolâ res mentem noſtram ſuperantes percipiantur, ſanctiſſimè hoc divinitatis myſterium venerandum eſſe ajunt. At verò nuſpiam quippiam credendum præcipitur, & ne credi quidem poteſt, quod ſeipſum evertere, & contradictionem, ut loquuntur implicare, ratio cernit. Tale autem iſtud de tribus in una eſſentia perſonis 404.
dogma eſſe vidimus.

‡ *Primò igitur dicent*] Et revera hæc benè dicuntur: Nec enim magis ad decempedam rationis ea debemus exigere quæ ſunt fidei, quam ad trutinam ſenſuum ea quæ ſunt rationis: Non ſunt equidem myſteria fidei contra rationem; ſed tamen eam ſuperant; Nec res Dei ſunt ideo rejiciendæ quod homo animalis eas

non capiat 1 Cor: 11, 14. imò ſi eas capere & aſſequi poſſet, res Dei eſſe deſinerent; ad quas mentis noſtræ acies ſe habet ut oculus noctuæ ad lucem; quo ſimili, nec ipſum Ariſtotelem puduit uti. Itaque quemadmodum nemo debet articulum reſurrectionis noſtræ futuræ rejicere, eo quod *ſi humano captu* penderetur *nihil abſurdius videatur*, Philoſophia dictante non dari regreſſum à privatione ad habitum, & contradictionis ſpeciem præ ſe ferente quod idem numero reproducatur, quibus argutiis olim Philoſophos mundi, animalia gloriæ, reſurrectionis doctrinam impugnaſſe in comperto eſt; ita nemo debet ideo rejicere doctrinam SS. Trinitatis eo quod argutuli ſibi videantur hæretici dum nodos in ſcirpo quærunt, & ſibi ac aliis difficultates ineptas comminiſcuntur per quas ſe & cæteros ab admittenda veritate deterreant.

At verò nuſpiam quippiam] Sed hoc Myſterium *ſeipſum evertere, & contradictionem, ut loquuntur, implicare*, gratis dicitur. Ex iis etenim quæ antea diſputavimus contrarium liquet. Ea demum contradictionem implicant, in quibus vel formaliter, vel eminenter, idem de eodem ſimul affirmatur & negatur: quod hic obtinere nunquam oſtendetur: Neque enim negantur perſonæ eſſe perſonæ, etſi tres ſtatuantur: Neque etiam negatur eſſentia eſſe eſſentia, ſi pluribus communicabilis & communicata de facto aſſeratur. Nec recta *ratio cernit* hîc quicquam contradictionis, ſed corrupta ratiocinatio hæreticorum, qui ſe produnt talpis cæciores, dum volunt cernere acutiùs ſerpente Epidaurio, & ſtulti fiunt eo ipſo quod ſapientes ſunt in ſuis oculis.

Deinde fides noſtra, cum de iis agitur, quæ rationem humanam ſuperant, præſertim ſi ad ſalutem creditu neceſſaria ſtatuantur, ex iis tantummodo fluere debet, quæ divinis oraculis perſpicuè ſunt comprehenſa: in quibus etiam non penitus perceptis nobis acquieſcendum eſſe, libenter fatemur. Verùm id de eſſentia divina tribus perſonis implicata dici jure nequit. cum ſi vel omnem in divinis literis evolvendis vitam conſumas, nullum hujus rei veſtigium ſis deprehenſurus. Clarè ſanè ac perſpicuè Trinitatis dogma in ſacris literis non contineri, Hoſius Cardinalis, Wujekus, aliique quamplurimi fatentur.

‡ *Deinde fides noſtra*] Verùm Myſterium Sacro-Sanctę Trinitatis ex iſto ordine eſſe, eſt certiſſimum, licet id *penitùs* perſpicere vel nolint vel non poſſint Sociniani, quibus juſto Dei judicio excœcatis, immiſſa eſt efficacia erroris, ut credant mendacio, quia non admiſerunt dilectionem veritatis ad ſalutem. *Clarè ſanè ac perſpicuè* ſatis Scriptura utriuſque Teſtamenti *Trinitatis dogma* nobis proponit, quicquid in contrarium dixerint *Hoſius Cardinalis*, *Wiekus*, *aliique* nonnulli, qui dum volunt τῇ ὑποθέσει φυλάττειν in Traditionum ἀγράφων gratiam, Scripturam obſcuritatis & inſufficientiæ accuſant, etiam in neceſſariis ad ſalutem; Annon enim tres dicuntur eſſe teſtes in cœlo, Pater, Sermo ac Spiritus, ſic ut hi tres unum ſint? 1 Joh: v, 7. Annon Deus Pater cum Sapientia & Spiritu ſuo, deliberat circa creationem hominis & poſtea circa ipſius ejectionem ex Paradyſo? Gen: 1, 26. 111, 22. Annon ſatis luculenter ſe manifeſtavit Trinitas in Baptiſmo Chriſti, juxta veterem formulam Orthodoxorum, *Abi Ariane ad Iordanem & videbis Trinitatem*, ubi vox Patris auditur de cœlo, Filius in aqua baptizatur, & Spiritus Sanctus formâ columbæ deſcendit ſuper ipſum? Nunquid ipſa noſtri

Digitized by Google

noſtri Baptiſmi noſtræque adeo Chriſtianitatis formula, ad iſtius veritatis profeſſionem nos obligat, eo quod baptizemur in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti? Multo plura poſſem adjicere Scripturæ teſtimonia ex quibus conſtet *perſpicuè* ſatis hoc myſterium *divinis oraculis* muniri & comprehendi: Sed cùm pleraque ex illis conetur Volkelius in ſequentibus eludere, eorum vim & vindicias ſimul poſtea proponemus.

Quid verò illud eſt, inquies, quòd non parùm frequenter, ubi de Deo ſermo habetur, ejuſmodi voces, nec non ſententiæ uſurpantur, quæ diverſa ratione & multitudinem, & unitatem ſignificant, ut videlicet, jam unam Dei videantur eſſentiam, jam plures perſonas deſignare? Hîc primò generatim reſpondemus, conſecutionem iſtam falſiſſimam eſſe: cum ex eo, quod in illa ponitur, non minùs plures eſſentias unâ perſonâ contentas, quàm tres perſonas in unam eſſentiam incluſas colligere liceat. Nihil quippe, ut ſuprà diximus, inter eſſentiam intelligentem, quæ una ſit numero, perſonamque intereſt; & ſic non magis abſurdum eſt, in una perſona tres cogitare eſſentias, quàm unam eſſentiam tribus perſonis implicare. Adde, quòd nullibi in ſacris literis ita tum unitatem, tum pluralitatem Deo adſcribi comperimus, ut eum & in unam eſſentiam contractum, & in plura ſuppoſita diffuſum mente comprehendamus. Illa enim divina teſtimonia, quæ ad errorem hunc conſtituendum afferri ſolent, nihil quicquam cum eo conjunctum habere, mox demonſtrabimus.

† *Hîc primò generatim*] Hæc conſecutio non falſa eſt, ſed optima: Nam ſi Scripturæ de Deo loquentes *diverſa ratione & multitudinem & unitatem* ei tribuunt, unitas illa nequit eſſe alia quam eſſentiæ, quæ & à Scripturis ipſis urgetur, & à Sapientibus mundi lumine rationis agnoſcitur: Nec per conſequens multitudo alia quam ſuppoſitorum & perſonarum, ejuſdem numero eſſentiæ indiviſibiliter conſortium. Ideo non poſſunt plures eſſentiæ *unâ perſonâ divinâ* contineri, eo quod Deus ſit unius tantum eſſentiæ & naturæ, quæ nullo modo multiplicabilis eſt. Sed poſſunt plures perſonæ unius eſſe eſſentiæ, eo quod eſſentia per ſuam communicabilitatem latiùs pateat perſonalitate. Si quæ multitudo convenit Deo, uti eam illi convenire non audet diffiteri hæreticus, ea debet eſſe vel naturæ vel perſonarum: Prius dici nequit, quia multitudo divinarum naturarum Polytheiſmum ſive multitudinem Deorum argueret; cùm tamen eum eſſe unicum ex libro utroque Scripturæ & Naturæ conſtet. Ergo poſterius ſtatuendum eſt.

Nihil quippe, ut ſuprà] Benè eſt quod fatetur Volkelius omnem illam contradictionem quam ſupponit involuere dogma Trinitatis, hac ſuâ hypotheſi niti quod *nihil inter eſſentiam intelligentem, quæ una ſit numero, perſonamque interſit.* Si enim multum inter hæc duo intereſſe demonſtraverimus, eo ipſo confectum dederimus doctrinam Orthodoxam nihil contradictionis implicare: Sanè anima ſeparata dicit eſſentiam intelligentem quæ una ſit numero; nec tamen, cùm habeat eſſe incompletum, partiale, communicabile, perſona dici poteſt. Adhæc quantum intereſt inter abſtractum & concretum, juxta Logicorum doctrinam, tantum quoque diſcriminis eſt concedendum inter eſſentiam quæ ſonat aliquid abſtra-

abſtracti, & quod per modum formæ communicatur ſuppoſito, & perſonam, quæ dicit aliquid concreti ex natura & ſuppoſito. Hinc eſſentia perſonæ communicari dicitur, unde perſona humana, ab humanitate ſibi communicata, homo nuncupatur; ſed perſona nequit dici communicari eſſentiæ; cùm ſonet quid completi & incommunicabilis. Petrus v. g. cenſetur habere naturam ſive eſſentiam humanam, cujus intuitu homo concretè appellatur, ſed nemo dixerit, quod humanitas habeat Petrum, aut quod Petrus humanitati communicetur.

Et ſic non magis abſurdum] Licet non ſit magis abſurdum, plures eſſentias vel naturas partiales uni perſonæ convenire, (prout de facto cuilibet perſonę humanæ conveniunt præter eſſentiam communem humanitatis duæ partiales naturæ corporis & animæ, totâ eſſentiâ ſuâ diſtinctæ,) quam plures perſonas uni eſſentiæ; tamen inde non ſequitur, vel nihil intereſſe inter eſſentiam intelligentem quæ una ſit numero, & perſonam, cùm jam oſtenderim plurimum inter hæc duo eſſe diſcriminis; vel ex eo quod Scriptura Deo tribuit *diverſâ ratione & multitudinem & unitatem*, tam facilè colligi *plures eſſentias unâ perſonâ contentas, quam tres perſonas in una eſſentia.* Nam plures eſſentias inde non poſſe colligi ideo liquet quod ex omnium conſenſu Deus οὐσιωδῶς, nonniſi unicus ſtatui poſſit; nec plures queant eſſentiæ divinæ concipi, quin eo ipſo plures Dii ſtatuantur.

Adde quod nullibi] Sed id negari nequit ab homine qui fatetur revera ejuſmodi voces & ſententias de Deo in Scripturis uſurpari, *quæ diverſâ ratione & multitudinem & unitatem ſignificant.* Nec enim iſta aliter poſſunt conciliari, quam unitas ſtatuatur eſſentiæ, pluralitas verò & multitudo perſonarum.

Illa enim divina] Noſtrum igitur erit illa vindicare, & demonſtrare quantum proſint ad Orthodoxiam conſtituendam & tetrum Achriſtianumque Antitrinitariorum errorem funditùs evertendum.

Primò igitur illa Moſis verba adducuntur: *In principio creavit Elohim*, id eſt, *Dii, cœlum & terram*: (*Gen*: 1. 1.) ubi ajunt, verbo *creavit* ſingulari numero prolato eſſentiæ unitatem, voce verò *Elohim* trium perſonarum diſtinctionem ſignificari.

‡ *Primò igitur illa Moſis*] Etſi fortè non ſit planè apodicticon argumentum quod ſumitur à nomine *Elohim*, ſi alia inſuper non ſuppeterent, ſaltem negari nequit aliquid μυστηριῶδες ineſſe huic locutioni, ex qua Sacra Biblia incipiunt Gen: 1, 1. *In principio creavit Elohim, ideſt Dii, cœlum & terram: ubi videtur verbo* creavit *ſingulari numero prolato eſſentiæ unitatem, voce verò* Elohim, *perſonarum* pluralitatem *ſignificari*: Notum illud R. Huna nobis relatum *tom*: 1. *hujus operis cap.* 9. *lib.* 1. *pag.* 81. *Niſi hic ſermo ſcriptus fuiſſet, non fuiſſet licitum dicere Creavit Elohim cœlum & terram*; quod etiam refertur à Raymundo *in Pugione fidei* 3. *p. diſt.* 1. *cap.* 3. Eodem reſpectu Creator plurali nomine exprimitur Eccl: XII, 1. *Memento* בוראיך, *Boreecha, Creatorum tuorum*: Negari nequit myſterio & emphaſi non carere quod cum nomen *Elohim* habeat ſingulare, tamen multò ſæpiùs & ſtatim ab initio Scripturæ in plurali Deo tribuatur. Apud Cornelium à Lapide *in Gen*: 1. obſervatur quod *Aben Ezra & Rabbini dicant Deum hic vocari Elohim ad declarandam ejus Majeſtatem, treſque ejus dotes, ſcilicet intelligentiam, ſapientiam, prudentiam, quibus condidit mundũ.* Cur non æquè ac potiori jure dixero, non *tres* Numinis *dotes*, cùm & plures dentur, ſed potiùs tres illius perſonas, hoc plurali deſignari? Et vir Do-

Digitized by Google

Doctiſſimus in hoc genere ſtudiorum D. Ludovicus Cappellus in ſua *de nomine Elohim diatriba*, ita pertendit argumentum à nomine *Elohim* deductum non eſſe demonſtrativum pro Trinitate, ut tamen aſſerat *terminatione illa plurali Scripturam tacitè innuere, in uno illo Numine, ſeu Eſſentia divina plures eſſe perſonas*; adeo ut etſi hoc argumentum *ſolum & nudum*, non videatur *ſatis validum ad revincendam pervicaciam Iudæorum, & obſtinatorum ſanctiſſimæ Trinitatis hoſtium rigidam pertinaciam*, tamen *non ſatis æqua* ſit *quorundam Grammaticorum cenſura & ſuggillatio, quâ denotant Theologos Chriſtianos qui argumento illo inter alia ſunt uſi ad piorum fidem in tam ſancta doctrina confirmandam.* Quin Volkelius hîc agit ſuâ, ideſt, Punicâ fide: Nec enim Orthodoxi plerique ex hoc nomine plurali colligunt (ut ait) *trium perſonarum diſtinctionem*, ſed tantum aliquam perſonarum pluralitatem in divinis: aliunde enim & numerus ternarius perſonarum, & ratio legitima diſtinctionis inter eas, quam ex hoc nomine arceſſi debet.

At verò non ita rem ſe habere, multa ſunt quibus doceamur. Primò enim, ut Calvinus, & alii quoque animadverterunt, ille Elohim cœlum terraſque condidiſſe legitur, cujus ſpiritus, quem tertiam divinitatis perſonam iſti volunt, ſuper aquas ferebatur. *(ibid. v. 2.)* Si igitur Elohim Patris ſimul & Filii ac Spiritus ſancti perſonam continet; quo pacto Spiritus ſanctus ab iſto Elohim diſtingui, & illius ſpiritus dici poteſt? Num fortè quaternitatem pro Trinitate ſtatuemus, & duos ſpiritus ſanctos, unum nempe voce Elohim comprehenſum, alterum ſuper aquas ſeſe librantem inducemus?

‡ *At verò non ita rem*] Quamvis Achillem noſtrum ex hoc argumento non faciamus, ei tamen ſuum locum inter cœtera volumus ſupereſſe: Nec difficile erit adverſarii exceptiones in contrarium diluere ac refutare.

Primò enim ut Calvinus] Equidem Calvinus non habet, ut neque nos, argumentum iſtud pro unico & Apodictico; tamen non mihi videtur hac exceptione Volkelianâ omnem illius efficaciam intercipi. Nam primò nihil obſtat quominus nomen *Elohim* modò οὐσιωδῶς ſumatur de Deo uno & trino, modò ὑποστατικῶς, de aliqua perſona divina ex iis quæ illo plurali in communi deſignantur: Nec magis repugnat nomen *Elohim* quod Gen: 1, 1. Deum unum & trinum denotat, ſumi v. 2. ὑποστατικῶς de perſona Patris, quam nomen *Dei* quod aliàs commune eſt tribus perſonis, ſæpè ſupponere pro ſola Patris perſona, quod fons ſit ac origo, ut etiam Veteres loquuntur, totius divinitatis, prout per actus notionales Generationis & Spirationis activæ communicatur: Nec enim repugnat appropriari uni ex tribus perſonis nomen commune *Elohim* quo plures in divinis perſonæ connotantur; ut Spiritus Sanctus appelletur Spiritus Elohim, ideſt Dei Patris, cui nomen commune Elohim appropriatur propter ipſius ὑπεροχὴν perſonalem, & quod reliquarum duarum perſonarum ſit principium ordinis & originis. Secundò, poteſt רוח אלהים *Ruah Elohim*, reddi per appoſitionem, non *Spiritus Dei*, ſed *Spiritus Deus*, ſive Spiritus ille qui una eſt ex perſonis divinis nomine *Elohim* ſubindicatis: Sic enim illud Paulinum 2 Cor: III, 18. ἀπὸ κυρίου πνεύματος, nonnulli interpretes, ut Beza nominatim, reddunt *à Domino Spiritu*, quod verſu præcedēti Paulus dixiſſet, ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμα ἐστίν. Legantur de hoc argumento Jacobus Martinus *de tribus Elohim lib.* 1. *cap.* 3. *&* 4. & Petrus Ga-

Digitized by Google

trus Galatinus *lib. 2. de Arcanis, cap* 9. Saltem nihil obſtat quominus aliquando nomen *Elohim* ſumptum οὐσιωδῶς, *Patris ſimul & Filii ac Spiritus Sancti perſonam contineat*, ut Gen: I, I. cum abſolutè ponitur; etſi quandoque per Synecdochem uſurpetur ὑποστατικῶς, de una ex pluribus illis perſonis, quæ hoc nomine communi deſignantur, cùm ponitur relativè: quomodo poteſt *Spiritus Sanctus ab iſto Elohim* perſonaliter ſumpto *diſtingui & illius Spiritus dici*. Quod nullo pacto *Quaternitatem pro Trinitate* ſtatuit, vel *duos Spiritus Sanctos*; ſiquidem Spiritus Sanctus, vel implicitè continetur cum Patre & Filio in nomine *Elohim* abſolutè poſito; vel cum Spiritus *Elohim* appellatur, exprimitur per relationem ad Patrem, de quo tum ὑποστατικῶς nomen *Elohim* uſurpatur.

405. Similiter cum eodem loco ſæpius ſcriptum legimus, *Elohim* ſeu *Dii dixit*, per illud *Dixit*, iidem Trinitatis patroni Chriſtum, qui Dei ſermo à Johanne appellatur, intelligunt: quod licet ineptè ab illis fiat, indicat tamen, Chriſtum in voce Elohim non includi, ſed Patrem tantùm, cujus Verbum ſit Chriſtus, eo nomine intelligi. Quomodo ergo vox Elohim plures perſonas in una numero eſſentia ſignificat, cum de una tantùm perſona efferatur? Innumera ſanè ſunt loca, ubi Elohim cum verbo ſingularis numeri conſtructum, ipſorum adverſariorum ſententiâ ſolum Patrem ſignificat, interdum ſolum Chriſtum.

† *Similiter cum eodem loco*] Hæc exceptio coincidit cum præcedenti: Nam eodem ſenſu nomine *Elohim* ſumpto ὑποστατικῶς pro ſola perſona Patris, Filius poſſet dici λόγος ſive Sermo *Elohim*, quo Spiritus Sanctus, Spiritus *Elohim* appellatur. Nec *ineptè* omninò faciunt qui per illud *Dixit*, ſtatuunt intelligi *Chriſtum, qui Dei ſermo à Iohanne appellatur*: Nam licet dicere Dei ſit illius velle, mandare & operari Pſalm: XXXIII, 9. CXLVIII, 5. tamen hoc ipſum promit & exſequitur per λόγον ſuum ἐνδιάθετον & perſonalem, qui fuit in principio apud Deum, ac Deus ipſe Joh: I, I. Hinc per Filium ceu Patris Sapientiam & λόγον æternum, omnia creata & facta dicuntur Joh: I, 3. Heb: I, 2. XI, 3. 2 Pet: III, 5. Apud Galatinum *lib. 3. de Arc. Ver. Cath. cap.* 3. 4. 5. multa proſtant ex Judæorum monumentis huc facientia: Nec pigebit hîc referre, quod annotavit Grotius, Socinianorum cœterà non malus amicus *ad Ioh:* I. *Quia Moſes ſcripſerat* Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux, *& ſic de cœteris, hinc factum eſt ut vim ſive* προβολὴν *aut* ἀπόρροιαν, *(eas enim voces hac in re Chriſtiani veteres uſurpant) Dei illam qua res ex nihilo condit aliaque rara & eximia efficit, Hebræi appellarent* דבר, *ut videre eſt Pſal:* XXXIII, 6. CXLVIII, 8. *Vide Maimonidem Duc. dubitantium lib.* I. *cap.* XXIII. *&* LXV. *&* LXVI. *Chaldæi non illis tantum locis ſed & aliis, ubi ea vox in Hebræo non extat, poſuerunt* מימרא. *Exempla ſunt innumera; ſed ad rem maximè pertinet quod apud Eſaiam eſt* XLV, 12. *In Hebræo legitur*, Ego feci terram & hominem ſuper eam ego creavi; *In Chaldæo eſt*, Ego in verbo meo feci terram & homines ſuper eam creavi. XLVIII, 13. *in Hebræo legitur*, Manus mea fundavit terram; *in Chaldæo*, Verbo meo fundavi terram: *quos ſecutus Petrus Apoſtolus* II. *epiſt.* III. 5. οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι καὶ γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ. *Eandem vocem plurimis in locis uſurpat idem Chaldæus Paraphraſtes, ubi de miraculis, aut Prophetia, aut ſingulari Dei auxilio ſermo eſt: maximè vero ubi in Hebræo eſt facies Dei, manus, oculus. Ex*

veteribus Chaldæorum libris Græci citant, ἐξ οὗ λόγου καὶ ἥλιος καὶ σελήνη. *Hinc ſumpſit Orphicorum ſcriptor;*

Εἰς δὲ λόγον θεῖον σκέψας, τούτῳ προσεδρεύων,
Ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος. εὖ δ' ἐπίβαινε
Ἀτραπιτοῦ. μοῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα.
Εἷς ἐστ' αὐτοτελὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.

Idem alibi Αὐδὴν *vocavit:*

Αὐδὴν ὁρκίζω σε πατρὸς τὴν φθέγξατο πρώτην
Ἡνίκα κόσμον ἅπαντα ἑαῖς στηρίξατο βουλαῖς.

Hunc ſecuti Heraclitus apud quem hoc nomen eo ſenſu exſtare notatum ab Amelio. Zeno laudatus à Tertulliano & Lactantio; Tertulliani verba ſunt adverſus Gentes; Apud veſtros quoque ſapientes λόγον ideſt ſermonem atque rationem conſtat artificem videri univerſitatis; Hunc enim Zeno determinat factitorem, qui cuncta in diſpoſitione formaverit: *Locus Zenonis quem reſpicit Tertullianus erat in libro ejus* περὶ οὐσίας, *ut Laertius nos docet. Seneca Stoicos ſequens rationem facientem vocat epiſt. LXV. E Platonicorum numero Amelius, ſed quem ſæpè à ſcitis Platonicis ad barbaram Philoſophiam deficere conqueritur Proclus, hunc Iohannis locum valdè probabat, ut non tantum Euſebius notat, in præparatione lib. XI. ſed & Auguſtinus pluribus locis, & contra Iulianum Cyrillus. Plutarchus* δύναμιν θεοῦ *vocat Symp. VIII.* ἀναθαῤῥεῖ δὲ πάλιν αὐτοῦ Πλάτων ἀκούων πατέρα καὶ ποιητὴν τοῦ τε κόσμου καὶ τῶν ἄλλων γεννητῶν τὸν ἀγέννητον καὶ ἀΐδιον θεὸν ὀνομάζοντος, οὐ διὰ σπέρματος δή που γεννόμενον ἄλλῃ δὲ δυνάμει τοῦ θεοῦ τῇ ὕλῃ γόνιμον ἀρχὴν ὑφ' ἧς ἔπαθε καὶ μετέβαλεν ἐντεκόντος. *Sic in expoſitione fidei facta à Gregorio Epiſcopo Neocæſarienſi* ὁ λόγος *dicitur* δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητική. *Philo ad Platonica dogmata deflectens, cum ſciret Platoni mundi exemplar* λόγον *dici, eo ſenſu* λόγον *& uſurpavit ipſe & multis aliis uſurpandi author fuit, & per eum ait conditam rerum univerſitatem; vocat &* ὄνομα θεοῦ *&* εἰκόνα *&* υἱόν. Et paullò poſt idem Grotius ad illa Johannis verba, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, hæc annotat; λόγος κοσμοποιητικὸς *eſt apud Philonem. Epiſtola Barnabæ cum de filio Dei egiſſet, Solem vocat opus manuum ipſius. Iuſtinus Apologotico priore;* ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε. *Athenagoras;* ὁ θεὸς πάντα διὰ τοῦ λόγου πεποίηκε. *Tatianus de eodem;* τοῦτον ἴσμεν τοῦ κόσμου τὴν ἀρχήν. *Theophilus;* ὁ λόγος αὐτοῦ δι' οὗ τὰ πάντα πεποίηκε. *Irenæus;* Verbum Dei per quem facta ſunt omnia: *Tertullianus adverſus Hæreticos;* Unum omninò Deum eſſe, nec alium præter mundi conditorem qui univerſa ex nihilo produxerit, per verbum ſuum primo omnium emiſſum; *adverſus Praxeam;* Omnia per ſermonem ſunt facta. Hæc paullò fuſiùs verbis ipſiusmet Grotii referre volui, quò conſtet non ineptire, ut blaſphemat Volkelius, qui Moſaicum *Dixit* ad Dei ſermonem ſive λόγον cujus meminit Johannes referunt.

Quomodo ergo vox] Eodem modo quo vox Dei abſolutè & οὐσιωδῶς poſita Deum perſonis trinum ſignificat; relativè & ὑποστατικῶς unam tantum ex illis.

Innumera ſane ſunt loca] Sed cùm id nominis ſumitur ὑποστατικῶς de Patre, vel etiam de Filio, ut Pſal: XLV, 7. id habet ſpeciem ſynecdoches, propter illam perſonarum in Sacroſancta Trinitate ἐμπεριχώρησιν & circumince ſſionem quâ Pater dicitur eſſe in Filio, Filius in Patre Joh: XIV, 9. 10. 11.

Digitized by Google

Adde quòd, ſi in literis ſyllabiſque philoſophari volumus, ex eadem Elohim appellatione, non magis tres, quàm quatuor, quinque, atque adeò innumeras perſonas colligere poſſumus. Huc accedit, quòd, ſi aliquam in Deo propter vocis hujus ſignificatum cogitare volumus multitudinem, nequaquam opus eſt, iſtam in una maximeque ſimplici eſſentia confingere triplicitatem, utpote & divinis oraculis, & rectæ rationis judicio repugnantem: ſed multò & ad veritatem certius, & ad gloriam Dei præſtantius fuerit ſtatuere, plurimarum in Dei natura virtutum perfectionem ac pulchritudinem ea voce indicari.

‡ *Adde quod ſi in*] At verò noſtri ex hoc nomine non exſculpunt præcisè *tres* perſonas, ſed tantum *in una Dei eſſentia dari quandam pluralitatem*, ut habet Jacobus Martinus in lemmate *cap.* 3. *lib.* 1. *de Tribus Elohim*; unde liquet huic Volkeliano cavillo nullum hîc locum ſupereſſe.

Huc accedit quod] Admittimus tantisper conceſſionem Volkelii quod *aliquam in Deo propter vocis hujus ſignificatum multitudinem* admittere poſſimus, imò debeamus: Sed eâ multitudine denotari potiùs perſonarum in eſſentia divina pluralitatem aliquam realem & quæ revera talis ſit, quam *plurimarum in Dei natura virtutum perfectionem ac pulchritudinem*, duo comprobant: Nam 1. illæ quas ceu plurimas in Dei natura concipimus virtutes, non habent veram & propriè dictam multitudinem; ſiquidem nec inter ſe mutuo, nec à Dei eſſentia & natura, aliter quam ſolâ ratione diſtinguuntur. 2. Alienum eſt ab uſu Scripturæ & aliarum linguarum, ut perfectio & pulchritudo rei, quæ diverſorum propriè talium aggregatione & ordinatione non conſtet, nomine multitudinis exprimatur. Ne dicam quod non minus reluctetur unitati & maximæ ſimplicitati eſſentiæ divinæ, plurimarum virtutum realiter diſtinctarum multitudo, quam Trinitas perſonarum, nonniſi per modos ſubſiſtendi inter ſe diſtinctarum. Talem enim Trinitatem in eſſentia divina propugnamus, non verò ut calumniatur Volkelius *Triplicitatem*, quæ eſſentiæ divinæ multiplicationem ſonaret. Illam vero Trinitatem perſonarum, *in una maximeque ſimplici eſſentia* divina, *& divinis oraculis, & rectæ rationis judicio repugnantem* eſſe, faciliùs eſt Volkelio aſſerere quam demonſtrare: cùm hactenus nihil ex oraculis divinis contra hoc Myſterium protulerit; nihil etiam ex ratione ſolidum quo probaretur illud veram aliquam contradictionem implicare.

Quid, quòd eodem nomine & homines indigitatos fuiſſe comperimus, qui tamen non minùs unicâ fuerunt præditi perſonâ, quàm naturâ atque eſſentiâ. Sic enim Moſem, (*Exod*: 4. 16. & 7. 1.) ſic Samuelem (1 *Sam*: 28. 13.) appellatos fuiſſe legimus. Hunc autem nodum nonnulli (*Calvinus*) ita ſolvere conati fuêre, ut hoc excogitaverint axioma: Cùm verbum nomini Elohim junctum ſingularis eſt numeri, tunc Deus ille ſummus ſignificatur: cùm verò pluralis numeri eſt, Angeli vel principes deſignantur. alii verò (*Beza*) hujuſmodi regulam conſtituerunt: Elohim de uno ſolo ſimpliciter dictum, non inveniri niſi de vero illo Deo. Moſen enim, verbi causâ, hoc quidem nomine appellari, non ſimpliciter tamen, ſed cum adjectione Aaronis & Pharaonis.

Verùm

Digitized by Google

Verùm nec hæc, nec illa regula vera firmaque eſt, idque duplici de cauſa. Primò enim utraque luculentiſſimis exceptionibus infringitur. Ad prius enim pronunciatum quod attinet, manifeſtò conſtat, Abrahamum de ipſo Deo loquentem hæc verba feciſſe: (*Gen.20.13.*) *Errare ſeu vagari me fecerunt Elohim:* ubi verbum *errare me fecerunt*, nomini iſti in plurali numero adjunctum eſſe quis non videt? Eandem vim & adjectivum in eodem numero poſitum habere, cuivis facilè apparet. Dicit enim Joſua: *Non poteritis ſervire Iehovæ: quoniam Elohim ſancti ipſi.* (*Ioſ: 24.19.*) Adde, quòd idem nomen cum verbo ſingulari junctum, non ſolùm ſummo illi veroque, ſed cuicunque etiam Deo fallaci tributum comperimus. ut cùm Deus ipſe hunc in modum loquitur; (*Exod:20.3.*) 406
Non erit tibi Elohim alieni, vel *alii.* Jam etiam poſteriorem regulam perpetuam minimè eſſe, hæc illius mulieris de Samuele verba ſatis indicant: (*1 Sam:28.13.*) *vide Elohim aſcendentes de terra.* ubi ſanè ſimpliciſſimè ſineque ulla cujuſpiam adjectione nomen Elohim, non ipſi Deo, ſed Samueli attributum legimus. Deinde nulla prorſus cauſa eſt, quin, ſive cum ſingulari, ſive cum multitudinis numero, ſive ſimpliciter, ſive cum quadam adjectione, ſive alio quocunque modo hoc nomen collocatum inveniatur, eandem ubique ſignificationem, quod attinet ad perſonarum pluralitatem, ſi eam ſuâ naturâ deſignet, retineat.

‡ *Quid quod eodem nomine*] Quas hîc proponit Volkelius exceptiones quaſi *Calvini* vel *Bezæ*, non citatis locis ex eorum ſcriptis in quibus tale quid aſſeruerint, facilè poſſumus præterire. Libenter ei damus quod aliquando nomen *Elohim*, etiam junctum verbo vel adjectivo plurali, Deum ipſum connotet; ut locis hîc citatis Gen:xx,13. Joſ: xxiv, 19. Sed id ipſum magis adſtringit noſtrum argumentum pro aliqua perſonarum pluralitate in Deo admittenda. Quare duo ſolum veniunt hîc diſpicienda: Primum an poſito quod uni quandoque homini vel Angelo aut etiam idolo ſingulari id nominis *Elohim* tribuatur, inde ſequatur nullam pluralitatem denotare cùm tribuitur ipſi Deo? Alterum an verum ſit quod uni numero, vel homini vel Angelo, id nominis uſpiam tribuatur? Quantum ad primum, Reverendus ac Doctiſſimus Cappellus *diatr. de nomine Elohim cap.* 11. haud immeritò illam ſequelam negat; eò quod quùm hoc nomen *propriè de vero Deo & tantum figuratè de aliis* dicatur, *non ſit neceſſe ut eadem ſtatuatur utrobique numeri pluralis in ea voce cauſa & ratio.* Ac ſicut non ſequitur vocem מים *Maijm* cum propriè ſumitur, ideo non eſſe dualis numeri, quod duos ordines aquarum Deus ab initio conſtituerit eas diſpecendo in ſuperiores & inferiores, eò quod cùm figuratè uſurpatur, ut Ezech: xxxvi, 25. de Spiritu Sancto effuſo in fideles geminam aliquam illius vim & efficaciam non denotet; ita non ſequitur nomen *Elohim*, propriè de Deo vero uſurpatum, non ſignificare pluralitatem perſonarum, quoniam ubi figuratè aliis tribuitur nullam talem pluralitatem connotat vel infert. Quantum ad ſecundum, ubi nomen hoc *abuſivè* & συγχωρητικῶς tribuitur alicui idolo ſingulari, ut Jud:xvi,23.24. 1 Reg: xi,33. id fit ideo quod Idolum quodlibet à ſuis cultoribus perperam habebatur pro illo ſummo & vero Deo, qui nomine *Elohim* colebatur apud Judæos: Sic *Elohim* dicitur vitulus aureus ab Aarone fuſus Exod:xxxii,4. quod in eo verũ Deum & Jehovam qui eos liberaverat ex Ægypto

Iſraëlitæ vellent colere, ut patet ex com. 5. Aſt ubi *nuncupativè* & participativè tribuitur hominibus vel Angelis, ordines quidem integros notat, ſed nunquam de ulla ſingulari perſona uſurpatur: Legitur de Angelis in communi Pſal: VIII, 8. interprete Paulo Heb: II, 7. & Pſal: XCVII, 7. eodem etiam interprete Heb: 1, 6. Sed nulli unquã Angelo ſingulari, ſive uni duntaxat Angelicæ perſonæ tribuitur: Scio à nonnullis adferri locum Jud: XIII, 22. ubi Angelus qui Manoæ patri Samſonis apparuit hoc nomine indigitatur: Verùm omnes loci circumſtantiæ oſtendunt eum fuiſſe Angelum increatum; tùm quia eum Manoæ uxor com: 23. vocat Jehovam; tùm quia ambo in facies ſuas conciderunt adorabundi, cùm eum viderent mirabiliter cum flamma holocauſti ſurſum efferri com. 20. Et niſi ſaltem Manoah eum habuiſſet pro ſummo & vero Deo, non dixiſſet ſuæ conjugi, *Moriemur quia vidimus Deum*; ſiquidem hoc axioma non obtinebat niſi de vero Deo, qui Moſi dixerat, *Non videbit me homo & vivet* Exod: XXXIII, 20. Legitur pariliter de Principibus & Magiſtratibus in plurali, ceu iis qui quaſi vicariam Dei poteſtatem exercent in terris, Exod: XXI, 6. XXII, 8. 9. 28. Pſal: LXXXII, 1. 6. CXXXVIII, 1. Joh: X, 34. 35. quo etiam poſtremo loco id nominis pluraliter effertur: Sed nulli Principi, Regi, Magiſtratui, Judici ſingulari, definitè ac nominatim tribuitur, nullusq; reperietur in Scripturis qui à ſuis ſubditis ſalutetur *Dominus Deus noſter*, ut Domitianus apud Martialem; aut de quo quiſpiam dixerit quod Virgilius de Auguſto, *ô Melibœe Deus nobis hæc otia fecit; Namque erit ille mihi ſemper Deus, illius aram Sæpè tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.* Nihil autem juvant in contrarium loca quæ proferuntur à Volkelio. Nego Moſem Exod: IV, 16. VII, 1. *Elohim* abſolutè appellari. Nam priori loco dicitur tantum Aaron futurus Moſi *vice oris*, interpretem ejus agendo apud Pharaonem, & Moſes futurus Aaroni *vice Dei*, ut reddunt Vatablus & Junius, ideſt perſonam Dei apud ipſum gerens atque ejus voluntatem illi proponens: Ideo Vulgatus interpres ita reddidit illam pericopam, *Erit os tuum, Tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent*; ideſt, Tu eris ei internuncius Dei. Ita Græci interpretes; αὐτός σοι λαλήσει πρὸς τὸν λαὸν, καὶ αὐτὸς ἔσται σοι στόμα, σὺ δὲ αὐτῷ ἔσῃ τὰ πρὸς τὸν θεόν. Nec in textu originali dicitur Moſes אלהים *Elohim*, ſed futurus Aaroni לאלהים *Lelohim*, *pro Deo*. Poſterioris loci eadem eſt ratio: Nec enim aliter conſtitutus vel datus fuit Moſes *Elohim* ideſt in Deum Pharaoni, quam quo ſenſu ipſi Moſi Aaron datus erat in Prophetam vel interpretem: Atqui hoc conveniebat Aaroni quod interpretis & quaſi Mercurii munere apud Pharaonem & populum pro Moſe fungebatur: Ergo & illud conveniebat Moſi, quod in nomine & authoritate Dei Pharaonem conveniret. Hinc Vatablus, illud *Conſtitui te Deum Pharaoni*, ſic explicat; *Ideſt vice Dei Pharaoni*; *Hoc eſt dices nomine meo, & verbis meis Pharaoni quid ego velim.* Sic & Italus, *Io t'ho coſtituito per eſſere in luogo di Dio à Farao*; & Arias Montanus, *Dedi te pro Deo ipſi Paroch.* Nec obeſt quod in hoc poſteriori loco, non dicatur ut in priori לאלהים, *Lelohim*, in Deum, ſed tantum *Elohim*, ſine ל præfixo. Dicitur enim נתתיך אלהים לפרעה *Netatticha Elohim Lepargħno*; Jam autem ſæpè evenit in textu ſacro, ut quando duo talia præfixa requirebantur, alterum omittatur & ſubintelligendum veniat. Sic Gen: XLI, 12. expoſuit לנו *Lanu*, *nobis noſtra ſomnia* איש *Iſch*, pro לאיש *Laiſch*, *unicuique ſecundum ſomnium ſuum.* In loco 1 Sam: XXVIII, 13. *Vidi Elohim aſcendentes de terra*, non poteſt illa vox de uno ſingulari homine aut Samuelis ſpectro intelligi; Nam plurimi interpretes, qui aliàs cum de Deo illa vox uſurpatur eam reddunt in ſingulari, hîc

Digitized by Google

ri, hîc plurale retinuerunt, ut Alexandrini, Author vulgatæ verſionis, Leo Judæ, Junius, Pagninus, Belgæ. Quin apud Lyranum refertur etiam Hebræos plures uno hîc intellexiſſe, fingendo Moſem in hac apparitione adfuiſſe Samueli; Et veroſimile eſt huic phantasmati quod Samuelem mentiebatur prçluſiſſe aliquot malos genios quos *Elohim* mulier venefica appellat, eodem ſenſu quo ad Angelos in communi id nominis traducitur; & prout dæmones *imperia, principatus, poteſtates, mundi principes* appellantur ab Apoſtolo, Rom: VIII, 38. Eph: VI, 12. Col: II, 15. Et ſanè hos Deos quos Pythoniſſa priùs viderat è terra aſcendentes, & ex quibus cognoverat Saulem eſſe qui ſe conſulebat, ipſa ſatis diſtinguit ab inſequenti Phantaſmate; de quo rogata com. 14. *quænam* eſſet *forma illius*, (nempe quod porrò videbat poſt primam illam viſionem malorum Angelorum, è terra ad ſua carmina prodeuntium, & præludentium ſpectro quod Samuelis formam induebat, quoſque *Elohim* in communi vocaverat;) reſpondet, *Vir ſenex aſcendit qui eſt amictus pallio.*

Ad extremum, intelligendum eſt, Hebræos ea nomina multitudinis numero efferre conſueviſſe, quæ autoritatis ac dominatûs continent ſignificationem, quantumvis unico tuntùm cuipiam attributa, ut in vocibus Adon (*Gen. 24. 9. 51. & 39. 2. 16, 19. 20: 40. 1. 42. 30. Exod: 21. 4. 6. 8. 32. Deut: 23. 15. Iud: 3. 25. 2 Sam: 20. 6. 1 Reg: 22. 17. Iob: 3. 19. Eſa: 19. 4. & 24. 2. Mal: 1. 6.*) & Baal (*Exod: 21. 29. 22. 12. 14. 15. Eſa: 1. 3.*) videre eſt. Cum igitur nomen Elohim robur imperiique dignitatem declaret; quid mirum, unicum illum Patrem, totius mundi gubernatorem, hac eadem voce plurali numero elata ſignificari?

‡ *Ad extremum intelligendum*] Primùm ſupponitur *nomen Elohim robur imperiique dignitatem* declarare: quod non concedunt omnes Critici. Hebræi quidem volunt *Elohim* eſſe nomen judicii, *Iehova* nomen gratiæ; Sed quod imperium & robur notet non dicunt. Sunt qui putent derivari ab Arabico אלה *Aliha*, quod eſt *colere, ſervire* & *adorare*: Et ſic ſupremum Numen *Eloah* & *Elohim* diceretur, quod ei cultus & adoratio debeatur. Præterea poſſet dici nomina quæ inter homines, ut hæc duo *Adon* & *Baal*, *autoritatis & dominatus continent ſignifitionem*, ut plurimum *multitudinis numero* efferri, etiam cum de uno dicuntur, per μίμησιν & præpoſteram imitationem ejus quod obtinet reſpectu unius Dei, qui *Elohim* & *Adonai* in plurali appellatur; quamvis ſub ea ratione hæc nomina pluralia de uno Deo uſurpentur, quæ nulli ſingulari Creaturç conveniat. Adhæc quæ hîc notat Volkelius de duobus iſtis nominibus *Adon* & *Baal*, citra exceptionem & limitationem non ſunt admittenda. Quantum ad prius, ex locis omnibus quæ huc congreſſit, nullus eſt in quo ארנים *Adonim* abſolutè de uno aliquo homine dicatur; Gen: XXIV, 9. 51. legitur in regimine ארניו *Adonaju, Domini ſui*, & ארניך *Adonecha, Domini tui*, de Abrahamo. Gen: XXXIV, 16. 19. 20. de Potiphare *Adonaju* & *Adonaj* per pathach. Gen: XL, 1. de Pharaone לארניהם *Leadonehem, in Dominum eorũ*. Gen: XLII, 30. de Joſepho *Adonej*. Exod: XXI, 4. 6. 8. 32. *Adonaju*, ut & Deut: XXIII, 15. & *Adonejah* de Hero, ſive Patre familias. Jud: III, 25. *Adoneihem, Dominus eorum*, de Eglone. 2 Sam: XX, 6. *Adoneicha* de Davide. Job: III, 19. *Meadonaju, A domino ſuo*, de quolibet hero. Eſ: XXIV, 2. כעבר כארניו *Chagnebed, Chadonaju, ſicut ſervus ſic dominus ejus*; Mal: I, 6. ſervus dicitur honorare *Adonaju, Dominum*

minum ſuum. Verum ad hæc omnia exempla excipit Cappellus *Diat. de nomine Elohim cap.* 10. vocem *Adon*, quæ *dominum* ſignificat, ſcribi etiam in ſingulari, vel cum *Iod*, vel ſine *Iod*, & poſſe illud *Iod* eſſe paragogicum ut ſæpiùs in aliis vocibus: Cùm itaque putent Grammatici nonnulli ſubtiliores, poſſe hæc omnia exempla ſingulariter intelligi, inciduntur eo ipſo nervi argumenti quod deſumit ex illis adverſarius. Duo equidem ſunt loca hîc citata, 1 Reg: XXII, 17. & Eſ: XIX, 4. in quibus legitur vox *Adonim* abſolutè poſita; ſed in neutro tenemur unum aliquem ſingularem hominem intelligere: In priori ita loquitur Michæas; *Vidi univerſum Iſraël diſperſum ſuper montes, ſicut oves quibus non eſt Paſtor. Dixitque Iehova* לא-ארנים לאלה *Lo-Adonim Laelle, non domini ſunt iſtis; revertatur unuſquiſque domum ſuam in pace.* Quid quæſo impedit quominus hæc vox pluralis pluraliter ſumatur, de populo palante & fugiente, qui fugato Joſaphato, & occiſo Achabo, dominos nullos erat habiturus à quibus regeretur ac domum reduceretur? In altero ſic habet Eſaias, *Tradam Ægyptum in manu* ארנים קשה *Adonim Kaſche, dominorum durorum*, ut reddit Pagninus, *& rex fortis dominabitur eis.* Quidni autem hîc intelligantur plures Miniſtri Nebucadnezaris, quos ipſe Rex fortis, præfecturus erat Ægypto ad eam premendam & vexandam? Ne dicam interpretes quoſdam Eruditos, Belgas nominatim, per hos dominos duritiei vel duros, (nam in voce *Kaſche* poteſt eſſe enallage numeri, aut ſtatus abſolutus poni pro conſtructo,) intelligere duodecim tyrannos qui poſt Sethonis obitum, regiam dignitatem in Ægypto arripuerunt. Denique etſi nomen *Adon* quod Dominum ſignificat, etiam in plurali de unico homine uſurparetur, hæc eſſet ſpecialis ratio quod dominium & dominatus, in ſuo conceptu involuit pluralitatem aliquam rerum & perſonarum in quas extenditur; prout vocabulum אשרי *Aſcere* quo *Beatitudo* ſignificatur, ideo ſtatuitur plurale, quod hęc revera conſtet ex plurimorum bonorum aggegatione. Hæc verò obſervatio adſtringit noſtrum argumentum de aliqua pluralitate ſignificata nomine plurali *Elohim*: Illa autem cùm nequeat ſpectare res varias in quas dominatur, eo quod non ſit nomen dominii, ut *Adon*; non aliò quam ad pluralitatem perſonarum quæ in Deo ſunt referri poteſt. Quantum ad nomen aliud nempe *Baal*, primò certum quod vox בעלים *Bagnalim* abſolutè nunquam uſurpetur niſi cùm de fictitiis diis atque Idolis ſermo eſt. Cùm itaque ſingulæ gentes Judæis vicinæ ſuum ſpecialem Deum haberent, ſive potiùs idolum quod *Baal* communiter dicebatur, mirum nemini eſſe debet illam vocem uſurpari in plurali numero ad idola in communi ſignificanda. Ut revera non de unico aliquo Idolo, aut falſo Deo ſingulari legitur, ſed de Idolis & falſis diis in plurali; quorum quilibet in particulari, nomen proprium diſcretivum ſibi appoſitum habebat, ut *Bahal Berith*, *Baalzebub*, *Baal Peghnor*. Deinde cùm videtur plurale [illegible] *Baal* in conſtructione cum affixis, tribui etiam homini alicujus rei domino vel poſſeſſori, quò ſpectant exempla omnia citata Volkelio, in quorum nullo בעלים *Bagnalim* abſolutè legitur, ſed בעליו *Bagnalaju* cum affixo, ut Exod: XXI, 29. XXII, 12. 14. 15. Eſ: I, 3. reſponderi poteſt vel illud *Iod* in affixo redundare, adeoque revera nomen ipſum ſingulare eſſe non plurale, ac æqui pollere בעלו [illegible] *Bagnalo, domino ejus*, maximè cùm conſtet non raro [illegible] י cum Cametz poni pro ו Cholem; ut obſervat Cappellus *V. S. cap.* 9. aliquando רגליו *Raglaju* poni pro רגלו *Raglo*, & דבריו *Devaraju* pro דברו *Devaro.* Vel in locis illis non deſignari ſingularem & individuum hominem, rei de qua ſermo eſt herum vel poſſeſſorem,

Digitized by Google

ſeſſorem, ſed indefinitè rei illius dominum ac poſſeſſorem, idque diſtributivè: Sic Exodi xx, 29. de bovis cornupetæ domino dicitur, debere morte affici בעליו *Bagnalaju, dominos ejus*: quia cum de quolibet bove cornupeta id dicatur, ac intelligatur de omnibus ejuſmodi bobus, etiam de omnibus ac ſingulis dominis eorum quod ſupereſt debet intelligi. Eadem eſt ratio Exod: xxii, 12. 14. 15. ubi de ove vel bove alio-ve animali pereunte furto vel caſu apud eum cui cura illius credita fuerat à domino: Nam de talibus regula fertur dominorum quorumlibet in plurali reſpectu. Sic Eſ: i, 3. aſinus dicitur noſſe præſepe בעליו *Bagnalaju dominorum* ſive poſſeſſorum *ſuorum*; quia ut id convenit cuilibet aſino in communi & univerſaliter loquendo, ita id omnibus aſinis convenit reſpectu quorumlibet & omnium dominorum ſuorum. Hinc Interpretes nonnulli, ut Genevenſes & Belgæ, hîc plurale retinuerunt non incommodè. Denique ad hanc ἔνςασιν Volkelianam, deſumptam à nominibus iſtis duobus *Adon* & *Baal*, quę in plurali de uno ſingulari homine uſurpâtur, ne videar compingi ad iſtas ſubtilitatum Grammaticarum anguſtias, quæ nonnullis viderentur difficiles nugæ, reſpondeo hæc in plurali dici de unico per enallagem numeri, non propter excellentiam dominii & honoris ergò. Frequentiſſimam enim in ſacris literis eſſe hanc numeri Enallagem, quâ plurale pro ſingulari uſurpatur, & de uno dicitur, maximè in ſecunda & tertia perſona, (in prima nunquam) quod plura ejuſdem ordinis, conditionis & naturæ connotat, norunt omnes qui mediocriter in illis ſunt verſati. Zach: ix, 9. Meſſias deſcribitur ſedens ſuper pullo בן אתנות *Ben athonoth, nato aſinarum*, id eſt *aſinæ*. Gen: viii, 4. dicitur arca quieviſſe על־הרי *Gnal hare, ſuper montibus* Ararat, id eſt ſuper uno ex illis. Eſ: liii, 9. de Chriſto dicitur futurum eum cum divite במותיו *Bemothaju, in mortibus ſuis*, id eſt in morte ſua. Ita in Novo Teſtamento τὰ σάββατα pro *Sabbatho*, Matt: xii, 1. 2. τὰ δεξιὰ Matth: xxvi, 64. pro *dextra*, τὰ ἱμάτια pro *veſtimento* Matt: xxvi, 65. Nec poteſt ſtatui ſimilis Enallage in nomine *Elohim* cùm de ſummo Deo uſurpatur; ſiquidem non poſſumus plures fingere *Elohim* ejuſdem ordinis & naturæ, quorum uni, nomen cæteroquin συνωνύμως dictum & commune, per iſtam loquendi figuram accommodetur. Ut autem nolim negligi præcedentes omnes noſtras obſervationes de duobus iſtis nominibus *Adon* & *Baal*, ſic putem neminem prudentem extiturum cui non abundè hæc ultima reſponſio ſufficiat.

Hinc perſpicitur, illos (*Franc: Iunius*) fruſtra illa duo nomina Dei, paſſim in ſacris literis conjuncta, inculcare, ut Jehovæ vocabulo, quod ſingularis numeri eſt, eſſentiæ unitatem, voce autem Elohim perſonarum triplicitatem declarari oſtendant: cum longè & verior, & ad homines in Dei ſtudium incitandos, maximamque ſpem erigendos accommodatior ſententia, illis contineatur. Jehovæ enim nomen eum deſignat, qui omnis varietatis inconſtantiæque expers, quique in omni ſermone veriſſimus, in fidei promiſſionumque conſervatione ſanctiſſimus eſt. Vocabulum verò Elohim, ſummum imperium, autoritatem ac potentiam exprimit: ut intelligamus, non ſolùm eum eſſe Deum noſtrum, qui nos ſecundùm promiſſa ſua juvare, omnibusque opibus cumulare conſtanter velit, ſed etiam poſſe: utpote cujus immenſum robur, omniumque rerum poteſtatem nil impedire poteſt.

Digitized by Google

‡ *Hinc perſpicitur, illos*] Supponit falsò Volkelius nomen *Elohim* eſſe nomen imperii & potentiæ: *Nomen hoc*, (inquit Salomon Glaſſius *Philologiæ ſac. lib.* 3. *tract.* 1. *can.* 25.) *non eſt nomen appellativum, ſed proprium, nec in ſignificato ſuo formali Dominium ſeu Dominatum notat: Deus quidem eſt Dominus Dominantium; ſed Dominium illud hac voce formaliter non exprimitur.* Quâ ratione pertendit Vir Doctiſſimus nomen hoc cum plurali τῦ *Adon* & *Baal* non eſſe conferendum. Hinc eſt quod apud Græcos interpretes & in N. T. non redditur κύριος, ſed θεός: cùm è contrario cenſuerint Veteres interpretes nomen *Iehova*, *imperium*, *autoritatem ac potentiam* exprimere, ſiquidem illud per κύριον Græcè & *Dominum* Latinè ſatis conſtanter reddiderunt. Unde corruit ratio quam comminiſcitur Volkelius conjunctionis horum duorum nominum *Iehova Elohim*, quæ illi dicitur Junianâ *longè verior & ad homines in Dei ſtudium incitandos maximamque ſpem erigendos accommodatior.* Quî enim ideo hæc duo nomina conjungentur quod *Iehova* conſtantiam & fidem in promiſſis, & *Elohim* imperium ac dominium exprimat; ſiquidem nec ea eſt ſignificatio nominis *Elohim*, quod κύριος nunquam redditur ut *Iehova*; nec *Iehova* directè & primariò denotat conſtantiam in promiſſis, ſed exiſtentiam neceſſariam & perpetuam? Quare longè ſatius eſt dicere, vocari Deum *Iehova Elohim*, quo unitas eſſentiæ & pluralitas perſonarum ſubindicetur: licet inde *perſonarum* Trinitatem, quam odiosè *triplicitatem* vocat Hæreticus, etſi non neſcius noſtros à triplicitatis nomine abhorrere, præcisè non colligamus.

Nec plus virium illud ad Triadem conſtituendam habet, quòd apud eundem Moſen Deus hunc in modum loquens inducitur: (*Gen: 1. 26.*) *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*; & ibidem ſtatim ſubjungitur, *Deum hominem ad ſimilitudinem ſuam condidiſſe.* Etenim in omni lingua celebriore uſus obtinuit, ut cùm quiſpiam ſeipſum, quantumvis ſolum, ad quppiam faciendum hortatur, ſi actionem illam eo pacto efferat, ut per ſubjunctivum modum Græcè aut Latinè enunciari debeat, numero plurali utatur. Sic Annibal apud Livium (*Dec: 4. lib. 9.*) venenum hauſturus, *Liberemus*, inquit, *diuturnâ curâ populum Romanum.* & Thraſeas apud Tacitum (*Tac: lib. 16. Annal: ſub ipſum finem*) ſeipſum interfecturus, *Libemus*, inquit, *Iovi liberatori.*

‡ *Nec plus virium illud*] In hoc ſanè argumento multum eſt virium: cùm Deus introducatur hîc venire in deliberationem cum ſua Sapientia & ſuo Spiritu circa hominis creationem, dicendo *Faciamus hominem ad imaginem noſtram* Gen: 1, 26. Nequis enim putet hoc initum conſilium vel habitum colloquium cum naturis ullis creatis, *ſtatim ſubjungitur*, ut etiam obſervat adverſarius, *Deum hominem ad ſimilitudinem ſuam condidiſſe.* Alia quoque ſunt loca in quibus ita Deus de ſe ipſo loquitur in plurali, ut Gen: III, 22. XI, 7. Eſ: VI, 8. Veteres Judæi hoc ipſum quod hic monemus agnoverunt; Nam ita loquuti ſunt occaſione horum locorum, prout refert Mæmonides *p.* 2. *cap.* 6. *More Nev. Si ita loqui liceat, Non facit Deus quicquam donec illud intuitus fuerit in familia ſuperiori*; Item *Non facit Deus quicquam niſi antea conſultarit de eo cum familia ſuperiori.* Hæc familia ſuperior ipſis Angelis & intelligentiis ſeparatis, in quas Deo non eſt intuendum ad Entium produ-

Digitized by Google

productionem, non poteſt aliis perſonis cum Patre conſtare, quam Filio & Spiritu Sancto. Pergit præterea, Moſes Ben Mæmon his verbis; *Sic in Bereſchith rabbah & in Medraſch Koheleth dicitur ad illud Salomonis Et Aſcer aſuhu,* (Eccl:11,12.) *Qui jam fecerunt eum; Non dicitur Aſahu Fecit eum, ſed Aſuhu Fecerunt eum, quia (ſi dici poſſit aut liceat vel ita loquendo) Ipſe & Domus judicii ejus ſupputarunt & deliberarunt ſuper unoquoque membro quod eſt in te, illudque collocarunt ſuper baſim ſuam, hoc eſt in locum ſuum, ſicut dicitur,* (Deut: XXXII, 6.) *Ipſe fecit te & præparavit te. Sic dicunt iterum in Bereſchith rabbah, Ubicunque dicitur in Scriptura* ויהוה *Et Dominus; ibi intelligitur ipſe & domus judicii ejus.* Jam verò domus judicii reſpectu Dei, extra Sacro-Sanctam Trinitatem quæri non debet, cum juxta Rabbinos בית דין *Beth Din, Domus judicii,* non conſtet paucioribus quam tribus, ut patet ex *tractatu Sanhedrin cap.* 1. & *Abbreviaturis* Buxtorfii in אבר: Non neſcio quidem Mæmonidem hæc obtorto collo velle trahere ad Angelos; Verùm nec Angeli *domus judicii* vel *familia ſuperior* Dei dici poſſunt, nec cum illis venit in deliberationem quoad ea quæ deſtinat peragere. Neque dubium quin hoc conſilium quod Deus capit cum familia ſua ſuperiori & domo judicii, circa creationem hominis, ſumpſerit pariter circa Angelorum creationem: adeoque cum ipſis Angelis priuſquam eſſent ſumi non potuit.

Etenim in omni lingua] Primùm hoc falſum eſt de lingua Hebraica, nullumque exemplum tale proferet unquam Volkelius ex Scripturis, in quo aliquis ſingularis homo loquatur de ſe ipſo, vel ſeipſum alloquatur, in plurali. De hac autem phraſi, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, non ex aliis linguis, ſed ex Hebraica & ſtylo Scripturarum judicandum eſt. Secundò quæ hîc Annibalis & Thraſeæ proferuntur exempla ex Livio & Tacito, nullâ ratione favent adverſario: Annibal apud Livium *lib.* 39. dicendo *Liberemus diuturnâ curâ populum Romanum*, ſuos alloquitur domeſticos, à quibus popoſcerat venenum, quoſque conſcios & participes facit ſui conſilii. Thraſeas apud Tacitum *Annal.* 16. non alloquitur ſeipſum, ſed accepto per Quæſtorem Conſulis Senatuſconſulto quo mori jubebatur, *Helvidium & Demetrium* (illum ſuum generum, quem Italiâ duntaxat pelli gaudebat, hunc Cynicæ inſtitutionis doctorem, cum quo paullò ante *de natura animæ & diſſociatione ſpiritus inquirebat*) *in cubiculum inducit; porrectiſque utriuſque brachii venis, poſtquam cruorem effudit, humum ſuper ſpargens propiùs vocato Quæſtore, Libemus, inquit, Jovi Liberatori. Specta Juvenis, & omen quidem Dii prohibeant; cæterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expedit conſtantibus exemplis.* Hæc Tacitus, ex quibus conſtat virum hunc fortem, non tam ſeipſum compellaſſe, quam alios invitaſſe ad libandum ſecum ex ſuo ſanguine Jovi Liberatori.

Præterea ex eo ipſo, quod de vocabulis potentiam atque imperium ſignificantibus, eorumque conſtructione diximus, apparet, Hebraicam loquendi conſuetudinem ferre, ut numerus pluralis pro ſingulari uſurpetur; præſertim cùm rei, de qua agitur gravitas & magnitudo juſto verborum pondere exaggeranda eſt. (*vid.* 3. *Reg:* 12.9.22.3. 2 *Paral:* 10.9. *Marc:* 4.30. *conf: cum Luc:* 13.18. *Iob:* 3.11. *Rom:* 1.5. *Gal:* 1.8,9. *Hebr:* 5.11.6.9,11.13.18.) Quod quidem hoc in loco fieri non levi eſt argumento, quòd & maxima hominis creandi dignitas exprimitur, ut- 407.

Digitized by Google

pote qui ſpeciem imaginemque divinam, omnibus terreſtribus naturis imperando relaturus erat; & utriuſque orationis idem ſubjectum, multitudinis numero enunciatum eſt. Ut enim Elohim ſeſe facturum hominem indicavit: ita idem Elohim eundem condidiſſe ibidem dicitur.

‡ *Præterea ex eo ipſo*] Quæ de iſtis vocabulis duobus *Adon* & *Baal*, antea dixit Adverſarius, jam ſuo loco expendimus & refutavimus. Enallagem numeri *pluralis pro ſingulari*, haud infrequentem fatemur in ſacris literis: Sed primò negamus ex uſu eſſe Scripturæ maximè V.T. vel linguæ ſacræ, ut quiſpiam ſingularis homo, quanta-vis præditus authoritate, quantumvis opus magnum aggrediatur, de ſeipſo & in prima perſona loquatur pluraliter: quod cum hîc fiat à Deo, pluralitatem perſonarum divinarum eo ipſo debet indicare. Secundò illa Enallage obtinet demum in nomine appellativo, non proprio, cùm revera plura ſunt indididua ejuſdem conditionis & naturæ cum illo ſingulari quod per plurale exprimitur: Nam res ſingulariſſima, cujuſmodi eſt Sol vel Mundus, vel nomine proprio expreſſa, ut Adam, Eva, Cain, nunquam talem admittit enallagem numeri pluralis pro ſingulari: Cùm itaque Deus de ſe ipſo in plurali loquitur, eo ipſo debet ſtatui, vel plures eſſe naturâ Deos, ejuſdem eſſentiæ & dignitatis, quorum unus illo plurali intelligatur; quod nec magis quam nos ipſi velint adverſarii, qui unicum & ſingulariſſimum eſſentiâ Deum agnoſcunt nobiſcum; vel plures eſſe perſonas, ejuſdem numero eſſentiæ & naturæ, quibus propriè & citra numeri enallagem, hæ plurales loquutiones conveniant, quod volumus. Imò, quod *ſubjectum* iſtius orationis *multitudinis numero*, nomine ſcilicet *Elohim*, exprimitur, fortiùs adſtringit noſtrum argumentum: Nec enim ei qui *Elohim* appellatur, & hominem facturus ac poſtea eundem condidiſſe dicitur, loquutio illa pluralis tribueretur, niſi ſic unus eſſet eſſentiâ ut plures perſonæ in eo venirent agnoſcendæ. Nec obſtat quod Moſes habeat in ſingulari *Dixit Elohim, Faciamus*, & paullò poſt *Creavit Elohim ad imaginem ſuam*: Nam verbum ſingulare jungitur nomini multitudinis, quod eſt *Elohim*, ad unitatem & ſingularitatem eſſentiæ divinæ connotandam: Sed ei tribuitur tamen oratio pluralis, non quo exprimatur *maxima hominis creandi dignitas*, (quid enim ad hanc expreſſionem magis faceret numerus pluralis, cùm Deus ſeipſum quid facturum dicit, quam ſingularis, non videmus;) ſed potiùs quo pluralitas perſonarum reſpectu Dei dicentis indicetur. Nec favent ullâ ratione Adverſario, loca Scripturæ quæ huc congerere voluit. 1 Reg: XII, 9. & 2 Paral: x, 9. Roboam ita Conſiliarios ſuos juniores alloquitur, *Quid conſulitis ut reſpondeamus huic populo*, quoniam illa reſponſio erat futura, ut formaliter ſolius Roboami, ſic originaliter omnium illorum ſuorum conſultorum, qui illam ei erant ſuggeſturi: ut hîc nulla omninò enallage veniat conſideranda. 1 Reg: XXII, 31. dixit Achab ſervis ſuis, *Noviſtis-ne noſtras eſſe Ramothas Gilhadis, & nos quieſcimus à recipiendis illis è manu regis Syriæ?* quod Reges ſint tantum Miniſtri Reip. ſive Communitatis, aut Status, ut vulgò loquuntur, cujus propriè ſunt urbes & ditiones: Adeoque non debuit dicere noſtis-ne *meas* eſſe Ramothas Ghileadis; ſed in plurali, *noſtras* eſſe, quod non ad ipſum Regem in ſingulari, ſed ad Regnum pertinerent. Quantum ad loca Novi Teſtamenti, perperam huc inferuntur, cùm Novum Teſtamentum Græcè ſit ſcriptum, & diſputemus potiſſimum de ſtylo & phraſiologia Veteris, quod Hebraicum eſt. Interea tamen quamvis non negem Græcis & Latinis, quandoque in uſu

in uſu eſſe enallagem pluralis pro ſingulari, pertendo in his teſtimoniis ex N.F. nihil eſſe præſidii pro Volkelio, nullumque ex illis probare ſingularem perſonam de ſeipſa tantum loquutam eſſe in plurali; adeoque conſtare ſuam pluralitatem perſonis divinis, eo quod Deus de ſeipſo pluraliter loquatur. Quod Luc: XIII, 18. tribuitur Chriſto in ſingulari, ob perſonæ ſuæ ſingularitatem, *Cui rei eſt ſimile regnum Dei & cui illud aſſimilabo*, eidem tribuitur in plurali Marc: IV, 30. *Cui aſſimilabimus regnum Dei, aut quâ collatione contulerimus illud?* non tam per enallagem numeri, quam quod communi nomine ſuo & Patris ſui doceret & loqueretur; prout Joh: VII, 16. 17. profitetur doctrinam ſuam non eſſe ſuam ſed Patris qui ſe miſerat, nec à ſe ipſo ſe loqui: & Joh: VIII, 16. ſe non ſolum eſſe, ſed ſe & Patrem, à quo miſſus fuerat. Et ſi potuerunt Apoſtoli dicere, *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis* Act: XV, 28. quod illius inſtinctu decernerent, quanto magis potuerit Chriſtus loqui in plurali, quod non ſuo privato nomine, ſed etiam Patris qui in ſe erat, loqueretur ac doceret? Sic Johan: III, 11. dicebat Dominus Nicodemo, *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, ſed teſtimonium noſtrum non recipitis*, per antitheſim ſui & Johannis ſuorumque diſcipulorum per quos baptizabat, ut volunt Piſcator, Belgæ interpretes, Quiſtorpius & aliii, cum Scribis & Phariſæis, qui nec Johannis nec Chriſti Apoſtolorum-ve teſtimonium, utut certiſſimum, recipiebant. Imò non dubitat Doctiſſimus Calvinus, ad quem & Deodatus acceſſit, *quin ſe Chriſtus omnibus Dei prophetis conjungat, & communiter loquatur in omnium perſona.* Alii tamen cum Alcuino in *Catena* Thomæ, putant *pluraliter* id enunciatum, ac ſi diceret Dominus, *Ego & illi qui modò Spiritu ſunt renati, intelligimus id quod loquimur, & quod vidimus apud Patrem in abſcondito hoc teſtamur foris in mundo, & vos qui carnales eſtis & ſuperbi non accipitis teſtimonium noſtrum*: Haymo verò *ibid. Quæritur quare pluraliter dicat, Quod ſcimus loquimur? Ad hoc dicendum quod unigenitus Dei filius erat qui hoc loquebatur, oſtendens qualiter Pater eſt in Filio & Filius in Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque indiviſibilis procedat.* Eadem fuerat antea ſententia Cyrilli, quam Toletus adoptavit in hunc locum: *Loquitur plurali numero, ut dicit Cyrillus, qui Patrem & Spiritum Sanctum in ſeipſo habet; quaſi ejus teſtimonium non ſit unius ſed plurium, & ex viſu & ex ſcientia; juxta illud* Ioh: 8. *Iudicium meum verum eſt, quia ego non ſum ſolus, ſed ego & qui miſit me Pater; & in lege veſtra ſcriptum eſt quia duorum hominum teſtimonium verum eſt. In Nicodemo etiam cæterorum Iudæorum reprehendit incredulitatem; ideo plurali numero uſus dicit, Non accipitis.* Rom: I, 5. Apoſtolus ajens, *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum, ad obedientiam fidei inter omnes gentes pro ipſius nomine*, non loquitur de ſe ſolo, ſed de omnibus ſecum Apoſtolis, quos Chriſtus ad Gentium inſtitutionem emiſit Matt: XXVIII, 19. prout de omnibus ſecum Euangelii præconibus dicit 1 Cor: IV, 1. *Sic de nobis reputet homo, ut de miniſtris Chriſti*, & 2 Cor: V, 19. 29. *Poſuit in nobis ſermonem reconciliationis; itaque nomine Chriſti legatione fungimur.* Alias Paulus cum de ſeipſo tantum loquitur ſemper loquitur in ſingulari, ut videre eſt 1 Cor: XV, 9, 10. 2 Cor: XI, 5. 23. XII, 11. Eph: III, 8. Eodem omninò ſenſu, non de ſe tantum, ſed de omnibus aliis Apoſtolis, & Doctoribus, etiam iis qui exiſtimabantur eſſe columnæ Gal: II, 9. dixit in plurali Gal: I, 8. *Etiam ſi nos aut Angelus è cœlo euangelizet vobis, præter id quod vobis euangelizavimus*, ego ſcilicet, & Barnabas, & Titus, quorum meminit capite ſequenti, cùm ait Gal: II, 4. 5. *Neque propter irreptitios falſos fratres, qui fuerant clam ingreſſi ad explorandam libertatem noſtram quam habemus in Chriſto Ieſu ut nos in ſervitutem redigerent; quibus ne.*

Digitized by Google

bus me ad momentum quidem nos ſubjiciendo ceſſimus : hæc ſanè citra enallagem numeri pluraliter dici à Paulo nemo inficiabitur. Et quò conſtet Paulum non ſuo tantum nomine loquutum cùm dixit Gal:1,8. *Si nos aut Angelus è cœlo euangelizet vobis*, pergit com.9. nomine ſuorum omnium in legitimo Euangelii Miniſterio Collegarum, univerſaliter loqui, cùm aït, *ut ante diximus*, (reliquos enim ſupponit ſibi ὁμοψήφους in hac ſua aſſertione, ac ſi ſuo ore loquerentur,) *etiam nunc iterum dico*, meo & reliquorum nomine, *Si quis vobis euangelizaverit prætèr id quod accepiſtis, anathema eſto.* Eandem perſonã communem Paulus aſſumit Heb: v,11. cùm ait *de quo nobis multa ſunt dicenda*, quò perſuaderet Hebræis, iſta quæ adhuc dicenda haberet magni momenti, non ſua privatim eſſe, ſed omnium ſecum legitimorum Miniſtrorum Chriſti, ac ſi cœteri omnes ſuo ore loquerentur; aut quò conſtaret hæc quæ docenda habebat non à ſe tantum proficiſci, ſed ab ipſo quoque Deo per ſe, juxta illud Chriſti Luc: x, 16. *Qui vos audit me audit* : quo ſanè reſpectu fidelis quilibet Chriſti Miniſter jure meritò in plurali loquitur, ut legatus quaſi ſuo ſimul & legantis nomine. Sic enim ipſe Paulus de omnibus ſecum Eccleſiæ Miniſtris loquitur 2 Cor: v, 20. *Nomine Chriſti legatione fungimur, & velut Deo rogante per nos, oramus Chriſti nomine reconciliamini Deo.* Ita ad alios Chriſti fidos Miniſtros, maximè Pauli συνέργους, non ad ſolum ipſum Apoſtolum, pertinet illud Heb: vi, 9. 11. *Nobis perſuaſimus de vobis, dilecti quæ meliora ſunt, & ſaluti adhærentia, etiamſi ita loquamur; Cupimus autem ut unuſquiſque veſtrûm idem ſtudium ad finem uſque oſtendat* : nec non & iſtud Heb: xiii, 18. *Orate pro nobis; confidimus enim nos bonam conſcientiam habere, ut qui in omnibus cupiamur benè verſari* : Ut in nullo horum teſtimoniorum ſit opus illam enallagem numeri comminiſci, ad quam confugit Volkelius in celebri dicto Moſis Gen:1, 26. in quo Deus introducitur pluraliter loquens in prima perſona ad perſonarum Divinarum pluralitatem inſinuandam & adſtruendam.

Inſtabunt tamen, & illa Dei verba urgebunt : *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis. (Gen: 3.22.)* Id quod ajunt iſti, nequaquam numeri pro numero poſiti, ſed plurium in uno Dei numine perſonarum magnum eſſe argumentum. Reſpondemus autem, nihil iſta conſecutione infirmius eſſe : cum licèt numerus pro numero iſto in loco minimè uſurpari videatur, tantum tamen abſit, ut protinus perſonarum in una Dei eſſentia conſequatur pluralitas, ut potiùs minimè de ſe ſolo Deum locutum fuiſſe conſtet. Conſentaneum enim eſt, Deum, cùm ad hunc modum loqueretur, ad illa ſerpentis verba reſpexiſſe : *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum (Gen: 3.9.)* Quibus verbis cum ſerpens ille, ad veſcendum fructu arboris boni ac mali, primos parentes noſtros planè incendere ſtuduerit, haud veriſimile eſt, ſi ſummo illi Deo eos pares fore perſuadere inſtituiſſet, ſimplici Deorum nomine eum uſurum, & non multò luculentiùs altiſſimum illud numen expreſſurum fuiſſe; præſertim cum ſimplex Deorum commemoratio ſummum illum Deum neceſſariò minimè contineat.

‡ *Inſtabunt tamen*] Et revera hæc ἔνστασις aufert Hæretico prçcedens ſuum χρησφύγετον, ab enallage petitum : Sic enim Deus in plurali de ſe loquitur Gen:

Digitized by Google

Gen:1,26. ut Gen:III,22. dicendo *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis*, plures perſonas ſui ordinis eo ipſo agnoſcat: Sic enim cum Chriſtus dicebat, *Unus ex vobis me prodet*, aut *traditurus eſt* Matt: XXVI,21. eo ipſo plures numero Apoſtolos ſtatuebat. Imò qui dicit aliquem ſimilem uni è nobis, eo ipſo nos plures perſonas numero eſſe ſtatuit.

Ut potiùs minimè de ſe ſolo] Et hoc certo ſenſu verum eſt, quod Deus ſupponendo pro Patre, *minimè de ſe ſolo* loquutus ſit: ſubintellexit enim unà ſecum Filium & Spiritum Sanctum: Et Onkelos, ut obſervat Reuchlinus *Kabb. lib.* I. ſtatuit hîc loci, comparari Adamum terreſtrem cum cœleſti, ideſt cum unigenito Dei filio. Sed certum eſt hoc non poſſe intelligi dictum à Deo, eorum reſpectu qui naturâ Dii non ſint. Nulli enim Angeli tam ſublimis ſunt perfectionis, ut Creator velit eos in intimam ſuam ſocietatem eouſque aſſumere, ut de quoquam ex illis dicat, Eſt unus ex nobis. Ac ſicut non poſſunt Angeli Deum eouſque ſibi conjungere in ſuo ſermone, ut de ipſo dicant *Eſt unus ex nobis*; quantum enim diſplicuerit ipſis hominibus, quod plebeii & homines nauci, ſe in Magnatum clade illis conjungerent, notatum fuit veteri Adagio, *Nos poma natamus*; Ita non poteſt concipi Deus Angelos tam intimè ſibi conjungens, ut velit de quo ex illis dicere, *Eſt unus ex nobis*; quaſi ſeipſum deprimens ad ordinem Creaturarum, aut illas in Gloriæ ſuæ incommunicabilis conſortium aſſumens.

Conſentaneum enim eſt] Non modò *conſentaneum* illud eſt, ſed omninò veriſſimum, Deum reſpexiſſe ad illa verba ſerpentis quæ extant Gen:III,5. *Eritis ſicut Elohim ſcientes bonum & malum*. Verum abſurdè ſtatuitur, nomen *Elohim* in his verbis non intelligendum eſſe de ſummo Deo, hac ſtultâ obſervatione quod ſi Satan primos parentes *ſummo illi Deo pares fore perſuadere inſtituiſſet*, *ſimplici Deorum nomine* non fuiſſet uſurus, ſed *multò luculentiùs altiſſimum illud numen* expreſſurus; *præſertim cum ſimplex Deorum commemoratio ſummum illum Deum neceſſariò minimè contineat*. Etenim cùm jam ſummum Numen in ſua oratione Serpens hoc nomine *Elohim* conſtanter expreſſiſſet, tum ſciſcitando com. I. an de facto Deus prohibuiſſet primis parentibus eſum illius arboris; tum hoc ipſo commate dicendo noſſe *Elohim* eorum oculos apertum iri quo die ex illa comederent, ipſoſque futuros ſicut *Elohim*; nulla ſubeſt ratio, cur varianda ſit hujus vocis ſignificatio in hac ultima particula; præſertim cùm eouſque in textu ſacro conſtantur ſupremũ Numen illâ voce expreſſum fuerit. Et licet non promiſerit primis parentibus eos futuros Deo ſummo ſimiles quoad eſſentiam, id enim perſuaderi ipſis non potuiſſet, tamen ipſis promiſit eos illi ſimiles futuros quoad cognitionem & ſcientiam. Nec potuiſſent homines ſuſpicari ſibi ſummum Numen invidiſſe ſimilitudinem Angelorum; cùm jam illis ſimiles eſſent puritate & ſanctitate; ſed in proclivi erat ſeductis à Serpente ſuſpicari Deum invidiſſe ſibi ſimilitudinem ſecum, quod omnis Majeſtas conſortis impatiens eſſe ſoleat. Nec tantum crimen illis fuiſſet, anhelaſſe cognitionem Angelicam, creatam utique & finitam, quam geſtire voluiſſe ad cognitionem Divinæ parem aut ſimilem, cujus nulla Creatura capax eſſe poteſt. Adhæc ipſius Satanæ crimen hoc fuerat, quod ſimilis ipſi Deo ſummo voluerat evadere; quò multi referunt locum Eſ: XIV, 12. 13. Jam autem dubium non eſt quin eandem ſuperbiam voluerit protoplaſtis inſtillare; prout canes rabidi morſu ſuo, idem venenum quo vexantur aliis communicant. Geſtire ergo voluit homo ſuccumbens illius tentationi, non ad ſcientiam quam finitam & Angelicam, ſed infinitam & ſimpliciter Divinam, ac ſi dixiſſet, *Non eſt mortale quod opto.*

Quid

Digitized by Google

Quid, quòd etiamſi Deus ſerpentis verborum nullam rationem habuiſſet, nequaquam tamen conſequens foret, eum de ſeipſo ſimpliciter locutum eſſe. Nam præterquam quòd omnes generatim cœlites oratione ſua complecti potuit, & ſine dubio complexus eſt; nimis etiam à rectæ rationis judicio alienum videtur, ſummum illum Deum, qui inexplicabili ſapientia præditus, omniſque ſcientiæ primus autor eſt, hominem ex terra pulvereque procreatum, boni malique ſcientiâ ſecum ipſo nominatim æquare voluiſſe.

‡ *Quid quod etiamſi*] Quin etſi certum ſit Deum *ſerpentis verborum rationem* habuiſſe, tamen nonniſi *de ſeipſo* cum dixit, *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis,* loqui potuit. *Omnes* enim *generatim cœlites oratione ſuâ complecti* voluiſſe tam abſurdum eſt, quam eum voluiſſe omnes cœlites & Angelos ejuſdem ſecum ordinis & conditionis facere: Qui enim dicit *unum ex nobis*, ſe cœterorum ordini eo ipſo inſerit: Deum autem voluiſſe ſe accenſere ordini Angelorum, & eos in omnimodam ſecum ſocietatem traducere hac phraſi, nemo prudens exiſtimaverit. Ut enim nullus Angelus creatus poſſet jure Deum accenſere ſuo ordini, dicendo unus ex nobis eſt Creator, Omnipotens, Omniſcius, Inmenſus, ita nequit fingi Deum Angelos ita ſibi ſociare, ut eorum reſpectu dicere poſſit, unus ex nobis eſt creatus, finitus, lapſus.

Nimis etiam à rectæ] Cùm Deus reſpexerit ad illa ſerpentis verba, quæ ſuprà relata ſunt, noluit equidem hominem *boni malique ſcientiâ ſecum ipſo nominatim æquare*, ac ſi revera ſtatuerit illum eò perfectionis jam conſcendiſſe; ſed voluit tamen ſuggillare ſtultum hominis conſilium, quo dum fidem adhibuit Mendacii Patri, ſibi hanc perfectionem falsò pollicenti, de facto novit & expertus eſt, tum bonum quo exciderat, tum malum in quod inciderat; ut ſic ei ſarcaſticè exprobretur ſua ſtultitia, & indicetur quam procul ſuâ rebellione evaſerit ab illo perfectionis gradu quem anhelabat; ut ſic illi evenerit quod Camelo in fabula, qui dum cornua appetiit etiam auribus mulctatus eſt. Supereſt itaque hæc ironicè dici à Deo, prout ſumma Sapientia Prov. 1, 26. ſic affatur imprebos; *In calamitate veſtra ridebo, ſubſannabo cum advenerit id quod expaveſcitis*: Quamvis nec malè de his Dei verbis dixerit Auguſtinus *lib. 11. de Gen: ad lit. cap. 39. Verba ſunt hæc Dei non tam huic inſultantis, quam cœteros ne ita ſuperbiant deterrentis, propter quos iſta ſcripta ſunt.* Nec dubium quin Deus Pater hæc dixerit ad Filium & Spiritum Sanctum, quos & priùs in Creatione ſic compellaverat, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*: Ac ſi vellet dicere, Egregiam ſcilicet laudem & ſpolia ampla retulit homo, ſuâ tranſgreſſione; jam nempe promiſſorum Satanæ & voti compos evaſit; jam nobis tribus acceſſit quartus; Jam uti ſperaverat ambitioſè & ſuperbè, *factus eſt ſicut unus ex nobis.*

Id quod multi animadvertentes, non dubitârunt aſſerere, Deum hoc in loco nequaquam ſeriam orationem habere, ſed per ironiam quandam Adamo veluti illudere. Verùm longè ſecùs ſeſe rem habere, duabus rationibus probari poteſt. Primò enim conſtat, arborem illam, ſcientiæ boni & mali arborem
408. eò appellatam fuiſſe, quòd haud aliter illius fructu boni ac mali cognitio parabatur, quàm ex arboris vitæ uſu ætatis propagatio profluebat. Quomodo igitur

Digitized by Google

igitur Deum luſiſſe exiſtimabimus, cum dixit, *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis*; *ad ſciendum* (ita enim ſonant Hebræa) *bonum & malum.* h. e. ita ut ſciat bonum & malum?

‡ *Id quod multi animadvertentes*] Hæc eſt ſanè communis Chriſtianorum interpretum ſententia, Deum hîc ironicè loquutum fuiſſe; ut factum ab Elia Propheta cum Sacerdotibus Baalis 1 Reg: XVIII,27. Et nulla ſubeſt idonea ratio cur *ſeriam orationem* hîc comminiſcantur hæretici; Si enim verè per peccatum ſuum evaſerat ſimilis vel Deo, vel Angelis, non poteſt illius culpa vel improbari, vel cenſeri primus ſuæ miſeriæ gradus; cum è contrario perfectionem eâ ratione ſit indeptus quâ antea carebat, & quam Deus illi videbatur invidiſſe, prohibendo eſum ex fructu illius arboris, qui tam ingens bonum ipſi adferre poterat. Imò nec mendax nec homicida habebitur Satan, qualem tamen eum fuiſſe ab initio teſtatur Chriſtus Joh: VIII,44. ſiquidem id omninò protoplaſti conſequuti ſint ſcientiæ & perfectionis & æqualitatis cum *Elohim*, quod illis ex ſuo delicto promiſerat.

Primò enim conſtat] Utrumque eſt falſiſſimum: Primò enim accuratè loquendo ex *arboris vitæ uſu ætatis propagatio* non *profluebat*; cùm nihil aliud eſſet quam pignus & Sacramentum vitæ illius fœlicis quam vivebat in paradiſo, nunquam interrumpendę, ſi perſeveraret in obſequio, & poſt viam illã emenſam, fœlicioris in Patria cœleſti obtinendæ. Ideo namque Chriſtus *arbor vitæ* dicitur Apoc: II, 7. XXII,4.14. imo Prov: III, 18. quod illius beneficio ad eam fœlicitatem & immortalitatem perveniamus 2 Tim: I, 10. quam Deus obſignabat Adamo per arborem vitæ, ſi in officio permaneret. Neque primi hoc monemus: Auguſtinus Eugubinus Steuchus *in Coſmop: ſymbolicè* vel ſignificativè arborem illam ſic dictam putat, quia ſcilicet *ſignum eſſet immortalitatis Adamo, ſi legem Dei cuſtodiret, propoſitæ*; & Vatablus, citante Zeæmanno *de Imag. Dei in hom. cap.* 16. *art.* 2. *pag.* 319. *Sic*, inquit, *arbor vitæ dicta fuit, non quæ vitam homini conferret, quâ jam ante præditus fuerat; ſed ut ſymbolum ac memoriale eſſet vitæ divinitùs acceptæ, ut quoties fructum illius arboris guſtaret, ſe agnoſceret non propriâ virtute, ſed Dei beneficio vivere.* Hoc quoque inſinuat Auguſtinus *lib.* 13. *de Civit. Dei cap.* 20. cùm ait cœteras horti arbores fuiſſe *alimento* protoplaſtis; hanc verò *Sacramento.* Deinde dato non conceſſo aliquid phyſicè collaturam fuiſſe arborem vitæ ad ſenium arcendum, & reparandum humidum radicale, inde tamen non ſequetur aliam arborem *ſcientiæ boni & mali arborem eò appellatam fuiſſe, quod* HAUD ALITER *illius fructu boni ac mali cognitio parabatur, quam ex arboris vitæ uſu ætatis propagatio profluebat.* Nam ut fructus quidam corporeus eodẽ modo agat in mentem, ut ei ingeneret boni ac mali cognitionem, quo alius aliquis fructus agit in corpus, ut ejus εὐκρασίαν conſervet, ac vires refocillet atque reparet, is demum poterit ſibi imaginari, qui Anticyras navigare inſtituat. Sanè hactenus fuit pleriſque omnibus Chriſtianis non delirantibus perſuaſiſſimum, arborem ſcientiæ boni & mali ſic fuiſſe dictam, non tam ab effectu, quam ab eventu, quod licet antea ſpeculativè noſſet Adam diſcrimen boni & mali, tamen dum illectus inani & fallaci promiſſione ſerpentis, contra Dei præceptum ex fructu vetito comedit, cœpit practicè & per experientiã ſuo magno damno noſſe & quibus exciderat bonis & in quæ mala inciderat. Ita ex Auguſtino explicat Lombardus *lib.* 2. *Sent. diſt.* 17. *lit.* F. *Lignum ſcientiæ boni & mali non à natura hoc nomen accepit, ſed ab occaſione rei poſtea ſecutæ. Arbor enim illa non erat mala; ſed ſcientiæ boni & mali*

mali ideo dicta eſt quod poſt prohibitionem erat in illa tranſgreſſio futura, quâ homo experiendo diſceret quid eſſet inter obedientiæ bonum & inobedientiæ malum: Non ergo de fructu qui naſceretur inde poſitum eſt illud nomen, ſed de re tranſgreſſionem ſecuta. Cognovit enim homo priuſquam tangeret hoc lignum bonum & malum: ſed bonum per prudentiam & experientiam; malum verò per prudentiam tantum. Quod etiam per experientiam novit uſurpato ligno vetito; quâ per experientiam mali didicit quid ſit inter bonum obedientiæ & malum inobedientiæ. Nec ſi Joſephus *Antiq. lib.* 1. *cap.* 2. hanc arborem vocavit τὸ φυτὸν ὀξύτητος καὶ διανοίας, eo ipſo cenſuit fructui ei naturaliter conveniſſe acumen & ratiocinationem excitare, aut quod delirat Buſtamantinus Medicus Complutenſis, naturam ejus fuiſſe *ut ſenſus excitaret & exacueret, lib.* 5. *de Reptil. Sac. Script. cap.* 8. *n* 158. Et pluſquam Judaicum eſt delirium, ſomniare ſic dictam fuiſſe illam arborem, quod vim haberet accelerandi uſum rationis quo protoplaſti antea caruerint. Cùm enim conditi fuerint ad imaginem Dei, non minus ſapientiâ quam juſtitiâ inſtructi fuerunt; Nec potuiſſet Adam tam convenienter nomina cœteris omnibus animantibus impoſuiſſe, aut tam prudenter diſſeruiſſe de conjugum officio & conjugii natura, ſtatim ac Evam ſibi aſſignatam in uxorem vidit, ſi ante peccatum rationis uſu & ſapientiâ omni fuiſſet deſtitutus. Ipſe Mæmonides reclamat iſti delirio in *More Nevoch. p.* 1. *cap.* 2. dum ſic loquitur; *Intellectus quem Creator Adamo primo infudit, (qui eſt perfectio ipſius poſtrema,) collatus ipſi fuit jam ante rebellionem (h. e.* lapſum) *ejus, propter illum enim dictum eſt de homine quod creatus ſit ad imaginem & ſimilitudinem Dei; propter illum etiam, loquutus dicitur Deus cum eo, & præcepta ei dediſſe; ſicut dicitur,* Et præcepit Deus Adam; *Præceptum, enim non datur brutis & intellectu ac ratione carentibus.* Quod itaque dicitur à Deo, *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis ad ſciendum bonum & malum*, non poteſt aliter ſumi quam ironicè, cùm revera nihil perfectionis Adamo acceſſerit, vel accedere potuerit ex eſu fructus prohibiti; eò quod nec ipſa arbor per ſe, nec multò minus peccatum in illa commiſſum, meliorem potuerit hominem reddere quam primùm à Deo conditus fuerat: Quinimò, tantum abeſt ut eâ ratione major lux affulſerit Adamo, ut è contrario dicant Judæi, apud Buxtorfium *Synag: Iud. cap.* 11. poſt illius peccatum mundum tenebris obductum fuiſſe, & protoplaſtum exclamaſſe, *Ah me miſerum, ob cujus peccatum mundus obtenebratus eſt*; Quid quod Menaſſeh Ben Iſraël *de fragil. humana p.* 1. *ſect.* 4 §. 3. docet Deum *cum creaſſet animam Adami largâ manu in eâ effudiſſe omne genus ſcientiæ & diſciplinæ*; ac refert juxta ſuos Sapientes Adamo *per infuſionem* datas fuiſſe, *non ſolum omnes ſcientias & artes liberales, verum etiam mechanicas*; & eoſdem dicere quod *cum percontati fuiſſent Angeli quibus dotibus Adam præcelleret,* reſponderit Dominus, *ſuperare eum ſcientiâ univerſali, ac continuò experimentum præbuiſſe nominibus illis quæ Adam impoſuit cunctis animantibus: Ut quæ, (ſicut optimè tradiderunt R. Levi Ben Gerſon, & R. Abraham Bibag in ſuo Derech Emuna) feliciſſimè exprimebant ipſam rerum naturam*; ut verè poſſit dici, *Adamum à Deo conſtitutum eſſe primum naturalium rerum profeſſorem.* Et poſtea *ſect:* 5. *per totam* oſtendit Adamum hac prærogativâ cum reliquis quas acceperat excidiſſe per peccatum; tantum abeſt ut ſcientiâ inſtructior eâ ratione evaſerit, aut per arboris vetitæ fructum evadere potuerit. Quod enim dicuntur Adami & Evæ aperti fuiſſe oculi poſt ſuum peccatum, ut ſuam noſſent nuditatem, non eſt ita ſumendum ac ſi antea cœci fuiſſent, aut quod fructui vetito vis ineſſet viſiva, quâ nuditatem ſuam antea non animadverſam tùm primùm cognoviſſent; ſed quod juſto Dei

judicio

Digitized by Google

judicio, juſtitiâ ſua originali ſpoliati, nuditatis iſtius ſpiritualis ſibi conſcii fuerint, & amiſſo ſplendore externo corporum ſuorum, ei haud diſſimili quo noſtra veſtientur in reſurrectione, eorum turpem nuditatem conſpexerint. Aperti etiam tum ipſis fuerunt oculi, quod jam ſerò nimis, ſerò enim ſapiunt Phryges, artes ac ſtrophas & mendacia Satanæ, ſuamque imprudentiam cognoverunt, quâ ultroneâ ſuâ inobedientiâ, inani ſpe illecti majoris perfectionis, quam non debuiſſent anhelare, ex fœliciſſimo ſtatu in profundæ miſeriæ barathrum inciderant. Hæc ad primam Volkelii rationem dicta ſunto.

Deinde, ſi Deus ex animo minimè locutus eſt, nequaquam, quæ ſubjiciuntur verba, rectè ex his, de quibus agimus, apta nexaque ſunt. Sic enim ibidem ſtatim ſubjungit: *Nunc ergo, ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & vivat in æternum*, &c. Neque enim ullam aliam ob cauſam Deus illa verba præmiſit: *Ecce Adam factus eſt tanquam unus ex nobis, ad ſciendum bonum & malum*, quàm ut rationem quodammodo redderet, quare à fruenda arbore vitæ Adamum prohiberet, nempe quia boni & mali ſcientiâ polleret; & ideo tum arboris iſtius vim, tum quantum in ea ponendum eſſet, probè intelligeret; & porrò nequaquam vitæ ſuæ tam negligens eſſet futurus, quin fructum arboris decerperet, comederetque, & ſic vitam viveret maximè diuturnam.

‡ *Deinde, ſi Deus ex*] Igitur hoc ſibi volunt iſti homines, revera evaſiſſe Adamum Deo vel Angelis ſimiliorem cognitione boni & mali, nec Satanam illum decepiſſe, cùm ei hanc ſcientiam perfectam & divinam ex arboris vetitæ eſu promitteret: quo abſurdo nihil abſurdius dici vel excogitari poteſt. Ei verò neutiquam militat magis quam præcedens hæc altera Volkelii obſervatio. Nam ſupponit falsò, Adamum ante lapſum neſciviſſe naturam & uſum arboris vitæ; Supponit falsò eum demum ex eſu arboris ſcientiæ boni & mali, intellexiſſe *tum arboris vitæ vim, tum quantum in ea ponendum eſſet*; Supponit falsò illum poſt peccatum ſuum & contra denunciationem divinam, *Quo die comederis morte morieris*, decerpendo *fructum arboris* vitæ & ex illo comedendo, *vitam* victurum *maximè diuturnam*; ac ſi contra vim mortis, illiuſque reatum jam contractum ex irrevocabili comminatione divina, foret medicamen in hortis; Supponit falsò, ideo Deum *à fruenda arbore vitæ Adamum* prohibere voluiſſe, *quia boni & mali ſcientiâ polleret*, & ne *vitam viveret maximè diuturnam*: Nam cùm per ſanctam ironiam Deus exprobraſſet Adamo miſeriam in quam inciderat ſuo peccato & eventũ valde diſparem grandi illi promiſſo Satanę, cui maluerat credere quam ſibi, dicendo *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis*, ut illa apud Poëtam, *I, ſequere Italiam ventis, pete regna per undas*; vult eum arcere ab arbore vitæ, non quod de facto victurus perpetuò fuiſſet poſt ſuum peccatum, ex illa comedendo; ſed partim ne putaret ſe eluſurum ſententiã mortis jam ante pronunciatam divinitùs, ſi poſt illius reatum contractum, poſſet veſci ex arbore vitæ; partim quod à Sacramento vitæ meritò eſſet arcendus qui jam re ſignificata, ſuâ culpâ exciderat. Quod enim dicit Deus, *ne forte mittat manum ſuam & ſumat de ligno vitæ & vivat in æternum*, non tam notat eventum ſequuturum, ſi comediſſet poſt peccatum, quam opinionem prępoſteram, quâ Adam jã lapſus duci potuiſſet ad illius arboris carpendos fructus, & cui in tempore præ-

repræyertere Dominus voluit; ut meritò dixerit Chryſoſtomus *magis providentiæ quam indignationis aut pœnæ fuiſſe*, quod Deus noluerit Adamum jam peccatorem, veſci ex arbore vitæ; Quamvis enim non peccaſſet edendo, quia arbor non erat prohibita, peccaſſet tamen edendo eâ intentione ut ſententiam mortis eluderet, & vel invito Deo viveret in æternum; quod tam falsò ſibi perſuaſiſſet quam falsò ſibi perſuaſerat ſe ſcientiam divinã ex arbore prohibita conſequuturum. Hæc cùm plana ſint & obvia, mirum eſt Volkelium, eam propugnare ſententiam de utraque arbore, ex qua Deus omninò veniat invidiæ erga hominem inſimulandus: Nam invidiæ fuerit, quod ei prohibuerit fructum arboris dictę ſcientiæ boni & mali, ex quo doctior multò & ſapientior poterat evadere; invidiæ quoque quod noluerit hominem jam ſapientiorem factum diutiùs frui ſuâ novâ ſcientiâ, & quid carpendo ex arbore vitæ vivere in æternum.

Multò igitur tutius eſt, ſtatuere, Deum hoc in loco Angelos allocutum fuiſſe, utpote quorum operâ, ut in eodem verborum contextu apparet, Adamum Evamque paradiſi finibus exterminari voluit, quoſque in horti illius cuſtodia, cum gladio flammeo atque verſatili collocavit; cujus rei cauſam, ut diximus, in illis, de quibus controvertimus, affert; ut facilè appareat, tum Deum, tum ſerpentem, nihil aliud dicere voluiſſe, quàm Adamum, quod ad boni malique intelligentiam attinet, non ampliùs reliquis terreſtribus animalibus, ſed generatim loquendo cœlitibus, quorum malum à bono dignoſcere proprium erat, ſimilem eſſe, aut fore. quod ſine dubio Franciſcus Vatablus animadvertens, nomen Elohim priore in loco collocatum, non *Dii*, ſed *Angeli* verti potuiſſe, ut & quidam verterunt, non diffitetur: propterea quòd nomen hoc, & Deos, & angelos deſignat. In altero verò loco ab his verbis incipiente; *Nunc ergo* &c. idem Vatablus ſubaudiendum cenſet: *Vos angeli videte, ſive cavete, ne mittat manum ſuam*, &c. Intelligendum præterea eſt, eadem verba ex Hebraico ſic legi poſſe: *Adam factus eſt tanquam unus ex ſe ſciens bonum & malum*: ut ſenſus ſit, eum factum eſſe unum eorum, qui ex ſeipſis ſciunt bonum & malum.

† *Multò igitur tutius eſt*] Nihil eſt planè tuti in hoc commento; Nam Deus Jehova qui ait *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis*, profitetur ſe unum eſſe ex iis quos compellat; At verò non eſt unus ex Angelis: Nec Angelorum ſimilitudinem, ſed ipſius Dei vel affectaverat homo, vel homini Serpens promiſerat: Quare ipſe Judæis Menaſſeh Ben Iſraël, *p.* 1. *de frag. hum. ſect* 5. § 3. monet Serpentem dixiſſe, *ſub falſa quadam & apparente ratione, Eritis velut Deus & cognoſcetis bonum & malum*. Et Raymundus Martini *in Pugione Fidei* 3. *p. diſt.* 2. *cap.* 9. §. 7. diſertè docet quod *Adam & Eva voluerunt eſſe ſicut Deus*, & laudat teſtimoniũ Auguſtini dicentis quod *rapere voluerunt divinitatem & perdiderunt fœlicitatem*. Igitur non Angelos alloquitur Deus, ſed Filium & Spiritum Sanctum, ut docet Auguſtinus *lib.* 11. *de Gen. da litt cap.* 39. *Non aliter intelligendum eſt quod ait Unus ex nobis, niſi ut propter pluralitatem numerus pluralis accipiatur; Sicut dictum fuerat Faciamus hominem; ſicut etiam Dominus de ſe & Patre dicit, Veniemus ad eum, & manſionem apud eum faciemus.*

Ut

Digitized by Google

Utpote quorum operâ] Nec dicit Moſes Angelorum *operâ* exterminatos fuiſſe *Adamum Evamque Paradiſi finibus*, ſed tantum quod *Iehova Deus emiſit Adamum ex horto Hedenis ad colendum terram illam ex qua deſumptus fuerat* Gen: III, 23. Nec legitur Deus adhibuiſſe ad id miniſterium Angelorum, niſi *quùm* jam *expuliſſet hominem* ibid. 24. Unde colligere eſt hanc expulſionem ipſi Deo immediatè tribuendam; Nec ſi Deus ad id uti voluiſſet Angelorum operâ, ideo dicturus fuiſſet ad eos, *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis*; Qui mandat ſuis famulis ut aliquem ex ſua domo ejiciant, non tamen eos ſic alloquitur, ut ſe unum ex illis eſſe profiteatur: Et nullus eſt Regum aut Principum terræ qui ſuos vel Aulicos, vel Domeſticos, eâ formulâ velit compellare, & mirarentur noſtri famuli, ſe nobis tam familiares fieri.

Ut facile appareat] Nihil minus quam hoc apparet: Sed duo hîc apparent longè abſurdiſſima in Volkelio: Primùm, quod ejuſdem ſententiæ facit *Deum & ſerpentem*, ut nec iſte mendax aut fallax fuerit, promittendo protoplaſtis eos futuros inſtar Dei cognoſcendo bonum & malum; nec ille ex conſequenti procul fuerit ab invidia, prohibendo homini fructum ex cujus eſu tantum emolumenti & perfectionis erat percepturus. Deinde quod ſtatuat Adamum ante lapſum *reliquis terreſtribus animalibus* quantum ad cognitionem fuiſſe parem, ſed ſuo demum crimine *cœlitibus, quorum malum à bono dignoſcere proprium erat, ſimilem* evaſiſſe. Quid vero iniquius vel abſurdius hoc commento, quo fingitur & ſimilitudinem cum cœlitibus homini attuliſſe ſuam illam tranſgreſſionem, quâ & ſeipſum & totam ſuam poſteritatem perdidit; & in ſtatu inegritatis ac innocentiæ ſuæ, conditus licet ad Dei imaginem, ac in cœtera animantia inſtructus eo dominio, quod citra ſapientiam exquiſitam exerceri non poterat, *à reliquis terreſtribus animalibus* non diſcrepaſſe, adeoque propiorem beſtiæ quam homini fuiſſe? Hæc monſtra debent ſibi fingere hæretici, ut ſuas hypotheſes tueantur.

Quod ſine dubio] Qui-nam interpretes illam pericopam, *Eritis* כאהלים, reddiderint *Eritis ſicut Angeli*, docendum fuisſet Volkelio. Saltem nec Græci interpretes, nec Vulgata Verſio, Nec Tigurina, nec Itala, nec Gallica, nec Belgica, nec Iunius, nec Pagninus, nec Caſtallio, ipſe, ſic reddiderunt. Chaldæus Puraphraſtes repoſuit כרברבין *Cerabrebin*, *inſtar Principum* aut *Magnatum*: non verò *ſicut Angeli*: Et meritò dubitari poſſit, maximè apud iſtos homines quibus protoplaſti ante lapſum à beſtiis non differebant, an Eva jam tum cognoverit etiam nomine *Elohim* Angelos indigitari poſſe. Equidem plerique interpretes reddiderunt *Eritis ſicut Dii*, in plurali, quod ipſi protoplaſti duo eſſent, quibus illa proxima cum Deo ſimilitudo promittebatur; ſed tamen non defuerunt qui retinerent, ut in præcedenti commate, ſingulare *Deus*, quod ſuprà oſtendimus factum etiam à nonnullis Judæis, nequis hîc Angelos ſomniaret. Vatablum quod attinet, fit illi injuria à Volkelio: Nam ad illam pericopam, *Eritiſque ſicut Dii*, annotat, *ideſt eritis ſimiles Deo*; Subjungit equidem, quod *alii vertunt ſicut Angeli*, eo quod *utrumque ſignificet vox Hebræa Elohim*; ſed id refert hiſtoricè, neque ſuo calculo comprobat eam interpretationem. Quantum ad alterum locum, Vatablus ad illa verba, *Ecce homo ipſe factus eſt ſicut unus ex nobis*, id annotat; *Videlicet quantum ad cognitionem boni & mali attinet: Hæc per IRONIAM dicuntur, quaſi dicat, longè aliter res ſe habet quam putavit homo.* Et cùm Leo Judæ verba ſequentia ſic reddidiſſet, *Et nunc periculum eſt ne forte mittat manum ſuam,* putavit quidem Vatablus, loco particulæ *periculum eſt*, quæ in textu Tigurino clauditur parentheſi, poſſe *ſubaudiri*, *Vos*

Digitized by Google

Angeli videte ſive cavete ne mittat, &c. Sed nec ſomniavit illud præcedens, *Factus eſt ſicut unus ex nobis*, dictum à Deo ad Angelos, cùm è contrario illud aliud *ſicut Dii* in prima pericopa, reddiderit *eritis ſimiles Deo*; nec ſtatim ſequeretur ad Angelos illud dictum, *ſicut unus ex nobis*, eo quod poſt declaratam à Deo illis verbis juſtam ſuam indignationem ex tranſgreſſione Adami, introduceretur ſe convertere ad Angelos, illiſque mandare ut præcaverent, ne Adam addendo peccatum peccato manum extenderet ad arborem vitæ.

Intelligendum præterea eſt] Verùm hæc exceptio nequit proferri, niſi ab homine qui fatetur nihil ſibi præſidii eſſe in præcedenti; Sed neque iſta juvare ſuam cauſam poteſt, tùm quia nemo interpretum, Hebræorum, Græcorum, Latinorum, illud ממנו *Mimmenu*, reddidit in ſingulari, ſed omnes in plurali; tùm quia ſi ſingulariter eſſet reddendum, ut notant Grammatici quod illud affixum נו *nu*, præcedente *ſægol*, ſit non ſolũ plurale primę perſonæ, ſed etiam aliquando ſingulare tertię, (quamvis forte hanc illius vim faciliùs foret oſtendere ubi verbo, quam ubi præpoſitioni, ut hîc, additum eſt) deberet potiùs dici *factus eſt tanquam unus ab illo*, vel *ex illo*, relativè, quam *ex ſe* reciprocè. Sed præterea, homo non poſſet dici vel factus *ex ſe* ſciens bonum & malum, cum hanc ſcientiam extrinſecè nactus fuiſſet eſu arboris vetitæ, non verò eam ex ſe haberet; vel factus tanquam unus ex ſe ſciens bonum & malum, quin ſemper ſupponeretur plures eſſe quibus conveniat *ex ſe* ſcire bonum & malum; adeoque vel plures Deos eſſentiâ, quod non magis velit Volkelius quam nos, vel quod defendimus plures perſonâ. Tum eâ ratione non modò ſimilis evaſiſſet Angelis, ut hanc duntaxat ſimilitudinem illi promiſſam à ſerpente, & à Deo agnitam in ipſo, antea nugabatur hæreticus, ſed revera ipſi Deo, cui uni & ſoli convenit *ex ſe* ſcire bonum & malum. Ille enim eſt *Pater Luminum*, uti dicitur Jacobi I, 17. qui ſolus ex ſeipſo lumen habet ἄσβεστον, illudque fœnerat quantum lubet omnibus ſuis Creaturis, quæ omnes hauriunt plus minus-ve ex plenitudine illius: unde dicitur Angelis ſuis *appoſiturus lucem* Job: IV, 18. tantum abeſt ut eos debeamus fingere ſcire *ex ſeipſis* bonum & malum: Sed nihil eſt tam abſurdi, quod Sociniani non auſint comminiſci, ad Dei veritatem oppugnandam & evertendam.

Afferri ſolent & illa Dei verba: *Venite deſcendamus, & confundamus linguas eorum* &c: (*Gen*: 11. 7.) Verùm hîc ſimiliter, atque in præcedente teſtimonio, nequaquam neceſſe eſt, ut Deum de ſeipſo, aut ſecum ipſo locutum fuiſſe ſtatuamus; cum nihil vetet, quominus eum angelos in rei iſtius ſocietatem adſci-
409. viſſe, atque adeò illorum operâ eam perfeciſſe perſuaſum habeamus. Si enim, ut apertiſſimum eſt, in operibus multò præſtantioribus, angelorum ſæpè operâ uſus fuit; quid eſt, cur & in hoc negotio id eum feciſſe minimè credamus?

‡ *Afferri ſolent & illa*] Etiam hic locus unus eſt ex viginti in quibus ſacræ literæ de Deo in plurali loquuntur, ex quibus tam ſeorſim quam junctim conſideratis, tùm reſpectu vocis *Elohim*, tùm reſpectu adjunctorum, pluralitas aliqua perſonarum divinarum inferri debet: De duobus prioribus, qui exſtant Gen: I, 26. III, 22. dictum hactenus: Hic tertius eſt ex Gen: XI, 7. Quartus extat Gen: XX, 13. *Errare me fecerunt Elohim*. Quintus Gen: XXXV, 7. *Elohim illic ſe revelarunt ipſi cùm fugeret*

Digitized by Google

fugeret metu fratris ſui. Sextus Deut: IV, 7. *Elohim propinqui ei.* Septimus Deut: V, 26. *Elohim viventes,* vel *viventium.* Octavus Joſ: XXIV, 19. *Elohim Sancti ipſe.* Nonus & decimus I Sam: XVII, 26. 36. *Elohim viventium.* Undecimus I Sam: VII, 23. *Ad hanc gentem ſibi in populum redimendum iverunt Elohim.* Duodecimus Job: XXXV, 10. *Ubi eſt Elohim qui fecerunt me.* Decimus tertius Pſal: LVIII, 12. *Eſt Elohim judicantes* vel *judices in terra.* Decimus quartus Pſal: CXLIX, 2. *Lætetur Iſraël in factoribus ſuis.* Decimus quintus Eccleſ: XII, 1. *Memento Creatorum tuorum in diebus juventutis tuæ.* Decimus ſextus Eſ: VI, 8. *Quis ibit nobis?* Decimus ſeptimus Eſ: XXII, 11. *Non reſpexiſtis ad factores ejus.* Decimus octavus Eſ: LIV, 5. *Iehova conjuges tui, factores tui.* Decimus nonus Jer: X, 10. *Iehova Deus veritatis, Elohim viventes & Rex æternus*; Vigeſimus Jer: XXIII, 36. ubi iterum commemorantur *verba Elohim viventium, Iehovæ exercituum Dei noſtri.* Ubi verò Jehova dicit Gen: XI, 7. *Agedum deſcendamus & confundamus ibi ſermonem eorum,* debet intelligi Pater id ſumens conſilii, ut olim in hominis creatione, cum Filio & Spiritu ſuo. Hîc ſanè ille Vatablus, ad quem ſolet interdum provocare Volkelius ceu Hebraiſmi peritiſſimum, ſic annotat; *Utitur verbo plurali, unde intelligitur pluralitas perſonarum in unitate divinitatis.* Addimus rationes Cyrilli *lib. 3. dial. de Trinit.* quod videlicet Deus, *manu Sanctorum Angelorum opus non habuerit, vel certè conſpiratione & concurſu aliquarum rerum ad hoc, ut quod placebat ei perficere poſſet;* & quod *opus erat ad ſolum conditorem ſpectans transformare expeditam linguam pro ſuo arbitrio.* Et ſanè hæc argumenta evincunt omninò, *Deum* hîc loci *de ſeipſo ac ſecum loquutum fuiſſe,* quod negat Volkelius.

Cùm nihil vetet quominus] Abſurdè hîc recurras ad *Angelos*: nam hîc non deſcenſio Angelorum ſed Jehovæ ipſius ſignificatur, ex Mæmonidis regula *in More Nevochim p. 1. cap. 10.* quod Deus dicatur *deſcendere*, quando *plaga ſuper gentem aliquam vel clima aliquod terræ deſcenſura eſt juxta voluntatem Dei. Atque hinc,* inquit, *iſta res appellatur Ieridah, deſcenſio;* quod probat ex Gen: XI, 7. XV, 5. XVIII, 21. Imo de ſolo Jehova dicitur Gen: XI, 5. quod deſcenderit ad videndum illam turrim, & com. 8. & 9. quod Jehova diſperſerit illos in ſuperficiem totius terræ, & confuderit ſermonem eorum: Quod ſi Jehova Angelos fuiſſet alloquutus eorumque operâ rem hanc perfeciſſet, non de eo ſolo diceretur quod deſcenderit & confuderit ſermonem eorum, eoſque diſperſerit ſuper terram: Cur enim ſolus Jehova in ſingulari deſcendiſſe & confudiſſe ſermonem diceretur, ſi hoc conſilium priùs iniviſſet cum Angelis, & eos ad deſcendendum ſecum invitaſſet?

Sed eſto, locutus fuerit Deus ſecum ipſo: num protinus perſonarum pluralitas in una Dei eſſentia conſtituetur? Nequaquam verò; cum vel μιμηλικῶς hæc à Deo dici potuerint, ad illudendos homines illos, qui ibidem paulò antè ſic loquentes inducuntur: *Venite faciamus lateres:* item: *venite, faciamus nobis civitatem & turrim:* (*ibid. v. 3. 4.*) vel numerum pluralem pro ſingulari poſitum fuiſſe ſtatui queat, ſive Hebraico, ſive aliarum etiam celebriorum linguarum fortaſſe omnium more, quo, quemadmodum ſuprà jam diximus, fit, ut cùm quiſpiam ſeipſum ad efficiendum aliquid incitare vult, nunquam ſingulari numero, qui in imperandi modo primâ perſonâ caret, ſed ſemper plurali numero verbum id efferat, quo actio illa, ad quam ſeſe excitat, exprimitur, quam-

Digitized by Google

quamvis nulla in eo, qui ſic loquitur, poſſit cogitari pluralitas. Quòd ſi quis hoc loco verbum *venite* urgeat, ex eoque neceſſariò plures in Deo perſonas eſſe conſequi aſſerat; reſpondemus, verbum iſtud perperam ab interpretibus verſum eſſe. cum in Hebraicis fontibus non pluralis, ſed ſingulatis numeri ſit; nihilque aliud revera deſignet, quàm *Age* vel *agedum*, ut quidem à Tigurinis aliqua ex parte animadverſum fuit, qui illud *agite dum* reddiderunt; niſi quòd ſimiliter, in plurali numero pro ſingulari contra Hebraicam veritatem reponendo, errârunt.

‡ *Sed eſto, locutus fuerit*] Sanè non potuerit Deus loquutus fuiſſe *ſecum ipſo*, quin eâ ratione inſinuaverit pluralitatem perſonarum divinarum. Quod enim hîc vel de μιμήσει ſomniat Volkelius, vel de enallage numeri, dilutius eſt quam ut refutatione egeat. Nam etſi largiamur Volkelio (qui tamen antea Ironiam in Deo concedere nolebat) id dictum à Deo μιμητικῶς, *ad illudendos homines illos qui ibidem paulò ante*, com. ſc. 3. & 4. *ſic loquentes inducuntur, Venite faciamus* &c. illa tamen μίμησις non minus requireret ex parte Dei pluralitatem aliquam perſonarum quibus diceret una ex illis, *Agite deſcendamus* &c. quam præſupponitur plures fuiſſe qui priùs ſibi mutuò dicerent, *Venite faciamus* &c. Quantum ad enallagem numeri, ante oſtenſum ex ſtylo Scripturæ, maximè V.T. nullam unquam ſingularem perſonā, vel alios, vel ſeipſam ſic alloqui, ut plurale in prima perſona de ſeipſa uſurpet.

Quod ſi quis hoc loco] Non erat vitio vertendum Tigurinis, quod in plurali numero hanc particulam הבה *hava* reddiderint, *Agite dum*, ut etiam eam reddiderunt per plurale Græci interpretes, & Latini aliquot Nam illi habent δεῦτε; Vulgata Verſio *Venite*: Pagninus *Agite*: Et quamvis non diffitear formam iſtius voculæ eſſe ſingularem, tamen nego, ullum dari exemplum in Scriptura quo conſtet aliquam ſingularem perſonam eâ voculâ erga ſeipſam ſolam uſam fuiſſe. Nam cum ſignificat, *Da*, ſemper dirigitur ad alium: Ita dicebat Jacob ad Labanem Gen: XXIV, 21. הבה את־אשתי *Hava Eth. Iſcthi, Da mihi uxorem meam*; & Rachel ad Jacobum Gen: XXX, 1. הבה־לי בנים *Hava li-banim, Da mihi filios*: & Ægyptii ad Joſephum Gen: XLVII, 15. הבה לנו לחם *Hava lanu lechem, Da nobis panem*; & Hacſa ad Calebum Jud. I, 15. הבה־לי ברכה *Hava li-Verachah, Da mihi benedictionem*; & fideles ad Deum Pſal: LX, 13. הבה־לנו עזרה *Hava lanu gnezra, Da nobis auxilium*. Et quoties hortantis particulæ geniū induit, quod obſervant Gramatici fieri alio verbo ſequente, ſemper profertur ad alium vel ad alios: Ita Gen: XI, 3. ſibi mutuò dixerunt homines, ſive ut textus originalis habet, איש אל־רעהו *Iſch El-regnehu, Vir ad ſuum ſocium*, הבה נלבנה *Hava nilbena Agite laterificemus*: & com. 4. הבה אבנה לנו עיר *Hava nifne lanu gnir, Agite ædificemus nobis urbem.* Ita Juda ad Thamarem ſcorti habitu indutam Gen: XXXVIII, 16. אבה־נא אבוא אליך *Ava-na avo elaich, Age quæſo veniam ad te*: Ita Pharao ad ſuos circa populum Jſraëlis Exod: I, 10. הבה נתחכמה לו *Ava nithchachma lo, Agite ſapiamus in illum.* Itaque eo magis quod ea particula tribuitur Deo cum verbo plurali ſequente, הבה נרדה *Hava nerda, Agite deſcendamus*, non eſt Dei ad ſeipſum ſolum, ſed neceſſariò habet vim pluralem, prout etiam Chaldæus Paraphraſtes, eam pluraliter expreſſit per הבו

Digitized by Google

הבו *Havu*, ideſt *Venite*, *Agite.* Igitur nec poteſt hîc fingi enallage pluralis pro ſingulari, quia hic ſermo habetur ad alios. Nec poteſt fingi haberi ad Angelos, cùm illa deſcenſio non ſit Angelorum ſed Jehovæ, cui etiam ſoli & ea & operis cœpti diſturbatio tribuitur.

Porrò ut opinionem ſuam ſtabiliant, illa Dei verba proferent, quæ apud Eſaiam hunc in modum ſcripta leguntur: *quem mittam, & quis ibit nobis?* (*Eſ: 6.8.*) Ubi quia jam ſingulari, jam plurali numero utitur, de ſeipſo orationem habens, idcirco perſonarum pluralitatem unâ Dei eſſentiâ contentam indicari aſſerunt. Verùm infirmiſſimam iſtam quoque argumentandi rationem eſſe, primùm inde ſatis conſtat, quòd tum Hebræi, tum Græci, tum Latini, non ſolùm ſæpiſſimè numerum pro numero uſurpant, ſed crebrò etiam in una & eadem verborum complexione, numerum pluralem cum ſingulari commiſcent, quamvis de una & eadem perſona ſermo habeatur.

‡ *Porrò ut opinionem*] Etiam huic loco Eſaiæ VI, 8. ſuum pondus in eſt; licet illud pronomen non expreſſerint Græci interpretes; Cùm enim Jehova inducitur dicens, *Quem mittam & quis ibit nobis?* perinde eſt ac ſi diceret, Quis ibit ad hunc populum functurus legatione nomine noſtro, Patris, Filii & Spiritus Sancti: prout de facto, mandatum tunc factum Eſaiæ, tribuitur in N. T. & Filio Joh: XII, 40.41. & Spiritui Sancto Act: XXVIII, 25. 26. atque Sanctam Trinitatem ibidem, videlicet Eſ: VI, 4. celebrant Seraphini, dum Jehovæ exercituum ſuum accinunt τρισάγιον; ei acclamantes *Sanctus, Sanctus, Sanctus Iehova Sabaoth.* Ideo Vatablus ad illud *Quis ibit nobis*, *Plurali*, inquit, *utitur ut ſignificetur Trinitas.*

Verùm infirmiſſimam] Quamvis enallage numeri pluralis pro ſingulari non ſit infrequens ſacris literis, tamen negamus illi unquam eſſe locum, cum aliquis de ſe in prima perſona loquitur: unde colligimus in Deo pluralitatem perſonarum concedendam, eo quod de ſeipſo pluraliter loquatur. Nec ſi contraria forent exempla apud Græcos & Latinos, illa nobis obeſſent: cum ex Græcis & Latinis authoribus de phraſi Scripturæ, ac potiſſimum Hebraica V. T. non ſit judicandum.

Et quidem ne abeamus longiùs, quis ita eſſe, ut dicimus, in illis Chriſti verbis non perſpiciat: (*Ioh: 3.11.12.*) *amen amen dico vobis, quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur; & teſtimonium noſtrum non accipitis: ſi terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?* Quæ quidem omnia Chriſtum, qui unâ tantùm perſonâ continetur, de ſe ſolo pronunciare, ſi quis ex 410.
re ipſa non intelligat, intelligere tamen poteſt tum ex poſtremis loci ipſius verbis, & iis, quæ ſtatim ſequuntur; tum ex illis quæ infra eodem capite ipſo teſtatur Joannes Baptiſta, (*ib. v. 31.32.*) dum ait: *Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt; & quod vidit & audivit, teſtatur; & teſtimonium ejus nemo accipit.* & tamen Chriſtus numero ſingulari facto initio, ad pluralem numerum tranſit; & tandem ad ſingularem numerum reverſus, in eodem orationi ſuæ finem imponit, ideoque numeros iſtos in eodem verborum contextu confundit.

Digitized by Google

‡ *Et quidem ne abeamus*] Jam ſupra egimus de hoc loco Joh: III, n. 12. ac oſtendimus Chriſtum hæc omnia *de ſe ſolo* neutiquam pronunciare; ſed eum vel loqui non minus in Patris perſona quam in ſua Joh: VIII, 16. 29. vel id efferre nomine communi ſecum Johannis Baptiſtæ, ſuorumque diſcipulorum, imò Sanctorum Prophetarum omnium qui ipſum præceſſerant: Nam ſicut in Nicodemo, eum pluraliter alloquendo, reliquos ipſius gregales compellabat, dicendo *Teſtimonium noſtrum non accipitis* &c. ita pluraliter in prima perſona loquebatur, ut conſtaret *teſtimonium* quod rejiciebatur, non ſui ſolius eſſe, ſed plurium; quia unus teſtis, nullus teſtis, & in ore duorum aut trium ſtat omne verbum.

Si quis ex reipſa] Res ipſa contrarium planè teſtatur, nec ullum argumentum ex ea deſumit Volkelius ad ſuam firmandam ſententiam, niſi quod id credi velit, quoniam ipſe dicit.

Tum ex poſtremis loci] In priori loci parte, loquitur Chriſtus in plurali, ubi de teſtimonio agebatur, quod teſtimonium pluſquam unius eſſe debeat; at in parte poſteriori loquitur in ſingulari, de ſua doctrina & modo illius proponendæ; quia ibi non opus erat ut alios ſibi conjungeret. Et in iis *quæ ſtatim ſequuntur* doctrinæ ſuæ excellentiam commendat, in eo quod ſibi peculiare erat & perſonale; Sed id non impedit quo minus reſpectu teſtimonii quod perhibebat, expreſsè pluraliter ſit loquutus, quò ſic alios ſibi teſtes adjungeret. Unde finito colloquio ſtatim dicitur com. 22. *poſtea veniſſe eum & diſcipulos ſuos in Iudeæ territorium.*

Tum ex illis, quæ infrà] Hoc eſt longè abſurdius. Nam non ideo quod hoc *teſtimonium* fuit κατ' ἐξοχὴν Chriſti ex Johannis Baptiſtæ declaratione, debuit fuiſſe illius ſolius. Quod habet Johannes Baptiſta, oſtendit eam eſſe Chriſti authoritatem ut ei ſoli dicenti credendum foret. At cùm Chriſtus in plurali loquitur, fidem ſibi apud Nicodemum adſtruit argumento ab aliorum ſecum conteſtificatione deſumpto.

Et tamen Chriſtus] Chriſtus *à numero ſingulari* fecit initium, quia ſolus cum ſolo Nicodemo loquebatur: Inde *ad pluralem numerum tranſit*, tum quia in Nicodemo reliquos notabat Judæorum Proceres & Doctores, tum quia teſtimonii ſui fidem & authoritatem, aliis teſtibus ſecum adjunctis volebat adſtruere: Et *tandem ad ſingularem numerum reverſus, in eodem orationi ſuæ finem imponit*; quia jam non agebatur de fide & veracitate ſui teſtimonii, ſed de doctrinæ ſuæ excellentia & fructu; ut nulla hîc fortuita numerorum confuſio ſit concipienda.

Simile quiddam & in illis Pauli Apoſtoli verbis apparet: (*Rom: 1. 6.*) ***Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum, in obedientiam fidei inter omnes gentes,*** & paulò poſt: ***primùm quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum*** &c. quo in loco de uno Paulo, jam in ſingulari, jam in plurali numero ſermonem haberi, promptiſſimum eſt.

‡ *Simile quiddam & in*] Etiam de hoc Pauli loco Rom: I, 6. dictum antea. Sanè cùm ait Apoſtolus, *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum, in obedientiam fidei inter omnes gentes,* de ſe ſolo non loquitur, ſed de de cœteris ſecum Apoſtolis, quibus Chriſtus dixerat Matt: XXVIII, 19. *Profecti docete omnes gentes,* quorumque prædicationi in communi ipſemet applicat hæc Pſaltis verba Rom: X, 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Quoniam autem inter illas gentes omnes ad quarum ſalutem Apoſtolatus omnium, adeoque & ſuus ordinabatur, Romani quoque

Digitized by Google

quoque cenſebantur, hinc ipſe nominatim eos adit ſuis literis, & præmiſſâ ſalutatione, ante omnia gratias agit Deo ſuo, quod illorum fides toto terrarum orbe celebraretur. Adeoque falſum eſt hoc loco *de uno Paulo jam in plurali, jam in ſingulari numero ſermonem haberi*; Nam primùm loquitur in plurali de omnibus Apoſtolis, quorum & unus erat: Deinde in ſingulari de ſeipſo, quoad ſuum ſtudium erga Romanos qui erant pars omnium illarum gentium ad quas Apoſtoli in communi deſtinati fuerant.

Jam quid de Latinis literis eandem dicendi figuram ſequentibus dicam? Prodeat ſanè in medium Cicero, linguæ iſtius facilè princeps, qui tum in ſuis Epiſtolis, tum in aliis ſcriptis, ſæpiſſimè non ſolùm plurali numero pro ſingulari utitur, ſed etiam in eodem orationis membro, de ſeipſo ſermonem inſtituens, utrumque numerum confundit. Cujus rei illa ipſius verba clariſſimum ſunt exemplum: (*lib. 1. de Natura Deorum*) *Multum autem fluxiſſe video de libris noſtris, quos complures brevi tempore edidimus.* Hic certè verbum ſingularis numeri *video*, cum vocibus *libris noſtris*, verboque *edidimus* numeri pluralis conjungi, apertiſſimum eſt; quamvis Cicero de ſe uno loquatur. Et paulò poſt ibidem: *nam cum otio langueremus, & is eſſet Reipub. ſtatus, ut eam unius curâ ac conſilio gubernari neceſſe eſſet: primùm ipſius reip. causâ philoſophiam noſtris hominibus explicandam putavi.* Hic quis non videt, verbum ſingularis numeri *putavi*, cum verbo pluralis numeri *langueremus* commiſceri, & ſic nequaquam ex numerorum confuſione adverſariorum axioma conſtitui poſſe.

‡ *Iam quid de Latinis*] Illa ſunt alieniſſima ab hac Diſputatione: quaſi ex Ciceroniano ſtylo, de Scripturæ Sacræ præſertim V. T. phraſiologia ſit judicandum. Rhetores, ut nominatim Voſſius *Inſt. Orat. lib.* 4. & Alſtedius ex ipſo *Encyclop. lib.* 7. *cap.* 10. non tam enallagem vocant, quam ſynecdocham totius pro parte, cùm quis vir magnus de ſe in plurali loquitur, eo quod nihil videatur agere niſi ſtipatus magnâ hominum frequentiâ. Ne dicam Ciceronem more cauſidicorũ plurale adhibere cùm loquitur in prima perſona; quoniam Advocati & cauſarum patroni, non ſuo tantum ſed etiam clientum ſuorum nomine loqui cenſentur. Poſſet etiam Cicero ſic intelligi, ut de ſuis libris in plurali loquatur, quaſi ſecum jungens cœteros Philoſophos Academicos, è quorum erat ſecta; eos nominatim per quos ſe ſuamque domum profeciſſe ibidem teſtatur, quales fuerunt Diodorus, Philo, Antiochus, Poſſidonius; Itaque τὸ *video* pertinet ad Ciceronis perſonale judicium; τὸ *de libris noſtris quos complures brevi tempore edidimus*, ad illam communitatem & ſocietatem, quam profitebatur habere cum cœteris Academicis Philoſophis, iis præſertim viris Doctiſſimis de quorum familiaritatibus gloriatur, & quibus ſemper domum ſuam floruiſſe aſſerit. In altera pericopa, dicit in plurali, *Cum otio langueremus* &c. quod multi alii eodem otio ſecum languerent, dum *unius curâ ac conſilio* tota Reſp. regebatur; & cùm loquitur de *noſtris hominibus*, ideſt civibus Romanis, eos ſuos reputat, & aliorum ſecum otio languentium; Sed τὸ *putavi* ad ſuum perſonale conſilium ſpectat. Quanquam ridiculè faciat qui ex Ciceroniana phraſi, de ſtylo Scripturæ pronunciare velit.

Digitized by Google

Sed ut ad teſtimonium Eſaiæ revertamur, Deus ibi non ſecum ipſo loquens ‡, ſed tanquam cum aliis conſultans, eoſque interrogans introducitur; quandoquidem Eſaias ad illam interrogationem ſtatim reſpondit, *Ecce ego: mitte me.* Qui enim, ſi Deus ſecum ipſo, vel (ſi ita libet) perſonæ divinæ inter ſe tantùm ita conſultârunt, Eſaias & conſultationi illi interfuit, & cum ad ſe interrogationem haudquaquam pertinere ſciret, ad eam tamen reſpondere, & ſe Trinitatis conſilio ingerere auſus eſt? Quòd ſi Deus alios præter ſe allocutus eſt; quid mirum, eum communicatione vulgò uſitatiſſima uſum, cùm præci-
411. puè ſeipſum intelligere vellet, dixiſſe *nobis*, & ſic alios quoque generatim, quos alloquebatur, oratione complexum fuiſſe?

‡ *Sed ut ad teſtimonium*] Certè quod hîc pertendit Volkelius Deum ibi *tanquã cum aliis conſultantem* introduci, juvat noſtram cauſam: Nam non poteſt Pater æternus cenſeri conſultaſſe cum aliis, quam cum Filio & Spiritu ſuo, ut cùm iniit conſilium vel de homine creando, vel de diſturbandis cœptis eorum qui turrim Babylonicam moliebantur. An introduceretur Deus conſultans cum Creaturis, ſiquidem, *nemo* dicitur *ei fuiſſe à conſilio* Rom:XI,34? Quanto ſatiùs igitur ſtatuetur hanc iniiſſe conſultationem & cum Spiritu ſuo, qui *ſcrutatur etiam profunda Dei* 1 Cor:II,10. & cum ſuo Filio, qui *Conſiliarius* dicitur Eſ:IX,6. & Jehovæ *Sapientia* appellatur Prov:VIII,1? Abſurdè autem colligas etiam Eſaiam ei conſultationi interfuiſſe, & in partes illius veniſſe, ex eo quod ad Dei *interrogationem ſtatim reſpondet, Ecce ego; mitte me*: Nam ſi Eſaias pars fuit eorum quibuſcum Deus conſultabat, debuerit neceſſariò miſſus fuiſſe quoque ſuo nomine: Nam Deus deliberabat de aliquo mittendo nomine communi eorum quibuſcum hæc conſilia agitabat. Sed neque hîc ad talem conſultationem eſt recurrendum: Etenim Deus illis verbis utitur, *Quem miſſurus ſum, & quis iturus eſt nobis*, non tam conſultando, quã explorando vel excitando promptitudinem & alacritatem Eſaiæ ſibi adſtantis, poſt ejus labra purificata, ad difficile munus quod illi impoſitum volebat; Nam illicò poſtquam Seraphinus labia ejus prunâ ex altari deſumptâ tetigiſſet, *audivit vocem Domini dicentis, Quem miſſurus ſum* &c. cui reſpondit, *En ego, mitte me.* Jam autem, non alio nomine mittebatur quam Dei; adeoque illud *Quis iturus eſt nobis*, non tantum *præcipuè*, ſed unicè de Deo loquente debet intelligi; cùm nullo modo, nec primariò nec ſecundariò, aliorum præterquam Dei ſolius nomine & authoritate Eſaias profectus fuerit. Hæc authoritas mittendi Prophetam, uni Deo competit in ſolidum, qui eò quod gloriam ſuam alteri non ſit traditurus, non cenſendus eſt hic uſus illâ *communicatione*, quâ *cùm præcipuè ſeipſum intelligere vellet*, dixerit *nobis, & ſic alios quoque generatim quos alloquebatur*, imò ipſummet Eſaiam mittendum & miſſum ex Volkeliana imaginatione, complexus fuerit.

At illud, dicent, multò clariùs ac luculentiùs Trinitatis myſterium hominum oculis ſubjicere, quòd tunc, cùm Abrahamo Jehova dicitur apparuiſſe, (*Geneſ:18.2.3.*) tres ab eo viri conſpecti fuerint, & nihilominus ipſe unum tantùm compellârit. Nos verò tantum abeſſe dicimus, ut locus evidentem contineat Trinitatis ſignificationem, ut ne vi quidem conſecutionis ea inde effici poſſit.

Digitized by Google

poſſit. Abſque ulla enim triadis ratione, & Deus Abrahamo, cùm tres illos viros videret, apparere, & Abrahamus unum tantummodo ex illis alloqui potuit. Quorum illud hanc ob cauſſam aſſerimus, quòd Deus, quamvis unicâ tam perſonâ, quàm eſſentiâ præditus ſit, tres tamen Angelos legare potuit, & ſic per eoſdem Abrahamo apparere. Adde, quòd unus ex illis, quem reliqui comitabantur, ſolus Dei perſonam gerebat, & idcirco ſolus ibidem ſæpiùs Jehovæ nomine nuncupabatur. (*v.13.14.17.20.22.*) quod quidem ad veritatem propiùs nobis accedere videtur. Hunc enim, duobus illis abeuntibus, apud Abrahamum pauliſper commoratum Jehovæque appellatione aliquoties nominatum fuiſſe legimus. (*v.22.26.33.*) Cujus à reliquis duobus diſcernendi gratiâ, Moſes ibidem paulò pòſt angelos eos dicit, poſtquam huic uni Jehovæ titulum non ſemel tribuiſſet. Quæ quidem res aliquot ex priſcis illis ſcriptoribus in eam deduxit opinionem, ut hunc angelum ipſum filium Dei fuiſſe exiſtimarent, & reliquos duos angelos cum ipſo miſſos aſſererent. (*Iuſtinus in colloq: cum Tryph: Tertull: lib. de Trinitate. Euſeb: hiſt: Eccleſ· lib. 1.cap.2.*) Ex quibus poſterioris etiam aſſertionis noſtræ veritas apparet. Cum enim unus tantùm ex tribus illis viris Jehovæ nomen ac perſonam ſuſtineret, & ſic cæteris duobus, qui miniſtrorum potiùs, aut comitum inſtar erant præcipuo Dei legato adjunctorum, autoritate antecederet; quid mirum eſt, Abrahamum non hos, ſed illum unum tantùm compellaſſe? Quare nihil eſt, quod quis putet, divinam eſſentiam tribus perſonis diſtinctam inde poſſe colligi.

† *At illud, dicent, multò*] Agnoſco hos tres qui Abrahamo adfuerunt Gen: XVIII, 2. 3. non fuiſſe tres perſonas SS. Trinitatis, quod unus tantum ex illlis *Iehova* appelletur, & alii duo *Angeli* dicantur; Sed is qui *Iehova* dicitur fuit Dei filius, Angelus fœderis, ut etiam agnovit Sirmienſe Concilium *can.* 4. qui jam prælndia dabat futuræ ſuæ incarnationis. Hebræi apud Toſtatum & Lyranum, dicunt Michaelem fuiſſe eum qui Jehova dicitur, quem ſtiparent Gabriel & Raphael; Michaelis autem nomine intelligi in Scripturis Dei filium, *principem militiæ Iehovæ* Joſ: V, 13. nemini putem dubitandum: maximè cùm nomen *Iehovæ* ſit incommunicabile Creaturæ; nec Deus *perſonam* ſuam, ut in Comœdiis, agendam imponat ulli ſuo Miniſtro; nec ſit moris inter homines ut legati vel apparitores, ſibi ſumant nomen proprium ſupremi Magiſtratus, ejus-ve authoritatem aliter interponant quam in tertia perſona; nec potuerit Abraham honores Divinos invocationis & cultus debitos ſoli ſupremo Numini, Angelo creato detuliſſe; nec ulli Angelo, qui naturâ Deus non ſit, licitum eſſe queat, loqui in prima perſona ac ſi Deus eſſet, & ſibi omnes ſummi Dei proprietatis tribuere: Adhæc abſolutè hic ſæpiùs Jehova appellatur, & dicitur tum *Abrahamo Iehova apparuiſſe*, non utique ſubmiſſis tribus Angelis creatis ad Abrahamum; cùm ſit alienum à ratione Jehovæ apparitionem appellare, eam quæ ſit tantum apparitio Angelica; ſed ipſomet perſonaliter ſub forma humana, cum duobus Angelis ſtipatoribus, ſe illi ſiſtente: Nec tantum hæc fuit ſententia vetuſtiſſimorũ Eccleſiæ Chriſtianæ doctorum, ipſimet Volkelio hîc citatorum, ſed inſuper eum è tribus qui *Iehova* dicitur *ipſum Dei filium*

M 3 fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, duo comprobare videntur; quorum primum eſt quod ipſe Chriſtus dicat Abrahamum vidiſſe diem ſuum Joh: VIII, 56. inter cœtera reſpiciens dubio procul ad has apparitiones; ut dicitur Joh: XII, 41. Jeſaias vidiſſe gloriam ejus cùm illi apparuit Jehova in illa auguſta viſione quæ deſcribitur Eſ: VI, 1. Alterum quod ſicut dicit Chriſtus Joh: V, 22. Patrem neminem judicare, ſed omne judicium dediſſe Filio, ita Filius qui Jehova dicitur & agit ac loquitur ut talis apud Abrahamum, exercuit à Jehova Patre ſuo, ſeverum illud judicium in Sodomæos, cujus gratiâ deſcenderat; prout Gen: XIX, 24. dicitur Jehova demiſiſſe ſuper Sodomam & Gomorrham pluviam ſulphuris & ignis, *à Iehova è cœlis.* Sanè ut *Iehova* à quo *è cœlis* eſt demiſſa hæc pluvia, non poteſt alius eſſe quam Creator & Pater omnium, ſic ille *Iehova* qui eam demiſit cœlitùs à Jehova Patre, nequit alius fuiſſe quam Filius qui *nihil facit* à ſeipſo Joh: V, 30. Igitur circa hunc locum errat multifariam Volkelius; primò negando eum è tribus qui *Iehova* dicitur fuiſſe Dei Filium; ſecundò Jehovæ apparitionem trium Angelorum creatorum apparitione definiendo; tertiò Angelo creato nomen, perſonam, authoritatem Jehovæ imponendo; quartò tribuendo Patriarchæ, quod Angelum creatum pro ipſo Jehova exceperit & coluerit.

Hujus tamen ſuæ ſententiæ minimè dubium argumentum illis Pſaltæ verbis comprehendi ajunt: *Verbo Domini cœli facti ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis exercitus eorum*: (*Pſal:33.6.*) Quibus verbis tres divinas perſonas ea ratione comprehenſas eſſe affirmant, ut *Domini* vox Dei Patris, *Verbi* verò ac *Spiritus* vocabulum, Filii Spiritusque ſancti habeat ſignificationem. Nos igitur Dominum iſtum, ſummum illum Patrem libentiſſimè confitemur. Verbum verò filium Dei hoc loco deſignare pernegamus: propterea quòd ipſis etiam adverſariis fatendum eſt, Davidem hîc de eodem verbo orationem habere, quod à Mo-
412. ſe mundi creationem deſcribente hunc in modum explicatur: *dixit Deus, fiat lux: dixit Deus, fiat firmamentum*, &c. (*Gene.1.*) Hoc verò quid aliud eſt, quàm Dei juſſum? quemadmodum & ipſe David, optimus ſuorum verborum interpres, explanat dicens: *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt.* (*d. Pſal:33.v.9.*) Eam ob rem & Caſtellio apud Moſen interpretari non dubitavit: *Iuſſit Deus, ut exiſteret lux.* Fieri autem nullo pacto poteſt, ut verbum hoc ſive juſſum, ſecundam perſonam divinâ eſſentiâ ex omni æternitate contentam ſignificet: cum res ipſa declaret, hoc Dei juſſum liberum ac planè voluntarium fuiſſe: quippe cum optimus ille Pater, à nullo coactus, pro arbitratu ſuo mandaverit, ut univerſa hæc mundi natura exiſteret: ut facilè appareat, nequaquam ita illud verbum ſive mandatum in ipſius eſſentia ſubſiſtere, ut hæc ſine eo eſſe non poſſit.

‡ *Hujus tamen ſuæ ſententiæ*] Quantum huic loco Pſal: XXX, 6. inſit ponderis pro S. S. Trinitatis myſterio, nemo eſt qui non videat; Nam fit mentio in eo & Iehovæ, & Verbi ac Spiritus ſui; quo proculdubio reſpexit Johannes cùm ait tres eſſe in cœlo qui teſtentur, Patrem, Verbum & Spiritum 1 Joh: V, 7. Nec poteſt illud

Digitized by Google

illud verbum Dei quo cœli facti ſunt, aliud eſſe quam ille ipſe λόγος perſonalis, per quem omnia facta dicuntur Joh:1. 3. aut Spiritus illius alius quam is ipſe Spiritus qui ferebatur ſuper aquis in prima rerum origine Gen:1, 2.

Verbum verò Filium] Nulla eſt ſufficiens ratio hoc pernegandi; cùm tam diſertè Johannes Filio Dei ſub hoc nomine τοῦ λόγου ſive *Verbi*, omnium rerum creationem tribuat, ac mille argumentis poſſit probari, hoc nomine *Verbi* per quod omnia facta ſunt, Chriſtum Dei filium intelligi, quod multis proſequitur Galatinus ex monumentis Judaicis *lib.* 3. *de Arc. cap.* 3. 4. 5. 6. Et quam certum *Davidem hîc de eodem verbo orationem habere* de quo Moſes agit Gen: 1, 2. tam certum quoque eſt τὸ *Dixit* Moſaicum denotare illud Verbum potens, per quod omnia facta ſunt: Id verò eſt Filius, Joh:1,3. Heb. 1, 3. Nec obſtat quod Dei *dixit* nihil ſit aliud *quam Dei juſſum*: Nam licet objectivè & terminativè ad Creaturas producendas connotet efficax Dei juſſum, cui debent ſuam originem, ſupponit tamen Verbum Dei notionale & perſonale ex quo & per quod Deus ſuum illud juſſum exeruit: Nam prout in homine λόγος προφορικὸς ſupponit ἐνδιάθετον, ita illud Dei verbum, quo quaſi προφορικῶς juſſit Creaturis ut à non eſſe ad ſuum eſſe tranſirent, ſupponit neceſſariò illud Verbum Patris ἐνδιάθετον, quod & illius æterna Sapientia dicitur, *in qua ſive per quam omnia* pariliter fecit Pſal: CIV, 14.

Fieri autem nullo pacto] Imò optimè poteſt fieri ut *verbum hoc ſive juſſum*, quod terminativè & ad extra ſe quandantenus προφορικῶς habuit, (quo etiam reſpectu, *liberum ac planè voluntarium fuiſſe* conceditur) ſit ab intra & originaliter ſecunda perſona Trinitatis, ſiquidem hoc juſſum quod ad extra liberè fiebat, procedebat ab intra à Verbo ἐνδιαθέτῳ, & Sapientia Dei perſonali, per quam Pater dicit, jubet, exequitur, operatur omnia. Nam ut Filius nihil agit à ſeipſo, ſed à Patre, ita Pater nihil agit per ſeipſum, ſed per Filium Joh:v, 19. 22. Et quamvis Pater *à nullo coactus pro arbitratu ſuo mandaverit ut univerſa hæc mundi natura exiſteret*, inde tamen non ſequitur Patrem iſtud mandatum non exſeruiſſe juxta modum & ordinem agendi convenientem SS. Trinitati, per illum ſuum Filium & λόγον æternum, per quem omnia creaſſe & ipſa ſæcula feciſſe ſtatuitur. An ergo duplex ideo Dei *Verbum* in creatione conſiderandum? Neutiquam: Sed unius ejuſdemque verbi quo Deus creavit mundum, duplex eſt conſideratio, alia abſoluta & ab intra, ut denotat verbum illud quod profert, ſive à quo eſt illud juſſum tam efficax & potens; alia reſpectiva, ad extra, & terminativa ad Creaturas, ut ſonat verbum quod profertur, ſive Verbi perſonalis ἐνέργειαν & operationem ad rerum productionem. Moſes autem verbum Dei exprimit quaſi à poſteriori, & ſub iſto ſecundo conceptu; David verò & Iohannes ex illo quaſi à priori, ſub illo alio.

Huc accedit, quòd ſi illis verbis, *dixit Deus, fiat lux, fiat firmamentum*, &c. æternus filius ſignificatur, certè aut ipſe dicendi actus, aut illud ipſum, quod dicendo profertur, filius Dei erit. Jam ſi illud verum eſt, ſequitur, Filium Dei non ſemper extitiſſe, aut adhuc exiſtere: cùm iſta nec Deus continenter locutus fuerit, aut loquatur, ſed tum, cum lucem, firmamentum & cætera exiſtere vellet, verba illa dixerit; rebus autem ipſis, quas exiſtere juſſit, jam exiſtentibus, dicere deſierit. Si verò hoc amplectamur, neceſſe eſt, aut voces illas

Dei

Digitized by Google

Dei filium eſſe, quibus Deus tunc loquens uſus eſt, aut res illis comprehenſas: quorum cum neutrum abſque inſigni ſtultitia admitti poſſit, apparet, ineptiſſimè iſta ad Dei Filium detorqueri.

‡ *Huc accedit quod*] Nec *ipſe dicendi actus*, nec *illud ipſum quod dicendo profertur*, debet ſtatui *filius Dei*, ſed Filius Dei agnoſci debet principium vitale ipſiusmet actus & dictionis; ut in homine orationis eſt ratio, quarum utraque ob neceſſariam connexionem λόγος appellatur. Moſes itaque illis verbis *Dixit Deus* æternum Dei Filium ſignificat aut connotat, per modum principii *quod* hujuſce actus & dicti, *quo* & cujus efficaciâ mundus univerſus tranſiit à non eſſe ad eſſe. Cùm ergo hic diſcurſus Volkelii illâ ſuâ disjunctivâ nitatur in qua non eſt ſufficiens enumeratio partium, eo ipſo concidere cenſendus eſt. Interea moneo perperam fingere Hæreticum, has tum *voces* articulatim fuiſſe pronunciatas; nam illud *Dixit*, talem prolationem ſenſibilem non denotat, ſed tantum potentem & efficacem Dei volitionem, ſub imagine mandati expreſſam, ad quam res creatæ ſuam exiſtentiam acceperunt: Verum cùm eam volitionem Pater exeruerit & exercuerit per ſuum Filium unigenitum, qui eſt illius verbum æternum, maluit Moſes eam exprimere per verbum *Dixit*, quam per verbum *Iuſſit*, vel *Voluit*.

Sunt quoque qui rei exaggerandæ cauſsâ, *ſpiritu oris* idem Domini verbum Davidem declarâſſe velint, inter quos eſt Franciſcus Vatablus. Verumtamen ut demus, de Spiritu Dei, qui ejuſdem virtus eſt, hoc loco ſermonem haberi; quid hoc ad trinitatem ſtabiliendam valebit? cum ad hanc rem conficiendam nequaquam opus ſit probare, Deum ſpiritu, id eſt, virtute atque potentiâ ſuâ omnia condidiſſe: ſed ſpiritum illum tertiam divinitatis eſſe perſonam.

‡ *Sunt quoque qui rei*] Jam ante monuimus, expreſsè Davidem *Verbum* & *Spiritum* conjunxiſſe, quod Moſes in hiſtoria Creationis & Verbi & Spiritus meminerit. Nec careret ſermo Davidis tautologiâ inutili, ſi *Verbum Dei* & *Spiritus* illius idem omninò ſignificarent. Fateor equidem *Spiritus* vocabulum quandoque ſumi pro Dei verbo quod ipſius nomine proponitur hominibus; idque quoniam verbum hoc Dei ut externè nobis annunciatur, omnem vim & efficaciam ab operatione & vi Spiritus Sancti, à quo & profectum eſt, conſequitur; quo maximè faciunt loca celebria Eſ:XI,4. 2 Theſſ:II,8. I Ioh:V,6. Sed primò illud *Verbum* quod *Spiritus* nomine venit, & annunciatur hominibus, aliud eſt planè ab eo verbo quo Deus creavit mundum: Deinde deprehendimus quidem loca in quibus Verbum Dei Spiritus appellatur, ſed non in quibus Spiritus conjunctus verbo pro ipſo verbo uſurpetur: Nam ſic duæ res diſtinctæ per illa duo vocabula ſignificantur in promiſſione celebri quæ extat Eſ:LIX,21. Et ſi qui interpretes cum Vatablo in *Notis* ſuis prolixioribus *ad Pſalmos*, cenſent *Verbum Dei & Spiritum oris ejus pro eadem re dici*, non tamen exiſtimandi ſunt nihil diſcriminis inter verbum & Spiritum ponere; ſed id tantum ſibi velle, oſtendi in poſteriori, quâ ratione & unde prius tam efficax fuerit. Quare non queam commodioribus verbis exprimere mentem Davidis hoc loco, quam Bellarmini *in hunc Pſalm. Quamvis per* Verbum Domini & Spiritum oris ejus *poſſit imperium Domini ſimpliciter accipi, tamen ſine dubio Spiri-*

Digitized by Google

bio Spiritus Sanctus inſinuare voluit per hæc verba myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, quod tempore Novi Teſtamenti (amplius) *revelandum erat. Nec movere nos debet quod videatur Propheta, creationem cœli tribuere Verbo, & creationem ſtellarum Spiritui Sancto, quaſi Dominus Pater per Verbum cœlos fecerit, per Spiritum Sanctum ſtellas: Nam propter unitatem eſſentiæ quæ eſt virtus operatrix indiviſa ſunt opera Trinitatis; & ideo cum dicitur Deus Pater per Verbum creaſſe cœlos, intelligitur non ſine Spiritu Sancto id feciſſe; & cum dicitur virtus ſive exercitus cœlorum eſſe à Spiritu Domini intelligitur etiam eſſe à Verbo quod ab ejuſdem Patris ore procedit, & à quo Verbo* (non ſecus ac à Patre) *Spiritus ipſe procedit.* Sed vix opus eſt ut prolixiùs defendamus hæc duo à Propheta diſtingui, nempe *Verbum* Dei & *Spiritum* oris ejus: Nam hic habemus confitentem reum. Id verò quantum *ad trinitatem ſtabiliendam* valeat, vel inde poteſt demonſtrari, quod primùm Spiritus oris Dei ſit omninò divinæ naturæ & eſſentiæ, vel ex illo veteri axiomate Iudæis quoq; noto quo ſtatuitur nihil eſſe in Deo quod Deus non ſit; deinde, quod vera & actualis diſtinctio ſit admittenda, propter oppoſitionem relativam, inter Deum Spirantem, & Spiritum oris ejus: Prius illud oſtendit Spiritum eſſe Deum; poſterius eſſe perſonam diſtinctam à Patre, eo quod Deus Spirans & Deus Spiritus, qui eſt ab illo, ſe habeant, non ut aliud & aliud, cùm ſint ejuſdem naturæ, ſed ut alius & alius, adeoque ut duæ diſtinctæ perſonæ: Sic enim tanquam *alius* à Patre & Filio, ſive Conſolator, ſive Advocatus, deſcribitur Ioh: XIV, 16. Et dum fingit Volkelius Spiritum Dei quo omnia condidit, *qualitativè* debere ſumi, pro illius *virtute atque potentia*, ſupponit falsò, & in Deum cadere accidentia propriè dicta, quod ab illius ſimplicitate & ſumma perfectione eſt remotiſſimum; & Spiritum Dei, Deum nec eſſe nec dici poſſe; cùm tamen *Dominus* appelletur 2 Cor: III, 18. & *Deus* Act: V, 3. 4. Iam verò non poteſt ſimul eſſe & Spiritus Dei & Spiritus Deus, quin & naturæ ſit intelligentis cujuſmodi Deum eſſe conſtat, & perſonâ non naturâ diſtinctus ab eo cujus Spiritus eſſe dicitur.

Hîc verò illum Seraphorum apud Eſaiam, (*Eſa: 6.3.*) & quatuor animalium in Johannis Apocalypſi (*Apoc: 4.8.*) acclamationem afferent, quâ Deus omnipotens ter ſanctus eſſe confirmatur, ut unam Dei eſſentiam tribus perſonis diſtinctam demonſtrent. At quàm miſera eſt iſta conſecutio, quæ nec ullo rationis vinculo conſtricta eſt, nec abſque magna abſurditate admitti poteſt? Sic enim conſequens eſſet, ut nunquam aliquam rem in Sacris literis eodem nomine ter appellari, aut quacumque ratione exprimi, deprehendere poſſemus, quin ea triplex ſeu trina ſtatuenda eſſet. Tale igitur & Templum Dei eſſet, & terra, (*Ier: 7.4. & 22.29.*) & obliquitas, ſeu, ut vetus habet interpres, iniquitas; (*Ezech: 21.27.*) utpote cum hæc itidem, ut ſancti appellatio, de una ea- 413
demque re ter uſurpata, apud Sanctos autores reperiatur.

‡ *Hic verò illum*] Hoc quoque Seraphicum τρισάγιον Eſ: VI, 3 Apoc: IV, 8. haud obſcurè nos deducit ad myſterium Trinitatis. Nam apud Eſaiam id accinitur Iehovæ, cujus plures eſſe perſonas vel illinc innuitur non ſolum quod dicat com. 8. *Quis ibit nobis?* ut ante oſtenſum, ſed quod mandatum ibi factum Prophetæ, non ſolum Patri ſit tribuendum, de quo non dubitant adverſarii, verùm etiam Filio

ex Joh. XII, 41. ubi citato hoc Prophetæ dicto ſubjicitur, *Hæc dixit Eſaias quando vidit gloriam ejus & loquutus eſt de eo*; item & Spiritui Sancto ex Act. XXVIII, 25. 26. *Benè ſanè Spiritus Sanctus loquutus eſt per Eſaiam Prophetam Patribus noſtris, dicens, Vade ad populum iſtum*, &c. Jam verò, ut in confeſſo eſt apud omnes τρισάγιον Apoc: IV, 8. Propheticum Eſaiæ imitari, neceſſe eſt illud non minus quam hoc ſpectare tres perſonas divinas in unitate eſſentiæ. Quamvis autem hac repetitione deſignetur Cœlitûm indefeſſa aſſiduitas in Deo celebrando, nihil tamen obſtat quominus ideo terna ſit potiùs quam quaterna, quod tres ſunt perſonæ divinæ, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, quarum honori uni, ob unitatem eſſentiæ & potentiæ, ſacer hic hymnus conſecratur. Non eſt itaque quod tantopere Volkelius de *miſera iſta conſecutione* clamitet, quam miſeram non cenſuit Veneranda Antiquitas, apud Hieronymum *in Eſ.* Auguſtinum *epiſt.* 112. Fulgentium *de fide ad Petr. cap.* 12. Ambroſium *de Spir. Sto. lib.* 3. *cap.* 18. Epiphanium *in ancoratu*, alioſque plurimos; & quæ accedente lumine illo ex N. T. quod modò retuli, non poteſt evanida & miſera cenſeri. Videatur quoad τρισάγιον Paræi *Calvinus Orthodoxus lib* 2. *cap.* 13. Speciatim memoranda mihi videntur verba Damasceni *de triſagio*; *Seraphim*, inquit, *vociferaverunt Sanctus quidem ter, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus autem ſemel, quaſi oſtendentes tres quidem ſanctas hypoſtaſes unam autem dominationem trium, & unum principatum & gloriam & ſubſtantiam & dictatem.*

Sic enim conſequens eſſet] Neutiquam inde ſequitur quod vult Adverſarius, omnem *rem* quæ *in ſacris literis eodem nomine ter* appellatur, eo ipſo trinam vel triplicem ſtatuendam; ſed tantum idoneam eſſe rationem quærendam ac reddendam ejuſmodi ternæ denominationis, quoties occurrit in Scripturis: Alia verò certior vel aptior reddi nequit τρισάγιου Seraphici, ad unum Jehovam exercituum decantati, quam quod Pater, Filius & Spiritus Sanctus eo celebrentur; ſiquidem quæ illîc porrò exſtant non ſolius Patris eſſe, ſed etiam Filii & Spiritus Sancti indubitatò conſtat.

Tale igitur & Templum] Jerem: VII, 4. negat Propheta fidendum verbis falſis dicendo, *Templum Iehovæ, Templum Iehovæ, Templum Iehovæ*: Ternarii autem numeri rationem quęſiverunt hîc interpretes nonnulli, planè aliunde quam vel à rei perfectione, vel ab aſſeverationis conſtantia: Galatinus *de Arcan. Verit. Cath: lib.* 5. *cap.* 10. pertendit ideo verba falſitatis vel mendacii ſtatui eorum qui dicerent *Templum Dei, Templum Dei, Templum Dei*, quò ſignificetur poſt Templum Salomonis per Chaldæos & Zorobabelis per Romanos everſũ, non eſſe expectandum tertium Hieroſolymis per Meſſiam reſtaurandum. Quidam Chaldęum paraphraſtem ſequuti ſenſerunt ter ideo repetitum nomen Templi, quod ter in anno tenerentur Judæi omnes ſe in illo ſiſtere coram Domino. Vatablus verò putat triplici hac repetitione uſum Prophetam, *propter veſtibulum, templum & adytum*, ideſt propter tres diſtinctas partes Templi, quæ aliàs dicuntur Atrium, in quo altare holocauſtorum; Locus Sanctus, in quo menſa aurea & alrare thymiamatis; & Sanctuarium, ſive Sanctum Sanctorum, in quo arca fœderis & propitiatorium. Hæc autem ratio Vatabli, magni eſt ponderis ad adſtruendum magis noſtrum argumentum; Si enim ter repetitur illud nomen *Templum Domini*, quod licet unum eſſet, tribus tamen diſtinctis membris & partibus conſtabat, quarum quæque ut ſuo ſpeciali nomine inſigniebatur, ſic ſpeciali ſuo uſui ſacro erat deſtinata; cur non potiori jure dixerim τρισάγιον accini Deo à Cœlitibus quod licet ſit unus eſſentiâ & naturâ, trinus tamen perſonis, ſuis nominibus & characteribus ac pro-

ac proprietatibus incommunicabilibus diſtinctis, agnoſcendus veniat?

Et terra] Jerem: XXII, 29. Propheta dicens, *O terra, terra, terra, audi verbum Iehovæ*, hac trinâ compellatione aliquid etiam trinum denotat, ſi credamus Cornelio à Lapide *ad eum locum*; *Ter repetit vocem terræ* (inquit) *quia ter Iudæa monita eſt à Deo, puta in trina trium regum clade, ſcilicet Ioachas, Ioakim & Ioachin.*

Et obliquitas] Ezech: XXI, 27. ter repetitur vocabulum perverſitatis, quod coronę & majeſtati Judaicę trina inverſio expectanda foret, prima per Nebucadnezarem, ſecunda per Antiochum, & tertia per Romanos: Vatablus, ad quem Volkelius ſæpè provocat, ita habet ad hunc locum: *Alii legunt ſubverſionem, ſubverſionem, ſubverſionem ponam eam, ſubintellige coronam; id eſt, imminuam dignitatem regiam longo tempore; nempe tempore trium, Aſir, Sealthiel & Phadajæ, fuit obſcurum regnum Iudæ. Cœpit autem florere ſub Zorobabel filio Phadajæ.* Quibus ſanè verbis ſatis innuit ter illud vocabulum repeti, propter tres illos ipſi commemoratos (quo jure non diſputo) ſub quibus regnum Judæ planè flacceſcere viſum eſt.

Verùm cum nihil hoc excogitari queat ineptius, quid eſt, quòd trinitatem perſonarum ex ejuſmodi repetitione conemur elicere; quæ non ad triplicitatem quandam rei, ſed vel ad ejus perfectionem demonſtrandam, vel ad aſſeverationis conſtantiam adhibetur. Numerus quippe ternarius perfectionis cujuſdam ſignificandæ vim habet: propterea quòd primus ſit inter eos numeros, qui principium, medium, & finem, quibus perfectio & univerſitas quædam continetur, habet, & de quibus vox *omnium* uſurpari poteſt. Conſtat enim ex tribus unitatibus, quarum prima initii, ſecunda medii, tertia finis rationem habet. Rectè ergo ad perfectionem exprimendam adhibetur, quæ vel in re ipſa, de qua loquimur, vel in noſtra aſſeveratione & declaratione cernitur. Hinc factum eſt, ut non pauca, tum apud ſacros, tum apud profanos ſcriptores, ter facta dictaque legantur; quaſi tum demum ſatis dictum factumque ſit, cum tertiò res fuit repetita. Huc pertinet terna illa Chriſti interrogatio, num Petrus illum amaret; & terna ovium commendatio, quâ illas eidem Petro paſcendas tradidit; (*Ioh:21.17. & ſeqq.*) & viſio tertiùm repetita, de qua in Actis legimus, (*Act:10.16. & d.*) quâ eundem docere voluit, jam illud veniſſe tempus, quo non Iudæis ſolùm, ſed omnibus terræ nationibus, aditus ad divinam gratiam cæleſtemque felicitatem patefieri debeat, adeò ut Gentes extraneæ non perinde, ut antea, impuræ ac profanæ prorſus habendæ ſint: cum Deus eas jam aliqua ratione mundas eſſe voluerit, & veluti expurgârit. Sic Chriſtum, poſtquam ter oraſſet, ut, ſi ita ferret Patris voluntas, calix à ſe tranſiret, orare deſiiſſe apertiſſimum eſt: (*Matth: 26. 44.*) quod idem & de Paulò ter Dominum rogante, ut Angelus Sathanæ miſſum ipſum faceret, ex ejus ſcriptis diſcimus. (*2 Cor:12.8.*)

‡ *Verum cùm nihil hoc*] Ex ipſis exemplis prolatis ab Adverſario liquet ternam ejuſdem vocabuli repetitionem non ſemper, *vel ad ejus perfectionem demonſtrandam*

dam, vel ad aſſeverationis conſtantiam adhiberi; cùm in tribus illis locis repetitio illa aliò evidentiſſimè ſpectet.

Numerus quippe ternarius] Agnoſcimus etiam apud Ethnicos ternarii numeri ingentem fuiſſe commendationem; Sed obſervatio eſt pluſquā Pythagorica & ridicula noſtri Authoris, ideo numerum ternarium *perfectionis cujuſdam ſignificandæ vim* habere, *quod primus ſit inter eos numeros qui principium, medium & finem quibus perfectio & univerſitas quædam continetur habent*, *& de quibus vox* omnium *uſurpari poteſt*: Cum enim unitas non ſit numerus, hoc potiùs conveniret numero ſenario vel novenario, ex tribus numeris perfectis conſtanti, quam ternario, qui non conſtat ex numeris ſed tantum ex unitatibus: Adhæc nullus eſt numerus alius qui non habeat principium, medium & finem, & qui per conſequens, *perfectionis cujuſdam ſignificandæ vim* eo reſpectu non habeat. Sed & quamvis primus numerus pluralis ſit ternarius, adeo ut dualis ſive binarius apud Græcos & Hebræos, à plurali diſtinguatur; & hinc natum videatur axioma quod tres faciunt Collegium; ne dicam quod minimus judicum conſeſſus in Rep. Judaica erat triumviralis; tamen non video quî de tribus, *vox* OMNIUM *uſurpari* poſſit: Nam non ſtatim ubi plures ſunt uno aut duobus, omnes adeſſe intelliguntur. Imò etiam de duobus vox *omnium* poteſt uſurpari: ut ſi dixero omnes filii Iſaaci fuêre duo, Jacob & Eſau; vel omnia luminaria majora ſunt duo, Sol & Luna. Verùm quod numerus ternarius myſticam videtur continere ſignificationem perfectionis tam *apud ſacros* quam *apud profanos Scriptores*, (de quo poteſt conſuli Petrus Bungus *de Myſt. Num. in Ternario*;) primam ſuam originem non habet ex frigida illa meditatione de principio, medio & fine quæ in eo occurrunt, ſed potiùs ex eo quod ternarius perſonarum numerus ſit in Deo, qui eſt norma & menſura omnis perfectionis: Ut meritò dixerit Damaſcenus *de Triſagio*, *Quia divinitas in trinitate eſt, ideo numerus ternarius perfectus eſt*. Inde itaque evenit ut ter facta dicta-ve quædam referantur in Scripturis, ad eorum vel inculcationem, vel inſtantiam majorem exprimendam: Sic enim Chriſtus in ſuo agone, ter oravit Patrem *ut calix à ſe tranſiret*. Matt: XXVI, 44. & Paulus ter Dominum rogavit, ut liberaretur ab illo ſurculo & Angelo Satanæ à quo affligebatur 2 Cor: XII, 8. Inſtans ſanè debet eſſe oratio, quæ ter de re eadem funditur apud Deum: ac dicitur pardus id miſſum facere quod tertio ſaltu non aſſequitur. Inculcandæ verò magis doctrinæ de ſublato ciborum diſcrimine & firmiùs præparando Apoſtolo ad auſpicandam vocationem Gentilium Cornelii Baptiſmo, inſerviebat illa *viſio tertiùm repetita* cujus ſit mentio Act: X, 16. & ſeq. prout etiam in ore duorum aut trium teſtium ſtat omne verbum. Sed quicquid deliret Volkelius, alia eſt ratio ternæ interrogationis factæ à Chriſto de Petri dilectione, & ternę ovium commendationis illi factæ Ioh: XXI, 17. & ſeq. cùm triplici abnegationi à Petro factæ triplex profeſſio dilectionis ſubſtituatur, ac triplex reſtitutio in munus Apoſtolicum, quo ſuo peccato excidiſſe videbatur. Quod etiam è veteribus obſervat Cyrillus Alexandrinus *in Iohan: lib.* 12. *cap.* 64. *Altius quiddam*, inquit, *hæc oratio certè parturit; nam quoniam cum aliis Apoſtolatus nomine Petrus ab ipſo decoratus, ter tempore paſſionis negavit, jure nunc ab eo terna dilectionis profeſſio petitur, ut terna negatio æquali confeſſionis numero compenſetur.*

Adducunt quoque illam Eſaiæ vaticinationem, (*Eſa: 48. 16.*) quâ Chriſtus hunc in modum loquens induci videtur: *Iehova miſit me, ejuſque Spiritus*, vel (ut alii (*Caſtellio*) interpretantur) *ſuumque Spiritum*. Animadvertendum autem

autem eſt, nullam in hoc teſtimonio Chriſti ſeu Filii Dei mentionem fieri: ſed, ut verborum complexio indicat, prophetam de ſeipſo ſermonem habere. Quanquam haud negamus, eum Chriſti typum tunc geſſiſſe, illumque ſub ſua perſona loquentem induxiſſe.

‡ *Adducunt quoque illam*] Prophetę verba Eſ: XLVIII, 16. ſunt ſanè notatu digniſſima, quæ ita habent; *Accedite ad me audite iſtud; non à principio in occulto loquutus ſum; ex quo tempore fuit hoc, ibi ſum: Nunc enim Dominus Iehovi*, אדני יהוה, *miſit me & Spiritus ejus*. Quibus in verbis plurimi viderunt S.S. Trinitatem, quam & viderent Sociniani cum Origene, Cyrillo, Athanaſio, Baſilio, Euſebio, Hieronymo, Nyſſeno, Auguſtino, Procopio, Haymone, Hugone, Galatino & aliis, ſi lemas præjudicatæ opinionis contra perſpicuam veritatem vellent abjicere: Nam ſi Chriſtus ipſe ſit qui introducitur loquens, ut placet multis interpretibus, habebimus hîc & Filium miſſum & Patrem mittentem, & Spiritum utriuſque. Si verò ſint hæc verba Eſaiæ, ut aliis placet, à quo nec abhorrent noſtrates, Calvinus, Junius, Belgæ, Deodatus, primùm Spiritus Sancti Divinitas & perſonalitas eo ipſo adſtruetur quod non Jehovæ modò, ſed etiã Spiritui ipſius ſuam miſſionem adſcribat Propheta: perſonalia enim hæc ſunt mittere & mitti: Deinde ad Patrem & Spiritum ejus mittentem, accedet hic perſona Filii, cujus *typum tunc geſſiſſe, illumque ſub ſua perſona loquentem induxiſſe* Prophetam agnoſcit Volkelius: Nequivit autem Eſaias Chriſtum *ſub ſua perſona loquentem induxiſſe* de rebus ad populum illius temporis ſpectantibus, niſi Chriſtus etiam tunc Rector illius populi, ut nunc eſt Eccleſiæ Chriſtianæ, extiterit. Ut quid enim Chriſtum *ſub ſua perſona loquentem* induxiſſet Propheta, niſi Spiritu Chriſti Prophetico regeretur, prout hoc omnibus Prophetis Veteribus, imò & ipſi Noæ homines ſui ævi ad reſipiſcentiam invitanti, tribuitur ab Apoſtolo? 1 Pet: I, 11. & III, 19. Adhæc etſi nequidem Eſaias in his verbis *typum* Chriſti ſuſtineret, maneret tamen argumentum pro S.S. Trinitate, aut ſaltem pluralitate perſonarum, ex eo quod ſe miſſum ait ab Adonai, à Jehova ſive Jehovi, & à Spiritu ejus. Nullius enim facienda Caſtellionis verſio, in qua habet, *Nunc Dominus Iova miſit me, ſuumque Spiritum*: Nam præterquam nemo eſt interpretum præter hunc Grammaticaſtrum novaturientem, qui ita reddiderit, certum eſt Prophetam non tam hic agere de miſſo ſecum Spiritu Sancto, quam de ſe miſſo à Domino Iehovi & Spiritu illius: Videatur Eſ: LXI, 1. ubi etiam Meſſias tùm Iehovæ, tùm Spiritui illius qui erat ſuper ſe, ſuam miſſionem haud obſcurè tribuit.

Verùm quid hoc ad propoſitum? Si enim Filii Dei, unà cum ipſo Deo & Spiritu ſancto in una orationis comprehenſione facta mentio iſtam trinitatem conſtituit; certè Propheta eandem ob cauſam ſeipſum unà cum utroque, ut diximus, commemorans, tertiam perſonam ſeſe conſtituerit neceſſe eſt, ut ſic Trinitas ex Propheta, ex Jehova, & ex ejus ſpiritu conſtaret. Quod quidem quàm ſit abſurdum, nemo non videt. Adde, quòd non commemorari Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum in ſacris literis: ſed hos tres eſſe perſonas unicâ Dei eſſentiâ comprehenſas, iſti probare inſtituerunt. At nihil tale ex illis verbis elici poteſt, imò contrarium. In iis enim unus tantùm appellatur Jehova, qui eum miſerit, qui ibi loquens introducitur; & ejus dicitur

 eſſe ſpiri-

eſſe ſpiritus ille, cujus ibidem fit mentio: id quod indicat, eum unum revera eſſe Deum ſummum: ſed eum, qui ab illo miſſus fuerit, vel etiam Spiritum ipſius, nequaquam.

‡ *Verum quid hoc ad*] Quam hoc faciat ***ad propoſitum*** noſtrum, modò dixi. Et quamvis Filii nulla expreſſa mentio hîc fieret, ſed tantum Iehovæ & ſui Spiritus, attamen pluralitas perſonarum divinarum inde meritò colligeretur, quod Spiritus Iehovæ ab ipſomet Iehova in Prophetæ miſſione, quæ nonniſi perſonæ vel perſonis tribui poteſt, perſonaliter diſtinguatur. Si enim probaverimus Spiritus Sancti perſonalitatem, fatebuntur adverſarii, pluralitatem perſonarum unitati eſſentiæ divinæ non obeſſe. Verùm & Trinitas præcisè hinc colligitur ex Volkelii hypotheſi, quod Eſaias *Chriſti typum tunc* geſſerit, illumque *ſub ſua perſona loquentem* induxerit. Et quî aliàs potuiſſet ***Filii Dei, unà cum ipſo Deo & Spiritu Sancto in una orationis comprehenſione*** hîc ***mentio*** fieri, cùm agitur de rebus ad illa tempora ſpectantibus, niſi jam tum unà cum Patre & Spiritu ſancto Filius Dei extitiſſet?

Certe Propheta eandem] Minimè verò, quia Propheta hîc non veniret conſiderandus reſpectu ſuæ perſonæ, ſed reſpectu perſonæ Filii quam ſuſtinebat, ut agnoſcit Adverſarius: Adeoque ſic *Trinitas* non *ex Propheta ex Iehova & ejus Spiritu* conſtabit, ut nugatur; ſed ex Iehova Patre, ex Spiritu ipſius, & ex perſona Filii in qua Propheta loquebatur: licet ſuprà hanc Orthodoxam veritatem alio modo hinc colligi demonſtraverim.

Adde quòd non commemorari] Primùm *hos tres eſſe perſonas* hinc conſtat; & ſaltem de Patre & Filio, non negaverit Socinianus: prout & perſonam eſſe Spiritum Sanctum hîc evidenter demonſtrat Propheta, illi non minùs quam Iehovæ ſuam adſcribens miſſionem. Deinde *hos tres eſſe perſonas unicâ Dei eſſentiâ comprehenſas*, etiam hîc docemur: Nam Spiritum Sanctum, quem eſſe perſonam hinc conſtat, nemo dixerit alterius eſſe naturæ & eſſentiæ quam ipſum Iehovam cujus Spiritus appellatur: Coeſſentialitas quoque Filii cum Patre & Spiritu Sancto, aliàs fuſiùs adſtruenda ſequenti capite, non poteſt negari à Volkelio, quamdiu non negaverit Eſaiam jam tum temporis, Filium *ſub ſua perſona loquentem induxiſſe*: Ut ſic ſatis apertè ex verbis Prophetæ eliciatur id ipſum quod negat adverſarius.

In iis enim unus tantum] Quid ſi nomen אדני *Adonai* quod præcedit & plurale eſt, notet in communi has tres perſonas, quarum prior nempe Pater, *Iehovi* appelletur; ſecunda nempe Filius ſub typo Eſaiæ miſſus ab eo ſtatuatur; & tertia nempe Spiritus Sanctus Patri in mittendo Filio, potius quam Filio in miſſione quæ fit à Patre, (quamvis nec id obeſſet bonæ cauſæ) conjungatur; numquid obtinebit Catholicorum ſententia? Nec potuerit eſſe Filius alterius eſſentiæ à Iehova Patre, ſi jam tum exiſtebat; imò ſi ei conveniat quod ſit ille qui ibidem *loquens introducitur*; & quem volunt interpretes nonnulli, etiam Origenes ante tempora Arii, in eodem cap. com. 12. appellari primum & ultimum, & com. 13. Creatorem cœli & terræ. Abſurdiſſimè verò finxeris Spiritum Iehovæ, utut perſonaliter ab ipſo diſtinctum, quemadmodum oſtendimus, alterius eſſe eſſentiæ & naturæ ab ipſo. Eſto itaque hic Adonai, unus revera Deus ſummus naturâ & eſſentiâ, ſic tamen ut agnoſcatur eſſe perſonis trinus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

Vel etiam Spiritum ipſius] Quinimò eum cum Iehova *unum revera eſſe Deum ſummum*, hoc argumento evincitur: Qui miſit vel Eſaiam Prophetam, vel ipſum Dei Filium, quem *ſub ſua perſona*

loquentem

Digitized by Google

loquentem Propheta induxit, ille revera eſt ſummus Deus: Atqui Spiritui Iehovæ unà cum ipſo, hæc miſſio hic tribuitur; Ergo Spiritui Iehovæ tribuitur quod revera ſit cum ipſo Iehova Patre unus ſummusque Deus.

Illa præterea Chriſti verba producere ſolent, quibus in nomen Patris, Filii, & Spiritus ſancti baptizari homines jubentur, (*Matth: 28. 19.*) utpote quæ haud parùm firmum triadis argumentum ac teſtimonium comprehendere videantur. Nominis enim vocem, divinitatem omnibus tribus communem nobis ob oculos ponere aſſeverant, fierique non poſſe dicunt, quin omnes iſti tres, eodem nomine conjuncti, divinæ ſint perſonæ. Hoc autem duplici ratione ſibi perſuaſiſſimum ajunt. Primò enim ita homines in eorum nomen baptizari, ex hac ipſa loquendi formula colligunt, ut omnium trium nomen implorent; quod ſanè abſque flagitio fieri non poſſe ajunt, niſi ſint perſonæ eadem divinitate conjunctæ. Deinde cum de immenſa Patris divinitate nulla ſit controverſia, eique Filius cum Spiritu ſancto hoc in loco adjungatur; nefas eſſe ajunt arbitrari, iſtos eſſe creaturas: cum minimè rationi ſit conſentaneum, ſummum omnium rerum opificem ſibi res creatas in tam arduæ rei ſocietatem adſciviſſe.

‡ *Illa præterea Chriſti verba*] Hoc argumentum à formula Baptiſmi noſtri deſumpta, prout ab ipſomet Chriſto præſcribitur Matt: XXVIII, 19. eſt irrefragabile: unde eſt quod ipſe Eccleſiæ Chriſtianæ Baptiſmus, vulgò habitus eſt pro reali confeſſione S. S. Trinitatis, idque ab ipſiſmet Chriſtianiſmi cunabulis, ut ex vetuſtioribus Eccleſiæ Doctoribus probare in proclivi eſt. Origenes *hom.* 8. *in Exod. Cùm venimus ad gratiam baptiſmi, ſolum confitemur Deum Patrem & Filium & Spiritum ſanctum.* Iuſtinus Martyr *ad Anton. Primum veræ pietatis documentum eſt unum eundemque ſolum Deum dicere poſſe; quem nos veriſſimum Deum Patrem; & Ieſum Chriſtum, quod ipſius veri & ſingularis Dei Filium eſſe edocti ſumus, ſecundo loco; ac Spiritum Propheticum tertio ordine, cum ratione colimus & adoramus. In nomine etiam rerum cunctarum Parentis, & Domini Dei ac Servatoris Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti in aqua lavamur.* Tertullianus *de Trinit. Regula veritatis exigit ut primò omnium credamus in Deum Patrem; Eadem docet nos credere poſt Patrem etiam in Filium Dei Chriſtum; Eadem fidei authoritas poſt hæc docet non credere in Spiritum Sanctum.* Plures alios poſſem adjicere, ſed hi ſuntè vetuſtioribus, qui in re perſpicua ſatis eſſe poſſunt: Sufficiat tantum ineſſe virium huic argumento, ut Blandrata Socinianus cùm ſe non poſſet ex eo expedire, nodum ſecare voluerit, & contra fidem omnium exemplarium & totius Antiquitatis, particulam illam apud Matthæum, ſuppoſititiam & ab Athanaſio confictam impudenter aſſerere. Sed audiamus quomodo illi argumento verè Catholico, conetur reſpondere Volkelius.

Reſpondemus igitur, univerſam iſtam ratiocinationem infirmis admodum niti fundamentis. Nam nec *nominis* vocabulum hoc in loco declarat divinitatem: cum in hujuſmodi locutionibus nomen pro reipſa uſurpetur: quo pacto in Chri-

in Chriſti nomen baptizari, idem eſt, quod in ipſum Chriſtum baptizari, ut ex diverſis ſcripturæ locis, jam hoc, jam illo loquendi modo eandem rem declarantibus apertum eſt, Act:2.38.8.16. Rom:6.3. Gal:3.27. nec in hac *nominis* voce aliquam neceſſe eſt cogitare trium perſonarum unitatem, aut æqualitatem: cum ipſe loquendi uſus docere facilè queat, elegantiæ hîc haberi potuiſſe rationem, quæ ſupervacaneas, adeoque otioſas ejuſdem vocis repetitiones reſpuit: ut ſi dicam, Nomen Iohannis, Petri, Pauli: ubi perinde eſt, ac ſi loquendi venuſtate neglecta, unicuique eadem vox ſeorſim aſcripta fuiſſet.

‡ *Reſpondemus igitur*] Hæc videntur *infirmis admodum niti fundamentis* apud homines quibus decretum eſt fidei Chriſtianæ fundamenta omnia funditùs ſubruere. Sed eorum firmitatem facilè demonſtrabimus.

Nam nec nominis] Imò verò, *nominis vocabulum hoc in loco declarat divinitatem*, aut ſaltem divinam authoritatem & poteſtatem: Nuſquam enim legas in Scriptura aliquid fieri legitimè *in nomine* vel *in nomen* ullius alterius quam veri & ſummi Dei: Sexcenta loca occurrunt in quibus aliquid dicitur fieri in nomine Dei; At nullum dabitur exemplum in quo dicatur quidpiam ritè fieri in nomine hujus aut illius Creaturæ. Quin Apoſtolus 1 Cor:1, 13. 15. tam abſurdum & impium ſtatuit baptizari fideles *in nomen Pauli*, ac Paulum pro illis crucifixum fuiſſe.

Cum in hujuſmodi locutionibus] Sanè hoc falſum eſt: nemo enim negaverit, quin venire vel aliquid facere *in nomine* aut nomen Dei, aliquid amplius ſonet quam venire vel facere in Deo aut in Deum, quod nequidem aliquid ſenſus habere videretur. Nec dubium quin baptizari in nomen Dei vel Chriſti, ſit eo ipſo ejus authoritate aſſumi in ipſius communionem ac fœdus, & vice verſa obſtringi ad fidem, doctrinam & cultum illius: Hic itaque *nomen pro reipſa*, ſive pro ipſa perſona non *uſurpatur*; cùm vix ullus foret ſenſus illius locutionis quâ diceretur aliquis in Patrem, vel in Patre baptizari. Quùm enim dicuntur Iſraëlitæ 1 Cor:x,2. *omnes in Moſem baptizati*, nihil aliud ſonat, quam eos *per manum Moſis*, ut habet Syrus interpres, id eſt miniſterio Moſis baptizatos fuiſſe: adeoque hæc phraſis non venit comparanda cum ea qua diceremur baptizari in Patrem, vel in Filium.

Quo pacto in Chriſti nomen] Fateor utrumque legi in Scripturis; & baptizari *in nomen Chriſti* Act: 11, 28. VIII, 16 & baptizari *in Chriſtum Ieſum* Rom:VI,3. Gal:III,27. Sed nego utriuſque phraſeôs eandem eſſe mentem: Nam baptizari in nomen Chriſti denotat formalem baptiſmi ipſius rationẽ; eo quod idem ſit ac baptizari ex Chriſti mandato & authoritate, aſſumique in plenam ac ſalutarem ipſius & beneficiorum ſuorum communionem, & ſic invocato ſuper nobis illius nomine, ſolemni quaſi juramento vel Sacramento, obſtringi ad fidem, cultum & obſequium ei debitum: At baptizari in Chriſtum, denotat tantum baptiſmi cauſam finalem, videlicet hominem baptizari ut Chriſto inſeratur, & communicet ejus beneficiis; ut patet ex eo quod Rom:VI, 3. ſynonyma ſunt Paulo Rom:VI,3. baptizari *in Chriſtum Ieſum & in mortem ejus*; & Gal:III,27. id ſatis explicat dicendo, *Quicunque in Chriſtum baptizati fuiſtis Chriſto fuiſtis induti*. Verùm etſi conceſſero quod nomen Dei in ejuſmodi locutione ſupponat pro ipſo Deo, adeoque quod baptizari in nomen Chriſti & baptizari in Chriſtum idem ſint, quid inde obtinebit adverſarius? Semper enim id viceversâ manebit quod baptizari in Chriſtum idem ſit ac

Digitized by Google

ſit ac baptizari in nomen Chriſti, adeoque ſemper hæc phraſis ejus poteſtatem & authoritatem divinam connotabit; cùm non liceat baptizari in aliquem, ſic ut idem ſonet ac baptizari in nomen illius, qui non ſit Deus eſſentia & natura; Siquidem ſacrilegum duxiſſet Paulus quempiam in ſuum nomen vel baptizari, vel baptizatum fuiſſe.

Nec in hac nominis] Cùm non dicamur baptizari in nomina ſed in nomen Patris, Filij & Spiritus Sancti, horum trium unitas & æqualitas eâ ratione neceſſariò denotatur; maximè cùm nefas ſit baptizari in nomen meræ Creaturæ, ut ante viſum. Nec poteſt abſque ſacrilegio conjungi Creatura Creatori in iſto actu, qui importat ex parte baptizati ut invocationem religioſam ſuper eo illius in cujus nomen baptizatur, ſic obligationem & addictionem ſpecialem in ejus fidem, cultum & obſequium.

Cum ipſe loquendi uſus] Sed fingamus idem hic obtinere ac baptizari in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus Sancti, annon ſaltem eâ ratione Filius & Spiritus Sanctus Patri æquarentur, quoad authoritatem, poteſtatem, & cultum, adeoque quoad majeſtatem & naturam? Et unde quæſo, quam ex hac formula Baptiſmi noſtri, quod in Symbolo Apoſtolorum profitemur ex aſſe nos credere in Patrem, in Filium & in Spiritum Sanctum? Nonne æquarentur Iohannes, Petrus & Paulus, ſi quid eorum trium nomine peragi diceretur? Sed neque *elegantiæ* ratio, *quæ ſupervacaneas adeoquè otioſas ejuſdem vocis repetitiones reſpuit*, exigebat neceſſariò, ut hoc loco vocabulum *nominis*, quaſi ἀπὸ τῦ κοινῦ ter repetendum intelligeretur; cùm aliàs ſi Chriſtus id tantum intendiſſet, potuiſſet æquè citra odioſam ullam repetitionem mandare Baptiſmum, in nomina Patris, Filii & Spiritus Sancti: Quare alia debuit hîc ſubeſſe ratio cur Dominus nominis tantum in ſingulari ac ſemel meminit, nempe ut ſic commodiùs horum trium unitas poteſtatis & eſſentiæ connotaretur.

Quanquam & hæc poteſt addi ratio, quòd uſus loquendi, qui ratione certa nititur, non ferat, ut Spiritui ſancto, æquè ac Patri & Filio, vox *nominis* apponatur: (nuſpiam enim in ſacris literis id factum reperies, cum *Nomen Dei* aut *Nomen Chriſti* frequentiſſimè ſcriptum legamus:) propterea quòd illi 425. perſonæ ſint, hîc non ſit, etiam ſi per proſopopœiam inſtar perſonæ non ſemel introducatur. Itaque conſentaneum fuit, ſemel potiùs vocem *nominis* ponere, & iis proximè præfigere, qui manifeſtè perſonæ ſunt, & quibus ea aliàs uſitatè præponitur, quàm ter repetendo etiam Spiritui ſancto ſeparatim adjungere. Faciliùs enim loquendi conſuetudo fert, ut, cum vox aliqua non æquè propriè, vel non æquè uſitatè pluribus tribuitur, ea ſemel tantùm poſita proximè adjungatur iis ad quæ propriè vel uſitatè refertur, longiùs verò abſit ab iis, ad quæ minùs.

‡ *Quanquam & hæc poteſt*] Hæc reſponſio pugnat cum præcedenti: Si enim vox *nominis* non poteſt Spiritui Sancto apponi, non potuit fingi eam vocem venuſtatis cauſâ ſemel poſitam, ut ſi diceretur, *Nomen Iohannis, Petri & Pauli, ubi perinde eſt ac ſi loquendi venuſtate neglectâ, unicuique eadem vox ſeorſim aſſcripta fuiſſet.* Tum ſi *Spiritui Sancto æquè ac Patri & Filio vox nominis* apponi nequit ex certa ratio-

ta ratione, cur ergo Chriſtus præcepit ut homines baptizarentur *in nomen Patris Filii & Spiritus Sancti*? An ergo Chriſtus in eo loquutus eſt aliter quã ferat *uſus loquendi, qui certâ ratione nititur*? Quidni etiã *Spiritui Sancto, æquè ac Patri & Filio vox Nominis apponatur*, cum çquè fides adjungatur Spiritui Sancto, ac Patri & Filio, ut liquet ex Symbolo? Et quamvis aliàs nuſpiam legatur *nomen Spiritus Sancti*, ut ſæpè *Nomen Dei* & *Nomen Chriſti*, primò nobis ſatis eſt quod tam expreſſè extet in Baptiſmi noſtri formula. Deinde licet nullus alter extet locus in quo *nomen Spiritus Sancti* ponatur, attamen plura extant in quibus Spiritus Sanctus per *nomen Dei* exprimitur atque intelligitur. Ita in nomine Dei loquebantur Prophetæ, eo ipſo quod id præſtarent *acti à Spiritu Sancto* 2. Pet. 1, 21.

Propterea quod illi] Ideo negat Volkelius legi *nomen Spiritus Sancti*, ut Dei ac Chriſti, quia non ſit perſona: Sed invertimus ſchema, & dicimus eo ipſo perſonam eſſe agnoſcendam, quod *in nomen* illius non minùs quam Patris & Filii, qui perſonæ ſunt, baptizemur & conſignemur: Nec poteſt nomen hîc tribui cum Patre & Filio Spiritui Sancto *per proſopopœjam*, tùm quia multa alia perſonalia ei tribuuntur in Sacris literis quæ evidentiſſimè demonſtrant perſonalitatem illius; tùm quia nulla eſt ratio cum vocabulum *nominis* quod communiter effertur de Patre, Filio & Spiritu Sancto, illis quidem propriè, huic vero impropriè & figuratè conveniat; tùm denique quoniam nullum nobis dabitur exemplum in Sacra Scriptura ex quo liqueat aliquid *per proſopopoeam* dici fieri vel peragi in nomine alicujus rei quæ perſona non ſit. Hæc pertinent ad cerebrina iſtorum hominum commenta, quæ retuliſſe retudiſſe eſt.

Atque conſentaneum fuit] An ergo vult Volkelius hanc vocem *nominis* ſic reſtringendam ad Patrem & Filium, ut contra mentem Chriſti Spiritui Sancto non conveniat? Et cum ex ea formula ſacra palam ſit nos ſic baptizari in nomine Patris, ut etiam baptizemur in nomine Filii, cur non pariliter baptizari dicemur in nomine Spiritus Sancti, æquè ac baptizamur in nomine Patris & Filii? Quæ hîc inſuper garrit hæreticus de loquendi conſuetudine, primùm exemplis certis & huic ſubjecto convenientibus fuiſſent explicanda; deinde nituntur falſâ illius ſuppoſitione, quod *minùs propriè* vox *nominis* conveniat Spiritui Sancto quam Patri & Filio: Si enim ſit perſona, uti eſt, æquè propriè illi hæc vox conveniet: ſi non ſit perſona, nullo modo ei convenire poteſt.

Neque verò ulla hîc ſubeſt cauſa, cur Patris, Filii, & Spiritus ſancti implorationem hinc colligamus. Cum enim *In nomen alicujus baptizari*, idem ſit, atque in aliquem baptizari, hocque implorationem nequaquam arguat: quandoquidem & in Moſen, (*1 Cor. 10. 2.*) & in Johannis baptiſmum, (*Act. 19. 3.*) & in mortem Chriſti (*Rom. 6. 3.*) homines baptizatos fuiſſe conſtat, quos tamen divino cultu affectos nequaquam fuiſſe manifeſtum eſt; quis non videt argumenti iſtius futilitatem?

† *Neque verò ulla hîc*] Imò verò ex eo quod Apoſtolus 1. Cor. 1, 13. dicit *Num paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomen Pauli baptizati fuiſtis*, facile colligitur quod baptizari in nomen alicujus importet obligationem ad cultum illius religioſum, ei ſimilem quem profitemur deberi Chriſto pro nobis crucifixo, cum in illius nomen baptizamur. Neque hæc duo conjuncta fuiſſent à Paulo, ſi magis

Digitized by Google

fas fuiſſet in nomen ipſius baptizari, quam profiteri eum pro redemptione generis humani crucifixum fuiſſe. Id verò eſt falliſſimum, quod *in nomen alicujus baptizari*, idem ſit *ac in aliquem baptizari*; Nam ſi hoc verum foret ex locis hîc Volkelio citatis, idem erit baptizari in Moſem 1 Cor. x, 2. ac baptizari in nomen Moſis; baptizari in Johannis baptiſmum Act. xix, 3. ac baptizari in nomen baptiſmi Johannis; baptizari in mortem Chriſti Rom. vi, 3. ac baptizari in nomen mortis Chriſti: quod ſuâ abſurditate ſatis ſe refutat. Paulus priori loco monet Iſraelitas baptizatos εἰς τὸν Μωσῆν, non quod in nomen Moſis baptizati fuerint; Nam ut in manna & in petra manducabant & bibebant ex eodem cibo & potu Spirituali quo nos reficimur in Cœna, nempe ex Chriſti carne & ſanguine, *Petra* enim illa *erat Chriſtus* 1. Cor. x, 4 ita in nube & in mari debuerunt baptizari æquè ac nos in nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti: Sed quod miniſterio Moſis eos per mare & ſub nube traducentis, ſuo modo eodem Baptiſmo nobiſcum tincti fuerint: Nam ut εἰς & ἐν ſæpè in Scripturis pro eodem uſurpantur, Matt. v, 35. jurare ἐν τῇ γῇ, & εἰς Ἱεροσόλυμα, ſunt ἰσοδυναμοῦντα; ita ſæpè nihil aliud ſonat utrumque quam *Per*, ut in eodem loco apparet. Nec aliter Paulum intellexêre celebriores interpretes; Nam Vulgata Verſio habet *in Moſe*, Arabs & Syrus *in manu Moſis*; Quantum verò hæc diſtent baptizari in nomen alicujus & baptizari per aliquem, nemo eſt qui non videat. Saltem non putem eò impudentiæ & abſurditatis deventuros Socinianos ut ſtatuant, nihil eſſe diſcriminis inter baptizari in nomen Patris, & baptizari in Moſe vel per Moſem. Quantum ad ſecundum teſtimonium ex Act: xix, 3. baptizari εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, nequit eſſe baptizari in nomen baptiſmi Johannis, quod ſenſu caret, ſed baptizari baptiſmo Johannis, id eſt *Baptiſmo reſipiſcentiæ*, uti vocatur ibid. com: 4. Hinc Vulgatus Interpres reddidit ea Lucæ verba *In Iohannis baptiſmate*. Adhæc certum eſt Johannem non baptizaſſe in ſuum nomen, cùm ejus baptiſma eſſet è cœlo; Sed quotquot eum *audiverunt*, ut ibid. dicitur com: 5. & ad ejus baptiſmum cum fide & reſipiſcentia acceſſerunt, *baptizati ſunt in nomen Domini Ieſu*, adeoque ipſi Domino per baptiſmum dicati & conſecrati fuerunt. Quod ſpectat tertiam illam phraſim ex Rom. vi, 3. ea minus huc facit; nam ibi dicimur baptizari *in Chriſti mortem*, ut *in remiſſionem peccatorum* Act: 11, 38. & *in unum corpus* 1. Cor: xii, 3. finaliter, quatenus eo fine ſuſcipitur baptiſmus, ut obſignetur nobis 1. noſtra communio cum Chriſto & illius morte, per quam peccatum in nobis moritur & aboletur; 2. plena peccatorum noſtrorum remiſſio in ipſius ſanguine; 3. noſtra coalitio in unum corpus myſticum cujus ipſe caput eſt. Sed nemo qui obſtipæ mentis non fuerit negaverit unquam quod baptizari in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti, habeat rationem cultus & implorationis, quâ baptiſato ſpeciali voto exoptatur & imploratur, *Gratia Domini Ieſu Chriſti & charitas Dei & communicatio* Spiritus *Sancti*, ut loquitur Apoſtolus 2. Cor. xiii, 13. Quid quod *nominare nomen Chriſti* 2. Tim. ii, 19. quod fit ſpeciatim ſuper nobis in baptiſmo, idem eſt multis interpretibus, ac nomen illius invocare?

Nec tandem in iis, quæ fieri non poſſunt, habendum illud eſt, quòd Deus in magnarum diviniſſimarumque rerum adminiſtratione, eos ſibi ſocios adjungat, quos unicâ cum illo eſſentiâ conjunctos fuiſſe nemo dixerit. Sic enim nefas fuiſſet Iſraëlitas illam emittere vocem, Jehovæ & Gedeoni, quâ utrique victoriæ ſequuturæ gloriam aſſignabant. (*Iud.* 7, 18. 20.) Nec certè Joſaphat

Digitized by Google

ſaphat populum Dei cohortatus eſſet, ut & in Deum, & in Prophetas ejus crederet. (*2 Paral. 20. 18.*) Cujuſmodi & illud eſt, quòd Iſraëlitæ in Deum & Moſen ſervum ejus credidiſſe, (*Exod. 14, 31.*) nec non illud, quo Deum & Samuelem metuiſſe (*1 Sam. 12, 18.*) dicuntur. Non mirum etiam, Spiritum ſanctum, qui perſona non ſit, perſonis fuiſſe adjunctum: cum inter alia Paulum ita loquentem audiamus: *Commendo vos Deo, & ſermoni gratiæ ipſius.* (*Act. 20, 32.*) Item *Confortamini in Domino, & in robore virium ipſius.* (*Eph. 6, 10.*)

‡ *Nec tandem in iis*] Aliud eſt quandoque conjungi Creatori Creaturam *in magnarum diviniſſimarumque rerum adminiſtratione*, quod non negamus; aliud eſt magnas & diviniſſimas res adminiſtrari in commune *nomen* Creatoris & Creaturæ, quod nuſquam legimus: Auxilium noſtrum dicitur eſſe in nomen vel nomine Domini Pſ: cxxiv, 8. & dicuntur enervari hoſtes piorum in nomen Jehovæ Pſ: cxvIII, 10. 11. 12. Sed nunquam dicuntur hoſtes ſuperari, vel auxilium noſtrum eſſe, in nomẽ Moſis vel Gedeonis. Facilè autem intelligimus quo ſenſu hac teſſerâ militari uſi ſint Iſraelitæ Jud: vII, 18. 20. clamantes *Gladius Iehovæ & Gedeonis*, non quò conjunctim *Iehovæ & Gedeoni victoriæ* ſuæ *gloriam* aſſignarent, contra quam dicitur Pſ: cxv, 1. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*; Sed quò teſtarentur vim & vocationem divinam præſtò eſſe Gladio Gedeonis, prout Paulus, Cephas, Apollos, Dei συνέργοι & adminiſtri ſtatuuntur 1. Cor: III, 9. Ita 2. Paral: xx, 20. Joſaphat populum cohortatur non tam *ut in Deum & in Prophetas ejus* credat, quam ut firmiter credat Deo & Prophetis, ut plerique reddiderunt; his verbis, *Firmè credite Iehovæ Deo veſtro & confirmabimini, firmè credite Prophetis eius & proſperabimini*; Sed nunquam invitamur ad credendum in nomen Dei & Prophetarum; Credere vero Prophetis nihil aliud eſt quam fidem adjungere iis quę annunciát in nomine Domini. Aliter autem ſe habere Dei Filium in objecto fidei, quam Prophetas, vel inde liquet quod nuſquam dicantur pii propriè credidiſſe in Prophetas, ideſt fiduciam ſuam in illis repoſuiſſe, quod planè nefas foret juxta Jeremiam xvII, 5. multo minus in nomen Prophetarum aut Moſis; ſed tantum credidiſſe Moſi & Prophetis, ut videre eſt Joh: v, 45. cùm è contrario dicamur credere non ſolum Chriſto, ſed etiam in Chriſtum ſæpiſſimè, ut Joh: III, 16. 36. & quod magis eſt *in nomen* ipſius Joh: I, 12. II, 23. III, 28. Nec tam dicuntur Iſraelitæ Exod: xIv, 31. credidiſſe *in Deum & Moſem*, ut vult Volkelius, quam Deo & Moſi, ut reddiderunt plurimi interpretes, (quamvis fatear utriuſque nomini literam *Beth* eſſe præfixam;) illi ſcilicet tanquam primæ veritati revelanti, huic verò tanquam fideli ipſius ſervo, iſtarum ſalutarium revelationum pręconi & adminiſtro: Ita timuit populus Jehovam & Samuelem 1. Sam: xII, 18. illum tanquam Dominum, hunc tanquam voluntatis ſuæ internuncium ac interpretem, atque ab ipſo Gentis ſuæ rectorem conſtitutum.

Non mirum etiam Spiritum] Perſonalitas Spiritus Sancti, aliàs pleniùs adſtruenda, ſatis demonſtratur ex eo quod *in nomen* illius baptizemur: Nullo enim unquam teſtimonio probabitur quidpiam fieri in nomine vel nomen alicujus, qui perſona non ſit; Quare nihil faciunt contra nos loca hîc citata Act: xx, 32. Epheſ: vI, 10. Ne dicam quod in neutro eorum quicquam Deo conjungitur quod realiter ab ipſo ſit diſtinctum: Nam ut à poſteriori incipiam nemo ſanus putaverit reale diſcrimen concipiendum inter Deum & robur virium ſuarum: & quoad prius, Sermo

Sermo Gratiæ Dei poſſet benè intelligi, de Sermone incarnato pleno gratiæ & veritatis Joh:1,14. Alii, ut Lintrenſis, ipſam Divinæ Gratiæ potentiā, quam increatam eſſe conſtat, hac phraſi exprimi putant, per illum frequentem Hebraiſmum, quo *verbum* ponitur pro re, facto, negotio & ſimilibus: Sed & licet per Sermonem gratiæ ipſummet Euangelium intelligamus, ut eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti Rom. 1, 16. id nobis non oberit; cùm illa potentia gratioſa quam Deus in illo & per illud ad ſuorum conſolationem exerit, ab ipſo Deo realiter diſtingui nequeat.

Inſtabunt autem, Chriſtum à Patre ſpiritum veritatis, quem alium paracletum nominat, ſeſe miſſurum, pollicitum fuiſſe; (*Ioh. 14, 16. 17.*) ex eòque apertiſſimè conſtare affirmabunt, trium perſonarum æqualitatem eſſentialemque, quod ajunt, unitatem. Hoc verò quàm ſit à vero alienum, hinc perſpicitur, quòd hæc Chriſti verba æqualitatem iſtam funditùs evertunt. Neque enim qui precibus impetratum ſpiritum Dei aliis mittit, quemadmodum Chriſtus de ſe affirmat, & porrò ejuſdem fons atque origo nequaquam eſt, ei, à quo derivatur, æqualis eſſe poteſt: quemadmodum nec ipſe Spiritus divinus illi æquari poteſt, à quo proficiſcitur: niſi viciſſim volumus, & Chriſti Patrem à Filio Spirituque ſancto miſſum aut donatum fuiſſe, vel ab alio quopiam Spiritus ſancti beneficium precibus impetraſſe, & ſic hominibus donaſſe; quo nihil à vero alienius.

‡ *Inſtabunt autem Chriſtum*] Eſt ſanè & hic locus Joh: XIV, 16. 17. expreſſiſſimus pro hac cauſa: ſi præſertim addantur ejus cap. com. 26. & XV, 26. & XVI, 7. 8. 13. 14. 15. Hîc enim hi tres diſtinguuntur palam & tanquam perſonæ divinæ notantur, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Nā primò, Deus eſt proculdubio Spiritus ille Sanctus, qui eſt *Spiritus veritatis quem mundus non poteſt recipere* Joh: XIV, 17. qui nos *docet omnia* Joh: XIV, 26. & *nos deducit in omnem veritatem* Joh: XVI, 13. Is quoque perſona vera eſt cui competit hoc elogium quod ſit *alius* à Chriſto *advocatus* ſive paracletus Joh: XIV, 16. quod Apoſtolos *docuerit omnia* & *ſuggeſſerit omnia* quæ dixit illis Chriſtus Joh: XIV, 26. quod *mittatur* à Patre *in nomen* Chriſti ibid. quod *mittatur* à Chriſto & *teſtetur* de ipſo Joh: XV, 26. XVI, 7. quod veniens *arguat mundum de peccato, de juſtitia & de judicio* Joh: XVI, 8. quod *non loquatur à ſeipſo, ſed loquatur quæcunque audivit & quæ ventura ſunt renunciet* nobis Joh: XVI, 13. Hæc enim omnia perſonalia cùm ſint, arguunt eum eſſe perſonam, cui tam conſtanter tribuuntur. Divinitas quoque Chriſti hinc apparet, quod *mittat* Spiritum Sanctum, ut *teſtetur* de ſe Joh: XV, 26. & Joh: XVI, 8. & quod à Spiritu Sancto glorificetur quia de ſuo accipit Joh: XVI, 14. 15. Nam mittere Spiritum Sanctum is ſolus poteſt, à quo procedit Spiritus Sanctus, nec uteretur Chriſtus illis verbis, *Ille me glorificabit quia de meo accipiet & renunciabit vobis*, niſi Spiritus Sanctus eſſet originaliter ſuus. Denique æqualitas Filii cum Patre hinc elucet, quod indiſcriminatim Spiritus Sancti miſſio tribuatur *Patri* Joh: XIV, 16. 26. & *Filio* Joh: XV, 26. XVI, 7. & quod ſic procedat à Patre Joh: XV, 26. ut etiam emanet à Filio à quo mittitur, ita ut non loquatur à ſemet ipſo, ſed, inquit ipſe Chriſtus, *accipiet de meo & renunciabit vobis*.

Neque enim qui precibus] Sed qui meris

ris precibus obtineret alicui Spiritum Sanctum non diceret, eum ſe mittere, & illum à Patre mitti in nomine ſuo Ioh. XIV, 26. Apoſtoli per impoſitionem manuum ſuarum, obtinebant hominibus Spiritum Sanctum à Deo, & eum illis conferebant; nunquam tamen dicuntur mittere Spiritum Sanctum: nunquam dicitur mitti in eorum nomine; & eorum nemo potuiſſet illum promittendo dicere, Ille me glorificabit & de meo accipiet. Chriſtus itaque quà Mediator *rogat* Patrem ut alium det nobis advocatum, ſed quà unum eſſentiâ & naturâ cum Patre eum mittit, ceu ejuſdem fons & origo cum Patre, unde de ſuo accipere dicitur. Hac de cauſa oſtenſurus Chriſtus Spiritum Sanctum à ſe procedere non minus quàm à Patre, unde & *Spiritus Chriſti* dicitur Rom: VIII, 9. cum conferebat ſuis Apoſtolis illos afflando Joh: XX, 22. *Nam inſufflando ſignificavit*, inquit Auguſtinus *tract.* 121. *in Ioh. Spiritum Sanctum non Patris ſolius eſſe Spiritum, ſed & ſuum.* Fruſtra verò ſis, concludendo inæqualitatem perſonarum Trinitatis, ex eo quod Spiritus Sanctus procedat à Patre, & illum ſuis à Patre obtineat & mittat Filius. Nam proceſſiones divinæ, non obſunt æqualitati eſſentiæ & potentiæ divinarum perſonarum; Sic rivus manat à fonte, & radius à Sole, ut non ſit alterius ab ipſo naturæ: Mitti & mittere, dari item ac dare, non per imperium & alienationem, ſed per ſapientem & ultroneam diſpenſationem & communicationem, poteſt inter æquales obtinere: Quamvis Pater & Filius *unum* ſint Joh: X, 30. tamen ſæpè legimus Filium à Patre miſſum & nobis datum fuiſſe: Quamvis etiam Pater Filius & Spiritus Sanctus *unum* ſint 1. Joh: V, 7. tamen Spiritus Sanctus creberrimè à Patre & Filio mitti dicitur, quod ut Filius à Patre per generationem, ita Spiritus à Patre & Filio per ſpirationem inenarrabilem, ab æterno procedat: Solus Pater nunquam mitti, dari vel communicari dicitur ab aliis duabus perſonis, quod cùm ſit fons & origo totius divinitatis ut communicatur ad intra Filio & Spiritui Sancto, ipſe ἀγέννητος nullum ordinis & originis habet principium.

Nec illud præterire ſolent Trinitatis propugnatores, quòd Paulus de divinis muneribus diſſerens, (*1. Cor. 12. 5. 6. 11.*) unum dicit Deum eſſe, unum Dominum, unum denique ſpiritum. Verùm quid ad iſtud commentum prorſus exterminandum hoc ipſo teſtimonio plus virium habere poteſt? Niſi fortè tres in una eſſentia perſonas ita comparatas eſſe volumus, ut prima tantùm ſit unus Deus, reliquæ duæ nequaquam. Quod quàm ſit abſurdum, ipſi etiam adverſarii intelligunt. Quòd ſi Dominum Spiritumque non ratione eſſentiæ, ſed tantùm perſonarum à Patre, qui hîc unus Deus dicitur, diſtingui exiſtimant, toto cœlo errant. Cum enim Deus, ex ipſorum mente, *unus* nonniſi ratione eſſentiæ dici queat: quomodo à Patre ſic appellato, ipſius eſſentiæ reſpectu unus Dominus ac Spiritus unus non ſeparabuntur? Ne illud nunc repetam, quod ſuprà demonſtravimus, perſonam ab eſſentia in Deo diſtinctam non eſſe.

‡ *Nec illud præterire ſolent*] Suum quoque ineſt pondus huic teſtimonio ex 1 Cor: XII, 4. 5. 6. quod ita habet; *Diſtinctiones donorum ſunt, ſed idem Spiritus; & diſtinctiones Miniſteriorum ſunt, ſed idem Dominus; & diſtinctiones operationum ſunt, ſed*

Digitized by Google

ſed idem eſt Deus agens omnia in omnibus: ubi originalis textus non habet εἷς, *unus*, ut videtur ſupponere Volkelius, ſed αὐτὸς *idem*; niſi quod com. 11. poſt enarrata varia Chariſmata Spiritus Sancti in Eccleſia, dicitur omnia hæc efficere τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται: Sed non debebat hic verſus conjungi cum præcedenti teſtimonio, quod diſerè ſpectat ad Trinitatem, cùm inſerviat potiſſimum probandæ perſonalitati Spiritus Sancti, de qua hîc ex profeſſo non diſputatur. Interea ut hæc tria Paulus diſtinguit in Eccleſia, *dona, miniſteria* & *operationes*, ita illis tribus ſuum aſſignat perſonale principium in SacroSancta Trinitate, *Donorum*, Spiritum, qui ea diſtribuit ſicuti vult; *Miniſteriorum*, Filium, qui ea varia inſtituit in uſum & ædificationem ſuæ Eccleſiæ; & *Operationum*, Deum Patrem, in quem originaliter refunditur omnis ἐνέργεια cùm Donorum tùm Miniſteriorum ad ſalutem Eccleſiæ: Eſtque hoc argumentum eò firmius, quod non minus ſit potentiæ ſimpliciter divinæ diſtribuere Chariſmata in Eccleſia, quod facit Spiritus, vel varia illius Miniſteria conſtituere, quod facit Chriſtus, quā ſua ἐνεργήματα in utriſque oſtentare, quod ſpeciatim Deo Patri aſſignatur. Expendamus verò quid huic argumento reponat adverſarius; qui putat ſe videre in teſtimonio Pauli neſcio quos arietes, ad hoc Myſterium Trinitatis, quod blaſphemè *commentum* vocat, exterminandum aptiſſimos.

Niſi forte tres in] Primùm fallitur hæreticus, putans quod ὁ αὐτὸς θεὸς, ſit *unus Deus*, cùm ſonet tantum quod ſit *idem Deus*, ut etiam reddiderunt, Vulgatus interpres, Beza, Eraſmus, Caſtalio, alii. Deinde non magis inde colliges Patrem dici unum Deum ad excluſionem Filij & Spiritus Sancti, quam Filium unum Dominum ad excluſionem Patris, aut Spiritum unum Spiritum ad excluſionem Patris & Filii. Pater eſt unus verus Deus, ſed id ei ſoli non convenit, excluſivè ad alias perſonas, ipſi coeſſentiales & coæternas: Sic etiam Filius eſt *ſolus herus ac Dominus* in epiſtola Judæ com. 4. non excludendo Patrem a jure & titulo ſummi dominii. Tertiò nomen *Dei* hoc loco non ſumitur οὐσιωδῶς & prout commune eſſe poteſt tribus perſonis, ſed ὑποστατικῶς, & prout connotat ſpeciatim perſonam Patris: Id verò eſt ſtyli frequentis in Scriptura, ut ubi Pater opponitur Chriſto & Spiritui Sancto, Chriſto appropriatur *Domini* nomen, Patri vero *Dei*; ut pote qui ſit principium ordinis & originis aliarum duarum perſonarum, quarum unicuique cum ipſo competit eſſe Deo: Huc facit haud diſſimilis locus 2. Cor. XIII, 13. Igitur quod Pater diſtinctè à Filio & Spiritu ſuo vocatur Deus, reliquorum duorum non perimit Divinitatem, ſed tantum adſtruit eorum diſtinctionem & dependentiam ordinis ac originis à Patre, cui ideo propter illam ὑπεροχὴν perſonalem, & per quandam ſynecdochen, nomen Dei quandoque tribuitur.

Quod ſi Dominum] Hic nullus eſt error: Nam ut Patri nomen *Dei* ob ὑπεροχὴν ſuam perſonalem tribuitur, ſic eidem *unitatis* elogium eadem de cauſa poſſet concedi; ut Pater quidem ſit unus verus Deus, ob eam eſſentiam quæ una eſt, ſed tamen unus Pater ſive ſolus Pater non ſit ille unus Deus, cùm eadem divinitas & unitas eſſentiæ Filio & SpirituiSancto etiam conveniat: Ac ſicut Spiritus infra com. 11. dicitur *unus* citra excluſionem Patris, quem eſſe Spiritum conſtat ex Joh. IV, 24. ita poſſet Pater dici unus Deus citra excluſionem Filii vel SpiritusSancti. Nec poſſunt Spiritus à quo ſunt Dona, & Dominus à quo ſunt Miniſteria, diſtingui eſſentialiter à Patre, à quo ſunt Operationes; eò quod Spiritus & Dominus æquè veniant in communionem illorum ἐνεργημάτων quæ Patri aſſignantur, ut patet ex Joh: V, 19. 1. Cor: XII, 11. ac Pa-

Digitized by Google

ac Pater venit in communionem Miniſteriorum erectorum à Filio in Eccleſia, & Donorum diſtributorum à Spiritu. Sed omnis hæc ἴνςασις Volkelii nititur falsâ hypotheſi, quâ fingit Patrem dici unum Deum ab Apoſtolo, cùm tantum dicat quod ſint quidem; *diſtinctiones operationum,ſed idem ſit Deus efficiens ea omnia in omnibus.* Mirum eſt tam ſupinè legi textum ſacrum ab iſtis hominibus, qui tamen volunt omnibus interpretibus palmam præripere in illius ſenſu aſſequendo & explicando. Quamvis etiam illa particula αὐτὸς, idem eſſet ac *unus*, ut redditur à Syro interprete, non tamen intelligenda foret niſi reſpectu omnium ἐνεργημάτων de quibus agit Apoſtolus, quæ ab uno & ſolo Patre ſunt originaliter & primitivè, ut Dona ſunt immediatè à Spiritu Sancto, & Miniſteria immediatè à Filio, uti docemur etiam Eph: 1v, 11 Ita poſſum dicere quod unus & ſolus Pater generet Filium, citra negationem coeſſentialitatis inter utrumque. Ita unus & ſolus Filius eſt incarnatus, & unus ac ſolus Spiritus datus Apoſtolis in Pentecoſte. Nec dubium quin Paulus hîc loci, velit quædam appropriare ſingulis tribus perſonis ex quibus earum diſtinctio connotetur ac meliùs innoteſcat, tribuendo ſoli Spiritui Dona, ſoli Domino Miniſteria, ſoli Deo Patri Operationes. Id ergo falſum quod Deus, (nomine hoc ſumpto ὑποςατικῶς de Patre) dici nequeat *unus,* niſi *ratione eſſentiæ*: cum è contrario unus Pater hoc vel illud facere dicatur, ratione ſuæ perſonæ & ut ab aliis duabus diſtinguitur : ut citra difficultatem *à Patre ſic appellato*, licet non tam *eſſentiæ* quam perſonæ ſuæ *reſpectu*, *unus Dominus ac Spiritus unus* poſſint ac debeant diſtingui, tanquam tria ſuppoſita, quæ tamen in una, communi & indiviſibili eſſentia inſeparabiliter conveniant. Sic enim *unus Dominus & unus Spiritus* diſtinguentur quidem perſonaliter ab *uno* Deo Patre, ſed tamen eſſentialiter *non ſeparabuntur.* Nec potuit certius dari argumentum cauſæ deſperatæ iſtius hæretici, quam putidum hoc & ineptiſſimum ejus effugium.

Ne illud nunc repetam] De eo dictum eſt ſuo loco. Agnoſcimus quidem perſonam quamlibet in divinis ab eſſentia non diſtingui realiter, ſed tantum hanc concipi ut latius, illarum quamque ut anguſtius quid; eò quod quælibet perſona totam habet eſſentiam divinam, ut quælibet perſona humana habet totam eſſentiam humanam, ſed non totaliter, ſive excluſivè ad alias perſonas: verùm negamus, unicam tantum eſſe perſonam in divinis eò quod ſit unica & individua eſſentia: perinde ac negamus unicam tantum dari facultatem animæ, eo quod ſit unica animæ eſſentia & natura, quæ unicuique ſuarum facultatum communis eſt, & tota ſe exerit in ſingulis earum.

Si dicas, eadem ratione conſequens fore, ut unus Deus quoque ab uno Domino unoque Spiritu ſegregetur, & ſic nec Dominus, nec ſpiritus eſſe poſſit: occurrimus, & minimè hinc colligi poſſe dicimus, unum illum Deum omni prorſus dominio carere, ſed eo tantùm, quod proprium eſt illius, qui unus Dominus appellatur: id verò eſt, quod ipſius Dei nomine exercetur, quodque adeò illius imperio, ut in ſcholis loquuntur, eſt ſubordinatum. Etenim cùm Domini nomen, quod alioqui latè patet, auguſto Dei nomini aliqua ratione opponitur, & ſic Dominus unus à Deo uno diſtinguitur, neceſſe eſt Domini nomen aliquid minus ſignificare, quàm Dei nomen; & quia

Digitized by Google

quia nihilominus ad eadem refertur, ad quæ Dei ipſius dominium; ſtatuendum eſt, dominum intelligi Deo uni ſubordinatum.

‡ *Si dicas eadem ratione*] Hęc utique exceptio hîc poſſet adhiberi ſi Pater à Paulo eo loco qui nunc eſt præ manibus, unus Deus vel ſolus Deus diceretur. Nam poſſet Pater dici unus & ſolus Deus, ut nonnullis videtur dici Joh: XVII, 3. oppoſitè ad eos qui naturâ Dii non ſunt, ſed non excluſivè ad Filium & Spiritum Sanctum, qui unum ſunt cum ipſo. Sanè Judæ com: 4. Chriſtus dicitur μόν@ δεσπότης θεὸς καὶ κύριος, non oppoſitè vel excluſivè ad Patrem cum quo unum eſt, ſed ad Idola; Ac ſicut Filius unus dicitur Dominus & Spiritus Sanctus unus Spiritus Eph: IV, 4. 5. citra imminutionem vel Spiritualitatis, vel Dominij ejuſdem convenientis etiam Patri, ita ibid. com. 6. dicitur Pater unus Deus, citra læſionem divinitatis ejuſdem convenientis cum Patre Filio & Spiritui Sancto.

Occurrimus, & minimè] Hic occurſus eſt ineptus, & recidit in authoris crura: Nam ut pertendit inde non ſequi *unum illum Deum omni prorſus Dominio carere, ſed eo tantum quod proprium eſt illius qui unus Dominus appellatur,* ita poſſim dicere ex eo quod Pater *unus Deus* appellatur minimè ſequi, Filium & Spiritum Sanctum *omni prorſus* Divinitate *carere, ſed eâ tantum quæ* propria *eſt illius qui unus* Deus *appellatur.* Quamvis enim Filius & Spiritus Sanctus habeant eandem divinitatem cum Patre, eam tamen non habent quomodo propria eſt Patri & in ipſo characterizata; Nam Pater eam habet proprio ſibi modo nempè ἀγεννήτως, Filius γεννητῶς, Spiritus Sanctus ἐκπορευτῶς. Adhæc fingitur gratis ad hæretico aliud eſſe Dominium Patris, aliud Dominium Filii, à quo κατ᾽ ἐξοχὴν Dominus appellatur; nam Dominium Chriſti eſt univerſale, ſupremum & abſolutum in omnia, quo majus dari nec concipi poteſt. Et quamvis competat Filio ſubordinatè ad Patrem, quatenus Pater eſt Filio principium ordinis & originis, inde tamen non ſequitur ipſummet Dominium eſſe ſubordinatum: Filius qui adſciſcitur à patre in conſortium regni, non habet imperium ſubordinatum, ſed ſupremum in regno, licet illud habeat ſubordinatè ad ſuum patrem & dependenter ab ipſo dependentiâ generationis & ordinis. Quod ſi aliud ſit Dominium Patris aliud Filii, regimen Mundi non amplius erit Monarchicum ſed Dyarchicum. Et cùm Pater & Filius unum ſint naturâ & eſſentiâ, duplex illis Dominium convenire nequit. Non neſcio Chriſto convenire duplicem Dominii ſui adminiſtrationem, aliam quidem Theologicam, aliam verò Oeconomicam, ideſt aliam quæ illi præciſè conveniat quà Dei Filio, & quem Pater generatione æternâ conſtituit heredem omnium Heb: I, 2. aliam quæ illi tribuatur quà θεανθρώπῳ & Mediatori inter Deum & homines, quò ſpectat præſertim locus Matt: XXVIII, 18. Verùm inde non poſſe colligi reale diſcrimen inter Dominium Patris & Filii, & res ipſa loquitur, & ſuo loco fuſiùs à nobis fuit demonſtratum.

Etenim cum Domini] Equidem ex illa oppoſitione inter unum Dominum & unum Deum, alium eſſe qui Dominus, alium qui Deus dicitur, colligi neceſſum eſt; non item *Domini nomen aliquid minus ſignificare, quam Dei nomen*; Si præſertim meminerimus *Domini* nomen cum de uno & ſolo Domino uſurpatur, reſpondere nomini *Iehovæ*, quod auguſtiorem habere ſignificationem nomine *Dei*, nequidem ipſi Adverſarii eunt inficias. Atque ut Deus unus cùm dicitur, ſupremum denotatur Numen, quo nullum ſit ſuperius, ita cum unus Dominus dicitur, neceſſe eſt ſupremum & infinitum denotari Dominum, quo nullum majus vel ſuperius detur.

Quod verò ad Spiritûs vocem attinet, manifeſtum eſt, aliter eam accipiendam, cùm de Deo unó prædicatur, aliter, cùm ab uno Deo apertè diſtinguitur. Cùm enim de Deo uno prædicatur, pro ſpirituali quadam ſubſtantia ſumitur. At cum à Deo diſtinguitur, Dei virtutem & efficaciam denotat, quæ ab ipſo in homines manat. Senſus autem iſtius teſtimonii eſt: eundem Deum, eadem virtute ſua, omnia illa, quæ Apoſtolus oratione ſua perſequitur, per eundem Chriſtum, cui gubernandam Eccleſiam tradidit, perficere, id eſt, munera varia in eos, qui Chriſto ſe addixerunt, conferre. Quòd enim inferiùs ait (*v. 11.*) Spiritum illum diſtribuere unicuique prout vult; id per uſitatiſſimam proſopopœiam, in qua & metonymia cernitur,
417. contingit, dum effectui, vel, ſi mavis, cauſæ mediæ adſcribitur id, quod cauſæ principali, quæ perſona eſt, propriè tribuendum eſt. Perinde igitur iſta Apoſtoli verba accipienda ſunt, ac ſi dixiſſet: Deum omnia hæc, de quibus ſermo eſt, munera per ſuum ſpiritum, pro eo ac ſibi videtur, diſtribuere, ut quidem ex v. 7. 8. & 9. planè perſpicitur, ubi Apoſtolus mentem ſuam aperiens, aſſerit, eundem Deum operari illa omnia in omnibus; & per ſpiritum, vel in ſpiritu munera illa dari.

‡ *Quod vero ad Spiritus*] Ita eſt omninò: aliter ſonat vox *Spiritus* cùm ſumitur οὐσιωδῶς & eſſentialiter, aliter cùm uſurpatur ὑποςατικῶς & perſonaliter; verbi gratiâ cùm Deus dicitur eſſe Spiritus Joh: IV, 24. priori modo accipitur; & notat Deum eſſe eſſentiæ ſpiritualis & ſimpliciſſimæ; at *cum à Deo,* ſic dicto ὑποςατικῶς de Patre, *diſtinguitur*, accipitur poſteriori modo, pro tertia perſona S.Sanctæ Trinitatis, cui etiam competit eſſe Deo, Domino & Jehovæ, ut patet ex 2. Sam: XXIII, 2. 3. ex Eſaiæ VI, 9. collato cum Act: XXVIII, 25. 26. necnon ex Act: V, 3. 4. 1. Cor: III, 16. & 1. Cor: V, 19. 2. Cor: III, 17. 18. Sic ergo etiam ſubſtantivè ſumitur, non qualitativè, pro *Dei virtute & efficacia, quæ ab ipſo in homines manat.* Nam Apoſtolus 1. Cor: XII, 4. disertè ipſa dona, quæ hominibus inſunt, diſtinguit ab eo Spiritu à quo ſunt & per quem illis diſtribuuntur; ac ſicut perſona eſt Dominus à quo ſunt diſtinctiones miniſteriorum, & perſona alia Deus Pater à quo ſunt diſtinctiones operationum, ita debet eſſe perſona Spiritus à quo ſunt diſtinctiones donorum, & qui ea cuique diſtribuit uti vult.

Senſus autem iſtius] Imò ſenſus eſt *omnia illa quæ Apoſtolus oratione ſuâ perſequitur,* ab eodem Deo uno & trino eſſe, ſecundum eum ordinem agendi qui convenit cuilibet perſonæ, ut in Patrem à quo eſt & agit utraque alia perſona refundantur ἐνεργήματα, in Filiũ διακονίαι, in Spiritum Sanctum χαρίσματα. Si enim hoc ſibi tantum vellet Apoſtolus, quod fingit Volkelius, deberet Chriſtus ipſe ſubordinari Spiritui ceu virtuti Divinæ à qua habeat poteſtatem gubernandæ Eccleſiæ, cùm è contrario ſubordinetur ut Filius Patri, quoad Miniſteria quæ inſtituit in ſua Eccleſia, ita Spiritus Sanctus Filio quoad collationem Donorum neceſſariorum executioni illorum Miniſteriorum, quæ aliàs non eſſent proceſſura.

Quod enim inferius] Quod ſi ubicunque perſonalia tribuuntur Spiritui Sancto, ad proſopopœam recurritur, quidni pari licentiâ per proſopopœam fas erit

cuilibet

Digitized by Google

cuilibet interpretari, quæ cunque de Angelis, de Chriſto, de Paulo leguntur in Scripturis? Quid quod nec proſopopœa accuratè loquendo hîc poteſt habere locum, cùm illius ſubjectum nullum aliud eſſe ſoleat quam res aliqua corporea, vitâ tamen & ſenſu carens? Imò contradictorium eſt in eadem figurata loquutione, proſopopœam & metonymiam fingere; nec poteſt metonymica eſſe loquutio, quin ſtatuatur Spiritus Sanctus ſe habere ad Deum Patrem reſpectu iſtorum effectorum, per modum cauſæ miniſterialis, inſtrumentalis & ſecundariæ; At id dici nequit quin Spiritus Sanctus dicatur eſſe Creatura, quod nolint adverſarij. Ne dicam Spiritum Sanctum ſtatui iſtorum Chariſmatum, quæ unicuique diſtribuit *uti vult* 1. Cor: xii, 11. non principium tantum *quo*, ut loquimur in Scholis, ſed principium *quod*, quamvis per illam ἐνέργειαν quam habet à Patre & Filio, ceu communi Principio ſuæ originis; adeo ut non ſolus Pater, ſed etiam Filius, cenſeantur per eum tanquam per medium ſuppoſiti, non cauſalitatis & virtutis, (nam omnium trium Perſonarum eadem eſt virtus ut eadem eſſentia) hæc chariſmata ſuæ Eccleſiæ conferre & diſtribuere, juxta illud Joh: xvi, 13. *Non loquetur à ſemet ipſo ſed quæ audierit loquetur, & de meo ſumet & renunciabit vobis.* Unde liquet non minus Filium quam Patrem agere per Spiritum Sanctum, non ut per cauſam aliquam miniſterialem, inferiorem & ſubalternam (nolint enim ipſi Sociniani ex ſuis hypotheſibus, Spiritum Sanctum ſubordinare Chriſto, ut cauſam mediam & minus principalem cauſæ principali, ſive ut principium quo principio quod) ſed pro ordine & modo agendi perſonarum S. Sanctæ Trinitatis, tanquam per ſuam virtutem perſonalem, prout Pater agit per Filium tanquam per ſapientiam ſuam perſonalem & æternam.

Perinde igitur iſtæ] Agnoſco quidem Patrem & Filium *per ſuum Spiritum* hæc omnia munera de quibus agit Apoſtolus diſtribuere; ſed eo demum ſenſu quem modò explicavi: Nec illud *per* denotat ſemper, Vel cauſam inſtrumentalem, minus principalem & principium quo, cùm ipſum Jovem dictum Δία velint Græci, quod δι' αὐτοῦ, per ipſum, ſint omnia; videatur Rom: xi, 36. ubi *per* Deum omnia eſſe dicuntur; Vel virtutem accidentalem quæ perſona non ſit, cum Pater per Filium feciſſe ſæcula dicatur Heb: 1, 2. Adhæc non Deus Pater ſed ipſemet Spiritus, quod omninò perſonæ eſt, dicitur hæc omnia diſtribuere ſingulis *prout vult*, ſive ut loquitur adverſarius *pro eo ac ſibi videtur*: Et cum ἐνέργεια omnis Filii & Spiritus Sancti ſit à Deo Patre tanquam fonte & origine omnis divinitatis ut communicatur ad intra aliis duabus perſonis, meritò dicitur Pater, ſed per Filium & Spiritum Sanctum, *operari illa omnia in omnibus.*

Ad extremum illud teſtimonium afferunt, quo Pater, Sermo, & Spiritus ſanctus, tres in cœlo teſtes, unumque eſſe affirmantur. (*1. Ioh: 5. 7.*) Sed quàm parum, imò nihil huic opinioni id adferat præſidii, hinc facilè apparet, quòd doctiſſimorum hominum non pauci, quantumvis in eodem Trinitatis errore verſantes, locum illum Joanni Apoſtolo affictum, uno ore confitentur. Cujus rei clariſſimum documentum illud eſt, quòd verba iſta nec in libro Syriaco, nec in veteribus tum Græcis, tum Latinis codicibus, ſcripta reperiuntur: nec denique à veteribus compluribus Eccleſiæ doctoribus, ſeu Patribus, quos vocant, agnoſcuntur. Qua de re monuerunt etiam ex Pon-

Digitized by Google

tificiis nonnulli. (*Lovan: Theol: in hunc locum: vide etiam Eraſmum in eund. locum.*) Atque hæc cauſa fuit, cur interpretes quidam Trinitatis dogma conſtanter profeſſi, verba illa in ſuis verſionibus omiſerint; (*Lutherus: vide etiam Tigurinam verſionem.*) nonnulli rogârint Typographos, ne verba illa textui interſerta, exprimerent ampliùs, vitioque verterint Eraſmo, qui cum monuiſſet, ea à veteribus codicibus abeſſe, tamen contextui interſerere fuiſſet auſus. (*Ioh: Buchenhagius Pomeran: collega Lutheri.*) Malè ſanè ea cum reliquo contextu cohærere, quivis cernere poteſt, qui locum inſpexerit. At ſi iis exemtis, ita legeris, prout in veteribus codicibus habetur, omnia rectiſſimè cohærent: hoc nimirum pacto: *Hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem, Ieſus ille Chriſtus, non in aqua tantum, ſed in aqua & ſanguine, & ſpiritus eſt qui teſtatur: quia ſpiritus eſt veritas, quoniam tres ſunt qui teſtantur*, (addunt nonnulla exemplaria, *in terra*) *ſpiritus, & aqua, & ſanguis: & hi tres unum* (vel *in unum*) *ſunt.*

† *Ad extremum illud teſtimonium*] Prima hæc adverſariorum exceptio contra locũ celebrem 1. Joh:v,7. nihil habet ſoliditatis. Nam primò pauci ſunt inter Orthodoxos, quibus ſuſpecta ſit fides illius loci, hac ſola de cauſa quod in quibuſdam codicibus hæc verba deſiderentur. Lovanienſes Theologi in editione Antverpiana Plantini anni 1580. totum textum retinent, & ſolùm notant in margine quod verba controverſa non reperiantur in quinque Manuſcriptis Latinis, nec in Commentarijs Bedæ, nec apud Syriacum interpretem. Eraſmus quoque totum locum retinet tùm in ſua Verſione Latina Novi Teſtamenti, cui acceſſit approbatio Leonis x. in epiſtola ad ipſum, tùm in ſua Paraphraſi, quæ ita habet; *Tres ſunt enim in cœlo, qui teſtimonium præbent Chriſto, Pater, Sermo & Spiritus: Pater qui ſemel atque iterum voce cœlitùs emiſſâ, palam teſtatus eſt hunc eſſe filium ſuum, egregiè charum, in quo nihil offenderet; Sermo qui tot miraculis editis, qui moriens ac reſurgens declaravit ſe verum eſſe Chriſtum, Deum pariter atque hominem Dei & hominum conciliatorem; Spiritus Sanctus qui in baptizati caput deſcendit, qui poſt reſurrectionem delapſus eſt in Diſcipulos; Atque horum trium ſummus eſt conſenſus; Pater eſt autor, Filius nuntius, Spiritus ſuggeſtor.* Quare quod Eraſmus idẽ in ſuis annotationibus ad hunc locum videtur eum in dubium vocare, nihil facit contra nos, cùm vir ille ſubinde in textu ſacro corrigendo vel emendândo libertate ſuâ criticâ licentiùs utatur. Ibidem tamen agnoſcit varios Codices Græcos & Latinos, etiam veteres, ita legere ut nos legendum pertendimus. Quod Syrus Interpres iſta verba non habeat, ut nec Æthiops, nec Arabs, non aliunde factum quam quod in Codices mutilos inciderint; Quâ etiam occaſione Lutherus & Tigurinus illa omiſerunt in ſuis verſionibus; ſic tamen ut poſterior ad marginem notet quædam exemplaria Græca ea habere. Nec aliud movit Buchenhagium Pomeranum, dum petiit Typographos ne verba illa exprimerent ampliùs, quam quod ſcrupulis Eraſmianis permotus cenſuerit cum Bullingero, illa in textum è margine irrepſiſſe. Sunt etiam nonnulla alia quæ in textu Syriaco & quibuſdam exemplaribus Græcis non extant, ut hiſtoria adulteræ Joh: 8. quæ nemo prudens ideo tanquam Apocrypha rejecerit. Id verò falſiſſimum, quod aſſerit adverſarius, verba iſta, *nec in veteribus tum Græcis tum Latinis codicibus ſcripta* reperiri, *nec à vete-*

à veteribus Eccleſiæ Doctoribus ſeu Patribus agnoſci. Nam exemplaria plurima & vetuſtiſſima utrâque linguâ illa habent; & teſtis eſt Hieronymus *Prolog. in ſeptem Epiſt. Canon.* ab *infidelibus demum tranſlatoribus* in hoc loco Johannis *trium tantummodo vocabula, hoc eſt aquæ, ſanguinis & Spiritus in ipſa ſua editione* poſita fuiſſe, *& Patris Verbique ac Spiritus teſtimonium* omiſſum, *in quo maximè & fides Catholica roboratur, & Patris ac Filii & Spiritus Sancti una divinitatis eſſentia comprobatur.* Nec rejeciſſet Hieronymus hanc omiſſionem in infideles tranſlatores, niſi ſuo adhuc tempore Codices Græci pleríque omnes integri remanſiſſent, prout etiam hodie hæc verba controverſa retinentur in Græcis editionibus accuratioribus, & exprimuntur à pluribus Interpretibus Latinis, Aria Montano, Iſidoro Clario, Joanne Benedicto, Theodoro Beza, Sebaſtiano Caſtalione, aliis, ne quid addam de Gallica, Belgica, Anglica, Italica verſionibus, in quibus textus integer conſpicitur. Quantum ad Veteres, non referam hunc locum citari tanquam ex Epiſtola Johannis ad Parthos ab Hygino Epiſcopo Romano *epiſt.* 1. & Johanne 11. *epiſt itidem illius* 1. cùm iſtæ veterum Pontificum Epiſtolæ ſint ſuppoſititiæ, ut oſtenſum à Blondello, in *Pſeudo-Iſidoro & Turriano vapulantibus*: quamvis utrumque teſtimonium comprobet ſaltem jam tum octavo ſæculo, quo illæ natæ & in orbem protruſæ creduntur, hæc verba Johannis pro Sacra Trinitate familiaria fuiſſe inter Chriſtianos, & ore conſtanti Johanni Apoſtolo adſcripta. Sufficiat mihi quod hic locus citatur Cypriano diu ante natas Arianorum Controverſias, *lib. de unit. Eccl.* ſive ut aliàs inſcribitur *de ſimpl. cler.* Idacio *contra Varimandum*, Victori Uticenſi *lib.* 2. *de Perſec. Vandal.* Fulgentio *contra obi. Arianorum*, Auguſtino *lib.* 3. *contra Maxim. cap.* 22. ipſimet Athanaſio *ad Theophilum lib.* 1. *& lib.* 7. *ac in Diſput. contra Arium in Conc. Nic: ſub finem*; de quibus videatur præterea Lorinus *ad eum locum Ioh.* Nec dubium eo reſpexiſſe authorem Oraculi quod Serapidi tribuitur his verbis,

„ πρῶτα θεὸς μὲν, ἔπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς

„ σύμφυτα δὲ τρία καὶ πάντα εἰς ἓν ἰόντα.

Quod ſi quidam ex veteribus videntur vel neſciviſſe vel non citaſſe hoc teſtimonium contra Arianos, id non debet eſſe fraudi veritati. Nec enim omnes & ſinguli Patres debuerunt citare omnia & ſingula loca Scripturæ quæ ad cauſam ſuam ſtatuminandam faciebant; nec poteſt ab eorum oblivione vel negligentia in citando hoc loco procedere argumentum ad everſionem illius. Et forte nonnulli eorum ab eo proferendo abſtinuerunt, quod cùm Ariani inciperent ejus authoritatem in dubium vocare, mallent ea demum urgere teſtimonia quorum fides apud adverſarios ſuos non laborabat. Igitur huic Volkelianæ vitilitigationi oppono aurea verba Danielis Heinſij, *Exercit. Sacr. lib.* 20. *cap.* 1. *Eodem capite cum legitur,* ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ *& quæ ſequuntur, neſcio cur è veteribus non pauci totum hoc comma prætermiſerint, niſi forte veritatis hoſtes, quales nunquam defuerunt, quia nuſquam planiùs nuſquam manifeſtiùs illuſtris hæc doctrina proponitur, lucem hanc non tulerunt, ideoque eraſerunt; Quorum forte codices, quod & alibi factum oſtendimus, in ſuis expreſſerunt alii; qui Divino tamen beneficio ab aliis hìc arguuntur; Benè igitur B. Hieronymus, quem hoc legiſſe eruditi monent. Quod &* ἀκολουθία *ſatis vindicat: Poſtquam enim dixit* ὅτι τρεῖς οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, *ſequitur* καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ. *Si autem Syrum cœteroſque ſequimur, vel hiatus admittitur, vel* ἀκολουθία, *quæ imprimis*

primis elegans, turbatur. Mihi, qui talem primo uſurparunt in ſacris licentiam, ut vel verbum ſine authoritate ulla tollerent aut immutarent, verè θεομάχοι videntur.

Male ſanè ea cum] Imò, ut benè monet Heinſius, hiulca erit oratio Johannis niſi retineantur: Maximè cùm Apoſtolus ſuſceperit comprobandum, Jeſum eſſe Dei Filium, idque ipſius Dei teſtimonio, uti liquet ex com. 9. quod nunquam protuliſſet niſi hæc verba ſcripſiſſet. Quin illa vocula IN TERRA, quam fatetur adverſarius, *nonnulla exemplaria*, ex iis quibus inſiſti vellet, retinere, ſatis inſinuat ſeriem orationis exigere ut tribus teſtibus perſonalibus in cœlo, tres teſtes reales in terra circa eandem veritatem, non tam opponantur, quam componantur & conjungantur.

Præterea ſi vel maximè Joannis ipſius verba ea eſſe conſtaret, omnis tamen præſentis diſputationis vis in eo eſſet conſtituta, quòd tres illos teſtes *unum*, vel *in unum*, ut nonnulli codices habent, eſſe ibidem aſſereretur: quod certè non unam eorum neceſſe eſſet deſignare eſſentiam: ſed potiùs, quemadmodum nonnulli ex adverſariis noſtris deprehenderunt, (*Calvinus, Beza, alii*) teſtium iſtorum in una eademque re teſtificanda conſenſionem ſignificare, credendum foret: niſi vel ad rem Apoſtolum minimè loqui voluiſſe, vel eandem planè ob cauſam eademque prorſus ratione, ſpiritum, aquam & ſanguinem mox in ſequenti verſiculo octavo, eodem reſpectu inductum, unâ
118. numero eſſentiâ contineri volumus: cum ibidem legamus, hos tres teſtes unum, vel, quod perinde eſt, in unum eſſe.

‡ *Præterea ſi vel maximè*] Ex hoc loco colligimus primò Perſonalitatem Spiritus Sancti, ſiquidem eodem modo dicitur teſtari in cœlo, quo Pater & Filius, cujus utriuſque teſtimonium eſt perſonale; Secundò hos tres eſſe unum Deum, ſiquidem hoc eorum teſtimonium com. 9. *teſtimonium Dei*, oppoſitè ad *teſtimonium hominum*, disertè appellatur; Tertiò tres eſſe numero perſonas, ſed unius tantum eſſentiæ & naturæ, tùm quia illorum teſtimonium *teſtimonium Dei* dicitur, tùm quia hi tres ſic diſtinguuntur ut non dicantur *unus* ſed *unum* eſſe: aliàs enim unus teſtis, nullus teſtis; & in ore duorum aut trium teſtium ſtat omne verbum: Nec dubium quin hi *tres* qui *unum* ſunt SacroSanctam TRINITATEM eo ipſo evidenter conſtituant; Quartò illorum conſenſionem in ſuo teſtimonio, ex eorum eſſentiali unitate pendere, ſiquidem Johannes hanc ponit ut illam relinquat colligendam: Nec enim dicit ut de teſtibus *in terra quod οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι, tres in unum ſunt*, ſed quod *οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, iſti tres unum ſunt*, ſi plura & caſtigatiora exemplaria ſequamur. Qui ergo interpretes hoc reſtringunt ad conſenſionem in una eademque re teſtificanda, non negant tamen unitatem eſſentiæ, ſed potiùs illam vel ſupponunt vel inde colligunt. Beza nominatim ſic loquitur; *Et hi tres unum ſunt, ideſt ita prorſus conſentiunt ac ſi unus teſtis eſſent, uti revera unum ſunt ſi οὐσίαν ſpectes.* Gloſſa verò interlinearis utrumque complectitur, nam ad illud *hi tres unum ſunt*, id annotat. *Unus Deus de eadem re teſtantes.* Uno verbo non inficior ſcopum Apoſtoli eſſe agere de horum trium conſenſione in ſuo teſtimonio, ſed pertendo eùm maximè *ad rem* loquutum fuiſſe, dum illam conſenſionem oſtenſurus, eam arceſſit ab unitate naturæ & eſſentiæ; Nam qui teſtes unius ſunt & individuæ eſſentiæ ac naturæ, non

Digitized by Google

tæ, non poſſunt non conſentire in ſuo teſtimonio, eo quod eandem habentes naturam eandem quoque habent & cognitionem rei de qua teſtantur & voluntatem de illa teſtandi quod ſciunt; prout Symphonia teſtium, ex eâdem notitia & eadem voluntate declarandi quod norunt, arceſſitur.

Vel eandem planè ob cauſam] Jam ante inſinuavi rationem diverſitatis, ex qua pendet *ἀνακολουθία* hujus inſtantiæ: Nam teſtium realium in terra conſenſionem meram ac directè proponit Apoſtolus com. 8. cum ait *οἱ τρεῖς εἰς ἕν εἰσιν*; *hi tres in unum ſunt*; ideſt ad unum comprobandum referuntur; At teſtium perſonalium in cœlo, proponit abſolutam unitatem ex qua conſenſio eorum indirectè ſequatur, cum ait *καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι*. Nec *perinde* eſt, ut fingit Volkelius, *hos tres teſtes unum* eſſe, & *in unum eſſe*; Nam prius de perſonis divinis uſurpatum, amplius quid ſonat, quam poſterius quod dicitur de aqua, ſanguine & Spiritu, ut non ſine ſpeciali ratione aliter ibi, aliter hic loquutus fuerit Apoſtolus.

His ita conſtitutis, firmiter tenendum eſt, nonniſi unam in divina eſſentia perſonam contineri. Quæ autem illa ſit, non alienum videtur hoc loco oſtendere, cum eo pacto & error iſte hominum animis radicitùs evelli, & veritas multò apertiùs explicari poſſit. Intelligendum igitur eſt, unicam iſtam divinæ eſſentiæ perſonam, nullum eſſe alium, quàm Deum ac Patrem Chriſti. Illud enim compertiſſimum eſt, de quo ſermonem inſtituimus, nullum eſſe alium quàm eum, quem & Moſes Judaicæ nationis Deum eſſe confirmat, cujuſque nomine gens iſta ſemper gloriari conſuevit, qui quidem, ut ipſe Chriſtus eſt teſtis, *(Ioh: 8. 54.)* ejuſdem Pater eſt.

‡ *His ita conſtitutis firmiter*] Quin potiùs ex iis quæ hactenus diſputata ſunt *firmiter* credendum eſt, tres perſonas divinas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unius & indiviſæ eſſe eſſentiæ ac naturæ; Nec Socinianos ſupra Judæos & Turcas de Deo ſapere, dum pertendunt unicam tantum dari perſonam divinam, & impudenter negant vel Spiritum Sanctum eſſe perſonam divinam, Patri & Filio à quibus procedit coeſſentialem, vel Jeſum Chriſtum eſſe *unum* cum Patre, adeoque verum Deum & vitam æternam, quem colere & adorare, non ſit ad inſtar Gentilium & Idololatrarum ſervire ei qui natura Deus non ſit.

Intelligendum igitur eſt] Patrem Chriſti eſſe perſonam divinam largimur ultrò; Non aliam dari negamus; nec contrarium probat Sophiſma Volkelii. Nam licet non ſit alius dicendus verus Deus quam qui fuit dictus à Moſe *Iudaicæ nationis* Deus, inde tamen non ſequitur, nullam aliam perſonam quam Patris hoc elogio gaudere: Nam etiam Filius fuit Deus Iſraelis, quem Iſraelitæ tentarunt in deſerto 1. Cor: x, 9. & David ſuum Dominum appellavit Pſal: cx, 1. & qui Eſajæ ipſi, vi, 1. viſus eſt ac dictus Jehova Joh: xii, 41. Idem dici poteſt de Spiritu Sancto ex collatione locorum Eſ: vi, 9. & Act: xxviii, 25. 26. Qui fuit Deus Iſraelis, dicitur quoque Pater Chriſti, non quod ſolus Pater Chriſti fuerit Deus Iſraelis, excluſivè ad Filium & Spiritum Sanctum, ſed quod Pater Chriſti ſit una ex tribus perſonis quibus indiviſè & conjunctim convenit fuiſſe Deum Iſraelis: Uno verbo cùm Deus Iſraelis abſolutè nominatur, tota S. Sancta Trinitas intelligitur; cùm dicitur Deus Iſraelis eſſe Pater Chriſti, ſola prima perſona connotatur. Quod ergo dicit Chriſtus Joh: viii, 54. *Pater ille meus is eſt qui glorificat me*;

quem

quem vos dicitis Deum veſtrum eſſe, nullum poteſt ſuppeditare argumentum adverſario niſi vitioſum: Nam ſi dixeris, Is ſolus quem dicebant Judæi eſſe ſuum Deum, eſt verus Deus; Sed ſolum Patrem Chriſti dicebant Judæi eſſe Deum ſuum, Ergo ſolus Pater Chriſti eſt verus Deus; utraque propoſitio videbitur laborare; Majorem quod attinet, cùm opinio Judæorum erronea eſſe potuerit, nequit eſſe demonſtrativa: Nam verum eſt eum ſolum eſſe verum Deum, quem ſuum Deum eſſe dicunt Judæi & Turcæ, ſi οὐσιωδῶς de Deo loquamur; Falſum, ſi de illo loquamur ὑποςατικῶς; Neutri enim admittunt quod conceptis verbis docet Apoſtolus Johannes, Chriſtum eſſe *verum Deum & vitam æternam* 1. Joh: v, 20. Minorem quod ſpectat, ſi rectè ſenſerunt Judæi de Deo & prout à Moſe & Prophetis edocti erant, non *ſolum* Patrem ſtatuerunt eſſe ſuum Deum, ſed Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, in una & ſimpliciſſima eſſentia coluerunt & adorarunt, licet neſcirent Chriſtum, quem merum hominem putabant cum Socinianis hodiernis, eſſe illius Patris λόγον & Filium æternum, de quo dictum fuerat, *Filius meus es tu*, & *Oſculamini Filium ne iraſcatur*, Pſal: 11, 7. 12. Si verò dixeris, Pater Chriſti eſt Deus Judæorum, Chriſtus non eſt Pater Chriſti, E. Chriſtus non eſt Deus Judæorum; vel debebis majori addere particulam excluſivam dicendo, Solus Pater Chriſti eſt Deus Judæorum, & tunc egregiè petes Principium, cùm hoc eſſe falſiſſimum pertendant Orthodoxi; vel inani Sophiſmate nobis illudes, ei ſimili quo quis diceret, Anno mundi 3258. Jotam pater Achazi erat rex Judæorum, Sed Achazus non eſt Pater Achazi, Ergo anno mundi 3258. Achazus non erat rex Judæorum: Cùm enim jam antea Jotam filium ſuum Achazum in regni conſortium adſciviſſet, ſic erat rex Judæorum, ut ſolus non regnaret, ſed unà cum ipſo ſuus filius, & 3258. mundi anno atque aliquot aliis inſequentibus uterque ſimul rex Judæorum eſſet, prout conſtat ex Chronologia Sacra. Denique in Theologia, præſertim Sociniana, non repugnat Chriſtum conſideratum ut hominem, Deum unum & trinum vocare ſuum Patrem; ſiquidem Sociniani ipſum volunt dici Dei *Filium* reſpectu conceptionis & nativitatis miraculoſæ ex virgine. Quare non ſequeretur Deus Judæorum fuit Pater Chriſti, quà hominis, Ergo Deus Judæorum non fuit unus eſſentiâ trinus perſonis.

Hic nonnulli (*Franc: Junius.*) ſic elabi conantur: Non valet, inquiunt, Pater Chriſti eſt Deus Iſraëlitarum. Ergo nec Chriſtus, nec Spiritus ſanctus eſt Deus Iſraëlitarum: Idque propterea, quòd ab affirmatione particularis, ad negationem communis, conſecutio ducta minimè valeat: tanquam ſi dixeris: Petrus eſt homo vel Apoſtolus. Ergo Joannes, Jacobus, Paulus, non ſunt homines, vel non ſunt Apoſtoli. Atqui falſiſſimum eſt, quod ab illis dicitur, ab affirmatione particularis ad negationem communis noſtrum argumentum duci: cum termini ſint ſingulares, ac proinde convertibiles. Quare inſtantia Petri, Joannis, Jacobi, & Pauli, nihil ad rem facit. Ut enim Pater Chriſti eſt Deus Iſraëlis: Ita Deum Iſraëlis eſſe Chriſti Patrem neceſſe eſt. Unde conſequitur, eum, qui Chriſti pater non eſt, Deum Iſraelis non eſſe. Quod ut tantò clariùs cernatur, animadvertendum eſt, Chriſtum apud Joannem (*d. l. c. 8. 54.*) à Deo Iſraelitarum, quem Patrem ſuum appellat,

Digitized by Google

appellat, ſeipſum diſtinguere, & porrò illum Deum Iſraelitarum minimè eſſe, ſed ejus filium.

‡ *Hic nonnulli*] Et revera ſi dicas, Pater Chriſti eſt verus Deus, ſive Deus Judaicæ nationis; Chriſtus non eſt Pater Chriſti; E. Chriſtus non eſt verus Deus; perinde argumentaberis ac ſi diceres, Johannes fuit Apoſtolus, Paulus non fuit Johannes, Ergo Paulus non fuit Apoſtolus; Nam ut Johannes fuit Apoſtolus ſed non ſolus, ita Pater Chriſti eſt Deus verus & Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi, ſed non ſolus, ſive excluſivè ad Filium & Spiritum Sanctum. Inane verò eſt diſcrimen quod hîc fingit Volkelius, dum pentendit quod in ſuo ſyllogiſmo *termini ſint ſingulares, ac proinde convertibiles*; Nam licet Judaica natio ſingularem notet populum, & Deus Judaicæ nationis ſingularem notet Deum naturâ & eſſentiâ, non tamen Deus Judaicæ nationis notat ſingularem perſonam Patris, ſed eſt terminus communis Patri, Filio & Spiritui Sancto: Quare ſophiſma Volkelianum ſemper procedit, *ab affirmatione particularis ad negationem communis*; perinde iterum ac ſi diceret, Jacobus Apoſtolus fuit filius Zebedæi, Johannes Euangeliſta non fuit Jacobus Apoſtolus, Ergo Johannes Euangeliſta non fuit filius Zebedæi: Etenim ut Jacobus fuit quidem filius Zebedæi, ſed non ſolus, ita Pater Chriſti, fuit quidem Deus nationis Judaicæ ſed non ſolus, cùm id fuerit ei commune cum Filio & Spiritu Sancto: Quare ut non ſequitur, Jacobus Apoſtolus eſt filius Zebedæi, Ergo omnis filius Zebedæi eſt Jacobus Apoſtolus, quia alteri quam Jacobo convenit eſſe filio Zebedæi; ſed tantum, Ergo aliquis filius Zebedæi eſt Jacobus Apoſtolus; ita ex eo quod *Pater Chriſti eſt Deus Iſraelis*, colligas quidem particulariter, Ergo aliqua perſona divina quæ dicitur Deus Iſraelis, eſt Pater Chriſti; ſed non univerſaliter, Ergo omnis qui dicitur vel dici poteſt Deus Iſraelis eſt Pater Chriſti, vel *Deum Iſraelis eſſe* SOLUM *Chriſti patrem neceſſe eſt*. Igitur non magis ex eo quod Pater Chriſti eſt Deus Iſraelis, negativè conſequitur, *eum qui Chriſti Pater non eſt, Deum Iſraelis non eſſe*, quam ex eo quod Jacobus Apoſtolus eſt filius Zebedæi, conſequi poteſt eum non eſſe filium Zebedæi, vel Apoſtolum, qui non eſt Jacobus. Mirum eſt homines, qui ſibi acuti videntur præ cæteris, tam ſolemniter ineptire, & id ſumere pro confeſſo quod eſt in quæſtione, videlicet uni tantum perſonæ Patris convenire eſſe Deo Iſraelis.

Quod ut tantò clariùs] Hoc nihil juvat cauſam Volkelij; Nam primò etſi Chriſtus ſe quà θεάνθρωπον & carne noſtrâ veſtitum, diſtingueret à Deo Iſraelis, non tamen ab eo foret diſtinguendus præciſè quà λόγος & Patris Filius unigenitus, quo ſenſu dixit *Ego & Pater unum ſumus* Joh: x, 30. Deinde tantum abeſt ut Chriſtus ſe neget *Deum Iſraelitarum*, dum eum *Patrem ſuum appellat*, & ſe *ejus Filium* profitetur, ut è contrario eâ ratione ſe verum Deum Iſraelis aſſerat; quia Filius Dei naturalis & proprius debet eſſe ejuſdem naturæ & eſſentiæ cum ſuo Patre; unde dicebat ad Philippum, *Qui vidit me vidit Patrem: non credis me in Patre, & Patrem in me eſſe?* Ioh: xiv, 9. 10. Ut abſurdus omninò fuerit, qui Ieſum verum hominem fuiſſe ideo negaverit quod ſæpiculè ſe vocet Filium hominis, ita inſulsè fecerit qui ideo neget eum eſſe verum Deum quod ſe Filium Dei ſæpè profiteatur & aſſerat. Si igitur Deus Iſraëlis ſumatur οὐσιωδῶς, Filius ab eo non debet diſtingui; at ſi ſumatur ὑποστατικῶς de perſona Patris, ut evidenter hîc loci, ubi Filius eum Patrem ſuum eſſe dicit, ita Filius diſtinguetur perſonaliter à Deo Iſraëlis, ut æterna ipſius divinitas, magis eâ ratione adſtruatur quam deſtruatur.

Digitized by Google

Quæ quidem diſtinctio multò luculentiùs illis Apoſtolorum verbis exprimitur: (*Act: 3, 13.*) *Deus Abrahami, Iſaaci, & Iacobi, Deus patrum noſtrorum, glorificavit filium ſuum, quem vos tradidiſtis & negaſtis.* Quis hîc non videt, ſolum Chriſti Patrem eſſe illum Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, Iſraëlitarumque; cum Jeſus ille à Judæis in mortem traditus, illius filius appelletur?

‡ *Quæ quidem diſtinctio*] Præterea quod in hac oppoſitione Dei Patrum ad Ieſum per Iudæos crucifixum Act: III, 3. poteſt Chriſtus conſiderari reſpectu ſuę carnis & humanitatis in qua paſſus eſt, certiſſimum eſt quod nomen Dei ſumitur ὑποςατικῶς de perſona Patris quoties Deus à ſuo Filio diſtinguitur. Licet autem Pater vocetur *Deus Abrahami, Iſaaci & Iacobi, & Deus Patrum noſtrorum*, per oppoſitionem relativam ad *Filium ſuum*, non tamen inde ſequetur, id axioma non convenire Filio ὁμοουσίως cum Patre. Qui enim is negetur eſſe *Deus Patrum noſtrorum* quem David Dominum ſuum appellavit, & qui omnes fideles & pios utriuſque Teſtamenti tanquam ſuos filios adducit ad gloriam, & ex quo πᾶσα πατεία in cœlo & in terra nominatur? Heb: II, 10. 13. Eph: III, 19. Et alibi ſæpiùs reddita eſt à nobis ratio, cur Pater relativè ad Filium Dei nomine exprimatur, quod videlicet ſit fons & origo totius Divinitatis, cui ideo attributa cæteroquin communia tribus perſonis, propter ὑπεροχὴν perſonalem ſpeciatim appropriantur.

Illud porrò Chriſti enunciatum, quàm clarum evidensque eſt, quo Patrem ſuum ſolum verum Deum eſſe teſtificatur? (*Ioh: 17. 3.*) *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum.* Quorum verborum hanc mentem eſſe, ut te Pater, qui es ſolus verus Deus, agnoſcant, omnes facilè intelligunt, qui cæcutire in media luce nolunt. Non ignoro, quantopere hîc ſeſe torqueant nonnulli, ut teſtimonium hoc tam luculentum eludant. Jam enim Chriſti ver-
419. ba diſtinctè prolata, unâ, eâque falſiſſimâ implicant ſententiâ, quaſi hunc in modum legantur: Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, eſſe ſolum verum Deum. Jam verò particulam *ſolus*, communem pluribus perſonis eſſentiam reſpicere ajunt, & ſic cum de Patre prædicatur, nequaquam opponi reliquis perſonis, ſed idolis fallacibuſque diis: aut vocabulum *ſolus*, non ad ſubjectum, ſed ad prædicatum referri, cum Chriſtus non dixerit: ſolum Patrem eſſe verum Deum, ſed Patrem eſſe ſolum verum Deum, ideoque reliquas perſonas nequaquam excludi.

‡ *Illud porrò Chriſti*] In hoc loco Ioh: XVII, 3. multo minus eſt præſidii pro adverſariorum ſententia Nam textus non habet *ſolum Patrem* eſſe *verum Deum*, ſed Patrem eſſe ſolum verum Deum, adeo ut illa particula excluſiva pertineat ad prædicatum propoſitionis Chriſti, non ad illius ſubjectũ. Benè utique ratiocinabitur qui dixerit, Homo verus inter animalia cœtera & ſolus agnoſci debet animal rationale, Petrus eſt agnoſcendus verus homo, Ergo Petrus eſt agnoſcendus id animal quod ſolum eſt rationale; At ſi ita concludere velis, Ergo ſolus Petrus eſt animal rationale, palam inſanire videberis, quia aliud eſt Petrum eſſe animal

mal

Digitized by Google

mal quod ſolum eſt rationale, aliud eſt ſolum Petrum tale animal eſſe admittendum. Ita aliud eſt dicere Patrem agnoſcendum ſolum verum Deum, ideſt præditum eâ divinâ naturâ & excellentiâ quæ ſola eſt vera Deitas, iis non competens qui naturâ Dii non ſunt Gal: IV, 8. & quibus maledicit Scriptura eo quod non fecerint cœlos & terram Ierem: X, II. Aliud vero foret ſtatuere, quod non venit Chriſto in mentem, ſoli Patri eam divinitatem competere; Nam etiam Filius *verus Deus* dicitur 1. Ioh: v, 20. ac omnis *plenitudo divinitatis* ſtatuitur in eo habitare verè & corporaliter Col: II, 9. Nec ſeipſum conjungeret Patri in objecto ſalutaris cognitionis, niſi rapinam non duceret ſe Patri *parem* & coeſſentialem facere Phil: II, 6. Ac ſicut ipſe Filius dicitur in epiſtola Iudæ com. 4. *μόνος δεσπότης θεὸς καὶ κύριος*, non utique ad excluſionem Patris ſed Idolorum & falſorum Numinũ, ita Pater eſt agnoſcendus ſolus ille verus Deus excluſivè ad Idola, non ad Filium & Spiritum Sanctum, quoniam *hi tres unum ſunt* 1. Ioh: v, 7. Verba textus originalis eò nos ducunt evidenter; Ita enim habent; *Hæc eſt vita æterna, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν*, ubi articulus *τὸν* inter *σε* & *μόνον* interpoſitus, ſatis oſtendit *τὸ μόνον* ad prædicatum enuntiationis pertinere, non ad ſubjectum: Ut non ſit ſenſus, *Tu ſolus Pater es verus Deus*, ſed *Tu pater es ſolus verus Deus*, ideſt particeps illius unius divinitatis, quæ ſola vera eſt, & cum qua nihil habent commune Idola Gentium. Nam & ſic alibi in Scripturis illud *Solum* tribuitur Deo vero, ad illius diſtinctionem ab Idolis & Diis fictitiis, ut Deut: XXXII, 12. & Eſ: XXXVII, 16. 20. Neque tamen penitùs improbanda explicatio nonnullorum veterum, ut Auguſtini *tract.* 105. *in Ioh. & lib.* 6. *de Trinit. cap.* 9. Ambroſij *lib.* 5. *de fide cap.* 2. Hilarii *lib.* 9. *de Trinit.* mentem Chriſti eſſe ſuiipſius Divinitatem & Conſubſtantialitatem cum Patre aſſerere, ac ſi diceret, *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te & quem miſiſti Ieſum Chriſtum eſſe ſolum verum Deum*, prout aliàs ſæpè ſalus in Scriptura ex cognitione Patris & Filij arceſſitur, ut Ioh: VIII, 19. XV, 23. 1. Ioh: II, 23.

Jam quod ad primum effugium attinet, præterquam quòd nulla ratione cogente verba ita tranſponuntur; non animadvertunt ii, qui ita ſtatuunt, verba hoc pacto tranſpoſita ſententiam continere & falſam, & pernicioſam, nimirum vitam æternam in eo conſiſtere, ut cognoſcatur, Patrem & Chriſtum ſolum verum Deum eſſe. O expeditam facilemque ſalutis viam, quæ nullum laborem, nullum juſtitiæ ſtudium requirit: ſed omnes qualeſcunque tandem ſint illi, dummodo Deum & Jeſum Chriſtum ſolum verum Deum eſſe agnoſcant, rectà ad æternam felicitatem deducit. Intelligendum igitur potiùs eſt, Chriſtum hìc duas diverſas deſcriptiones ponere, quarum alterà Patris ſit, nempe quòd ſit *ſolus verus Deus*; altera Ieſu Chriſti, nimirum his verbis comprehenſa, *& quem miſiſti:* aperteque docere, vitam æternam in hoc conſtitutam eſſe, ut tam ille, qui ſolus eſt verus Deus, videlicet Pater, quàm hic, nimirum Ieſus Chriſtus, quem ille miſit, agnoſcatur, id eſt, ut homines, quæ utriuſque ſit voluntas, intelligant, eamque ſequantur. Hoc enim eſſe Deum Chriſtumque agnoſcere, paſſim in divinis literis docemur. (*1 Reg: 2. 12. Eſa: 1. 3. Ier: 2. 8. 4. 22. 9. 3. 22. 16. 31. 24. Oſ: 5. 4. 6. 4. Ioh:*

8.55. 10.14: 17.25. Tit: *16. 1 Ioh: 2.3.4. & 3.6: 4.7.8.3.* Iohan: *11.*) Ex quibus perſpicuum eſt, Chriſtum apertiſſimè ab illo, qui ſolus verus Deus eſt, diſtingui, utpote diverſa ratione circumſcriptum; & ſic (ut ad reliqua pergam) particulam *ſolus* in deſcriptione Patris poſitam, ſubjectum referre, perinde acſi dictum eſſet, ſolum Patrem eſſe illum verum Deum, nempe κατ' ἐξοχὴν ſic dictum.

‡ *Iam quod ad primum*] Etſi illam primam exceptionem quam modò ultimo loco propoſui, minus ipſe probem, ſiquidem altera planior & facilior videtur; tamen, quicquid crepet Volkelius, nullam præpoſteram continet verborum trajectionem, & cujus plura exempla non occurrant apud Claſſicos authores, quæ ex Ariſtotele plurima collegit & ſubnotavit Caſaubonus *comment. ad Theoph. Charact. pag.* 101. Falſò *quoque* dicitur hanc exceptionem *ſententiam continere & falſam & pernicioſam, nimirum vitam æternam in eo conſiſtere, ut cognoſcatur Patrem & Chriſtum Solum verum Deum eſſe.* Hic enim intelligitur proculdubio cognitio practica, quâ ſic cognoſcitur Pater & Filius eſſe verus Deus, ut inde efflorescat Patris & Filii amor, cultus, fiducia, obſequium; Nam & ſic Novi Fœderis ſumma in Dei cognitione collocatur Jer: XXXI, 34. Et eò referri poſſunt pleraque omnia illa loca citata adverſario ex quibus colligit cognitionem Dei ſalutarem, ſonare notitiam voluntatis Divinæ & illius præſtationem. Quare quæ hic paratragœdiat homo fanaticus, & cui Venus nimis facilis non placet, de ſalutis via nimis facili & expedita, facilè concidunt; Nemo enim unquam agnoſcet uti decet Patrem & Filium eſſe *ſolum verum Deum*, quin eo ipſo ſtudeat juſtitiæ, & voluntatis divinæ callem inſiſtat. Benè enim monet Apoſtolus, per hoc nos ſcire *quod ipſum novimus ſi præcepta ejus obſervemus; Nam qui dicit, Novi eum, & præcepta ejus non ſervat, mendax eſt & in eo veritas non eſt* 1. Joh: II, 4. Item *Qui peccat, qui non diligit, qui malè agit, non vidit Deum nec novit eum* 1. Joh: III, 6. IV, 7.8. 3. Joh: 11. Aliàs pari ratione dixerit quis Volkelio, juxta ipſiuſ-met ſententiam, *expeditam* nimis *facilemque ſalutis viam* proponi à Chriſto, per quam *omnes, qualeſcunque tandem ſint illi, dummodo* Deum Patrem *Solum verum Deum eſſe agnoſcant* & Ieſum Chriſtum ab illo miſſum, *rectà ad æternam fœlicitatem* deducuntur, niſi cognitio practica intelligatur. Interea juxta illam priorem exceptionem, juxta quam ita ſumerentur Chriſti verba ac ſi dixiſſet, ἵνα γινώσκωσί σε, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν χριστὸν, τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, ut hoc attributum *ſolius veri Dei* æquè Filium ac Patrem ſpectet, nihil ſibi tribueret Chriſtus, quod ei non tribuatur ab Apoſtolo 1. Ioh: V, 20. *Hic eſt verus Deus & vita æterna.*

Intelligendum igitur potius] Agnoſco nobis hic proponi in objectum cognitionis ſalvificæ Patrem & Filium; agnoſco Filio tribui quod ſit miſſus à Patre, Patri quod ſit ſolus verus Deus; agnoſco Chriſtũ apertiſſimè à Patre diſtingui; Sed nego eam eſſe rationem diſtinctionis quam fingit adverſarius; cùm ea non ſit aliunde repetenda quam ex miſſione Filii. Nec enim poteſt eò diſtingui Filius à Patre quod hic ſolus ſit verus Deus; tum quia, ut ſuprà notatum, non dicitur ſolus Pater eſſe verus Deus, ſed tantum Pater dicitur eſſe ſolus verus Deus, inter quæ duo diſcrimen magnum nemo non videt; tum quia ipſi Chriſto competit quoque eſſe vero Deo; nam Chriſtum Deum eſſe & dici non inficiantur adverſarii; is eſt Deus qui redemit Eccleſiam proprio ſuo ſanguine

guine Act: xx, 28. quique Deus ſuper omnia benedictus appellatur Paulo Rom: ix, 5. & magnus ille Deus Tit: ii, 3. Cùm autem Deus falſus & fictitius dici nequeat, & ex eorum grege quibus ſervire nefas quod Dii naturâ non ſint Gal: iv, 8. eo ipſo pro vero Deo agnoſci debet, uti etiam ὁ ἀληθινὸς θεὸς dicitur expreſſè 1. Joh: v, 20. eodem planè nomine quod hic Patri tribuitur: & ſic evidens eſt non poſſe Patrem à Filio diſtingui per id quod ipſi Filio æquè ac Patri convenit.

Ex quibus perſpicuum eſt] Diſtinguitur quidem Chriſtus *apertiſſimè ab illo qui ſolus verus Deus* dicitur, ſed non quà talis dicitur; ſiquidem eſſe quoque vero Deo, non falſo vel fictitio, ipſi Chriſto competit; Verùm in eo diſtinguitur Filius à Patre, qui eſt ſolus verus Deus, licet ſolus Pater talis non ſit, quod Pater mittat Filium, Filius à Patre mittatur; quâ ſolâ *diverſâ ratione* hîc loci circumſcribitur Chriſtus. Quare dum pertendit Volkelius *particulam SOLUS in deſcriptione Patris poſitam ſubjectum referre, perinde ac ſi dictum eſſet, ſolum Patrem eſſe illum verum Deum, nempe κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictum,* peccat multifariàm: Nam primò ſupponit contra mentem Chriſti aliquem poſſe ſtatui verum Deum, qui tamen abſolutè ſolus talis non ſit, ſi detur aliquis cui inter plures id elogii κατ᾽ ἐξοχὴν conveniat. Secundò addit Scripturæ ſuam Gloſſam, videlicet Deum Patrem eſſe ſolum verum Deum, non quidem ſimpliciter & abſolutè, ſed tantum κατ᾽ ἐξοχὴν & ſecundum quid: Aſt ubi lex non diſtinguit nec limitat, non debemus diſtinguere vel limitare. Tertiò incidit in eam culpam quam paullò ante tribuebat aliis; ſiquidem *nullâ ratione cogente*, (ut cum ipſo loquar) *verba ita tranſponuntur*, ut pro eo quod dicit Chriſtus Patrem eſſe ſolum verum Deum, dicamur, quia ſic placet Hæreticis, ſolum Patrem eſſe verum Deum. Quartò abſurdè ſtatuit illam particulam *ſubjectum referre*, quæ palam, non ſecus ac illud *verus Deus* cui connectitur, ad prædicatum pertinet, ſi enunciatio de Patre formari debeat. Multo igitur meliùs Chryſoſtomus *hom.* 79. *in Ioh: Solum verum Deum ad eorum qui Dii non ſunt differentiam inquit. Ad gentes namque mittendi erant. Quod ſi non tolerarent, ſed propter hoc tantum filium eſſe Deum negarent, ex hoc etiam Deum tollerent: Inquit enim, Gloriam à ſolo Deo non quæritis. Quid ergo? non erit Deus filius? Quidni? Si Deus, & ſolius Patris dicentis, conſtat etiam & verum eſſe & ejus qui ſolus vocatur. Quid cum dicit Paulus, An ſolus ego & Barnabas? An Barnabam tollit? minimè. Solus enim ad aliorum ponit differentiam. Quod ſi non verus eſt Deus, quomodo veritas?*

Veruntamen ut nullus relinquatur adverſariis tergiverſandi locus, prodeat in medium Paulus, qui clariſſimis verbis unum illum Deum, nonniſi Patrem Chriſti eſſe teſtificatur: (1. *Cor:* 8, 6.) *Nobis*, inquit, *unus eſt Deus, Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum; & unus Dominus, Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per illum.* Et ibid. paulò ſuperiùs, (*v.* 4.) idem Apoſtolus ſic loquitur: *Nullus eſt Deus alter niſi unus.* Ex quo teſtimonio clariſſimè perſpicitur, Patrem illum ita unum Deum eſſe, ut nullus alius præter ipſum, is Deus unus ſit. Nam & unus ille Deus, Pater eſſe definitur, ex quo omnia, 420
& nos in illum: cum perinde ſit, ac ſi dicat Apoſtolus, Chriſtianorum Deum unum eſſe, nempe Patrem illum, ex quo omnia, & nos in illum; idem Deus, in eodem verborum contextu, non ſolùm ab idolis, omnibuſque aliis, qui

Digitized by Google

quamcunque ob cauſam Dei nomine appellantur: ſed etiam ab ipſo Chriſto diſtinguitur, ut & ipſe Chriſtus viciſſim ab illo ſeparatur his verbis: *Et unus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per illum.*

‡ *Verum ut nullus*] Eodem planè modo quo in loco ſuperiùs examinato, tribuitur Patri quod ſit *ſolus verus Deus*, hîc quoque ab Apoſtolo 1. Cor: VIII, 6. eidem *unius Dei* additur elogium, non ad excluſionem Filii & Spiritus Sancti, nam *hi tres unum ſunt* 1. Joh: V, 7. ſed ad excluſionem omnium eorum qui naturâ dij non ſunt, & unicã illam, infinitam ac ſimpliciſſimam eſſentiam Patris non participant; quomodo Chriſtus *unus Dominus* dicitur Apoſtolo non ad excluſionem Patris, quocum habet omnia communia Joh: XVI, 15. XVII, 10. ſed ad excluſionem Dominorum falsò ſic nuncupatorum, & qui *Bahalim* vulgò in Scripturis appellantur. Aliàs enim eo ipſo, quod Chriſto tribuitur per eum omnia eſſe, ejus æterna Divinitas luculenter adſtruitur: quoniam non minus Deus is *per quem* ſunt omnia, quam is *ex quo* ſunt omnia, ſiquidem utrumque ſummo Deo tribuitur Rom: XI, 36. *Ex eo, per ipſum, & in ipſum ſunt omnia.* Ideo autem Patri in oppoſitione relativa ad Filium nomen & axioma Dei tribuitur, Filio Domini; tum ne ut duo ſunt Pater & Filius, duo dij concipiantur, (quamvis in tali oppoſitione legamus quandoque, ſed rariùs, utrique nomen Dei attributum, ut Pſal: XLV, 8. Heb: I, 9. *Propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*) tum maximè quod Pater ſit origo & fons totius Divinitatis, & reliquarum duarum perſonarum principium originis & ordinis. Quod ſi Paulus ſoli Patri tribueret hîc quod ſit unus ille Deus Chriſtianorum prȩter quem alter non eſt, ſibi ipſi contradiceret evidenter, aliàs aſſerenti, Filium quoque eſſe Deum magnum, Deum ſuper omnia benedictum, Deum in carne manifeſtatum &c. Et quod com. 4. dixerat abſolutè, *Nullus eſt Deus alter niſi unus*, ad debellandum Polytheiſmum Gentilium; inſinuat poſtea ad Patrem & Filium communiter pertinere, qui ſimul ſint unus ille Deus & Dominus, præter quem nullus alius ſit agnoſcendus, etſi multi perperam & abuſivè *Dij* & *Domini in cœlo & in terra* dicantur com. 5. prout Gentiles Deos & Dominos ſive Bahalim ſuos in cœleſtes & tereſtres, ſuperos & inferos ſolebant diſtinguere. Quare tantum abeſt ut ex Pauli teſtimonio queat *clariſſimè* perſpici, *Patrem ita illum unum Deum eſſe, ut nullus alius præter ipſum is Deus unus ſit*, ut è contrario perſpicuè conjungat Filium Patri in illius unius Deitatis & Dominii ſummi participio; perinde ac ſi diceret *Chriſtianorum Deum* ac Dominum, *unum eſſe*, nempe Patrem & Filium cum Spiritu ſuo, ex quo, per quem & in quem ſunt omnia.

Et idem Deus in eodem] Idolis, & iis omnibus qui perperam dicuntur Dij & Domini, & quà tales religioſè coluntur, opponitur unus naturâ & eſſentiâ Deus & Dominus, quem ſtatuit Apoſtolus eſſe Patrem & Filium: Diſtinguitur autem Pater à Filio, non per id quod Pater ſit unus ille Deus verus qui opponitur Idolis, prout non diſtinguitur Filius à Patre per id quod Filius ſit unus ille ſupremus Dominus præter quem nullus alter ſit agnoſcendus; ſed per id 1. quod *Pater* dicitur, 2. quod *ex eo* omnia eſſe ſtatuuntur; cùm *per Filium* ſint, per quem omnia facta ſunt Joh: I, 3. Heb: I, 2. Quæ duplex diſtinctio Patris à Filio non eſt abſoluta & eſſentialis, ſed relativa & perſonalis. Quod ſi Pater hoc Dei unius titulo, diſtinguitur *non ſolum ab Idolis*, ut fingit Volkelius, ſed etiam *ab omnibus aliis, qui quamcunque ob cauſam Dei nomine appellantur*, & ſic etiam ab ipſo Filio, quem Dei nomine quandoque appellari

lari non diffitentur adverſarii, ut ὑπεροχὴ & ἐξοχὴ Divinitatis Patri competat excluſivè ad Filium, debebit viceverſâ Filius unius Domini titulo, diſtingui *non ſolum ab Idolis* & Bahalim Gentium, ſed etiam ab ipſo-met Patre quem Dominum ſæpiùs appellari in confeſſo eſt, ut ſic ὑπεροχὴ & ἐξοχὴ Dominij ſoli Filio competat excluſivè ad Patrem; quod quam ſit abſurdum nemo non videt. Uno verbo, ſicut Paulo Dij & Domini multi, Gentium Idola ſunt, quæ Chriſtianis colere nefas, quod norint nullum eſſe Deum alium niſi unum, ita eidem unus Deus & unus Dominus, licet perſonaliter diſtincti, ſolis Gentium Idolis & Bahalim opponitur, prout hoc ſibi probandum propoſuerat com. 4. *Idolum nihil eſſe in mundo & Deum non eſſe alium niſi unum.*

Hîc verò negant adverſarii, (*Fr. Iunius, & alii.*) ita Chriſtum ab uno illo Deo Patre diſtingui, ut ei opponatur. Quemadmodum enim, inquiunt, cùm Jeſus Chriſtus unus Dominus appellatur, Pater non excluditur, ſed unum commune dominium ſanctè intelligimus: ſic è diverſo, cùm unus Deus appellatur Pater, non excluditur Filius, ſed una communis Deitas intelligenda eſt. At nullius eſſe valoris hanc exceptionem, inde patet, quòd Paulus hoc in loco Chriſtum unum Dominum appellans, nequaquam de omni ſimpliciter dominatu orationem habet, ſed de eo, qui divino imperio eſt ſubordinatus, quemadmodum ſuprà oſtendimus, de alio ejuſdem Epiſt: loco (*1. Cor. 12. 5. & d.*) agentes. Quod ſatis hoc loco indicavit Apoſtolus, cùm ad deſcriptionem ejus, quem unum illum Dominum eſſe dixit, addidit: *per quem omnia, & nos per illum.* Quibus verbis & mediam cauſam efficientem omnium, & intermedium religionis noſtræ finem expreſſit. Hujuſmodi ergo Dominus jure negatur eſſe Pater, ſeu ab hujuſmodi dominio his ipſis Pauli verbis excluditur. Eadem ergo ratione & Chriſtus ab unica illa divinitate excluditur, cùm Paulus ait, illum unum Deum eſſe Patrem, ex quo omnia: quamvis alioqui Dei nomine nequaquam ſit excludendus, dummodo ne ille unus Deus appelletur, utpote apertiſſimè ab illo ſegregatus.

‡ *Hic vero negant*] Quam nervoſa ſit hæc noſtratium exceptio, ex iis quæ modò ſunt diſputata liquet evidenter. Nec Junius aut quivis alius è noſtris id prior dixit: Idem dixerat olim Chryſoſtomus *hom.* 20. *in* 1. *Cor: Quam habet vim id verbum* UNUS *in Filio, eandem habet & in Patre, & quemadmodum Dominus Patrem non tollit, quin ſit Dominus qualis Filius eſt, eo quod unus Dominus dicatur Filius, ita neque Deus Filium tollit, quin ſit Deus qualis eſt Pater, eo quod unus Deus Pater appelletur;* Et Theodoretus *ad eund. locum. Iure hîc admiremur ſapientiam Apoſtolicam; Quùm enim priùs oſtendiſſet appellationem Domini æqualem habere vim & poteſtatem cum appellatione Dei, eas diviſit, & hanc quidem Patri tribuit, illam vero Filio, Corinthiorum imbecillitati remedium afferens. Quod enim multis in locis, Filium Deum nominet, facile poteſt qui vult ex ejus ſcriptis intelligere. Expectantes enim, inquit, adventum Gloriæ Magni Dei & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, & Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt in omnibus Deus, & In regno Chriſti Dei, & alia ejuſmodi innumerabilia. Hîc quidem certè hunc Deum appellans, illum*

Digitized by Google

verò Dominum, ne iis qui haud ita pridem à Græcorum ſeu Gentium errore liberati fuerant, & veritatem didicerant, præberet occaſionem redeundi ad multorum Deorum errorem. Quod ſi Ariani & Eunomiani dicant illud Unus Deus, ejicere Filium à Divinitate Patris, audiant quod conſequitur, Et unus Dominus; Si enim quoniam unus Deus Pater non eſt Deus Filius, nec Pater ergo Dominus, quia eſt unus Dominus Ieſus Chriſtus; Verumenimvero in eorum caput retorquebitur blaſphemia. Divinus enim Apoſtolus oſtendit æqualitatem, ut qui Dei vocem ſimiliter & in Patre & in Filio poſuerit, & vocem Domini æqualem cum Dei voce vim ac poteſtatem habere oſtenderit. Porrò autem vetus quoque ſcriptura has eſſe conjunctas appellationes oſtendit. Ego enim, inquit, ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti; & Audi Iſrael Dominus Deus tuus unus eſt, & Domine Deus meus magnificatus es valde, & innumerabilia ejuſmodi. Qui eſt ergo verè Deus, omninò eſt etiam Dominus, & qui eſt verè Dominus eſt omninò etiam Deus.

At nullius eſſe valoris] Sanè ut Pater ita unus Deus dicitur oppoſitè ad alios omnes qui & Dii & Domini dicuntur, (cum in hac Paulina diſputatione ejuſdem ſint ſignificationis nomina Dei & Domini) ita Filius debet dici unus Dominus, oppoſitè ad eos omnes qui pro Dominis & pro Diis à Gentilibus habentur, quod ſtatui non poteſt, quinetiam ut Deus unus Idolis opponatur: Ac ſicut nomen *Dei unius*, tributum Patri, ἐξοχὴν & ὑπεροχὴν ejus eſſentialem connotat non tantum ſupra Idola, ſed etiam ſupra omnes alios *qui quamcunque ob cauſam Dei nomine appellantur*, adeoque etiam, ut vult adverſarius, ſupra ipſum Filium, licet Deus quandoque dicatur in Scripturis; ita neceſſe erit nomen *unius Domini* tributum Filio ejus ἐξοχὴν & ὑπεροχὴν ſpecialem connotare non tantum ſupra Idola, ſed etiam ſupra omnes alios, qui quamcunque ob cauſam Domini nomine appellantur, adeoque etiam ſupra ipſum Patrē, ut ut tam frequenter Dominus appelletur; Si ſolus Pater κατ' ἐξοχὴν dicitur unus Deus, oppoſitè non tantum ad Idola ſed etiam ad Chriſtum, qui tamen frequenter Deus dicitur in ſacris literis, ut eâ ratione eximia & ſuprema divinitas abrogetur Filio, æquum erit κατ' ἐξοχὴν unum Dominum dici Chriſtum oppoſitè non ſolum ad Idola ſed etiam ad Patrem, licet tam ſæpè Dominus appelletur, ut eâ ratione non minus Patri quam Idolis eximium & ſupremum omnium Dominium abrogetur. Nequit enim, ut vult Volkelius, Dominatus hic intelligi ſubalternus *ac divino imperio ſubordinatus*: quia 1. hoc ſenſu plures omninò dantur Domini, quorum Dominium & poteſtas Divino imperio ſubordinatur & ſubeſt; quare id uni & ſoli Chriſto convenire nequit. 2. Chriſti Dominium, cùm unus Dominus dicitur, notatur tanquam ſupremum, oppoſitè ad eos qui Dii & Domini dicuntur in cœlo & in terra; unde omnem poteſtatem utrobique ſibi tribuit Matt. XXVIII, 18. & femori ſuo inſcriptum habet hunc titulum, *Rex Regum & Dominus Dominantium* Apoc. XIX, 16. Quod ſi igitur Chriſtus unus Dominus diceretur non minus oppoſitè ad Patrem quam ad cœteros Dominos & Deos, deberet non minus Patris quam cœterorum Dominatus imperio ejus ſubordinari, prout volunt Sociniani non minus Divinitatem Filii, quam cœterorum Deorum & Dominorum, ſubordinari Divinitati Patris, eo quod Pater unus Deus dicatur: Abſurdè enim fingas unum Dominum dici Chriſtum reſpectu omnium eorum qui quamcunque ob cauſam Domini nomine appellantur, ſic tamen, ut aliter illius, nempe Dei, aliter cœterorum reſpectu unus Dominus dicatur; cùm ſit Dominus unus ad unum ex illis Dominis ſubordinatè, ad alios præordinatè. Quæ porrò voluit nugari adverſarius de imperio Chriſti non

ſupremo

Digitized by Google

ſupremo, ſed ſubordinato, ad locum 1. Cor: XII, 5. & ſeq. ſuprà ſuo loco ſunt refutata. 3. Dominium hîc proponitur Chriſti quod naſcitur ex jure Creationis, eique competit *per quem* ſunt omnia, quod nonniſi verè divinum & ſummum abſolutè, ſervato ſolum ordine agendi qui convenit perſonis Divinis, denotare poteſt. Nam quod objicit Volkelius, illâ phraſi Apoſtolicâ *& mediam cauſam efficientem omnium, & intermedium religionis noſtris finem* exprimi, multifariàm vitiolum eſt: Etenim 1. cùm Religionis omnes actus debeant elici immediatè circa unum Deum, cui uni per illos animæ ſunt religandæ, quod fuſè docet Auguſtinus *de vera relig. cap. ult.* prout inter omnes quibus religio eſt Idololatriâ abſtinere, conſtat pro certo cultum Religioſum ſoli Deo deberi Matt: IV, 10. fruſtrà diſtinxeris inter Religionis noſtræ finem intermedium & ultimum, ut illum Filium, hunc verò Patrem ſtatuas. 2. Cùm ſolus Deus ſit unica & immediata cauſa creationis, ut conceptis verbis habetur Eſ: XLIV, 24. *Ego Iehova facio omnia, extendo cœlos ſolus, expando terram per meipſum*, æquè abſurdè diſtinguas inter cauſam efficientem primam & mediam omnium, ut illud tribuas Patri, hoc Filio; qui cum dicatur Johanni α. & ω. Apoc: I, 8. II. XXII, 13. eo ipſo & cauſa prima & finis ultimus omnium conſtituitur. 3. Nec Chriſtus in Theologia Sociniana poteſt ſtatui cauſa media *omnium*, ſiquidem non extitit, juxta impios iſtos doctores, priuſquam ex B. Virgine naſceretur. Et cùm ſecundum illos ſuum Dominium non ſit conſecutus ante ſuam aſcenſionem in cœlos, inde ſequitur quod ante illam nemo extiterit qui *unus Dominus*, ceu cauſa efficiens media omnium, ſenſu Sociniano diceretur. 4. Illa phraſis de Filio, *per quem omnia & nos per illum*, non denotat cauſam efficientem mediam, aut finem intermedium; ſiquidem de Deo abſolutè dicitur, non ſolum quod ἐξ αὐτοῦ, ſed etiam quod δι᾽ αὐτοῦ τὰ πάντα, Rom: XI, 36. Et ſi 1. Cor: VIII, 6. illud καὶ ἡμεῖς δι᾽ αὐτοῦ, debeat reddi *propter ipſum*, ut prius διὰ efficienter, poſterius finaliter ſumatur, potiùs finem ultimum quam intermedium ſignificabit; nam ita Deus dicitur omnia feciſſe *propter ſeipſum* Prov: XVI, 4. Nec ſanè putem aberraturum, qui illud poſterius διὰ in Paulo ſumat finaliter, ut eodem planè ſenſu dicamur de Filio δι᾽ αὐτοῦ, quo de Patre dicimur εἰς αὐτὸν: Etenim διὰ ſumi quandoque de cauſa finali, etiam ubi genitivum regit, patet ex Rom: VI, 4. ubi Chriſtus dicitur ſuſcitatus διὰ τῆς δόξης Patris, ideſt *propter* vel *in* gloriam illius; Eodem nonnulli referunt locum 1. Tim: IV, 14. 5. Si quid ſit diſcriminis apud Paulum inter illud ἐξ οὗ τὰ πάντα quod uſurpatur de Patre, & iſtud δι᾽ οὗ τὰ πάντα quod dicitur de Filio, denotabit potiùs ordinem agendi perſonarum, prout obſervant Theologi Filium agere à Patre, Patrem per Filium, quam eſſentialem ſubordinationem; ut ſi quæ medietas ſive mediatio tali locutione deſignatur, ea ſit potius *ſuppoſiti*, uti loquimur in Scholis, quam efficientiæ, vel virtutis. Nam Pater agit quidem per Filium, tanquam per alterum ſuppoſitum, ſive per alteram perſonam à ſe diſtinctam, ſed non tanquam per cauſam inſtrumentalem alterius à ſe cauſalitatis, virtutis, efficaciæ; cùm eo reſpectu dicat Chriſtus, *Ego & Pater unum ſumus*, Joh: X, 30. & *quæcunque Pater facit hæc etiam Filius pariter facit* Joh: V, 19. Denique ad mera λεπτολογήματα pertinere diſcurſum Volkelianum, vel inde liquet, quod utrumque διὰ de Chriſto, interpretando *per*, ut fit ab omnibus interpretibus, nihil inde habebitur unde conſtet Chriſtum conſtitui vel finem *intermedium*, vel cauſam efficientem *mediam* omnium; tum quia præpoſitio *per*, nuſquam ſumitur finaliter; tum quia præ-

Digitized by Google

poſitio διὰ ſæpè cauſam principalem & primariam notat in Scripturis; non ſolùm Rom: xi, 36. ſuprà citato, ſed ſæpiùs alibi: Sic enim Deus pollicetur ſe ביהוה *Bajhova*, *per Iehovam* ſervaturum populum ſuum Hoſ: 1, 7. Sic Paulus Gal: 1, 1. dicit ſe Apoſtolum *non ab hominibus neque per hominem*, ſed διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ καὶ θεοῦ πατρὸς, ubi de Patre & Filio idem διὰ uſurpatur. Sic de Deo abſolutè Heb: 11, 10. δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα, *propter quem omnia & per quem omnia*, ubi idem διὰ & cauſam ſimpliciter primam, & finē ſimpliciter ultimum denotat: Et ſanè cùm non minus de Patre quam de Filio dici poſſit quod δι' αὐτοῦ ſunt omnia, ut nec minus de Filio quam de Patre, abſolutè loquendo, quod ἐξ αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν omnia ſunt, cùm præſertim particulæ ἐξ & διὰ plerumque ejuſdem ſint poteſtatis & ſignificationis, ut nominatim videre eſt Gal: 11, 17. & expreſſè de Filio omnia δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν condita dicuntur Col: 1. 16. ſatis apparet diverſam phraſim hîc adhibuiſſe Paulum de Patre & Filio, non ad Dominij vel Divinitatis diſcrimen aliquod inter Patrem & Filium conſtituendum, ſed ad ſummum diſtinctionis perſonalis inter utrumque connotandæ gratiâ. Quod ſi *hujuſmodi Dominus jure negatur eſſe Pater* (ut ait Adverſarius) qualis eſſe dicitur Chriſtus, cùm unus Dominus appellatur δι' οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ, tum non ſolùm Chriſtus unus Dominus dicetur genericè ad excluſionem omnium aliorum Dominorum, contrario planè reſpectu; quia is titulus reſpectu plurium qni Domini appellantur ἐξοχὴν, reſpectu Dei μείωσιν importabit; ſed etiam abſurdè negabitur de Patre poſſe dici, eum eſſe Dominum δι' οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ. Ad has ſcilicet ſubtilitates redeunt Sociniani, dum quo jure quâ injuriâ, malunt Scripturas in ſuam ſententiam obtorto collo pertrahere, quam Scripturis ſuam ſententiam uti par fuiſſet ſubjicere.

Eadem ergo ratione] Contrarium potiùs infer, non magis Filium excludi *ab unica illa divinitate* quâ Pater εἷς θεὸς ſtatuitur ἐξ οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτὸν, quam Patrem ab unico illo Dominio quo Chriſtus dicitur εἷς κύριος, δι' οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ. Nam ut hoc poſterius de Patre dici poſſe, nemo non impius negaverit, cùm ita non ſemel de eo loquatur Scriptura, ſic nemo ſanæ mentis putabit prius ipſi Chriſto cum Patre non poſſe convenire. Nec magis *Dei* nomen, quo *nequaquam* auſit Volkelius Chriſtum excludere, Chriſto convenire poteſt per Divinitatem adſcititiam, dativam & eſſentialiter ſubordinatam Divinitati Paternę, eo quod Pater unus Deus dicatur eſſe, quam nomen Domini, *quo nequaquam excludendus* eſt Pater, ei tribuendum eſt per Dominium dativum ſubordinatumque Dominio Filii, eo quod Filius unus Dominus aſſeratur. Quod ſi propriè & verè, non abuſivè vel nuncupativè tantum, Dei nomen competat Chriſto, ut pote quem ſimul & Dominum ſuū & Deum ſuum quilibet pius cum Thoma debet agnoſcere Joh: xx, 28. non minus *ille unus Deus* dici poterit quam Pater, cum quo unum eſt Joh: x, 30. prout non minus Pater quam Filius *ille unus Dominus*, *per quem omnia & nos per illum*, poteſt appellari. Quod enim dicitur Volkelio hîc loci Chriſtus à Patre *apertiſſimè ſegregatus*, apertiſſimè falſum eſt: cùm reverâ ſic diſtinguatur Filius à Patre perſonaliter, ut utrobique ei conjungatur à Paulo in participio illius unius Divinitatis & Dominii, quo ſegregatur verus Deus à Diis & Dominis ſive Bahalim Gentilium.

Huc & illud ejuſdem Pauli teſtimonium pertinet, (*Eph: 4, 6.*) quo affirmat, *unum eſſe Deum & Patrem omnium*, eumque manifeſtè diſtinguit ab uno illo

Digitized by Google

illo Domino, paulò antè nominato: quem quidem nullum eſſe alium, quàm Chriſtum, ſatis ſuperque conſtat.

‡ *Huc & illud ejuſdem*] Præterea quod videtur nomen Patris Eph: IV, 6. ſumi abſolutè & οὐσιωδῶς, non relativè & ὑποστατικῶς, neque continere oppoſitionem relativam ad Filium, ut frequenter in ſacris, Eſ: LXIII, 16. Matt: V, 19. Jac: I, 17. dato *unum Deum & Patrem omnium* diſtingui *ab uno illo Domino paulò ante nominato* apud Apoſtolum, hæc diſtinctio, ut liquet ex iis quæ modò diſputavimus ad locum ſuperiorem, non tam erit eſſentialis, quam merè perſonalis, quâ non magis ab una Divinitate Patris Chriſtus Dominus excludetur, quam Pater ab unico Dominio Filij, cùm *una fides & unum Baptiſma* quæ unà commemorat Paulus com. 5. æquè in Dominum Chriſtum ac in Deum Patrem feratur; vide Joh: XIV, 1.

CAP. X.

De coëſſentialitate Filii Dei cum Patre.

Reſpondente SAMUELE HEMMANNO, *Helvetio-Bernenſi.*

SEquitur, ut quàm rectè ac verè Filius Dei, ſive Chriſtus, eâdem cum Patre ſuo eſſentiâ atque naturâ contineri dicatur videamus. Hujus igitur ſententiæ falſitas ex iis, quæ hactenus diſputavimus, facilè intelligitur. Nam & ſanæ mentis rationi, & divinis oraculis planè repugnat. Ac illud quidem eam ob cauſam, quòd, ut ſuprà demonſtravimus, divinæ eſſentiæ unitas, & ſumma,
quam adverſæ ſententiæ patroni defendunt, ſimplicitas, perſonarum plura- 421.
litatis capax nequaquam eſt. Ex quo fit, ut ſi Filium Dei Patri ſuo coëſſentialem eſſe volumus, neceſſariò ſtatuendum ſit, Filium eandem prorſus perſonam eſſe, quæ eſt Pater, quod abſurdiſſimum falſiſſimumque eſſe omnes fatentur.

‡ *Sequitur ut quam*] Imò, cùm *ex iis quæ hactenus diſputavimus*, ſatis ſuperque aſſerta ſit S.S. Trinitatis doctrina, quæ nec *ſanæ mentis rationi repugnat* & *Divinis oraculis planè congruit*, eo ipſo repoſita eſt in arce coeſſentialitas Filii Dei cum Patre; eò magis quod *proprius* Filius quiſquam dici nequeat qui à ſuo Patre diverſæ ſit eſſentiæ & naturæ. Nec minus *Divinæ eſſentiæ unitas & ſumma* illius, quam contra ipſos-met Socinianos propugnamus, *ſimplicitas*, maximè ſuppoſitâ illius infinitate, *perſonarum pluralitatis capax* eſt, quam pluralitatis facultatum inter ſe diſtinctarum, animæ rationalis unitas & ſimplicitas. Quare non magis ſequetur *Filium eandem prorſus perſonam eſſe quæ eſt Pater*, ſi *Filium Dei Patri ſuo coeſſentialem* ſtatuamus, quam voluntatem eandem prorſus facultatem eſſe quæ eſt intellectus, ſi dixerimus voluntatem & intellectum coeſſentiales eſſe facultates ejuſdem numero ſpiritualis & ſimpliciſſimæ animæ rationalis, quæ tota eſt intellectus & tota voluntas, ſiquidem tota intelligit & tota vult. Quod ſi nihil

Digitized by Google

abſurdi vel falſi putarent Philoſophi ſe ſtatuere aſſignando realem diſtinctionem inter varias animæ facultates, licet ſibi invicem coeſſentiales illius reſpectu, quanto minus abſurdi ſtatuendi ſunt Chriſtiani, diſtinctionem ſaltem modalem comminiſcentes juxta Scripturam, inter perſonas S.S. Trinitatis, licet ſibi coeſſentiales reſpectu unius & ſimpliciſſimæ eſſentiæ, quæ ipſis eo magis communis eſt, quod iſti tres, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ut-ut alius & alius, tamen revera non aliud & aliud ſed unum ſunt 1. Joh: v, 7.

Hoc alterum verò, nimirum illam opinionem cum divinis literis pugnare, duabus potiſſimùm rationibus demonſtratur. Primò enim ex ſuprà diſputatis planè conſtat, nullum alium eſſe verum illum ſummumque Deum, præter Chriſti Patrem; qui Pater cum Chriſtus non ſit, quomodo, quæſo, unus ille Deus, vel eidem coëſſentialis eſſe poteſt? Adde, quòd multis in locis ab uno ſummoque Deo diſtinguitur. Nam & Filius Dei, & Chriſtus Dei, (*Luc: 1, 32, 35: & 9, 20.*) Deo æqualis, & in Dei forma fuiſſe, (*Phil: 2, 6.*) & à Deo exiiſſe, miſſusque eſſe dicitur, (*Joh: 8, 42: 16, 27, 28, 30.*) ut alia infinita, quæ cuivis ſacras literas legenti occurrunt, omittam.

† *Hoc alterum verò*] Quam neutra harum rationum id conficiat, ordine videndum: Primam quod attinet, tantum abeſt ut *ex ſuprà diſputatis planè conſtet nullum alium eſſe verum illum ſummum Deum præter Chriſti Patrem*, ut potiùs ſufficienter ſit demonſtratum ejuſdem Divinitatis veræ & ſummæ conſortes eſſe cum Patre Filium & Spiritum Sanctum, quorum ille dicitur expreſſè *verus Deus & vita æterna* 1. Joh: v, 20. & *Deus ſuper omnia benedictus in ſecula* Rom: IX, 5.
Adde quod multis] Diſtinctio perſonalis coeſſentialitatem non tollit; Qui diſtinguitur à Deo Patre, ceu ejus Filius, per id non deſinit eſſe coeſſentialis ei. *Filius Dei*, nempe *proprius*, ut dicitur Paulo Rom: VIII, 32. & *unigenitus*, ut appellatur Joh: I, 14. 18. III, 16. 18. non poteſt non eſſe ejuſdem eſſentiæ & naturæ cum Patre ſuo. Chriſtus Dei, debuit eſſe & dici Deus Pſal: XLV, 8. ac Jehova juſtitia noſtra Jer: XXIII, 6. adeoque conſors Divinæ eſſentiæ cum Deo Patre à quo unctus eſt oleo lætitię prę cõſortibus ſuis, qui inde eum appellat & *Paſtorem ſuum* & *virum proximum* ſuum, ſive ut reddidit Vatablus, *coæqualem* ſibi Zach: XIII, 7. Quod verò *æqualis Deo* dicitur & *in Dei forma* fuiſſe ante aſſumptam formam ſervi Phil: II, 6. magis adſtruit veritatem; Nec enim poteſt quis ſtatui æqualis Deo Patri, & in forma Dei, quo nomine ipſa eſſentia & natura Divina exprimitur juxta illud Philoſophorũ, *Forma dat eſſe rei*, qui naturâ Deus non ſit: & quoties legimus Filium miſſum à Deo & ab ipſo exiiſſe, nomẽ Dei eſt ſumendum ὑποςατικῶς de perſona Patris, quod nec diffitentur adverſarii. Quare hæc nihil ad rhombum. Et ſi *alia infinita* magis urgentia haberet adverſarius, ea non omiſſurus fuiſſet.

Hîc jam neque ad perſonarum diſtinctionem, utpote prorſus jam convulſam, confugere poterunt; neque ad duarum in Chriſto naturarum diſtinctionem; cum, ut ſuprà polliciti ſumus, eam paulò poſt commentitiam eſſe demonſtraturi ſimus. Interea tamen animadvertendum eſt, adverſarios, etiam eo conceſſo, elabi nequaquam poſſe: cum, ſi Chriſtus unus ille Deus, ſeu eidem

Digitized by Google

eidem conſubſtantialis eſt, quamvis naturam humanam ſibi adjunctam habeat nequaquam tamen à Deo illo uno diſtingui queat. Neque enim dimidiatus Chriſtus, ſed totum Chriſti ſuppoſitum in commemoratis ſcripturæ teſtimoniis à Deo diſtinguitur. Quod quidem Chriſti ſuppoſitum unum illum Deum eſſe conſtanter iſti aſſerunt. Ut igitur homo à creatura ſive ſubſtantia intelligente ſeparari nequit, cum ipſe ſit creatura ſive ſubſtantia intelligens, quamvis non ſecundum corpus, ſed ſecundùm animum intelligat: ita nec Chriſtus, ſi iſtorum ſententia vera eſt, à Deo diſcerni poteſt, quamvis non humanæ, ſed divinæ naturæ ratione unus idemque cum illo ſit. Quæ res quò pateat illuſtriùs, illa Chriſti verba proferam, quæ adverſariis utramque diſtinctionem intercludunt: *Creditis*, inquit, *in Deum*, *& in me credite.* (*Ioh:* 14. 1.) Hîc Chriſtum totum, quantus quantus eſt, à Deo abſolutè poſito, qui ut articulus in Græco præfixus, & ſacrarum literarum conſuetudo arguit, nonniſi Deus ſummus eſt, diſtingui hinc perſpicitur; quòd de fide Chriſto adhibenda agitur, quam ei adverſarii, quatenus homo eſt, negant, maledictum illum exiſtimantes, qui ſpem fiduciamque ſuam in homine collocet. (*Ierem:* 17. 5.)

† *Hic jam neque ad*] Et *perſonarum diſtinctionem* ſatis ſuperque adſtruximus, & *duarum in Chriſto naturarum diſtinctionem* ſuo loco defendemus. Diſtinguitur autem Chriſtus θεάνθρωπος à Deo Patre, cui ſecundum Divinitatem eſt *conſubſtantialis*, tum perſonaliter, quia eſt alia à Patre perſona, tum etiam naturaliter, quia habet ipſe naturam humanam ſibi hypoſtaticè conjunctam, quæ Patri non convenit. Concipiamus duos Angelos, quorum unus appareat aſſumpto corpore humano, alter non, inter illos duplex erit diſcrimen, & *perſonale*, quod ambo conſortes ejuſdem eſſentiæ Angelicæ numero tamen differant, & eatenus *naturale*, quod alter ſibi conjunxerit corpus œconomicum, quo ejus ſocius caret. Et quamvis non *dimidiatus Chriſtus*, ſed *totum Chriſti ſuppoſitum* naturaliter & per reſpectum ad carnem aſſumptam diſtingueretur à Deo abſolutè poſito, non tamen ita diſtingueretur ſecundum totum ipſius: Cur enim non æquè diſtinxeris inter totum Chriſtum & totum Chriſti, ut debes neceſſariò inter totum hominis & totum hominem? Nam cum verbi gratiâ dicis hominem eſſe mortalem, id non de homine dimidiato aſſeris, ſed de toto homine: At licet totus homo ſit mortalis, non eſt tamē mortalis ſecundum totum ſui, ſive totum hominis mortale non eſt; cùm animæ immortalitatem ſoli inter Chriſtianos negent hodie eorum Sadducæi, nempe Sociniani: Deinde poteſt totum Chriſti ſuppoſitum perſonaliter diſtingui à Deo Patre, licet quoad divinitatem ſit unum eſſentiâ cum ipſo. Vir & uxor perſonaliter diſtinguuntur, licet vi ſui conjugii ſint una caro; Hic homo ab iſto alio homine, quo cum unius eſt naturæ ſpecificè loquendo, nihilominus perſonaliter diſtinguitur. Filius eſt unum cum Deo Patre eſſentiâ non perſonâ, adeoque poteſt optimè ab ipſo perſonaliter diſtingui.

Ut igitur homo à creatura] Sed primò poſſum in homine duas diſtinctas naturas conſiderare, quarum altera ſit ſpiritualis & intelligens, altera bruta & corporea: ſic ut de toto homine quædam enunciem, quæ tamen ei non conveniant niſi alterutrius

 partis.

partis reſpectu. Ita homo dicitur ratiocinari & intelligere, ſed mente, videri & ambulare, ſed corpore. Qui dicit hoc poſterius non convenire homini ſecundum totum ſui, ſed tantum ratione corporis, non tamen eo ipſo ſeparat corpus à mente, verùm hoc diſtinguit ab illa. Sic ergo qui dixerit hoc vel illud convenire Chriſto quà Deo, vel quà homini, diſtinguit quidem duas naturas in ipſo, ſed eas non dividit vel ſeparat. Adhæc ut poteſt homo, quamvis ſit creatura ſive ſubſtantia intelligens, diſtingui ab Angelo, qui etiam talis eſt creatura ſive ſubſtantia intelligens ſed incorporea; ita poſſet Chriſtus, quamvis ſit quoque Deus ſuper omnia benedictus, hac tamen ratione diſtingui à Deo Patre, quod Pater ſit quoque ita Deus ut tamen non ſit θεάνθρωπος, ſicut Chriſtus.

Quæ res quo pateat] Quinimò hic locus Joh: XIV, I. collatus cum altero Jerem: XVII, 5. magis adſtruit quod volumus: Cùm enim revera nefas ſit ex Prophetæ dicto *ſpem fiduciamque ſuam in homine*, qui nihil aliud ſit quam homo, collocare, eo ipſo conficitur Chriſtum non eſſe merum hominem, ſed ejuſdem quoque naturæ & eſſentiæ cum Patre, quod non minus in ipſum quam in Patrem credere debeamus. Hîc itaque Chriſtus diſtinguitur non à Deo ὑσιωδῶς ſic dicto, quoniam ea ratione exigeret cultum ſibi indebitum, ſed à Deo ὑποςατικῶς ita nuncupato, idest à Deo Patre, cui ob eſſentiæ cum ipſo identitatem meritò in hac fiducia conjungitur. Eſt ergo Chriſti ſenſus, Me æqualem Patri & eundem cum Patre Deum credite, & in hoc mentis aciem figite, & non erit cur veſtrum cor turbetur in omnibus quæ evenient; me enim volente & diſponente fient. Si me ita potentem confitemini & conſideratis & ante oculos habetis, nihil eſt quod aliquem timeatis, nec de meo diſceſſu triſtemini, nec ullum veſtrum malum formidetis; ſum enim Deus qui omnia poſſũ. Nec planè negligenda obſervatio Cyrilli *ad hunc locum, lib. 9. in Ioh: cap.* 30. Chriſtum ſe hîc conjunxiſſe Deo quò Euangelicam fidem diſtingueret à Judaica, quæ in Deum indefinitè ſic dictum ferri videtur, nullâ explicitè perſonarum divinarum factâ vel admiſſâ diſtinctione; *Iuſſit enim & in Deum & in ſe credere; Non quia ipſe aliud à vero Deo ſit; ſed quia ſi quis dictione ſolummodo Dei, fidei rationem determinat, Iudaicæ opinionis eſt; ideo quoque nomen Filii quod prædicationis eſt Euangelicæ optimè adjecit.*

Altera ratio, quâ ſententiam iſtam divinis oraculis adverſari demonſtratur,
422. eſt, quòd Chriſtus media ſalutis noſtræ cauſa extitit: cum per illum divina nobis veritas pate facta confirmataque fuerit; (*1 Cor: 1, 30. Ioh: 1, 17. 18. Rom: 15, 8.*) per illum Deo ſimus reconciliati; (*Rom: 5. 10, 11. 2 Cor: 5. 19.*) per illum in Deo fiduciam collocemus; per illum porro à mortuis excitandi ſempeternâque vitâ donandi ſimus. (*Ioh: 6. 39. 40: 17. 2.*) Quæ omnia conſtare minimè poſſent, ſi Chriſtus Patri ſuo coëſſentialis, vel idem cum ipſo eſſet. Sic enim non media, ſed prima felicitatis noſtræ cauſa exiſteret.

‡ *Altera ratio, quâ ſententiam*] Non eſt quod multum præſidii ponant Sociniani in hoc argumento: Nam 1. illæ phraſes, quibus Deus Pater *per Chriſtum* hoc vel illud feciſſe dicitur, poſſunt quidem arguere ordinem operandi convenientem perſonis S. S. Trinitatis, juxta quem Filius agit à Patre & Pater per Filium, non tamen cauſalitatis ſubordinationem demonſtrare. Pater omnia per Filium condidit

Digitized by Google

didit Joh:1,3. Heb:1,3. non tanquam per cauſam ſecundariã, ſubalternam, mediam & ſibi ſubordinatam, ſed tanquam per Verbum ſuum perſonale & ęternam ſuam Sapientiam, quæ ad hoc opus concurrit cùm Patre mediatione quidem ſuppoſiti, non tamen cauſalitatis aut virtutis. Quare non magis Filius *cauſa media* & ſubalterna *ſalutis noſtræ* quod Pater per ipſum nos ſervet, quam cauſa ſubalterna & media primæ creationis, quod Pater per ipſum omnia condiderit. 11. Aliud eſt nos ſervari per Chriſtum θεάνθρωπον, ceu Mediatorem Dei & hominum 1 Tim:11, 5. quod largimur, aliud eſt eum conſtitui ſalutis cauſam intermediam, adeoque minus principalem, quod non dicit Scriptura. Sic enim Chriſtus ſe medium conſtituit inter Deum & homines, ut tamen ſit cauſa primaria & principalis non ſecunda & ſubalterna, tum reconciliationis hominum cum Deo, tum ſalutis quæ per illam evenit hominibus. Unde Jeſus & Servator, imò ipſa ſalus κατ' ἐξοχὴν, appellatur. Nihil verò officiunt veritati quæ hîc congeſſit Volkelius. Non deſinit Filius eſſe Patri coeſſentialis & coæternus, etſi Pater nobis eum dederit in Redemptionem, nobiſque ſit factus à Patre *Sapientia, Iuſtitia, Sanctificatio & Redemptio*, 1 Cor: 1, 30. cùm è contrario hæc nobis fieri à Patre nequiverit, niſi ei coeſſentialis fuiſſet, quique dici poſſet *Iehova juſtitia noſtra* Jer: XXIII, 6. Per illum *divina nobis veritas patefacta confirmataque* fuit Joh: 1, 17. 18. Rom: XV, 8. ſed tanquam per λόγον æternum æterni Patris in carne manifeſtatum, & unigenitũ illum Filium, qui eſt *in ſinu* illius, ut diſertè habetur Joh: 1, 14. 18. Per illum *Deo ſumus reconciliati* Rom: V, 10. 11. 2 Cor: V, 19 ſed tanquam per Mediatorem θεάνθρωπον, qui nequiviſſet id muneris ſuſtinere, niſi fuiſſet cum Patre *Deus ſuper omnia benedictus* Rom: IX, 5. *Per illum in Deo fiduciam collocamus*, ſic ut illa ipſa fiducia, quam ejus beneficio concipimus Eph: III, 12. non minus in ipſo collocetur quam in Patre Joh: XIV, 1. quia ipſe & Pater unum ſunt Joh: X, 30. *Per illum porrò à mortuis excitandi ſempiternaque vitâ donandi ſumus*, quia penes ipſum *eſt fons vitæ* Pſal: XXXVI, 10. & in ipſo *vita* eſt Joh: 1, 14. ac *ſicut Pater habet vitam in ſeipſo ſic dedit Filio habere vitam in ſeipſo* Joh: V, 26. Unde ſeipſum Reſurrectionem & vitam aſſerit Joh: XI, 25. Hæc *omnia* igitur, ut Volkelio reddam ſua verba, *minimè conſtare poſſent* niſi *Chriſtus Patri ſuo coeſſentialis & naturâ idem cum ipſo eſſet.* Quare harum loquutionum nulla Chriſtum facit cauſam mediam vel ſecundam ſalutis & felicitatis noſtræ, aut primam eſſe negat, cùm Pater non agat per Filium, ut per cauſam ſubalternam, ſed tanquam per ſuum λόγον perſonalem ſuamque æternam Sapientiam, ut ante dictum.

Valeat igitur ſententia iſta, illudque ſemper in mentibus noſtris hæreat, quod Apoſtolus dicit, (*1 Cor: 8. 6.*) *nobis unum eſſe Deum, Patrem illum, ex quo omnia; & unum Dominum, Ieſum Chriſtum, per quem omnia*, ſubintellige utrobique, quæ ad homines Chriſtianos, æternæque ſalutis rationem ſpectant. Hanc enim materiam verbis iſtis ſubjectam eſſe, tum ex pronomine *nobis* quo Chriſtiani intelliguntur, tum ex nomine *Patris*, tum ex *Ieſu Chriſti* mentione apertiſſimum eſt. Ubi ſimiliter naturarum diſtinctioni locum nullum eſſe hinc intelligitur, quòd eâ hîc de Chriſto ratione agitur, quatenus unicus ille Dominus, & omnium eorum, quibus ſempiterna felicitas noſtra continetur, media cauſa eſt: quod utrumque nonniſi toti ipſius ſuppoſito, ut vocant, competit.

Valea

Digitized by Google

1 *Valeat igitur ſententia*] De iſto loco 1 Cor: VIII, 6. ſatis ſuperque dictum cap. præced. Non magis à Divinitate Filius excluditur, quod Pater *unus Deus* dicatur, quam Pater à Dominio, quod Filius *unus Dominus* ſtatuatur. Nec poteſt hic ſtatui *unus Dominus* per quem *omnia* illa ſunt quę ſunt ex Patre, quin unum ſit cum illo. Et ſiquidem hîc agitur de Patre & Filio diſcriminandis ab Idolis & falſis Diis, illa *omnia* quæ ex Patre & per Filium eſſe dicuntur, debent intelligi univerſaliter & illimitatè, quo ſenſu *omnia per ſermonem facta* dicuntur Joh: 1, 3. & de Deo abſolutè dictum à Paulo Rom: XI, 36. *Ex eo & per ipſum & in ipſum ſunt omnia*; Prout Heb: 1, 3. dicitur Pater per Filium *mundum* ſive ſæcula condidiſſe; cœli & terra *opera manuum* Filii ſtatuuntur Heb: 1, 10. ex Pſal: CII, 26. ac *per eum condita omnia* aſſeruntur *quæ in cœlis ſunt & quæ in terra, viſibilia & inviſibilia* Col: 1, 16. Quare concidit reſtrictio Volkelij, quâ vult ſubintelligi *utrobique quæ ad homines Chriſtianos, æternæque ſalutis rationem ſpectant*. Leviores ſtipulâ ſunt hæretici ad id conjecturæ; Nec enim agit Apoſtolus de iis beneficiis quæ *nobis* obveniunt per Chriſtum, ſed de eo qui à nobis Chriſtianis colitur & agnoſcitur pro unico Deo & Domino, oppoſitè ad Gentiles & Idololatras quibus multi ſunt Dii & Domini falſo ita dicti, inferi & ſuperi, in cœlo & in terra. Pertendimus itaque Chriſtum ſtatui unicum Dominum, per quem abſolutè & univerſaliter loquendo omnia ſunt, non ſolum ea *quibus ſempiterna noſtra fœlicitas continetur*; quo elogio ſatis adſtruitur ejus primitas cum Patre in cauſando, ſolo ſubnotato ordine operandi; ſiquidem non minus prima & ſuprema cauſa debeat is eſſe *per quem* ceu unicum Dominum ſunt omnia, quam is *ex quo* ceu uno Deo ſunt omnia; & jam ſæpiùs oſtenſum à nobis, præpoſitione *per*, non neceſſariò connotari cauſam mediam & ſubalternam; Primam notat in ſuo genere Matt: XXVI, 24. Marc: XIV, 21. ubi Judas primarius proditor Chriſti dicitur is δι᾽ οὗ traditur; ita primarius author ſcandali dicitur is δι᾽ οὗ evenit Matt: XVIII, 7. ita Act: III, 16. ἡ πίστις ἡ δι᾽ αὐτοῦ, nempe χειρὸς, dedit illi claudo ſuam ſanitatem; Ibi Chriſtus non proponitur ut cauſa media & ſubalterna per quam ageret fides, ſed ut fidei ipſius cauſa & author, cujus vi ceu primarii agẽtis, ipſa fides operabatur. Ita Agabus Act: XI, 28. ſignificabat διὰ τοῦ πνεύματος famem magnam futuram in orbe: Quis ſtatuat Spiritum ibi ſubalternari Agabo ut cauſam mediam & minus principalem primariæ & principali? Ita dicimur omnia ſuperare διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς Rom: VIII, 37. Ita præſides dicuntur δι᾽ αὐτοῦ, ideſt *per ipſum* regem, miſſi 1 Pet: II, 14. Quin de Deo dicitur non ſolum quod ex ipſo ſed etiam quod *per ipſum* ſunt omnia Rom: XI, 36. Quamvis autem de toto ſuppoſito, ſive de tota Chriſti perſona dicatur quod per ipſum ſint omnia, id tamen intelligi debet reſpectu illius naturæ per quam unum eſt cum Patre in eſſendo & cauſando omnia, cujuſque reſpectu unicus eſt cum ipſo Deus & Dominus: Debet error validiores ſibi quærere arietes, quibus coeſſentialitatem Chriſti cum Patre quatiat; ſiquidem merè ficulnei illi deprehenduntur quos hactenus adhibuit Volkelius: Nunc videamus num ei fœlicior ſit ſiniſtra & clypeus, quam fuit dextra & gladius.

Jam tempus eſt, ut videamus, quibus ſcripturæ teſtimoniis adverſarii noſtri, ad iſtam cum Patre coeſſentialitatem ſtabiliendam abutantur. Eorum autem duo potiſſimùm ſunt genera, quorum alterum in verbis, alterum in rebus occupatur. Illud, quod in verbis conſumitur, rurſus aut eadem Patris Filiique

Filiique nomina complectitur; aut voces habet ſententiaſque Filii cum Patre conjunctionem quandam declarantes. Ac nomina quidem potiſſimùm tria afferuntur. Primum enim eſt ipſum *Dei* vocabulum, idque jam ſimpliciter, jam cum epithetis poſitum. Primò igitur nomen *Dei* ſimpliciter collocatum, ſatis firmo putatur argumento, eandem utriuſque naturam eſſentiamque eſſe. Reſpondemus autem, tunc conſecutionem iſtam firmam fore, ſi probatum fuerit, hoc nomen ita ſummi illius Dei proprium eſſe, ut aliis præter ipſum nullâ ratione tribui poſſit. Hoc verò aliter ſe habere, cum ipſa vocabuli iſtius vis atque ſignificatio, tum uſus oſtendit. Significat enim hæc vox gubernatorem ſuprema aliqua poteſtate præditum, adjutorem, benefactorem ac defenſorem. Quæ ſignificata, cum non ſolùm in illum univerſæ naturæ opificem, ſed etiam in angelos, innumeroſque homines conveniant, evenit ut eodem nomine fuerint appellati. Multò minùs igitur Chriſtus, qui omnia iſta, abſque ulla cum Patre coëſſentialitate, longè excellentiore ratione poſſidet, Dei nomine fraudandus eſt.

‡ *Iam tempus eſt, ut videamus*] Miſſâ hac diſtributione argumentorum noſtrorum quæ adverſarius ſibi proponit refutanda, videamus quod primum ſpectat, à nomine *Dei* deſumptum. Cui enim nomen Dei tribuitur in Scripturis, non abuſivè, cathachreſticè & putativè, ut Diabolo qui Deus hujus mundi dicitur, & Idolo cuilibet, quod ſuę cujuſque gentis ex perverſa illius opinione Numen ejus ſtatuitur, ſed legitimè, verè & propriè, & cum obligatione ad cultum indebitum iis *qui naturâ Dii non ſunt* Gal: IV, 8. is verè, propriè & naturâ Deus eſt ac coeſſentialis Patri: At Chriſto, eo modo nomen Dei tribui eſt certiſſimum, neque hic videtur adverſarius id diffiteri. Fruſtra autem negat *hoc nomen ita ſummi illius Dei proprium eſſe, ut aliis præter ipſum nullâ ratione tribui poſſit.* Nam ſuo loco primò demonſtratum, nomen *Dei* eſſe *proprium* ſummi Numinis, adeoque & plurali carere apud Latinos; Secundò nemini qui naturâ Deus non ſit in ſingulari tribui in Scripturis niſi abuſivè, catachreſticè ac cum reſtrictione quadam, ut in exemplis modò indicatis; Tertiò à propria illa ſua ſignificatione, traduci in plurali ad Magiſtratus & Angelos, ſed nulli eorum in ſingulari aſſignari. Negamus itaque ulli qui naturâ Deus non ſit tribui in Scripturis nomen Dei abſolutè, in ſingulari & citra reſtrictionem; unde colligimus Chriſtum naturâ Deum eſſe, cui ita tribuitur. Deinde etſi non inficiemur Deos in plurali, θετικῶς non φυσικῶς, vocari Angelos & Magiſtratus, tamen cùm nemo eorum in ſingulari Deus dicatur, & hoc ipſum nomen aliter conveniat Chriſto, quam Angelis & Magiſtratibus, quorum ipſe Deus eſt ac dicitur, & ab ipſis colendus & adorandus, licet Angelus nullus alterius Angeli, & nullus Princeps ſupremus alterius ſupremi Principis Deus eſſe queat, eo quod par in parem non habeat imperium, non poteſt Chriſtus Deus dici niſi φυσικῶς, & planè aliter quam Angeli & Magiſtratus ſupremi *Dij* dicuntur. Imò cùm Dei vox ſignificet, ut inſinuat adverſarius, *Gubernatorem ſupremâ poteſtate præditum*, & quà talem *adjutorem, benefactorem & defenſorem*, neceſſe eſt ut primò & per *ſe ſolum illum univerſæ naturæ opificem* denotet, cùm is ſolus abſolutè loquendo *ſupremâ poteſtate* præditus ſit; Siquidem ſupremum eſt gradus ſuperlativi,

 quo

Digitized by Google

quo ſuperius aliquid tam abſurdè fingas, quam optimo melius. Ac planè cenſendi Sociniani novum inducere Polytheiſmum Atheiſmi fratrem germanũ, cùm ſtatuunt *ſignificata* nomine Dei, *non ſolum in illum univerſæ naturæ opificem, ſed etiam in angelos innumeroſque homines* cadere. Quâ ratione excuſari poſſit. Antichriſtus *in templo Dei tanquam Deus ſedens, & præ ſe ferens ſe eſſe Deum* 2 Theſſ: 11, 4. Quin etſi Angeli & homines nonnulli ſecundum quid & limitatè, ceu gubernatores, adiutores, benefactores ac defenſores, *ſupremâ aliquâ poteſtate* præditi, Dii dicerentur, tamen non poſſet Chriſtus *omnia iſta longè excellentiore ratione poſſidere, abſque ulla cum Patre coeſſentialitate.* Aut enim ab ævo Angelorum & Principum poteſtas, non fuit inter poteſtates creatas *ſuprema*, quod nemo ſanus dixerit, aut poteſtas Chriſti quam poſſidet longè excellentiore ratione quam Reges, Principes & Angeli, ita ſuperior eſt omni poteſtate creatâ, ut increata ſtatui debeat.

423. Hoc tamen haud inviti fatemur, quia ſummo illi rerum omnium moderatori, iſta omnia Dei nominis ſignificata, primò atque omnium præſtantiſſima ratione conveniunt, utpote qui talis ex ſeipſo eſt, & omnis divinitatis fons ac primus autor; ideò illum hoc nomine κατ' ἐξοχὴν, quod articulus ei in Græco præfixus ſæpiſſimè indicare ſolet, haud aliter, ac ſi proprium ejus eſſet, appellari. Itaque quoties nomen *Dei* ſubjectivè, ut loquuntur, uſurpatur, ſeu eam ſubſtantiam aut perſonam ſignificat, quæ Deus ſit, de ſolo Chriſti Patre intelligitur: ſimiliter etiam cùm prædicati locum obtinet, & articulum in Græco præfixum habet, modò nihil adjiciatur, quod articuli iſtius vim infringat. Id propterea addimus, quia, ſi nomini *Deus* aliqua reſtrictio adjiciatur, articulus ille vim ſuam non retinet: veluti cum Thomas Chriſto dicit: *ὁ κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου*: tunc pronomen μου, voci Θεός adjunctum, articulo eidem præpoſito vim conſuetam ita adimit, ut jam non illum unum Deum, ſed eum ſignificet, quem Thomas ut divinum Dominum ſibi colendum, ex reſuſcitatione ipſius à Deo facta agnovit.

‡ *Hoc tamen haud inviti*] Quod ſi nomẽ *Dei ſummo illi rerum omnium moderatori, primò atque omnium præſtantiſſima ratione* convenit, hoc ſaltem reſpectu proprium agnoſci debet, non commune & appellativum: prout etiam fatetur Volkelius, ſupremum Numen hoc nomine κατ' ἐξοχὴν *ſæpiſſimè haud aliter ac ſi proprium ejus eſſet appellari.* Divinitatem tamen aliam facere primitivam, quæ ſit illius ceu fontis & primi authoris, aliam derivativam, quæ ſit ab ipſo in creaturis, eſt non ſolum favere polytheiſmo Gentilium, quibus Jupiter hominum Deûmque pater dicebatur, reliqui omnes infra illum Dii ſecundarii cenſebantur, ſed etiam adverſari ſtylo Scripturæ, cui θεότης Col: 11, 6. θειότης Rom: 1, 20. μορφὴ θεοῦ Phil: 11, 6. φύσις θεοῦ Gal: 1v, 8. ſunt ſynonyma, adeo ut Deitas vel Divinitas, nemini conveniat qui naturâ Deus non fuerit, aque formam Dei eſſentialem non habuerit. De articulo huic nomini in *Græco* præfixo, fuſè alias egimus, nominatim *lib. 1. cap. 13.* Uno verbo, 1. Sunt quædam loca, in quibus tum *ſubjectivè* tum *attributivè*, verus & ſummus Deus abſque præfixo articulo hoc nomine intelligitur: Subjectivè quiſdem ut Matt: xxvi 1, 46. θεέ μου, θεέ μου, *quare me dereliquiſti*

Digitized by Google

quiſti, & Matt: VI, 24. ac Luc: XVI, 13 οὐ δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ μαμωνᾷ. Mar: XII, 32. εἷς ἐστι θεός. Luc: XX, 38. θεὸς οὐκ ἐστὶ νεκρῶν ἀλλὰ ζώντων. Joh: VIII, 54. is quem vos dicitis ὅτι θεὸς ὑμῶν ἐστι. ita 1 Tim: II, 5. εἷς θεός, εἷς καὶ μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων. Multo plura exempla poſſunt colligi ex N. T. Nec plane ſunt infrequentia in V. quale illud Eſ: LII, 12. ὁ ἐπισυνάγων ὑμᾶς θεὸς ἰσραήλ. Ita Deus dicitur apparuiſſe patribus θεὸς ὢν αὐτῶν Exod: VI, 3. Et Num XVI, 22. θεός, θεὸς τῶν πνευμάτων καὶ πάσης σαρκός; & Deut: XXXII, 4: θεὸς πιστὸς καὶ οὐκ ἐστιν ἀδικία. Attributivè quoque id nominis de vero & ſummo Deo intelligitur ſæpiſſimè abſque articulo, cùm nihil frequentius occurrat in Scripturis, quā υἱὸς θεοῦ, θέλημα θεοῦ, ἀπὸ θεοῦ, ῥῆμα θεοῦ, στόμα θεοῦ, πνεῦμα θεοῦ, δάκτυλος θεοῦ, & plura ſimilia. II. Sunt etiam quædam loca in quibus articulus præfigitur, tum ſubjectivè tum attributivè, illi nomini, cùm non debet intelligi de vero Deo: Sic Act: XIV, 11. οἱ θεοὶ ſimiles *facti hominibus deſcenderunt ad nos*, & Act: VII, 43. τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν ῥεμφάν, & 1 Cor: IV, 4. dicitur ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου excœcaſſe mentes eorum qui non credunt Evangelio: ſic Eſ: XXXVI, 18. 19. μὴ ἐῤῥύσαντο οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ χώραν; ποῦ ἐστιν ὁ θεὸς ἐμὰθ καὶ ἀρφάθ; Cum ergo & ſubjectivè & attributivè id nominis ſæpè ſummo rerum omnium moderatori citra articulum tribuatur, cùm etiam adjecto articulo tribuatur è contrario abuſivè idolis, inde liquet quam ſit fallax & nullius valoris obſervatio hæreticorum ab articulo deſumpta. Sed nec deſunt loca in quibus hoc nomen Dei tribuitur Chriſto cum articulo præfixo tam ſubjectivè quam attributivè; Nam dicitur ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς Rom: IX, 5. & ὁ ἀληθινὸς θεὸς 1 Joh: V, 20. Et Heb: I, 8. 9. ὁ θρόνος σου ὁ θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα; item ἔχρισέ σε ὁ θεός, ὁ θεός σου ἔλαιον ἀγαλλιάσεως: & Act: XX, 28. Eccleſia Chriſti dicitur ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἣν περιεποιήσατο *proprio ſuo ſanguine*; & Tit: II, 13. dicimur expectare adventum Gloriæ τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ. Quare etiam poſitâ regulâ adverſariorum de articulo, utut ſit regula falſæ poſitionis, ex illa ſequeretur nomen Dei tribui Chriſto κατ᾽ ἐξοχὴν, ceu ſummo rerum omnium moderatori. Et ſanè cum longè excellentiori modo tribuatur ei quam vel Angelis vel Magiſtratibus, nedum Idolis & Diis putativis, vel inde colligetur illi κατ᾽ ἐξοχὴν convenire.

Similiter etiam cum prædicati] Præterea quod aliud eſt nomen *Dei* ſubjectivè ſumi, ideſt habere rationem ſubjecti in enunciatione, aliud illud *eam ſubſtantiam aut perſonam* ſignificare *quæ Deus ſit*, (non moror nunc quod *ſubſtantiæ* & *perſonæ* voces hic fiunt ſynonymæ) quoniam etiam ubi habet rationem attributi, poteſt eam perſonam denotare quæ Deus eſt; ut cùm aliquis dicitur glorificare Deum vel illum blaſphemare; quæ hic inſuper adjicitur reſtrictio vel limitatio, de articulo, ſatis oſtendit quam ipſis-met adverſariis incerta ſit hæc ſua regula quam deſerunt per novas reſtrictiones ubi ſe illâ conſtringi vident. Patet exemplo quod eſt præ manibus, circa celebrem locum qui extat Joh: XX, 28. ubi Thomas agnito Chriſto dixit ei, ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου. Nihil enim apertius hoc teſtimonio, in quo Chriſtus, & ſuus Dominus & ſuus Deus, cum articulo emphatico utrique nomini præfixo, ab homine pio appellatur: Nihil verò abſurdius effugio Hæretici; quod *pronomen* μου *voci* θεός *adjunctum eidem articulo præpoſito vim conſtetam ita adimit, ut*

jam non illum unum Deum, ſed eum ſignificet quem Thomas ut divinum Dominum ſibi colendum ex reſuſcitatione ipſius à Deo facto agnovit. Nam ſanè tantum abeſt ut pronomen μȣ̃ infringat vim hujus teſtimonii, vel emphaſim articuli, ut è contrario magnæ ſit emphaſeôs pro veritate: Quis enim pius & ſanctus ullum dixerit & Dominum & Deum ſuum, quem naturâ Deum eſſe non crediderit? Annon Prophetæ homines fuêre Divini, cum & *viri* Dei non ſemel dicantur in Scripturis? Ecquis verò eorum ullum citra ſacrilegium ita compellaſſet, *Domine mi & Deus mi?* Ecquę Grammatica docuit Volkelium, quod pronomen μοῦ additũ voci θεός vel ὁ θεός, vim illius vocabuli & articuli præfixi ita infringat, ut eâ ratione non unus & ſummus Deus, ſed neſcio quis Divinus homo ſignificetur? Cùm eodem capite Joh: xx, 17. dicebat Chriſtus, etiam citra articulum, ἀναβαίνω πρὸς τὸν πατέρα μȣ̃ καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ θεὸν μȣ̃ καὶ θεὸν ὑμῶν, an quæſo hoc pronomen μȣ̃ καὶ ὑμῶν additum ad nomen θεὸν, cui nec articulus præfixus eſt, ſignificat non illum unum Deum ibi intelligi, ſed alium neſcio quem divinum Patrem qui naturâ Deus non ſit? An propter illud pronomen ad ſummum & verum Deum non clamabat Filius cùm diceret Marci xv, 34. ὁ θεός μȣ ὁ θεός μȣ, εἰς τί μὲ ἐγκατέλιπες? Ecquod exemplum nobis proferent hæretici, in quo alii quam uni illi & ſummo Deo, ullus pius dixerit, ὁ θεός μȣ̃? Mille ſunt loca apud ipſum Davidem, in quibus ſub hac formula de Deo loquitur, vel Deum alloquitur, juxta verſionem Græcam; vide nominatim Pſal: xviii, 2. xxii, 2. lxiii, 1. lxviii, 26. lxxxvi, 14. lxxxix, 26. An ergo ibi ex pronomine μȣ, veſtra articuli præfixi reſtrictio & infractio eſt colligenda? Imò quando illa duo nomina Domini & Dei noſtri, ſimul conjunguntur & eidem aſſignantur, ab hominibus piis, quem alium poſſunt denotare quam eum qui tam ſæpè à fidelibus dicitur in V.T. juxta Græcam verſionem, κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, & de quo ita loquitur Moſes Deut: vi, 4. ἄκȣε Ἰσραὴλ κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν εἷς κύριος ἐςι? Quod ſi alteri, quam vero & ſummo illi Deo, hi duo tituli ſimul citra ſacrilegium & Idololatriam deferri poſſunt, extra culpam reponendi erunt adulatores Domitiani, inter quos fuit Martialis, qui ipſum Dominum Deum ſuum ſalutabant. Quod ſi item ſola reſuſcitatio Chriſti ex mortuis, eum dignum faciebat utroque hoc titulo, pari ratione Lazarus, quatriduo poſt ſuum obitum ad vitam revocatus, Dominus Deus potuiſſet ſalutari. Non inficior Thomam compertâ veritate reſurrectionis Chriſti, de qua hactenus dubitaverat, in illas voces erupiſſe: Sed quomodo? An tantum quod eum ſibi in poſterum proponi *ut Divinum Dominum colendum, ex reſuſcitatione ipſius à Deo facta* agnoſceret? Minimè: Nam reſuſcitatio alicujus à Deo facta, illum non conſtituit eo ipſo colendum & adorandum; cùm præſertim dixerit ipſe Deus, *Dominum Deum tuum* κύριον τὸν θεόν σȣ, *adorabis & illi ſoli ſervies* Matt: iv, 10. Sed cùm meminiſſet Thomas ipſummet Chriſtum prædixiſſe deſtructum quidem iri templum corporis ſui ſed ſe illud excitaturum tertio die, ut liquet ex Joh: ii, 19, 21. 22. ex hac illius reſurrectione per ſemetipſum meritò colligebat eum eſſe reſurrectionem & vitam, ut dixerat Joh. xi, 25. qui non ſecus ac Pater haberet vitam in ſe ipſo Joh: v, 2. Et cui illud Davidis, ceu ſupremo Domino ac Deo cum Patre, eſſet accinendum Pſal: xxxvi, 10. *Penes te eſt fons vitæ, in luce tua fruemur luce.* Ita enim dicitur *potenter* declaratus & agnitus

tus Filius Dei *ſecundum Spiritum Sanctificationis per reſurrectionem à mortuis* Rom: 1, 4. His addo quod ubicunque in V. T. apud Græcos interpretes hæc duo nomina κυρίῳ & θεῷ conjunguntur, ut poſterius reſpondet in textu originali nomini *Elohim*, ita prius exprimit nomen *Jehovæ*, quod nulla Creaturæ nunquam competit, quare nequivit Chriſtus conjunctim dici & agnoſci à Thoma κύριος καὶ θεὸς, quin eo ipſo ſummus & verus Deus, ſuo Patri coeſſentialis & coæternus agnoſceretur.

Solere autem vocabulum *Dei* ſimpliciter abſoluteque poſitum, aliis etiam præter ſummum omnium rerum Dominum attribui, conſtat ex Exod: 15. 1: 21. 6: 22. 26. Deut: 10. 17. Pſal: 8. 6. quem confer cum Heb: 2. 7, 9. & Pſal: 50. 1: 82. 1, 6. qui locus citatur Joan: 10. 34: & Pſal: 97. 7. quæ verba citantur Heb: 1. 6. Quid igitur mirum, ſi etiam Chriſto tribuatur, nulla iſtius cum Patre coeſſentialitatis ratione habita; cùm ei multò, quàm reliquis, præſtantiore modo id nominis conveniat; utpote ſupra omnes exaltato, & nomine ſupra omne nomen donato, vel, ut ipſe divinitatis ſuæ rationem explicat, (*Ioh: 10. 30.*) à Patre ſanctificato, & in mundum miſſo, id eſt, modo omnium præſtantiſſimo à reliquorum hominum turba ſegregato, & multò pluribus excellentioribusque Dei muneribus, quàm omnes alii, exornato, cuique vitæ immortalis non ſolùm annunciandæ confirmandæque, ſed etiam in alios conferendæ, ampliſſima poteſtas data eſt.

‡ *Solere autem vocabulum*] Nomen *Deorum* tribuitur in Scripturis, Angelis & Magiſtratibus in communi θετικῶς & nuncupativè, quod aliquid analogicè participent excellentiæ Divinæ; ſed nulli unquam eorum in ſingulari; Abuſivè quoque ex falſa hominum opinione tribuitur Idolis, & cujuſque gentis Idolo ſpeciali: Sed nullo Scripturæ teſtimonio conſtabit nomen Dei, aut Dei magni, vel noſtri in ſingulari, & abſolutè, tribui unquam à piis ulli Creaturæ, ut ut excellentiſſimæ & potentiſſimæ. Expendamus paucis omnia loca quæ hic congeſſit Volkelius; Exod: xv, 11. *Quis eſt tui ſimilis in fortibus*, textus originalis habet באלם *Baelim*, id eſt *in Diis*, vel inter Deos, ut reddunt Pagninus & Tigurinus. Deorum autem nomine ſive Idola gentium, ſive ipſosmet Angelos intelligamus, parum refert; cùm neutro ordini Chriſtus ſit adſcribendus: Non illi, cùm ſit verus *Deus* & vita æterna 1 Joh: v, 20. Non huic, cùm ſit omnibus Angelis longè ſuperior, utpote quem ipſi omnes adorare debent Heb: 1, 6. Exod. xxi, 6. & xxii, 28. Magiſtratus in communi אלהים *Elohim* appellantur; Sed nec quiſquam Princeps vel Magiſtratus in ſingulari, illo nomine unquam appellatur, ut Chriſtus ſæpè Deus dicitur; nec Chriſtus huic ordini eſt inſerendus, ſiquidem Reges & Principes omnes eum oſculari & ſe ſuaq; omnia illi ſubjicere tenentur Pſal: 11, 10. 11. 12. Reges & ſupremi Magiſtratus, *Dei* dicuntur quod nullum præter Deum ſupra ſe agnoſcant; Verus itaque Deus ipſe Chriſtus, cui faſces ſuos ſubmittere debent Reges optimo jure, & ſupremi quique Magiſtratus. Deut: x, 17. Jehova appellatur *Deus Deorum & Dominus Dominorum*; ſed quicunque iſti ſint οἱ λεγόμενοι θεοὶ καὶ κύριοι 1 Cor: viii, 5.

quorum Jehova Deus & Dominus eſt, eorum circulo Chriſtus contineri nequit, cùm ſit ipſemet *Iehova Iuſtitia noſtra* Jer: XXIII, 6. *Rex Regum & Dominus Dominorum* Apoc: XIX, 16. Ex Pſal: VIII, 6. collato cum Heb: II, 7. 9. conſtat Angelos in communi appellari אלהים *Elohim*. Sed alterius ordinis cenſeri debet Chriſtus, Angelus fœderis, Angelorum caput & creator Col: I, 16. & quem omnes Angeli, ut modò viſum, adorare tenentur. Pſal: L, I. Deus triplici nomine exprimitur אל אלהים יהוה, *El, Elohim, Iehova*, juxta Junium & Pagninum. Si tamen malis unum tantum nomen contineri duabus prioribus voculis, ut dicatur *El Elohim, Deus Deorum*, cùm etiam id elogii ipſi Chriſto conveniat, non poteſt inter eos referri qui Deorum nomine in plurali hic deſignantur. Quantum ad Pſal: LXXXII, I. 6. citatum Joh: X, 34 ut non inficiamur Magiſtratus & Principes Davidi dictos *Elohim* ſivè Deos in communi, ut-ut cum plebeis pariter morituros, Chriſtumque ipſum hoc argumento uti, quo ſe neget blaſphemum, dum ſe facit æqualem Deo Joh: V, 18. & Deum ipſum Joh: X, 33. ſic tamen negamus Chriſtum ſe iis accenſere qui *Elohim* vel θεοὶ in plurali Davidi appellantur: Nec enim argumentatur à pari, ut ſe dicat Θεὸν in ſingulari, quomodo illi qui aſſident בעדת אל *BagnadathEl, in cœtu Dei fortis, Elohim* in plurali appellantur: ſiquidem res erat evidens, eum Synedrii Judaici aſſeſſorem non eſſe; Sed argumentatur à minori ad majus, ut cùm etiam illi *Dii* dicantur in Scripturis qui ſedent pro tribunali inter homines, multo potiori jure ſe cenſendum Deum & parem Deo, qui Deum haberet proprium Patrem, & à quo tam ſpeciali ritu ſanctificatus fuerat. Pſal: XCVII, 7. Angeli *Elohim* dicuntur, ſed tales qui debeant ipſummet Chriſtum adorare, ut patet ex Heb: I, 6. ubi Pſaltis verba citantur, quod ſatis oſtendit Chriſtum non comprehendi ſub illo nomine communi *Elohim*, prout Angelis, Magiſtratibus, vel Idolis tribuitur.

Quid igitur mirum] Imò cum nomen *Dei* planè aliter tribuatur Chriſto, quam vel Angelis, vel Magiſtratibus, vel Idolis, ubi θεοὶ in plurali vocantur, & fatente Volkelio, *ei multo quam reliquis præſtantiore modo conveniat*, illius ἐξοχῆς fundamentum extra coeſſentialitatem cum Patre aſſignari nequit. Exaltatio verò Domini, quâ nomen ſupra omne nomen eſt conſequutus, non conſtituit ejus Divinitatem à priori; ſiquidem cùm primùm introduceretur in mundum ab omnibus Angelis debuit adorari Heb I, 6. & in cunis à Magis fuit adoratus Matt: II, II. & jam tempore ſuarum infirmitatum in carne pertendebat ſe parem Deo & Deum agnoſcendum, multo potiori jure quam illi de quibus David, *Dixi Dii eſtis*; & priuſquam aſſumeretur in gloriam & ſic donaretur illo nomine ſupra omne nomen, cujus ex Paulo Phil: II, 9. meminit Volkelius, jam id à Thoma audiebat *Domine mi & Deus mi*; Sed Divinitatem hanc duntaxat demonſtrat à poſteriori, eo quod impoſſibile fuerit ipſum, ut pote Principem vitæ & Dominum gloriæ, detineri vinculis mortis Act: II, 24. aut non reſtitui tandem poſt conſummatum opus cujus gratiâ formam ſervi aſſumpſerat cùm eſſet in forma Dei nec rapinam duceret parem eſſe cum Deo Phil. II, 6. illi gloriæ ſuæ Divinæ quam habuit apud Patrem *priuſquam mundus eſſet* Joh: XVII, 5.

Vel ut ipſe divinitatis] Nihil habent certi hæretici, ſi debeant fictitiæ & factitiæ illius divinitatis quam Chriſto tribuunt, formalem rationem aſſignare. Nam modò Volkelius eam arceſſit ab ipſius exaltatione & aſſumptione in gloriam, ut jam viſum, modò ab ipſius ſanctificatione

Digitized by Google

tione ſive conſecratione in Mediatorē & miſſione in hunc mundum ad opus Redemptionis noſtræ, cujus meminit ipſe Chriſtus Joh: x, 36. Verum nec eo loci Chriſtus *divinitatis ſuæ rationem explicat*, ut ſomniat Volkelius, ſed tantum divinitatem ſuam probat, & quod citra blaſphemiam ſe Deum, ſe Deo parem, ſe proprium æterni Patris Filium aſſereret, ex eo quod Pater ſe tanquam unigenitum Filium miſiſſet in mundum & ſanctificaſſet ad munus illud Mediatorium, cujus mera Creatura capax eſſe nequibat; prout talem ſe eſſe, adeoque & Patrem in ſe eſſe & ſe in Patre, ut ibidem loquitur com. 38. vel ex ſuis operibus planè divinis cognoſci volebat. Neque revera Chriſtus potuit *modo omnium præſtantiſſimo à reliquorum hominum turba* ſegregari, niſi per naturæ humanæ in qua apparebat unionem hypoſtaticam cum perſona λόγου, ex qua eſſet verus Immanuel & θεάνθρωπος; Non potuit *multo pluribus excellentioribuſque Dei muneribus quam omnes alii exornari*, Deo non dante illi *Spiritum ad menſuram* Joh: III, 34. niſi in ipſo habitaſſet *omnis plenitudo Deitatis corporaliter* Col: II, 9. Non potuit *vitæ immortalis non ſolum annunciandæ confirmandæque*, quod Prophetis & Apoſtolis omnibus convenit, *ſed etiam in alios conferendæ ampliſſima poteſtas*, quæ ſphæram activitatis creatæ longè ſuperat, ei convenire, quin eo ipſo naturâ Deus, adeoque Patri ſuo coeſſentialis, ſit agnoſcendus.

Quæ licet ita ſint in promtu, ut res diſputatione non egeat; adverſarii tamen illis epithetis Dei, quæ Chriſto cum Deo Patre communia eſſe exiſtimant, impediti, hanc veritatem aſſenſu ſuo comprobare nolunt: quòd nimirum Chriſtus non minùs quàm Pater, dicatur Deus verus, (1. *Joh*: 5. 20.) Deus magnus, (*Tit*: 2. 13.) Deus ſuper omnia, (*Rom*: 9. 5.) ſolus herus Deus, (*Jud*: 4.) Deus altiſſimus, (*Luc*: 1. 76.) Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt, (*Apoc*: 1. 2.) Deus qui ipſe venturus erat. (*Eſa*: 35. 4.)

‡ *Quæ licet ita ſint*] Quam hæc non ſint *in promptu* niſi in læſa imaginatione Socinianorum & odio quo flagrant adverſus Chriſtum, ex ſuperoribus liquet; Quantumque inſit ponderis *illis epithetis Dei quæ Chriſto cum Deo Patre* de facto *communia* ſunt, non tantum in Orthodoxorum opinione, ex ſingulorum examine, facilè apparebit. Nos itaque hic manebimus intra circulum horum locorum, ad quæ ſuas exceptiones Volkelius conatur proponere.

Primò igitur, non diffitemur quidem, Chriſtum verum & nequaquam imaginarium Deum eſſe: hoc tamen nomen nuſquam, quod ſciamus, in ſ. lit. ei expreſſè tribuitur. Tametſi enim Joannes eum ſic vocare videtur: 424.
attentiùs tamen locum illum inſpicienti facilè patebit, verba illa, (*d. l.* 1. *Joh*: 5.) *Hic eſt verus Deus & vita æterna*, non ad Chriſtum, ſed ad Deum Patrem referenda eſſe, in cujus notitiam Chriſtum nos deduxiſſe, ibidem dictum fuerat, quem Patrem ſolum verum Deum eſſe, apud eundem Joannem (*Joh*: 17, 1.) ſcriptum legimus. Quo fit, ut niſi cum Chriſto Apoſtolum

Digitized by Google

lum pugnare volumus, Filius verus Deus, ea ſignificatione, quæ hîc ſpectatur, eſſe non poſſit.

‡ *Primò igitur non diffitemur*] Quod ſi verè fateris *Chriſtum verum Deum eſſe*, cur ergo id elogij ſoli Patri, ad ipſiuſmet Filii excluſionem, voluiſti ſupra ex loco Johannis XVII, 3. vindicare? Cur etiam hîc omnes intendis nervos, ut hoc teſtimonium 1. Joh: V, 20. Chriſto eripias? Sed ipſum locum propiùs expendamus: Verba Johannis hæc ſunt; *Scimus Filium Dei veniſſe & dediſſe nobis mentem ut cognoſcamus verum illum: & ſumus in vero illo, ideſt in ejus Filio Ieſu Chriſto; Hic eſt verus ille Deus & vita æterna.* Quis autem non videt primo obtutu hæc de Filio dici, qui pariliter ſe veritatem & vitàm vocat Joh: XIV, 6. ut vim faciat ſuæ conſcientiæ quicunque hoc elogium Chriſto ſtudet eripere? Parum autem intereſt, ſive legas, *ut cognoſcamus verum illum*, cum pleriſque Codicibus Græcis & Syro interprete, ſive legas *ut cognoſcamus verum illum Deum*, ut quædam exemplaria Græca vocem θεὸν ibi habent, & Latinus interpres; Nam nec neceſſariò id elogii ad Patrem pertinebit, cùm etiam poſſit Filius ſtatui is ἀληθινὸς, vel ἀληθινὸς θεὸς, in cujus notitiam nos deduxit ipſemet, dum ſuo Spiritu nos ſalutari ſui notitiâ & fide colluſtravit. Neque enim id alienum foret à phraſi Hebraica, ſi diceretur Filius Dei qui venit nobis dediſſe διάνοιαν, ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινὸν, ideſt ſeipſum; mox enim demonſtrabimus ſæpè Filium & ἀληθινὸν & ἀλήθειαν appellari: Nec ſi id de Patre intellexerimus, in cujus notitiam Chriſtus nos deduxit, prout de facto, *nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quiſquam novit niſi Filius & cuicunque voluerit Filius retegere* Matt: XI, 27. inde tamen ſequetur, illa verba ultima: *Hic eſt verus Deus & vita æterna*, ad Filium non ſpectare. Nam I. Pronomen demonſtrativum οὗτος, perſonam eam ſpectat, non ſolum de qua immediatè agunt præcedentia verba, ſed de qua agit tota ſeries contextus præcedentis: Ea verò eſt perſona Filii, & qui nobis dedit ut cognoſcamus verum illum, & in quo cùm ſumus, ſumus etiam in illo vero, quatenus in illo & per ipſum ſalutarem communionem cum Patre habemus. II. Tantum abeſt, ut ex eo quod Pater ὁ ἀληθινὸς ſtatuitur, colligi poſſit id elogij Filio non competere, ut è contrario mens ſit Apoſtoli demonſtrare, nos ideo eſſe ἐν ἀληθινῷ illo qui Pater, eò quod ſumus in Filio ejus Jeſu Chriſto, quoniam ipſe quoque Jeſus Chriſtus eſt ὁ ἀληθινὸς θεὸς καὶ ζωὴ αἰώνιος. III. Ita hoc epitheton ἀληθινοῦ tribuitur Patri à Johanne, ut etiam frequentiſſimè ipſi quoque Filio tribuatur. Sic enim appellatur τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν Joh: I, 9. 1. Joh: II, 8. & ὁ ἄρτος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ὁ ἀληθινὸς Joh: VI, 32. & ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινὴ Joh: XV, 1. & ὁ ἅγιος ὁ ἀληθινὸς qui habet clavem Davidis Apoc: III, 7. & ὁ ἀμὴν ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς Apoc: III, 14. XIX, 11. Etiam πλήρης ἀληθείας dicitur Joh: I, 14. καὶ ἡ ἀλήθεια abſolutè Joh: XIV, 6. IV. Aliud iſtud elogium *vitæ æternæ*, ex ſtylo Iohannis nunquam Patri, ſed frequentiſſimè Filio tribuitur; Nam vita appellatur Ioh: I, 4. XI, 25. XIV, 6. 1. Ioh: I, 2. & *vita æterna quæ erat apud Patrem & apparuit nobis* 1. Ioh. 1, 2. & panis *vitæ* Ioh: VI, 35. & ſermo *vitæ* 1. Ioh: 1, 1. & lignum *vitæ* Apoc: II, 10. XXII. 2, 14. prout habet *vitam* in ſeipſo Ioh: V, 26. imò *vita æterna* in Filio eſt, quem qui habet habet *vitam* 1 Ioh: V, 11, 12. Sic & Paulo

Digitized by Google

Paulo Chriſtus *vita noſtra* dicitur Col: III, 4. Nobis autem non obeſt objectiuncula Volkeliana, cui aliàs plenè ſatiſfactum, ex Ioh. XVII, 3. ubi Pater ſolus verus Deus eſſe dicitur. Oſtendimus enim, non dici *ſolum* Patrem eſſe verum Deum, ſed Patrem eſſe ſolum verum Deum, quæ duo immanè quantum diſtent. Si ſolus Pater eſſet verus Deus, Chriſtum verum Deum eſſe deberet omninò diffiteri Volkelius, contra quam modò profitebatur: Sed ita Pater eſt ſolus verus Deus ut id elogium ſolius veri Dei ei ſit commune cum Filio & Spiritu Sancto, quibuſcum unum eſt. Ideo hic loci eſſe ἐν τῷ ἀληθινῷ, & eſſe ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ χριστῷ, idem eſt, quod ipſe quoque Filius ſit non minus quam Pater ὁ ἀληθινὸς θεός. *Quo fit ut niſi cum Chriſto Apoſtolum pugnare volumus*, non ſolus Pater veniat ſtatuendus verus Deus, ſed tantum Pater cum Filio & Spiritu ſuo, ſolus ille verus Deus ſit agnoſcendus.

Accedit, quòd articulus vocibus vero Deo in Græco præfixus, de illo vero Deo ſermonem eſſe oſtendit, cui omnium perfectiſſima ratione hoc nomen convenit. Eum autem nonniſi Chriſti Patrem eſſe, ex iis, quæ ſuprà à nobis diſputata ſunt, patet. Præterea Deus ille, de quo ſermo eſt, in his Apoſtoli verbis idolis opponitur, quod de Patre ſæpiſſimè, de Chriſto nuſquam legitur.

‡ *Accedit quod articulus*] Imò quæ ſit articuli efficacia hac in parte, militat nobis: Si enim ſemper denotat ſummum Deum, Chriſtus igitur ſummus Deus eſt cum Patre, quia hic non ſecus ac Pater ὁ ἀληθινὸς θεὸς dicitur. Verùm ſuo loco monuimus, & articulum præfigi illi nomini cùm Chriſto tribuitur, ut Ioh: XX, 28. Act: XX, 28. Rom: IX, 5. Heb: I, 8. Col; II, 9. & articulum ſæpiùs omitti etiam ubi agitur extra controverſiam de ſummo Deo, ut nominatim I. Theſſ: I, 9. ubi dicuntur Theſſalonicenſes converſi ab Idolis δουλεύειν θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ, nec non in loco celebri I. Cor: VIII, 6. & denique articulum præfigi ei nomini cùm falſo Deo tribuitur; Nam & Act: VII, 41. dicuntur Iſraelitæ geſtaſſe aſtrum τοῦ θεοῦ ῥεμφὰν, & Diabolus appellatur ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου 2. Cor: IV, 4. & dicuntur Idololatræ ſervire τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς Gal: IV, 8. Perabſurdè autem finxeris duplicem Deum verum, unum *cui omnium perfectiſſima ratione hoc nomen* conveniat, & quem *nonniſi Chriſti Patrem eſſe* perpetuò ſupponas, probes nunquam; alterum qui verus Deus dicatur, ſed ratione quadam diminutâ & imperfectâ; cùm tamen, te ipſo fatente, nemo unquam in Scripturis *verus Deus* dicatur niſi is *cui omnium perfectiſſimâ ratione hoc nomen convenit*, qualem ex conſequenti non ſolum Patrem oportet eſſe, ſed cum Patre ipſum Filium, qui tam apertè Johanni dicitur eſſe *Verus Deus & vita æterna.*

Præterea Deus ille] Nec plus eſt virium in hoc diſcurſu. Nam primò non tam hic eſt oppoſitio veri Dei ad Idola, quam coriſma & adhortatio moralis inde efflorescens, quod cùm habeamus ſalutarem communionem cum Patre & Filio, ideo debemus ab Idolis & eorum cultu abſtinere, quâ parænesi Iohannes ſuam claudit epiſtolam I. Ioh: V, 21. Deinde ſi juxta mentem Volkelianam Chriſtus *Idolis* nuſquam opponitur, ergo optimè cum illis componi poterit,

Digitized by Google

poterit, uti revera Sociniani ſibi faciunt ex Chriſto Idolum, ubi negatâ ejus verâ Divinitate, illi tamen cultum divinum & religioſum ſe deferre profitentur; quò ſic accenſeantur illis quibus vitio vertitur ab Apoſtolo quod ſerviant iis qui naturâ Dii non ſunt Gal: IV, 8. Denique oportet iſtos homines valde ſupinè legiſſe Scripturam, dum imperterritè aſſerunt Chriſtum *nuſquam* opponi Idolis: Quid ergo ſibi vult Apoſtolus 1. Cor: VIII, 6. dum non Patrem modò ſed & Filium, ceu unicum Dominum, opponit iis qui & Dii & Domini ſive Bahalim dicuntur & quà tales coluntur ab Ethnicis? Annon 1. Cor: X, 19. 20. 21. poculum Domini poculo dæmoniorum, & menſa Domini menſæ dæmoniorum, ideſt, ipſo Paulo interprete, Idolorum, diſertè opponitur? Imò paulò ante com. 14. & 16. ideo ab *Idololatria* fugiendum Chriſtianis monuerat Apoſtolus, quod *poculum benedictionis cui benedicimus ſit communio ſanguinis Chriſti, & panis quem frangimus communio corporis Chriſti*, nolitque nos participes Chriſti, eſſe *conſortes* Idolorum, ideſt dæmoniorum, quibus immolabantur Idolothyta. Annon aperta eſt Chriſti cum Idolis oppoſitio 2. Cor: VI, 15. 16. *Quæ concordia Chriſto cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli? Et quæ conſenſio templo Dei cum ſimulachris?*

Denique in hoc eodem Joannis loco, Chriſtus bis ab illo vero Deo diſtinguitur. Nam & Filium Dei veniſſe, nobiſque *illius veri*, nempe Dei, cognoſcendi mentem dediſſe; & nos per eundem Dei filium *in illo vero*, nempe, ut diximus, Deo, eſſe affirmatur. Nam ut & Hebraicus idiotiſmus, & ipſa contextûs ratio poſtulat, voculam *in* ad Chriſtum relatam, pro *per* uſurpatam eſſe apparet, quod Eraſmus quoque animadvertit. Si igitur ſequentia verba, *Hic eſt ille verus Deus, ac vita æterna*, ad Chriſtum pertinere volumus, ineptiſſimè Joannem loquentem inducimus; quippe qui diſtinctionem Filii ab illo vero Deo, à ſeipſo modò conſtitutam mox convellat, & ſic in eadem verborum complexione ridiculè admodum ſibi contradicat. Si enim ipſe Chriſtus eſt ille verus Deus; quis erit Dei Filius, per quem in illius veri Dei notitiam pervenimus, & per quem factum eſt, ut in illo vero Deo eſſemus?

‡ *Denique in hoc eodem*] Diſtingui perſonaliter Filium à Patre hoc loco agnoſcimus; Sed utrique ſimul tribui elogium τοῦ ἀληθινοῦ, quia Pater & Filius unum ſunt, jure pertendimus: Nam primò Johanni ſynonyma ſunt eſſe ἐν τῷ ἀληθινῷ & eſſe ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ, eo quod qui agnoſcit Filium habet etiam Patrem 1. Joh: II, 23. quoniam Filius eſt in Patre & Pater in ipſo Ioh: XIV, 9. 10. Facilius autem dixeris quam probaveris *voculam in ad Chriſtum relatam pro* PER *uſurpatam eſſe*; cùm illud *eſſe in Filio ejus*, non ſit habere per Filium communionem cum Patre, ſed habere cum ipſo Filio, & ex conſequenti cum Patre, penitiſſimam illam communionem per quam *in ipſo eſſe & manere* fideles frequentiſſimè dicuntur, nominatim Ioh: XV, 2. 4. 5. 6. 7. Hinc dicitur noſtra communio eſſe μετὰ τοῦ πατρὸς καὶ μετὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ 1. Ioh: I, 3. Ita dicimur 1. Ioh: II, 24.

maner

manere ἐν τῷ υἱῷ καὶ ἐν τῷ πατρί. Eraſmus quidem *in ſuis annot.* ita habet, ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ, *ideſt in eo qui verus eſt, nimirum in filio ejus, aut per filium ejus*; Sed nihil definit; & in ſua verſione adhæret textui Græco, *Et ſumus in vero, in Filio ejus Ieſu Chriſto*; Nec in *Paraphraſi* repoſuit *Per* loco *In*: Nam ea ſic habet; *Et nos ſumus in illo vero, qui ſyncero pectore doctrinam illius ac promiſſa ſequimur quanidiu ſumus in Filio ejus Ieſu Chriſto, quem hac de cauſa miſit in mundum.* Secundò Joannes demonſtraturus nos eo eſſe ἐν ἀληθινῷ quod ſumus in ejus Filio, jure tribuit Filio quod ſit quoque ὁ ἀληθινὸς cum ſuo Patre; Nec pronomen demonſtrativum οὗτος & additum elogium quod ſit non ſolum verus Deus, ſed etiam *vita æterna*, patiuntur alium hic quam ipſum Filium intelligi. Non eſt verò quod pertendat hæreticus *ineptiſſimè Iohannem loquentem* induci, ſi hæc verba ad Chriſtum pertinere dicantur. Nec enim convellit diſtinctionem Filii à Patre, quem *verum illum* appellaverat, vel *ridiculè* ſibi contradicit, qui oſtendit Filio cum Patre idem *veri Dei* epitheton convenire: Nam in eo non diſtinguitur Filius à Patre, quod hic ſit *verus ille*, iſte non; demonſtravimus enim non ſemel alibi Filium τὸν ἀληθινὸν, imò quod magis eſt, ipſam ἀλήθειαν dici; Sed tantum in eo quod Filius venerit, & nos in Patris notitiam deduxerit, cui Patri nomen ἀληθινοῦ tribuitur, non tanquam perſonale, quo à Filio diſtinguatur, ſed tanquam eſſentiale, ipſi cum Filio commune. Quare licet Chriſtus non ſit perſonaliter *ille verus Deus* in cujus *notitiam* nos deduxit, eſt tamen eſſentialiter idem cum ipſo, quippe qui ſit quoque verus Deus & vita æterna.

Conſtat igitur, verba hæc ad illum verum Deum ſuprà nominatum, qui Pater eſt, reſpectum habere, ut ſit ſenſus: hunc illum verum Deum eſſe, in quo per Chriſtum ſumus, quemque Chriſtus nobis patefecit; in eoque per Chriſtum cognito, & arctiſſimo fœdere nobiſcum conjuncto, vitam æternam eſſe ſitam: ſeu nos, ſi illum ita, ut Chriſtus nos docuit, cognoſcamus, & ei hoc pacto inſeramur, vitam æternam ipſius beneficio adepturos, quod nihil eſt aliud, quàm id, quod ipſe Chriſtus apud eundem Joannem dixit: *Hæc eſt vita æterna,* [hoc eſt, vitæ æternæ conſequendæ ratio,] *ut cognoſcant te* [Pater] *ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum*: quorum verborum cum hoc loco noſtro collatio, noſtram de eo ſententiam vehementer confirmat.

† *Conſtat igitur verba hæc*] Id nullo modo conſtat; Verum quidem eſt illum ſtatui verum Deum, *quem Chriſtus* veniendo in mundum *nobis patefecit*; Sed nec dicit Johannes nos in illo vero *per Chriſtum* eſſe, cùm è contrario dicat nos eoipſo eſſe in illo vero quod ſumus in Filio ejus, ob identitatem ſcilicet eſſentiæ & naturæ; nec dicit in Patre *per Chriſtum cognito & arctiſſimo fœdere nobiſcum conjuncto, vitam æternam eſſe ſitam*; cum è contrario ipſimet Filio Dei tribuat quod ſit verus Deus & vita æterna; & hoc utique non tantum objectivè in eſſe ſuo cognito, ſed formaliter, originaliter, ſubjectivè & effectivè. Aliud eſt dici aliquem abſolutè *vitam æternam*, quod nuſquam de alio dictum reperie-

tur quam de Chriſto: aliud eſt de Patre affirmari (quod concedimus verum eſſe, negamus hîc dici à Johanne) *nos ſi illum ita ut Chriſtus nos docuit cognoſcamus*, (imò ut nos docuerunt Prophetæ & Apoſtoli; nihil enim hîc Chriſto tribuit hæreticus, quod de illis dici non poſſit:) *& ei hoc pacto inſeramur, vitam æternam ipſius beneficio adepturos.* Quod ſi quæ ſit collatio inſtituenda hujus loci cum dicto Chriſti Ioh: XVII, 3. ea tantum erit 1. quod τῦ ἀληθινῦ elogium, non ſit ſpeciale & perſonale Patris, ſed eſſentiale Filio; 2. quod vita æterna quæ arceſſitur objectivè ex Dei Patris & Filii cognitione apud Evangeliſtam, formaliter & effectivè hîc loci tribuatur Filio, quod eam nobis acquiſierit ſuo merito, & ſuâ efficaciâ tandem conferat. Verum cùm nec ſoli Patri apud Evangeliſtam tribuatur quod ſit verus Deus excluſivè ad Filium, ſed è contrario Filius Patri conjungatur in conſtitutione illius objecti cujus cognitio vivifica & ſalutifera ſtatuitur, & ſic ex conſequenti ſolus verus Deus cum Patre agnoſcatur, ſiquidem is eſt ſolus verus Deus cujus cognitio eſt ſalutaris & vivifica; at talis eſt Filii cum Patre cognitio, ex loco Ioh: XVII, 3. E. Filius cum Patre eſt ſolus verus Deus; nec Patri unquam, nedum apud Evangeliſtam, tribuatur, quod ſæpè diximus & docuimus prædicari de Filio, ut hîc, eum videlicet eſſe vitam æternam; Non eſt quod ex Chriſti dicto apud Euangeliſtam, *ſententiam* ſuam comprobet Volkelius, quâ negat Filio id elogij convenire quod ſit verus Deus & vita æterna.

Neque verò eſt, quòd quis omnino neceſſe eſſe dicat, ut pronomen *Hic* ad proximè nominatum Filium Dei referatur: quandoquidem relativa ſæpenu-
425. mero non id, quod proximè anteceſſerat, ſed id potiùs, quod rei caput eſt, ſeu de quo potiſſimùm agitur, reſpiciunt, quamvis fuerit remotius. Sic enim, verbi cauſâ, apud Paulum 2 Theſſ: 2. 9. relativum *cujus*, non Dominum Jeſum proximè commemoratum, ſed Antichriſtum refert, de cujus adventu ibidem agitur. Nec in Epiſtola ad Hebr: c. 5. 7. vocula *qui* ad Melchiſedecum propiùs nominatum, ſed ad Chriſtum, de cujus ſacerdotio diſſeritur, relationem habet. His adde & duos ex Actis Apoſtolicis locos: *His eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus.* (*Act*: 4. 11.) & *Hic circumveniens genus noſtrum, afflixit patres noſtros.* (*ibid*. 7. 19.) Utrobique enim pronomen *hic* non ad propinquum, ſed ad ſuperius nomen applicandum eſſe, ipſa res demonſtrat. Aliter enim illo priore teſtimonio, homo à Petro ſanitati reſtitutus, angularis lapis eſſe probaretur; & hoc altero, Joſephum circumveniſſe afflixiſſeque populum Iſraeliticum, demonſtrari poſſet: quorum utroque quid poteſt cogitari abſurdius? Similes loci ſunt hi: Act: 10. 6. & 2 Joh: v. 7. in quorum poſteriore dicitur: *multi ſeductores ingreſſi ſunt in mundum, qui non confitentur Ieſum Chriſtum venientem in carne, hic eſt ſeductor & antichriſtus*, ubi nemo non videt, pronomen *hic* non ad proximum antecedens, nempe Chriſtum, referri, ſed ad remotius, licet diverſo numero elatum, cum in loco controverſo utrobique idem ſit numerus. Apparet igitur,

illis

Digitized by Google

illis Apoſtoli verbis nequaquam confirmari poſſe, Chriſtum eſſe illum verum Deum, & ſic Patri coeſſentialem.

† *Neque verò eſt quod*] Primùm valde abſurdè pronomen *Hic*, Græcum οὗτος, relativum à Volkelio dicitur, cùm demonſtrativum ſit. Quæ duo non eſſe confundenda, norunt vel tyrones in Grammaticis. Secundò fateor hoc pronomen non neceſſariò reſpicere *id quod proximè anteceſſerat, ſed id potiùs quod rei caput eſt, ſeu de quo potiſſimum agitur*; Verum pertendo in Iohannis ſermone Filium eſſe rei caput & de quo potiſſimum agitur; Nam de Filio dicitur quod venerit in mundum, quod nos in cognitionem Patris ſui deduxerit, quod non ſolum in Patre ſed & in ipſo ſimus, imò juxta Volkelium quod in Patre ſimus per ipſum: Quonam ergo reſpiciet iſtud pronomen *Hic eſt verus Deus & vita æterna*, quam ad Filium, non ſolum quoniã proximè ſermo de illo anteceſſerat, ſed maximè quod ſit in tota ſerie textus Apoſtolici rei caput & de quo potiſſimum agitur, eique hoc pronomen reſpondeat in numero, genere & caſu juxta ſyntaxeôs regulam? Hoc poſito facile eſt oſtendere exempla quæ profert adverſarius, nec ipſi favere, nec obeſſe veritati. 2 Th: II, 9. extat *relativum* οὗ ſive *cujus*; non demonſtrativum οὗτος, quod hic loci eſt: adeoque non quadrat iſtud exemplum huic loco. Heb: V, 5. ſimiliter legitur relativum ὅς, *qui*, non verò demonſtrativum οὗτος. Act: IV, 11. in his verbis, οὗτος ἐστὶν ὁ λίθος, deſignatur, non is qui remotior erat, nempe Deus ſuſcitans Chriſtum, ſed ipſe Chriſtus qui propior, & de quo immediatè antea dictum erat, ἐν τούτῳ οὗτος παρέστηκεν ἐνώπιον ὑμῶν ὑγιής; Subjicitur enim οὗτος ἐστιν ὁ λίθος &c. is videlicet per quem vel in quo à Iudæis crucifixo & à Deo ſuſcitato iſte æger ſanus viſebatur. Act: VII, 19. οὗτος reſpicit non Ioſephum, qui verſu præcedenti ponitur in caſu accuſativo, ſed alterum illum regem Ægypti, qui non noverat eum, quique in caſu nominandi βασιλεὺς ἕτερος dicitur. Similiter ergo οὗτος in loco controverſo debebit pertinere nõ ad ἀληθινὸν in cujus notitiam nos deduxerit Chriſtus & in quo ſumus; cùm bis quidem commemoretur, ſed primo in caſu accuſativo, dein in dativo; verum ad illum de quo in caſu recto dicitur, ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἥκει καὶ δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινόν. Act: X, 6. particula quoque illa οὗτος λαλήσει σοὶ τί σε δεῖ ποιεῖν, reſpicit primam partem ejus commatis, cum qua convenit in numero & caſu, οὗτος ξενίζεται, non ſequentia verba παρά τινι Σίμωνι βυρσεῖ &c: quæ in dativo ponuntur. 2 Ioh: 7. ſi inſiſtamus Vulgatæ Verſioni, juxta quoſdam Codices, imò quædam exemplaria Græca, legendum erit, *Qui non confitetur*, vel εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν χριστὸν ἐν σαρκὶ, οὗτος ἐστιν ὁ πλάνος: Et ſic iſtud οὗτος pertinebit palam in eodem caſu & numero, ad eum qui non confitetur Ieſum Chriſtum; ut in hoc loco ad eum reſpicit de quo prius dictum erat in eodem caſu, numero & genere quod venerit & nobis dederit mentem &c. Is autem eſt Filius. Si verò inſiſtamus receptiori lectioni, cùm οὗτος pluralem vim habeat, & per enallagem numeri idem valeat quod οὗτοι &c. aut ſaltem diſtributivè debeat ſumi, nihil nobis oberit; tùm quia in loco controverſo eſt ſingulare, tùm etiam quia, ut hic, pertinet ad ſubjectum præcedens, quod ſimiliter in recto & nominandi caſu ponitur;

nitur, videlicet πολλοὶ πλάνοι οἱ μὴ ὁμολογοῦντες Ἰησοῦν χριστὸν. Magis ergo his locis adſtringitur, quam evertitur ſententia Orthodoxa.

At dices, nos ipſos ultrò fateri, Chriſtum verum Deum appellari poſſe. Reſpondemus igitur, id quod antea etiam indicavimus, hanc noſtram confeſſionem nihil ad coeſſentialitatem iſtam conſtituendam valere. Neque enim Chriſtum, illum verum Deum articulo ſignatum, nec æquè verum Deum, ac Patrem, eſſe dicimus. Nam Patrem quidem, Chriſti Deum ſacræ literæ appellant: at contrà Chriſtum Patris Deum eſſe nemo dixerit. Ut interim taceam, Chriſtum hoc ſummi illius Dei beneficio conſecutum eſſe, ut ſic appellari poſſet: quandoquidem, ut ſuprà vidimus, Pater eum ſanctificavit, & in mundum miſit; (*Ioh*: 10, 36.) Pater eum in ſummam ſublimitatem evexit, & nomen ei ſuper omne nomen donavit. (*Phil*: 2. 9. 10. 11.)

† *At dices, nos ipſos*] Et hic Chriſtus proponitur tanquam Deus *articulo ſignatus*, & abſurdè verum Deum in ἄσημον qui ſit Chriſtus, & ſignatum qui ſit Pater, diſtinxeris. Nec ideo Chriſtus non *æquè* verus Deus ac Pater *quod Patrem quidem Chriſti Deum ſacræ literæ appellent, at contra Chriſtum Patris Deum eſſe nemo dixerit.* Nam quia Filius homo factus eſt, poteſt hoc reſpectu Patrem pro Deo habere, licet quoad Divinitatem ſuam rapinam non ducat *æqualem* eſſe Patri Phil: 11, 6. Falſum porrò eſt, & quod nunquam probabitur, *Chriſtum hoc ſummi illius Dei beneficio conſecutum eſſe ut ſic appellari poſſet*: Id enim non habet per beneficium voluntarium ac indebitum, ſed per generationem naturalem, neceſſariam & æternam, cujus reſpectu Patris *proprius* Filius & μονογενὴς appellatur. Sanctificatio Filij per Patrem ejuſque miſſio in mundum, de qua Ioh: x, 36. eum non fecit Deum, ſed talem eſſe ſuppoſuit, quod ſuo loco viſum: prout exaltatio cujus ſit mentio Phil: 11, 9. 10. 11. conſecutivè ſe habuit ad æternam Divinitatem Filij, qui cùm jam eſſet in forma Dei aſſumpſerat formam ſervi, non autem conſtitutivè.

Deinde falſum eſt, Chriſtum alicubi Deum magnum appellari: quamvis illum ea, quâ hactenus diſputatum eſt, ratione, non Deum tantùm, ſed etiam magnum Deum eſſe confiteamur. Locus enim Pauli, (*Tit*: 2. 13.) ex quo nominis iſtius probatio peti ſolet, non Chriſtum, ſed ipſius Patrem reſpicit; nullamque aliam ſententiam continet, quàm magni illius Dei gloriam tunc, cùm Chriſtus advenerit, mirificè illuſtrandam eſſe; quòd quan-
426. ta ſit Dei majeſtas, tunc appariturum ſit. Veniet quippe tunc, ut ipſe Chriſtus teſtatur, filius hominis in gloria Patris ſui. (*Mat*: 16. 27. *Mar*: 8. 38) Ex quo ipſo ſatis apparet, Chriſtum non eſſe illum ipſum magnum Deum, cujus gloria apud Paulum dicitur apparitura. Hic enim, cùm Deus ille ſummus ſit, ut articulus verbis iſtis præfixus in Græco docet, non in aliena, ſed in ſua gloria apparet: at Chriſtus in aliena h. e. Patris ſui gloria, ab eo ſibi commu-

Digitized by Google

communicata, apparebit. Adde, quòd in eo ipſo Pauli loco magnus ille Deus à ſervatore noſtro Jeſu Chriſto diſtinctè commemoratur. Dicent: non conjungi hoc loco diverſa, ſed unam eandemque perſonam diverſis nominibus deſcribi: quandoquidem Servatoris & magni Dei nomen uno tantùm articulo regatur: articuli autem unitatem, rei ipſius quoque unitatem indicare. Verùm iſtam de uno articulo regulam perpetuam minimè eſſe, hinc ſatis conſtat, quòd apud Matt: cap: 21. 12. & Mar: 11. 15. Luc: 19.45. ſcriptum legimus: *Et ejiciebat omnes vendentes & ementes templo* &c: Ubi ſimiliter, tam vendentes, quàm ementes, uni tantùm articulo ſubjici conſtat, quamvis inter ementes & vendentes plurimùm intereſſe nemo non videat. Plura ejus rei exempla vide Mat: 16. 1, 6: 17. 1: 27. 56: Eph: 2. 20: 3. 5: 4. 11: Hebr: 9. 19. Conjunctionem quidem aliquam, ſaltem in ea re, qua de agitur, iſta articuli unitas ſignificare ſolet, ſed non identitatem. idque videtur alibi propè ab omnibus fuiſſe animadverſum, ubi Deus & Chriſtus ſub uno articulo efferuntur, & tamen Dei nomine Pater Chriſti intelligitur: ut Eph: 5. 5: 2 Theſſ: 1. 12. 1 Tim. 5. 21.

‡ *Deinde falſum eſt*] Mirâ ſane ratione agunt Hæretici; Ajunt, negant; concedunt, repetunt; dicunt, retractant; Ita Chriſtus juxta eos *magnus Deus* ſimul erit, quia talem eum confitentur; nec erit, quia talis alicubi non dicitur. At verò locus eſt expreſſus Tit: II, 13. ubi dicuntur pii expectare τὴν μακαρίαν ἐλπίδα καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ: Parum eſt quod primus Chriſti adventus ejuſque apparitio in carne ἐπιφάνεια dicitur 2 Tim: 1, 10. Sed quoties apud Paulum fit mentio ἐπιφανείας quam exſpectamus, ea non eſt alia quam Jeſu Chriſti. Ita dicitur Chriſtus Antichriſtum aboliturus τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ 2 Theſſ: II, 8. Ita vult Timotheum obſervare ſuam præceptionem μέχρι τῆς ἐπιφανείας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ 1. Tim: VI, 14. Ita eundem obteſtatur per Deum & Jeſum Chriſtum, qui judicaturus eſt vivos & mortuos κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ 2. Tim: IV, 1, & eodem cap. com. 8. dicit non ſibi tantum repoſitam eſſe coronam juſtitiæ referendam à Domino in illa die, ſed & πᾶσι τοῖς ἠγαπηκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ. Quo ergo jure pertendit Volkelius locum iſtis planè parallelum Tit: II, 13. *non Chriſtum ſed ipſius Patrem* reſpicere? Ubinam quæſo toto N. T. ἡ ἐπιφάνεια Patris, vel commemoratur vel expectatur? Annon etiam ipſius Chriſti gloria tunc *mirificè* illuſtrabitur, & *quanta ſit* ipſius *majeſtas* apparebit, *cum advenerit* judicatum vivos & mortuos, & *videbit eum omnis oculus etiam qui eum transfixerunt*? Apoc: 1, 7. *At veniet Filius hominis in gloria Patris ſui* Matt: XVI. 27. Marc: VIII, 38. magnus autem Deus *non in aliena, ſed in ſua gloria apparet*. R. Injuriam fieri Chriſto cùm gloria in qua veniet, non ſua ſed aliena dicitur. Nam dicitur Filius hominis tunc ſeſſurus *in throno gloriæ ſuæ* Matt: XIX, 28. XXV, 31. & venturus *in gloria ſua* Matt: XXV, 30. Luc: IX, 6. & ingreſſus *in ſuam gloriam* Luc: XXIV, 26. Quin Dominus gloriæ appellatur 1 Cor: II, 8. & Evangelium ipſius

Evangi-

Digitized by Google

Evangelium gloriæ Chriſti 2 Cor: IV, 3. Nec ideo non ſua illa gloria in qua veniet, quia dicitur ſemel atque iterum *gloria Patris*. Nam ſunt unius ut eſſentiæ ſic potentiæ & gloriæ; prout dicebat Patri, *Omnia mea tua ſunt & tua mea* Joh: XVII, 10. & ibid. com. 5. repetebat eam gloriam quam jam habuerat apud Patrem priusquam mundus eſſet: Unde etiam Eſajas dicitur vidiſſe ejus gloriam quando loquutus eſt de ipſo Joh: XII, 41. Quin ita dicit ſe venturum in gloria Patris Matt: XVI, 27. ut unà dicat ſe venturum *cum Angelis ſuis*; prout jure illi tribuitur æquè ac Patri, quod *Angelos ſuos faciat ventos & adminiſtros ſuos ignis flammam* Heb: I, 7. Imò non poſſet venire in gloria Patris, qui proteſtatur ſe gloriam ſuam alteri non daturum Eſ: XLII, 8. niſi Patri ſuo coeſſentialis eſſet. At hîc intelligitur *Deus ille ſummus, ut articulus verbis iſtis præfixus in Græco docet*. R. Optimè: Jam verò cùm ille ſit Servator noſter Jeſus Chriſtus, cujus ἐπιφάνειαν τῆς δόξης expectamus, hinc ergo collige illum eſſe æquè ac Patrem ſummum Deum, nec *in aliena* & mutuatia gloria venturum, ut ſolent comœdi & hiſtriones in ſcena alienis veſtibus ſplendidè ornari, inſtar corniculæ Æſopicæ plumis alienis inſtructæ, ſed eſſentiali & ſuâ. At *in eo ipſo Pauli loco magnus ille Deus à Servatore noſtro Ieſu Chriſto diſtinctè commemoratur*. R. Id negare nolim argumento merè Grammatico ab unitate articuli deſumpto; quod fateor non eſſe apodicticum, cùm ſæpè duæ perſonæ diſtinctæ, vel duo rerum aut perſonarum ordines, conjunguntur inter ſe per voculam καὶ, articulo præfixo priori, & non addito poſteriori; ſive quia redundat & caret emphaſi in priori, ſive quia ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendus ſubintelligitur in poſteriori: quamvis & huic argumento debeat hîc ſuum eſſe pondus ex hypotheſi adverſariorum; Qui enim articulus ille, quem volunt eſſe characterem ſpecialem Dei ſummi, poſſet ſimul convenire Servatori noſtro, inter quem & ſummum Deum, juxta ipſos, diſtantia eſt infinita? Nam aliàs *vendentes & ementes*, meritò uno eodemque articulo regi poſſent Matt: XXI, 12. Marc: XI, 15. Luc: XIX, 45. quia ſunt correlata & ſe mutuò ponunt ac tollunt. Ita ejuſdem ordinis erant, quoad hoſtilitatem cum Chriſto, Phariſæi & Sadducæi Matt: XVI, 1. 6. & quoad Apoſtolatum Petrus, Jacobus & Johannes Matt: XVII, 1. & quoad natalia ex altera Maria Jacobus & Joſes Matt: XXVII, 56. & quoad fundamentum Eccleſiæ ac cognitionem myſterii Evangelici Apoſtoli & Prophetæ Eph: II, 20. III, 5. ut Paſtores & Doctores Eccleſiæ, (quos tamen nonnulli pro iiſdem ſumunt) Eph: IV, 11. & vituli ac hœdi ex quorum ſanguine unà mixto fiebat aſperſio Heb: IX, 19. Quantum ad loca alia Volkelio citata ex Eph: V, 5. 2 Th: I, 12. 1 Tim: V, 21. cùm in primo fiat mentio regni τοῦ χριστοῦ καὶ θεοῦ, nolim negare poſterius nomen ſumi non οὐσιωδῶς, ſed ὑποστατικῶς de Patre, ſic tamen ut vel contra regulam Socinianorum Pater hîc Deus dicatur abſque articulo, vel Chriſtus eò ipſo agnoſcatur coeſſentialis Deo Patri, quod & unum ſit utriuſque regnum, & uno articulo emphatico addito, quod magis eſt in Grammatica Sociniana, nomini Chriſti non Dei Patris, uterque exprimatur. At in duobus aliis, nihil obſtat quominus unica perſona Redemptoris noſtri intelligatur, qui ſimul & noſter Deus & Dominus noſter dicatur; prout etiam Thomas illum ſub utroque hoc elogio compellabat & adorabat: Nam 2 Theſ: I, 12. ita legimus; *Vt glorificetur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in vobis & vos in eo, ſecundum gratiam Dei noſtri & Domini Ieſu Chriſti*, κατὰ τὴν χάριν τοῦ θεοῦ

ἡμῶν

ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ. Jam verò non video cur non pari ratione Chriſtus hic dicatur Deus noſter ac illum ſuum Deum Thomas agnoſcebat, etiam cum præfixo articulo; maximè cùm ea hic gratia intelligatur, quæ appellatur *gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti* 1 Cor: XIII, 13. & quæ dicitur nobis data *pro menſura doni Chriſti* Eph: IV, 7. Sic 1. Tim: V, 21. Paulus Timotheum obteſtatur ſui officij ἐνώπιον τοῦ θεοῦ καὶ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ἀγγέλων; ita ut Deus & Dominus ſub uno articulo expreſſus, ſit unus idemque Chriſtus, cùm agatur de officio præſtando in Eccleſia, cui *tanquam Domui ſuæ* Chriſtus *præeſt* Heb: III, 6. Unde & *ambulat inter ſeptem candelabra* Apoc: I, 13. II, 1. teſtis, ſpectator & cenſor jugis eorum quæ fiunt in Eccleſia; Vel ſaltem Deus & Chriſtus, Pater & Filius, ideo uno articulo communi exprimuntur, quod ſint unius eſſentiæ & naturæ; cùm non poſſit alia fingi *conjunctio* quam *iſta articuli unitas* ſignificet. Si enim alterius eſſent ordinis & naturæ Deus & Chriſtus, æquè Apoſtolus præfixiſſet articulum nomini Chriſti, dicendo ἐνώπιον τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ, ac præfixit articulum nomini Angelorum, dicendo ἐνώπιον τοῦ θεοῦ καὶ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ἀγγέλων. Hæc obſervatio poſſet applicari loco illi de quo nunc agimus ex Tit: II, 13. ut videlicet unitas illa articuli, vel identitatem perſonalem notet, ac ſignificet Chriſtum eundem dici & Servatorem noſtrum, & magnum Deum; vel ſaltem talem inter magnum Deum & Servatorem *conjunctionem* ſingularem quæ ſit naturæ & eſſentiæ, eo quod non ſolum ſub uno articulo continentur, ſed præſertim quod una ſit utriuſque ἐπιφάνεια & gloria. Verùm his Grammaticationibus miſſis, nego hoc Pauli loco magnum illum Deum à Servatore noſtro Jeſu Chriſto diſtinctè commemorari, eo quod unius Chriſti adventus illuſtris ex ſtylo conſtanti Sacræ Scripturæ, ac nominatim Pauli, nobis expectandus veniat, Luc: XII, 36. 1 Cor: I, 7. Col: III, 4. Phil: III, 20. 1 Theſſ: I, 10. Heb: IX, 28. 1 Tim: VI, 14. 2 Tim: IV, 1. 8. 1 Joh: III, 2. Apoc: XXII, 20. Tum pronomen ἡμῶν quod poſt Servatorem ponitur in loco controverſo, non minus ſpectat ad vocem Dei, quam ad vocem Servatoris adeoque debet idem eſſe omninò noſter magnus Deus & Servator cujus adventum illuſtrem præſtolamur. Adhæc de illo cujus expectamus ἐπιφάνειαν glorioſam, ſtatim ſubjicit Apoſtolus com: 14. quod *ſemetipſum dederit pro nobis*; id autem ſolius eſſe Chriſti in comperto eſt. Denique ut una eſt hæc ἐπιφάνεια quæ expectatur, ſic una perſona cenſetur in illa expectari. Quare duos Soles videat oportet, qui ſibi imaginetur alium Paulo eſſe magnum Deum, alium Servatorem Jeſum Chriſtum, cùm tam evidenter una Chriſti perſona, duplici iſto elogio magni Dei & Servatoris noſtri exprimatur, & optimè Genevenſes ſic reddiderint hunc locum, *Attendans la bienheureuſe eſperance & l'apparition de la gloire du grand Dieu, qui eſt noſtre Seigneur Ieſus Chriſt.*

Jam quod Chriſtus Deus ſuper omnia dicitur, (*Rom:* 9. 5.) nequaquam ſatis eſt ad eum ſummum Deum eſſe concludendum: ſed inſuper neceſſe eſt oſtendere, eum ex ſeipſo ſuâque naturâ Deum ſuper omnia exiſtere, vocemque *omnia* hoc loco ſimpliciter ac univerſè omnia deſignare, ita nimirum, ut nihil prorſus vel ſit, vel fuerit, quòd eâ non contineatur. Atqui

Digitized by Google

neutrum cum vero conjunctum eſt: cum & Chtiſto homini omnia à Patre ſint ſubjecta; & vocem *omnia* ita limitandam eſſe, præter manifeſtam rationem Paulus doceat, ut is excipiatur, qui Chriſto omnia ſubjecit; (1 *Cor*: 15, 27.) qui ita eſt ſuper omnia, ut Chriſti quoque Deus ſit ac caput. (*Ioh*: 20, 17. 1 *Cor*: 11, 3. *Eph*: 1. 17. *Heb*: 1, 9. *Apoc*: 3, 12.) Quid quòd vox græca, quæ *omnia* reddita eſt, optimè verti poteſt *omnes*; ut Chriſtum omnibus hominibus ſuperiorem, illorumque caput ac regem eſſe intelligamus. Ita enim vox *omnes* abſolutè poſita in ſacris literis accipi ſolet. Verùm quid hoc ad eum ſummum illum Deum conſtituendum habet momenti?

‡ *Iam quod Chriſtus Deus*] Et hic locus Rom: IX, 5. quem alii aliter conati ſunt eludere, neſcio quod epiphonema Pauli ad Patrem ideo comminiſcentes, eſt magni ponderis pro aſſerenda vera Divinitate Chriſti, quæ citra ejus cum Patre conſubſtantialitatem concipi nequit. Nam Apoſtolus ibi diſertè duas in Chriſto naturas diſtinguit, ut cùm dicat eum eſſe ex Patribus quoad carnem, alterius naturæ reſpectu illum tanquam Deum ſuper omnia benedictum deſcribat. Nam 1. ibi comparet articulus, cui tantum deferunt Sociniani, ceu charačteri veræ divinitatis: dicitur enim ibi Chriſtus ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς, quod meræ Creaturæ convenire nequit. 2. Appellatur θεὸς εὐλογητὸς, Epitheto quod non poteſt non connotare ſummam divinitatem; ſiquidem Deus ſummus nomine τοῦ εὐλογητοῦ exprimitur Marci XIV, 61. 3. Nonniſi ſupremo Deo convenit quod ſtatuatur εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Sic enim Rom: I, 25. dicuntur Idololatræ ſervivisse τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Ita 2 Cor: XI, 31. Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti dicitur ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. An idem poſſet tribui Filio quod Patri, ſi non eſſet ejuſdem cum ipſo eſſentiæ & naturæ? Ineptè verò petit Volkelius ſibi oſtendi *Chriſtum ex ſeipſo ſuaque natura Deum ſuper omnia exiſtere*; cùm hoc elogium Dei ſuper omnia benedicti in ſæcula, ei citra blaſphemiam tribui nequeat qui αὐτόθεος & naturâ Deus non ſit; Aut *vocem omnia hoc loco ſimpliciter ac univerſè omnia deſignare*; cùm ſtultus ſit qui neget vocem *omnia*, omnia ſignificare. At *Chriſto homini omnia à Patre ſunt ſubjecta*. R. Non ſunt ſubjecta homini mero, qui tali imperii capax non eſſet, ſed Chriſto Mediatori & θεανθρώπῳ, ejus carne evectâ in participium illius poteſtatis, quam habet naturaliter quà λόγος & Filius, quem Pater *conſtituit hæredem omnium* ipſius generatione æternâ, *& per quem mundum condidit* Heb. I, 2. At Paulus dicit 1 Cor: XV, 27. eum excipiendum *qui Chriſto omnia ſubjecit, qui ita eſt ſuper omnia ut Chriſti quoque Deus ſit ac caput*. R. Hoc nihil ad rem: Agitur enim de omnibus rebus creatis, quibus præeſſe non poteſt Chriſtus, ceu Deus benedictus in ſæcula, quin Creator & Deus naturâ ſit: Imò non potuiſſent ei à Patre ſubjici omnia quà Mediatori & θεανθρώπῳ niſi naturâ & eſſentiâ fuiſſet Deus ſuper omnia benedictus. Nec repugnat Chriſtum quà hominem in forma ſervi conſtitutum & quà Mediatorem inter Deum & nos, Deum ſuum Patrem dicere Joh: XX, 17. ut etiam Pater dicitur Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti Eph: I, 17. item Heb. I, 9. Apoc. XII, 3. & tamen ei eſſe coeſſentialem & æqualem in forme

ma Dei Phil: II, 6. Sanè in priori loco, ita Deum vocat ſuum Deum, reſpectu humanitatis & ex œconomia officij Mediatorij juxta quam factus eſt Patri obediens uſque ad mortem crucis, ut ſimul eum vocet ſuum Patrem reſpectu Divinitatis. Et in altero dubium non eſt quin illa phraſis *Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater gloriæ*, huic æquipolleat *Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deus gloriæ*; juxta epitheton quod tribuitur Deo Act: VII, 2. Hac verò metatheſi admiſſa, nihil habebunt adverſarii pro ſua cauſa; Quin ex illo loco Pauli eximium pro S. Sancta Trinitate colligitur argumentum: Siquidem ibi Apoſtolus commemorat Patrem, Chriſtum Filium & Spiritum Sanctum. Eadem ratio eſt aliorum duorum locorum Heb: I, 9. & Apoc: III, 12. In priori Chriſtus Deus dicitur unctus à Deo ſuo, ideſt à ſuo Patre in carnem miſſus & in Medicatorem conſtitutus; In altero ita Patrem Deum ſuum dicit, ut nihilominus *nomen ſuum novum* conjungat nomini Dei ſui, ceu ejuſdem ordinis, efficaciæ & naturæ. Multo minus derogat divinitati Chriſti quod Pater ejus *caput* ſtatuitur I Cor. XI, 3. Nam præterea quod id de Chriſto dici poteſt, quà Mediatore, & reſpectu illius minorationis œconomicæ per quam aſſumpſit formam ſerui, ut ex eo quod vir eſt caput mulieris ſequitur hanc eſſe cum viro ſuo ejuſdem eſſentiæ & naturæ, aliàs non eſſent una caro, ita ex eo quod Pater dicitur caput Chriſti, hujus cum illo coeſſentialitas infallibiliter exurgit. Ut ut ſit ſuo loco viſum non omnem ſubordinationem & ſubjectionem œconomicam, coeſſentialitatem tollere. Nec ſi illa certo reſpectu tribuitur Chriſto ad Patrem, ideo hæc venit ei deneganda cum Patre, quæ ſub alia conſideratione ipſi tot in locis vendicatur, hoc nominatim quo dicitur *Deus ſuper omnia benedictus in ſecula*. At *vox græca optimè verti poteſt Omnes, ut Chriſtum omnibus hominibus ſuperiorem caput & regem eſſe intelligamus*. R. Fateor vocem *Omnes* de omnibus hominibus ſæpè ſumi in Scripturis: Sed nec ita foret Chriſtus Deus ſuper omnes homines, quin eſſet naturâ Deus; Ut quid enim poſſit ſtatui Rex & Dominus v. g. Davidis, ut ab ipſo-met appellatur in Spiritu Pſal: CX, I. cùm ſecundum carnem fuerit ejus filius, niſi alterius naturæ reſpectu veniret agnoſcendus eo ſuperior, adeoque Deus benedictus in ſæcula? Siquidem David Rex optimo jure nullum ſe ſuperiorem præter Jehovam agnovit, cui ſoli ſe peccaſſe dicebat & à quo ſolo poterat plecti Pſal. LI, 6. Deinde fruſtra hìc reſtrictivè *omnes* homines, non *Omnia* abſolutè intellexeris, ut benè redditum à Vulgato Interprete; Nam eodem ſenſu dicitur Chriſtus θεὸς ἐπὶ πάντων, quo legimus Joh: I, 3. *πάντα Omnia* per ipſum facta; Col: I, 16. 17. *Omnia, τὰ πάντα* per ipſum condita, quæ ſunt in cœlo & in terra, ipſumquè eſſe *πρὸ πάντων ante omnia*, & *τὰ πάντα omnia* per ipſum conſiſtere; & I Cor: XV, 27. *Omnia* eſſe illi ſubjecta, ſolo Patre excepto, prout ipſe conſtitutus eſt *hæres Omnium* Heb. I, 2. Nec alio argumento poteſt probare Volkelius hoc ſyncategorema reſtringendum, niſi quia id ipſi ſic lubet & ſtat pro ratione voluntas.

r Quòd autem Chriſtus, (*Iud: v. 4.*) ſolus herus Deus dici putatur, à vero alieniſſimum eſt: cum vel ſola verborum concinnitas iſtam opinionem prorſus convellat. Quid enim magis abſonum eſſe poteſt, quàm comemorato *ſolo hero Deo*, demum ad eundem deſignandum annectere, *& Dominum noſtrum* 427.

Digitized by Google

Ieſum Chriſtum, & ſic unam eandemque Dei perſonam, ſat illuſtribus verbis expreſſam, rurſus verbis minus quippiam, quàm illud erat, continentibus explicare? Cur non potiùs, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ab illo ſolo hero Deo hoc loco diſtingui, & ſic Chriſtum illum ſolum herum Deum minimè eſſe ſtatuimus, verſionemque magni illius Eraſmi, Caſtellionis, aliorumque ſequimur, quæ hujusmodi eſt: *& Deum, qui ſolus eſt herus, & Dominum Ieſum Chriſtum negantes*: præſertim cum vocem δεσπότης ſeu *herus*, alibi nonniſi Patri attributam inveniamus. (*Luc*: 2. 29. *Act*: 4. 24. *conf. cum* v. 27. *Apoc*: 6. 10.) Jam articuli unitate cur moveamur, nihil eſt: cum eam, quam volunt adverſarij, ejus vim perpetuam minimè eſſe, jam oſtenſum ſit, ſed eam, quam nos libentiſſimè hic agnoſcimus.

† *Quod autem Chriſtus*] Etſi jam alibi de hoc loco Jud. 4. egimus, nominatim *lib*. 1. *cap*. 14. tamen hic iterum venit vindicandus: Verba Apoſtoli hæc ſunt; *Et ſolum illum herum Deum ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negant*: quibus tribus epithetis inſignitur Chriſtus, *Heri*, *Dei*, ac *Domini*, ut magis aggravetur crimen eorum qui turpi abnegatione ab ipſius fide, reverentia & cultu deficiunt: Et cùm unicus articulus his tribus nominibus præfigatur, vel inde liquere poteſt quod uni eidemque perſonæ conveniant. Quid quod Codex Complutenſis, ut Bezæ obſervatur, habet non ut reliqui τὸν μόνον δεσπότην θεὸν καὶ κύριον, ſed τὸν μόνον θεὸν καὶ δεσπότην τὸν κύριον, ideſt *Solum illum Deum & Herum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*? Quæ lectio amplius confirmat hæc omnia ad unum Chriſtum pertinere: Concinit & Vulgata Verſio Latina, quæ omiſſo nomine Dei habet *& ſolum Dominatorem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes*. Arabs & Æthiops interpretes hujus Epiſtolæ, nuper Leydæ editi & Latinè redditi à Georgio Niſſelio & Theodoro Petreo, habent, ille *Abnegantes regem unicum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, hic verò *Et negant ſolum Ieſum Chriſtum Deum*; utroque omnia Originalis epitheta ad Chriſtum referente. Quidam etiam *vetuſti Codices*, ut monet Calvinus, *habent Chriſtum qui ſolus eſt herus ac Deus*; *Et certè*, inquit idem, in *ſecunda Petri Epiſtola*, cujus materiam & ſtylum hæc imitatur, *ſolius Chriſti fit mentio & illic Herus vocatur*. Si ex interpretum authoritate & numero quæſtio ſit decidēda, vicerimus: Nam de ſolo Chriſto illam pericopam intelligunt Didymus, Oecumenius, Beda, Hugo, Thomas Anglicus, Lyranus, Rickelius, Cajetanus, Catharinus, Primaticcius, Gagnejus, Salmeronus, Sa, Serarius, Adamus, Titelmannus, Lancellotius, Calvinus, Beza, Piſcator, Deodatus, Genevenſes, Belgæ &c. Quod ait Volkelius hanc interpretationem *ſolâ verborum concinnitate* convelli, eſt frivolum: Nam tres iſti tituli, uti dixi aggravant crimen iſtius abnegationis, cum iſti de quibus Apoſtolus, debuiſſent Chriſto ceu hero obſequium, ceu Deo fidem & cultum, ceu Domino reverentiam; quomodo etiam Deus per Malachiam 1, 6. & *Patris* & *Domini* ſimul titulum aſſumit, quo ſibi vendicet & *honorem* quem patri exhibet filius, & *reverentiam* ad quam ſervus erga ſuum Dominum tenetur. Et quam non debeat Dominus noſter Jeſus Chriſtus *ab illo ſolo hero Deo hoc loo diſtingui*, obſtant quæ modò allatæ ſunt rationes, propter quas deſerenda eſt verſio *Eraſmi*, *Caſtellionis aliorumque quæ hujuſmodi eſt*, *Et Deum qui ſolus eſt herus*, *& Dominum Ieſum Chri-*

ſtum

Digitized by Google

ſtum negantes; maximè cùm procul abeat ab originali textu,in quo hæc tria eodem caſu ponuntur, nec habet τὸν θεὸν, ὅς ἐστὶ ὁ μόνος δεσπότης, ſed τὸν μόνον δεσπότην θεὸν καὶ κύριον; ut ſi ulli trajectioni & caſus mutationi locus fuiſſet, ita reddi potius debuiſſet, *negantes ſolum illum dominatorem, qui eſt Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus.* Magnus quidem Vir fuit Eraſmus; cujus vix ſimia Caſtellio: Sed ut ut magnus magnos ſuos habuit nævos; Et benè hic loci de eo ita loquitur Beza; *Intolerabilis eſt planè hoc etiam loco Eraſmus ut aliis omnibus quibus Chriſti deitas manifeſtè aſſeritur, ut qui hunc locum ſic interpretando penitus perverterit, Ac Deum qui ſolus eſt herus, ac Dominum noſtrum Ieſum &c. perinde ac ſi ſcriptum eſſet* καὶ τὸν κύριον, *ut Deus Pater à Domino Ieſu Chriſto diſtinguatur*: Neque ſolus Beza dicam ideo ſcripſit Eraſmo, ſed etiam illum Salmeron Jeſuita, apud Lorinum ejuſdem ordinis, qui tamen ex indirecto patrocinatur Eraſmianæ interpretationi; *arguit impietatis pervertiſſeque ait hunc locum, exponendo primum membrum de Deo Patre, ut diſcerneret à Domino Ieſu Chriſto quaſi Deum negaret eſſe.*

Præſertim cum vocem] At verò illud eſt falſiſſimum. Nam primò ſi credamus Eraſmo, magno Volkelij viro, *annot. in hunc locum*, ita ſynonyma ſunt δεσπότης & κύριος ut ſi quid interſit hoc erit quod δεσπότης *privati juris nomen ſit,* κύριος *honoris & authoritatis*; *nam & matres familiâs* οἰκοδεσποτεῖν *jubentur non* κυριεύειν. Quare neque nomen κύριος minus quippiam continet, ut ſomniat Volkelius,quam illud aliud,nec poteſt denegari Chriſto nomẽ δεσπότου quod minus eſt,ſiquidem ei conceditur nomen κυρίου quod auguſtius&majus eſt.Secundò cum hic locus videatur deſumptus ex 2. Pet: II,1.aut ſaltem ei planè parallelus,omninò de Chriſto debet intelligi: Nam ibi intelligi Chriſtum ubi fit mentio eorum qui abnegant τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς δεσπότην, & res evidens eſt, & magni viri Calvinus & Beza agnoſcunt. Tertiò etſi de Deo Patre intelligatur illa vox Luc: II, 29. Act: IV, 24. coll. cum 27. & Apoc: VI, 10. non tamen ſequitur alibi non intelligi de Filio; Nam ſi nomen κύριος quod majus & dignius eſt ita ſolet tribui Filio ut tamen ſæpè conveniat Patri, cur non poterit Filio convenire nomen δεσπότου quod minus eſt, etſi ſæpiuſculè de Patre uſurpetur? Quartò non ſolum Judæ & Petro Chriſtus δεσπότης dicitur, ſed etiam ſæpiſſimè οἰκοδεσπότης appellatur in N. T. ut Matt: X, 25. XX, 1. Luc: XIII, 25.

Iam articuli unitate] Nempe iſti Articuli vim poſſunt vel intendere vel elevare pro lubitu. Quod autem per unum articulum & ſub illo duo diſtin[illegible] ſuppoſita non ſoleant exprimi, viſum ſuo loco: Addo &aliam obſervationem ex viſceribus adverſariorum: Volunt enim nomen Dei non ante neceſſariò de Patre ſumi quam ubi articulum præfixum habet: Cùm ergo hic careat articulo, ex Grammatica Sociniana nec Patri poteſt tribui, & Filio, quem denotat abſque articulo, omninò convenire debet.

Altiſſimus quoque Deus nunquam Chriſtus appellatur: quanquam adverſarii, ut hoc nomen Chriſto tributum eſſe oſtendant, illa Zachariæ verba proferunt, (*Luc*: 1, 76.) quibus Ioannem Baptiſtam altiſſimi prophetam appellat, quia ante faciem Domini præiturus erat. Dominum quippe iſtum non niſi Chriſtum eſſe exiſtimant, ante cujus faciem Ioannes præceſſit. Nos verò

Digitized by Google

verò iſtam conſecutionem planè repudiamus: cum Chriſtum muneris ſui officium aggredientem, Dei perſonam ſuſtinuiſſe, Deumque in illo fuiſſe, ex ſacris literis manifeſtum ſit. (2. Cor: 5. 19.) Unde patet, Ioannem ante Chriſti faciem præeundo, ante ipſius Dei faciem præiviſſe; quem ſolum hoc loco *Domini* appellatione intelligendum eſſe, argumento eſt articuli omiſſio: cùm idem nomen Chriſto attributum, articulum ſibi adjunctum, apud Lucam & Paulum potiſſimùm, habere ſoleat.

‡ *Altiſſimus quoque Deus*] Chriſtum *altiſſimum* dici à Zacharia Luc: 1, 76, multa evincunt, id potiſſimum quod fatetur Volkelius, eundem hic Altiſſimi nomine intelligi, qui Dominus quoque dicitur, ante cujus faciem Johannes Baptiſta præiturus erat. At ſanè Dominus ille eſt Chriſtus, cui viam paraturus Johannes veniebat, quod intelligitur ex Matt: III, 30. Marc: 1, 2. Luc: 1, 17. III, 4. Joh: 1, 23. Quare nihil aliud quam ineptit Volkelius, dum mordicùs contendit non ipſum Chriſtum ſed Patrem *ſolum hoc loco Domini appellatione intelligendum eſſe*. Nam ſi Chriſtus *muneris ſui officium* aggrediens, *Dei perſonam* ſuſtinuit, quod *Deum in illo fuiſſe ex ſacris literis manifeſtum ſit*, debuit utique ejus nomen ſuſcipere cujus ſuſtinebat perſonam, adeoque non Dominus modò, ſed etiam Altiſſimus appellari. Si propterea quod Deus erat in Chriſto 2. Cor: v, 19. Joannes *ante Chriſti faciem præeundo, ante Dei faciem præiviſſe* cenſendus eſt, cur non ſaltem pari ratione dicatur Chriſtus Altiſſimus & Dominus, quâ id fiebat ante faciem ipſius Dei, quod ante Chriſti faciem à Johanne præſtabatur? Quid abſurdius quam dicere id factum ante faciem Dei, quod fiebat ante faciem Chriſti eo quod Chriſtus ſuſtineret Dei perſonam, & tamen negare Chriſto ſaltem ſub illa perſona convenire ea nomina quæ ſunt Dei ſuam perſonam Chriſto imponentis? Nihil verò abſurdius iſtomet commento quo ſtatuitur Chriſtus Dei perſonam in ſuo munere ſuſtinuiſſe; ac proinde potuiſſe dici id fieri ante faciem Dei, quod ante faciem Chriſti peragebatur. Nam primò ut perſonam ſuam imponat Deus agendam ei qui naturâ Deus non ſit, alienum eſt & ab ipſius majeſtate & à ſtylo Scripturæ. Secundò ſi agere aliquid nomine Dei & ex illius vocatione ac delegatione, fuerit ejus perſonam ſuſtinere, id non minus cuilibet Prophetæ vel Apoſtolo conveniet quam Chriſto; nemo tamen ſanæ mentis dixerit ante faciem Dei hac de cauſa cenſeri factum, quod ante faciem alicujus Apoſtoli vel Prophetæ factum fuerit. Tertiò nihil minus probat locus Pauli 2. Cor· v, 19. quam Chriſtum ſuſtinuiſſe perſonam Patris in ſua cruce: Sic enim Pater in Chriſto vicario ſuo pro nobis crucifixus foret, quo Patripaſſianorum abſurdo nihil abſurdius; Sed Deus erat in Chriſto reconcilians mundum ſibi, quatenus vindicans in ipſo noſtra peccata, per ipſius ſatisfactionem nobiſcum in gratiam eo ipſo redire cenſebatur. Aliàs Patrem fuiſſe in Filio, Filium in Patre, non utique per repræſentationem comicam, ſed per ἐμπεριχώρησιν unitatem naturæ, ex Scriptura Sacra liquidâ luce liquidiùs conſtat.

Argumento eſt articuli] Iſti Hæretici, hoc articulo utuntur pro lubitu, & neſcio quæ argumenta nectunt ex illius vel poſitione, vel abſentia: Si articulus non præfigatur nomini θεοῦ, Chriſtus debet intelligi, & imminuit vocabuli iſtius ſignificationem: Si verò deſit in nomine κυρίου, intendit ſignificationem illius, & Deum ſummum connotat:

Quare?

Quare? Quia ſic placet Volkelio; ſtat pro ratione voluntas. Sed totum hoc articulare argumentum facilè exartuatur; Nam plura Scripturæ loca poſſunt proferri, in quibus hoc nomen κυρίε, de Deo ſummo citra controverſiam, cum articulo præfixo uſurpatur: & alia in quibus etiam citra articulum Chriſtum Servatorem evidenter ſpectat. Prioris exempla habes Matt: II, 15. V, 33. XXI, 9. XXII, 44. Marc: V, 19. Luc: I, 6. 9. 15. 25. 28. 46. II, 15. 22. 23. 38. XX, 42. Act: II, 25. 34. 47. VII, 33. IX, 31. XV, 17. XVII, 27. Rom: X, 12. XV, 11. I. Cor: X, 26. Eph: VI, 9. Col: III, 23. 2. Theſſ: III, 16. Heb: VIII, 2. 11. Apoc: XXI, 22. Poſterioris exempla proſtant Matt: III, 3. Luc: I, 17. II, 11. III, 4. Act: XI, 16. XII, 11. coll. cum 17. XV, 11. XXVIII, 31. Rom: I, 7. X, 9. XIV, 14. I. Cor: I, 3. 9. VII, 25. X, 21. XII, 3. 2. Cor: IV, 5. Gal: V, 10. Eph: VI, 23. Phil: II, 11. III, 20. Col: III, 17. I. Theſſ: IV, I. 17. V, 2. 2. Theſſ: I, 12. I. Tim. V, 21. Jac. I, I. 2. Joh. 3. Judæ 4. Apoc. XIX, 16.

Quæ reſponſio noſtra eo confirmatur, quòd apud Malachiam Deus ipſe de Ioanne dicit, (*Malach: 3, 12.*) *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Eum autem, qui hîc loquitur, non Chriſtum, ſed Deum Patrem eſſe, ex eo conſtat, quòd Chriſtus hæc verba citans, ita apud Matthæum loquitur: (*Mat: 11, 10.*) *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te*: ubi nemo non videt Deum Patrem in his verbis Filium alloqui. Cum ergo Pater is ſit, qui in his prophetæ verbis loquitur; is verò in ipſis prophetæ verbis dicat, angelum illum, qui Ioannes eſt, præparaturum viam ante faciem ſuam; liquidò conſtat, Ioannem etiam ante ipſius Dei Patris faciem viam praparaviſſe, ac præiviſſe: id verò non alia ratione factum eſſe, quàm quatenus ante faciem Chriſti præivit, ac viam ei præparavit, ex allegatione ejus loci à Chriſto facta conſtat. Is enim ſententiam nobis aliqua ratione explicaturus, loco ejus, quòd Deus apud prophetam dixit, *præparabit viam ante faciem meam*, dixit, *præparabit viam ante faciem tuam*, nempe ante faciem Chriſti, qui Dei perſonam, utpote legatus ipſius, ſuſtinuit, & in quo Deus ipſe aliqua ratione venit. 428.

‡ *Quæ reſponſio noſtra*] Quam ſit nullius momenti hæc ratio pro adverſario, quam è contrario nobis militet, paucis poteſt demonſtrari. Primùm enim etſi largiremur Malachiam III, I. loqui ex perſona Patris, inde tamen non ſequeretur Iohannem non conſtitui eo loci anteambulonem Chriſti, adeoque & illius Prophetam, ceu Altiſſimi: Nam non eſt alienum à ſtylo Scripturæ ut Filius Patris *Facies* vocetur. Eſt enim Filius *imago Dei inviſibilis* Col: I, 17. *effulgentia gloriæ* Patris *& character perſonæ illius* Heb: I, 3. Et Galatinus *de Arc. verit. Cath. lib. 3. cap. 12.* ex hoc Malachiæ loco, in quo Deus dicit ſe nuncium ſuum miſſurum ante faciem ſuam, colligit Meſſiam eſſe faciem Dei, quod etiam probat Rabbinorum documentis. Ita etiam Chriſtus citans Matt: XI, 10. hoc ipſum vaticinium, illud refert tanquam continens verba Patris ad ſe & de ſe; *Ecce mitto nuncium meum ante te qui præparabit viam coram te.* Deinde, nihil obſtat quo minus ipſe Filius per Malachiam alloquatur populum de Johanne Baptiſta

coram

Digitized by Google

coram ſe proceſſuro: Imò multa argumenta id probant ſatis apertè: Nam Joannes Baptiſta propriè fuit anteambulo, nuncius vel angelus Filii, non Patris; & Filio veniebat paratum viam coram ipſo, non Patri: Nec dubium quin æquè Miniſter Filij fuerit ac Patris; profitetur enim ſe nec dignum eſſe qui ſoleas Filii portet Matt: III, II. Et nihil obſtat quominus Chriſtus in citando hoc loco Matt: XI, 10. Luc: VII, 27. & Marcus illum applicando anteambuloni Chriſti Marc: I, 2. magis ſenſum attenderint quam verba, tribuendo ipſi Patri de Filio & ad eum, quæ Filius de ſeipſo & ad populum dixerat apud Prophetam; Nam ita ſolet Filius œconomicè conſideratus tribuere Patri, cujus nomine veniebat, quæ erant ipſius-met ſpectati Theologicè: Ideo verba quæ fuerant ſua apud Malachiam, in Euangelio tribuit Patri ad ſe, quia tunc apparebat formâ ſervi; & aliàs Patris cenſeri debent quæ ſunt Filii, non minus quam Filii quæ ſunt Patris, quia habent eandem ut eſſentiam, ſic ſapientiam, poteſtatem & voluntatem.

Cum ergo Pater is ſit] Non Pater eſt ſed Filius qui *in his Prophetæ verbis loquitur*; licet Chriſtus eadem verba tribuat Patri cum quo unum eſt, & prout in carne agens omnia ſolebat Patri adſcribere, quia ſcopum vaticinij urgere maluit, quam illius voces & ſenſum Grammaticum. Sed falſum eſt inde ſequi *Ioannem etiam ante ipſius* Dei Patris *faciem viam præparaviſſe ac præiviſſe*; Si enim hîc concipiatur Dominus loquens de ſe in prima perſona, ut apud Prophetam, is eſt utique Filius; Si verò concipiatur ut alloquens alium in ſecunda perſona, is iterum quem alloquitur eſt Filius; ut eò quod ſub aliqua perſonarum mutatione is intelligitur eſſe Filius Dei in textu Euangelico cujus anteambulo Johannes conſtituitur, evidentiùs conſtet ipſummet Filium introduci loquentem à Malachia, non Patrem. Quare purum putum eſt figmentum quod hîc nobis propinare ſtudet Volkelius, ideo fieri quid ante faciem Dei quod fit ante faciem Chriſti, quod hic *Dei perſonam, ut pote legatus ipſius* ſuſtineat & in eo *Deus ipſe aliqua ratione* veniat. Nam Chriſtus nuſquam dicitur *perſonam* Dei ſuſtinere; Et aliâ plane ratione quam per meram repræſentationem legationis jure, Patrem eſſe in Filio & Filiũ in Patre, tota docet Scriptura; Sane miniſtri omnes Euangelici, legatione funguntur Dei nomine 2. Cor: V, 20. nec tamen ideo cenſetur fieri ante faciem Dei, quod fit coram ipſis. Nec ſi diceretur quid fieri ante faciem Patris, quod fit ante faciem Filii, aut ſi Joannes anteambulo non minus Patris quam Filii ſtatueretur, alia ratio deberet ex cogitari illius loquutionis quam quod Pater & Filius naturâ & eſſentiâ unum ſunt Joh. X, 30.

Quòd verò Chriſtus dicatur Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt, (*Apoc:* I, 8.) id falſiſſimum eſſe cenſendum eſt. Ad Deum enim verba Ioannis pertinere, non autem ad Chriſtum, argumento eſt hujus ab illo, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, apertiſſima diſtinctio, quæ in illa ſalutatione manifeſtò deprehenditur, ubi ſic dicit Ioannes: (*ib. v.* 4, 5.) *Gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt; & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt; & à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis*. Ubi ab eodem Chriſtus, quantus quantus eſt, ſeparetur neceſſe eſt: quandoquidem de gratia & pace hominibus conferenda agitur. Quod ideò commemoro, ne quis fruſtra hic humanam tantùm Chriſti naturam ſpectari arbitretur,

Digitized by Google

bitretur, poſtquam priùs ſecundum divinam naturam ab eo Ioannes gratiam & pacem precatus fuerit. Adde, quòd infrà in eodem libro (*cap. 4. 8.*) eadem verba manifeſtiſſimè de Deo in throno ſedente pronunciantur, à quo Chriſtus, etiam cum ei cultus divinus exhibetur, apertiſſimis verbis diſtinguitur. [*vid. cap. 5. 6. & d. uſque ad finem cap.*] Inſtabunt tamen, & ex his verbis, *qui venturus eſt*, de Chriſto ſermonem haberi concludent: ſiquidem nemo niſi Chriſtus, venturus fuiſſe dici poſſit. Reſpondemus igitur, Græcam vocem ὁ ἐρχόμενος hoc in loco verti debere, *qui futurus eſt*, quemadmodum & Ioannis 16. 13. τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν, *quæ futura ſunt annunciabit vobis*. & in Actis, [*Act: 18. 28.*] *feſtum venturum*, pro *futuro*: & apud Latinos ſcriptores ventura ſæcula, pro futuris: qui uſus verbi *veniendi* etiam Hebræis eſt admodum uſitatus. Ut autem hoc pacto vox iſta accipiatur in loco Apocalypſeos, Ioannis requirit propoſitum, & ipſa verborum concinnitas, quæ penitus concidat neceſſe eſt, niſi, ut in duobus prioribus enunciati partibus, nempe *qui eſt*, & *qui erat*, ita etiam in hoc tertio, *qui venturus eſt*, de eſſendo, ut ita dicam, agatur. Joannis autem conſilium erat, æternitatem Dei, tempore præſenti, præterito, & futuro contentam deſignare.

3 *Quod vero Chriſtus dicatur*] Locum Apoc: 1, 8. de Chriſto eſſe intelligendum multa evincunt: Nam 1. qui hic loquens introducitur eſt ὁ κύριος, Dominus cum articulo præfixo, quo ſemper notari Chriſtum Volkelius ipſe antea aſſerebat: Nec dubium eſſe poteſt quin ille Dominus qui ad Johannem hæc verba eſt proloquutus, *Ego ſum α & ω, principium & finis, dicit Dominus, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens*, ſit Chriſtus; ſiquidem hæc revelatio facta Johanni, eſt *revelatio Ieſu Chriſti* Apoc: 1, 1. 2. Ille hic intelligitur de quo com. 7. immediatè præcedenti dictum fuerat, *Eccè venit cum nubibus & videbit eum omnis oculus*, quod ad Chriſtum Servatorem pertinere nemo unquam negaverit. 3. Ipſe Chriſtus manifeſtè dicitur alibi α & ω, ut nominatim Apoc: 1, 11. hæc eſt vox Chriſti inter ſeptem candelabra aurea conſiſtentis, *EGO SUM α & ω, primus & ultimus*. Et in Epiſtola ad Smyrnenſium Eccleſiam, *Hæc dicit primus & ultimus qui fuit mortuus & vivit*, Apoc: 11, 8. Ita Apoc: XXII, 13. ipſe Chriſtus qui dixerat *Ecce venio citò*, ſtatim ſubjungit *Ego ſum α & ω, principium & finis, primus & ultimus*. Nec obſtat inſtantia Volkelij, quod *in ſalutatione* Johannis Apoc: 1, 4. 5. hoc ſit Encomium Patris diſtinctè à Filio. Sæpiùs enim diximus ſolere Scripturam in oppoſitione Patris ad Filium, illi tribuere præcipuos characteres Divinitatis, quod ſit fons & origo illius ut communicatur ad intra: Sic enim ſæpè venit *Dei* nomine, per ſpecialem appropriationem ubi Filius Dominus appellatur, ut 1. Cor: VIII, 6. XII, 6. 2. Cor: XIII, 13. Eph: IV. 6, Ac ſicut quod Filius ſeipſum vocat α & ω locis jam citatis non impedit quominus ſub eodem elogio ſe deſcribat Pater inſidens throno Apoc: XXI, 6. (niſi & hoc intelligamus de Chriſto, ſed ente cum Patre in throno ſuo Apoc: III, 21.) ita nihil obſtat quominus Filius ſe vocet α & ω, *Qui eſt, Qui erat & Qui venturus eſt*, ubi de ſe abſolutè loquitur, quam-

Digitized by Google

vis ſpeciatim is titulus approprietur Patri ubi venit diſtinguendus à Filio & à Spiritu Sancto. cùm enim Patris & Filij una ſit eſſentia & natura, nihil impedit quominus de utroque idem hoc elogium uſurpetur, prout utrique nomen *Iebovæ*, cujus hæc eſt quædam periphraſis apud Johannem, frequenter tribuitur in Scriptura. Et ſanè mira hic eſt Volkelij ἀβλεψία, dum pertendit neceſſe eſſe, ut in ſalutatione Apocalyptica, ab eo Qui eſt, Qui erat & Qui venturus eſt, *Chriſtus quantus eſt ſeparetur, quandoquidem de gratiâ & pace hominibus conferenda agitur.* Nam è contrario, debet eo ipſo Chriſtus ſtatui ejuſdem eſſentiæ & potentiæ cùm Patre, quod ab ipſo non ſecus quam à Patre Gratia & Pax optetur hominibus: cùm hæc munera ſimpliciter ſint Divina, quæ nonniſi à Deo omnis gratiæ & pacis vel legitimè expeti, vel certò expectari poſſunt. Nec ideo *gratia & pax* à Chriſto quoque non expetitur, eo quod *teſtis fidelis* appellatur: Nam Pater etiam annumeratur tribus teſtibus qui ſunt in cœlo 1. Joh: v, 7. licet ſit author & largitor gratiæ & pacis. Neque magis repugnat Deo eum *teſtem* ſtatui, quam *teſtimonium* dici verbum ipſius Eſ: VIII, 20. Quare hic loci non opus eſt recurrere ad diſtinctionem naturarum in Chriſto; nam ab ipſo ut teſte fideli, & qui Amen & verax appellatur, æquè gratia & pax poteſt exſpectari, ac à Patre & Septiformi Spiritu: prout has tres perſonas revera Johannes conjungit in ſuo voto, dum ſeptem Eccleſiis Aſiæ optat ab illis tribus gratiam & pacem. Quod ſi objicias Chriſtum vocari quoque a Johanne in eadem ſalutatione *Primogenitum ex mortuis*, meminiſſe debebis unà dici *Principem regum terræ*: Et cùm primogenitus ex mortuis non eſſet, niſi fuiſſet θεάνθρωπος atque per excellentiam divinam ipſa Reſurrectio & Vita, etiam ab eo ſub illo titulo, unà cum Patre & Spiritu Sancto; Gratia & Pax poſſet & expeti & expectari. Ut vel corde vel cerebro caruerit Volkelius cùm ait Chriſtum, *quantus quantus eſt*, ſeparandum neceſſariò à Patre, ubi *de gratia & pace hominibus conferenda agitur*; cùm neutra è contrario poſſit obtineri niſi conjunctim à Patre & Filio. Nihil verò facit contra nos quod *eadem verba*, de quibus nunc diſputamus, *manifeſtiſſimè de Deo in throno ſedente pronunciantur, à quo Chriſtus, etiam cum ei cultus divinus exhibetur, apertiſſimis verbis diſtinguitur.* Nam ut non repugnat id de Filio dici Apoc: 1, 8. quod priùs tribuitur Patri Apoc: 1, 4. videlicet illum eum eſſe *Qui eſt, Qui erat & Qui venturus eſt*, propter unitatem naturæ & eſſentiæ in qua conveniunt ambo, nihil etiã impedit quominus id Filij elogiũ quod ſit *Dominus omnipotens, qui erat, qui eſt & venturus eſt*, ex Apoc: 1, 8. conveniat quoque Patri in throno ſedenti Apoc: IV, 8. Ac ſanè ſicut unus eſt thronus utriuſque Apoc: III, 21. & in omnium creaturarum δοξολογία conjunguntur is qui inſidet throno & Agnus Apoc: v, 13. ita poſſunt utriuſque attributa eſſe communia propter identitatem eſſentiæ & naturæ. Et quamvis in triſagio quod refertur Apoc: IV, 8. non ſpectaretur, ut fit, tota Sancta Trinitas, cujus unicuique perſonæ conveniat eſſe Sancto, Domino Deo omnipotenti, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt, tamen quod diceretur de Patre eum eſſe Sanctum Deum omnipotentem & æternum non cenſeretur eo ipſo dici excluſivè ad Filium, de quo è contrario æquè dicitur Apoc: v, 12. *Dignus eſt Agnus ille mactatus qui accipiat poteſtatem & divitias & ſapientiam & vires & honorem & gloriam & benedictionem*, ac Patri throno inſidenti accinitur Apoc: IV, 11. *Dignus es Domine qui accipias gloriam & honorem & virtutem.* Quantum ad vocem *qui venturus eſt*, adſtipulamur Volkelio, eam propriè

Digitized by Google

proprie idem eſſe ac *qui futurus eſt*, atque Joannis conſilium fuiſſe, *æternitatem Dei* per omnes temporis differentias ſimul junctas deſignare; Quamvis enim multum ſit diſcriminis inter æternitatē & tempus, vix tamen illam aliter quam ſub hujus imagine concipere poſſumus. Etſi inde non ſequatur, quod hic habet Hæreticus, *Æternitatem Dei tempore præſenti præterito & futuro contineri.* Nam potiùs æternitas ipſa continet triplex hoc tempus, quipe quæ tota ſimul ſingulis partibus temporis dum illæ exiſtunt coexiſtere intelligitur ex ſua indiviſibilitate, propter quam non cadunt in eam temporis partes & differentiæ, præteriti & futuri: Eſt enim ipſa *Nunc Stans*, ut tempus *Nunc fluens*. Neque Deus poſſidet ſuum eſſe per partes ſucceſſivas temporis, aliàs caderet quoque in eum actus & potentia, quod ejus ſimplicitati & perfectioni infinitæ adverſatur, ſed ſimul, nec minus immutabiliter quam interminabiliter á parte ante & á parte poſt, ut loquuntur in Scholis.

Ad extremum, quòd Chriſtus ille Deus ab Eſaia dicatur, qui ipſe venturus fuerit, noſque ſalvaturus, (*Eſa.* 35.4.) quodque ex eo conſequatur, Chriſtum ſummum illum eſſe Deum; id non eſt admittendum. Primò enim 429.
nihil vetat, quominus vatem de Deo Patre orationem habere credamus. quinimò nonniſi de hoc prophetam loqui, ex eo planè conſtat, quòd ſolum Chriſti Patrem Deum illum eſſe, jam demonſtratum eſt. Is autem tunc *venire* à divinis auctoribus dicitur, (*vid: Pſal*: 80. 3 *&* 101. 2.) cùm quippiam ſingulare inter homines virtute ſua præſtat, ut cùm iis vel benefacit, vel ſupplicia infligit.

† *Ad extremum quod Chriſtus*] Locus hic ex Eſ. XXXV, 4. 5. ita habet; *Confirmamini, ne timeatis; Ecce Deus veſter ultio advenit, retributio Dei, ipſe advenit ſervaturus vos: Tunc aperient ſe oculi cæcorum & aures ſurdorum patefient, tunc ſaliet claudus velut cervus* &c. Multa verò ſunt quæ oſtendant hunc locum de Chriſto loqui; illud maximè quod ipſe nunciis Johannis Baptiſtæ reſpondens, ac probaturus ſe eum eſſe qui venturus erat nec alium expectandum, tam manifeſtè reſpicit ad hunc locum in ſua reſponſione, cùm ait, *Ite & renunciate Iohanni quæ auditis & videtis; Cæci viſum recipiunt & claudi ambulant, leproſi mundantur & ſurdi audiunt* &c. quam palàm eodem reſpiciebat interrogatio Johannis, *Tu-ne is es qui venturus erat?* Matt. XI, 3. 4. 5. Quis enim quæſo fuit ille ὁ ἐρχόμενος, niſi is de quo dixerat Propheta *Ipſe veniet & ſervabit vos?* Ad hæc quiſnam vocaretur convenientiùs *Deus veſter* in ſermone Eſaiæ ad populum, quam is cui poſtea ſub eodem Elogio dicebat Thomas *Domine mi & Deus mi* Joh. XX, 28? Cui etiam alteri quam Chriſto conveniret, quod ſit *ultio & retributio*, ſiquidem in eo Deus ultus eſt peccata noſtra, & ipſe converſo in pretium Deo factus eſt ἀντίλυτρον pro multis? Nam etiam promiſſionibus de Chriſto exhibendo annumerari debet quod extat Eſ. XL, 1. 2. *Conſolamini conſolamini populum meum, dicit Deus veſter; loquimini quæ ſunt cordi urbi Ieroſolymorum, & prædicate ei completum eſſe tempus præfinitum ejus, exſolutam eſſe iniquitatem ejus, eam accepiſſe è manu Iehovæ duplum pro omnibus peccatis ſuis.* Cùm itaque Chriſtus hoc loco tam evidenter dicatur Deus noſter qui venturus erat

Digitized by Google

ad nos ſervandos, factus ipſe redemptionis noſtræ pretium, non eſt cur de illius æterna divinitate ullâ ratione dubitemus; Imò cùm ibi juxta Græcos interpretes Chriſtus dicatur ὁ θεὸς ἡμῶν, cum articulo præfixo & ſubjectivè, vel ideo ex hypotheſi adverſariorum debet indubiò agnoſci pro ſummo & vero Deo Patri ſuo coeſſentiali & coæterno: Sed audiamus quid huic luci objiciat Volkelius.

Primò enim nihil vetat] Falſò ſupponit quod probatum non dedit nec dabit unquam, Patrem ſolum eſſe verum Deum; cum è contrario Chriſtus à Propheta Deus noſter appelletur, & quominus id de Patre intelligi queat obſtant modò allegatæ rationes; cùm locus agat de miraculis à Chriſto patrandis, & agat de Deo qui venturus erat, ideſt revera de illo Domino ſubſequuturo ſuum anteambulonem & in ſuum templum ingreſſuro, de quo Mal: III, 1. qui ſalutem æternam nobis ſanguine ſuo erat confecturus. Nec poſſunt Sociniani apertiùs velificari cauſæ Judæorum, quam negando iſtud Eſaiæ vaticinium ſpectare ad Seruatorem noſtrum. Nec ſi τὸ *venire* Deo tribuitur in Scripturis *cùm quippiam ſingulare inter homines virtute ſuâ præſtat*, hinc ſequitur hoc vaticinium ad Filium Dei non ſpectare; cùm revera eo ſenſu & venturus fuerit & venerit, ſui manifeſtatione in carne 1. Tim: III, 16. ad opus eximium ſalutis & redemptionis noſtræ conficiendum.

Quòd verò additur pronomen *ipſe*, id vel nullam revera habet emphaſin, ſed tantùm inſtar relativi cujuſdam eſt, loco antecedentis poſitum, quemadmodum quidem Hebraicus textus requirere videtur, ubi in voce *Dei* eſt pauſa major, quæ diſtinguendi vim habet. Unde ita apud recentiores locum hunc verſum deprehendes: *Ecce Deus veſter cum ultione veniet, cum retributione Dei: ipſe veniet & ſalvos faciet vos.* q. d. is, inquam, veniet, & ſalvabit vos: vel, ſi emphaſis aliqua eſt in eo pronomine, non excludentur tamen eâ voculâ cauſæ mediæ, ſeu perſonæ illæ, per quas Deus venire, & ſalutem illam præſtare velit; ſed tantùm alii, qui Deo non ſunt hac in parte ſubordinati; ne quis fortè putet, ſalutem ac liberationem illam aliunde potiùs, quàm à Deo profectam. Sic dicitur Deus ipſe populum Iſraeliticum ex Ægypto eduxiſſe, & per deſertum duxiſſe, & gentes deleviſſe in conſpectu Iſraelitarum; licèt ea partim per angelum perſonam ſuam ſuſtinentem, partim per Moſen & Aaronem, partim denique per Joſuam perfecerit. (*Ioſ.* 24. 17. *conf. cum Num:* 20. 16. *& Act:* 7. 35, 36. *Deut:* 9. 3. *&* 31. 6. *conf: cum Exod:* 14. 19. *&* 23, 20. 23. *Deut:* 1, 30. *&* 31, 3.)

Quod vero additur pronomen] Hanc Emphaſim non poſſe eludi, eſt evidentiſſimum; Nam licet pronomen *ipſe* ſit *relativum* ad Deum veſtrum, indicat tamen *ipſum* perſonaliter, non ſubſtitutivè vel per alios adfuturum ad opus noſtræ Redemptionis, & illuſtria edituturum miracula, ſuâ extraordinariâ & ſingulari præſentiâ in carne.

Non excludentur tamen eâ] Imò ſanè, cùm *ipſe* met venturus dicatur, imò futurus ipſa *retributio* ipſumque λύτρον pro nobis, hinc redemptionis & ſalutis noſtræ opus illi immediatè adſcribitur. Et quamvis ipſe Jehova dicatur feciſſe aſcendere populum ſuum ex Ægypto Joſ. XXIV, 17.

Digitized by Google

Joſ: XXIV, 17. non tamen dicitur uſpiam ipſe-met veniſſe; niſi cum perſonaliter ipſum Moſem alloquebatur & totam hanc liberationem ejus miniſterio & manu peragere deſtinabat Exod: III, 8. Et licet nolimus excludere cauſas medias per quas Deus noſter venturus ad noſtram Redemptionem eam erat nobis oblaturus & applicaturus, tamen ſalutis æternæ & Redemptionis noſtræ opus, debebat ab ipſo peragi immediatè & perſonaliter, nullis alijs mediis vel perſonis ſibi ad id ſubordinatis, tum quia hoc opus excedit longè ſphæram activitatis creatæ, nam ſalus Jehovæ appellatur Gen: XLIX, 18. tùm quia hoc *torcular ſolus* calcare debuit ut nullus ex populis ſibi adeſſet Eſ: LXIII, 3. Quare non debet hîc venire in comparationem liberatio Ægyptiaca, ut proceſſit per Moſem & Aaronem; quia liberatio ex peccatis, uni Deo ita debetur ut ad illam nulla ipſi ſubordinetur creatura, Eſ: XLIII, 11. 25. Quod ſi tamen velit hæreticus eodem modo Patrem veniſſe in ſuo Filio & eum miſiſſe ad liberationem noſtram ſpiritualem ut ad liberationem Ægyptiacam, miſit Angelum ſuum Num: XX, 16. non multum refragabimur, quia Dei Filius qui venit in carne ut nos redimeret à peccatis & morte æterna, eſt ille ipſe Angelus fœderis & increatus quem Pater miſit olim ad educendum populum ſuum ex Ægypto; Nam Angelum illum fuiſſe increatum patet ex dicto Stephani Act: VII, 35. Moſem miſſum à Deo liberatorem populi, *ductu Angeli qui viſus ei fuerat in rubo*; At is erat Jehova, qui ſe Deum Abrahami, Iſaaci & Jacobi aſſerebat, Act: VII, 32. Exod: III, 6. quod nullus Angelus creatus poſſet citra blaſphemiam ſibi tribuere, & *Jehova* expreſſè appellatur Ex: III, 4.. Imò fuiſſe Dei Filium patet ex I. Cor: X, 9. ubi dicuntur Iſraelitæ *Chriſtum* tentaſſe in deſerto. Hinc dicitur Iſraeli, *Jehova Deus veſter quia anteit vos pugnaturus eſt pro vobis* Deut: I, 30. *& Jehova Deus tuus ipſe qui tranſit ante te eſt ignis conſumens* Deut: IX, 3. *& Jehova Deus tuus tranſit ante te, & qui ambulat tecum non deſeret te* Deut: XXX, 3. 6. Et qui dicitur *Angelus ipſe Dei qui antecedebat caſtra Iſraelitarum* Exod: XIV, 19. necnon Exod: XXIII, 20. 23. Exod: XIV, 21, & 24 *Jehova* appellatur; & Exod: XIII, 21. conceptis verbis dicitur quod *Jehova antecedebat eos interdiu in columna nubis ad deducendos eos via illa & noctu columna ignis ad adferendum eis lucem.* Iſta ſanè locorum collatio ſatis indicat eum qui dicitur *Angelus* Jehovæ, ſæpiùs quoque *Jehovam* appellari, non quod perſonam Dei ſuſtineret, ut fingit Volkelius, cùm nunquam factum ſit ut legatus regius, licet nomine Regis agat, vel ſumat nomen proprium Regis, vel Rex appelletur; ſed quod eſſet Angelus fœderis & magni conſilij, adeoque æternus & increatus, Patri ſuo coeſſentialis & coæternus. Si enim Angelus creatus ob miniſterium in eo opere præſtitum Deo, Jehova diceretur, tum potuiſſet religioſè coli & adorari, quod tamen illicitum eſſe ſatis liquet ex Apoc: XIX, 10. XXII, 8. 9. Quinetiam inde ſequeretur nomen Jehovæ fuiſſe quoque communicabile Moſi, Aaroni & Joſuæ, per quos etiam ceu Dei miniſtros & legatos illa liberatio proceſſit; quod tamen non putem conceſſuros adverſarios. Sed videantur hanc ad rem quæ de nomine *Jehova* diſputavimus *lib.* I. *cap.* II.

Quod ut pateat clariùs, animadvertendum eſt, verba illa primo ſeu literali, ut vocant, ſenſu prædictionem liberationis ex captivitate Babylonica continere, quemadmodum ex ijs, quæ circa finem hujus capitis leguntur, ubi

 prædi-

prædictio iſta demùm terminatur, apparet. Ibi enim diſertè redemtorum, h.e. ex ea captivitate liberatorum, & eorum in Sion reditûs, fit mentio. Quæ quidem liberatio, cùm imaginem typumque libertatis, in quam per Chriſtum vindicati ſumus, gesſerit, tuncque Deus veniſſe, & populum ſuum ſalvâſſe dictus fuerit, quamvis hoc non perſonaliter, ſed præſentiſſimo ſuo favore peregerit; quid eſt cauſæ, quòd non ipſe Deus tunc veniſſe rectè dici poſſit, cùm per Chriſtum diviniſſima & planè inaudita quadam ratione nos ſervare inſtitueret, ut ſuis locis explicatum eſt? Neque quicquam huic veritati obſtat, quòd miracula iſta, quæ Propheta ibidem vaticinatur extitura, tunc cùm Iſraelitæ è Babylonicis vinculis emitterentur, propriè loquendo edita non fuerunt: cùm, ſi tempus illud reſpicias, prophetico more per allegoricam dicendi figuram, maximâ lætitiâ, ex inſigni felicitate ortâ, populum illum perfuſum iri, vates indicare voluerit, quemadmodum ſanè alia quoque, quæ ibidem prædicuntur, ad quodcunque tandem tempus referan-
430. tur, omnino allegoricè ſunt accipienda.

‡ *Quod ut pateat clarius*] Falſum eſt ſenſum literalem hujus vaticinij ſpectaſſe liberationem *ex captivitate Babylonica*: Nam ipſi-met Judæi ſenſerunt ſemper hic agi de temporibus Meſſiæ; & quod Thargum R. Jonathan, ita reddidit hoc oraculum Eſaiæ, *Deus ipſe revelabit ſe, & ſalvabit vos*, magis diſertè ſpectat illam apparitionem Chriſti quâ Deus dicitur *manifeſtatus in carne* 1. Tim: III, 16. Nec poſſet fingi vaticiniũ hoc aliò ſpectare citra ingentem prævaricationem in cauſa Chriſtianiſmi contra Iudæos: Dicuntur quidem *redempti Iehovæ reverſuri & peruenturi Sionem cum cantu* com. 10. Sed redempti Iehovæ non ſunt alij quam illi quos Chriſtus redemit ſuo ſanguine, neque Sion alia quam Eccleſia ipſius tum militans in terris, tum triumphans in cœlis, ubi *gaudium & lætitiam aſſequentur & fugient mœror & gemitus*, quia videlicet Deus *abſterſurus eſt omnem lachrymam ab oculis eorum* Apoc: XXI, 4. Ipſique Iudæi *in Bereſith Rabba*, citante Galatino *lib.* 8. *de Arc. Cath. verit. cap* 21. per Sionem hoc loco interpretantur Paradiſum: *Non dicitur Sion in loco iſto niſi* גן עדן *gan gueden, ideſt, hortus voluptatis.* Sed dato quoque, non conceſſo, *verba illa primo ſeu literali, ut vocant, ſenſu, prædictionem liberationis ex captivitate Babylonica continere*, inde tamen non ſequeretur multo auguſtiori modo non complenda fuiſſe in liberatione noſtra Spirituali per Chriſtum, in quo habitavit omnis plenitudo Deitatis corporaliter Col II, 9. Ut cùm Deus inviſibiliter venerit ad priorem, viſibiliter ad poſteriorem apparere debuerit, utrobique *perſonaliter*; Nam Deus non liberaſſe *perſonaliter* populum ſuum ex captivitate Babylonica, ſed tantum *præſentiſſimo ſuo favore*, perperam aſſerit hæreticus, opponendo vitioſè perſonali Dei actioni, quod ſingulari & præſentiſſimo illius favore peragitur; quaſi Deus non faciat perſonaliter, quod ſuo ſpeciali ac ſingulari favore peragere dignatur.

Neque quicquam huic] Imò verò id plurimum obſtat cauſæ Volkelianæ; cùm enim hæc miracula ſenſu literali fuiſſent peragenda tempore chriſti, non poteſt ſenſus literalis hujus vaticinij ſpectaſſe liberationem ex captivitate Babylonica, ad quã nonniſi *allegoricè* iſta petinerent. Abſurdè enim fingas ea quæ extitura di-

cuntur

cuntur per Prophetam, allegoricè eſſe intelligenda quoad liberationem temporalem, de qua agat in ſenſu literali & proprio, ſed literaliter debere ſumi quoad liberationem Spiritualem, etſi de ea non agat niſi ſecundariò & in ſenſu myſtico ac figurato. Nec ſequitur ideo hæc miracula allegoricè debere ſumi, limitatè & reſpectu liberationis prioris, etſi literaliter extitura fuerint reſpectu poſterioris, eo quod *alia queque quæ ibidem prædicuntur ad quodcunque tandem tempus referantur, omninò allegoricè ſumi accipienda*; quamvis quænam illa ſint non explicet Volkelius. Fruſtra enim pertendit allegoricè etiam poſſe ſumi, quæ aliàs fatetur literaliter fuiſſe eventura, eo quod quædam ibi dicantur, quæ nunquam literaliter erant eventura, & nonniſi allegoricè ſumi debeant.

Atqui, inquiunt, hinc perſpicuum eſt, illum Deum, qui ipſe venturus erat, Chriſtum eſſe, quòd hic veniens miracula iſta, quæ primo loco ponuntur, verè ac propriè ediderit, inque hunc Joannes Baptiſta, miſſis ad eum diſcipulis ſuis, quaſi digitum intendens, (*Matt*: 11, 3.) dicat: *Tu es ille, qui venturus eſt.* id quod Chriſtus reſponſo ſuo, in quo ad hæc Eſaiæ verba reſpexerit, comprobare videatur. Hîc reſpondemus primò, conſequentiam iſtam malè conſtitutam eſſe: Chriſtus veniens edidit miracula iſta. Ergo eſt Deus ille Iſraelis: cum nequaquam ipſum Deum per ſe miracula iſta facturum Eſaias dicat; Sed tunc, inquit, oculi cœcorum & aures ſurdorum aperientur, &c. ut facilè appareat, prædictionem iſtam ad Chriſti quidem tempora myſtico ſenſu referendam eſſe: non tamen ex eo conſequi, Chriſtum eſſe illum unum Deum, ſed potiùs eum, per quem Deus & venturus, miracula iſta facturus erat.

† *Atqui, inquiunt, hinc*] Hoc ſanè argumentum ita ſtringit, ut non poſſit illud eludere, nedum elidere adverſarius. Si enim chriſtus eſt ille qui erat venturus & patraturus hæc miracula, ut patet ex Matt. XI, 3. 4. 5. dubium non eſt quin agnoſci debeat Deus noſter, retributio Dei, qui ipſe venturus erat & nos ſervaturus; Quod ſi dicas inde *non conſequi Chriſtum eſſe verum illum Deum, ſed potius eum per quem Deus & venturus & miracula iſta facturus erat*, primo negabis, contra quam aſſerit Propheta *ipſummet* Deum noſtrum venturum fuiſſe ut ſervaret nos; Deinde ipſi chriſto in miraculis illis patrandis non amplius tribues quam Moſi in edendis variis illis ſignis quibus radiabat Miniſterij ſui tempore; At verò chriſtum in iſtis miraculis patrandis principaliter ſe habuiſſe, quod eſt proprium Dei, non merè miniſterialiter inſtar Moſis & aliorum virorum ſanctorum, inde patet evidenter quod etiam plura ex illis miraculis facta ſint per chriſti diſcipulos in ipſius nomine, ſed nulla legimus unquam facta in nomine Moſis vel Petri.

Deinde nequaquam neceſſe eſt, ut Joannem verbis iſtis utentem, ad hanc Eſaiæ vaticinationem reſpexiſſe ſtatuamus, ut nimirum Chriſtum Deum illum Iſraelitarum eſſe teſtaretur: cum multò veriſimilius ſit, eum aſſerere voluiſſe, Jeſum eſſe illum Meſſiam, qui expectabatur. Quid, quòd nec Chriſti reſponſum, miraculorum, aliarumque rerum enumerationem continens, neceſſe

neceſſe eſt ad iſtam prædictionem referre: cùm nec ullam Eſaiæ mentionem faciat, nec eadem planè Eſaiæ verba recenſeat, aliaque ex iis omittat, alia non pauca addat. Præter ea enim, quæ ab Eſaia enumerantur, dicit, lepro-ſos mundari, itemque mortuos reſurgere, & pauperibus Evangelium prædicari, beatumque eſſe qui in ipſo non fuerit ſcandalizatus.

‡ *Deinde nequaquam neceſſe eſt*] Imò id omninò eſt neceſſe; cùm diſertè quærat Johannes de Chriſto an ſit ille ὁ ἐρχόμενος adeoque & Meſſias qui *expectabatur*, ſiquidē ipſimet Iudæi ab ævo *hanc Eſaiæ vaticinationem* de Meſſia ſunt interpretati. Quare opponit hîc Volkelius quæ erant componenda; Nam ideo voluit Iohannes aſſerere *Ieſum eſſe illum Meſſiam qui expectabatur*, eo quod is eſſet de quo prædixerat Eſaias Deum noſtrum venturum & nos ſervaturum: Atque huc facit Chriſti reſponſum, quo pleraque illa complectitur quæ Eſaias tunc extitura prædixerat. Ut quid enim per illa miracula probaſſet ſe eſſe Meſſiam qui expectabatur & venturus erat, niſi alicunde conſtitiſſet ejuſmodi miraculis Meſſiam coruſcaturum? At quem alium Prophetarum locum nobis dabunt Sociniani, ex V. T. qui ita luculenter & perſpicuè, ut hic, de miraculis per Meſſiam patrandis meminerit? Parum verò id eſt quod *nec ullam Eſaiæ mentionem* Chriſtus in ſuo reſponſo *faciat, nec eadem planè Eſaiæ verba recenſeat aliaque ex iis omittat, alia non pauca addat*; Nam cùm petitio diſcipulorum Iohannis de eo qui venturus erat reſpiceret apertè vaticinium Eſaiæ, non opus fuit Chriſto eum nominare. Et quoad illius citationem, ſolent Scriptores N. T. in citandis teſtimoniis ex Veteri, potius ad ſenſum & mentem Spiritus Sancti reſpicere, quam ad verba; & quæ adduntur à Chriſto quoad *Leproſorum* mundationem & ſuſcitationem *mortuorum*, ſunt ejuſdem generis cum iis quæ per ipſum eventura Propheta prædixerat; Id verò quod *pauperibus Evangelium* prædicatur, ſatis apertè reſpicit aliud Prophetæ ejuſdem vaticinium, quod extat Eſ: LXI, I. quodque Chriſtus ſibi ipſi formaliter applicat & de ſeipſo explicat Luc: IV, 18. Ut vel hinc conſtet dilucidiùs mentem Domini fuiſſe docere diſcipulos Johannis, ſe revera illum eſſe quem venturum ed ſalutem hominum & ideo ungendum à Patre prædixerat Eſajas, unde meritò concludit *beatum eſſe qui in ipſo non fuerit ſcandalizatus*. Hæc utique ſunt ita evidentia, ut illis nunquam contradicturi eſſent Sociniani, niſi vim facerent conſcientijs ſuis, & luci ſe undique ingerenti obſtinatè oculos clauderent, ex conſilio diabolico de æterna Chriſti divinitate impugnanda quo jure qua injuria.

Veniendum nunc eſt ad illas voces atque ſententias, quæ Chriſti cum Patre conjunctionem, quâ ſimilitudinem quoque & æqualitatem complectimur, declarant. Horum autem duo ſunt genera: quædam enim, quàm arcta Chriſtus Patri ſuo devinctus ſit neceſſitudine, planiùs exprimunt: quædam verò, quamvis rei iſtius ſignificationem habeant, paulò tamen obſcuriùs eam pronunciant. Illæ verò rurſus vel uno, loquuntur Dialectici, termino, vel pluribus conſtant. Uno tunc, cum Chriſtus dicitur unum cum Patre, æqualis Deo, imago Dei, & character ſubſtantiæ ejus, Verbum ſive Sermo Dei, in for-

Digitized by Google

in forma Dei fuiſſe, (*Ioh*: 10. 30. & 5. 18. *Col*: 1. 15. *Heb*: 1. 3. *Iohan*: 1. 1. *Phil*: 2. 6.) item cum divinitatis plenitudinem in illo corporaliter habitare affirmatur. (*Col*: 2. 9.)

‡ *Veniendum nunc eſt*] Arbitraria eſt Methodus; nec multum nos movet quod Author hoc ordine argumenta Orthodoxorum ſuſceperit refutanda: Sequemur eum κατα πόδα, & noſtra ab illius ſtrophis vindicabimus.

Primò igitur, quòd Chriſtus ſe & Patrem unum eſſe dicit, (*Ioh*: 10. 30.) nullam vim habet ad iſtam coeſſentialitatem conſtituendam: cùm unum eſſe cum altero nunquam id, quod volunt adverſarii, deſignare in ſac. literis videamus: & interim vel de voluntatum conſenſione, vel de alia aliqua conjunctione, aut ſimilitudine, eam loquendi formulam uſurpari comperiamus, (*Ioh*: 17. 11, 21, 22, 23. 1 *Cor*: 3. 8. 11. 5. *Gal*: 3. 28. 1. *Ioh*: 5. 8.) idque in iis quoque locis, in quibus comparatio inſtituitur inter hujuſmodi plurium perſonarum unitatem, ſeu conjunctionem, & eam unitatem quæ eſt inter Chriſtum & ipſius Patrem, quemadmodum fit in ejuſdem Chriſti verbis infrà apud eundem Joannem cap. 17. (*vid*: *d.v.* 11. 21, 22, 23.) ubi orat Patrem, ut diſcipuli ſui unum ſint, ſicut ipſe cum Patre unum ſit; idque ut fieret, ſeipſum quoque curare aut curaſſe teſtatur. 43 1.

‡ *Primò igitur quod Chriſtus*] Hic locus Joh. x, 38, plurimum uſſit ſemper hoſtes divinitatis Chriſti, cum eam ſibi tribuat cum Patre unitatem, quæ ad meram *voluntatum conſenſionem* reſtringi nequit, ſed omninò debet extendi ad identitatem potentiæ, quam ſimul exerant in Ovium ſuarum cuſtodia: Ideo enim monet Chriſtus neminem eas erepturum ex ſuis manibus, quod nemo illas poſſit eripere ex manu Patris ſui, hac ratione quod ipſe & Pater unum ſint. Et ſanè ſtatim à limine adverſario hæret aqua; Nam ut impudenter negat, *unum eſſe cum altero, nunquam coeſſentialitatem deſignare*, quaſi verò coeſſentiales, ſaltem ſpecificè, non debeant eſſe Vir & Uxor qui *una* caro dicuntur, & fideles qui *unum* ſunt in Chriſto, ita perperam opponit quæ fuiſſent amicabiliter componenda in hoc myſterio, nempe coeſſentialitatem & voluntatum conſenſionem; Nemo enim poteſt eſſe abſolutè unius voluntatis cum Deo, qui non ſit pariter unius eſſentiæ. Tum neſcit quò ſe vertat hæreticus, & nem *de voluntatum conſenſione vel de alia aliqua conjunctione aut ſimilitudine*, hanc unitatem Patris & Filij interpretari debeat.

Idque in iis quoque locis] Comparatio quæ inſtituitur Joh: xvii, 11. 21. 22. 23. fruſtra huc adfertur: Nam primò *unitas* inter fideles, juxta votum Chriſti dicentis ſuo Patri, *ut ſint unum ſicut & nos*, ſupponit inter eos coeſſentialitatem aliquam, ſaltem ſpecificam, qualis ſola poteſt eſſe inter perſonas humanas: Deinde illud *Sicut* eſt nota ſimilitudinis tantum non æqualitatis, ut ſcilicet cenſeantur convenire in mutua unione cum Patre & Filio, non tamen in unionis modo: Ita petimus voluntatem Dei fieri *in terra ſicut in cœlo* Matt: vi, 10. & Chriſtus nos hortatur ut ſimus *perfecti ſicut Pater* noſter cœleſtis *perfectus eſt* Matt: v, 48. Patet quod dico ex Joh:

 xvii, 21.

XVII, 21. *Vt omnes unum ſint ſicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint*: Jam autem certum eſt nunquam talem unitatem proponi v. g. inter Petrum & Iohannem, per quam Iohannes ſit in Petro & Petrus in Iohanne, ut Pater non ſemel dicitur eſſe in Filio & Filius in Patre: videatur Ioh: XIV, 9. 10. 11. Nec ſi dicuntur pij *unum* eſſe in Patre & in Filio, per Spiritualem communionem quam habent cum utroque, & ex axiomate Philoſophico quo ſtatuitur ea quæ in uno tertio conveniunt etiam convenire inter ſe, quo ſenſu etiam dicuntur Gal. III, 28. omnes eſſe *unum* in Chriſto Ieſu, ideo dici poterunt unquam eſſe unum cum Deo, multo minus poterit quilibet eorum dicere cum Chriſto, *Ego & Pater unum ſumus.* Qui ita loqueretur non poſſet à blaſphemia excuſari. Quod ſi quis objiciat nos tamen cenſeri eſſe in Chriſto & Chriſtum in nobis, adeoque unum eſſe cum ipſo, reſpondebo primò nulli tamen fideli in Sacra Scriptura hanc vocem excidiſſe, *Ego & Chriſtus unum ſumus*; ſecundò unionem myſticam quæ piis intercedit cum Chriſto, nec ejuſdem eſſe ordinis cum ea unione quæ intercedit Filio cum Patre, & revera conſubſtantialitatem aliquam inter nos & Chriſtum ſupponere, ut patet ex Heb: II, 11. 14. Alia quæ hæreticus hic congeſſit teſtimonia, non favent ſuæ detorſioni; Nam 1. Cor: III, 8. *Is qui plantat & is qui rigat* ita *unum ſunt* in opere Miniſterij, ut tamen nunquam dicatur is qui plantat eſſe in rigante & hic in illo, ita ut rigante viſo videatur plantator, & hoc ille; prout ita Filius & Pater unum ſunt, ut Pater ſit in Filio, Filius in Patre, & Patrem videat qui viderit Filium Joh: XIV, 9. 10. Tū qui plantat & qui rigat non poſſent unum eſſe in opere Miniſterij, niſi in unitate ſpecifica naturæ convenirent inter ſe. Abſurdiſſimè profertur à Volkelio locus 1. Cor: XI, 5. qui nihil minus ſpectat quam plurium perſonarum unitatem; cùm de una eademque muliere dicatur, eodem loco habendam ac ſi tonſa vel raſa eſſet, ubi non operto capite oraverit, aut aliis ſacris pietatis exercitiis operata fuerit. Sic enim habet textus: *Omnis mulier orans aut prophetans non operto capite dedecorat caput ſuum; nam id unum ac idem eſt ac ſi raſa eſſet.* Sed neque agitur 1. Joh: V, 8. de perſonarum, ſed teſtium realium contradiſtinctè à perſonalibus unitate, neque illi *tres teſtes qui teſtificantur in terra Spiritus & aqua & ſanguis* dicuntur Apoſtolo *unum* eſſe, ſed πρὸς ἕν & *ad unum*, vel *in unum*, ut Syrus reddit.

Quare non modò nihil eſt quod prohibeat, quominus de hujuſmodi unitate Chriſtum etiam cap. 10. loqui cenſeamus; ſed etiam nihil eſt veritati magis conſentaneum, & ſententia inde naſcitur ſcopo Chriſti accommodatiſſima, nempe Chriſtum, ut in cæteris omnibus, ita etiam in curandis, tuendis, æternumque ſervandis ovibus, quas ipſi dederit Pater, & curæ ipſius commiſerit, ita cum eo conjunctum eſſe, itaque eos inter ſe conſpirare, ut hac in parte unum cenſeri debeant. Unde conſequitur, fieri non poſſe, ut quiſquam oves illas ex Chriſti manibus eripiat: ſiquidem neceſſe foret, eas ſimul ex ipſius Patris manibus eripere atque extorquere: id quod fieri nulla ratione poteſt. Siquidem nemo eſt Patre validior ac potentior: ſed ipſe contrà major, ſeu validior ac potentior eſt omnibus. Quare ſimiliter fieri nequit, ut quiſpiam ex Chriſti manibus eas eripiat.

Digitized by Google

‡ *Quare non modo nihil*] Jam pluribus oſtenſum Chriſtum Ioh: x, 30. non loqui de *hujuſmodi unitate* quæ vel ſit myſtica & fidei, qualis eſt noſtri unitas cum Chriſto, vel operis & miniſterij, qualis eſt plantantis & rigantis in horto Domini, vel nudæ voluntatum conſenſionis, qualis inter amicos & fratres concordes ſolet eſſe; cùm iſta ejuſmodi circumloquutione exprimatur, maximè Ioh:xiv,9.10.11. & Ioh: xvii,21. quæ unitatem arctiorem & ſublimiorem ſonat, quæ nulli qui naturâ Deus non fuerit poteſt cum Patre intercedere. Ipſe ſcopus Chriſti hîc Volkelio commemoratus, id ipſum luculenter comprobat. Nec enim Chriſtus duntaxat urget ſui cum Patre conjunctionem, *ut in cæteris omnibus, ita etiam in curandis, tuendis æternumque ſervandis ovibus quas ipſi dederit Pater*, ſed etiam identitatem manus & potentiæ cum ipſo, ut ideo nemo queat eas eripere *è manu* ſua com. 28. quod nemo queat illas *eripere è manu Patris* com. 29. Quæ ſanè ratio à manu Patris ad manum Filij non procederet, niſi eadem eſſet *manus*, eadem vis & potentia, & conſequenter eadem omninò eſſentia & natura utriuſque; cui veritati comprobandæ ſubjicit *Ego & Pater unum ſumus.* Oportet enim ejuſdem eſſe potentiæ & eſſentiæ Filium cum Patre, ſi ideo nemo poteſt eripere oves ſuas è manu ſua, quoniam nemo poteſt eas eripere è manu Patris ſui, qui *major* ſeu *validior ac potentior eſt omnibus* invaſoribus & perſecutoribus earum.

Ne verò de unitate eſſentiæ Patris & Filij verba hæc accipiamus, præter uſum ſacrarum literarum, & locum huic ſimilem cap 17. iſta quoque diſſuadent: primùm, quòd Chriſtus hoc ipſo cap. 10. loco dicit, Patrem ſibi oves illas dediſſe. At ei, qui eandem habeat cum Patre eſſentiam, ſitque ſummus unà cum ipſo Deus, dari nihil poteſt.

‡ *Ne verò de unitate*]De loco ſimili Ioh: xvii,11.(quem etiã olim Catholicis objecerunt Ariani,ut videre eſt apud Auguſtinum hoc effugium illis eripientem *lib. 2.contra Maxim. cap. 12.& lib. 3. cap. 22.*) jam ſupra diximus, inſtitui illic comparationem, non omnimodæ æqualitatis, ſed tantum alicujus ſimilitudinis. Ad rationem verò Volkelij ut reſpondeam, falſum eſt Patrem non poſſe dici dediſſe quicquam Filio, ſi ſint ejuſdem eſſentiæ & naturæ; nam etiam quod Filio hæc natura & eſſentia Divina convenit, ipſi datum eſt à Patre; *Sicut enim Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit Filio habere vitam in ſeipſo* Ioh: v, 26. Adhæc nihil obſtat quominus Filio œconomicè conſiderato, & in quantum conſtitutus eſt Mediator & Redemptor generis humani ceu θεάνθρωπος, datæ & commiſſæ fuerint iſtæ oves redimendæ, æterno Patris conſilio, quod tamen unum eſt cum conſilio Filij conſiderati merè Theologicè & præciſè quà λόγος eſt. Quid quod Vulgatus interpres & Doctores Latini Veteres omnes ita habent Joh: x, 29. *Pater meus quod dedit mihi majus omnibus eſt*; ac ſi mens Chriſti eſſet dicere neminem è manu ſua oves ſuas erepturum, quoniam majus ſit omnibus id quod Pater ſibi dedit; quo nomine eſſentiam & potentiam Divinam omnibus potentiorem & majorem ſibi à Patre datam & communicatam aſſerit. Saltem cùm adverſarij ut plurimum nitantur Vulgatâ Verſione, ejus authoritatem hîc loci defugere non deberent.

Digitized by Google

Deinde quòd ibidem dicit, Patrem eſſe majorem omnibus: quod ita latè extendi, ut ipſe quoque Chriſtus comprehendatur, ex alio ejuſdem Chriſti apud eundem ſcriptorem loco patet, (*Ioh*: 14. 28.) ubi ait: *Pater major me eſt.* Deo autem ſummo nemo eſt major.

‡ *Deinde quod ibidem*] Iam monui ex V. V. non hic dici Patrem majorem omnibus, ſed majus omnibus dici quod Pater dedit Filio; cùm robur divinum à Patre Filio communicatum per æternam generationem ſit infinitum & invictum. Sed neque decedit quicquam coeſſentialitati Filij cum Patre, quod Pater dicatur major omnibus, ſcilicet qui oves ſuas vellent diripere: ſiquidem illa majoritas ſupra omnes & præ omnibus convenit etiam Filio cum Patre, eo quod ipſe & Pater *unum* ſint. Sic enim profitetur ſibi omnem poteſtatem datam in cœlo & in terra Matt: XXVIII, 18. & nihil eſſe Patris quod ſuum etiam non ſit Joh: XVII, 10. & ex conſequenti ſe majorem eſſe omnibus: Quò ſpectat nomé illud ſupra omne nomen ei conveniens ad quod omne genu flecti debet, cujus meminit Apoſtolus Phil: II, 9. 10. Huic autem veritati fruſtra opponit Volkelius ex armamentario veterum Arianorum dictum Servatoris Joh: XIV, 28. *Pater major me eſt*; Nam hîc Chriſtus loquitur de ſe in ſtatu ſuo œconomico & exinanitionis; cùm aliàs quà λόγος præciſè, unum eſſet cum Patre, nec rapinam duceret æqualem eſſe Deo Phil: II, 6. Quid quod plerique Veterum hanc majoritatem Patris ſupra Filium, retulerunt ad illam Patris ὑπεροχὴν perſonalem, quà eſt ἀγέννητος & ἀναίτιος, cùm è contrario ſit principium ordinis & originis Filij & cum Filio Spiritus Sancti. Ita ſanè Athanaſius *orat.* 2. *in Arr.* Baſilius *lib.* 2. *contra Eunom.* Gregorius Nazianzenus *orat.* 4. *Theol.* Hilarius *lib.* 9. & 11. *de Trinit.* Jam autem quomodocunque hic locus intelligatur, nihil efficiet pro Volkelio: Nec enim ſequitur Pater eſt major Filio exinanito & ſub forma ſervi, & in quantum homo eſt; Ergo Filius non eſt æqualis Patri quà λόγος & Deus; Nam à dicto ſecuudum quid ad dictum ſimpliciter non valet conſequentia; Sic nec ſequetur Filius in Divinis eſt minor Patre ordine & origine, ergo naturâ, eſſentiâ & poteſtate. Etenim cùm hæc duo dicat Scriptura, & Patrem eſſe majorem Filio, & tamen eſſe Filium unum poteſtate cum Patre & æqualem illi, certum eſt prius nonniſi reſtrictè, limitatè & ſecundum quid intelligi poſſe. *Deo* quidem *ſummo* vel qui ſit tantum Deus, vel quoad eſſentiam & poteſtatem, *nemo eſt major*; ſed poteſt Pater eſſe & dici major Chriſto, qui ſic eſt Deus ſuper omnia benedictus Rom: IX, 5. ut ſit etiam homo & ex Patribus ſecundum carnem; & qui ſic eſt unum eſſentiâ & potentiâ cum Patre, ut tamen ſit origine à Patre & ordine ſecundus ab illo in Sacroſancta Trinitate.

Denique ſi Chriſtus eſt unius cnm Patre eſſentiæ, & ſic ſummus ille Deus, quid opus erat ambagibus? quin potiùs apertè dicebat, Nemo oves meas poteſt ex manibus meis eripere, quia ego major ſum omnibus? præſertim cum non minùs obſcurum eſſet, ipſum ejuſdem eſſe cum Patre eſſentiæ, quàm ſe eſſe majorem omnibus, imò hoc poſterius priori credibilius cenſeri deberet.

Digitized by Google

ret. Hoc enim ſelpſum minimè evertit: illud evertit. Filium enim ſemper neceſſe eſt diverſam numero eſſentiam à Patre habere: quia aliàs ipſemet pater foret. ſiquidem unuſquiſque à ſua eſſeutia nihil differt, niſi verbis & cogitatione.

‡ *Denique ſi Chriſtus eſt*] At ne recequiam quod antea obſervavi ex V. V. Chriſtus ſatis prodit ſe majorem omnibus, eo quod ſe manu & potentiâ unum faciat cum Patre qui omnibus major eſt: Nec aliter id perceperunt ejus Auditores, qui inde ſatis cognoverunt quod ſe Deum faceret. Adhæc cùm in illo ſtatu exinanitionis acceptâ formâ ſerui, nollet tam palam innoteſcere, prout etiam prohibebat ſuis Apoſtolis ne ſe dicerent eſſe Dei Filium, nemini mirum eſſe debet, ſi non directè ſe majorem omnibus profitetur, ſed tantum indirectè, & dum id elogij tribuens citra controverſiam Patri, ſe cum illo unum eſſe dicit. Et quamvis antequam mentem ſuam explicaſſet *non minus obſcurum eſſet ipſum ejuſdem eſſe cum Patre eſſentiæ, quam ſe eſſe majorem omnibus*, tamen ut poſterius inſinuet, prius explicat, ac relinquit ogitandum ſe eo ipſo eſſe majorem omnibus, quod unum eſſet cum Patre, quem omnibus eſſe majorem nemo ibat inficias. Abſurdè autem *poſterius priori* eſſe *creaibilius* ſtatuit Volkelius: Quî enim poſſet credi Chriſtus abſolutè major omnibus, niſi eſſet Deus ſuper omnia benedictus, & per conſequens ejuſdem eſſentiæ & naturæ cum Patre? Plures enim dari eſſentiâ diverſos, majores omnibus, eſt omninò ἀδύνατον, cùm unum & ſummum convertantur. Abſurdius dicit prius *ſeipſum* evertere. *Filium* equidem in generatione phyſica *ſemper neceſſe eſt diverſam numero eſſentiam à patre habere*, quia nulla eſſentia ſingularis finita eſt communicabilis pluribus ſuppoſitis, ſed unico ſubſiſtendi modo debet terminari: At alia eſt ratio generationis hyperphyſicæ & Divinæ, quæ magis per emanationem procedit quam per transmutationem: Nam ut Sol eandem numero eſſentiam ſuis radiis communicat, ita Pater in divinis communicat Filio, qui per generationem æternam procedit ab ipſo, eandem numero eſſentiam. Neque ſic Filius *ipſemet Pater* eſſe ſtatuitur: Nam Pater dedit Filio quæcunque habet excepto eſſe Patris, ut Sol quicquid habet lucis dat ſuis radijs eos ex ſe progignendo, excepto eſſe Solis; licet nec Pater nec Filius ab eſſentia divina quam habent communem aliter diſtinguantur quam ratione, tamen ipſi inter ſe diſtinguuntur modis diverſis eam eſſentiam habendi & obtinendi: Convenit enim Patri ἀγέννητως, Filio vero per generationem ex Patre. Verùm ἀφιλόσοφον eſt ſtatuere, quod *unuſquiſque à ſua eſſentia nihil differt niſi verbis & cogitatione*; nam meæ eſſentiæ, & quæ aliàs mihi eſt communis cum omnibus alijs hominibus, debuit accedere non tantum exiſtentia per quam actuaretur & extra ſuas cauſas collocaretur, ſed etiam ſubſiſtentia, ideſt modus ille ſpecialis exiſtendi mihi proprius, per quem inter tot homines, ego ſum & hic homo, nec alius. Sed facile eſt retorquere in adverſarium hoc ſuum Sophiſma: Nam ſanè omnis filius, maximè proprius, naturalis & μονογενὴς (qualis eſt Chriſtus æterno Patri,) debet eſſe ejuſdem naturæ & eſſentiæ ſpecificæ cum ſuo patre, aliàs monſtroſa planè foret generatio, ſi aquila columbam, homo beſtiam, gigneret. Igitur iu Divinis Filius numero diſtinctus à Patre, uti eſt in confeſſo, erit nihilominus ejuſdem eſſentiæ & naturæ cum Patre, vel ſpecificè tantum, ut inter

inter homines, vel numericè: Prius dici non poteſt, quia Tritheiſmus eâ ratione inveheretur; & cùm natura Divina ſit maximè una nulloque modo diviſibilis aut multiplicabilis, non poſſet multiplicari numericè & ad numerum Perſonarum illam communicantium. Supereſt igitur ut Pater & Filius eandem numero eſſentiam habeant. Nec potuiſſet dicere Chriſtus Joh· XIV, 9. 10. *Philippe qui vidit me, vidit Patrem; An non credis me in Patre & Patrem in me eſſe?* ſi naturæ & eſſentiæ numero diverſæ à ſuo Patre fuiſſet. Sed mirum non eſt Socinianos hæc delirare, cùm æternam Filii generationem in Divinis ad decempedam generationis animalium ſoleant metiri, parati cum Mahumetanis negare Deo ullum eſſe filium proprium & unigenitum eo quod uxorem non habeat.

At dicent, inde conſtare, de unitate eſſentiæ hæc verba eſſe accipienda,
432. quòd Judæi ea in hunc ſenſum acceperint, ideoque lapidibus Chriſtum obruere voluerint, quòd, homo cum eſſet, Deum ſeſe faceret. Adde, quòd Chriſtus eos ob hanc ſententiam, ex verbis ſuis conceptam, non modò non reprehenderit, ſed inſuper etiam oſtenderit, ſibi magis, quàm omnibus aliis, *Dei*, ſive, quod idem hoc in loco ſit, *filii Dei* nomen convenire, propterea quòd & à Patre ſanctificatus inque mundum miſſus, & Pater in ipſo, ipſeque viciſſim in Patre eſſet. Quibes omuibus, unâ eâdemque cum Patre eſſentiâ Chriſtum contineri, firmiſſimè demonſtrari exiſtimant. Atqui iſta omnia nihil adverſariorum cauſam juvare poſſunt. Primò enim Judæorum errore, ex mentis cœcitate profecto & à Chriſto haud obſcurè reprehenſo, tantam rem confirmare velle, nonne ineptum eſt, & rectæ rationi contrarium? Etenim cùm iidem Judæi eam divinitatem ſibi Chriſtum aſſumere putarent, quæ cum homine communicari non poteſt, ideoque adderent, *Homo cum ſis*; Chriſtus reſponſione ſua ſatis oſtendit, ſe ejuſmodi divinitatem ſibi haud quaquam arrogâſſe, quæ ſummi illius Dei ſit propria, quæque in hominem cadere nequeat. Quandoquidem ea divinitas, vel potiùs ratio, ob quam Dei filium ſeipſum dixerit, in eo conſiſtat, quòd à Patre ſanctificatus, & in mundum miſſus ſit.

‡ *At dicent inde conſtare*] Et ſanè hæc talia ſunt, ut difficile ſit Adverſariis contra hos ſtimulos calcitrare, etſi conetur Volkelius luci iſti offundere tenebras, ſed niſu irrito.

Primò enim Iudæorum] At verò non errarunt Judæi in eo quod verba Chriſti id ſonare intellexerunt, ſed tantum in eo quod non diſtinguentes in perſona Chriſti humanitatem à Divinitate, eum accuſabant blaſphemiæ quod *homo* cùm eſſet, nec ex ipſorum judicio erroneo aliud quam homo, faceret tamen ſeipſum Deum. Nec Chriſtus *reſponſione ſuâ* negat ſe talem eſſe Deum, quaem ſe faciebat & profitebatur ſuis verbis, dum ſe unum & ejuſdem manus ac potentiæ cum Patre aſſerebat, ſed hoc ſibi convenire ideo pertendit quod ſit *Filius Dei*, utique unigenitus ac proprius, & cui nomen Dei multo excellentiori modo conveniat quam iis de quibus legitur

Digitized by Google

tur in Scripturis *Dixi Dii eſtis*, Procedit enim Servatoris argumentum à minori ad majus: Si enim non accuſati ſuntBlaſphemiæ qui Magiſtratus & Principes, meros cæteroquin homines, & à quibus nihil humani alienum, Deos dixerunt, quanto minus ipſe hujus criminis inſimulandus, qui ſit proprius Dei Filius & quà talis miſſus in hunc mundum à Patre ad generis humani redemptionem & ſalutem? Fallitur itaque & fallit Volkelius cùm ait quod *ea divinitas, vel potius ratio ob quam Dei filium ſeipſum dixerit, in eo conſiſtat quod à Patre ſanctificatus & in mundum miſſus ſit.* Nam Chriſtus hanc ſui ſanctificationem & miſſionem in mundum, non urget tanquam cauſam eſſendi ſuæ divinitatis aut filiationis divinæ, ſed tanquam illius cauſam cognoſcendi. Eâ ratione non eſt factus Deus aut Filius Dei, ſed talis manifeſtatus & declaratus: Non ideo eſt formaliter Dei Filius quia miſſus, ſed è contrario ideo miſſus quia Filius; Nam poſt miſſos varios ſervos ad malos agricolas, *poſtremò miſit ad eos filium ſuum dicens, Reverebuntur filium meum* Matt: XXI, 37. Et cùm *multis vicibus multiſque modis loquutus Patribus in Prophetis* fuiſſet, *ultimis hiſce diebus loquutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem omnium* Heb: 1, 1. 2.

Sanctificari autem, & in mundum mitti, non ſolùm in Chriſtum, verùm in alios etiam homines, quanquam minùs perfecta ratione, convenire, inde patet, quòd Chriſtus (*Ioh*: 17, 17, 18.) Patrem orat, ut eos, quos ſibi dederat, ſanctificet; & quòd ſeſe in mundum eos miſiſſe ait, quemadmodum & ipſe à Pater ſuo in mundum miſſus fuerat: ut facilè appareat, Chriſtum ſeſe illum altiſſimum Deum haud quaquam feciſſe, ſed ejuſdem filium.

‡ *Sanctificari autem & in*] Convenit equidem aliis hominibus ſanctificari & mitti à Deo, ſed non eodem modo quo Chriſto: Sanctificatio enim Chriſti à Patre, vel ſpectat, juxta Auguſtinum *tract.* 48. *in Ioh.* æternam ipſius generationem qua ipſi eſſentialis Sanctitas fuit communicata, vel potiùs denotat ordinationem ipſius ad Mediatoris officium, quod nonniſi æterno Dei Filio committi potuit, juxta vaticinia Prophetarum ipſorum, Eſ: IX, 5. 6. Jerem: XXIII, 5. 6. Nam & ad iſtius muneris exercitium miſſus eſt in hunc mundum: At Joh: XVII, 17. 18. petit ſanctificari ſuos, quos ait ſe miſiſſe in mundum ſicut à Patre ſuo in mundum miſſus fuerat aliâ, omninò ſanctificatione & miſſione: Nam ſanctificari debuerunt Apoſtoli, per ſubjectivam & realem eorum mutationem, quâ ex pollutis & peccatoribus ſancti fierent & ex ineptis naturâ ſuâ ad Miniſterium Euangelij, idonea evaderent organa illius promulgandi; ſiquidem iſtius promulgationis gratiâ tanquam Chriſti Miniſtri ab ipſo in mundum emittebantur. Et hîc iterum illud *Sicut* eſt ſimilitudinis ſed non æqualitatis, ut jam antea obſervavi. Non ergo gradu duntaxat differt Chriſti Sanctificatio & miſſio cujus hîc meminit, à Sanctificatione & miſſione ſuorum Diſcipulorum quæ occurrunt Joh: XVII, 17. 18. ſed totâ ſuâ eſſentiâ & naturâ, ita ut ſicut Diſcipulorum nemo ex ſui ſanctificatione & miſſione debuerit aut potuerit ſe vocare *Deum* & *Filium Dei*, multo etiam auguſtiùs quam illi de quibus legitur apud Davidem *Dixi Dij eſtis*, ita hæc Chriſti Sanctificatio & Miſſio alterius ideo ſit ordinis à Miſſione & Sanctificatione Diſcipulorum ſuorum, quod ex illa velit colligi ſe meritò Deum & Dei Filium κατ᾽ ἐξοχὴν eſſe

vocandum: Nec potuit ſe facere verum & genuinum Dei Altiſſimi Filium, quin eo ipſo ſe Deum Altiſſimum & ejuſdem eſſentiæ cum ſuo Patre profiteretur.

Quam ob cauſam etiam in eo non obſcurè Judæorum ſermonem corrigit, qui ei objecerant, quòd ſe Deum faceret, cùm ait, ſe dixiſſe, *Filius Dei ſum*; non verò, Deus ſum. Licèt enim jure etiam hoc modo de ſe loqui potuerit, cùm homines, quos Chriſtus longè multumque antecellebat, Deus ipſe in ſcriptura deos appellârit: indicat tamen, ſe id non feciſſe, ſed eâ ratione loquendi uſum, quâ ſe apertè à ſummo illo Deo diſtingueret, & ab eo penitus dependere ſignificaret.

‡ *Quam ob cauſam*] Non corrigit Chriſtus *Judæorum ſermonem* quaſi non dixiſſet *Deus ſum*, ſed tantum *Filius Dei ſum*, ſed in Divinitate ſibi tribuenda excuſat ſe à crimine blaſphemiæ, quod ipſi objiciebant Judæi, oſtendendo ſe revera Deum eſſe & dici poſſe ac debere, multo potiori jure quam eos de quibus legitur in Scripturis *Dixi Dij eſtis*, eo quod ſit proprius & æternus Dei Filius, qui ſolus potuerit ſanctificari ad munus Mediatoris, & in mundum mitti ad Redemptionem generis humani: Unde ſtatim *opera* ſua miraculoſa profert ceu etiam opera Patris ſui, idest quibus ſuam Divinitatem æternam, potentiam infinitam, & coeſſentialitatem cum Patre, amplius adſtruebat.

Licet enim jure etiam] Si igitur æquè potuerit dicere *Ego ſum Deus* ac *Ego filius Dei ſum*, non eſt cenſendus carpſiſſe Judæos quaſi ipſius verba detorquerent, eo quod poſterius quidem ſe profiteretur non prius, maximè cùm in poſteriori prius contineatur; & prius ipſi ſæpè expreſsè tribuatur, idque cum ejuſmodi epithetis quæ ſummo Deo conveniunt, ut ſuprà diſputatum eſt. Nec potuit id nomen *Dei* ipſi convenire, quod *longè multumque* antecelluerit eos quos *Deus ipſe in Scriptura Deos appellarit*, quin eo ipſo Deus ſuper omnia benedictus, magnus & ſummus ſit ſtatuendus: Qui enim *longè multumque* antecellit omnes Angelos in Cœlo & omnes Reges ac Principes in terra, is utique mera Creatura cenſeri non poteſt.

Indicat tamen, ſe] Imò indicat jure meritò ſibi hoc Elogium citra blaſphemiam deberi, quod eſſet verus proprius & unigenitus Dei Filius à Patre ſanctificatus & miſſus ad Redemptionem noſtram. Igitur *eâ ratione loquendi* utitur non *quâ ſe apertè à ſummo Deo* οὐσιωδῶς diſtinguat, ſed quâ ſe diſtinguat ὑποστατικῶς à Patre, à quo & ſe *dependere* profiteatur, dependentiâ ordinis & originis, non tamen cauſalitatis & eſſentiæ.

Quod autem ibidem, ſubjungit, (*Ioh*: 10, 38. 14, 11. 20.) Patrem in ſe, & ſe in Patre eſſe, id nequaquam iſtam coeſſentialitatem deſignat. Sic enim & una perſona eſſet in altera, idque reciprocè; & Chriſti diſcipuli, qui mandata ejus obſervant, eâdem cum ipſo eſſentia continerentur; quin etiam ipſi Deo conſubſtantiales forent: quandoquidem & Deus & Chriſtus in ipſis, & ipſi in Deo ac Chriſto eſſe ac manere, non ſemel apud eundem Joannem dicuntur. (*Ioh*: 7, 23, 26. 1. *Ioh*: 2. 5, 6. 3, 6. 24. 4. 12, 13, 15.) Nihil autem

tem

Digitized by Google

etm iſta loquendi ratione ſignificatur aliud, quàm arctiſſima iſtarum perſo- 433
narum, de quibus ea uſurpatur, conjunctio, quemadmodum ex ipſis illis locis facilè unuſquiſque poteſt perſpicere.

‡ *Quod autem ibidem*] Nihil eſt difficultatis ſtatuere per & propter Conſubſtantialitatem Filii cum Patre, fieri ut Filius ita ſit in Patre & Pater in Filio, ut qui Filium videt videat Patrem, juxta id quod dicitur Joh: x, 31. xiv, 11. 20. per illam ἐμπεριχώρησιν Græcorum, quam *Circumince ſſionem* Latini Scholaſtici dixerunt, quæ omninò ex ſimplicitate indiviſibili eſſentiæ divinæ reſultat. Neque quicquam eſt contradictionis ſi per & propter indiviſibilem ac ſimpliciſſimam eſſentiam, communem utrique perſonæ, *una perſona* ſtatuatur eſſe *in altera*, *idque reciprocè*: quia hæc circuminceſſio nullâ ratione lædit diſtinctionem perſonalem, aut confundit τρόπους ὑπάρξεως ex quibus illa diſtinctio arceſſitur Sic cùm tota animæ rationalis ſubſtantia, *ſimplex* quippe & impartibilis, conveniat tam intellectui quam voluntati, poteſt facile ſimilis circuminceſſio concipi inter has duas facultates, ut una dicatur eſſe in altera reciprocè, eo quod utraque ſit totius animæ, & tota anima impartibiliter ſit utriuſque. Nec inde ſequitur, ut nugatur Volkelius, *conſubſtantiales* fore Deo & Chriſto ipſius diſcipulos, eo quod *& Deus & Chriſtus in ipſis & ipſi in Deo ac Chriſto eſſe ac manere non ſemel apud eundem Johannem dicuntur.* Nam primò conſubſtantialitas ſpecifica noſtri cum Chriſto ſupponitur in ipſius permanſione in nobis & noſtri in ipſo, quemadmodum dicit Joh: vi, 56. *Qui edit meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in eo.* Secundò nuſquam de ullo fideli dicitur vel legitur quod ſit in Deo & Deus in illo, ita ut illo viſo, ipſe Deus videatur. Tertiò nullus locus proferetur in quo talis inexiſtentia noſtri in Deo & Dei in nobis commemoretur, qualis deſcribitur Filij in Patre & Patris in Filio. Nam Joh: xvii, 23. ita tantum loquitur Chriſtus, *Ego in eis & tu in me*, & com. 26. *Notum ipſis feci nomen tuum & notum faciam, ut charitas quâ dilexiſti me ſit in eis & ego in eis.* Nihil hic legitur reciprocæ inexiſtentiæ Dei in fidelibus & fidelium in Deo. Sic 1. Joh: ii, 5. 6. dicimur in Deo *eſſe* & *habitare*, & 1. Joh: iii, 6. in eo *manere*, & viceverſa Deus dicitur *habitare* in nobis 1. Joh: iii, 12. Sed inde reciproca inexiſtentia colligi non poteſt. Nec debet illa colligi ex reciproca *habitatione* Chriſti & Dei in nobis ac noſtri in Deo & Chriſto, commemorata eidem Apoſtolo 1. Joh: iii, 24. iv, 13, 15. cùm ex tali inhabitatione reciproca, nullus fidelis queat dicere, *Qui me videt videt Chriſtum*, aut *videt Deum.* Et cùm Deus & Chriſtus dicatur habitare in nobis & nos in ipſo, ex parte noſtri per fidem Eph: iii, 17. ex parti ſui per Spiritum regenerationis & gratiæ 1. Ioh: iv, 13. aliud omninò debet denotare inexiſtentia Filij in Patre, quæ per talia vincula, ſolis peccatoribus in via hujus vitæ convenientia, procedere nequit.

Nihil autem iſta loquendi] Cùm ſimilia non ſint eadem, & jam diverſitatem oſtenderimus inter ea quæ dicuntur de perſonis ſacroſanctæ Triadis & de conjunctione myſtica piorum cum Deo, ex hac non debemus metiri inexiſtentiam Patris in Filio & Filij in Patre. Sic equidem *arctiſſima iſtarum perſonarum conjunctio* ſignificatur, ſed amplius quam σχετικὴ, qualis eſt amicorum; cùm una nequeat ita eſſe in altera, ut illâ viſâ hæc videatur, quin ejuſdem ſint eſſentiæ & naturæ.

Hoc autem vehementer admirandum eſt, quòd adverſarii quidam noſtri etiam illis Chriſti verbis iſtam coëſſentialitatem ſtabiliri putant, quibus à Patre ſuo petit, (*Ioh*: 17, 21.) ut fideles unum ſint, ſicut & ipſe unum eſt cum Patre: cum potiùs argumenti ſui, quo nituntur, vanitatem, hinc animadvertere debeant: quippe cum fidos homines, nec in unam ſubſtantiam eſſe redactos manifeſtum ſit, nec hoc cupiviſſe Chriſtum ullo pacto dici poſſit. At dicunt, non eam eſſe vim vocis *ſicut*, ut planè eadem ratione fideles unum eſſe deſignet, quâ Filius cum Patre: ſed aliquam illius unitatis ſubſtantialis ſimilitudinem ea voce ſignificari contendunt, ut videlicet, quia fideles ad eam Patris Filiique ſubſtantialem unitatem aſpirare non poſſunt, ſaltem voluntatum conſpiratione conjuncti ſunt. Reſpondemus igitur, nos facilè concedere, voculam *ſicut* ſæpenumero non eundem rei, qua de agitur, gradum denotare: ſemper tamen ejuſdem generis rem eſſe oſtendere. Cum enim, verbi cauſâ, jubemur perfecti, miſericordes, & ſancti eſſe, ſicut Pater noſter perfectus, miſericors, ſanctus eſt, (*Mat*: 5, 48. *& Luc*: 6, 36. 1. *Pet*: 1, 15.) ejuſdem generis perfectio, miſericordia, & ſanctitas à nobis exigitur: quamvis gradus aliquos iſtarum virtutum cogitare nos oporteat: cùm tanta eorum, quanta in Deo eſt, perfectio in hominem non cadat. Quo fit, ut hoc etiam in loco idem unitatis genus, nempe ratione voluntatis ac conſenſûs, utrobique intelligendum nobis ſit: non autem iſtic quidem ſubſtantiæ, illic verò voluntatis unitas accipienda.

‡ *Hoc autem vehementer*] Mirionem agit perperam hæreticus, & cauſas admirandi ſibi gratis fingit. Noſtri enim quod ſciam non utuntur hoc argumento, ſed potius Adverſarij per illud *Sicut* Joh. XVII. 21. 22. conantur evertere argumentum noſtrum ex Joh X, 30. *Ego & Pater unum ſumus*; Cùm enim regerant Patrem & Filium *unum* eſſe ut fideles inter ſe citra conſubſtantialitatem, duo reponimus; 1. Fideles eſſe conſubſtantiales ſaltem ſpecificè & quomodo poſſunt eſſe; 2. Illud *Sicut* ſæpè in Scripturis eſſe notam ſimilitudinis non æqualitatis: Sic enim petere fideles quotidie fieri voluntatem Dei in terra *ſicut in cœlo* Matt: VI, 10. & Chriſtum ſuos adhortari ut ſint *perfecti ſicut Pater noſter qui eſt in cœlis perfectus eſt* Matt: V, 48. item ut ſint *miſericordes ſicut ipſe miſericors eſt* Luc: V, 36. & Petrum ut ſint *ſancti ſicut qui eos vocavit ſanctus eſt* 1. Pet: 1, 15. Quod verò excipit adverſarius equidem *voculam* SICUT *ſæpenumerò non eundem rei qua de agitur gradum denotare*, *ſemper tamen ejuſdem generis rem oſtendere*, primò non eſt verum in locis à nobis citatis; falſum enim eſt à nobis exigi *ejuſdem generis perfectionem*, *miſericordiam & ſanctitatem*, quæ *in* Deo eſt; eo quod perfectio, miſericordia, ſanctitas Creaturarum, non conveniat in conceptu univoco, ut loquuntur Philoſophi, cum perfectione, miſericordia & ſanctitate Dei, adeoque revera toto genere differant. Nam Deus eſt perfectus, miſericors & ſanctus eſſentialiter ac infinitè, adeo ut ſit ipſe ſua perfectio, miſericordia & ſanctitas, imò ſit ipſiſſima ſanctititas, miſericordia & perfectio; at Creaturæ nequeunt dici vel eſſe perfectæ, miſericordes & ſanctæ, niſi limitatè

Digitized by Google

limitatè, finitè & accidentaliter. Secundò poſſim dicere eo modo quo fingit Volkelius *gradu* duntaxat diſtingui Dei pefectionem, miſericordiam & ſanctitatem ab ea ad quam tenemur, etiam *gradu* tantum non toto genere, diſtingui unitatem fidelium ab unitate Patris & Filij. Nam utrobique eſt unitas ſubſtantialis & conſpiratio voluntatum; ſed fideles conveniunt in una ſpecie ſubſtantia, Pater & Filius in una numero: Fideles ſolo conſenſu ſunt ejuſdem voluntatis, conſpirantes in eadem volitione; At Pater & Filius ſunt in ſublimiori gradu ejuſdem voluntatis, quatenus non tantum conſpirant in eadem volitione, ſed & conveniunt in eadem facultate volendi, quæ ipſiſſima eſt eorum eſſentia & natura.

Jam quod ad Chriſti cum Patre æqualitatem attinet, (*Iohann*: 5. 18.) nihil quoque ea valet ad conſubſtantialitatem iſtam conflandam, imò contrarium ex illa facilè elicitur. Cum enim qui Deo æqualis eſt, apertiſſimè ab eo diſtinguatur; quomodo Chriſtus ipſe Deus, aut ipſi conſubſtantialis eſſe poterit? niſi forte aliquem ſibi ipſi eſſe æqualem volumus. Accedit, quòd iſta æqualitas, cùm de Chriſto agitur, ad operum, & porrò etiam ad poteſtatis ac virtutis, ex qua opera ipſius fluxerunt, ſimilitudinem revocatur. Quæ ut omnia ab eadem proficiſcantur eſſentia, minimè neceſſe eſt; cum ſatis ſit, Deum Ieſum Chriſtum tanta poteſtate autoritateque ornaſſe, ut multas admirandas actiones, itidem ut Pater, exequi poſſet: ut quidem ipſe fatetur eo loco, ubi Iudæis reſpondet, ſibi objicientibus, quòd ſe æqualem feciſſet Deo, dum nihil Filium à ſeipſo facere dicit, *v.* 19 niſi quod Patrem facientem videat, qui pro ſuo in eum amore omnia ipſi oſtendit, id eſt omnium illo- 434
rum, de quibus agitur, faciendorum poteſtatem & autoritatem ei dedit. Unde ſimul perſpicitur, hanc ipſam quoque in operibus faciendis æqualitatem, omnimodam nequaquam eſſe. Ut enim omnia ea opera Filius faciat, quemadmodum & Pater: tamen non à ſeipſo propriavé virtute ea efficit, ut Pater, qui à nullo prorſus in actionibus ſuis dependet. Eadem prorſus ratione de vita, quam Chriſtus, perinde ut Pater, in ſemetipſo habet, judicandum eſt. (*v.* 26.) Quamvis enim, quod ad rem ipſam utrique communem attinet, æqualitas concedi poſſit: tamen quia Chriſtus vitam illam à Patre accepit, magnam inter utrumque hac in parte inæqualitatem eſſe, quis non animadvertat?

† *Iam quod ad Chriſti cum*] Multum eſt virium in hoc argumento; Niſi enim fuiſſet Filius coeſſentialis Patri, ſive filius Dei naturalis ac proprius, non ex adoptione vel gratia, non potuiſſet *Deum* dicendo *patrem ſuum parem* ſe feciſſe *Deo* Joh: v, 18. Quo reſpectu dicitur fuiſſe *in forma* Dei priuſquam carnem noſtram aſſumeret, *nec duxiſſe rapinam parem eſſe cum* Deo Phil: II, 6. Et licet *apertiſſimè* Chriſtus *diſtinguatur* à Deo Patre, per diſtinctionem perſonalem cùm ipſi *æqualis* ſtatuitur, (ſiquidem fatemur neminem *ſibi ipſi eſſe æqualem*,) tamen Deo Patri æqualis eſſe nequit, quin Deus ſit ut Pater & ei conſubſtantialis

Digitized by Google

tialis ſtatuatur, eo quod non aliud iſtius æqualitatis fundamentum aſſignetur in Scripturis quam *Dei forma*, id eſt Dei natura, & generatio æterna cujus vi Filius eſt à Patre & ipſius μονογενὴς, adeoque ipſa divina potentia & eſſentia, in qua Filius cum Patre conveniens ipſi ideo æqualis meritò aſſeritur.

Accedit quod iſta æqualitas] Id ſanè falſiſſimum quod hîc de reſtrictione iſtius æqualitatis ad *operum* & *poteſtatis ac virtutis ſimilitudinem* nugatur hæreticus. Nam locis modò citatis iſtius æqualitatis aliud proponitur fundamentũ, uti oſtendi: Et ἀφιλόσοφον eſt *ſimilitudinem* aliquam virtutis & poteſtatis ſubſtituere in *æqualitatis* fundamentum. Hæc enim toto genere differunt; Nam per qualitatem res dicuntur ſimiles aut diſſimiles, ſed æqualitas fundatur in quantitate, per quam res æquales aut inæquales ſtatuuntur: Cùm autem quod eſt magnitudo & quantitas in rebus creatis, illud ſit analogicè immenſitas & infinitas in Deo, nemo illi æqualis ſtatui poteſt qui eo ipſo non ſit infinitus & immenſus. Accedit quod poſito æqualitatem hîc Chriſti cum Patre fundari in illa *operum & porro etiam poteſtatis ac virtutis ex qua opera ipſa fluxerunt* ſimilitudine, tamen illa *poteſtatis ac virtutis* ad *opera* paria ſimilitudo neceſſariò exigit identitatem eſſentiæ & naturæ; Nam poteſtas & virtus agendi infinita, non poteſt cadere in quemquam qui infinitæ eſſentiæ, naturæ & perfectionis non fuerit: Quare non potuit Chriſtus *tantâ poteſtate autoritateque* cenſeri ornatus *ut multas admirandas actiones itidem ut Pater exequi poſſet*, tum quoad ſubſtantiam operum, tum quoad modum operandi, quin ejuſdem ut potentiæ, ſic omninò eſſentiæ cum Patre agnoſceretur. Quod verò negat Chriſtus Joh: v, 10. Filium *à ſemetipſo* quicquam operari, id eſt, *niſi viderit Patrem operantem*, nihil facit contra nos: Etenim licet à Patre habeat ut eſſentiam ſic potentiam illam infinitam agendi, quo ſenſu nihil facit à ſeipſo, inde tamen non ſequitur illius eſſentiæ & potentiæ reſpectu non eſſe coeſſentialem Patri. Mira vero eſt Gloſſa Volkeliana illorum Chriſti verborum; *Amen Amen dico vobis non poteſt Filius à ſemetipſo operari, niſi viderit Patrem operantem; Quæcunque enim ille facit hæc etiam Filius pariter facit; Pater enim amat Filium & omnia oſtendit ei quæ ipſe facit, & opera iſtis majora oſtendet ei ut vos miremini.* Vult enim Volkelius perinde eſſe ac ſi dixiſſet Chriſtus, Pater *omnium illorum, de quibus agitur, faciendorum poteſtatem & authoritatem Filio dedit.* Nam primò verbum *dandi* non occurrit in textu: Secundò confundit hæreticus poteſtatem cum potentia agendi, cùm tamen illa hanc neceſſariò vel ponat, vel ſupponat, aliàs fruſtranea futura: Fruſtra enim poteſtas ſive jus operandi, ubi robur & potentia deeſt, prout vulgò dicitur *Vana ſine viribus ira*. Tertiò reſtringit perperam dictum Chriſti ad ea, *de quibus agitur*, cùm univerſaliter & illimitatè aſſerat Dominus ſe facere *pariliter quæcunque* Pater facit. Textus autem planus eſt; Cùm Filius non ſit à ſeipſo ut Pater, ſed à Patre, ita etiam non à ſeipſo quicquam poteſt, ſed vim & potentiam agendi, ut ipſam divinam eſſentiam, habet à Patre: Quare nihil operatur niſi viderit Patrem operantem, quoniam novit Patrem ſecum eadem virtute & potentiâ ad idem numero opus ſemper concurrere: unde quæcunque Pater facit, ceu fons & origo totius divinitatis ut communicatur ad intra, & conſequenter omnium operum ad extra, hæc eadem, non ſimilia tantum, Filius pariter facit; eo quod eadem ſit planè utriuſque eſſentia, voluntas & potentia, derivata & communicata à Patre in Filium juxta æternũ illum & incomprehenſibilem amorem

quo

Digitized by Google

quo eum complectitur; unde omnia oſtendit ei quæ facit, quatenus unicum habet cum ipſo conſilium agendi, & unicam vim ac potentiam deſtinata exequendi: Hinc propter communitatem notitiæ, potentiæ & operationis, adeoque & eſſentiæ, reſultat honoris communitas, quæ explicatur ibidem com: 23. *Vt omnes honorent Filium ſicut honorant Patrem,* adeo ut *non honoret Patrem qui non honorat Filium.*

Vnde ſimul perſpicitur] At ſi omnimoda non ſit æqualitas, non amplius erit æqualitas: Nec video qui poſſit Volkelius inæqualitatem ullam ſomniare, ubi tam luculenter dicitur Filius convenire cum Patre in forma Dei, in notitia & conſilio agendorum, in eorum operatione, in honore inde debito: Nec ideo non eſt Filius æqualis Patri, eſſentiæ, ſcientiæ, potentiæ, operationis & honoris reſpectu, eo quod illam eſſentiam ſcientiam, potentiam eandem cum eſſentia, ſcientia, potentia Patris, non habeat *à ſeipſo* ſed ſibi communicatam à Patre per generationem æternam, adeoque quoad ordinem dependenter ab ipſo: nam etiam ubi olim in Regno Judaico filius à patre adſciſcebatur in ſceptri conſortium, æqualis erat ſuo patri majeſtate, authoritate, potentiâ regiâ, quâ ſuperior non datur, licet illam haberet dependenter à patre ſibique ab illo communicatam: Diſtinctione igitur factâ inter rem quæ habetur & modum quo habetur, facile eſt intelligere æqualem eſſe Patri Filium, quoad rem quæ habetur, nempe eſſentiam, potentiam, majeſtatem, vitam ipſam, licet ſit alter modus habendi, quatenus hæc habet Pater à ſeipſo, Filius à Patre.

Eadem prorſus ratione] Hic locus Joh: v, 26. *Sicut Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit Filio habere vitam in ſeipſo*, valde urit Adverſarios. Nam habere vitam in ſeipſo eſt eſſe fontem vitæ Pſ: xxxvi, 10. quod ſoli ſummo Deo convenit, & per conſequens nequit Filius non eſſe conſubſtantialis Patri, cui ſicut Patri conveniat habere vitam in ſeipſo: Nec ſanè poteſt *æqualitas* concedi *quoad rem ipſam utrique communem*, nempe vitam, quin ſint ejuſdem ſubſtantiæ & naturæ. Debet eſſe formaliter & eſſentialiter Deus, qui vivit eadem illâ vitâ formaliter quâ vivit Deus. Nihil verò facit ad inæqualitatem, quod illa vita Filio à Patre communicetur per generationem æternam: ut nemo negaverit in humanis patrem & filium æquè eſſe homines & ejuſdem omninò naturæ ſpecificæ, etſi filius humanitatem & vitam à ſuo patre acceperit. Agnoſcenda eſt diſtinctio in modo habendi, quod humanitatem & vitam filius à ſuo patre ſit conſecutus, non pater à filio, ſed manet reſpectu rei habitæ omnimoda æqualitas.

Ex imaginis quoque appellatione Chriſto attributa, (*Cor:* 1. 15.) nequaquam colligi poteſt, eum Deo conſubſtantialem eſſe: cùm non ſolùm contraria ſententia hinc emergat, quòd hoc ipſo à Deo diſtinguitur: quandoquidem qui Dei imago eſt, ipſe Deus ille eſſe minimè poteſt; cùm nemo ſit ſuiipſius imago: ſed divina etiam eſſentia, ut nulla imagine exprimi poteſt, quippe quæ ſub hominum mortalium cognitionem minimè cadat, ita à Chriſto repræſentata nunquam fuit.

‡ *Ex imaginis quoque appellatione*] Etiam hic locus Col. 1, 15. ſudes eſt in oculis Hæreticorum, ſi præſertim ei conjungatur alter qui extat Heb: 1, 3. Nam ut in priori dicitur *Imago Dei inviſibilis & primogenitus omnis rei conditæ*, ideſt non ſolum omnium Creaturum princeps, ſed etiam genitus ante omnes Crea- turas,

turas, ſic in poſteriori appellatur *efful- gentia gloriæ & character perſonæ Patris, qui ſuſtinet omnia verbo ſuo potenti*, quod nonniſi vero Deo poteſt convenire. Nec dubium quin eodē ſenſu Chriſtus imago Patris dicatur quo quilibet inter homines ſuo patri indole, ingenio, vultu, naturâ ſimillimus, ejus vera vivaque imago ſolet appellari: Hinc eſt quod viſo Filio videri Patrem ipſemet Dominus aſſerit Joh: XIV, 9. & dicuntur qui gloriam ejus ſpectant, eam ſpectare ut unigeniti à Patre Joh: I, 14. Etenim ſicut hominis cujuſlibet triplex imago poteſt dari, altera merè linearis, quæ colores duntaxat & vultum adumbret, ut in tabulis pictis aut ſtatuis poteſt exprimi; altera ſpecularis, quæ inſuper geſtus & motus repræſentet, qualem quiſque imaginem ſui excitat in ſpeculo cui ſeipſum objicit; tertia verò naturalis, quæ naturam, indolem, temperamentum & ſimilia exprimat, cujuſmodi ſolet conſpici parentum in filiis; ita triplex imago Dei poteſt aſſignari; Nam Creaturæ omnes inanimæ & mutæ, hactenus imago & pictura quædam linearis cenſeri poſſunt ſummi Numinis, quod aliquod *veſtigium*, ut loquuntur Scholaſtici, ſuæ eſſentiæ, bonitatis, potentiæ, ſapientiæ illis impreſſerit; quo tritum illud proculdubio ſpectat, *Et præſentem refert qualibet herba Deum*. Deinde Adam in nativa & primigenia ſua conditione creatus ad imaginem Dei, ejus quaſi imago ſpecularis ſtatui poterat, quatenus juſtitiâ, ſanctitate, ſapientiâ originali præditus, ipſius Dei ſanctiſſimas & juſtitiſſimas operationes repræſentabat ac imitabatur. At Chriſtus Filius æternus æterni Patris, Deus de Deo, Lumen de Lumine, eſt imago Dei naturalis, eſſentiæ & naturæ ejuſdem cum Patre, ut nullus inter homines extet filius ita ſuo patri ſimilis, ut Chriſtus ſuo eſt. Nam hominum reſpectu filius eſt patri *conſubſtantialis* tantum ſpecificè; At Chriſtus eſt Patri æterno coeſſentialis numericè, quia ipſe & Pater unum ſunt.

Cum non ſolum contraria] Equidē *hoc ipſo* quod Chriſtus imago Dei dicitur, *à Deo* Patre cujus eſt imago perſonaliter *diſtinguitur; quandoquidem qui Dei*, ὑποστατικῶς ſic dicti, id eſt Patris, *imago eſt, ipſe Deus ille*, nempe Pater, eſſe *minimè poteſt, cùm nemo ſit ſuiipſius imago*; Attamen non poteſt Dei Patris eſſe imago, quo ſenſu jam dictum, qui eſſentiâ & naturâ eadem cum Patre Deus non ſit; ut non potuit ullius ex Adami filiis, viva patris ſui imago ſtatui, quin eo ipſo ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ, quoad eſſentialia, cum Adamo eſſet: Ludit itaque Volkelius in nomine *Dei*, quod ὑποστατικῶς ſive perſonaliter ſumitur de Patre cùm Chriſtus imago Dei inviſibilis ſtatuitur; ſed vel et uſurpari eſſentialiter & οὐσιωδῶς ubi negat ideo Chriſtum eſſe Deum: Hoc ſanè puerile Sophiſma indignum eſt quod nos remoretur.

Sed divina eſſentia] Atqui non dicimus Filium eſſe imaginem divinæ eſſentiæ, aut eam repræſentare, ſed dicimus eum eſſe imaginem veram & vivam perſonæ Patris per & propter communionem eſſentiæ & naturæ cum ipſo; ut cùm in humanis filius dicitur ſui patris imago viva, per & propter communionem naturæ & indolis. Et mirum eſt hos hæreticos, qui videri volunt quoad Philoſophica aquilæ in nubibus, tam turpiter confundere terminum relationis cum illius fundamento: Nam relationis illius per quam Chriſtus imago Dei dicitur terminus eſt Pater, & fundamentum eſt identitas eſſentiæ & naturæ cum Patre. Cùm autem negare nequeant Patris perſonam ita à Chriſto fuiſſe repræſentatam ut Patrem videri ſe viſo meritò ſtatueret, oſtendendum fuiſſet illius imaginis & ſimilitudinis inter Patrem & Filium intercedentis fundamentum, non eſſe identitatem eſſentiæ & natu-

& naturæ; non verò diſſeri de inviſibilitate eſſentiæ Divinæ, quæ nullo modo obſtat illi exactiſſimæ ſimilitudini: ut nemo prudens negaverit Adamum genuiſſe filium ad imaginem ſuam & ſecundum ſuam ſimilitudinem, ideſt ſibi ſimillimum, propter identitatem ſpecificam eſſentiæ & naturæ, etſi illa eſſentia humana ſit inviſibilis & *nullâ imagine exprimi* poſſit.

Chriſtum porrò noſtri ratione imaginem Dei dici, & animadverterunt alij, & ex illis Pauli verbis (1. *Cor:* 4, 4.) apertum eſt: *Quod ſi opertum eſt Evangelium noſtrum, iis, qui pereunt, eſt opertum, in quibus Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium, ne fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.* & paulò pòſt: (*v.* 6.) *Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Ieſu Chriſti.* Atque hæc eſt cauſa, cur (*Col:* 1. 15.) dicatur imago Dei *inviſibilis*: quia enim ipſum Deum videre, & ſic ex ipſomet voluntatem ejus planè cognoſcere non poſſumus, in Chriſto tanquam illius imagine oculis noſtris ſubjecta, eum intueri debemus. *Deum*, inquit Johannes, (*cap.* 1. 18.) *nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Enarrando enim, ac Dei voluntatem explicando, explicatamque confirmando, Deum nobis ſpectandum exhibet.

‡ *Chriſtum porro noſtri ratione*] Opponit tanquam ἀσύστατα adverſarius, quæ amicè fuiſſent componenda. Nec enim hæc pugnant inter ſe, Chriſtum eſſe imaginem Dei Patris per & propter naturam Divinam quam habet communem cum illo, & Patrem inviſibilem, ſe in Filio ſuo tanquam viva ſui imagine conſpiciendum, contemplandum & cognoſcendum nobis exhibuiſſe; quò faciunt loca hic porrò citata ex 2. Cor: IV, 4. 6. & Joh: 1, 18. Sed quod fingit Hæreticus ideo tantum Chriſtum *noſtri ratione imaginem Dei dici* quod ex ipſo *voluntatem* Dei cognoſcamus, eamque nobis enarraverit & explicaverit, eſt longè abſurdiſſimum: Nam eâ ratione & Moſes & Paulus, qui profitetur ſe omne Dei conſilium enarraſſe Epheſiis, poſſent quique dici imago Dei inviſibilis, quod nemo non videt fieri non poſſe: Verùm duo hîc de Chriſto veniebant diſtinguenda; Alterum ſpectat id quod perſonaliter eſt reſpectu ſui Patris, nempe illius imago ſpecialis, alterum id quod conſequenter præſtat reſpectu noſtri; nempe quod ſicut Pater in ipſo factus eſt quadantenus conſpicuus Joh: XII, 45. ita etiam certiſſimè per ipſum tanquam per ſuum unigenitum ac vivam ſui imaginem, omnem ſuam voluntatem nobis enarravit. Atque illud ipſum eſt quod inſinuatur & Joh: 1, 18. & Heb: 1, 1. 2. *Enarrando itaque ac Dei voluntatem explicando explicatamque confirmando*, tam certò in ſua doctrina nos erudit de Patris conſilio & beneplacito, ac certò in ſua perſona ipſius Patris perſonam, tanquam in illius viva imagine, contemplandam exhibet; quo faciunt inſuper loca Joh: 1, 14. & 1. Tim: III, 16. Ut enim Chriſtus eſt θεάνθρωπος in unitate perſonæ, ita Pater, in ſe inviſibilis & quem *nemo vidit unquam*, in Filio ſuo tanquam in ſua imagine factus eſt viſibilis & conſpicuus, ubi hic aſſumptâ noſtrâ carne, nobis occaſionem dedit verè dicendi, quod Lycaonij falſò jactabant de Paulo & Barnaba Act: XIV, 11. videlicet Deum aſſimilatum hominibus ad nos deſcendiſſe.

Quod

Digitized by Google

Quod cum ita ſit, certè adverſariorum ſententia prorſus concidit. Ut enim ea conſtet, neceſſe eſt, Chriſtum ſecundùm divinæ naturæ conditionem imaginem Dei inviſibilis eſſe: alioqui nullus coëſſentialitati locus relinquetur. At cum & falſò Chriſto divina natura, ut ſuo loco oſtendemus, affingatur, & ſi maximè eâ præditus eſſet, æquè ac Deus foret inviſibilis, imaginiſque natura ferat, ut rem ab oculis hominum remotam repræſentet: quomodo quæſo iſta divina Chrſti natura imago Dei dici poteſt?

‡ *Quod cum ita ſit*] Noſtram ſententiam firmo ſtare talo modò vidimus: Et quæ nunc contra objicit Adverſarius nullius ſunt momenti: Divinam naturam *falſò* affingi Chriſto per blaſphemiã affirmare poſſunt hæretici, ex Scripturis aut ratione probare non poſſunt: imò jam antea multis contrarium demonſtravimus, & porrò demonſtrabimus ſuis locis. Tum etiam abſurdè ſupponit Volkelius non poſſe Chriſtum quatenus *divinâ naturâ* præditus eſt ſtatui imaginem Dei, eo quod hoc reſpectu *æquè ac Deus foret inviſibilis*: quaſi verò nulla detur imago alicujus rei quæ non ſit viſibilis: Etſi Scriptura nuſquam expreſſè tradat Angelos conditos fuiſſe ad imaginem Dei, tamen ſuo ſenſu æquè cenſeri poſſunt præditi imagine Dei ac ejus *filii* appellantur Jobi 1, 6. 1. Reg: XXII, 19. Igitur Angelus quilibet, licet ſuâ naturâ & conditione inviſibilis, imago Dei dici debet non minus quam homo 1. Cor: XI, 7. Etiam Philoſophi docent mentem humanam ſuipſius imaginem ſuper ſeipſam reflectendo in ſeipſa excitare; Hæc tamen mentis ſive τοῦ νοὸς imago, quæ λόγος dicitur Platonicis, æquè eſt inviſibilis ac ipſa; Quin notum eſt quoſlibet noſtros conceptus rerum de quibus fiunt imagines appellari: Eos tamen eſſe inviſibiles & ſæpè de rebus inviſibilibus, cujuſmodi ſunt Deus & Angeli, nemo inficias ibit. Quare ſi τὸ *repræſentare* idem ſit Volkelio quod ſenſibus externis, oculis præſertim, præſentem facere *rem ab oculis hominum remotam*, nego id exigere cujuſlibet imaginis naturam; Nam ut dantur ſenſibiles imagines rerum aliàs viſibilium, ut cùm quis Titium oculis ſuis præſentem, confert cum ſua imagine ſenſibili depicta in tabula, ita dantur rerum quarumlibet imagines inſenſibilis, ut jam oſtendi: Si verò τὸ *repræſentare*, idem ſit quod eximiam ſimilitudinem & convenientiam habere cum re imaginata, dubium non eſt quin Patris æterni Filius quà λόγος ſtatui poſſit eximia imago, ob identitatem naturæ, licet ea natura in utroque ſit planè inviſibilis. Adhæc licet fundamentum iſtius convenientiæ accuratiſſimæ inter Patrem & Filium, ex qua Filius, à Patre genitus, ejus imago ſtatuitur, ſit illa quam dixi identitas naturę, tamen certum eſt Dei Filium aſſumptione noſtræ carnis, conſpicuum factum & manifeſtatum in illa, eo ipſo viſibilem imaginem Dei inviſibilis ſtatui oportere. Licet ergo *divina Chriſti natura* præciſè à carne quam aſſumpſit conſiderata, non ſit nobis viſibilis imago Patris, tamen illa perſona λογου quæ iſtâ naturâ divinâ prædita eſt, cujus reſpectu viva veraque imago Patris ſtatui debet, facta viſibilis in carne, illam imaginem Patris nobis eo ipſo viſibilem fecit.

Eſt igitur Chriſtus homo Dei imago; quia quæ de Deo ad ſalutis adeptionem ſcitu ſunt neceſſaria, luculentiſſimè nobis expreſſit; in quibus Dei eſ-

ſentiæ

Digitized by Google

ſentiæ cognitio nequaquam numeranda eſt: cùm ad ſempiternam felicitatem ſatis ſit, Dei cognitam habere voluntatem, ſapientiam, potentiam, juſtitiam ac bonitatem, & ſi quid eſt ejusmodi, ſine quo certa ſalutis ſpes in eo defigi, eique conſtanter obtemperari nequit. Quæ omnia in Chriſti hominis ſanctiſſima diſciplina, admirabili operum amplitudine, morte denique ac reſurrectione ita expreſſa ſunt, ut nunquam antea tam clarè aperteque hominum oculis patuerint.

† *Eſt igitur Chriſtus homo*] Chriſtus homo, poteſt ſtatui imago Dei inviſibilis, quatenus ſonat Deum manifeſtatum in carne; At non præciſè reſpectu ſuæ humanitatis, quo è contrario formam ſervi ſuſtinuit. Ut verò imago Dei dicatur *quia quæ de Deo ad ſalutis adeptionem ſcitu ſunt neceſſaria luculentiſſimè nobis expreſſit*, ſtatui non poteſt; Nam licet luculentiſſima & certiſſima ſint quæ de neceſſariis ad ſalutem nobis expreſſit, adeoque omni πληροφορίᾳ fidei excipienda, eo quod eſt Filius Dei unigenitus & viva Patris imago, qui ex illius ſinu prodiit, tamen formalis ratio iſtius imaginis in perſonali convenientia, non in doctrinali expreſſione ſita eſt: Aliàs Paulus, ut etiam dixi, nihil reticendo quominus annunciaret Epheſiis omne Dei conſilium, poſſet ſuo ſenſu dici imago Dei inviſibilis, quod nemo ſanus admiſerit: Et alienum eſt a Scriptura & uſu loquendi recepto inter homines, ut quis dicatur imago alterius, quod ejus intentionem & conſilium benè exprimat: Dantur in Scholis boni interpretes, vel Ariſtotelis, vel Pauli, quos nemo unquam eorum imagines cenſuerit ideo appellandos: Vulgò dicimus aliquem à Principe miſſum ad ſuam voluntatem explicandam, Legati charactere eſſe inſignitum, vel habere characterem Legati: Sed nunquam fando auditum eum dici characterem & imaginem ſui Principis.

In quibus Dei eſſentiæ] Hoc ſanè cū grano ſalis ſumi debet. Licet enim talis ſit perfecta *Dei eſſentiæ cognitio*, ut ad eam in hac vita pertingere non poſſimus, imò nec in futura niſi ſuo modo, & potius ut docent Scholaſtici, *apprehenſivè* quam *comprehenſivè*; tamen & abſurdè opponitur eſſentia Dei, ejus ſapientiæ, potentiæ, juſtitiæ, bonitati, quia hæc ſunt attributa Dei eſſentialia, quæ non re ſed ratione tantum ab ipſius eſſentia diſtinguuntur, eo quod nihil ſit in Deo quod Deus non ſit; & non poteſt dari ſalutaris Dei cognitio, qualem urget Chriſtus Joh: XVII, 3. quin cognoſcatur eſſentiâ unus, ſimplex, infinitus, inviſibilis, independens, &c. & perſonis trinus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Nec video quî non pertineat ſuo ſenſu ad eſſentiæ divinæ cognitionem, & quod voluerit innoteſcere ſub nomine *Iehova*, & quod dicit Apoſtolus Heb: XI, 6. oportere eum qui accedit ad Deum *credere Deum eſſe*, item quod appellatur *qui eſt qui erat & qui venturus eſt* Apoc: I, 4.

Quæ omnia in Chriſti] Sed primò hæc *omnia* non ita eluxiſſent in diſciplina, operibus, morte & reſurrectione Chriſti, niſi fuiſſet perſonaliter Dei vera imago & proprius Filius. Deinde juxta hunc conceptum, *ſanctiſſima diſciplina* Chriſti, admirabilis operum ſuorum *amplitudo*, *mors denique ac reſurrectio illius*, in quo illa *omnia* Dei attributa *ita expreſſa ſunt ut nunquam antea tam clarè aperteque hominum oculis patuerint*, debebunt *imago Dei inviſibilis* appellari; quod tamen de ejus perſona dicitur, non de illius vel diſciplina, vel operibus, vel morte & reſurrectione.

Digitized by Google

rectione. Tum cùm non obſcurè inſinuet Volkelius hæc omnia etiam alibi & antea expreſſa fuiſſe, licet non *tam clarè aperteque*, v. g. in ſancta diſciplina & operibus Moſis ac Prophetarum, in morte martyrum, in eorum reſurrectione qui ad hanc vitam ſunt revocati, deberet ideo dici eorum quilibet imago Dei inviſibilis, licet minùs clara & accurata quam ipſe Chriſtus, quod in eo & per eum innotuerit Dei voluntas, ſapientia, potentia ac bonitas; Id verò quam ſit abſurdum & rectæ rationi contrarium omnes vident.

Eadem autem vel ſimili de cauſa, & character ſubſtantiæ, aut ut alii vocem *hypoſtaſis* apud D. Auctorem vertunt, perſonæ Dei dicitur, (*Heb*. 1, 4.) quia nimirum Deus in eo ſeipſum, h. e. voluntatem potentiamque ſuam, veluti ad vivum expreſſit, & oculis noſtris ſpectandum exhibuit, qua de re plura paulò pòſt dicentur, cùm explicabimus, quo pacto Chriſtus in Dei forma fuiſſe dicatur.

† *Eadem autem vel ſimili*] Ex iis quæ jam diſputata ſunt omnis illa παρεργήνεια hujus loci Heb: 1, 3. corruit: Nam non diciturChriſtus effulgentia gloriæ & character perſonæ Patris, quod ejus miniſterio nobis Dei voluntas innotuerit, & quod potentiam ſuam Deus in ipſo exercuerit: Utrumque enim hoc etiam in Paulum quadrare evidens eſt: Sed hoc elogium Chriſto convenit, quia eſt Dei Filius, quem conſtituit heredem omnium, per quem mundum condidit, qui ſuſtinet omnia potenti ſuo verbo, multo præſtantior Angelis, & ab ipſis adorandus; ut tota ſeries illius capitis luculenter demonſtrat. Sed quia *plura paullo poſt* de his ſe dicturum minatur Adverſarius, eorum examen ſuo loco reſervabimus.

Jam quod ad Verbi ſeu Sermonis vocabulum attinet, (*Ioh*: 1, 1. & 4.) quo ſimiliter Chriſtus appellatur; animadvertendum eſt, duas potiſſimùm ob cauſas conſubſtantialitatem iſtam ex eo effici nequaquam poſſe. Primò enim Verbum ſive Sermonem Dei, (ita enim expreſſè in Apocalypſi (*Apoc*: 19, 13.) appellatur:) ab ipſo Deo diverſum quiddam eſſe, manifeſtum eſt. Deinde Chriſtum propter muneris ſui officium, Verbum ſive Sermonem Dei nominari, jam alio loco eſt à nobis indicatum: (*lib*: 3. *cap*. 3.) nempe quia Chriſtus is fuit, per quem primùm Deus perfectiſſimam voluntatem ſuam nobis revelavit. Quæ quidem ſententia complures, tum ex veteribus, tum ex recentioribus Eccleſiæ doctoribus autores habet, quorum nonnulli animadverterunt, nuſpiam à Joanne, qui ſolus id nomen Chriſto tribuit, ita eum appellari, niſi cùm de ipſo tanquam interprete divinæ voluntatis agit. (*vid. Ioh: Maldonatum in cap*: 1. *Ioh*:)

† *Iam quod ad Verbi ſeu ſermonis*] Non hîc reponam quæ de nomine λόγȣ Joh. 1, 1. aliàs diſputavi, nominatim *ad lib*. 3. *cap* 3. Sufficiat paucis excutere rationes, quibus negat adverſarius inde *conſubſtantialitatem* Filij cum Patre colligi poſſe.

Primo

Primò enim Verbum] At qui θεῦ λόγος dicitur Apoc: xix, 13. dicitur etiam θεὸς ſive Deus Joh: 1, 1. Nec repugnat eum eſſe λόγον Dei Patris, à quo ſic perſonaliter diſtinguatur, & tamen cum ipſo Patre apud quem jam erat in principio, eſſentialiter ſtatui verum Deum & vitam æternam.

Deinde Chriſtum propter] Etſi nolimus negare etiam id nominis convenire Chriſto *propter muneris ſui officium*, tamen negamus, illius hanc eſſe primariam vel ſolam rationem; Siquidem jam *in principio* Creationis ἦν ὁ λόγος, *erat ille ſermo*, & per ipſum Johanne teſte omnia ſunt facta: Quod ſanè ad munus Chriſti Propheticum neutiquam ſpectat, maximè in Schola Sociniana juxta quam non fuit ad illud munus auctoratus, nec eo cœpit fungi, niſi ubi fuit baptizatus in Jordane. Et cùm Apoſtolorum quilibet legatione fungens nomine Chriſti, velut *Deo rogante* per ipſum 2 Cor: v, 20. etiam ſuo ſenſu *perfectiſſimam* ejus *voluntatem* annunciaverit ſuis Auditoribus, poſſet ex illa hypotheſi etiam ὁ λόγος appellari.

Quæ quidem ſententia] Falsò dicuntur *complures tum ex veteribus, tum ex recentioribus Eccleſiæ doctoribus* huic Socinianæ explicationi accedere. Eorum Volkelius neminem hîc nominat præter unum Maldonatum Jeſuitam, qui ſic tribuit Filio ex hoc nomine quod ſit interpres divinæ voluntatis, ut tamen non rejiciat priorem & potiorem illius rationem, videlicet ſic Chriſtum dici quod ſit æterna & ſumma Patris Sapientia, quam in ſe & ex ſeipſo genuit ab æterno. Etenim cùm λόγος ſit duplex in homine, ἐνδιάθετος, ſive mentalis qui *ratio*, & προφορικὸς ſive vocalis qui *oratio* Latinis dicitur, conſtans hactenus Doctorum & Chriſtianorum fuit ſententia, ſic utroque ſignificatu Filium dici λόγον, ideſt Verbum ſive Sermonem Patris, ut tamen prius ſit concipiendus ceu λόγος internus & mentalis, qui ab æterna illa mente proceſſit & genitus eſt ab æterno, quam ut λόγος vocalis, per quem ſuum ſapientiſſimum conſilium Pater enarrat & explicat hominibus. Imò ſanè Veteres & Recentiores multo amplius priori inſtiterunt, quam poſteriori: Paulus Fagius *commentario in Chaldaicam Paraphraſin ad Deut. cap.* 5. *v.* 4. multis oſtendit Veteres Hebræos per *Verbum Dei* Meſſiam ſignificaſſe; Euſebius *lib.* 11. *de Præpar. cap.* 10. multa habet ex Philone, Platone, Plotino, Numedio, Amelio huc facientia; Lactantius *lib.* 4. *Inſt. cap.* 9. ſic loquitur; *Melius Græci* λόγον *dicunt quam nos Verbum ſive ſermonem;* λόγος *enim & Sermonem ſignificat & rationem; quia ille eſt Vox & Sapientia Dei. Hunc ſermonem divinum, ne Philoſophi quidem ignoraverunt: Siquidem Zeno rerum naturæ diſpoſitorem atque opificem univerſitatis* λόγον *prædicat, quem & fatum & neceſſitatem rerum & Deum & animam Iovis nuncupat, eâ ſcilicet conſuetudine qua ſolent Iovem pro* Deo *accipere.* Sic & Tertullianus *adverſus Gentes*; *Apud veſtros quoque ſapientes* λόγον *ideſt ſermonem atque rationem conſtat artificem videri univerſitatis; Hunc enim Zeno determinat factitatorem qui cuncta in diſpoſitione formaverit.* Et quotquot Veteres illi λόγῳ quà tali rerum omnium primam creationem tribuunt, nobis citati *lib.* 3. *cap.* 3. Chriſtum ſermonem Dei intellexerunt eſſe intimum & mentalem, magis quam externum & vocalem, cujuſmodi ſe præſtitit annuntiatione Euangelij. Nec ad ſecundarium hunc reſpectum, in quo ſolo ſiſtit Volkelius, illi Platonici attenderunt, qui velut Amelius apud Euſebium *l. c.* verba ipſa Johannis, ejus nomine tamen ſuppreſſo, uſurparunt; *Hoc profecto erat Verbum quo ea quæ ſunt facta ſunt, ut Heraclitus etiam diceret*; Vel, ut ille alter anonymus ejuſdem ſectæ, qui referente ad Auguſtinum & alios S. Sim-

veritas, vita, reſurrectio, quo ſenſu ſe Chriſtus iſta eſſe profitetur. Et cùm fatente adverſario iſtorum omnium Chriſtus ſit non *dux* tantum ſed etiam *autor*, eo ipſo ejus ſummam divinitatem debet confiteri: Nam talis via eſt, ut juxta Auguſtinum queat dicere, *Non eſt quò eas niſi ad me, non eſt quà eas niſi per me*; Nequit etiam eſſe author veræ viæ ad vitam & reſurrectionem quin ſit ipſiſſima & prima veritas, fons vitæ inexhauſtus, in cujus lumine videbimus lumen. Quominus tamen per has loquutiones queat explicari illud Chriſti elogium, quo ſtatuitur ὁ λόγος, ne ſit metonymia effectus, id etiam poſſit obſtare, quod dicatur ὁ λόγος in genere maſculino, adeoque tali nomine quod ipſius perſonæ propriè conveniat, ſed dicitur ἡ ὁδὸς, ἡ ἀλήθεια, ἡ ζωὴ, ἡ ἀνάστασις, in fœminino genere, adeoque ejuſmodi nominibus, quæ nonniſi ſub quodam tropo ei conveniant.

Quod autem Paulus (*Phil*: 2, 5. *& ſeq.*) in Dei forma Chriſtum fuiſſe dicit, ſimiliter nequaquam convincit, illum Patri eâdem naturâ eſſentiâque conjunctum eſſe. Formam enim Dei ejuſdem naturam minimè deſignare hinc perſpicitur, quòd Paulus apertiſſimé de homine Chriſto Ieſu verba facit, ut non ſolùm ex ipſo Ieſu Chriſtique nomine, verùm etiam ex attributis, quæ in illum altiſſimum Deum cadere non poſſunt, perſpicuum eſt. Nam & Ieſu nomen hominis eſt proprium, & Chriſtus unctum deſignat, quorum neutrum Deo altiſſimo congruit. Attributa autem illa ſunt, ſeipſum exinanire, atque humiliare, obedientem ſe Deo præſtare, & quidem usque ad mortem, à Deo extolli, & præmio donari: quæ quidem in Deum altiſſimum, immutabilem, ac immortalem, minimè convenire, quis non intelligat?

† *Quod autem Paulus*] Eſt quoque hic locus Phil: 11,5.6.7. valdè expreſſius ad hanc rem: Nam cùm forma det eſſe rei, ut loquuntur in Scholis, nequit forma Dei ei convenire qui *naturâ eſſentiâque* Deus non ſit. Etenim forma hîc intelligitur eſſentialis, quia 1. nulla datur forma Dei accidentalis & δοξαστικὴ, tum quod nihil ſit in Deo quod non ſit Deus, tum quod non Chriſti ſed Antichriſti ſit ſibi formam Dei δοξαστικὴν vindicare. 2. Eodem ſenſu debet convenire Chriſto μορφὴ θεοῦ, quo illi tribuitur ab Apoſtolo μορφὴ δούλου, item ὁμοίωμα & σχῆμα hominis: At hæc ei conveniunt non apparenter tantum aut accidentaliter, ſed eſſentialiter & reverà. 3. Loquitur Apoſtolus de eo quod conveniebat Chriſto priusquam ſeipſum exinaniviſſet & humiliaſſet aſſumptâ formâ ſervi & carne humanâ; id verò nihil aliud potuit eſſe quam natura & eſſentia Divina ipſi communis cum Patre & Spiritu Sancto. 4. Niſi forma Dei eſſentialis intelligatur, nequiret dici de Chriſto illius participe, quod rapinam non duxerit eſſe ſe æqualem Deo: Ita ſanè Scholiaſtes Græcus apud Zanchium: ὥσπερ ἡ μορφὴ δούλου φύσις δούλου, οὕτω καὶ μορφὴ θεοῦ φύσις θεοῦ: item οὐ γὰρ ᾔδει καθ' ἁρπαγμὸν ἔχον τὸ εἶναι ἴσον τῷ πατρὶ, ἀλλὰ κατὰ φυσικὸν ἀξίωμα. Sed expendamus diſtinctiùs quid huic luci objicit hæreticus, ut colligat hinc *nequaquam* ſequi Chriſtum *Patri eâdem naturâ eſſentiâque conjunctum eſſe.*

Formam enim Dei ejuſdem] Hæc ratio nullius eſt ponderis: Nam ſic de *Chriſto Ieſu verba facit* Apoſtolus, ut exprimat

quis

Digitized by Google

quis & qualis jam fuerit, priuſquam homo fieret & formâ ſervi aſſumeret: Erat nempe in forma Dei, nec rapinam ducebat æqualē eſſe Deo, cùm ſemetipſum exinanivit aſſumptâ formâ ſervi; planè quomodo idem Apoſtolus 2.Cor: VIII, 9. dicit Chriſtum eundem propter non factum egenū cùm dives eſſet. Non igitur loquitur Paulus de mero homine, ſed de eo cui convenit eſſe θεανθρώπῳ, & qui Deus cum eſſet, factus eſt homo, ut paſſim docet Scriptura Joh: I, 14 1. Tim: III, 16.

Nam & Ieſu nomen] Imò nomen *Ieſu* in propria ſua ſignificatione nequit eſſe meri hominis, ſed ſolius Immanuelis noſtri, qui ſeruat ſuum populum à peccatis eorum Matt: I, 20. 21. Quin tantum abeſt ut nomen Jeſu *in altiſſimum Deum* cadere nequeat, ut è contrario nemini propriè conveniat quam ei qui Deus ſit altiſſimus: prout ſæpiſſimè in Scripturis Salus noſtra, & nos ſalvandi ius & poteſtas, uni & ſoli Deo aſſeritur. Nihil etiam obſtat quominus Deus ſit altiſſimus cum Patre, qui tamen illius *Chriſtus* & *unctus* appelletur. Locus eſt ad hanc rem expreſſior quam qui negari queat Pſal: XLV, 8. Heb: I, 9. ubi Deus unctus à Deo ungente, ideſt Filius à Patre, expreſſiſſimè ac conceptis verbis diſtinguitur; ut abſurdè neget hæreticus in Deum cadere unctionem ex qua unctus & Chriſtus appelletur.

Attributa autem illa ſunt] Equidem hæc *attributa* nequirent convenire Chriſto, ſi nihil aliud eſſet quam Deus; Sed illi conveniunt quatenus aſſumpſit naturam humanam & formam ſervi ac potiſſimum illius reſpectu; Seipſum ergo *exinanivit* cùm eſſet in forma Dei, non per ſubjectivam ſuæ divinitatis immutationem, ſed per illius quandam occultationem ſub velo carnis noſtræ, & hujus aſſumptionem in unitatem perſonæ, in qua obediens factus eſt Patri uſque ad mortem crucis. Ita Codrus cùm rex eſſet Athenienſium, *morti* ſe oblaturus *pro ſalute Patriæ, permutato regis habitu, pannoſus, ſarmenta collo gerens caſtra hoſtium ingreſſus eſt*, teſte Juſtino *lib.* 2. §. 6. neque tamen ſub habitu illo pannoſo deſinebat rex eſſe ac regiæ majeſtatis charactere inſignitus. Nec dubium quin illius exinanitionis Chriſti præludia quædam fuerint omnes illæ Dei apparitiones ſub humana forma quæ leguntur in Veteri Teſtamento; adeo novum non eſt Deum *humana* luſtrare *ſub imagine terras*, ut de ſuo Jove loquitur Ovidius *Metam.* 7. qui nec abſimilem exinanitionem ejus deſcribit *lib.* 8.

Iuppiter huc ſpecie mortalis, cumque parente
Venit Atlantiades poſitis caducifer alis.
Mille domos adière locum requiemque petentes;
Mille domos clauſere feræ.

Quæ à me referuntur non quo lucem Euangelio fœnerem ex fabulis Ethnicorum, ſed tantum quo demonſtrem, nequidem apud ipſos Gentiles talem œconomicam Filij Dei exinanitionem, qualem deſcribit Apoſtolus in aſſumptione noſtræ naturæ, aliquid delibaturam de immortalitate & immutabilitate Divinitatis ſuæ: Ut nemo ſanæ mentis *non intelligat* facillimè, hæc omnia *attributa* Paulo commemorata, etiam *in Deum altiſſimum, immutabilem ac immortalem convenire*, ſuppoſitâ illius incarnatione, & naturæ humanæ in eandem hypoſtaſim, ac formæ ſervi aſſumptione, quam ita graphicè deſcribit Apoſtolus.

Quid? quod illa ipſa, quæ naturæ divinæ in Chriſto exiſtentis argumentum continere creduntur, nempe in Dei forma, Deoque æqualem eſſe, idque rapinam minime ducere, iſtam de divina Chriſti natura, eademque cum patre eſſentiâ opinionem planè evertant. Quomodo enim, qui Deus ipſe eſt, in

Dei

veritas, vita, reſurrectio, quo ſenſu ſe Chriſtus iſta eſſe profitetur. Et cùm fatente adverſario iſtorum omnium Chriſtus ſit non *dux* tantum ſed etiam *autor*, eo ipſo ejus ſummam divinitatem debet conſiteri: Nam talis via eſt, ut juxta Auguſtinum queat dicere, *Non eſt quò eas niſi ad me, non eſt quà eas niſi per me*; Nequit etiam eſſe author veræ viæ ad vitam & reſurrectionem quin ſit ipſiſſima & prima veritas, fons vitæ inexhauſtus, in cujus lumine videbimus lumen. Quominus tamen per has loquutiones queat explicari illud Chriſti elogium, quo ſtatuitur ὁ λόγος, ne ſit metonymia effectus, id etiam poſſit obſtare, quod dicatur ὁ λόγος in genere maſculino, adeoque tali nomine quod ipſius perſonæ propriè conveniat, ſed dicitur ἡ ὁδὸς, ἡ ἀλήθεια, ἡ ζωὴ, ἡ ἀνάστασις, in fœminino genere, adeoque ejuſmodi nominibus, quæ nonniſi ſub quodam tropo ei conveniant.

Quod autem Paulus (*Phil*: 2, 5. *& ſeq.*) in Dei forma Chriſtum fuiſſe dicit, ſimiliter nequaquam convincit, illum Patri eâdem naturâ eſſentiâque conjunctum eſſe. Formam enim Dei ejuſdem naturam minimè deſignare hinc perſpicitur, quòd Paulus apertiſſimé de homine Chriſto Ieſu verba facit, ut non ſolùm ex ipſo Ieſu Chriſtique nomine, verùm etiam ex attributis, quæ in illum altiſſimum Deum cadere non poſſunt, perſpicuum eſt. Nam & Ieſu nomen hominis eſt proprium, & Chriſtus unctum deſignat, quorum neutrum Deo altiſſimo congruit. Attributa autem illa ſunt, ſeipſum exinanire, atque humiliare, obedientem ſe Deo præſtare, & quidem usque ad mortem, à Deo extolli, & præmio donari: quæ quidem in Deum altiſſimum, immutabilem, ac immortalem, minimè convenire, quis non intelligat?

‡ *Quod autem Paulus*] Eſt quoque hic locus Phil: II,5.6.7. valdè expreſſius ad hanc rem: Nam cùm forma det eſſe rei, ut loquuntur in Scholis, nequit forma Dei ei convenire qui *naturâ eſſentiâque* Deus non ſit. Etenim forma hîc intelligitur eſſentialis, quia 1. nulla datur forma Dei accidentalis & δοξαστικὴ, tum quod nihil ſit in Deo quod non ſit Deus, tum quod non Chriſti ſed Antichriſti ſit ſibi formam Dei δοξαστικὴν vindicare. 2. Eodem ſenſu debet convenire Chriſto μορφὴ θεοῦ, quo illi tribuitur ab Apoſtolo μορφὴ δούλου, item ὁμοίωμα & σχῆμα hominis: At hæc ei conveniunt non apparenter tantum aut accidentaliter, ſed eſſentialiter & revera. 3. Loquitur Apoſtolus de eo quod conveniebat Chriſto priuſquam ſeipſum exinaniviſſet & humiliaſſet aſſumptâ formâ ſervi & carne humanâ; id verò nihil aliud potuit eſſe quam natura & eſſentia Divina ipſi communis cum Patre & Spiritu Sancto. 4. Niſi forma Dei eſſentialis intelligatur, nequiret dici de Chriſto illius participe, quod rapinam non duxerit eſſe ſe æqualem Deo: Ita ſanè Scholiaſtes Græcus apud Zanchium: ὥσπερ ἡ μορφὴ δούλου φύσις δούλου, οὕτω καὶ μορφὴ θεοῦ φύσις θεοῦ: item οὐ γὰρ ᾔδει καθ' ἁρπαγμὸν ἔχον τὸ εἶναι ἴσον τῷ πατρὶ, ἀλλὰ κατὰ φυσικὸν ἀξίωμα. Sed expendamus diſtinctiùs quid huic luci objicit hæreticus, ut colligat hinc *nequaquam* ſequi Chriſtum *Patri eâdem naturâ eſſentiâque conjunctum eſſe.*

Formam enim Dei ejuſdem] Hæc ratio nullius eſt ponderis: Nam ſic de *Chriſto Ieſu verba facit* Apoſtolus, ut exprimat quis

quis & qualis jam fuerit, priuſquam homo fieret & formã ſervi aſſumeret: Erat nempe in forma Dei, nec rapinam ducebat æqualẽ eſſe Deo, cùm ſemetipſum exinanivit aſſumptâ formâ ſervi; planè quomodo idem Apoſtolus 2. Cor: VIII, 9. dicit Chriſtum eundem propter non factum egenũ cùm dives eſſet. Non igitur loquitur Paulus de mero homine, ſed de eo cui convenit eſſe θεανθρώπῳ, & qui Deus cum eſſet, factus eſt homo, ut paſſim docet Scriptura Joh: I, 14 1. Tim: III, 16.

Nam & Ieſu nomen] Imò nomen *Ieſu* in propria ſua ſignificatione nequit eſſe meri hominis, ſed ſolius Immanuelis noſtri, qui ſervat ſuum populum à peccatis eorum Matt: I, 20. 21. Quin tantum abeſt ut nomen Jeſu *in altiſſimum Deum* cadere nequeat, ut è contrario nemini propriè conveniat quam ei qui Deus ſit altiſſimus: prout ſæpiſſimè in Scripturis Salus noſtra, & nos ſalvandi ius & poteſtas, uni & ſoli Deo aſſeritur. Nihil etiam obſtat quominus Deus ſit altiſſimus cum Patre, qui tamen illius *Chriſtus* & *unctus* appelletur. Locus eſt ad hanc rem expreſſior quam qui negari queat Pſal: XLV, 8. Heb: I, 9. ubi Deus unctus à Deo ungente, id eſt Filius à Patre, expreſſiſſimè ac conceptis verbis diſtinguitur; ut abſurdè neget hæreticus in Deum cadere unctionem ex qua unctus & Chriſtus appelletur.

Attributa autem illa ſunt] Equidem hæc *attributa* nequirent convenire Chriſto, ſi nihil aliud eſſet quam Deus; Sed illi conveniunt quatenus aſſumpſit naturam humanam & formam ſervi ac potiſſimum illius reſpectu: Seipſum ergo *exinanivit* cùm eſſet in forma Dei, non per ſubjectivam ſuæ divinitatis immutationem, ſed per illius quandam occultationem ſub velo carnis noſtræ, & hujus aſſumptionem in unitatem perſonæ, in qua obediens factus eſt Patri uſque ad mortem crucis. Ita Codrus cùm rex eſſet Athenienſium, *morti ſe oblaturus pro ſalute Patriæ, permutato regis habitu, pannoſus, ſarmenta collo gerens caſtra hoſtium ingreſſus eſt*, teſte Juſtino *lib.* 2. §. 6. neque tamen ſub habitu illo pannoſo deſinebat rex eſſe ac regiæ majeſtatis charactere inſignitus. Nec dubium quin illius exinanitionis Chriſti præludia quædam fuerint omnes illæ Dei apparitiones ſub humana forma quæ leguntur in Veteri Teſtamento; adeo novum non eſt Deum *humana* luſtrare *ſub imagine terras*, ut de ſuo Jove loquitur Ovidius *Metam.* 7. qui nec abſimilem exinanitionem ejus deſcribit *lib.* 8.

Iuppiter huc ſpecie mortalis, cumque parente
Venit Atlantiades poſitis caducifer alis.
Mille domos adière locum requiemque petentes;
Mille domos clauſere ferœ.

Quæ à me referuntur non quo lucem Euangelio fœnerem ex fabulis Ethnicorum, ſed tantum quo demonſtrem, nequidem apud ipſos Gentiles talem œconomicam Filij Dei exinanitionem, qualem deſcribit Apoſtolus in aſſumptione noſtræ naturæ, aliquid delibaturam de immortalitate & immutabilitate Divinitatis ſuæ: Ut nemo ſanæ mentis *non intelligat* facillimè, hæc omnia *attributa* Paulo commemorata, etiam *in Deum altiſſimum, immutabilem ac immortalem convenire*, ſuppoſitâ illius incarnatione, & naturæ humanæ in eandem hypoſtaſim, ac formæ ſervi aſſumptione, quam ita graphicè deſcribit Apoſtolus.

Quid? quod illa ipſa, quæ naturæ divinæ in Chriſto exiſtentis argumentum continere creduntur, nempe in Dei forma, Deoque æqualem eſſe, idque rapinam minime ducere, iſtam de divina Chriſti natura, eademque cum patre eſſentiâ opinionem planè evertant. Quomodo enim, qui Deus ipſe eſt, in

Digitized by Google

veritas, vita, reſurrectio, quo ſenſu ſe Chriſtus iſta eſſe profitetur. Et cùm fatente adverſario iſtorum omnium Chriſtus ſit non *dux* tantum ſed etiam *autor*, eo ipſo ejus ſummam divinitatem debet confiteri: Nam talis via eſt, ut juxta Auguſtinum queat dicere, *Non eſt quò eas niſi ad me, non eſt quà eas niſi per me*; Nequit etiam eſſe author veræ viæ ad vitam & reſurrectionem quin ſit ipſiſſima & prima veritas, fons vitæ inexhauſtus, in cujus lumine videbimus lumen. Quominus tamen per has loquutiones queat explicari illud Chriſti elogium, quo ſtatuitur ὁ λόγος, ne ſit metonymia effectus, id etiam poſſit obſtare, quod dicatur ὁ λόγος in genere maſculino, adeoque tali nomine quod ipſius perſonæ propriè conveniat, ſed dicitur ἡ ὁδὸς, ἡ ἀλήθεια, ἡ ζωὴ, ἡ ἀνάστασις, in fœminino genere, adeoque ejuſmodi nominibus, quæ nonniſi ſub quodam tropo ei conveniant.

Quod autem Paulus (*Phil: 2, 5. & ſeq.*) in Dei forma Chriſtum fuiſſe dicit, ſimiliter nequaquam convincit, illum Patri eâdem naturâ eſſentiâque conjunctum eſſe. Formam enim Dei ejusdem naturam minimè deſignare hinc perſpicitur, quòd Paulus apertiſſimé de homine Chriſto Ieſu verba facit, ut non ſolùm ex ipſo Ieſu Chriſtique nomine, verùm etiam ex attributis, quæ in illum altiſſimum Deum cadere non poſſunt, perſpicuum eſt. Nam & Ieſu nomen hominis eſt proprium, & Chriſtus unctum deſignat, quorum neutrum Deo altiſſimo congruit. Attributa autem illa ſunt, ſeipſum exinanire, atque humiliare, obedientem ſe Deo præſtare, & quidem usque ad mortem, à Deo extolli, & præmio donari: quæ quidem in Deum altiſſimum, immutabilem, ac immortalem, minimè convenire, quis non intelligat?

† *Quod autem Paulus*] Eſt quoque hic locus Phil: 11,5.6.7. valdè expreſſius ad hanc rem: Nam cùm forma det eſſe rei, ut loquuntur in Scholis, nequit forma Dei ei convenire qui *naturâ eſſentiâque* Deus non ſit. Etenim forma hîc intelligitur eſſentialis, quia 1. nulla datur forma Dei accidentalis & δοξαστικὴ, tum quod nihil ſit in Deo quod non ſit Deus, tum quod non Chriſti ſed Antichriſti ſit ſibi formam Dei δοξαστικὴν vindicare. 2. Eodem ſenſu debet convenire Chriſto μορφὴ θεοῦ, quo illi tribuitur ab Apoſtolo μορφὴ δούλου, item ὁμοίωμα & σχῆμα hominis: At hæc ei conveniunt non apparenter tantum aut accidentaliter, ſed eſſentialiter & reverà. 3. Loquitur Apoſtolus de eo quod conveniebat Chriſto priusquam ſeipſum exinaniviſſet & humiliaſſet aſſumptâ formâ ſervi & carne humanâ; id verò nihil aliud potuit eſſe quam natura & eſſentia Divina ipſi communis cum Patre & Spiritu Sancto. 4. Niſi forma Dei eſſentialis intelligatur, nequiret dici de Chriſto illius participe, quod rapinam non duxerit eſſe ſe æqualem Deo: Ita ſanè Scholiaſtes Græcus apud Zanchium: ὥσπερ ἡ μορφὴ δούλου φύσις δούλου, οὕτω καὶ μορφὴ θεοῦ φύσις θεοῦ: item οὐ γὰρ ᾔδει καθ' ἁρπαγμὸν ἔχον τὸ εἶναι ἴσον τῷ πατρὶ, ἀλλὰ κατὰ φυσικὸν ἀξίωμα. Sed expendamus diſtinctiùs quid huic luci objicit hæreticus, ut colligat hinc *nequaquam* ſequi Chriſtum *Patri eâdem naturâ eſſentiâque conjunctum eſſe.*

Formam enim Dei ejuſdem] Hæc ratio nullius eſt ponderis: Nam ſic de *Chriſto Ieſu verba facit* Apoſtolus, ut exprimat quis

quis & qualis jam fuerit, priuſquam homo fieret & formã ſervi aſſumeret: Erat nempe in forma Dei, nec rapinam ducebat æqualẽ eſſe Deo, cùm ſemetipſum exinanivit aſſumptâ formâ ſerui; planè quomodo idem Apoſtolus 2. Cor: VIII, 9. dicit Chriſtum eundem propter non factum egenũ cùm dives eſſet. Non igitur loquitur Paulus de mero homine, ſed de eo cui convenit eſſe θεανθρώπῳ, & qui Deus cum eſſet, factus eſt homo, ut paſſim docet Scriptura Joh: I, 14 I. Tim: III, 16.

Nam & Ieſu nomen] Imò nomen *Ieſu* in propria ſua ſignificatione nequit eſſe meri hominis, ſed ſolius Immanuelis noſtri, qui ſeruat ſuum populum à peccatis eorum Matt: I, 20. 21. Quin tantum abeſt ut nomen Jeſu *in altiſſimum Deum* cadere nequeat, ut è contrario nemini propriè conveniat quam ei qui Deus ſit altiſſimus: prout ſæpiſſimè in Scripturis Salus noſtra, & nos ſalvandi jus & poteſtas, uni & ſoli Deo aſſeritur. Nihil etiam obſtat quominus Deus ſit altiſſimus cum Patre, qui tamen illius *Chriſtus* & *unctus* appelletur. Locus eſt ad hanc rem expreſſior quam qui negari queat Pſal: XLV, 8. Heb: I, 9. ubi Deus unctus à Deo ungente, ideſt Filius à Patre, expreſſiſſimè ac conceptis verbis diſtinguitur; ut abſurdè neget hæreticus in Deum cadere unctionem ex qua unctus & Chriſtus appelletur.

Attributa autem illa ſunt] Equidem hæc *attributa* nequirent convenire Chriſto, ſi nihil aliud eſſet quam Deus; Sed illi conveniunt quatenus aſſumpſit naturam humanam & formam ſervi ac potiſſimum illius reſpectu: Seipſum ergo *exinanivit* cùm eſſet in forma Dei, non per ſubjectivam ſuæ divinitatis immutationem, ſed per illius quandam occultationem ſub velo carnis noſtræ, & hujus aſſumptionem in unitatem perſonæ, in qua obediens factus eſt Patri uſque ad mortem crucis. Ita Codrus cùm rex eſſet Athenienſium, *morti* ſe oblaturus *pro ſalute Patriæ, permutato regis habitu, pannoſus, ſarmenta collo gerens caſtra hoſtium ingreſſus eſt*, teſte Juſtino *lib*. 2. §. 6. neque tamen ſub habitu illo pannoſo deſinebat rex eſſe ac regiæ majeſtatis charactere inſignitus. Nec dubium quin illius exinanitionis Chriſti præludia quædam fuerint omnes illæ Dei apparitiones ſub humana forma quæ leguntur in Veteri Teſtamento; adeo novum non eſt Deum *humana* luſtrare *ſub imagine terras*, ut de ſuo Jove loquitur Ovidius *Metam*. 7. qui nec abſimilem exinanitionem ejus deſcribit *lib*. 8.

Iuppiter huc ſpecie mortalis, cumque parente
Venit Atlantiades poſitis caducifer alis.
Mille domos adière locum requiemque petentes;
Mille domos clauſère ſeræ.

Quæ à me referuntur non quo lucem Euangelio fœnerem ex fabulis Ethnicorum, ſed tantum quo demonſtrem, nequidem apud ipſos Gentiles talem œconomicam Filij Dei exinanitionem, qualem deſcribit Apoſtolus in aſſumptione noſtræ naturæ, aliquid delibaturam de immortalitate & immutabilitate Divinitatis ſuæ: Ut nemo ſanæ mentis *non intelligat* facillimè, hæc omnia *attributa* Paulo commemorata, etiam *in Deum altiſſimum, immutabilem ac immortalem convenire*, ſuppoſitâ illius incarnatione, & naturæ humanæ in eandem hypoſtaſim, ac formæ ſervi aſſumptione, quam ita graphicè deſcribit Apoſtolus.

Quid? quod illa ipſa, quæ naturæ divinæ in Chriſto exiſtentis argumentum continere creduntur, nempe in Dei forma, Deoque æqualem eſſe, idque rapinam minime ducere, iſtam de divina Chriſti natura, eademque cum patre eſſentiâ opinionem planè evertant. Quomodo enim, qui Deus ipſe eſt, in

Dei

Digitized by Google

veritas, vita, reſurrectio, quo ſenſu ſe Chriſtus iſta eſſe profitetur. Et cùm fatente adverſario iſtorum omnium Chriſtus ſit non *dux* tantum ſed etiam *autor*, eo ipſo ejus ſummam divinitatem debet confiteri: Nam talis via eſt, ut juxta Auguſtinum queat dicere, *Non eſt quò eas niſi ad me, non eſt quà eas niſi per me*; Nequit etiam eſſe author veræ viæ ad vitam & reſurrectionem quin ſit ipſiſſima & prima veritas, fons vitæ inexhauſtus, in cujus lumine videbimus lumen. Quominus tamen per has loquutiones queat explicari illud Chriſti elogium, quo ſtatuitur ὁ λόγος, ne ſit metonymia effectus, id etiam poſſit obſtare, quod dicatur ὁ λόγος in genere maſculino, adeoque tali nomine quod ipſius perſonæ propriè conveniat, ſed dicitur ἡ ὁδὸς, ἡ ἀλήθεια, ἡ ζωὴ, ἡ ἀνάστασις, in fœminino genere, adeoque ejuſmodi nominibus, quæ nonniſi ſub quodam tropo ei conveniant.

Quod autem Paulus (*Phil: 2, 5. & ſeq.*) in Dei forma Chriſtum fuiſſe dicit, ſimiliter nequaquam convincit, illum Patri eâdem naturâ eſſentiâque conjunctum eſſe. Formam enim Dei ejuſdem naturam minimè deſignare hinc perſpicitur, quòd Paulus apertiſſimé de homine Chriſto Ieſu verba facit, ut non ſolùm ex ipſo Ieſu Chriſtique nomine, verùm etiam ex attributis, quæ in illum altiſſimum Deum cadere non poſſunt, perſpicuum eſt. Nam & Ieſu nomen hominis eſt proprium, & Chriſtus unctum deſignat, quorum neutrum Deo altiſſimo congruit. Attributa autem illa ſunt, ſeipſum exinanire, atque humiliare, obedientem ſe Deo præſtare, & quidem usque ad mortem, à Deo extolli, & præmio donari: quæ quidem in Deum altiſſimum, immutabilem, ac immortalem, minimè convenire, quis non intelligat?

† *Quod autem Paulus*] Eſt quoque hic locus Phil: 11,5.6.7. valdè expreſſius ad hanc rem: Nam cùm forma det eſſe rei, ut loquuntur in Scholis, nequit forma Dei ei convenire qui *naturâ eſſentiâque* Deus non ſit. Etenim forma hîc intelligitur eſſentialis, quia 1. nulla datur forma Dei accidentalis & δοξαστικὴ, tum quod nihil ſit in Deo quod non ſit Deus, tum quod non Chriſti ſed Antichriſti ſit ſibi formam Dei δοξαστικὴν vindicare. 2. Eodem ſenſu debet convenire Chriſto μορφὴ θεοῦ, quo illi tribuitur ab Apoſtolo μορφὴ δούλου, item ὁμοίωμα & σχῆμα hominis: At hæc ei conveniunt non apparenter tantum aut accidentaliter, ſed eſſentialiter & revera. 3. Loquitur Apoſtolus de eo quod conveniebat Chriſto priuſquam ſeipſum exinaniviſſet & humiliaſſet aſſumptâ formâ ſervi & carne humanâ; id verò nihil aliud potuit eſſe quam natura & eſſentia Divina ipſi communis cum Patre & Spiritu Sancto. 4. Niſi forma Dei eſſentialis intelligatur, nequiret dici de Chriſto illius participe, quod rapinam non duxerit eſſe ſe æqualem Deo: Ita ſanè Scholiaſtes Græcus apud Zanchium: ὥσπερ ἡ μορφὴ δούλου φύσις δούλου, οὕτω καὶ μορφὴ θεοῦ φύσις θεοῦ: item οὐ γὰρ ᾔδει καθ' ἁρπαγμὸν ἔχον τὸ εἶναι ἴσον τῷ πατρὶ, ἀλλὰ κατὰ φυσικὸν ἀξίωμα. Sed expendamus diſtinctiùs quid huic luci objicit hæreticus, ut colligat hinc *nequaquam* ſequi Chriſtum *Patri eâdem naturâ eſſentiâque conjunctum eſſe*.

Formam enim Dei ejuſdem] Hæc ratio nullius eſt ponderis: Nam ſic de *Chriſto Ieſu verba facit* Apoſtolus, ut exprimat quis

Digitized by Google

quis & qualis jam fuerit, priuſquam homo fieret & formā ſervi aſſumeret: Erat nempe in forma Dei, nec rapinam ducebat æqualē eſſe Deo, cùm ſemetipſum exinanivit aſſumptâ formâ ſervi; planè quomodo idem Apoſtolus 2. Cor: VIII, 9. dicit Chriſtum eundem propter non factum egenū cùm dives eſſet. Non igitur loquitur Paulus de mero homine, ſed de eo cui convenit eſſe θεανθρώπῳ, & qui Deus cum eſſet, factus eſt homo, ut paſſim docet Scriptura Joh: I, 14 1. Tim: III, 16.

Nam & Ieſu nomen] Imò nomen *Ieſu* in propria ſua ſignificatione nequit eſſe meri hominis, ſed ſolius Immanuelis noſtri, qui ſervat ſuum populum à peccatis eorum Matt: I, 20. 21. Quin tantum abeſt ut nomen Jeſu *in altiſſimum Deum* cadere nequeat, ut è contrario nemini propriè conveniat quam ei qui Deus ſit altiſſimus: prout ſæpiſſimè in Scripturis Salus noſtra, & nos ſalvandi ius & poteſtas, uni & ſoli Deo aſſeritur. Nihil etiam obſtat quominus Deus ſit altiſſimus cum Patre, qui tamen illius *Chriſtus* & *unctus* appelletur. Locus eſt ad hanc rem expreſſior quam qui negari queat Pſal: XLV, 8. Heb: I, 9. ubi Deus unctus à Deo ungente, ideſt Filius à Patre, expreſſiſſimè ac conceptis verbis diſtinguitur; ut abſurdè neget hæreticus in Deum cadere unctionem ex qua unctus & Chriſtus appelletur.

Attributa autem illa ſunt] Equidem hæc *attributa* nequirent convenire Chriſto, ſi nihil aliud eſſet quam Deus; Sed illi conveniunt quatenus aſſumpſit naturam humanam & formam ſervi ac potiſſimum illius reſpectu: Seipſum ergo *exinanivit* cùm eſſet in forma Dei, non per ſubjectivam ſuæ divinitatis immutationem, ſed per illius quandam occultationem ſub velo carnis noſtræ, & hujus aſſumptionem in unitatem perſonæ, in qua obediens factus eſt Patri uſque ad mortem crucis. Ita Codrus cùm rex eſſet Athenienſium, *morti ſe oblaturus pro ſalute Patriæ, permutato regis habitu, pannoſus, ſarmenta collo gerens caſtra hoſtium ingreſſus eſt*, teſte Juſtino *lib.* 2. §. 6. neque tamen ſub habitu illo pannoſo deſinebat rex eſſe ac regiæ majeſtatis charactere inſignitus. Nec dubium quin illius exinanitionis Chriſti præludia quædam fuerint omnes illæ Dei apparitiones ſub humana forma quæ leguntur in Veteri Teſtamento; adeo novum non eſt Deum *humana* luſtrare *ſub imagine terras*, ut de ſuo Jove loquitur Ovidius *Metam.* 7. qui nec abſimilem exinanitionem ejus deſcribit *lib.* 8.

Iuppiter huc ſpecie mortalis, cumque parente
Venit Atlantiades poſitis caducifer alis.
Mille domos adière locum requiemque petentes;
Mille domos clauſere feræ.

Quæ à me referuntur non quo lucem Euangelio fœnerem ex fabulis Ethnicorum, ſed tantum quo demonſtrem, nequidem apud ipſos Gentiles talem œconomicam Filij Dei exinanitionem, qualem deſcribit Apoſtolus in aſſumptione noſtræ naturæ, aliquid delibaturam de immortalitate & immutabilitate Divinitatis ſuæ: Ut nemo ſanæ mentis *non intelligat* facillimè, hæc omnia *attributa* Paulo commemorata, etiam *in Deum altiſſimum*, *immutabilem ac immortalem convenire*, ſuppoſitâ illius incarnatione, & naturæ humanæ in eandem hypoſtaſim, ac formæ ſervi aſſumptione, quam ita graphicè deſcribit Apoſtolus.

Quid? quod illa ipſa, quæ naturæ divinæ in Chriſto exiſtentis argumentum continere creduntur, nempe in Dei forma, Deoque æqualem eſſe, idque rapinam minime ducere, iſtam de divina Chriſti natura, eademque cum patre eſſentiâ opinionem planè evertant. Quomodo enim, qui Deus ipſe eſt, in Dei

rectione. Tum cùm non obſcurè inſinuet Volkelius hæc omnia etiam alibi & antea expreſſa fuiſſe, licet non *tam clarè aperteque*, v.g. in ſancta diſciplina & operibus Moſis ac Prophetarum, in morte martyrum, in eorum reſurrectione qui ad hanc vitam ſunt revocati, deberet ideo dici eorum quilibet imago Dei inviſibilis, licet minùs clara & accurata quam ipſe Chriſtus, quod in eo & per eum innotuerit Dei voluntas, ſapientia, potentia ac bonitas; Id verò quam ſit abſurdum & rectæ rationi contrarium omnes vident.

Eadem autem vel ſimili de cauſa, & character ſubſtantiæ, aut ut, alii vocem *hypoſtaſis* apud D. Auctorem vertunt, perſonæ Dei dicitur, (*Heb*. 1, 4.) quia nimirum Deus in eo ſeipſum, h.e. voluntatem potentiamque ſuam, veluti ad vivum expreſſit, & oculis noſtris ſpectandum exhibuit, qua de re plura paulò pòſt dicentur, cùm explicabimus, quo pacto Chriſtus in Dei forma fuiſſe dicatur.

† *Eadem autem vel ſimili*] Ex iis quæ jam diſputata ſunt omnis illa *παρερμήνεια* hujus loci Heb: 1, 3, corruit: Nam non diciturChriſtus effulgentia gloriæ & character perſonæ Patris, quod ejus miniſterio nobis Dei voluntas innotuerit, & quod potentiam ſuam Deus in ipſo exercuerit: Utrumque enim hoc etiam in Paulum quadrare evidens eſt: Sed hoc elogium Chriſto convenit, quia eſt Dei Filius, quem conſtituit heredem omnium, per quem mundum condidit, qui ſuſtinet omnia potenti ſuo verbo, multo præſtantior Angelis, & ab ipſis adorandus; ut tota ſeries illius capitis luculenter demonſtrat. Sed quia *plura paullo poſt* de his ſe dicturum minatur Adverſarius, eorum examen ſuo loco reſervabimus.

Jam quod ad Verbi ſeu Sermonis vocabulum attinet, (*Ioh*: 1, 1. & 4.) quo ſimiliter Chriſtus appellatur; animadvertendum eſt, duas potiſſimùm ob cauſas conſubſtantialitatem iſtam ex eo effici nequaquam poſſe. Primò enim Verbum ſive Sermonem Dei, (ita enim expreſſè in Apocalypſi (*Apoc*: 19, 13.) appellatur:) ab ipſo Deo diverſum quiddam eſſe, manifeſtum eſt. Deinde Chriſtum propter muneris ſui officium, Verbum ſive Sermonem Dei nominari, jam alio loco eſt à nobis indicatum: (*lib*: 3. *cap*. 3.) nempe quia Chriſtus is fuit, per quem primùm Deus perfectiſſimam voluntatem ſuam nobis revelavit. Quæ quidem ſententia complures, tum ex veteribus, tum ex recentioribus Eccleſiæ doctoribus autores habet, quorum nonnulli animadverterunt, nuſpiam à Joanne, qui ſolus id nomen Chriſto tribuit, ita eum appellari, niſi cùm de ipſo tanquam interprete divinæ voluntatis agit. (*vid. Ioh: Maldonatum in cap*: 1. *Ioh*:)

† *Iam quod ad Verbi ſeu ſermonis*] Non hîc reponam quæ de nomine λόγȣ Joh. 1, 1. aliàs diſputavi, nominatim *ad lib*. 3. *cap* 3. Sufficiat paucis excutere rationes, quibus negat adverſarius inde *conſubſtantialitatem* Filij cum Patre colligi poſſe.

Primo

Digitized by Google

Primò enim Verbum] At qui θεοῦ λόγος dicitur Apoc: xix, 13. dicitur etiam θεὸς ſive Deus Joh: 1, 1. Nec repugnat eum eſſe λόγον Dei Patris, à quo ſic perſonaliter diſtinguatur, & tamen cum ipſo Patre apud quem jam erat in principio, eſſentialiter ſtatui verum Deum & vitam æternam.

Deinde Chriſtum propter] Etſi nolimus negare etiam id nominis convenire Chriſto *propter muneris ſui officium*, tamen negamus, illius hanc eſſet primariam vel ſolam rationem; Siquidem jam *in principio* Creationis ἦν ὁ λόγος, *erat ille ſermo*, & per ipſum Johanne teſte omnia ſunt facta: Quod ſanè ad munus Chriſti Propheticum neutiquam ſpectat, maximè in Schola Sociniana juxta quam non fuit ad illud munus auctoratus, nec eo cœpit fungi, niſi ubi fuit baptizatus in Jordane. Et cùm Apoſtolorum quilibet legatione fungens nomine Chriſti, velut *Deo rogante* per ipſum 2 Cor: v, 20. etiam ſuo ſenſu *perfectiſſimam* ejus *voluntatem* annunciaverit ſuis Auditoribus, poſſet ex illa hypotheſi etiam ὁ λόγος appellari.

Quæ quidem ſententia] Falsò dicuntur *complures tum ex veteribus, tum ex recentioribus Eccleſiæ doctoribus* huic Socinianæ explicationi accedere. Eorum Volkelius neminem hîc nominat præter unum Maldonatum Jeſuitam, qui ſic tribuit Filio ex hoc nomine quod ſit interpres divinæ voluntatis, ut tamen non rejiciat priorem & potiorem illius rationem, videlicet ſic Chriſtum dici quod ſit æterna & ſumma Patris Sapientia, quam in ſe & ex ſeipſo genuit ab æterno. Etenim cùm λόγος ſit duplex in homine, ἐνδιάθετος, ſive mentalis qui *ratio*, & προφορικὸς ſive vocalis qui *oratio* Latinis dicitur, conſtans hactenus Doctorum & Chriſtianorum fuit ſententia, ſic utroque ſignificatu Filium dici λόγον, ideſt Verbum ſive Sermonem Patris, ut tamen prius ſit concipiendus ceu λόγος internus & mentalis, qui ab æterna illa mente proceſſit & genitus eſt ab æterno, quam ut λόγος vocalis, per quem ſuum ſapientiſſimum conſilium Pater enarrat & explicat hominibus. Imò ſanè Veteres & Recentiores multo amplius priori inſtiterunt, quam poſteriori: Paulus Fagius *commentario in Chaldaicam Paraphraſin ad Deut. cap.* 5. *v.* 4. multis oſtendit Veteres Hebræos per *Verbum Dei* Meſſiam ſignificaſſe; Euſebius *lib.* 11. *de Præpar. cap.* 10. multa habet ex Philone, Platone, Plotino, Numedio, Amelio huc facientia; Lactantius *lib.* 4. *Inſt. cap.* 9. ſic loquitur; *Melius Græci* λόγον *dicunt quam nos Verbum ſive ſermonem;* λόγος *enim & Sermonem ſignificat & rationem; quia ille eſt Vox & Sapientia Dei. Hunc ſermonem divinum, ne Philoſophi quidem ignoraverunt: Siquidem Zeno rerum naturæ diſpoſitorem atque opificem univerſitatis* λόγον *prædicat, quem & fatum & neceſſitatem rerum & Deum & animam Iovis nuncupat, eâ ſcilicet conſuetudine qua ſolent Iovem pro* Deo *accipere.* Sic & Tertullianus *adverſus Gentes; Apud veſtros quoque ſapientes* λόγον *ideſt ſermonem atque rationem conſtat artificem videri univerſitatis; Hunc enim Zeno determinat factitatorem qui cuncta in diſpoſitione formaverit.* Et quotquot Veteres illi λόγῳ quà tali rerum omnium primam creationem tribuunt, nobis citati *lib.* 3. *cap.* 3. Chriſtum ſermonem Dei intellexerunt eſſe intimum & mentalem, magis quam externum & vocalem, cujuſmodi ſe præſtitit annuntiatione Euangelij. Nec ad ſecundarium hunc reſpectum, in quo ſolo ſiſtit Volkelius, illi Platonici attenderunt, qui velut Amelius apud Euſebium *l. c.* verba ipſa Johannis, ejus nomine tamen ſuppreſſo, uſurparunt; *Hoc profecto erat Verbum quo ea quæ ſunt facta ſunt, ut Heraclitus etiam diceret*; Vel, ut ille alter anonymus ejuſdem ſectæ, qui referente ad Auguſtinum & alios *S.* Simpliciano

pliciano, Mediolanenſi poſtea Epiſcopo, ſolebat dicere *Initium Sancti Euangelii cui nomen eſt ſecundum Iohannem aureis literis conſcribendum & per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum eſſe* apud Auguſtinum *lib.* 10. *de Civit. Dei, cap.* 29. Gregorius Nazianzenus *ſerm* 2. *de filio*, dicit Chriſtum λόγον dici, ὅτι πρὸς τὸν πατέρα οὕτως ἔχει, ὡς πρὸς νοῦν λόγος, οὐ μόνον διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως ἀλλὰ καὶ τὸ συναφὲς καὶ τὸ ἐξαγγελτικόν, *quod eam rationem habeat cum Patre quam ſermo cum mente, non ſolum quia ſit à Patre citra omnem perpeſſionem genitus, ſed etiam quod Patri ſit connatus & eum enunciet.* Auguſtinus *tract.* 1 *in Iohan.* Notu eſt in priori ſignificatu; vult enim dici Filium Verbum Dei, quomodo *tu potes habere verbum in corde tuo, tanquam conſilium natum in mente tua, ut mens tua pariat tibi conſilium, & inſit conſilium quaſi proles mentis tuae, quaſi filius cordis tui.* Notum quoque illud Hilarii; *lib.* 2. *de Trinit Sermo cogitationis æternus eſt cum qui cogitat eſt æternus.* Sic Gloſſa interlinearis, *Verbum* explicat *filium, qui ſit Verbum non prolatum, ſed ſemper apud eum manens, ſive ſapientia* illius; & Gloſſa ordinaria; *Verbum dicitur vel quod profertur & tranſit, ut quando dicitur Deus, vel aliquid hujuſmodi; vel cogitatio ſeu conceptio mentis, quæ ex mente nata cum ipſa mente permanet, ut quando cogitas vel divinam ſubſtantiam vel aliam rem; Hac ſimilitudine ratio & ſapientia Dei quæ ex Deo nata omnia comprehendit, verbum dicitur.* Ipſemet Eraſmus qui ſolet magni fieri à Socinianis ita habet *in Paraphraſi; Qualis eſt ipſe, talis ab eo ſemper filius æternus ab æterno, omnipotens ab omnipotente, optimus ab optimo, denique Deus à Deo, nec poſterior ſe gignente, nec inferior; æternæ mentis ſermo æternus, quo ſibi ſemper velut arcana cogitatione loquitur Pater, etiam ante conditum hunc mundum*; Plures alios poſſem addere veteres & recentiores, ſed iſti ſufficiunt convincendo Volkelio, aſſerenti *complures tum ex Veteribus tum ex recentioribus Eccleſiæ Doctoribus* ſibi ſuffragari in eo quod id nominis τοῦ λόγου vult reſtringere ad officium Chriſti Propheticum, quo in carne cœpit fungi. Et cùm Joannes voluerit incipere ſuum Euangelium ab æterna Chriſti divinitate & generatione adverſus Ebionem & Cerinthum, ut conſtans eſt omnium Veterum ſententia, eumque ab initio deſcribat præcisè quà Deum de Deo, & conditorem Univerſi licet ſub illo nomine Sermonis vel *Verbi*, fàlſum eſt à *Iohanne uſpiam ita eum appellari, niſi cum de ipſo, tanquam de interprete divinæ voluntatis agit*; Nihil enim ad hanc interpretationem facit quod fuerit in principio, quod fuerit apud Deum, quod ipſe Deus fuerit quod per ipſum omnia facta ſint &c Imò cùm Johannes in hac nomenclatura ſequutus ſit, ut obſervant eruditi, ſtylum uſitatum inter Judæos ſui temporis, juxta quem tralatitium erat Meſſiam promiſſum, ex Chaldaica Paraphraſi multis in locis, ſub illo nomine deſignare & expectare, quod liquet ex Galatino nobis citato *ad cap.* 3. *lib.* 3. *Volkeliani.* & ex Fagio *loco ſuprà citato*, non poteſt ſimpliciter affirmari, *ſolum* Johannem *id nomen Chriſto* tribuere. Quinimo videtur nonnullis eodem ſignificatu uſurpari à Paulo Act: xx, 32. & Heb: vi, 12.

Ac ne longè ejus appellationis rationem quæramus, ipſe Joannes eam nobis explicat. Cùm enim ab initio Evangelii ſui eum Sermonis nomine appellâſſet, poſtquam eum proprio nomine appellare cœpit, veluti rationem redditurus, cur eum hucusque alio nomine inſigniviſſet, verba paulò ſuperiùs à nobis ci-

tata

tata ſubjicit: *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrarit.* Iſtud autem quod diximus, Chriſti officium exprimitur Verbi ſive Sermonis vocabulo, vel per metaphoricam vel per metonymicam dicendi figuram. Ac per metaphoram quidem ſic, ut quemadmodum, quoties mentis noſtræ cogitata alteri aperire cupimus, ſermone utimur: ita Deus per Chriſtum, ejusque diſciplinam, voluntatis ſuæ myſterium explicare nobis voluerit. Per metonymiam autem hoc pacto, ut Verbum ſive Sermonem, pro ſermonis ſeu verbi præcone atque autore poni intelligamus. In quam ſententiam & ipſe ſeſe viam, veritatem, vitam, reſurrectionemque nominat. (*Joh*: 14, 6. 11, 25.) quia nimirum iſtorum omnium dux & autor eſt. 436

† *Ac ne longè ejus appellationis*] Illa verba quæ extant Joh: 1, 18. non continent *rationem* cur Joannes *ab initio Euangelij*, ſui Chriſtum *Sermonis* nomine appellarit, ſed cur ille ſermo æternus & unigenitus Dei Filius factus ſit caro & inter nos habitarit, quod jam dixerat com 14.

Iſtud autem quod diximus] Dum modò *metaphoricam* modo *metonymicam* dicendi figuram hîc commiſcuntur adverſarii, primò ſuam demonſtrant *ἀκαταςασίαν*, deinde neutro modo quicquam dicunt de Chriſto, quod ſimiliter in Moſem & gregarium quemlibet Prophetam quadrare non poſſit. Si Chriſtus *ſermo* dicatur *per metaphoram hanc, ut quemadmodum quoties mentis noſtræ cogitata alteri aperire cupimus, ſermone utimur ita Deus per Chriſtum ejusque Diſciplinam voluntatis ſuæ myſterium explicare nobis voluerit*; cur non pari modo vel Moſes, vel Eſaias, vel Paulus, dicetur ὁ λόγος, cùm etiam per eorum quemlibet voluntatis divinæ myſteria fuerint ſuo tempore explicata? Si item Chriſtus ita nuncupetur, *per metonymiam hoc pacto, ut verbum ſive ſermonem pro ſermonis ſeu verbi præcone poni intelligamus*, nullus eſt gregarius Euangelij præco, qui inde ὁ λόγος & *Sermo* dici non debeat: Quod ſi dicas illi metonymiæ fore locum tantum in eo qui fuerit *præco atque autor* verbi, parum dixeris: Cùm nec juxta doctrinæ Socinianæ dogmata Chriſtus ſit Euangelij *autor*, ſed tantum miniſter & præco; nec illa *autoritas* quicquam faciat ad hanc metonymiam: Nam eadem metonymiâ potuiſſet Paulus à Lyſtrenſibus appellari λόγος, quâ credebatur Mercurius quoniam præibat in ſermone vel in loquendo Act: xiv, 12 Quare ſupereſt, ut aliquid multo ſublimius & auguſtius ſonet hoc nomen Chriſto tributum, per eam metaphoram per quam in hominibus ſermo mentalis ſive ratio ex mente progignitur, & ipſorum hominum ſapientiam ſonat; quod jam ante monuimus, plurimis Veterum obſervatum fuiſſe: Nec alio ſenſu poſſet intelligi quomodo ὁ λόγος fuerit in principio apud Deum, & Deus ipſe, & quomodo Deus Pater per ipſum omnia condiderit tanquam per æternam & perſonalem ſuam Sapientiam, quæ etiam dicitur apud Deum fuiſſe in principio & ante primordia terræ Prov: viii, 22. 30. Nec dubium quin hic Proverbiorum locus illi Joannis primordio benè explicando applicari debeat.

In quam ſententiam] Illa elogia quæ ſibi tribuit Chriſtus Joh: xiv, 6. xi, 25. etiam amplius quid ſonant quam merum præconium, vel quod *iſtorum omnium dux* ſit. Nam aliàs eo nos ducunt ipſi Paſtores noſtri & Præcones Euangelij, qui inde ἡγούμενοι appellantur in Scripturis; nemo tamen eorum poterit dici via, veritas

Digitized by Google

veritas, vita, reſurrectio, quo ſenſu ſe Chriſtus iſta eſſe profitetur. Et cùm fatente adverſario iſtorum omnium Chriſtus ſit non *dux* tantum ſed etiam *autor*, eo ipſo ejus ſummam divinitatem debet confiteri: Nam talis via eſt, ut juxta Auguſtinum queat dicere, *Non eſt quò eas niſi ad me, non eſt quà eas niſi per me*; Nequit etiam eſſe author veræ viæ ad vitam & reſurrectionem quin ſit ipſiſſima & prima veritas, fons vitæ inexhauſtus, in cujus lumine videbimus lumen. Quominus tamen per has loquutiones queat explicari illud Chriſti elogium, quo ſtatuitur ὁ λόγος, ne ſit metonymia effectus, id etiam poſſit obſtare, quod dicatur ὁ λόγος in genere maſculino, adeoque tali nomine quod ipſius perſonæ propriè conveniat, ſed dicitur ἡ ὁδὸς, ἡ ἀλήθεια, ἡ ζωὴ, ἡ ἀνάστασις, in fœminino genere, adeoque ejuſmodi nominibus, quæ nonniſi ſub quodam tropo ei conveniant.

Quod autem Paulus (*Phil*: 2, 5. *& ſeq.*) in Dei forma Chriſtum fuiſſe dicit, ſimiliter nequaquam convincit, illum Patri eâdem naturâ eſſentiâque conjunctum eſſe. Formam enim Dei ejuſdem naturam minimè deſignare hinc perſpicitur, quòd Paulus apertiſſimé de homine Chriſto Ieſu verba facit, ut non ſolùm ex ipſo Ieſu Chriſtique nomine, verùm etiam ex attributis, quæ in illum altiſſimum Deum cadere non poſſunt, perſpicuum eſt. Nam & Ieſu nomen hominis eſt proprium, & Chriſtus unctum deſignat, quorum neutrum Deo altiſſimo congruit. Attributa autem illa ſunt, ſeipſum exinanire, atque humiliare, obedientem ſe Deo præſtare, & quidem uſque ad mortem, à Deo extolli, & præmio donari: quæ quidem in Deum altiſſimum, immutabilem, ac immortalem, minimè convenire, quis non intelligat?

† *Quod autem Paulus*] Eſt quoque hic locus Phil: 11,5.6.7. valdè expreſſius ad hanc rem: Nam cùm forma det eſſe rei, ut loquuntur in Scholis, nequit forma Dei ei convenire qui *naturâ eſſentiâque* Deus non ſit. Etenim forma hîc intelligitur eſſentialis, quia 1. nulla datur forma Dei accidentalis & δοξαστικὴ, tum quod nihil ſit in Deo quod non ſit Deus, tum quod non Chriſti ſed Antichriſti ſit ſibi formam Dei δοξαστικὴν vindicare. 2. Eodem ſenſu debet convenire Chriſto μορφὴ θεοῦ, quo illi tribuitur ab Apoſtolo μορφὴ δούλου, item ὁμοίωμα & σχῆμα hominis: At hæc ei conveniunt non apparenter tantum aut accidentaliter, ſed eſſentialiter & revera. 3. Loquitur Apoſtolus de eo quod conveniebat Chriſto priuſquam ſeipſum exinaniviſſet & humiliaſſet aſſumptâ formâ ſervi & carne humanâ; id verò nihil aliud potuit eſſe quam natura & eſſentia Divina ipſi communis cum Patre & Spiritu Sancto. 4. Niſi forma Dei eſſentialis intelligatur, nequiret dici de Chriſto illius participe, quod rapinam non duxerit eſſe ſe æqualem Deo: Ita ſanè Scholiaſtes Græcus apud Zanchium: ὥσπερ ἡ μορφὴ δούλου φύσις δούλου, οὕτω καὶ μορφὴ θεοῦ φύσις θεοῦ: item οὐ γὰρ ᾔδει καθ' ἁρπαγμὸν ἔχον τὸ εἶναι ἴσον τῷ πατρὶ, ἀλλὰ κατὰ φυσικὸν ἀξίωμα. Sed expendamus diſtinctiùs quid huic luci objicit hæreticus, ut colligat hinc *nequaquam* ſequi Chriſtum *Patri eâdem naturâ eſſentiâque conjunctum eſſe*.

Formam enim Dei ejuſdem] Hæc ratio nullius eſt ponderis: Nam ſic de *Chriſto Ieſu verba facit* Apoſtolus, ut exprimat quis

quis & qualis jam fuerit, priuſquam homo fieret & formâ ſervi aſſumeret: Erat nempe in forma Dei, nec rapinam ducebat æqualẽ eſſe Deo, cùm ſemetipſum exinanivit aſſumptâ formâ ſervi; planè quomodo idem Apoſtolus 2. Cor: VIII, 9. dicit Chriſtum eundem propter non factum egenũ cùm dives eſſet. Non igitur loquitur Paulus de mero homine, ſed de eo cui convenit eſſe θεανθρώπῳ, & qui Deus cum eſſet, factus eſt homo, ut paſſim docet Scriptura Joh: I, 14 I. Tim: III, 16.

Nam & Ieſu nomen] Imò nomen *Ieſu* in propria ſua ſignificatione nequit eſſe meri hominis, ſed ſolius Immanuelis noſtri, qui ſervat ſuum populum à peccatis eorum Matt: I, 20. 21. Quin tantum abeſt ut nomen Jeſu *in altiſſimum Deum* cadere nequeat, ut è contrario nemini propriè conveniat quam ei qui Deus ſit altiſſimus: prout ſæpiſſimè in Scripturis Salus noſtra, & nos ſalvandi ius & poteſtas, uni & ſoli Deo aſſeritur. Nihil etiam obſtat quominus Deus ſit altiſſimus cum Patre, qui tamen illius *Chriſtus* & *unctus* appelletur. Locus eſt ad hanc rem expreſſior quam qui negari queat Pſal: XLV, 8. Heb: I, 9. ubi Deus unctus à Deo ungente, ideſt Filius à Patre, expreſſiſſimè ac conceptis verbis diſtinguitur; ut abſurdè neget hæreticus in Deum cadere unctionem ex qua unctus & Chriſtus appelletur.

Attributa autem illa ſunt] Equidem hæc *attributa* nequirent convenire Chriſto, ſi nihil aliud eſſet quam Deus; Sed illi conveniunt quatenus aſſumpſit naturam humanam & formam ſervi ac potiſſimum illius reſpectu; Seipſum ergo *exinanivit* cùm eſſet in forma Dei, non per ſubjectivam ſuæ divinitatis immutationem, ſed per illius quandam occultationem ſub velo carnis noſtræ, & hujus aſſumptionem in unitatem perſonæ, in qua obediens factus eſt Patri uſque ad mortem crucis. Ita Codrus cùm rex eſſet Athenienſium, *morti* ſe oblaturus *pro ſalute Patriæ, permutato regis habitu, pannoſus, ſarmenta collo gerens caſtra hoſtium ingreſſus eſt,* teſte Juſtino *lib.* 2. §. 6. neque tamen ſub habitu illo pannoſo deſinebat rex eſſe ac regiæ majeſtatis charactere inſignitus. Nec dubium quin illius exinanitionis Chriſti præludia quædam fuerint omnes illæ Dei apparitiones ſub humana forma quæ leguntur in Veteri Teſtamento; adeo novum non eſt Deum *humana* luſtrare *ſub imagine terras,* ut de ſuo Jove loquitur Ovidius *Metam.* 7. qui nec abſimilem exinanitionem ejus deſcribit *lib.* 8.

Iuppiter huc ſpecie mortalis, cumque parente
Venit Atlantiades poſitis caducifer alis.
Mille domos adière locum requiemque petentes;
Mille domos clauſère feræ.

Quæ à me referuntur non quo lucem Euangelio fœnerem ex fabulis Ethnicorum, ſed tantum quo demonſtrem, nequidem apud ipſos Gentiles talem œconomicam Filij Dei exinanitionem, qualem deſcribit Apoſtolus in aſſumptione noſtræ naturæ, aliquid delibaturam de immortalitate & immutabilitate Divinitatis ſuæ: Ut nemo ſanæ mentis *non intelligat* facillimè, hæc omnia *attributa* Paulo commemorata, etiam *in Deum altiſſimum, immutabilem ac immortalem convenire,* ſuppoſitâ illius incarnatione, & naturæ humanæ in eandem hypoſtaſim, ac formæ ſervi aſſumptione, quam ita graphicè deſcribit Apoſtolus.

Quid? quod illa ipſa, quæ naturæ divinæ in Chriſto exiſtentis argumentum continere creduntur, nempe in Dei forma, Deoque æqualem eſſe, idque rapinam minime ducere, iſtam de divina Chriſti natura, eademque cum patre eſſentiâ opinionem planè evertant. Quomodo enim, qui Deus ipſe eſt, in

Dei

Digitized by Google

Dei formâ eique æqualis eſſe, rectè dici poteſt? aut quo pacto, quemadmodum raptores facere ſolent, ſummus ille Deus, eſſentiam ſuam mordicus minimè tenuiſſe dicetur? Illud enim verbis iſtis, *Non rapinam arbitratus eſt* ſignificari, facilè animadvertet is, qui conſideraverit, ea de Chriſto ideò hîc uſurpare Paulum, quòd formam æqualitatemque Dei depoſuerat. quod ſimiliter in altiſſimum illum Deum cadere nequaquam poteſt.

‡ *Quid? quod illa ipſa*] Certè Volkelius bonus fuerit Dialecticus, ſi hoc ipſum argumentum, quod luce meridiana clarius comprobat æternam Divinitatem Filij, in Orthodoxorum crura retorquere queat. Sed id præſtabit ad Kalendas Græcas.

Quomodo enim qui] Imò quomodo poſſit fuiſſe *in forma Dei* nec rapinam duxiſſe ſe *æqualem* Deo profiteri, qui naturâ & eſſentiâ Deus non ſit? Facilè autem poſſumus concipere *quomodo* qui naturâ & eſſentiâ *Deus ipſe eſt* & ſic *in Dei forma*, οὐσιωδῶς loquendo, *æqualis* ſtatuatur Deo Patri, ſive Deo ὑποστατικῶς ſic dicto, quod ejuſdem numero naturæ & formæ divinæ cum ipſo particeps & conſors ſit.

Aut quo pacto, quemadmodum] Proverbialis eſt loquutio Syris uſurpata, ut notat Heinſius ad hunc locum, quâ ſignificatur propriam fuiſſe Chriſto naturam Divinam. & jure meritò ſe Patri æqualem profeſſum fuiſſe: nam ſic vulgò dicimus ea quæ propriè & optimo jure noſtra ſunt, furtiva non eſſe: Imò Euripides, θεὸς μισεῖ βίαν. τὰ κτητὰ δὲ κτᾶσθαι κελεύει πάντας, οὐκ εἰς ἁρπαγὴν: *Deus odit vim, & ſua quemque poſſidere jubet. non rapto tenere*, ideſt *non ut aliena*. Chriſtus ſanè à Judæis rapinæ & ſacrilegii accuſabatur, quod homo cùm eſſet ſe ipſum Deum faceret Joh: x, 33. & quod Deum ſuum proprium Patrem ſtatuendo, ſe ipſum *æqualem* Deo profiteretur Joh: v, 18. Id verò legitimè & jure à Chriſto factum, οὐ κατ' ἁρπαγμὸν, inſinuat Apoſtolus. Fallitur autem hæreticus, dum quærit *quo pacto, quemadmodum raptores facere ſolent, ſummus ille Deus eſſentiam ſuam mordicùs minimè tenuiſſe dicetur*? Nec enim mens Apoſtoli eſt tribuere Chriſto quod voluerit mordicùs retinere ſuam cum Patre æqualitatem, ut ſolent raptores ea quæ eripuerunt aliis; cùm è contrario mordicùs & conſtanter Chriſtus eo ipſo ſuam cum Deo æqualitatem retinuerit, quod ſemper ſe Dei Filium unigenitum & proprium, ipſum verò Deum ſuum proprium Patrem eſſe aſſeruerit; Sed Paulus id ſibi tantum vult quod modò dixi, Chriſtum optimo & ſummo jure non injuriâ & per rapinam, divinam ſibi naturam & æqualitatem cum Deo Patre vindicaſſe: Et purum putum eſt febricitantis ſomnium, quod nugatur Volkelius hæc verba, *Non rapinam arbitratus eſt, de Chriſto ideo hîc uſurpare Paulum quod formam æqualitatemque Dei depoſuerat*; Nam primò agit Apoſtolus de ea forma & æqualitate Dei quæ Chriſto conveniebat priuſquam exinaniretur acceptâ fòrmâ ſervi, ideſt aſſumptâ naturâ humanâ, in qua factus eſt ſub lege, ut idem loquitur Gal: iv, 4. Deinde Chriſtum depoſuiſſe formam illam & æqualitatem Dei, nuſquam dicit Scriptura; Licet enim eam non ſemper exeruerit, nunquam tamen illam depoſuit; ut Sol non eſt cenſendus deponere ſuos radios, etſi interdum tempore ſuæ cum Luna conjunctionis eos non transmittat ad hæc inferiora & ecclypſim pati videatur.

Conſequens igitur eſt, Dei formam, non Dei natram, ſed ſpeciem ſignificare

ficare: id quod ex oppoſita quoque forma ſervi luculentiſſimè patet, quæ nequaquam ſervi ſignificat naturam, ſed ſpeciem, ſive ſervilis conditionis ſimilitudinem. Ut enim ſervus in abjectiſſima vitæ ratione conſtitutus, contemptui omnique injuriarum generi ita ſubjectus eſt, ut ne verbo quidem eas ulciſci audeat: ita Chriſtus, cùm mors ipſius inſtaret, ab omnibus deſpici, calumniis onerari, injuriis affici, vinciri, flagellis turpiſſimè verberari, ac denique ignominioſæ cruci affigi ſuſtinuit. Quid, quæſo, eſt formam ſervi ſumere, ſi hoc non eſt? Hoc ergo idem è contrario de Dei forma exiſtimandum eſt. Dei enim eſt, tempeſtatibus, morbis, morti, dæmonibus ita imperare, ut nutui ejus ſine mora parere cogantur; Dei eſt ab hominibus religioſè coli atque adorari; Dei eſt in rebus omnes hominum vires longè ſuperantibus invocari. Unde efficitur, Chriſtum meritò in Dei forma, Deoque 437.
æqualem fuiſſe a Paulo dici, quòd tanta ab ipſo poteſtate in omnes res cœlo ſubjectas donatus erat, ut mari, ventis, morbis, morti denique ſumma cum potentia imperaret, ideòque a plurimis divino honoris atque invocationis cultu afficeretur: quia videlicet ſumma hac autoritate atque potentiâ, quam in ſe perpetuò manentem, cum aliis quoque communicare poterat, ſignisque mirandis, Deum tanquam vera illius effigies referebat.

‡ *Conſequens igitur eſt*] Certè qui *ſpeciem* Dei præ ſe fert, cùm ejus *naturam* non habeat, fallit & mendax eſt: prout *Fallit nos vitium virtutis ſpecie & umbrâ*; ac damnantur Paulo 2. Tim: III, 5. qui habent quidem *ſpeciem pietatis*, ſed vim & efficaciam ejus abnegant: Imò nullus dabitur locus Scripturæ in quo μορφὴ uſurpetur de ſpecie externa, ut rei naturæ & veritati opponitur; quamvis non negem apud Helleniſtas, uti loquuntur, ſumi interdum pro forma accidentaria & externa, ſive pro facie & vultu ipſius hominis, ut Dan: IV, 33. V, 6. 9. 10. & VII, 28. quibus occurrit vox זיו *Ziu*, quæ ſplendorem & alacritatem vultus ac faciei propriè ſignificat; unde menſis Aprilis זו *Zif* dicitur quod *ſit in eo* זיוא לאילנים *Ziva leilanim, ſplendor arboribus*. Et cùm vox illa ſæpiùs recurrat apud Danielem, non tamen ſemper à Græcis redditur μορφὴ, ſed aliquando ὅρασις ut Dan: II, 31. Ita apud eoſdem interpretes Job: IV, 16. μορφὴ reſpondet Hebraico מראה *Mareeh* quod à ראה *Raha, vidit, aſpexit, vultum* & *aſpectum* ſignificat, proprium utique & nativum rei quæ videtur & aſpicitur; Quin Eſ: XLIV, 13. apud eoſdem vox μορφὴ adhibetur ad ſignificandum Hebraicum תבנית *tabbenith*, quod ſæpiùs reddunt per τυπὸν & παράδειγμα, ideſt exemplar, ad cujus ſimilitudinem & ideam aliquid conſtruitur: Et apud authorem Sapientiæ XVIII, 1. pro ipſis perſonis uſurpatur; *Sanctis tuis maxima erat lux* ὧν φωνὴν μὲν ἀκούοντες μορφὴν δὲ οὐκ ὁρῶντες &c. ubi videtur loqui de Iſraelitis audientibus voces & ejulatus Ægyptiorum Cimmeriis tenebris involutorum, quamvis per denſam illam caliginem eos non viderent: Sed mallent Sociniani omnia Lexica evertere & nova Onomaſtica condere, quam ſuum virus in æternam Divinitatem Chriſti non evomere.

Id quod ex oppoſita quoque] At verò Chriſtus ſervi aſſumpſit & habuit realitatem

tem & veritatem, non laruam tantum & ſpeciem, ut inde potius noſtrum adſtruatur argumentum. Hinc licet naturâ Filius, ac ſic ceu totius domus dominus diſtinguendus à Moſe, qui fidelis fuit in domo famulus & ſervus Heb: III, 5. 6. tamen ſæpè *Servus* appellatur, ut nominatim Eſ: LIII, 11. Nec dubium quin illam formam realem adeoque & veram conditionem ſervi aſſumpſerit, cùm fuit factus ex muliere & factus ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret Gal: IV, 4. Tunc enim licet Divinitate ſuâ omnibus Angelis ſublimior & ab ipſis adorandus Heb: I, 6. 7. factus eſt paullò minor Angelis propter paſſionem mortis Heb: II, 9. & conſtitutus *ſervus pœnæ*, ut Jura loquuntur, pro nobis: unde etiam ſervile ſupplicium crucis ſuſtinere voluit. Serviles itaque injurias & contumelias hîc enotatas, *cùm mors ipſius inſtaret* ſuſtinere debuit, quia revera aſſumendo naturam humanam, *in ſimilitudinem hominum factus*, non apparenter utique & δοξαςικῶς, ſed realiter & φυσικῶς, & σχήματι ἑυρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, ideſt *figurâ* vel *habitu inventus ut homo*, ut loquitur Apoſtolus, eo ipſo μορφὴν δούλου acceperat, & quicquid ad ſervilem conditionem, de facto pertinebat; prout profitetur ſe veniſſe in mundum ſerviendi & miniſtrandi animo, & animam ſuam dandi λύτρον ἀντὶ πολλῶν, redemptionis pretium pro multis Matt: XX, 28. Ideo plerique eruditi locum Pſal: XL, 7. de aure Chriſti perforata, quem Paulus interpretatur Heb: X. 5. de corpore ipſi adaptato, putant continere metaphoram deſumptam ab eo quod Lege Moſaicâ ſanciebatur Exod: XXI, 6. de ſervo permanſuro in heri ſui poteſtate, cui ſubulâ auris perforabatur ad poſtem vel limen domus, ut ſic quaſi in perpetuum illarum ædium ſervitio manciparetur.

Hoc ergo idem è contrario] Ita eſt: Ut verè & propriè dictam conditionem & nativam ac eſſentialem formam ſervi aſſumpſit cùm factus eſt homo, ſic eſſentialem & nativam Dei formam eum habuiſſe, hæc ipſa opera, & hic ipſe cultus, ſoli ſummo Deo debitus, ſatis evincunt: Nam veri Dei eſt, non ullius ſimulachri inanem ſpeciem Divinam mentientis & præ ſe falſò ferentis, *tempeſtatibus, morbis, morti, dæmonibus, ita imperare, ut nutui ejus ſine mora parere cogantur*; Solius ſummi & veri Dei eſt, nullius meræ creaturæ, *ab hominibus religioſè coli atque adorari*; & *in rebus omnes hominum*, imò omnium Creaturarum, *vires longè ſuperantibus invocari.* Quæ omnia, cùm Chriſto Servatori conveniſſe agnoſcat Volkelius, eo ipſo formam Dei naturalem & eſſentialem ipſi concedere tenetur.

Unde efficitur Chriſtum] Nequivit ſanè Chriſtus *tantâ poteſtate* pollens, non tantum *in omnes res cœlo ſubjectas*, ſed etiam in omnes & omnia, eo ſolum excepto qui illi ea ſubjecit, & propter eam *Divino honoris atque invocationis cultu* afficiendus, illius *ſummæ* autoritatis ac potentiæ reſpectu, quæ *mirandis ſignis* ſe prodebat, *vera* Dei Patris *effigies* fuiſſe, quin eo ipſo ejuſdem formæ eſſentialis ſive ejuſdem naturæ & eſſentiæ cum illo fuerit. Quod verò addit hæreticus Chriſtum ſummam illam authoritatem ac potentiam, *in ſe perpetuo manentem cum aliis quoque communicare* potuiſſe, non eſt ſimpliciter verum: Nam aliis quidem indulſit ut in ſuo nomine & per ſuam virtutem ſe in illis exerentem patrarent miracula, verum ſemper negarunt eam autoritatem & potentiam eſſe ſuam, ſed illam uni Chriſto aſſerendam docuerunt; quò facit locus eximius Act: III, 12. 16. ubi Petrus & Johannes negant ſanatum claudum *propriâ* ſuâ *poteſtate aut pietate*, & aſſerunt id omne factum *per fidem in nomine* Chriſti; prout ei dixerat Petrus com. 6. *In nomine Ieſu Nazaræi ſurge & ambula.* Nemo ſanus dixerit Deum ſummã ſuam autoritatem atque potentiam, nulli

Digitized by Google

Creaturæ revera communicabilem, cum Moſe communicaſſe, eo quod aliquid illius, miniſterio Moſis exercere & exercere voluerit.

Hic verò dicent, nequaquam per ſervi formam, ſervi conditionem, ſed naturam potiùs intelligendam eſſe: cùm Paulus ſeipſum explicans mox ſubjungat, hunc Dei filium in ſimilitudinem hominum factum, habituque fuiſſe inventum, ut homo; indeque conſequens eſſe, ut è contrario nec Dei conditionem ſive ſpeciem, ſed naturam, ejusdem formâ ſignificari credendum ſit: His igitur reſponſum volumus, verba iſta nequaquam ſuperiorum explicationem continere, ſed rem aliam formæ Dei oppoſitam declarare; ut appareat, Chriſtum non ſolùm ita Dei formam depoſuiſſe, ut formam ſervi aſſumeret; ſed eo quoque habitu inventum fuiſſe, ut nihil ab aliis vulgaribus hominibus ſejunctum habere videretur. Nec enim eſt, quod *hominis* vocabulo ſimpliciter poſito conturbemur: cum eo ſenſu id in ſcripturis uſurpari ſolere, argumento ſint illa Samſonis verba, (*Iud: 16, 7. 11.*) quibus ſe dicit fururum, ut unus homo, ſeu unus hominum. Et illa, (*Pſal: 82, 7.*) quibus Aſaph eos, quos altiſſimi filios nominaverat, morituros ait, ut homines, id eſt, haudaliter, ac alii vulgares homines. Hinc colligitur, fruſtra adverſarios in voce μορφὴ philoſophari, affirmantes, non exteriorem formam, ſed naturam atque eſſentiam eâ ſignificari: cum nec fieri id hoc loco poſſe jam demonſtraverimus; nec ullo ſcripturæ teſtimonio iſta interpretatio comprobari queat. In uno enim tantùm fortaſſe, prӕter præſentem, loco, videlicet apud Marcum, (*Mar: 16. 12.*) μορφῆς ſeu formæ vocabulum reperitur, ubi Dominus Ieſus in alia forma apparuiſse legitur. id quod de alia eſsentia accipiendum eſſe nemo ſanus dixerit.

‡ *Hic verò dicent*] Certè in hac objectione, quam ſibi pro lubitu fingit adverſarius, conditio ſervi vel Dei, naturæ vel ſervi vel Dei non benè opponitur; Nam cui de facto convenit conditio ſervi, ille habet naturam & eſſentiam ſervi; ut neceſſe eſt illum eſſe naturâ Deum, qui conditione Deus ſit, & oportet eum eſſe formaliter Conſulem, qui conditionem Conſulis verè nec injuriâ ſuſtineat: Sed argumentum Orthodoxorum eò redit, quod eodẽ ſenſu debeat convenire Chriſto ab una parte forma Dei, quo illi convenit ab altera forma ſervi; atqui hæc illi convenit eſſentialiter per humanitatem quam aſſumpſit; Ac ſicut hominis ὁμοίωμα & σχῆμα quod illi tribuit Apoſtolus explicaturus μορφὴν δούλου, non ſpeciem duntaxat externam humanitatis denotat, ſed intimam illius eſſentiam, ita forma Dei cui illa opponitur debet denotare, non larvam duntaxat & accidentariam ſpeciem Divinitatis, ſed intimam ejus eſſentiam & naturam.

His igitur reſponſum] Imò verò Paulus oſtendit quomodo & quando aſſumpſerit Chriſtus formam ſervi, videlicet cum *ſimilis hominibus factus eſt & habitu inventus ut homo, ipſe ſe ſubmiſit & factus eſt obediens uſque ad mortem.* Ante incarnationem quidem ſimpliciter Filius erat, nec rapinam ducebat parem eſſe ſuo Patri; at factus ex muliere, eo ipſo factus eſt ſub lege, & ſummæ illi obedientia

Digitized by Google

dientiæ obſtrictus ut nos à Legis maledictione liberaret. Abſurdè verò reſtringas in Chriſto hoc hominis σχῆμα, illud hominum ὁμοίωμα, ad vulgares homines, à quibus nihil diſcrepare viſus ſit tempore ſuæ paſſionis; Nam & in ipſa ejus morte multa evenerunt quæ eum ſupra non vulgares tantum ſed omnes omninò homines ſic apertè collocabant, ut illis obſervatis Centurio ipſe diceret *Verè Filius Dei erat iſte* Matt: XXVII, 24. Nec aliud ſonant hæc verba, eum qui cæteroquin rapinam non ducebat parem eſſe Deo ſimilem hominibus fieri, & habitu inveniri ut hominem, quam quod dicitur Joh: I, 14. Verbum carnem factum, I. Tim: III, 16. Deum manifeſtatum in carne, Heb: II, 14. participem fieri carnis & ſanguinis, Rom: I, 4. factum eſſe ex ſemine Davidis ſecundum carnem &c. Quæ omnia non inferunt meram Chriſti convenientiam quoad ſtatum externum cum *aliis Vulgaribus hominibus*, ſed identitatem ſpecificam naturæ humanæ cum omnibus. Nec favent interpretationi Volkelianæ loca quę profert ex Jud: XVI, 7. 11. & Pſal: LXXXII, 7. Nam utroque hoc loco conferuntur hominum quidam cum aliis hominibus, ſed homines qualificati cum diſqualificatis, quibus ſuâ qualitate ſpoliati tandem æquantur; Verbi gratiâ Samſon robore extraordinario præditus, ſe confert cum reliquis eo deſtitutis, quibus ſimilis ſit evaſurus ſi hoc vel illud ſibi fiat per quod ſpeciali illâ excidat qualitate; & Principes ac Reges præditi majeſtate & gloriâ inſigni præ vulgo & ſuis ſubditis, dicuntur ſimiles cæteris evaſuri per mortem, quæ illos ſuâ majeſtate ſpoliat, æquat ſervos dominis, & æquo pulſat pede regum turres & pauperum tabernas. At apud Paulum non confertur merus homo cum cæteris hominibus quibus tandem cœperit æquari depoſitâ & perditâ aliquâ humanâ qualitate per quam antea ab illis diſcrepabat; ſed confertur Deus verus cum hominibus, qui illis cœperit æquari, non abjectâ & amiſſâ Divinitate quam priùs habebat, ſed aſſumptâ humanitate & ſervi formâ quam ante non habebat.

Hinc colligitur fruſtra] Nos è contrario antea demonſtravimus, vocem hanc non debere hîc ſumi de forma accidentaria & exteriori, ſed interna & eſſentiali; maximè cùm nulla detur forma Dei exterior, niſi fallax & mendax, ubi natura & eſſentia Dei non fuerit. Nec ſi vocabulum μορφῆς Mar: XVI, 12. non denotat aliam formam quæ ſubjectivè ineſſet Chriſto, ſed tantum eam quam putabant Diſcipuli ei ineſſe, quòd oculi eorum retinerentur ne ipſum cognoſcerent Luc: XXIV, 16. inde ſequitur μορφὴν vel θεοῦ vel δούλου illi conveniſſe duntaxat δοξαστικῶς ex hominum opinione, non οὐσιωδῶς & ex rei veritate. Ac ſicut quando Chriſtus μετεμορφώθη coram ſuis Diſcipulis Marc: IX, I. novam μορφὴν induit, ſibi revera ſubjectivè inhærentem, licet cæteroquin accidentariam & externam; & quando tribuitur Judæo μόρφωσις τῆς γνώσεως Rom: II, 20. intelligitur cognitionis illius veritas & eſſentia; & ubi dicitur Chriſtus μορφοῦσθαι in nobis Gal: IV, 19. intelligitur vera & eſſentialis noſtri conformatio cum Chriſto; ita ſanè in loco eo de quo hactenus diſceptavimus, neceſſe eſt vocabulum μορφῆς rei veritatem & eſſentiam, non fallacem tantum illius ſpeciem & apparentiam denotare.

Ex Divinitate quoque corporaliter in Chriſto habitante, (*Col: 2, 9.*) coëſſentialitatem hanc concludi minimè poſſe, inde perſpicitur, quòd Divinitatis nomine, nec Dei, nec Chriſti natura, ſed divinæ voluntatis notitia, Deique

Digitized by Google

quœ colendi ratio intelligi poteſt, atque adeò debet. Quam quidem plenitudinis vocabulo amplificare, & corporaliter Chriſto, id eſt, ipſius doctrinæ ineſſe, ideò aſſerere voluit Paulus, ut divinæ veritatis cognitionem perfectam, ſolidam, nullaque ex parte adumbratam, ut in Lege fiebat, Chriſti inſtitutis contineri intelligeremus. Id quod ſatis oſtendit, Divinitatis nomine, eſſentiam ipſius Dei altiſſimi intelligi nequaquam debere. 438.

‡ *Ex Divinitate quoque corporaliter*] Hic etiam locus Col:II,9. ubi dicitur quod in Chriſto inhabitet *omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, valde urit adverſarios: Nam ſive τὸ σωματικῶς reddamus *perſonaliter*, ut ſæpè apud Græcos & Juriſriſconſultos, σώματα ſive *corpora* ſignificant *perſonas*, ſive reddamus illud *corporaliter*, prout corpus umbræ opponitur etiam ipſi Paulo Col: II, 17. res ferè eodem redibit: Nam is non poteſt non eſſe Deus Patri conſubſtantialis in quo omnis plenitudo Deitatis perſonaliter habitat; quo reſpectu viſo Filio Pater ipſe videtur, eò quod propter iſtam omnem plenitudinem Deitatis in ipſo habitantem, Pater tam ſit in Filio quam Filius in Patre: Nequit etiam non eſſe naturâ ac eſſentiâ verus Deus is in quo habitat omnis plenitudo Deitatis verè & realiter, non tantum umbraticè & typicè, ut quondam in Tabernaculo & Templo, quorum utrumque cum conſecraretur, Dei gloria in denſa nube replevit, & de quorum utroque dixerat Dominus ſe iſthic habitaturum; unde tam ſæpè utrumque appellatur Templum, Tabernaculum, Domus, Habitaculum Jehovæ: Imò ſymbolica & typica Dei præſentia in Propitiatorio שכינה *ſchekinah* ideſt *habitatio* vulgò à Judæis appellatur; quò alluſiſſe videtur Johannes cùm agens de Incarnatione Chriſti, ita loquitur; *Et verbum caro factum eſt* καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, *& habitavit inter nos* Joh:1,14. quaſi ad τὸ שכינה *ſchekinah* Hebræorum vellet alludere per verbum Græcum σκηνόω, quod eſt revera ejuſdem originis; Hoc enim ſuum Græcos ab Hebræorum שכן *Schakan*, *habitavit*, mutuatos eſſe extra dubium mihi videtur. Adde quod cum θειότης *divinitas*, quâ voce utitur Paulus Rom:1,20. poſſit magis attributa quam naturam ipſam divinam ſignificare, vox θεότης quæ extat Col:II,9. non poteſt aliud denotare quam deitatem ipſam: prout ea θεόθεν evenire dicuntur, quæ immediatè aut modo planè extraordinario à Deo ipſo provenire ſtatuuntur. Imò *omnis plenitudo deitatis* tribuitur Chriſto σωματικῶς, ut ſic diſtinguatur à ſanctis hominibus, quos Deus per Spiritum ſuum ſolet inhabitare pro menſura doni ſui, ſic ut nulli eorum hoc πᾶν πλήρωμα queat convenire. Audiamus tamen quibus ratiunculis ſtudent Sociniani hanc evidentem veritatem impugnare.

Inde perſpicitur quod] Frivolum hoc eſt argumentum, cùm nullo ſimili loco poſſint oſtendere deitatem aut divinitatem, de *divinæ voluntatis notitia Deique colendi ratione* intelligi debere. Et ſanè cùm Apoſtoli omnes poſt ſibi plenè communicatum Spiritum Sanctum plenam habuerint voluntatis divinę notitiam, Deique colendi rationem perfectè propoſuerint, unde Paulus proteſtatur ſe nihil ſubterfugiſſe quominus annunciarit fidelibus *omne Dei conſilium* Act:xx,27. imò cùm ipſi Doctores Sociniani, qui volunt videri ſoli ſapere inter Chriſtianos, cæteris volitantibus ſicut umbræ, ſic ſatis præ ſe ferant accuratam voluntatis divinæ & rationis Deum colendi notitiam, nemo foret vel horum vel illorum de quo idem dici non poſſet

quod hoc loco de Chriſto Paulus uſurpavit, ſi hujus loci hæc interpretatio obtinere deberet.

Quam quidem plenitudinis] Abſurda abſurdis contegit iſte homo ne perpluant. Nec enim Paulus vocabulo *plenitudinis* uſus eſt per amplificationem Rhetoricam, quæ ut plurimum hyperbolica eſſe ſolet, ſed per exegeſim neceſſariam, ut doceret ſic totum Deum in Chriſto inveniri, ut aliquid melius & præſtantius Deo quærere velit qui contentus non eſt ſolo Chriſto, quem qui habet habet unà Patrem. Tum etiam à ſtylo Scripturæ remotius eſt Chriſtum ſumi, pro ipſius doctrina; quod etſi aliquando fieret, ſaltem hoc loco nequiret obtinere; cùm nec *corporaliter* tota deitas ſtatui poſſit inhabitare alicui doctrinæ, nec deitas dici queat *inhabitare* doctrinam, ſed tantum perſonam: quomodo ſæpè in Scripturis dicitur Deus, Spiritus Dei, Verbum Dei inhabitare perſonas fidelium & ſanctorum; nunquam verò ſic inhabitari dicuntur eorum operationes vel dogmata. Quæ omnia ſatis oſtendunt *Divinitatis* ſive potius Deitatis *nomine* hoc loco nihil aliud quam *eſſentiam ipſius Dei altiſſimi intelligi debere*: ſiquidem tam abhorret ab uſu Scripturæ, ſenſu communi & recta ratione παρεξήγησις Adverſariorum.

Quid enim alioqui neceſſe fuiſſet *plenitudinis* iſtius Divinitatis, & quidem *omnis*, meminiſſe? quaſi verò ſuſpicari quiſpiam potuiſſet, eam in illo, in quo habitet, non plenam, vel non uſquequaque plenam eſſe. Chriſtum autem ſæpenumero, non Chriſti perſonam, aut naturam, ſed per metonymicam dicendi figuram, aliud quippiam, vel ad Chriſtum reſpiciens, vel ab illo profectum deſignare, ex illis locis perſpicuum eſt, ubi Chriſtus myſterium inter homines appellatur; (*Col:1.27.*) & ubi Chriſtum accepiſſe, (*Col:2.6.*) Chriſtum didiciſſe, (*Epheſ:4.20.*) Chriſtum induere debere, (*Rom: 13.14.*) aut eundem induiſſe, (*Gal:3.27.*) in Chriſto eſſe, (*2 Cor: 5.17.*) in Chriſto denique ambulare (*Col:1 6.*) dicimur. Hoc autem in loco divinitatis plenitudinem, Chriſto corporaliter inhærentem, non naturæ alicui, ſed Philoſophiæ, legalibusque inſtitutis, utpote umbratilibus opponi, manifeſtiſſimum eſt. (*conf.verſ.8,9,17*) Unde efficitur, id ejus nomine intelligendum eſſe, quod paulò antè diximus.

‡ *Quid enim alioqui*] Omnis plenitudinis ideo fit mentio à Paulo, ut diſtinguat Chriſtum à Prophetis & aliis viris ſanctis, qui pro menſura Dei doni participes fuerunt Spiritus Sancti, ſed non ita ut corporaliter in ipſis omnis Deitatis plenitudo inhabitaret: quo etiam ſenſu dicitur Pater non admetiri, ſive non dare ad menſuram, Spiritum Filio ſuo Joh: 111,34. cùm è contrario ſint in aliis diſtinctiones donorum, miniſteriorum, operationum, ità ut unicuique detur declaratio Spiritus ad utilitatem, & ille Spiritus ſua dona diſtribuat ſingulis ſicuti vult 1 Cor: x11, 7. 11.

Chriſtum autem ſæpenumero] Chriſtum ſæpè non Chriſtum ſignificare, licet ſit nomen perſonæ, ſed *aliud quippiam*, gratis fingit adverſarius, ſiquidem ad illius aſſertũ nullus facit locorum quos hic corraſit: Col: 1, 27 non tam de Chriſto dicitur quod ſit *myſterium*, quam quod ſit *divitiæ* glorioſi hujus myſterii inter gentes, quoniam qui eum poſſidet ditiſſimus cenſendus eſt; Sed etſi Chriſtus diceretur eſſe Myſterium illud, id de Chriſti perſona & beneficiis

Digitized by Google

& beneficiis ſemper eſſet intelligendum, quatenus myſterii Euangelici unicum & adæquatum objectum Chriſtus eſt. Chriſtus quoque eſt qui *accipitur* fide Col: II, 6. qui *diſcitur* cognoſcendus, credendus, colendus, imitandus Epheſ: IV, 20. qui fide *induitur* ut in nobis maneat & nos in ipſo Rom: XII, 14. Gal: III, 27. in quo ſive in cujus communione ſunt omnes fideles 2 Cor: v, 17. ut palmites in vite Joh: xv, 4 5. ita ut in illo quoque ambulare dicantur Col: II, 6. qui in ipſius intima communione, fide & obedientia perſeverant. Sed etſi largiremur adverſario aliquando Chriſti nomine intelligi vel corpus ipſius myſticum, ut 1 Cor: XII, 12. vel etiam ipſius aut fidem aut communionem aut doctrinam, nullis tamen argumentis poſſet demonſtrare non agi hoc loco Coloſſ: II, 9. de ipſius perſona, cujus excellentia in eo ſita ſit quod in illo habitet omnis plenitudo Deitatis corporaliter.

Hoc autem in loco] Inſulſa eſt hæc ratio. Chriſtus ille in quo habitat corporaliter omnis plenitudo Deitatis, non opponitur hoc loco *naturæ alicui*, ſed *Philoſophiæ legalibusque inſtitutis*; Ergo id ad perſonæ Chriſti deſcriptionem non pertinet quod omnem plenitudinem Deitatis corporaliter ſe inhabitantem habeat; Quaſi verò illius Chriſti qui talis ſit cognitio non ſit præferenda tum inani Philoſophiæ Gentilium, tum umbratilibus inſtitutis cultus Levitici; imò quaſi eodem cap. com. 17. non ipſa Chriſti perſona, ut Euangelio credenda & cognoſcenda proponitur, opponeretur ceu *corpus* & veritas omnium figurarum ipſiſmet umbris legalibus & Moſaicis, cùm dicit Apoſtolus; *Quæ ſunt umbra rerum futurarum*, *at corpus eſt Chriſti.*

Jam ut ad eas ſententias veniamus, quæ pluribus terminis arctam hanc Chriſti cum Deo conjunctionem exprimunt; animadvertendum, eas in duo genera diſtribui poſſe. vel enim propter quandam, ut loquuntur, ſubordinationem, quod uni horum evenit, alteri evenire affirmant; vel eaſdem res ab utroque poſſideri aſſerunt. Illud quidem tunc fit, cùm qui Chriſtum videt, agnoſcit, audit, illi fidem adjungit, divinum honorem cultumque adhibet, & contrà, qui eundem ſpernit ac contumaciter rejicit, tam hoc, quàm illud, Patri ipſius facere dicitur. De quibus ſigillatim ordineque videbimus.

‡ I*am ut ad eas ſententias*) Quantum ſit ponderis in his argumentis, & quam non tam facile queant eludi ab Adverſariis, ad ſingula ordine videbimus.

Primò igitur dicimus, Chriſto nunquam in mentem venire potuiſſe, aſſerere, (*Ioh: 14.7, 9, & 12.*) nos eum videndo cognoſcendoque, Dei Patris ipſius videre cognoſcereque eſſentiam. Hoc enim, ut fieri nullo pacto poteſt: cum id nequaquam in naturæ noſtræ imbecillitatem cadat, aperteque à divino ſpiritu inter ea numeretur, quæ humanam facultatem ſuperant: (*Ioh: 1. 18. 1 Tim: 6. 16.*) ita nunquam Chriſtum Patris ſui eſſentiam hominibus repræſentâſſe conſtat. Neque enim hæ illius erant partes, ut Patris nobis eſſentiam exprimeret: ſed ut ea, quæ ad illius percipiendam voluntatem atque conſilium, & porrò, quæ ad ſummam ejus ſapientiam, potentiam, atque bonitatem animo comprehendendam pertinebant, ante oculos noſtros conſtitueret.

Quæ

Quæ omnia Chriſti dictis factiſque contineri, ipſe apud Joannem luculentiſſimè docet. (*Ioh:14.10.*)

‡ *Primò igitur dicimus*] Audio quid dicas, ſed non quid probes: Quæritur quo ſenſu dixerit Chriſtus eum noſſe & videre Patrem qui ſe viderit & noverit, eo quod ipſe ſit in Patre & Pater in ſe Joh: XIV,7.8. 9. 10. II. Aſſerunt Orthodoxi id ſtare non poſſe niſi ſuppoſitâ conſubſtantialitate Filii cum Patre, per quam ipſe & Pater unum ſint Joh:X,30. prout intima debeat agnoſci conjunctio, ſimilitudo, convenientia inter duos, ſicubi uno ex illis viſo aut cognito, alter neceſſariò videri & cognoſci ſtatuatur. Fateor noluiſſe Chriſtum dicere, *nos eum videndo cognoſcendoque, Dei Patris ipſius videre cognoſcereque eſſentiam*; ut nemo dixerit quod viſo filio alicujus patri ſuo ſimillimo, illius videatur eſſentia; cùm nequidem illius ipſius qui videtur, eſſentia videatur; Sed voluit Chriſtus aſſerere, in ſe incarnato & θεανθρώπῳ tantum videri Patrem, quantum poteſt, eo quod (licet non reſpectu ejus quod videtur & incurrit in ſenſus,) ſit idem planè cum Patre eſſentiâ & naturâ; Adeoque ſe facto viſibili aſſumptione noſtræ naturæ per quam Deus eſt manifeſtatus in carne 1 Tim: III, 16. in ſe quoque ſuo modo Patrem, utut naturæ inviſibilis Joh: I, 18. 1 Tim: VI, 19. videndum & contemplandum exhiberi. Quare prout in perſona Chriſti, ſuo modo conſpicuus fiebat Pater, ex identitate numerica ejuſdem eſſentiæ divinæ, ſic in Chriſti doctrina & operibus, Patris voluntas, ſapientia, potentia, bonitas ideo elucebant, quod eadem numero ſapientiâ cum Patre homines edoceret, eadem ſummâ potentiâ tot opera miraculoſa patraret, eadem inmenſâ bonitate omnia ſua dirigeret ad ſalutem hominum. Hæc ſanè *omnia Chriſti dictis factiſque contineri* non potuiſſent, niſi ejuſdem eſſentiæ cum Patre fuiſſet: Cùm is in quem cadunt ſumma Patris ſapientia, bonitas, potentia, eo ipſo debeat eſſe ejuſdem cum illo eſſentiæ; quod hæc eſſentialia attributa ita convertantur cum eſſentia divina ut ab ea divelli ac ſeparari non poſſint.

Deinde nec illis ſanctæ ſcripturæ teſtimoniis eadem Chriſti cum Patre eſſentia comprobatur; quibus, qui Chriſtum audiunt, aut eum aſpernantur,
439. id illius Patri facere dicuntur: niſi eandem ob cauſam & Apoſtolos alioſque fideles Chriſto, & Iſraëlitas Deo, eſſentiæ unitate copulatos eſſe volumus. Ut enim, qui Apoſtolos ſpernit, qui Chriſti fidelibus beneficentiam denegat, qui contrà eoſdem audit & recipit, beneficiiſque afficit, ipſum aut contemnere, aut deſtituere, aut etiam complecti, officiiſque proſequi perhibetur: (*Matth. 10. 40. Luc: 10. 15. Ioh: 13. 20. Matth: 25. 40. 45.*) ita qui Iſraëliticam nationem tangit, ipſius oculi pupillum tangere dicitur: (*Zach:2.8.*) cùm tamen nulla neque hîc, neque illic, conſubſtantialitas cogitari poſſit: ſed potiùs ideò Deo Chriſtoque iſta accidere dicuntur, quia illis eveniant, qui vel eorum gerunt perſonam, vel amoris vinculo illis ſint conjuncti.

‡ *Deinde nec illis ſanctæ*] Non poteſt audito Filio, audiri Pater, quin eadem ſit utriuſque in nos authoritas: Etenim non minus propter ſe Filius eſt audiendus, quam ipſe Pater; At non eſſet Filius ejuſdem authoritatis niſi foret etiam ejuſdem eſſentiæ. Nihil verò facit contra nos inſtantia Volkeliana ab Apoſtolis aliiſque fidelibus

Digitized by Google

fidelibus & Iſraelitis deſumpta. Nam Apoſtoli, fideles, Iſraelitæ, in his quæ notat adverſarius ſubordinantur Chriſto ac Deo, tanquam ejus legati, miniſtri, ſervi, quorum aliàs authoritas & dignitas longè ſubſidit infra dignitatem & authoritatem Chriſti; At in argumento noſtro ſupponimus æquari Patri Filium authoritate & dignitate; quod jure non fieret, niſi Filius Patri coeſſentialis eſſet.

Ad extremum, nec illi loci quibus in Filium Dei credendo, in ipſum Deum Patrem credere, aut debitum ei honorem negando, ipſi Patri eum negare dicimur; (*Ioh:12.44. 1 Pet:1.21. Ioh:5.23.*) contrà autem honor illi exhibitus in Dei Patris gloriam cedere aſſeritur, (*Phil: 2.11.*) iſtam coëſſentialitatem conſtituunt; imò planè eam evertunt: cùm ſatis appareat, Chriſtum hîc ut mediam ſalutis noſtræ cauſam conſiderari: utpote in quo fides honorque iſte nequaquam terminetur, ſed per eum ad Patrem, tanquam ultimum ſcopum, primamque ſalutis noſtræ cauſam dirigatur; & ideò manifeſtè inter Deum & Chriſtum diſtinguatur, & ſic coëſſentialitas iſta corruat neceſſe ſit.

‡ *Ad extremum nec illi loci*] In hoc argumento noſtrorum proponendo, non agit Volkelius bonâ fide: Nam primò argumentamur ab identitate honoris Filio & Patri exhibendi, ex illo Chriſti ipſius dicto Joh: v, 22. 23. quo teſtatur Patrem neminem judicare, ſed omne judicium dediſſe Filio *ut omnes honorent Filium prout honorant Patrem*, eo quòd qui non honorat Filium, nec ipſum Patrem honoret, ut qui miſerit eum. An poſſet ſibi vendicare eundem honorem qui debetur Patri, utpote ſummum & Divinum, niſi foret ejuſdem naturæ & eſſentiæ cum illo? Secundò argumentamur ab eo quod Filius ſit cum Patre fidei noſtræ objectum & firmamentum, adeo ut qui credit in Filium, non in eum tantum credat ſed etiam in Patrem, & qui conſpicit Filium etiam eum conſpiciat à quo miſſus eſt Ioh: xii, 44.45. Quo maximè facit illa Chriſti ad ſuos parænеſis Joh: xiv, 1. *Ne turbator cor veſtrum, creditis in Deum, etiam in me credite.* Non poſſemus autem eodem fidei actu credere ſimul in Patrem & Filium, ideſt fiduciam noſtram in utroque collocare, niſi Filius æquè naturâ & eſſentiâ Deus eſſet ac Pater ipſius.

Cum ſatis appareat, Chriſtum] Quæ hic de Chriſto ceu cauſa *media* & ſubalterna ſalutis nugatur hæreticus, nullo nituntur fundamento: Nam Chriſtus eſt Servator non ſecundarius & minus principalis, aut miniſterialis, ſed principalis & primarius, unde etiam ipſa Salus ipſumque Salutare Dei nonnunquam appellatur. Nec aliàs potuiſſet ſibi eundem honorem qui debetur Patri, eandemque cum illo fidē à nobis exigere: Et quamvis ſit medius inter Patrem & nos per noſtræ naturæ aſſumptionem, non tamen per id deſinit eſſe ejuſdem eſſentię cum Patre Divinitatis ſuę reſpectu, cui ille honor de quo agimus & illa fides omninò innititur. Poſſumus quidē diſtinguere ordine duas illas perſonas Patris & Filii, quibus ille honos illáque fides debetur; ſed licet ſint duo ſuppoſita, non ſunt tamen duo diſtincta objecta, alterum intermedium & ſubalternum, alterum ſummum & ultimum, iſtius honoris & fidei, cujus intuitu non aliter hic diſtinguitur *inter Deum & Chriſtum*, nomine Dei ſumpto ὑποςατικῶς, quam ſolet diſtingui inter Patrem & Filium; quâ diſtinctione nihil decedit eorum conſubſtantialitati. Nec dubium quin honor religioſus & fides ita verſetur circa Chriſtum ut *in illo terminetur*, ſic tamen ut dum in Filio terminatur, eoipſo quoque terminetur in Patre, quia qui habet Filium habet etiam

Digitized by Google

Quæ omnia Chriſti dictis factiſque contineri, ipſe apud Joannem luculentiſſimè docet. (*Joh:14.10.*)

‡ *Primò igitur dicimus*] Audio quid dicas, ſed non quid probes: Quæritur quo ſenſu dixerit Chriſtus eum noſſe & videre Patrem qui ſe viderit & noverit, eo quod ipſe ſit in Patre & Pater in ſe Joh: XIV, 7. 8. 9. 10. 11. Aſſerunt Orthodoxi id ſtare non poſſe niſi ſuppoſitâ conſubſtantialitate Filii cum Patre, per quam ipſe & Pater unum ſint Joh: X, 30. prout intima debet agnoſci conjunctio, ſimilitudo, convenientia inter duos, ſicubi uno ex illis viſo aut cognito, alter neceſſariò videri & cognoſci ſtatuatur. Fateor noluiſſe Chriſtum dicere, *nos eum videndo cognoſcendoque, Dei Patris ipſius videre cognoſcereque eſſentiam*; ut nemo dixerit quod viſo filio alicujus patri ſuo ſimillimo, illius videatur eſſentia; cùm nequidem illius ipſius qui videtur, eſſentia videatur; Sed voluit Chriſtus aſſerere, in ſe incarnato & θεανθρώπῳ tantum videri Patrem, quantum poteſt, eo quod (licet non reſpectu ejus quod videtur & incurrit in ſenſus,) ſit idem planè cum Patre eſſentiâ & naturâ; Adeoque ſe facto viſibili aſſumptione noſtræ naturæ per quam Deus eſt manifeſtatus in carne 1 Tim: III, 16. in ſe quoque ſuo modo Patrem, utut naturæ inviſibilis Joh: I, 18. 1 Tim: VI, 19. videndum & contemplandum exhiberi. Quare prout in perſona Chriſti, ſuo modo conſpicuus fiebat Pater, ex identitate numerica ejuſdem eſſentiæ divinæ, ſic in Chriſti doctrina & operibus, Patris voluntas, ſapientia, potentia, bonitas ideo elucebant, quod eadem numero ſapientiâ cum Patre homines edoceret, eadem ſummâ potentiâ tot opera miraculoſa patraret, eadem inmenſâ bonitate omnia ſua dirigeret ad ſalutem hominum. Hæc ſanè *omnia Chriſti dictis factiſque contineri* non potuiſſent, niſi ejuſdem eſſentiæ cum Patre fuiſſet: Cùm is in quem cadunt ſumma Patris ſapientia, bonitas, potentia, eo ipſo debeat eſſe ejuſdem cum illo eſſentiæ; quod hæc eſſentialia attributa ita convertantur cum eſſentia divina ut ab ea divelli ac ſeparari non poſſint.

Deinde nec illis ſanctæ ſcripturæ teſtimoniis eadem Chriſti cum Patre eſſentia comprobatur; quibus, qui Chriſtum audiunt, aut eum aſpernantur,
439. id illius Patri facere dicuntur: niſi eandem ob cauſam & Apoſtolos aliosque fideles Chriſto, & Iſraëlitas Deo, eſſentiæ unitate copulatos eſſe volumus. Ut enim, qui Apoſtolos ſpernit, qui Chriſti fidelibus beneficentiam denegat, qui contrà eoſdem audit & recipit, beneficiiſque afficit, ipſum aut contemnere, aut deſtituere, aut etiam complecti, officiiſque proſequi perhibetur: (*Matth. 10. 40. Luc: 10. 15. Joh: 13. 20. Matth: 25. 40. 45.*) ita qui Iſraëliticam nationem tangit, ipſius oculi pupillum tangere dicitur: (*Zach:2 8.*) cùm tamen nulla neque hîc, neque illic, conſubſtantialitas cogitari poſſit: ſed potiùs ideò Deo Chriſtoque iſta accidere dicuntur, quia illis eveniant, qui vel eorum gerunt perſonam, vel amoris vinculo illis ſint conjuncti.

‡ *Deinde nec illis ſanctæ*] Non poteſt audito Filio, audiri Pater, quin eadem ſit utriuſque in nos authoritas: Etenim non minus propter ſe Filius eſt audiendus, quam ipſe Pater; At non eſſet Filius ejuſdem authoritatis niſi foret etiam ejuſdem eſſentiæ. Nihil verò facit contra nos inſtantia Volkeliana ab Apoſtolis aliiſque fidelibus

fidelibus & Iſraelitis deſumpta. Nam Apoſtoli, fideles, Iſraelitæ, in his quæ notat adverſarius ſubordinantur Chriſto ac Deo, tanquam ejus legati, miniſtri, ſervi, quorum aliàs authoritas & dignitas longè ſubſidit infra dignitatem & authoritatem Chriſti; At in argumento noſtro ſupponimus æquari Patri Filium authoritate & dignitate; quod jure non fieret, niſi Filius Patri coeſſentialis eſſet.

Ad extremum, nec illi loci quibus in Filium Dei credendo, in ipſum Deum Patrem credere, aut debitum ei honorem negando, ipſi Patri eum negare dicimur; (*Ioh:12.44. 1 Pet:1.21. Ioh:5.23.*) contrà autem honor illi exhibitus in Dei Patris gloriam cedere aſſeritur, (*Phil: 2.11.*) iſtam coëſſentialitatem conſtituunt, imò planè eam evertunt: cùm ſatis appareat, Chriſtum hîc ut mediam ſalutis noſtræ cauſam conſiderari: utpote in quo fides honorque iſte nequaquam terminetur, ſed per eum ad Patrem, tanquam ultimum ſcopum, primamque ſalutis noſtræ cauſam dirigatur; & ideò manifeſtè inter Deum & Chriſtum diſtinguatur, & ſic coëſſentialitas iſta corruat neceſſe ſit.

† *Ad extremum nec illi loci*] In hoc argumento noſtrorum proponendo, non agit Volkelius bonâ fide: Nam primò argumentamur ab identitate honoris Filio & Patri exhibendi, ex illo Chriſti ipſius dicto Joh: v, 22. 23. quo teſtatur Patrem neminem judicare, ſed omne judicium dediſſe Filio *ut omnes honorent Filium prout honorant Patrem*, eo quòd qui non honorat Filium, nec ipſum Patrem honoret, ut qui miſerit eum. An poſſet ſibi vendicare eundem honorem qui debetur Patri, utpote ſummum & Divinum, niſi foret ejuſdem naturæ & eſſentiæ cum illo? Secundò argumentamur ab eo quod Filius ſit cum Patre fidei noſtræ objectum & firmamentum, adeo ut qui credit in Filium, non in eum tantum credat ſed etiam in Patrem, & qui conſpicit Filium etiam eum conſpiciat à quo miſſus eſt Ioh: xII, 44.45. Quo maximè facit illa Chriſti ad ſuos parænefis Joh: xIV, 1. *Ne turbator cor veſtrum, creditis in Deum, etiam in me credite.* Non poſſemus autem eodem fidei actu credere ſimul in Patrem & Filium, ideſt fiduciam noſtram in utroque collocare, niſi Filius æquè naturâ & eſſentiâ Deus eſſet ac Pater ipſius.

Cum ſatis appareat, Chriſtum] Quæ hic de Chriſto ceu cauſa *media* & ſubalterna ſalutis nugatur hæreticus, nullo nituntur fundamento: Nam Chriſtus eſt Servator non ſecundarius & minus principalis, aut miniſterialis, ſed principalis & primarius, unde etiam ipſa Salus ipſumque Salutare Dei nonnunquam appellatur. Nec aliàs potuiſſet ſibi eundem honorem qui debetur Patri, eandemque cum illo fidē à nobis exigere: Et quamvis ſit medius inter Patrem & nos per noſtræ naturæ aſſumptionem, non tamen per id deſinit eſſe ejuſdem eſſentię cum Patre Divinitatis ſuę reſpectu, cui ille honor de quo agimus & illa fides omninò innititur. Poſſumus quidē diſtinguere ordine duas illas perſonas Patris & Filii, quibus ille honos illáque fides debetur; ſed licet ſint duo ſuppoſita, non ſunt tamen duo diſtincta objecta, alterum intermedium & ſubalternum, alterum ſummum & ultimum, iſtius honoris & fidei, cujus intuitu non aliter hic diſtinguitur *inter Deum & Chriſtum*, nomine Dei ſumpto ὑποςατικῶς, quam ſolet diſtingui inter Patrem & Filium; quâ diſtinctione nihil decedit eorum conſubſtantialitati. Nec dubium quin honor religioſus & fides ita verſetur circa Chriſtum ut *in illo terminetur*, ſic tamen ut dum in Filio terminatur, eoipſo quoque terminetur in Patre, quia qui habet Filium habet etiam

 Patrem

Digitized by Google

Quæ omnia Chriſti dictis factiſque contineri, ipſe apud Joannem luculentiſſimè docet. (*Ioh:14.10.*)

‡ *Primò igitur dicimus*] Audio quid dicas, ſed non quid probes: Quæritur quo ſenſu dixerit Chriſtus eum noſſe & videre Patrem qui ſe viderit & noverit, eo quod ipſe ſit in Patre & Pater in ſe Joh: XIV, 7. 8. 9. 10. 11. Aſſerunt Orthodoxi id ſtare non poſſe niſi ſuppoſitâ conſubſtantialitate Filii cum Patre, per quam ipſe & Pater unum ſint Joh: X, 30. prout intima debet agnoſci conjunctio, ſimilitudo, convenientia inter duos, ſicubi uno ex illis viſo aut cognito, alter neceſſariò videri & cognoſci ſtatuatur. Fateor noluiſſe Chriſtum dicere, *nos eum videndo cognoſcendoque, Dei Patris ipſius videre cognoſcereque eſſentiam*; ut nemo dixerit quod viſo filio alicujus patri ſuo ſimillimo, illius videatur eſſentia; cùm nequidem illius ipſius qui videtur, eſſentia videatur; Sed voluit Chriſtus aſſerere, in ſe incarnato & θεανθρώπῳ tantum videri Patrem, quantum poteſt, eo quod (licet non reſpectu ejus quod videtur & incurrit in ſenſus,) ſit idem planè cum Patre eſſentiâ & naturâ; Adeoque ſe facto viſibili aſſumptione noſtræ naturæ per quam Deus eſt manifeſtatus in carne 1 Tim: III, 16. in ſe quoque ſuo modo Patrem, utut naturæ inviſibilis Joh: I, 18. 1 Tim: VI, 19. videndum & contemplandum exhiberi. Quare prout in perſona Chriſti, ſuo modo conſpicuus fiebat Pater, ex identitate numerica ejuſdem eſſentiæ divinæ, ſic in Chriſti doctrina & operibus, Patris voluntas, ſapientia, potentia, bonitas ideo elucebant, quod eadem numero ſapientiâ cum Patre homines edoceret, eadem ſummâ potentiâ tot opera miraculoſa patraret, eadem immenſâ bonitate omnia ſua dirigeret ad ſalutem hominum. Hæc ſanè *omnia Chriſti dictis factiſque contineri* non potuiſſent, niſi ejuſdem eſſentiæ cum Patre fuiſſet: Cùm is in quem cadunt ſumma Patris ſapientia, bonitas, potentia, eo ipſo debeat eſſe ejuſdem cum illo eſſentiæ; quod hæc eſſentialia attributa ita convertantur cum eſſentia divina ut ab ea divelli ac ſeparari non poſſint.

Deinde nec illis ſanctæ ſcripturæ teſtimoniis eadem Chriſti cum Patre eſſentia comprobatur; quibus, qui Chriſtum audiunt, aut eum aſpernantur,
439. id illius Patri facere dicuntur: niſi eandem ob cauſam & Apoſtolos alioſque fideles Chriſto, & Iſraëlitas Deo, eſſentiæ unitate copulatos eſſe volumus. Ut enim, qui Apoſtolos ſpernit, qui Chriſti fidelibus beneficentiam denegat, qui contrà eoſdem audit & recipit, beneficiiſque afficit, ipſum aut contemnere, aut deſtituere, aut etiam complecti, officiiſque proſequi perhibetur: (*Matth. 10. 40. Luc: 10. 15. Ioh: 13. 20. Matth: 25. 40. 45.*) ita qui Iſraëliticam nationem tangit, ipſius oculi pupillum tangere dicitur: (*Zach: 2. 8.*) cùm tamen nulla neque hîc, neque illic, conſubſtantialitas cogitari poſſit: ſed potiùs ideò Deo Chriſtoque iſta accidere dicuntur, quia illis eveniant, qui vel eorum gerunt perſonam, vel amoris vinculo illis ſint conjuncti.

‡ *Deinde nec illis ſanctæ*] Non poteſt audito Filio, audiri Pater, quin eadem ſit utriuſque in nos authoritas: Etenim non minus propter ſe Filius eſt audiendus, quam ipſe Pater; At non eſſet Filius ejuſdem authoritatis niſi foret etiam ejuſdem eſſentiæ. Nihil verò facit contra nos inſtantia Volkeliana ab Apoſtolis aliiſque fidelibus

Digitized by Google

fidelibus & Iſraelitis deſumpta. Nam Apoſtoli, fideles, Iſraelitæ, in his quæ notat adverſarius ſubordinantur Chriſto ac Deo, tanquam ejus legati, miniſtri, ſervi, quorum aliàs authoritas & dignitas longè ſubſidit infra dignitatem & authoritatem Chriſti; At in argumento noſtro ſupponimus æquari Patri Filium authoritate & dignitate; quod jure non fieret, niſi Filius Patri coeſſentialis eſſet.

Ad extremum, nec illi loci quibus in Filium Dei credendo, in ipſum Deum Patrem credere, aut debitum ei honorem negando, ipſi Patri eum negare dicimur; (*Ioh: 12. 44. 1 Pet: 1. 21. Ioh: 5. 23.*) contrà autem honor illi exhibitus in Dei Patris gloriam cedere aſſeritur, (*Phil: 2. 11.*) iſtam coëſſentialitatem conſtituunt; imò planè eam evertunt: cùm ſatis appareat, Chriſtum hîc ut mediam ſalutis noſtræ cauſam conſiderari: utpote in quo fides honorque iſte nequaquam terminetur, ſed per eum ad Patrem, tanquam ultimum ſcopum, primamque ſalutis noſtræ cauſam dirigatur; & ideò manifeſtè inter Deum & Chriſtum diſtinguatur, & ſic coëſſentialitas iſta corruat neceſſe ſit.

† *Ad extremum nec illi loci*] In hoc argumento noſtrorum proponendo, non agit Volkelius bonâ fide: Nam primò argumentamur ab identitate honoris Filio & Patri exhibendi, ex illo Chriſti ipſius dicto Joh: v, 22. 23. quo teſtatur Patrem neminem judicare, ſed omne judicium dediſſe Filio *ut omnes honorent Filium prout honorant Patrem*, eo quòd qui non honorat Filium, nec ipſum Patrem honoret, ut qui miſerit eum. An poſſet ſibi vendicare eundem honorem qui debetur Patri, utpote ſummum & Divinum, niſi foret ejuſdem naturæ & eſſentiæ cum illo? Secundò argumentamur ab eo quod Filius ſit cum Patre fidei noſtræ objectum & firmamentum, adeo ut qui credit in Filium, non in eum tantum credat ſed etiam in Patrem, & qui conſpicit Filium etiam eum conſpiciat à quo miſſus eſt Ioh: xii, 44. 45. Quo maximè facit illa Chriſti ad ſuos parænesis Joh: xiv, 1. *Ne turbator cor veſtrum, creditis in Deum, etiam in me credite.* Non poſſemus autem eodem fidei actu credere ſimul in Patrem & Filium, ideſt fiduciam noſtram in utroque collocare, niſi Filius æquè naturâ & eſſentiâ Deus eſſet ac Pater ipſius.

Cum ſatis appareat, Chriſtum] Quæ hic de Chriſto ceu cauſa *media* & ſubalterna ſalutis nugatur hæreticus, nullo nituntur fundamento: Nam Chriſtus eſt Servator non ſecundarius & minus principalis, aut miniſterialis, ſed principalis & primarius; unde etiam ipſa Salus ipſumque Salutare Dei nonnunquam appellatur. Nec aliàs potuiſſet ſibi eundem honorem qui debetur Patri, eandemque cum illo fidē à nobis exigere: Et quamvis ſit medius inter Patrem & nos per noſtræ naturæ aſſumptionem, non tamen per id deſinit eſſe ejuſdem eſſentiæ cum Patre Divinitatis ſuæ reſpectu, cui ille honor de quo agimus & illa fides omninò innititur. Poſſumus quidē diſtinguere ordine duas illas perſonas Patris & Filii, quibus ille honos illáque fides debetur; ſed licet ſint duo ſuppoſita, non ſunt tamen duo diſtincta objecta, alterum intermedium & ſubalternum, alterum ſummum & ultimum, iſtius honoris & fidei, cujus intuitu non aliter hic diſtinguitur *inter Deum & Chriſtum*, nomine Dei ſumpto ὑποστατικῶς, quam ſolet diſtingui inter Patrem & Filium: quâ diſtinctione nihil decedit eorum conſubſtantialitati. Nec dubium quin honor religioſus & fides ita verſetur circa Chriſtum ut *in illo terminetur*, ſic tamen ut dum in Filio terminatur, eoipſo quoque terminetur in Patre, quia qui habet Filium habet etiam

Dd Patrem

Quæ omnia Chriſti dictis factiſque contineri, ipſe apud Joannem luculentiſſimè docet. (Joh:14.10.)

‡ *Primò igitur dicimus*] Audio quid dicas, ſed non quid probes: Quæritur quo ſenſu dixerit Chriſtus eum noſſe & videre Patrem qui ſe viderit & noverit, eo quod ipſe ſit in Patre & Pater in ſe Joh: xiv,7.8, 9. 10. 11. Aſſerunt Orthodoxi id ſtare non poſſe niſi ſuppoſitâ conſubſtantialitate Filii cum Patre, per quam ipſe & Pater unum ſint Joh:x,30. prout intima debet agnoſci conjunctio, ſimilitudo, convenientia inter duos, ſicubi uno ex illis viſo aut cognito, alter neceſſariò videri & cognoſci ſtatuatur. Fateor noluiſſe Chriſtum dicere, *nos eum videndo cognoſcendoque, Dei Patris ipſius videre cognoſcereque eſſentiam*; ut nemo dixerit quod viſo filio alicujus patri ſuo ſimillimo, illius videatur eſſentia; cùm nequidem illius ipſius qui videtur, eſſentia videatur; Sed voluit Chriſtus aſſerere, in ſe incarnato & θεανθρώπῳ tantum videri Patrem, quantum poteſt, eo quod (licet non reſpectu ejus quod videtur & incurrit in ſenſus,) ſit idem planè cum Patre eſſentiâ & naturâ; Adeoque ſe facto viſibili aſſumptione noſtræ naturæ per quam Deus eſt manifeſtatus in carne 1 Tim: iii, 16. in ſe quoque ſuo modo Patrem, utut naturæ inviſibilis Joh: 1, 18. 1 Tim: vi, 19. videndum & contemplandum exhiberi. Quare prout in perſona Chriſti, ſuo modo conſpicuus fiebat Pater, ex identitate numerica ejuſdem eſſentiæ divinæ, ſic in Chriſti doctrina & operibus, Patris voluntas, ſapientia, potentia, bonitas ideo elucebant, quod eadem numero ſapientiâ cum Patre homines edoceret, eadem ſummâ potentiâ tot opera miraculoſa patraret, eadem immenſâ bonitate omnia ſua dirigeret ad ſalutem hominum. Hæc ſanè *omnia Chriſti dictis factiſque contineri* non potuiſſent, niſi ejuſdem eſſentiæ cum Patre fuiſſet: Cùm is in quem cadunt ſumma Patris ſapientia, bonitas, potentia, eo ipſo debeat eſſe ejuſdem cum illo eſſentiæ; quod hæc eſſentialia attributa ita convertantur cum eſſentia divina ut ab ea divelli ac ſeparari non poſſint.

Deinde nec illis ſanctæ ſcripturæ teſtimoniis eadem Chriſti cum Patre eſſentia comprobatur, quibus, qui Chriſtum audiunt, aut eum aſpernantur,
439. id illius Patri facere dicuntur: niſi eandem ob cauſam & Apoſtolos aliosque fideles Chriſto, & Iſraëlitas Deo, eſſentiæ unitate copulatos eſſe volumus. Ut enim, qui Apoſtolos ſpernit, qui Chriſti fidelibus beneficentiam denegat, qui contrà eoſdem audit & recipit, beneficiiſque afficit, ipſum aut contemnere, aut deſtituere, aut etiam complecti, officiiſque proſequi perhibetur: (*Matth. 10. 40. Luc: 10. 15. Joh: 13. 20. Matth: 25. 40. 45.*) ita qui Iſraëliticam nationem tangit, ipſius oculi pupillum tangere dicitur: (*Zach:2 8.*) cùm tamen nulla neque hîc, neque illic, conſubſtantialitas cogitari poſſit: ſed potiùs ideò Deo Chriſtoque iſta accidere dicuntur, quia illis eveniant, qui vel eorum gerunt perſonam, vel amoris vinculo illis ſint conjuncti.

‡ *Deinde nec illis ſanctæ*] Non poteſt audito Filio, audiri Pater, quin eadem ſit utriuſque in nos authoritas: Etenim non minus propter ſe Filius eſt audiendus, quam ipſe Pater; At non eſſet Filius ejuſdem authoritatis niſi foret etiam ejuſdem eſſentiæ. Nihil verò facit contra nos inſtantia Volkeliana ab Apoſtolis aliiſque fidelibus

fidelibus & Iſraelitis deſumpta. Nam Apoſtoli, fideles, Iſraelitæ, in his quæ notat adverſarius ſubordinantur Chriſto ac Deo, tanquam ejus legati, miniſtri, ſervi, quorum aliàs authoritas & dignitas longè ſubſidit infra dignitatem & authoritatem Chriſti; At in argumento noſtro ſupponimus æquari Patri Filium authoritate & dignitate; quod jure non fieret, niſi Filius Patri coeſſentialis eſſet.

Ad extremum, nec illi loci quibus in Filium Dei credendo, in ipſum Deum Patrem credere, aut debitum ei honorem negando, ipſi Patri eum negare dicimur; (*Ioh:12.44. 1 Pet:1.21. Ioh:5.23.*) contrà autem honor illi exhibitus in Dei Patris gloriam cedere aſſeritur, (*Phil: 2.11.*) iſtam coëſſentialitatem conſtituunt; imò planè eam evertunt: cùm ſatis appareat, Chriſtum hîc ut mediam ſalutis noſtræ cauſam conſiderari: utpote in quo fides honorque iſte nequaquam terminetur, ſed per eum ad Patrem, tanquam ultimum ſcopum, primamque ſalutis noſtræ cauſam dirigatur; & ideò manifeſtè inter Deum & Chriſtum diſtinguatur, & ſic coëſſentialitas iſta corruat neceſſe ſit.

‡ *Ad extremum nec illi loci*] In hoc argumento noſtrorum proponendo, non agit Volkelius bonâ fide: Nam primò argumentamur ab identitate honoris Filio & Patri exhibendi, ex illo Chriſti ipſius dicto Joh: v, 22. 23. quo teſtatur Patrem neminem judicare, ſed omne judicium dediſſe Filio *ut omnes honorent Filium prout honorant Patrem*, eo quòd qui non honorat Filium, nec ipſum Patrem honoret, ut qui miſerit eum. An poſſet ſibi vendicare eundem honorem qui debetur Patri, utpote ſummum & Divinum, niſi foret ejuſdem naturæ & eſſentiæ cum illo? Secundò argumentamur ab eo quod Filius ſit cum Patre fidei noſtræ objectum & firmamentum, adeo ut qui credit in Filium, non in eum tantum credat ſed etiam in Patrem, & qui conſpicit Filium etiam eum conſpiciat à quo miſſus eſt Joh: xii, 44.45. Quo maximè facit illa Chriſti ad ſuos paræneſis Joh: xiv, 1. *Ne turbator cor veſtrum, creditis in Deum, etiam in me credite.* Non poſſemus autem eodem fidei actu credere ſimul in Patrem & Filium, ideſt fiduciam noſtram in utroque collocare, niſi Filius æquè naturâ & eſſentiâ Deus eſſet ac Pater ipſius.

Cum ſatis appareat, Chriſtum] Quæ hic de Chriſto ceu cauſa *media* & ſubalterna ſalutis nugatur hæreticus, nullo nituntur fundamento: Nam Chriſtus eſt Servator non ſecundarius & minus principalis, aut miniſterialis, ſed principalis & primarius; unde etiam ipſa Salus ipſumque Salutare Dei nonnunquam appellatur. Nec aliàs potuiſſet ſibi eundem honorem qui debetur Patri, eandemque cum illo fidē à nobis exigere: Et quamvis ſit medius inter Patrem & nos per noſtræ naturæ aſſumptionem, non tamen per id deſinit eſſe ejuſdem eſſentię cum Patre Divinitatis ſuę reſpectu, cui ille honor de quo agimus & illa fides omninò innititur. Poſſumus quidē diſtinguere ordine duas illas perſonas Patris & Filii, quibus ille honos illaque fides debetur; ſed licet ſint duo ſuppoſita, non ſunt tamen duo diſtincta objecta, alterum intermedium & ſubalternum, alterum ſummum & ultimum, iſtius honoris & fidei, cujus intuitu non aliter hic diſtinguitur *inter Deum & Chriſtum*, nomine Dei ſumpto ὑποςατικῶς, quam ſolet diſtingui inter Patrem & Filium; quâ diſtinctione nihil decedit eorum conſubſtantialitati. Nec dubium quin honor religioſus & fides ita verſetur circa Chriſtum ut *in illo terminetur*, ſic tamen ut dum in Filio terminatur, eo ipſo quoque terminetur in Patre, quia qui habet Filium habet etiam

quod hoc loco de Chriſto Paulus uſurpavit, ſi hujus loci hæc interpretatio obtinere deberet.

Quam quidem plenitudinis] Abſurda abſurdis contegit iſte homo ne perpluant. Nec enim Paulus vocabulo *plenitudinis* uſus eſt per amplificationem Rhetoricam, quæ ut plurimum hyperbolica eſſe ſolet, ſed per exegeſim neceſſariam, ut doceret ſic totum Deum in Chriſto inveniri, ut aliquid melius & præſtantius Deo quærere velit qui contentus non eſt ſolo Chriſto, quem qui habet habet unà Patrem. Tum etiam à ſtylo Scripturæ remotius eſt Chriſtum ſumi, pro ipſius doctrina; quod etſi aliquando fieret, ſaltem hoc loco nequiret obtinere; cùm nec *corporaliter* tota deitas ſtatui poſſit inhabitare alicui doctrinæ, nec deitas dici queat *inhabitare* doctrinam, ſed tantum perſonam: quomodo ſæpè in Scripturis dicitur Deus, Spiritus Dei, Verbum Dei inhabitare perſonas fidelium & ſanctorum; nunquam verò ſic inhabitare dicuntur eorum operationes vel dogmata. Quæ omnia ſatis oſtendunt *Divinitatis* ſive potius Deitatis *nomine* hoc loco nihil aliud quam *eſſentiam ipſius Dei altiſſimi intelligi debere*: ſiquidem tam abhorret ab uſu Scripturæ, ſenſu communi & recta ratione παρεξήγησις Adverſariorum.

Quid enim alioqui neceſſe fuiſſet *plenitudinis* iſtius Divinitatis, & quidem *omnis*, meminiſſe? quaſi verò ſuſpicari quiſpiam potuiſſet, eam in illo, in quo habitet, non plenam, vel non uſquequaque plenam eſſe. Chriſtum autem ſæpenumero, non Chriſti perſonam, aut naturam, ſed per metonymicam dicendi figuram, aliud quippiam, vel ad Chriſtum reſpiciens, vel ab illo profectum deſignare, ex illis locis perſpicuum eſt, ubi Chriſtus myſterium inter homines appellatur; (*Col:1.27.*) & ubi Chriſtum accepiſſe, (*Col:2.6.*) Chriſtum didiciſſe, (*Epheſ:4.20.*) Chriſtum induere debere, (*Rom: 13.14.*) aut eundem induiſſe, (*Gal:3.27.*) in Chriſto eſſe, (*2 Cor: 5.17.*) in Chriſto denique ambulare (*Col:1 6.*) dicimur. Hoc autem in loco divinitatis plenitudinem, Chriſto corporaliter inhærentem, non naturæ alicui, ſed Philoſophiæ, legalibusque inſtitutis, utpote umbratilibus opponi, manifeſtiſſimum eſt. (*conf. verſ. 8, 9, 17*) Unde efficitur, id ejus nomine intelligendum eſſe, quod paulò antè diximus.

† *Quid enim alioqui*] Omnis plenitudinis ideo fit mentio à Paulo, ut diſtinguat Chriſtum à Prophetis & aliis viris ſanctis, qui pro menſura Dei doni participes fuerunt Spiritus Sancti, ſed non ita ut corporaliter in ipſis omnis Deitatis plenitudo inhabitaret: quo etiam ſenſu dicitur Pater non admetiri, ſive non dare ad menſuram, Spiritum Filio ſuo Joh: 111, 34. cùm è contrario ſint in aliis diſtinctiones donorum, miniſteriorum, operationum, ità ut unicuique detur declaratio Spiritus ad utilitatem, & ille Spiritus ſua dona diſtribuat ſingulis ſicuti vult 1 Cor: XII, 7. 11.

Chriſtum autem ſæpenumero] Chriſtum ſæpè non Chriſtum ſignificare, licet ſit nomen perſonæ, ſed *aliud quippiam*, gratis fingit adverſarius, ſiquidem ad illius aſſertũ nullus facit locorum quos hic corraſit: Col: 1, 27 non tam de Chriſto dicitur quod ſit *myſterium*, quam quod ſit *divitiæ* glorioſi hujus myſterii inter gentes, quoniam qui eum poſſidet ditiſſimus cenſendus eſt; Sed etſi Chriſtus diceretur eſſe Myſterium illud, id de Chriſti perſona & beneficiis

& beneficiis ſemper eſſet intelligendum, quatenus myſterii Euangelici unicum & adæquatum objectum Chriſtus eſt. Chriſtus quoque eſt qui *accipitur* fide Col: II, 6. qui *diſcitur* cognoſcendus, credendus, colendus, imitandus Epheſ: IV, 20. qui fide *induitur* ut in nobis maneat & nos in ipſo Rom: XII, 14. Gal: III, 27. in quo ſive in cujus communione ſunt omnes fideles 2 Cor: V, 17. ut palmites in vite Joh: XV, 4 5. ita ut in illo quoque ambulare dicantur Col: II, 6. qui in ipſius intima communione, fide & obedientia perſeverant. Sed etſi largiremur adverſario aliquando Chriſti nomine intelligi vel corpus ipſius myſticum, ut 1 Cor: XII, 12. vel etiam ipſius aut fidem aut communionem aut doctrinam, nullis tamen argumentis poſſet demonſtrare non agi hoc loco Coloſſ: II, 9. de ipſius perſona, cujus excellentia in eo ſita ſit quod in illo habitet omnis plenitudo Deitatis corporaliter.

Hoc autem in loco] Inſulſa eſt hæc ratio. Chriſtus ille in quo habitat corporaliter omnis plenitudo Deitatis, non opponitur hoc loco *naturæ alicui*, ſed *Philoſophiæ legalibusque inſtitutis*; Ergo id ad perſonæ Chriſti deſcriptionem non pertinet quod omnem plenitudinem Deitatis corporaliter ſe inhabitantem habeat; Quaſi verò illius Chriſti qui talis ſit cognitio non ſit præferenda tum inani Philoſophiæ Gentilium, tum umbratilibus inſtitutis cultus Levitici; imò quaſi eodem cap. com. 17. non ipſa Chriſti perſona, ut Euangelio credenda & cognoſcenda proponitur, opponeretur ceu *corpus* & veritas omnium figurarum ipſiſmet umbris legalibus & Moſaicis, cùm dicit Apoſtolus; *Quæ ſunt umbra rerum futurarum, at corpus eſt Chriſti.*

Jam ut ad eas ſententias veniamus, quæ pluribus terminis arctam hanc Chriſti cum Deo conjunctionem exprimunt; animadvertendum, eas in duo genera diſtribui poſſe. vel enim propter quandam, ut loquuntur, ſubordinationem, quod uni horum evenit, alteri evenire affirmant; vel eaſdem res ab utroque poſſideri aſſerunt. Illud quidem tunc fit, cùm qui Chriſtum videt, agnoſcit, audit, illi fidem adjungit, divinum honorem cultumque adhibet, & contrà, qui eundem ſpernit ac contumaciter rejicit, tam hoc, quàm illud, Patri ipſius facere dicitur. De quibus ſigillatim ordineque videbimus.

‡ *Iam ut ad eas ſententias*) Quantum ſit ponderis in his argumentis, & quam non tam facile queant eludi ab Adverſariis, ad ſingula ordine videbimus.

Primò igitur dicimus, Chriſto nunquam in mentem venire potuiſſe, aſſerere, (*Ioh:14.7,9, & 12.*) nos eum videndo cognoſcendoque, Dei Patris ipſius videre cognoſcereque eſſentiam. Hoc enim, ut fieri nullo pacto poteſt: cum id nequaquam in naturæ noſtræ imbecillitatem cadat, aperteque à divino ſpiritu inter ea numeretur, quæ humanam facultatem ſuperant: (*Ioh: 1. 18. 1 Tim: 6. 16.*) ita nunquam Chriſtum Patris ſui eſſentiam hominibus repræſentâſſe conſtat. Neque enim hæ illius erant partes, ut Patris nobis eſſentiam exprimeret: ſed ut ea, quæ ad illius percipiendam voluntatem atque conſilium, & porrò, quæ ad ſummam ejus ſapientiam, potentiam, atque bonitatem animo comprehendendam pertinebant, ante oculos noſtros conſtitueret.

Quæ

fidelibus & Iſraelitis deſumpta. Nam Apoſtoli, fideles, Iſraelitæ, in his quæ notat adverſarius ſubordinantur Chriſto ac Deo, tanquam ejus legati, miniſtri, ſervi, quorum aliàs authoritas & dignitas longè ſubſidit infra dignitatem & authoritatem Chriſti; At in argumento noſtro ſupponimus æquari Patri Filium authoritate & dignitate; quod jure non fieret, niſi Filius Patri coeſſentialis eſſet.

Ad extremum, nec illi loci quibus in Filium Dei credendo, in ipſum Deum Patrem credere, aut debitum ei honorem negando, ipſi Patri eum negare dicimur; (*Ioh:12.44. 1 Pet:1.21. Ioh:5.23.*) contrà autem honor illi exhibitus in Dei Patris gloriam cedere aſſeritur, (*Phil: 2.11.*) iſtam coëſſentialitatem conſtituunt; imò planè eam evertunt: cùm ſatis appareat, Chriſtum hîc ut mediam ſalutis noſtræ cauſam conſiderari: utpote in quo fides honorque iſte nequaquam terminetur, ſed per eum ad Patrem, tanquam ultimum ſcopum, primamque ſalutis noſtræ cauſam dirigatur; & ideò manifeſtè inter Deum & Chriſtum diſtinguatur, & ſic coëſſentialitas iſta corruat neceſſe ſit.

† *Ad extremum nec illi loci*] In hoc argumento noſtrorum proponendo, non agit Volkelius bonâ fide: Nam primò argumentamur ab identitate honoris Filio & Patri exhibendi, ex illo Chriſti ipſius dicto Joh: v, 22. 23. quo teſtatur Patrem neminem judicare, ſed omne judicium dediſſe Filio *ut omnes honorent Filium prout honorant Patrem*, eo quòd qui non honorat Filium, nec ipſum Patrem honoret, ut qui miſerit eum. An poſſet ſibi vendicare eundem honorem qui debetur Patri, utpote ſummum & Divinum, niſi foret ejuſdem naturæ & eſſentiæ cum illo? Secundò argumentamur ab eo quod Filius ſit cum Patre fidei noſtræ objectum & firmamentum, adeo ut qui credit in Filium, non in eum tantum credat ſed etiam in Patrem, & qui conſpicit Filium etiam eum conſpiciat à quo miſſus eſt Ioh: xii, 44.45. Quo maximè facit illa Chriſti ad ſuos parænesis Joh: xiv, 1. *Ne turbator cor veſtrum, creditis in Deum, etiam in me credite*. Non poſſemus autem eodem fidei actu credere ſimul in Patrem & Filium, ideſt fiduciam noſtram in utroque collocare, niſi Filius æquè naturâ & eſſentiâ Deus eſſet ac Pater ipſius.

Cum ſatis appareat, Chriſtum] Quæ hic de Chriſto ceu cauſa *media* & ſubalterna ſalutis nugatur hæreticus, nullo nituntur fundamento: Nam Chriſtus eſt Servator non ſecundarius & minus principalis, aut miniſterialis, ſed principalis & primarius, unde etiam ipſa Salus ipſumque Salutare Dei nonnunquam appellatur. Nec aliàs potuiſſet ſibi eundem honorem qui debetur Patri, eandemque cum illo fidē à nobis exigere: Et quamvis ſit medius inter Patrem & nos per noſtræ naturæ aſſumptionem, non tamen per id deſinit eſſe ejuſdem eſſentię cum Patre Divinitatis ſuę reſpectu, cui ille honor de quo agimus & illa fides omninò innititur. Poſſumus quidē diſtinguere ordine duas illas perſonas Patris & Filii, quibus ille honos illaque fides debetur; ſed licet ſint duo ſuppoſita, non ſunt tamen duo diſtincta objecta, alterum intermedium & ſubalternum, alterum ſummum & ultimum, iſtius honoris & fidei, cujus intuitu non aliter hic diſtinguitur *inter Deum & Chriſtum*, nomine Dei ſumpto ὑποστατικῶς, quam ſolet diſtingui inter Patrem & Filium; quâ diſtinctione nihil decedit eorum conſubſtantialitati. Nec dubium quin honor religioſus & fides ita verſetur circa Chriſtum ut *in illo terminetur*, ſic tamen ut dum in Filio terminatur, eoipſo quoque terminetur in Patre, quia qui habet Filium habet etiam

Patrem, & Pater & Filius unum ſunt. Neque exinde quod 1 Pet: 1, 21. dicimur *per eum* nempe Chriſtum *credere in Deum qui illum ſuſcitavit ex mortuis*, colligi poteſt, fidei noſtræ Chriſtum *ultimum ſcopum* non eſſe; adeoque eſſe tantum adminiſtrum noſtræ fidei, quo ſenſu Paulus & Apollos dicuntur nihil fuiſſe Corinthiis *niſi miniſtri per quos* crediderunt 1 Cor: 111, 5. Sed hoc ſibi tantum vult Petrus nihil juris nobis fore fiduciæ in Deo reponendæ niſi quatenus verâ & ſalvificâ fide Chriſto credentes, in eo, cum eo & per eum, in Deum Patrem, ad quem non eſt nobis acceſſus niſi per illum, credere cenſemur; juxta id quod ipſe dicit Joh: xiv, 6. *Nemo poteſt venire ad Patrem niſi per me.*

Nec obſtat, quantùm ad fidem attinet, quòd Jeremias dicit, (*Ierem:* 17,5.) *Maledictum eſſe, qui confidit in homine*: cum ibi ea ratione ſpem habere in homine prohibeamur, quatenus qui hoc faciunt, & carnem brachium ſuum ponunt, id eſt, viribus humanis, Dei virtute auxilioque deſtitutis, nitūtur, & à Deo deficiunt, ut ſequentia Prophetæ verba clariſſimè docent. Horum autem neutrum facimus in Chriſtum credendo: imò tunc ipſi Deo, ejuſque immenſo robori maximè confidimus, & ad eum proximè accedimus; (*Heb:* 7. 10.) tantum abeſt, ut Chriſtum fide complectentes in carne brachium noſtrum ponamus, à Deoque deficiamus.

† *Nec obſtat quantum ad fidem*] Hæc exceptio ad locum inſignem Jer: xvii, 5. eſt valde frivola: Nam ſupponit poſſe fiduciam in homine poni, etiam ab eo qui aliàs *carnem brachium ſuum* non ponat; cùm hoc neceſſariò faciat, qui prius facit; Etenim cùm dicit Propheta, *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum & à Domino recedit cor ejus*, hæc duo poſteriora non ponuntur διακριτικῶς ſed ἐξηγητικῶς, ut ſignificetur eum omnem qui confidit in homine, eo ipſo carnem ponere brachium ſuum & à Deo deficere: Hinc eſt quod com. 7. illi fiduciæ vanæ & inani opponitur fiducia in Domino, eo quod homo & Deus, Creatura & Creator in ordine ad fiduciam, ſe habeant ut duæ lances in libra, aut in orbe duo poli, ſic ut unius depreſſio ſit exaltatio alterius, tantumque decedat fiduciæ & ſpei quæ ſoli Deo debetur, quantum accedit illi ſpei & fiduciæ quæ in homine collocatur. Non neſcio quidem Maldonatum, quem in eo ſequitur Cornelius à Lapide, huic Socinianæ interpretationi præluxiſſe; Nam eorum ultimus ita loquitur; *Carpit hîc Propheta eos qui in homine tanquam in Deo, aut magis quam in Deo, aut ita ut non in Deo, confidebant: Nam in ſanctis tanquam amicis Dei meritò confidimus; & B. Virginem poſt Deum ſpem noſtram appellamus; ita Maldonatus.* Verùm iſti homines hæc propoſuerunt ut ſervirent ſuæ hypotheſi & eam fiduciam reſpectu B. Virginis & Sanctorum propugnarent, quam aliàs reſpectu Chriſti inſimulare debent cum Veteribus Idololatriæ & defectionis à Deo apud Photinianos & Arianos, qui profitentur ſpem ſe & fiduciam ſuam reponere in Chriſto, quem tamen meram eſſe Creaturam aſſerunt. Et cum tralatitium ſit in Scholis ſpem & fidem appellari virtutes Theologicas, quarum proprium, unicum & ſingulare objectum Deus ſit, non poſſunt diſtribui inter Deum & hominem, ut hunc & illum ſimul reſpiciant. Ideoque Gloſſa quæ neſcivit has diſtinctiunculas, ex hoc Prophetæ dicto ſic infert; *Maledictus ergo Paulus.*

Digitized by Google

lus Samoſatenus & Photinus, Socinianorum hi fuêre Patriarchæ, *qui quamvis ſanctum & cunctis virtutibus excelſum Chriſtum, tamen prædicant hominem tantum.* Nec aliter Antiochus *hom.* 101. cujus hoc eſt lemma *Spem in nullo hominum eſſe collocandam.* Ita enim loquitur; οὐ χρὴ, ἀδελφοί, ἐλπίζειν ἐν οἱῳδήποτε πράγματι ἐπ' ἄνθρωπον. ἐπικατάρατον γε: ἀλλ' ἐπὶ τὸν ἀεὶ μεριμνῶντα ὑπὲρ ἡμῶν Κύριον, ὅτι μέλει περὶ ἡμῶν. καὶ γὰρ παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ ἀπηγόρευται τὸ μὴ ἔχειν τὴν ἐλπίδα ἐπ' ἄνθρωπον. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ὑπὸ κατάραν ἵστησιν τὸν τοιοῦτον διὰ τοῦ Ἱερεμίου. ἐπικατάρατος γάρ, φησίν, ἄνθρωπος ὃς τὴν ἐλπίδα ἔχει ἐπ' ἄνθρωπον. Imò hac in parte Maldonato, Cornelio & aliis oppono Dionyſium Petavium ejuſdem ſodalitii *tom. 2. Theol. Dogm lib. 2. cap. 12. §. 12. & 13.* ubi divinitatem Chriſti probaturus *ex honoris conſortio* cum Patre, id potiſſimum urget *quod permulta quæ ſolius Dei propria eſſe conſtat, utrique communiter accommodantur, cujuſmodi eſt quod in Filium perinde ut in Patrem creditur ac ſperatur.* Tum varia ſubjicit loca Scripturæ quibus ſtatuitur credendum in Chriſtum & ſpem in ipſo reponendam, ac Patrum qui inde Divinitatem Chriſti neceſſariò colligunt, non omiſſo illo Hieremiæ; *Maledictus homo qui confidit in homine.*

Horum autem neutrum] Primùm poſſet quis pari ratione ſtatuere credendum eſſe in B. Virginem ac in Sanctis fiduciam eſſe reponendam, ſubordinatè ad Deum; quod tamen non concedunt Sociniani. Secundò non poſſemus credendo in Chriſtum, *ipſi Deo ejuſque immenſo robori* maximè confidere *& ad eum proximè* accedere, niſi eſſet Patri coeſſentialis, & verus Deus ac vita æterna: Ideo Apoſtolus Heb: VII, 24. 25. 26. illi tribuens quod poſſit *ſervare perfectè*, (quod utique ſolius eſt divinæ potentiæ) *eos qui per ipſum accedunt ad Deum* Patrem, eum deſcribit ad id manentem in æternum, ſanctum, ab omni malo alienum, ſine labe, ſeparatum à peccatoribus, & ſublimiorem cœlis; quæ elogia in merum hominem cadere non poſſunt.

Huc pertinent omnia teſtimonia, quæ de adoratione ac invocatione Chriſti agunt, ita ut nequaquam coeſſentialitatem iſtam comprobent: cum quicquid cultus ac honoris Chriſto habetur, id ad Deum, ut ultimum ſcopum referatur, qui Chriſtum in tantam poteſtatis ſublimitatem, ad ſuam ipſius gloriam mirum in modum illuſtrandam, extulit. (*Phil:* 2. 11.)

‡ *Huc pertinent omnia*] Imò verò *omnia* illa *teſtimonia* quæ cultum verè divinum ac ſoli Deo debitum, Chriſto eſſe deferendum indicant, pugnant pro æterna ipſius Divinitate: cùm adorari & invocari ac coli religiosè nemo poſſit præter Deum Matt: IV, 10. Et quod fingunt Sociniani, *quicquid cultus ac honoris Chriſto habetur, id ad Deum ut ultimum ſcopum* referri, non ſolum pariliter dici poſſet de cultu & honore quem ipſi improbant deferri in communione Romana B. Virgini & Sanctis, ſed etiam poſſet ſtatuminare ceu legitimum, honorem & cultum religioſum cujuſlibet Creaturę, ſi modò ei deferatur relativè ad Creatorem; quod ſanè non admiſſurus eſſet Paulus Apoſtolus Rom: I, 25. Omnis cultus Idololatricus Ethnicorum erat per minores Deos & Simulachra relativus ad ſupremum Numen; per id tamen non minus erat vitioſus, prout non deſinit illa mulier eſſe adultera, quæ ſe alteri proſtituit cum reſpectu ad ſuum virum, ut

Digitized by Google

ei opes ac dignitates aliquas conſequatur; Nec Deus ullam Creaturam meram unquam eſt evecturus ad *tantam poteſtatis ſublimitatem*, ut eam admittat in conſortium honoris & cultus quem ſibi reſervavit: Id enim ſi faceret, ſeipſum abnegaret, ac derogaret Legi illi æternæ & immutabili, quâ ſe ſolum adorandum & invocandum præſcripſit. Porrò non favet illi imaginationi Socinianæ locus Phil: II, II quo dicitur debere omnem linguam profiteri Jeſum Chriſtum eſſe Dominum *ad gloriam Patris*; ac ſi illa profeſſio ſacra, non intenderet unà cum gloria Patris, ipſius Filij gloriam, qui *Dominus gloriæ* appellatur I. Cor: II, 8. Sed hoc dicitur ab Apoſtolo, quomodo ſæpè in Scripturis, operum Trinitatis ad extra & principium & finis per appropriationem tribuuntur Patri, ex illa ratione quam ſæpiùs notavi, quod ſit fons & origo totius Divinitatis ut communicatur ad intra. Quanquam nihil cauſæ erat Volkelio in hoc Pauli loco recedendi à Vulgata Verſione, quæ ſumendo εἰς pro ἐν, quod frequenter fit in N. T. reddit *in gloria Patris*, ac ſi velit Apoſtolus omnem linguam profiteri Jeſum Chriſtum eſſe Dominum *in gloria Patris*, ideſt quod in illo ſuo Dominio ſublimi, non minus Paternæ gloriæ, majeſtatis & potentiæ, quam naturæ & eſſentiæ ſit conſors.

Ut tamen adverſarii ſuam coëſſentialitatem ſtabiliant, afferunt illa Dei verba, quibus gloriam ſuam alteri ſeſe daturum negat. (*Eſa*:42.8:48.11) Sed triplici ratione errant: primùm in verbis *gloriam meam*; deinde in voce *dabo*; denique in dictione *alteri*. Nam quod attinet ad verba *gloriam meam*; conſtat, Deum ſuam propriam gloriam, quæ eſt, ut omnium rerum fon-
440. tem atque originem coli atque adorari, Chriſto minimè dediſſe.

‡ *Ut tamen adverſarii*] Modò benè percipiatur, quid his duobus locis Eſ: XLII, 8. & XLVIII, II. ſignificet Dei *gloria* quam ſe alteri non daturum Jehova profitetur, facilè conſtabit quam meritò noſtri inde argumententur, ut probent Deum non paſſurum, multo minus mandaturum unquam fuiſſe, ut honor cultuſque adorationis, invocationis, fiduciæ &c. ſibi ſoli debitus, unà ſecum deferatur Chriſto, niſi Chriſtus ejuſdem ſecum eſſet eſſentiæ & naturæ. Jam autem dubium non eſt quin Deus agat de ea gloria, quæ ei tribuitur fiduciæ & adorationis cultu; unde ſequitur eum nunquam paſſurum aut permiſſurum, multo minus mandaturum, ut is cultus ei deferatur qui naturâ non ſit Deus. Nec quicquam habent quod nobis obſit omnia Volkelij κρησφύγετα, quæ paucis ſunt excutienda.

Nam quod attinet ad verba] Si *conſtat Deum ſuam propriam gloriam quæ eſt ut omnium rerum fontem atque originem coli atque adorari, Chriſto minime dediſſe*, conſtat itaque minimè Chriſtum coli & adorari debere; Nam cultus & adoratio religionis nemini debetur, niſi ei qui eo-ipſo ſtatuatur prima omnium cauſa, fons & origo omnis boni, adeoque naturâ ſuâ ſit Deus: Ipſe Ethnicus Poeta, dixit eum Deos facere, qui colit, quod cultus religioſus ſoli Numini debeatur. Quin certum eſt à Chriſtianis Chriſtum ipſum coli & adorari ut omnium rerum fontem & originem: Colitur enim ut is per quem omnia facta ſunt & abſque quo factum eſt nihil Joh: I, 3.

Deinde ſi verbum *dabo* ſpectemus, dicimus, haud neceſſariò ex illo conſequi, Deum

Digitized by Google

Deum nulli unquam adorationis gloriam largiri velle: cum *dandi* verbum nonnnuquam non largiendi, ſed permittendi ſignificationem habeat; (*Pſal*: 16.10. *Act*: 2.27.) ut ſit ſenſus, Deum nequaquam permiſſurum, ut contra ſuam voluntatem divinus honor alicui exhibeatur. Quam quidem ſententiam verbis accomodatiſſimam eſſe, inde facilè perſpicitur, quòd ibidem additur, *nec laudem meam ſculptilibus*, ſcil. dabo. Quis enim dubitare poterat, Deum ipſum non impertiturum gloriam ſuam idolis? at Deum non eſſe primiſſurum, ut gloria ſua, ut ipſe loquitur, idolis tribuatur, non perinde conſtabat. Quare de iſto potiùs, quàm de illo, Deus loquitur; & ſic verbum *dandi* permittendi ſignificationem habet.

† *Deinde ſi verbum* dabo] Hæc ſecunda reſponſio, pugnat cum præcedenti: Si enim agit Propheta de illa Dei propria gloria, quam nequidem ipſi Chriſto dedit, quod nulli ſit communicabilis, ut ſtatuit Volkelius, prout revera de ſua propria gloria agit, ſiquidem eam κατ' ἐξοχὴν ſuam appellat, ea gloria, nequidem ſecundum Dei voluntatem, alicui præter ſe poterit exhiberi: Nam prout Deus non poteſt ſeipſum abnegare, ſic non poteſt velle, aut conſentire vel approbare, ut gloria ſua propria, (quam nequidem potuit dare Chriſto, ex hypotheſi Adverſarii) alicui alteri communicetur. Adhæc quicquid hîc ſubtilitatis reſpetur Volkelius in verbo *dandi*, ſanè qui profitetur ſe non permiſſurum vel laturum, ut honos ſibi debitus alicui alteri exhibeatur, multo minus cenſeri poteſt eum honorem ultrò alteri largiturum. Qui non eſt permiſſurus ut quis adulterio polluat ſuam conjugem, quia Zelotes eſt, multo minus eam eſt alii alicui animo lubenti proſtituturus. Nec poteſt hîc obtinere obſervatio de vocabulo *dandi* ex Pſal: XVI, 10. & Act: 11, 27. Nam licet vocabulum *dandi* non ſemper denotet largitionem & beneficentiam denotat tamen utroque hoc loco traditionem & deditionem actualem ex juſtitia ſeveritate & indignatione; ut cùm aliquis datur in [illegible]ſtrinum, aut deditur hoſti, aut traditur lictori vel tortori: Quo ſenſu itaque ſub verbo *dandi* dicebat Propheta Deum non daturum Sancto ſuo videre corruptionem, id eſt non traditurum eum ex ſeveritate & indignatione exedendum ipſimet corruptioni & ab ea conſumendum, poſſum largiri Deum non daturum ſuam gloriam alteri, conſtuprandam videlicet & corrumpendam. Denique ſi velit adverſarius verbum *dandi* ſive tradendi, hîc interpretari de ſola permiſſione, ea utique erit vel juris vel facti. Sed neutrum dici poteſt. Non prius; Nam quod Deus permittit permiſſione juris, fit omnimodo juxta ipſius voluntatem; Quare negando ſe permiſſurum tali modo ut honos divinus alicui alteri præter ſe exhibeatur ex ipſo negat unquam eventurũ ut honor divinus ex ſua omnimoda voluntate communicetur alteri: Non poſterius; Nam revera Deus eo modo ſæpiſſimè permittit ſuum honorem ab Idololatris exhiberi iis qui naturâ Dii nõ ſunt, quamvis id illis impune non ſit futurum.

Quam quidem ſententiam] Nihil eſt hîc accommodationis. Nam perinde *conſtabat* Deum non *permiſſurum* permiſſione juris ut gloria ſuâ de qua ibi loquitur Idolis tribuatur, ac certum erat *Deum ipſum non imperiturum* illis *ſuam gloriam.* Si verò id ſonet hæc loquutio, Deum non permiſſurum nec paſſurum, ut id fiat impunè, præterea quod huc non faciat acceptio vocis *dandi* notata ex Pſal: XVI,

10. & Act: 11, 10. certum eſt in id nunquam Deum conſenſurum, quod, ſe non laturum impune, ſi fiat, tàm ſolemniter declarat, adeoque non poſſe fieri ut ultrò ipſe impertiatur alteri eum honorem de quo declarat non fore cuiquam impune ſi ulli præter ſe illum detulerit.

Denique ſi voce *alteri* Chriſtum hominem divinâ gloriâ aut excludi, aut ejusdem eum cum Patre eſſentiæ eſſe probari dixerint, utrobique falluntur: cùm ipſe ſermonis contextus oſtendat, per vocem *alteri* non eos intelligendos eſſe, qui à Deo dependent, ei-vè ſunt ſubordinati, qualis eſt Dominus Ieſus: ſed illos omnes, qui Deo ita ſunt oppoſiti, ut gloria illis adhibita, ad ipſum minimè redundet: qualia ſunt idola, & Dii gentium, ibidem commemorati. Etenim ad vocem *alteri* meliùs explicandam, ſtatim ſubjiciuntur verba paulò ante à nobis adducta, *Nec laudem meam ſculptilibus*.

† *Denique ſi voce* alteri] Sed neque hæc reſponſio magis quam præcedens poteſt conciliari cum priori: Ita enim Deus hanc gloriam ſuam facit, ut planè ſit incommunicabilis alteri, & eo ipſo Deo opponitur non ſubordinatur, omnis ille cui hæc gloria defertur. Nemini enim ſubordinatè ad Deum gloria illi ſoli debita abſque ſacrilegio & Idololatria deferri poteſt. Quis dubitet Angelos à Deo dependere & ei ſubordinari? An ergo inde putabis Angelorum θρησκείαν expreſsè Paulo damnatam Coloſſ: 11, 18, poſſe vel probari, vel excuſari? Et quis neſcit Idololatras relativè ad ſupremum Numen ſuos Deos inferiores ac minorum gentium coluiſſe & adoraſſe? Mens Iſraelitarum in vitulo aureo, Micæ in ſuo ſculptili, Jeroboami in vitulis Danis & Bethelis, erat ut illorum ſuorum Simulachrorum cultus ad ipſum Jehovam redundaret; Nec tamen ideo minus Idololatræ fuerunt: Imò quiſquis & quicquid ex meris Creaturis ſubordinatur aut conjungitur Deo, in ordine ad cultum & honorem religionis, illi eo ipſo opponitur & mutatur in Idolum, & illicitis ſculptilibus debet annumerari. Tum ludit iſte homo in vocibus dependentiæ & ſubordinationis: Si enim ea ſit tantum ordinis & perſonæ, qualem inter Patrem & Filium agnoſcimus, qui ita dependet à Patre & ei ſubordinatur, *alterius* nomine exprimi ſimpliciter non poteſt: quia licet ſint Pater & Filius alius & alius, non ſunt tamē aliud&aliud: Neque hīc Deus ſumitur ὑποστατικῶς de Patre, ſed οὐσιωδῶς, de tota S.S. Trinitate, cùm profitetur ſe alteri ſuam gloriam non daturum. Si verò dependentia & ſubordinatio intelligatur naturæ & eſſentiæ, certum eſt eos qui ita à *Deo dependent ei-ve ſunt ſubordinati*, de facto illi opponi & Idola teterrima fieri, quoties cultus illis defertur religioſus & divinus.

Jam quod ad ea attinet teſtimonia, quę poſſeſſionis ratione Chriſtum cum Patre conjungunt, illa Chriſti verba potiſſimùm huc ſpectare videntur: (*Ioh*: 16, 15: & 17, 10.) *Omnia quæ Pater habet, mea ſunt*. item, *Omnia mea tua ſunt, & tua mea*. Ratio autem, quæ ex his teſtimoniis ducitur, vel in eo conſiſtit, quòd & vox *omnia* etiam ſubſtantiam Dei ac Chriſti complectatur, vel quòd etiamſi eſſentiam non complectatur, ex iſta tamen omnium rerum communitate, quæ inter Patrem & Filium ſit, conſequatur, eorum eſſe eandem numero ſubſtantiã.

Digitized by Google

‡ *Iam quod ea attinet*] Argumentum hoc ab omnium communitate Filij cum Patre, ex locis Joh: XVI, 15. & XVII, 10. optimè procedit, Nam quorum eſt commune jus, eorum quoque communem poteſtatem & commune imperium oportet eſſe; Nemo verò cum Deo Patre, commune jus, communem poteſtatem, commune imperium habere poteſt, qui non ſit cum ipſo ejuſdem eſſentiæ & naturæ.

Prius nulla ratione nititur: cum communis loquendi conſuetudo ferat, ut in hujusmodi verbis ea tantùm omnia intelligantur, quæ in alicujus ſunt poteſtate, & à ſubſtantia ſeu eſſentia ejus, qui ea habere, vel cujus ea eſſe dicuntur, diſtincta. Quo pacto pater ille in parabola à Chriſto introductus, (*Luc*: 15.31.) ita filium alloquitur: *Omnia mea tua ſunt*; & de primis Chriſtianis in Actis legimus, *Omnia iis fuiſſe communia*; (*Act*:4.32.) quemadmodum etiam vulgò dicitur, *Amicorum omnia eſſe communia*; quę nequaquam ad ipſam perſonarum iſtarum eſſentiam, quæ eadem numero exiſtens iis ſit communis, ſed ad bona tantúm ac facultates extenditur.

‡ *Prius nullâ ratione*] At illa communis loquendi ratio ſupponit tamen communitatem naturæ & ſubſtantiæ, ſaltem ſpecificæ, inter eos qui omnia habere communia dicuntur. Talis enim communitas non dicitur intercedere ulli homini cum beſtiis aut Angelis, ſed tantum cum hominibus, ejuſdem per conſequens ſecum naturæ: Cum igitur à pari ad communitatem omnium cum Deo, requiratur aliqua naturæ communitas cum ipſo, ea verò ſpecifica dari non poſſit, qualis inter duos homines, neceſſe eſt ut illa inter Patrem & Filium ſtatuatur numerica, ita ut ſint conſortes ad talem omnium communitatem, ejuſdem numero eſſentiæ & naturæ.

Quo pacto Pater ille] Admitto ſimile ex Luc: XV, 31. Nam ut pater ille jure dicebat ſuo filio *Omnia mea tua ſunt*, quod revera is filius *ſuus* eſſet, ut Juriſconſulti loquuntur; adeoque illo ſuitatis jure ſibi per generationem ex patre obtingente quodammodo dominus omnium; Nam *heredes qui ſui dicuntur vivo quoque patre Domini quodammodo exiſtimantur*, inquit Juſtinianus §. 2. *Inſtitut. de hered. qual. & diff.* Ita jure merito dixit Filius *Omnia quæ Pater habet mea ſunt*, item *Omnia mea tua ſunt & tua mea*; quia Patri *ſuus* eſt, μονογενὴς proprius & per generationem æternam conſtitutus Dominus & heres omnium Heb: 1, 1. Agnoſcat ergo Volkelius tantam neceſſitudinem quoad naturam per generationem à Patre inter Chriſtum & Patrem, quanta erat in illa parabola inter patrem & ſuum primogenitum, ut ſubſternatur in fundamentum ſimilis communitatis omnium.

Et de primis Chriſtianis] Atqui primò illa communitas Act: IV, 32. erat tantum quoad χρῆσιν, uſum & fructum, non quoad κτῆσιν. Utramque verò nempe κτῆσιν & χρῆσιν, ideſt uſum & proprietatem, complectitur ea communitas quæ Filio cum Patre intercedit. Deinde, ut illius communitatis bonorum inter primos Chriſtianos fundamentum erat alia quædam communitas; 1. Naturæ & eſſentiæ; 2. cordium & animorum; 3. fidei & pietatis; Sic illi communitati omnium bonorum quæ Filio cum Patre intercedit alia quædam communitas debet ſubſterni, nempe voluntatis, potentiæ, ſapientiæ, adeoque & naturæ.

Quemadmodum etiam vulgo] Sed hæc quoque communitas omnium bonorum

inter

inter amicos, oritur ex illo alio vulgari axiomate *Amicitia pares vel invenit vel facit*; Nemini autem paritas cum Deo poteſt convenire, ita ut rapinam non ducat ſe parem eſſe Deo; qui ejuſdem non ſit cum ipſo eſſentiæ & naturæ.

441. Ex quibus etiam patet, poſterius quo iſtiuſmodi argumentatio niti queat, nullius eſſe roboris: quandoquidem duo aut plures rectiſſimè dici poſſunt omnia habere communia, licet eandem numero ſubſtantiam non habeant. Quod hic tantò eſt manifeſtius, quòd ſacræ literæ apertè dicant, omnia Chriſto à Patre data eſſe; (*Matt*: 11, 27. *Johan*: 3. 35.) id quod non obſcurè Chriſtus indicavit loco poſteriore, (*Ioh*: 17, 9, 10. *vid*: *etiam*: ℣. 6, 7.) cùm de diſcipulis ſuis, qui *omnium* iſtorum numero continentur, dixit, eos ſibi à Patre datos eſſe.

‡ *Ex quibus etiam patet*] At verò cùm *duo aut plures rectiſſimè dici* nequeant *omnia habere communia* niſi ſaltem ſpecificè loquendo ejuſdem ſint naturæ, ut v. g. vir & uxor, eo ipſo neceſſe eſt Filium, ut omnia bona cum Patre habeat communia, *eandem* vel *numero* vel ſpecie habere *ſubſtantiam* cum ipſo: Poſterius dici nequit quin polytheiſmus ſtatuatur; Ergo prius eſt omninò agnoſcendum.

Quod hic tanto eſt] Imò hoc adſtruit quod volumus; Nam omnia ſunt data Chriſto à Patre, ideſt jus & proprietas ac poteſtas in omnia Matt: XI, 27. Joh: III, 35. tanquam Filio ſuo unigenito, idque per æternam illius generationem quâ dicitur Pater dediſſe Filio ut habeat vitam in ſeipſo Joh: V, 26. ideſt revera illi communicavit tanquam hæredi omnium Heb: 1, 2. eſſentiam & naturam divinam. Nec tamen illa donatio omnium quorum fit mentio Matt: XI, 27. & Joh: III, 35. debet confundi cum ea cujus meminit Chriſtus Joh: XVII, 6. 9. 10. ubi *de diſcipulis ſuis dixit eos ſibi à Patre datos eſſe*: Nàm *omnia* ideſt omnes creaturæ, ſive jus, proprietas, poteſtas, & ſumma in omnia creata authoritas, ſunt data Chriſto quà Deo ut ſummum in omnia imperium cum Patre habenti; At diſcipuli cœterique electi ſunt ei dati quà Mediatori, ut eos redimat ex ſuis peccatis & traducat ad gloriam & fœlicitatem æternam. Etenim priori ſenſu univerſus mundus & quicquid eo continetur, datum eſt Chriſto, nequidem ipſis dæmonibus exceptis, qui ipſi obedire coguntur; at dicuntur ex *mundo* electi nec eſſe ex *mundo* illi diſcipuli quos Pater dedit filio redimendos com. 6. 16. Unde etiam disertè profitetur com. 9. ſe pro his tantum orare, non *pro mundo*.

Conſequens nunc eſt, ut de illis vocibus ſententiiſque videamus, quæ Chriſti cum Patre conjunctionem, quantumvis arctiſſimam, obſcuriùs tamen explicant. Intelligendum igitur eſt, eas iiſdem de utroque prædicatis potiſſimùm contineri, quæ hic de Chriſto, illic de Deo enuncientur: idque rurſus dupliciter fieri, vel ita, ut non ſignificetur, id, quod de Deo dictum aliquando fuerat in Chriſto impleri, licet interim fieri queat, ut ad loca de Deo loquentia alludatur; vel ut id etiam fieri intelligendum ſit. Prioris generis exempla ſunt, cúm Chriſtus itidem primus & noviſſimus dicitur, ut ipſe

Digitized by Google

ipſe Deus: (*Eſa*: 41.4: 44. 6: 48.12. *Apoc*: 1.17: 22.13.) item, cùm tam hic, quam ille, dicitur lapis offenſionis. (*Eſa*: 28. 16. *Rom*: 9. 33.) Horum neutrum coëſſentialitatem iſtam conſtituere, inde perſpicitur, quòd nihil vetat, quominus duobus, quantumvis diverſis, ſimilis, vel etiam una eademque res conveniat. Ne tamen hęc leviter tranſire videamur, utrumque ſeorſim juſtis ponderibus examinabimus.

† *Conſequens nunc eſt*] Benè eſt quod ex locis quæ Volkelius ſumit porrò examinanda, agnoſcit colligi meritò *Chriſti cum Patre conjunctionem arctiſſimam*, quæ ſanè eſſentialis omninò eſt aſſerenda. Sed quam præcautionem hic in genere vult proponere circa hæc loca ſibi citata, non poſſumus admittere; Quamvis enim *duobus diverſis ſimilis res* convenire poſſit, tamen primò duobus diverſis *una eademque* res numero convenire nequit, accuratè loquendo, quicquid garriat hæreticus; Tunc enim idē numero accidens deberet duobus non tantum diſtinctis ſed totâ naturâ diverſis ſubjectis convenire, quod ſanior ratio nunquam concedet. Deinde ſi fateatur unam eandemque rem convenire Patri & Filio, eo magis neceſſe eſt eos convenire in eadem eſſentia & natura divina, quod cùm nihil ſit in Deo quod Deus non ſit, nulla poteſt res eſſe in Patre quæ itidem conveniat propriè ſuo Filio, quæ non ſit ipſiſſima divinitas: Et cum diſtantia ſit infinita inter Creatorem & Creaturam, nihil poteſt concipi aut dari quod ſimul utrique & eodem planè modo conveniat. Nec poſſet *id quod de Deo dictum aliquando fuerat, in Chriſto impleri*, quin aut figuratè non propriè de Deo id dictum fuerit, vel Chriſtus propriè ſit Deus, eo quod in ipſo impleatur quod de Deo futurum prædixerant ſacræ literæ: Sed ad ſingulorum magis ſpeciale examen cum ipſomet Volkelio procedamus.

Primò igitur, quòd Chriſtus itidem, ac Deus Pater ipſius, primus ac noviſſimus appellatur, (*Eſa*: 41. 44. 6: 48. 12. *Apoc*: 1. 17: 22. 13.) nihil planè momenti habet ad conſubſtantialitatem iſtam concludendam: cùm quis nullâ ejus habita ratione, jure primus noviſſimusque dici poſſit, dummodo rei, qua de agitur, principium ac finis meritò queat appellari. Neque enim neceſſe eſt, ut verba iſta ſimpliciter & abſolutè de Chriſto uſurpata eſſe intelligamus: cùm nec de ipſo Deo ſimpliciter abſoluteque facta iis in locis ſint, ex quibus ſunt deprompta. Loquitur enim in iis Propheta vel ſolùm, vel præcipuè de populi Iſraelitici formatione, electione, redemptione, defenſioneque ac conſervatione, ut loca illa ſtudioſè legenti patet. Quò fit, ut nullum alium ſenſum verba iſta continere videantur, quàm fruſtra Iſraëlitas in alio, præter Jovam, ſalutis ſuæ præſidium poſituros: cùm ipſe eam & inchoaverit, & ad extremum uſque conſervaturus ſit. Manifeſtum igitur eſt, ut quis primus noviſſimusque jure vocetur, non neceſſe eſſe, quemadmodum paulò antè diximus, ut vel unus ille Deus, vel eidem conſubſtantialis ſit, ſed ſatis eſſe, ut rei, de qua diſputatur, principium ac finis meritò dici poſſit:

perat; & cap. XXII, 13. idem omninò repetit ἐμφατικοτέρως, dicens, *Ego ſum α & ω, principium & finis, primus & noviſſimus*: quibus verbis dubium non eſt Chriſtum ſibi idem omninò tribuere quod tribuitur Jehovæ apud Eſaiam, adeoque ſe cum Patre & Spiritu Sancto verum illum & æternum Deum aſſerere. Nec ſanè hæc de Jehova apud Prophetam, aut de Chriſto apud Johannem dicuntur reſtrictivè & limitatè, alicujus tantum rei particularis reſpectu, ut ſomniat Volkelius, ſed *ſimpliciter & abſolutè*, adeoque veram & propriè dictam æternitatem denotant.

Loquitur enim in iis] Hæc omnia tam timidè enunciat hęreticus, ut ſatis oſtendat ſe ſuæ reſponſioni non fidere: Licet enim *præcipue* eò ſpectet Propheta ut doceat *fruſtra Iſraelitas in alio præter Iovam ſalutis ſuæ præſidium poſituros*, tamen illi fiduciæ excitandæ potiſſimum inſeruit illa quam proponit deſcriptio ſuæ majeſtatis, æternitatis & gloriæ, ex qua etiam vult colligi nullum præter ſe eſſe Deum, & ſe à falſis numinibus diſtingui Eſ. XLIV, 6. 7 & cap. XLVIII, 12. 12. inde ſe dicit primum & noviſſimum, non utique ſalutis tantum Iſraeliticæ, quam ipſe *& inchoaverit & ad extremum uſque confirmaturus ſit*, ſed abſolutè & univerſaliter omnium rerum, quod manu ſuâ fundaverit terram, & dexteræ ſuæ palmo extendat cœlos. Id verò eſt tralatitium in Sacra Sriptura, ut quæ Deo abſolutè conveniunt traducantur & applicentur tamen ad conſolationem piorum, & plurimum habeant momenti firmandæ illi noſtræ fidei, quâ in illius promiſſis acquieſcere debemus.

Manifeſtum igitur eſt] Imò ut hoc elegium abſolutè & ſimpliciter tribuitur Jehovæ apud Eſaiam, ita illimitatè & abſque reſtrictione tribuitur Chriſto in Apocalypſi; nec Volkelius proferet in æternum ullam rationem diverſitatis inter hæc loca; nec auſit diffiteri, eum verè Jehovam & naturâ Deum eſſe agnoſcendum, cui veri Jehovæ tituli & attributa eſſentialia, propriè & illimitatè conveniunt.

Ipſe enim verborum contextus indicat, & de eo verba fieri, qui, mortuus cùm fuiſſet, revixerat (*Apoc*: 1. 11.) & porrò eum non omnium prorſus rerum, ſed earum tantùm omnium ratione primum ac noviſſimum dici, quæ ad humani generis ſalutem, ſeu mavis, ad Eccleſiam pertinent. Earum enim Chriſtum ita principium finemque eſſe, ex univerſa ſcripturæ analogia patet, ut Deo auctore primus Eccleſiæ militantis ſalutisque noſtræ fundamenta jecerit, eandemque non alius præter ipſum finiturus, atque ad faſtigium ſuum perducturus ſit: Primus enim beatæ immortalitatis viam oſtendit ac comprobavit; nec unquam alius extiturus eſt, qui novi aliquid huc pertinens, orbi terrarum annunciet. Fœdus quippe, quod Dei nomine nobiſcum pepigit, ſempiternum eſt: adeò ut meritò dicatur, (*Heb*:13.8.) *Ieſus Chriſtus heri & hodiè idem, & in ſecula*; nec injuriâ ibidem (*com.* 9.) alienis doctrinis variisque prohibeamur. Quemadmodum autem Chriſtus primus ac ſolus Dei nomine ſalutem nobis annunciavit ac confirmavit, ejusque adipiſcendæ rationem oſtendit, adeò ut cæteri omnes qui aliquid ad eam rem contulerunt, à Chriſto toti pependerint, eique hac in parte ſub ſervierint; ſic nunc nemo alius eſt,

Digitized by Google

cui ſalutis noſtræ univerſæ cura à Deo commiſſa ſit; nemo etiam alius eſt, qui eam nobis tandem reipſa ſit exhibiturus.

‡ *Ipſe enim verborum contextus*] Ita quidem eſt, Chriſtum qui Apoc. 1, 17. de ſe dixerat, *Ne metue, Ego ſum primus & noviſſimus*, ſtatim hæc verba adjicere com. 18 *& qui vivo ſed fui mortuus, & ecce vivo in ſecula ſeculorum*; Verum hæc nō adjicit de ſua morte quo neget ſe ſimpliciter α & primū eſſe, ut abſolutè & ſimpliciter eſt ω & ultimus futurus, ac victurus in ſęcula ſęculorum; Sed quò oſtendat nihil de ſua æternitate divinâ delibatum fuiſſe per illam ſuam mortem, quam ceu homo ſuſtinuit & guſtavit pro omnibus ſuis. Hinc Andræas Cæſarienſis ſcriptor antiquus, commentario *ad hunc locum* ita eum παραφράζει; *Nihil metuas; neque enim ob id huc veni ut morti te dedam; Etenim cum principii finiſque expers eſſem, mortem hominum cauſâ ſubire non detrectavi*; Quæ ergo garrit Volkelius ut inde probet Chriſtum hîc *non omnium prorſus rerum, ſed earum tantum omnium ratione primum ac noviſſimum dici, quæ ad humani generis ſalutem ſeu mavis ad Eccleſiam pertinent*, omni carent fundamento; cùm Chriſtus non ideo ſe mortuum fuiſſe dicat, ut explicet quomodo ſe primum & noviſſimum dixerat, ſed potiùs ut inſinuet illam ſuam mortem nihil penitùs de abſoluta ſua æternitate detriviſſe: Huc potiſſimum facit quod Chriſtus ſibi tribuat quod cùm eſſet ὁ ζῶν & vivens, nihilominus factus fuerit νεκρὸ ſive mortuus, ita ut mortificatus carne, Spiritu tamen illo æterno, per quem ſeipſum obtuliſſe dicitur Heb. IX, 14. ſemper vivus & immortalis, imò ipſa vita & reſurrectio, remanſerit.

Earum enim Chriſtum] Non ſatis ſecum concordat hæreticus; Si enim earum rerum quæ ad ſalutem noſtram pertinent, Chriſtus eſt primus & ultimus, ergo ſaltem hoc encomium illi competet earum reſpectu, eodem modo quo fingit Deum apud Eſaiam ſe vocare primum & noviſſimum in ſalute Iſraelitarum; Atqui Jehova ibi hoc erat ex ſeſe; Ergo & hîc Chriſtus debebit idem eſſe ex ſeipſo, non per ſubordinationem ad alium, à quo totâ natura & eſſentiâ in infinitum differat. Deinde non video qui Chriſtus dici poſſit in Theologia Sociniana α & ω, primus & noviſſimus in ſalute Eccleſiæ, ſi merè miniſterialiter, ut iſti homines volunt, ſe ad illam habuerit; nemo enim poteſt ſtatui α & ω, principium & finis ullius operis, qui illud non propriâ virtute ex ſeſe & ſuis viribus inchoarit & conſummaverit; ſed Deo *auctore*, & ex illius mandato ac nutu, ut non tam ſe illius principium queat vocitare, quam teneatur illud Virgili recitare & uſurpare, *A Iove principium*. Adde quod ſpecialius non tollat generale, nec ideo deſinat Chriſtus eſſe principium & finis *omnium prorſus rerum*, quod ſit ſpeciatim principium & finis ſalutis Eccleſiæ; cùm hoc nequeat dici, quin illud per prius ſtatuatur. Ne dicam Volkelium valde jejunè hunc Chriſti primatum in noſtra ſalute exprimere eo quod non aſſurgat ultra prædicationem Euangelij, cui vacavit dum in carne verſaretur: Atqui hoc ſenſu, non poteſt dici de Chriſto quod *primus beatæ immortalitatis viam oſtendit ac comprobavit*; cùm ante Chriſti incarnati tempora, eandem viam oſtendiſſent & comprobaſſent Moſes & Prophetæ; quod ipſe Chriſtus confirmat tum multis aliis locis, tum maximè Joh. V. 39. *Scrutamini Scripturas; quia vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere; & illæ ſunt quæ teſtantur de me*.

Fœdus quippe quod Dei] Fœdus hoc, ſempiternum eſt multifariàm; Nempe 1, originaliter, quia proceſſit ex æterno Dei

Digitized by Google

no Dei conſilio; 2. terminativè, quia manet in æternum; 3 fundamentaliter & ſubjectivè, quia ipſe Chriſtus, in cujus manu pactum eſt, eſt *Pater æternitatis* Eſ: IX. 5. *cujus exitus eſt inde à principio, à diebus ſæculi* Mic. V, 2 *α & ω*, *principium & finis, primus & ultimus.* Apoc: XXII, 13. *ut meritò eo reſpectu, non ſolius durationis in futurum, dicatur Ieſus Chriſtus heri & hodie idem & in ſæcula* Heb: XIII, 8 ut non *injuriâ ibidem* com. 9. *alienis doctrinis variisque prohibeantur*, quod Euangelium Chriſti, ut pote veri æternique Dei, qui idem ſemper manet & cujus anni non deficient Heb. 1, 12. ſit eo ipſo illud verbum Dei quod manet in æternum. Porrò Chriſtus non tantum *Dei nomine ſalutem nobis annunciavit & confirmavit*, quod perperam illi primò tribui ante dictum, ſed etiam illam ipſam nobis paravit: acquiſivit, confecit ſuâ ſatisfactione & morte, quo potiſſimum reſpectu eum vocat Apoſtolus Heb: X: 1, 2. τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν, *fidei ducem* ſive auctorem, ut alii reddunt, *& confirmatorem.*

Atque hanc eſſe cauſam, cur ſeſe Chriſtus hoc nomine appellet, indicio eſt, quod ibi mox ſubjunxit, ſeſe, quamvis mortuus fuiſſet, vivere tamen in ſecula ſeculorum, & habere claves mortis & inferni. quaſi dicat; ideo me primum & ultimum vocavi, quia, etſi, dum primum ſalutem ſempiternam hominibus annuncio, mortuus fui: tamen revixi ita, ut in perpetuum victurus, & inchoatum ſalutis opus ad finem ipſemet perducturus ſim, meos omnes ex mortis atque inferni clauſtris, quorum aperiendorum pleniſſimam poteſtatem habeo, eripiendo, atque ad ſempiternam vitam perducendo. Vnde peſpicuum eſt, conſubſtantialitatem iſtam, quâ Chriſtus Patri conjunctus ſit, hinc elici nullo modo poſſe; niſi hominem iſtum, qui hunc titulum ſibi vendicat, quique mortuus fuit & revixit, quatenus homo eſt, ſummum illum immortalemque Deum eſſe volumus.

‡ *Atque hanc eſſe cauſam*] Sophiſma eſt à non cauſa ut cauſa prout ante dictum eſt. Nàm ad humanitatis quondam aſſumptę infirmitatem & conditionem pertinuit, quod ſemel mortuus ſit, ac mortem in carne pro nobis oppetierit; Sed ad vivificam æternæ ſuæ divinitatis potentiam exprimendam ſpectat, *quod ibi mox ſubjunxit, ſeſe quamvis mortuus fuiſſet, vivere tamen in ſæcula ſæculorum & habere claves mortis & inferni*; Id etenim nonniſi Deo verè æterno, immortali & omnipotenti poteſt convenire, ut ſuos omnes *ex mortis atque inferni clauſtris, quorum aperiendorum pleniſſimam poteſtatem* habet, eripere, atque *ad ſempiternam vitam* perducere, poſſit.

Vnde perſpicuum eſt] Imò vel hinc hæc Filii cum Patre conſubſtantialitas optimè colligitur, quod illa quæ in Scripturis extant de Chriſto elogia, ſoli æterno, ſummo & immortali Deo queant convenire. Nec repugnat *hominem iſtum qui hunc titulum ſibi vendicat, quique mortuus fuit & revixit quatenus homo eſt*, unà *ſummum illum immortalem Deum eſſe*, quatenus merus homo non eſt, ſed verus θεάνθρωπος & Immanuel noſter; qualem revera ſe hic loci deſcribit Chriſtus, ſibi tribuendo quà homini, quod mortuus fuerit & revixerit, ſed quà Deo, quod ſit α & ω primus & noviſſimus, vivens in ſæcula, & habens claves mortis & inferni.

Quòd præterea tam Chriſtus, quàm Deus Pater ipſius, lapis offenſionis appellatur, (*Eſa*: 28. 16. *Rom*: 9. 33.) ſimiliter adverſariorum cauſæ præſidii nihil adfert: cùm, ut ſupra diximus, nihil quicquam prohibeat, quominus duobus, aut etiam pluribus, quantumvis diverſis, eadem conveniant. Adde, quòd Deus ille ſummus ita ſit lapis offenſionis, ut à nulllo alio ſit poſi-
443 tus ac conſtitutus. Chriſtus autem ita lapis offenſionis eſt, ut à Deo ſit poſitus ac conſtitutus, quemadmodum tum Paulus, tum Petrus ſat luculenter teſtantur. (*Rom*: 9, 33. 1 *Pet*. 2, 7. *conf. etiam* ℣. 6.)

† *Quod præterea tam Chriſtus*] Hìc ſanè toto cœlo, quod ajunt, errat Volkelius, & ſupinè nimis verſatus eſt in horum locorum collatione, ſcilicet Eſ: XXVIII, 16. & Rom: IX, 33. nec videtur aſſequutus mentem noſtrorum in hoc argumento: Neque enim noſtri ex duobus iſtis locis inter ſe collatis eo fine argumentantur ut probent, ideo eſſe Filium conſubſtantialem Patri quod non minus Filius ab Apoſtolo, quam Pater à Propheta, *Lapis offenſionis* appelletur; Sed tale eſt noſtrorum argumentum; Is eſt verus Jehova, naturâ & eſſentiâ Deus ſummus & æternus, quem Propheta eo loci deſcribit tanquam lapidem offenſionis; Atqui hunc eſſe Chriſtum teſtatur Apoſtolus; Ergo Chriſtus eſt verus Jehova naturâ & eſſentiâ Deus ſummus & æternus: Non debeo jam laborare de majori, quam ultrò concedit adverſarius; Imo cùm exigatur fiducia plena in hunc ipſum lapidem, dicantque duo Apoſtoli, Paulus hìc loci & Petrus 1. II, 6. quod *quiſquis credit in eum non pudefiet*, non alius is lapis eſſe poteſt quam qui tam ſæpè in Scripturis *Rupes* ſæculorum & ſalutis Iſraelis appellatur: Ne dicam quod Eſ. VIII, 13. 14. ipſemet Jehova conceptis verbis dicatur futurus improbis in lapidem offenſionis; *Jehovam exercituum ipſum ſanctificate, is ſit timor veſter, is ſit pavor veſter, & is erit vobis in ſanctuarium; in lapidem autem offenſionis & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael*, &c. Nec quiſpiam poterit ſomniare alium intelligi cap. 18. quam hìc. Ut de minore non dubitemus, facit duorum ſummorum Apoſtolorum authoritas, omni exceptione major, qui illud Eſaiæ dictum de Chriſto intelligendum eſſe conceptis verbis docent. Et ſic in fumum abit, quod dicit Volkelius, *nihil quicquam prohibere quominus duobus aut etiam pluribus, quantumvis diverſis eadẽ conveniant*; Nam præterea quod viſum ſuo loco, id juxta accuratam philoſophandi rationem verum non eſſe, cùm diverſæ naturæ aut ſpeciei eſſe nequeant illi quibus eadem attributa eſſentialia & ſpecifica conveniunt; hìc ſanè duo non ſunt concipiendi quibus conveniat eſſe hunc lapidem pretioſum & offenſionis, ſed ex mente tum Prophetæ tum Apoſtolorum unus tantum Chriſtus, qui etiam ſeipſum talem eſſe ſtatuit Matt: XXI, 42. 43. 44. Multo ineptior eſt altera ἐνστάσις adverſarii. Nam revera etiam *lapis* ille *offenſionis* quem apud Eſaiam fatetur Volkelius eſſe Deum ſummum, æquè à Propheta dicitur *poſitus & conſtitutus*, ac ab ipſis Apoſtolis. Paulus ita habet; Quemadmodum ſcriptum eſt, *Ecce ſtatuo in Sion lapidem ad quem impingetur & petrã offendiculi, & quiſquis credit in eum non pudefiet.* Petrus ita; *Quapropter etiam continetur in Scriptura, Ecce ſtatuo in Sion lapidem in imo angulo, electum, pretioſum, in quem qui credit nequaquã pudefiet.* Eſaias verò habet juxta V. V. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum: qui crediderit*

non

Digitized by Google

non feſtinet; Ex hac comparatione id quidem apparet Apoſtolos non omnia epitheta hujus lapidis expreſſiſſe quæ leguntur apud Prophetam, & videatur Paulus in ſuæ citatione ſimul reſpexiſſe ad duo diſtincta loca, nempe Eſ. VIII, 14. & XXVIII, 16. Etenim in priori demum non in poſteriori, *lapis offenſionis* appellatur. Sed tamen habere Prophetam non minus quam Apoſtolos de iſto lapide eum *poſitum* & *conſtitutum* eſſe à Domino, indidē liquet evidenter, ut non repugnet Jehovam & Dominum eſſe qui tamen dicatur à Jehova poni & conſtitui in lapidem fundamentalem & offenſionis ſimul; prout dicitur Gen. XIX, 24. Jehovam à Jehova demiſiſſe pluviam ſulphuris & ignis ſuper Sodomam & Gomorrham.

Sequitur, ut ea videamus teſtimonia, in quibus aliqua ratione ſignificatur, id, quod de Deo aliquando dictum fuerat, in Chriſto impleri. Hunc autem præter alia ſcripturæ loca, de quibus inferiùs commodior erit agendi locus; pertinent illa, in quibus verba Dei apud Zachariam, *Aſpicient me quem transfixerunt*; (*Zachar*: 12. 10. *Ioh*: 19. 37. *Apoc*: 1. 7.) & illa Davidis de Deo, *Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus*; (*Pſal*: 68. 19. *Epheſ*: 4. 8.) & iſta ejusdem, *Et adorent eum omnes angeli*, vel *Dii*; (*Pſ*: 97: 7. *Heb*: 1. 6.) & illa denique verba apud Eſaiam, *mihi ſe flectet omne genu*; (*Eſ*: 45. 24 *Rom*: 14. 11.) ad Chriſtum referuntur, & in eo impleri, ſive apertè, ſive tacitè dicuntur. Hîc primò generatim reſpondemus, nequaquam neceſſe eſſe, ut quia utrumque teſtimonium olim de Deo Patre, poſtea verò de Chriſto dictum eſt, idcirco Chriſtum eâdem eſſentiâ Patri copulatum eſſe ſtatuamus. Præter quam enim, quòd hoc in eorum eſt numero, quæ fieri nullo pacto poſſunt; ſatis eſt; nos hîc ſummam Dei Patris neceſſitudinem cum Chriſto, quæ in ardentiſſimi amoris, ſummi imperii, ampliſſimæque poteſtatis, & diviniſſimi muneris conjunctione ſita eſt, conſiderare.

1 *Sequitur ut ea videamus*] Vis argumenti iſtius hæc eſt; Si quæ de Jehova in V. T. prædicta fuerant, *in Chriſto impleri* dicuntur, neceſſe eſt Chriſtum eſſe illum Jehovam; cùm vaticinium verum eſſe nequeat, niſi impleatur in illa ipſa perſona de qua factū eſt; At verum prius exiſtis locis inter ſe collatis; Ergo & poſterius. Generale reſponſum Volkelij nullum eſt; *nequaquam neceſſe eſſe, ut quia utrumque teſtimonium olim de Deo Patre, poſtea verò de Chriſto dictum eſt*, idcirco Filium Patri coeſſentialem ſtatuamus: Nam 1. falſò ſupponit has non fuiſſe prædictiones de Filio; ut revera tales eſſe nequiverunt, negatâ coeſſentialitate Filij cum Patre; ſi ante exhibitum Filium de ſola perſona Patris erant intelligendæ. 2. Propter unitatem eſſentiæ, non repugnat, ut id quod citra controverſiam convenit Patri, eodem gradu ac ſenſu etiam Filio tribuatur, quale eſt illud quod ex Pſal. CII, 26. 27. 28. Chriſto applicatur Heb. 1, 10. 11. 12. 3. Dum hanc coeſſentialitatem ſupponit Volkelius *in eorum eſſe numero quæ fieri nullo pacto poſſunt*, id ponit quod falſum eſſe ſatis ſuperque ſuo loco demonſtravimus. 4. Nequit *ſummam Dei Patris neceſſitudinem cum Chriſto* agnoſcere, ſitam etiam in *ſummi imperii & ampliſſimæ poteſtatis* conjunctione; quin eo

ipſo

ipſo ſtatuat quod volumus; eo quod *ſumma* neceſſitudo Patris cum Filio hanc coeſſentialitatem exigat, tanto magis quod ſummum imperium in omnes & omnia nequeat ei convenire, qui eſſentiâ & naturâ Deus non ſit; cùm ampliſſimæ, ſummæ & infinitæ poteſtatis adminiſtratio, ſummam & infinitam potentiam exigat, cujus mera Creatura capax eſſe nequit.

Verùm ut ſpeciatim reſpondeamus, operæ pretium eſt ratiocinationem ex priore teſtimonio ductam paulò diligentiùs examinare. Negamus ergo, ex eo, quòd verba Dei, *aſpicient me, quem transfixerunt*, (*Zach*: 12. 10.) ad Chriſtum referantur, & in eo impleri ſtatuantur, (*Ioh*: 19. 37. *Apoc*: 1. 7.) conſequi Chriſtum eſſe illum, ipſum Deum, qui apud Prophetam ita loquens introducitur: cùm ſatis ſit, id, quod Deus de ſe dixit, tunc impletum fuiſſe, cúm Chriſtus fuit transfixus, ita ut Deus in Chriſto, atque ut ita dicam, per Chriſti latus confoſſus ac transfixus fuerit. Homines enim ſcelerati Chriſtum transfigendo, Deum ipſum transfixiſſe, haud aliter dici poſſunt, ac illi, qui Iſraelitas tangendo, Dei oculi pupillam, ut eſt apud eundem prohetam (*Zach*: 2. 1.) tangere, vel Paulus Eccleſiam perſequendo, ipſum Chriſtum perſequutus eſſe, dicebantur, (*Act*: 9. 45.) eâ nimirum ratione, quam ſuprà explicavimus, ut, quod vel illorum, qui amoris vinculo adſtricti ſunt, uni accidit, alteri accidiſſe, vel quod nuncio evenit, illi, à quo eſt miſſus, eveniſſe intelligamus. Hic nonnulli, ut nobis obviàm eant, concedunt quidem, aliquem vel in nuncio, vel in alio quopiam, qui ad ipſum pertineat, contemni aut negligi, occidi autem nullo pacto poſſe. At quàm aptè nobis occurrant inde patet, quòd non ſolùm ſimpliciter negligi, aut contemni, ſed, etiam tangi in altero alicujus oculi pupillam, & aliquem
444. in aliquo perſecutionem perpeti, divinis teſtimoniis comprobavimus. Quanquam autem perſecutionis nomine & occiſionem contineri dicere poſſemus: id tamen hoc loco dicere neceſſe non eſt: cùm vaticinio illo non occiſionis, ſed compunctionis tantùm fiat mentio, quæ in eo, qui alteri eſt ſubordinatus propriè, in illo verò, cui ſubordinatus eſt, metaphoricè abſque ulla abſurditate contingere poteſt; præſertim cùm figuratam transfigendi ſignificationem ſanctæ literæ planè agnoſcant, ut apparet ex Prov. 7. 23. & Luc. 2. 35.

1 *Verùm ut ſpeciatim*] Certè qui contulerit locum Zachariæ XII, 10. cum iis quæ leguntur Joh. XIX, 37. Apoc: 1, 7. facilè intelliget vaticinium Zachariæ fuiſſe non de perſona Patris, ſed de perſona Filii qui introducatur à Propheta ita loquutus *Reſpicient ad me quem tranſfixerint*; Nam 1. Iohannes Euangeliſta ex hoc loco probat, lanceâ fuiſſe transfigendum latus Domini: 2 Tribuit Propheta aſpicientibus in eum quem transfixerint, luctum acerbiſſimum, qualis ſolet eſſe *de unigenito* & *de primogenito*; Ergo illum nominatim intelligit ut aſpiciendum cum ſummo luctu: ſic priùs transfigendum, qui eſt *unigenitus* Patris & *primogenitus* omnis Creaturæ. 3. Ille ſe videndum & transfigendum dicit apud

apud Prophetam, de quo in Apocalypſi hoc legimus, *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt, & plangent coram eo omnes tribus terræ.* At qui veniet viſibiliter ad judicium univerſi, eſt Chriſtus: Patrem verò nemo vidit unquam, nemo unquam videbit Joh. 1, 18. Nec poteſt Volkelius ſtatuere Patrem *per Chriſti latus* confoſſum & transfixum fuiſſe, quin relabatur in Patripaſſianorum ac Sabellianorum hæreſim, quam nobis quandoque per calumniam impingunt Sociniani: Et quamvis concederemus Patrem prædixiſſe ſe crucifigendum & transfigendum in ſuo Filio, *haud aliter ac illi qui Iſraelitis tangendis* (debuiſſet dixiſſe *Iſraelitas tangendo*) *Dei oculi pupillam tangere* cenſentur Zach. II, 8. vel *Paulus Eccleſiam perſequendo ipſum Chriſtum perſequutus eſſe dicebatur* Act. IX, 4. 5. tamen nondum probatum eſſet, ideo Patrem prædixiſſe ſe videndum ab omni oculo, eo quod Chriſtus ſit futurus conſpicuus omnibus in die judicii. Neque faciunt hæc duo loca quæ citat Volkelius, ad illius ſententiam. Nam in priori Deus teſtatur tangi pupillam oculi ſui ab eo qui tetigerit Iſraelitas, non quo ſignificet ſibi effodi oculos in calamitate Iſraelitarum, ſed quo declaret, non minus ſibi charos eſſe ſuos, quam cuique hominum chara eſt pupilla oculi ſui; quomodo & Deut. XXXII, 10. dicitur Deus cuſtodiviſſe Iſraelem *tanquam pupillam oculi ſui*: Ut quidem eâ phraſi denotetur dilectio, cura, ſollicitudo Dei in ſuos & de illis, non tamen ulla συμπάθεια vel compaſſio. Sic adagialiter eos quos valde diligimus, nobis oculis noſtris chariores eſſe vulgò ſtatuimus. Imo tam procul fuerunt quidam interpretes à tali læſione Dei, quam ipſe ſentiat in vulneribus ſuorum, apud Zachariam concipienda, ut malint cum Cyrillo & Vatablo illud *tangit pupillam oculi ſui*, non de Deo intelligere, ſed de homine quolibet tangente Iſraelitas; ac ſi diceret Propheta, *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi ſui, id eſt ſeipſum graviſſimè lædit, quia ſibi accerſit acerrimam Dei vindicis veſtri iram & vindictam.* Quantum ad Paulum, cùm Chriſtus ſit caput omnium fidelium, quos nec pudet ſuos appellare fratres, quod ſit particeps carnis & ſanguinis & ejuſdem eſſentiæ ſpecificæ cum illis, mirùm non eſt, ſi ſibi imputet facta quæ illis duriùs eveniunt: Sic enim ſi pedem alicujus preſſeris, caput loquetur & dicet, Quare me lædis? Sed quandoquidem, nolunt Sociniani Patrem ejuſdem eſſe eſſentiæ cum Chriſto, non poteſt pari ratione dici crucifixus & trucidatus in illo, quâ Chriſtus in ſuis membris crucifigi & perſecutionem pati ſtatuitur. Adhæc etſi contingat principalem contemni, offendi, lædi moraliter in ſuo miniſtro vel nuntio, neutiquam tamen principalis ille Dominus cenſebitur ac dici poterit cæde illius occiſus aut crucifixus. Saltem à ſtylo Scripturæ eſt remotiſſimum, ſtatuere Deum ipſum in ſuis miniſtris, occidi, crucifigi, lapidari. Et longè abſurdiſſimum eſt quod Volkelius ut hinc ſe expediat, ſtatuit, *Vaticinio iſto Zachariæ, non occiſionis ſed compunctionis tantum* fieri mentionem, *quæ in eo qui alteri eſt ſubordinatus propriè, in illo vero cui ſubordinatus eſt metaphoricè, abſque ulla abſurditate, contingere poteſt*: Nam primò fateor compunctionem unius poſſe fieri propriè, & alterius cui ille ſubordinatur metaphoricè & moraliter, ſi ſint ambo ejuſdem eſſentiæ & naturæ; ut maritus & uxor pater & filius, princeps & legatus, dominus & ſervus: Sed id ſtatui non poterit ſi horum ſubordinatorum, planè diverſa natura fuerit & diſtans in infinitum, qualis eſt diſtantia inter Creatorem & Creaturam: Nemo ſanus putabit aut

Digitized by Google

ſime vectum fuiſſe, cùm Elias Propheta, vectus curru igneo & equis igneis, turbine in cœlum aſcendit 2. Reg. 11, 11. At nemo ſanus ſubjectivè Deo tribuat illam Eliæ aſcenſionem, quaſi Deus ipſe tum aſcendiſſe credatur, eo quod illi convenerit effectivè, atque illius virtute ac potentiâ proceſſerit. Ita non poterat dici Deus aſcendere in montem aut de monte deſcendere, cùm Moſes vel aſcendebat, vel deſcendebat, etſi Moſes legatum illius ageret apud populum, & ſic *perſonam ejus ſingulariſſimâ ratione* ſuſtineret. IV. Paulus non fideliter allegavit textum Davidicum, ſi David aliam perſonam aliamque aſcenſionem notavit quam ipſe. Nam certum eſt Paulum de perſona Chriſti loqui, & de illius aſcenſione propria, locali, corporea; Quid verò eo facerent quæ David dixerit de perſona Dei, & de illius aſcenſione metaphorica & morali? Aut quid ad Chriſtum pertineant ea, quæ David de Deo Iſraelis cecinerit, niſi Chriſtus ſit ille ipſe Iſraelis Deus, quem & Iſraelitas tentaſſe in deſerto legimus 1. Cor: x, 9? Tum ſi quæ metaphoricè & figuratè de Deo Iſraelis dicta fuerant à Davide, apud Paulum Chriſto literaliter & propriè conveniunt, debebit Deus Iſraelis typus & figura Chriſti fuiſſe, nec minus illius perſonam *ſingulariſſimâ ratione* apud Davidem ſuſtinuiſſe, cùm David prædixit ſub perſona Dei ea quæ Chriſto erant eventura, quam fingitur Chriſtus apud Paulum Dei perſonam ſuſtinuiſſe, eo quod ſtatuat in Chriſto completa quæ de Deo dicta fuerant. Denique nec video quî Chriſtus in ſua aſcenſione viſibili & locali, perſonam Dei Iſraelis ſuſtinuiſſe ſingulariſſimâ ratione cenſeatur, magis quam in ſua nativitate, crucifixione, morte, ſepultura, reſurrectione à mortuis. Nolint enim dicere Sociniani Deum Iſraelis vel Patrem Chriſti, fuiſſe natum, crucifixum, mortuum, ſepultum, ſuſcitatum à mortuis, cùm Chriſtus fuit in hanc lucem editus ex B. Virgine, crucifixus ſub Pilato, mortuus in cruce, ſepultus in horto, ſuſcitatus ex ſepulchro. Et tamen Paulus conceptis verbis nos docet, quod illa ipſa perſona cui dixit David, *Aſcendiſti in altum* &c. ſit ea quæ *deſcenderat prius in infimas partes terræ, ut qui deſcenderat ipſe ſit, qui etiam aſcendit ſupra omnes cœlos ut impleret omnia*: Ut revera non de alio quam de Chriſto verba Davidis intelligi poſſint.

Quòd ſi Deus ipſe ſurgere, ingredi, requieſcere dici poterat, ſurgente, ingrediente, requieſcente arcâ fœderis, (2 *Paral*: 6.41. *Pſal*: 24. 7, 9: 132. 8.) quæ præſentiæ divinæ quoddam erat ſymbolum: cur non multò magis aſcendere dici queat Deus, aſcendente Chriſto, cujus longè major eſt cum Deo, & quidem ratione illius ipſius aſcenſionis, & eorum, quæ illam fuère conſequuta, conjunctio, quàm non dicam arcæ, ſed ullius etiam alterius creaturæ.

‡ *Quod ſi Deus ipſe ſurgere*] Lubens quidem admitto quod largitur Volkelius, Chriſti *longè majorem eſſe cum Deo conjunctionem quam ullius alterius Creaturæ*; eo quod Chriſtus ſit verus ϑεάνϑρωπος, quod nulli Creaturæ convenit; adeo ut illa *divina præſentia*, quæ nonniſi τυπικῶς & umbraticè conveniebat arcæ, per illam nubem jugiter propitiatorio inſidentem quæ שְׁכִינָה *Schekinah* Hebræis dicebatur, Chriſto Servatori competat realiter & σωματικῶς, ut ſequi-

Digitized by Google

ut loquitur Paulus Col: II, 9. per duarum naturarum hypoſtaticam unionem, quâ factum ut λόγος caro factus ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, teſte Euangeliſtâ Joh: I, 14. Interea tamen primùm nego procedere ratione ab arca ad Chriſtũ, niſi concesſâ hac inter illam & hunc differentiâ, quam jam notavi; Deinde non video in locis ab adverſario citatis, tribui arcæ fœderis ſenſu literali & proprio, quæ de Deo alibi dicta fuerant ſenſu metaphorico & figurato; quod tamen factum oporteret, ſi quid virium huic ineſſet exceptioni. 2. Par. VI, 41. introducitur Salomon dicens, *Surge Iehova Deus ad requiem tuam tu & arca roboris tui*; quæ verba extant itidem Pſal: CXXXII, 8. Sed ibi conceptis verbis Deus ab arca diſtinguitur, adeoque illi & huic ſuum *ſurgere* & ſuum *quieſcere* diſtinctum aſſignari intelligitur; At nec apud Davidem, nec apud Paulum, Deus à Chriſto diſtinguitur; Sed quod ſimpliciter de Deo dixerat Propheta, ſimpliciter abſolutè de Chriſto dictum & intelligendum monet Apoſtolus. Quantum ad locũ Pſalmi XXIV, 7. 8. 9. is quidem à Judæis vulgò intelligitur de arca in Templum introducenda, quod ei Deus inſideret inter Cherubinos gloriæ, ſed ab omnibus Chriſtianis de Chriſto, & ejus præſertim glorioſa aſcenſione in cœlos; imò multi pertendunt cum Cypriano, Hieronymo, Ruffino, Gregorio Nyſſeno, Chryſoſtomo, Auguſtino, Leone & aliis, ut notat Bellarminus *argumento ad hunc Pſal.* nullâ ratione ad arcam hunc Pſalmum pertinere, ſed *propriè* & literaliter ad Aſcenſionem Chriſti. Nam 1 Pſalmus inſcribitur Davidis; atque illius tempore, arca non fuit in Templum introducta, ſed demum tempore Salomonis. 2. Interpretes Græci quos V. V. ſequitur, non putarunt hîc agi de arca, cùm introducunt Davidem alloquentem τοὺς ἄρχοντας, ideſt *Principes*, ut aperiant ſuas portas. 3. Portæ templi Hieroſolymitani non poſſunt dici *oſtia ſæculi*, vel *portæ æternales*, ut habet V. V. cùm templum Hieroſolymitanum ultra 410. annos non ſteterit. Sed etſi largiamur, ea quæ de arca primò dicuntur hoc Pſalmo, ob typicum aliquod præſentiæ Divinæ Symbolum, Chriſto propiùs, ſignificantiùs & auguſtiùs convenire, quod hæc illius foret imago aliqualis, typus & figura, ut liquet etiam ex Apoc: XI, 19. id non patrocinabitur cauſæ adverſariorum, qui nolint dicere Deum Iſraelis quem multis paraſangis ſuperiorem Chriſto faciunt, illius typum & figuram præextitiſſe. Ad hæc, ſi iſte Pſalmus de arcæ introitu in templum debet intelligi, utique oportebit arcam fœderis, *Iehovam potentiſſimum & Regem gloriæ* fuiſſe appellatam, per aliquam metonymiam vel ſigni vel adjuncti; de quo nunc fuſiùs diſputare nihil attinet: Jam autem, cùm arca fuerit ſpecialis typus Chriſti, neceſſe eſt id Chriſtum propriè ſtatui, quod arca dicebatur metonymicè. Quare ut nemo negaverit Chriſtum eſſe propriè & literaliter illum Regem & Dominum gloriæ, ſic enim nominatim dicitur Paulo 1. Cor: II, 8. cujus ingresſus vel in cœlum, vel in mundum, vel in Eccleſiam, introitu arcæ in templum ſignificabatur, & quo reſpectu dicebatur, illâ templum ſubeunte, ingredi *Rex gloriæ*, *nempe Iehova robuſtiſſimus & potentiſſimus bellator*, *Iehova exercituum*; ſic omnes fateri debebunt Chriſtum eſſe propriè illum Jehovam exercituum & potentiſſimum bellatorem; quod tamen nunquam ſunt admiſſuri Sociniani, qui potiùs ex hoc Pſalmo nobis arma ſubminiſtrant contra ſe, quam evertunt vim noſtri argumenti. Ne dicam quod abſurda ſit comparatio quam Volkelius hic vult inſtituere ab una parte inter Deum Iſraelis & Chriſtum, &

ab al.

Digitized by Google

ab altera, inter illum & arcam fœderis; Nam 1. non poteſt eſſe par ratio perſonæ ad perſonam, quæ rei inanimatæ & notoriè typicæ ad perſonam. 2. Cum oporteat multo nobiliori modo cõvenire Chriſto quam arcæ fœderis, elogia quę huic tribuuntur, ſiquidem hæc illius typus & figura ſunt, debet longè alio ſenſu dici quod Deus aſcendat & triumphet in aſcenſione & triumpho Chriſti, quam quod ſurgat & quieſcat ſurgente & quieſcente arcâ: quoniam quæ de arca typicè & figuratè dicuntur, qualia hac ſunt, de Chriſto propriè & literaliter dici & intelligi debent. Denique quam quæ hic de arca adferuntur ἀπροσδιόνυσα ſint, vel inde liquet quod ex eodem fundamento ex quo dicebatur, juxta Volkelium, Deus *ſurgere*, *ingredi*, *requieſcere ſurgente*, *ingrediente*, *requieſcente arcâ fœderis*, ipſa quoque arca fœderis dici poterat Rex gloriæ & Jehova exercituum; Sic enim evenit ut quæ de ſignis propriè dicuntur, metaphoricè conveniant rei ſignificatæ, & viceverſa ipſa ſigna, rei ſignificatæ nomina conſequantur; ut patet ex loquutionibus ad Cœnam Domini ſpectantibus: Ut enim in illa dicitur figuratè edi & bibi caro & ſanguis Chriſti, quod propriè hæc contingant pani & vino quibus caro & ſanguis Chriſti ſignificantur; ita viceverſa panis Euchariſtiæ corpus Chriſti appellatur, quia, ut Antiquitas loquitur, eſt ſignum, figura, imago & antitypus, corporis Chriſti. At nollent hæretici, eâ ratione quâ fingunt Deo Iſraelis tribui quæ Chriſto evenerunt, quod illius perſonam ſingulariſſimâ ratione ſuſtineret, & per metonymiam ſigni vel adjuncti, (neque enim hîc ulterius aut magis diſtinctè ſe explicant,) etiam Chriſtum dici & ſtatui Deum Iſraelis: Sollicitè enim cavent ne ullo modo id nominis Chriſto Servatori tribuatur.

Sed deinde probari non poteſt, Deum illum, de quo hęc verba efferuntur, unicum illum Iſraëlis Deum eſſe. Referuntur enim proculdubio ad Deum præced. verſ. nominatum. At ibi in Hebræo extat nomen Elohim, quod aliis etiam præter illum unum Iſraëlis Deum competit, ſed inprimis Chriſto homini, propter tantam potentiam, tamque ſublime imperium, quod à Deo eſt adeptus. Præterea cum, Deo illo cum ſuis curribus nominato, addatur, *Dominus in eis*, hoc eſt, Dominus illis virtute ac favore ſuo adeſt, ſatis manifeſtè Deus ille à Domino, qui ut ex reipſa, quæ illi tribuitur, & ex voce Adonai, cum puncto kametz in Hebræo notata apparet, unus ille Iſraëlis Deus eſt, diſtinguitur. Quare verba hæc pro ſimplici vaticinio, quod de Chriſto extet, meritò haberi poſſunt.

‡ *Sed deinde probari non poteſt*] Volkelius non confiſus primo ſuo reſponſo, quo noſtri argumenti conſequentiam proterviter negabat, aliud ſubjungit, licet ἀσύστατον cum præcedenti, quo ejuſdem argumenti negat aſſumptum; videlicet de Deo Iſraelis dicta eſſe à Davide quæ Paulus de Chriſto dicta fuiſſe apertè ſtatuit. Sed neque hîc quippiam ſolidi adfertur aut quod veri ſimilitudinem habeat; Libenter forte ſuum hîc Judaiſmum nobis propinarent hæretici; & fingerent Pſaltis verba ſpectare vel Moſem Prophetam, juſſum in montem Sinai aſcendere, ut vellent Chaldæus Paraphraſtes & Salomon Jarchi; vel

Davidem ipſum de ſuis hoſtibus feſtivè triumphantem, ut fingit Aben Ezra; Sed cum videant indubitatis argumentis neutrum commentum poſſe ſubſiſtere, obſtante nobis Chriſtianis, præter alias rationes ex ipſiuſ-met textus viſceribus eruendas, authoritate Apoſtoli, conantur paullò ſubtiliùs grammaticari; Sed invitâ Minervâ. Nam primò, falſum eſt eum qui compellatur in Pſalmo, ſimpliciter *Elohim* appellari; ſiquidem illo ipſo com. 19. quo dicitur aſcendiſſe in altum &c. יה אלהים *Iah Elohim* appellatur; quem titulum incommunicabilem eſſe Creaturæ, nec ipſimet adverſarii inficiantur: Vide ſuprà *lib.* 1. *cap.* 11. Quin ipſi Kabbaliſtæ, ut eruditi notant, voluit illud יה *Iah* ſymbolum eſſe ejus affectus in Deo quo condonat peccata, eo quod in Pſalmis τὸ הללו יה *Hallelu Iah* ſæpiſſimè recurrat, cùm amplior non detur celebrandi Dei ſeges & materia quâ miſericordia ipſius, & ex illa remiſſio peccatorũ noſtrorum: Quò ſpectat eorum obſervatio quod in illa vocula, יה *Iah*, nota occurrat anni Jubilæi & remiſſionis magnæ, quia ה quinarium, י denarium ſignat, & annus Jubilæus erat quinquies decimus, ſive quinquageſimus. Deinde falſum eſt, eum qui compellatur in Pſalmo, *Elohim* tantum appellari præcedenti verſu, nempe 18. Nam ibi hæc lego;

רכב אלהים רבותים אלפי שנאן אדני·בם סני הקדש. *Recheb Elohim ribbothaym, alphe ſchinean, Adonai bam, Sinai hakodeſch*; ideſt, *Currus Dei ſunt myriades, millia iterata, in quibus Dominus eſt, Sinai eſt in ſancto*; adeoque hic loci Deus non tantum *Elohim* appellatur, ſed etiam *Adonai*, quod *cum puncto Kametz in Hebræo*, adverſario fatente, unum Deum Iſraelis denotat. Nec poſterior pars pericopæ, אדני·בם *Adonai-bam*, *Dominus in eis*; hunc Dominum vel perſonaliter vel eſſentialiter diſtinguit, ab eo *Elohim* ſive Deo, cujus currus ſunt myriades & millia iterata, ſed potiùs oſtendit hunc Deum eſſe Dominum & Jehovam qui ſuis illis curribus adſit, inſit, præſens ſit & vehatur. Nec dubium quin per has myriadas curruum Deo ſubſervientes, intelligantur Angeli, ut patebit conferenti hunc locum cum aliis, ut 2 Reg. VI, 15. 17. Dan. VII, 10. Pſal. XVIII, 11. ac nominatim Deut. XXXIII, 2. quo Pſaltes tacitè reſpexiſſe videtur. Neque ulla ratio fingi poteſt cur potiùs hoc commate 18. *Elohim* diſtinguatur ab *Adonai*, quam commate 17. *Montem hunc deſideravit Deus*, Elohim, *ad inhabitandum eum, etiam Dominus*, Jehova, *inhabitabit in æternum*. Imò obſervatio Volkelii, quod illud *Dominus in eis* ſignificet Dominum *illis virtute ac favore ſuo* adeſſe, inſervit quidem probando Dominum ab illis ſuis curribus, quibus adeſt virtute & favore, diſtingui, non verò, quod vigilans ſomniat hæreticus, demonſtando quod *manifeſtè Deus ille*, ſive *Elohim*, cujus ſunt innumeri illi currus, *à Domino* ſive *Adonai* qui illis adeſt, veniat diſtinguendus. Et quamvis non negem, *Elohim* quandoque de Angelis, quandoque etiam de Magiſtratibus in communi, uſurpari, & ita *aliis etiam præter illum unum Iſraelis Deum* competere, tamen nego unquam de aliqua ſingulari perſona, vel Angelica, vel humana uſurpari; adeoque cum Chriſto tribuitur, ut hoc Pſalmo & Pſal: XLV, 8. ejus æternam Divinitatem, & cum Patre ſuo coeſſentialitatem, luculenter adſtruit. Et quandoquidem fatetur Volkelius *verba hæc* Pſal: 68. *pro ſimplici vaticinio, quod de Chriſto extet*, haberi poſſe, fateri debet primò priorem ſuam reſponſionem evanidam fuiſſe, utpote quæ cum hac ſua confeſſione conſiſtere non poſſit; Secundò Dei Filium, de cujus aſcenſione hoc extet ſimplex vaticinium, extitiſſe

Digitized by Google

tiſſe tempore Davidis, qui ipſum ceu præſentem, laudat, compellat, alloquitur; Tertiò Chriſtum eſſe dictum à Propheta, verſu præcedenti non tàntum *Elohim*, ſed etiam *Adonai*, & hoc ipſo verſu *Iah Elohim*. adeoque agnitum à Davide pro unico Iſraelis Deo, quod & ſequentia com. 20. ſatis indicant: His addo quod R. David Kimchi, licet aliò detorquere ſtudeat verba Pſaltis, tamen agnoſcit ultrò illa agere de Jehova & Deo Iſraelis, non verò de Moſe, vel de Davide, ut alii ſui gregales conati fuerant interpretari.

Quod ad duo poſtrema loca attinet, in quibus Deum adorare jubentur angeli, aut Deus ipſe jurat, flectendum ſibi eſſe omne genu, (*Pſal*: 97.7. *Eſa*: 45.
23.) quæ loca nihilominus ad Chriſtum referuntur; (*Heb*: 1. 6. *Rom*: 14. 11.) 445.
reſpondemus itidem, ut paulò antè, ideò id fieri, quia id, quod de Deo iis in locis dicitur, in Chriſto impleatur, qui ut in imperio, ac judicandi poteſtate, ita etiam in honore, qui ei propterea debetur, ita eſt cum Deo conjunctus, eique ſubordinatus, ut Deus in ipſo & per ipſum adoretur, & genua ei flectantur.

‡ *Quoad duo poſtrema loca*] Chriſtum ab Angelis eſſe adorandum Paulus Heb: 1, 6. probat ex Pſal: XCVII, 7. Verba Apoſtoli hæc ſunt, *Cùm inducit primogenitum in orbem terrarum dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei*: Nec immeritò ſtatuit hæc eſſe verba Dei introducentis ſuum Filium in hunc mundum; nam revera ille Pſalmus ad Chriſti Regnum tam gratiæ quam gloriæ, & utrumque illius adventum, & Idolorum ſubverſionem, maximè Euangelij præconio, ſatis evidenter ſpectat. Similiter Apoſtolus ad Rom: XIV, 11. probat ex vaticinio Eſaię XLV, 23. quod omne genu debeat flecti Chriſto; quia Jehova non dixerit modò ſed jurarit apud Prophetã, omne genu ſibi curuatum iri. Atque hinc duplex exurgit pro nobis argumentum; Alterum ex eo quod quę de Jehova dicuntur apud utrumque Prophetam, ad Chriſtum directè & propriè ſpectaſſe teſtetur utrobique Apoſtolus; Alterum ex eo quod non poſſit non eſſe naturâ Deus, cui univerſalis adoratio, etiam ipſorummet Angelorum, debetur: Solum enim ſummum Deum eſſe adorandum, Scripturâ luculenter teſtatur Matt: IV, 10. adeo ut omnem adorationis ſpeciem, viri & Angeli ſanctiſſimi, ceu uni Deo debitam, ſemper averſati fuerint, etiam ſub N. F. Act: X, 16. XIV, 14 15. Apoc: XIX, 10. XXII, 9. & illi damnati Idololatriæ qui coluerunt res conditas Rom: I, 25. eoſque adorarunt qui naturâ Dii non eſſent Gal: IV, 8.

Reſpondemus itidem ut paulò] Sed ut ante Volkelius futiliter reſpondebat, ſic non ſunt melioris commatis quæ nunc protrudit, ut his vinculis ſe expediat. Nec ſanè poſſunt quæ *de Deo iis in locis* dicuntur, impleri *in Chriſto*, quin Chriſtus ipſe Deus eſſe ſtatuatur; cùm maximè & Pater verba faciat de Filio ſuo apud Pſaltem, & ipſe Filius, teſte Paulo, ſe ſibi hunc cultum vindicaturum aſſerat apud Eſaiam: nec poſſet Pater *in ipſo & per ipſum* adorari, quod fieri ultrò fatemur, idque uno & indiviſo adorationis actu, niſi Patri eſſet coeſſentialis & coæternus; cùm Deus aliàs profiteatur, ut viſum ſuo loco, ſe gloriam ſuam alteri non daturum, nec magis adorabilitas & ſumma majeſtas, ſit communicabilis meræ Creaturæ, quam omnipotentia & immenſitas; Imò. non poteſt Chriſtus ſtatui *cum Deo Patre*
conjunctus,

Digitized by Google

conjunctus, *ut in imperio ac judicandi poteſtate, ita etiam in honore qui ei propterea debetur*, quin eo ipſo Deus ſuper omnia benedictus Rom: IX, 5. cum Patre ſtatuatur. Abſit enim ut Deus ullam meram Creaturam ſibi conjungat *in honore* ipſi uni debito, & quem nulli alteri ſe daturum, tam diſertè profitetur. Fruſtra verò conatur Volkelius, hanc *conjunctionem* in imperio & in honore, quæ collateralitatem quampiam ſonat & involuit, emollire per *ſubordinationem*, quam proculdubio naturæ & eſſentiæ intelligit; Nam qui ſubordinatur alteri, imperii & honoris reſpectu, nequit illi eſſe conjunctus in imperio & honore; ſed neceſſariò, & minus habet imperii & minus honoris debet habere eò cui ſubordinatur, ex vulgari & notiſſima regula, *Propter quod unumquodque tale eſt, illud magis tale eſt.* Igitur vel eadem omninò adoratione Chriſtus eſt colendus quâ Pater, vel aliâ & minori: Si prius dixeris, fateberis eum eſſe coeſſentialem Patri, non verò naturâ ſubordinatum: Si poſterius, pertinebit quidem reductivè ad honorem Deo debitum ille honor divino inferior, quem vis exhibendum Chriſto Dei mandato, ut ad Pharaonis honorem reducebatur honos & cultus infra regium exhibitus Joſepho quem ſibi ſubordinaverat in adminiſtratione regni; ſed tamen is honos ut terminaretur ad Chriſtum, non poſſet formaliter cenſeri is quem ſibi ab omnibus deferendum Jehova jurabat apud Prophetam; Prout honos qui deferebatur Joſepho ceu primario regni Miniſtro, ex Pharaonis juſſu, non is erat formaliter quem Pharao retinebat ſibi tanquam Regi & Domino, dū *ipſo ſolio major* remanere volebat Gen: XLI, 40. Ac ſicut inſulsè dixeris Deum in Magiſtratu & per Magiſtratum adorari, eo quod cultus civilis qui exhibetur Magiſtratui propter Dei mandatum, & quoniam eum ſibi ſubordinat in Regimine Reip. pertineat eatenus ad Dei cultum & ad reverentiam ipſi debitam; ita abſurde dicas in honore infra divinum ſubſidente, qui deferatur Chriſto, ceu meræ Creaturæ, compleri quod Deus dixerat de ſeipſo univerſim adorando. Uno verbo cùm agat uterque locus de adoratione divina, ſive ea quæ ſoli Deo debetur, nec debeat intelligi de Deo in Creatura aliqua eximia adorando, quod omninò nefas eſt, ſiquidem adoratio & adorabilitas Dei, eum diſtinguit & ſeparat ab omni creatura, non poteſt hæc adoratio & adorabilitas tribui Chriſto, quin ejus divinitas æterna illicò agnoſcatur.

Et ſanè Chriſtum iis in locis, ubi utrumque teſtimonium ad ipſum accommodatur, non conſiderari tanquam ſummum illum Deum, cui primò ac per ſe honor ille debeatur, ſed tanquam eum, qui dominium in vivos ac mortuos, atque adeò eos omnes judicandi poteſtatem, propter quam omnes ei genua flectere debeant, acceperit, quique præſtantior angelis ea in re effectus fuerit, ſatis indicant ipſorum locorum circumſtantię; & illud manifeſtè docet, quod Paulus ad locum Eſaiæ apertè reſpiciens, eumque ad Chriſtum accommodans, ita ad Philippenſes ſcribens ait: *Propter quod* (nempe propter obedientiam Deo usque ad mortem crucis præſtitam) *etiam ſuperexaltavit illum Deus; & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & ſubterraneorum, & omnis lingua confiteatur*

Digitized by Google

confiteatur, *quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus ad gloriam Dei Patris* (*Phil*: 2. 9, 10, 11.) Unde patet, quam ob cauſam Chriſto omne genu flecti, & omnis lingua ipſi confiteri debeat, tum quo pacto Deo ipſi in Chriſto genua flectantur, & omnis lingva ipſi confiteatur; quatenus nimirum honor ille Chriſto exhibitus, & confeſſio nominis ejus *in gloriam Dei Patris* cedit. quibus de rebus vide, quæ ipſemet Chriſtus apud Ioannem dicat cap. 5. 22, & ſeqq.

‡ *Et ſane Chriſtum iis in locis*] At verò hoc *utrumque teſtimonium* Eſaiæ & Davidis, non per ſimplicem accommodationem, ſed per directum & literalem ſenſum, Chriſto tribui ab Apoſtolo, omnes circumſtantiæ evincunt: Nam locus Pſaltis continet verba Patris de Filio; locus Eſaiæ verba Chriſti ipſius de ſeipſo: adeoque utrobique eum oportet *conſiderari, tanquam ſummum illum Deum cui primò ac per ſe honos ille debeatur*; cùm honos iſte adorationis ab omni genu & à nobiliſſimis Creaturis, ſit hònos *ſummus*, qui nonniſi ſummo Deo queat tribui: & qui iſtum honorem putaverit *ſecundariò & per accidens* poſſe deferri alteri, fundamentum ponet ex quo omnis Idololatria queat defendi vel incruſtari. Sic enim Iſraelitæ in vitulo aureo, & Mica in ſuo Deo fuſili, ipſum Jehovam primò & per ſe volebant adorare, hæc nonniſi ſecundariò & per accidens; Et omnibus cordatis ſemper diſplicebit tetrum illud dogma quod excidit Vaſquesſio, *de adorat. lib. 3. diſp. 1, cap. 2. Non ſolum imago picta & res ſacra autoritate publicâ in cultum Dei expoſita, ſed quævis alia res mundi, ſive inanima & irrationalis, ſive rationalis, ex natura rei & ſecluſo periculo, ritè cum Deo ſicut imago ipſius adorari poteſt.* Quin tam repugnat id quod *primò & per ſe* ſummo Deo debetur, poſſe alteri convenire ullo modo, quam citra læſæ majeſtatis crimen, in ullum ex ſubditis transferri quod primò & per ſe ad ipſam ſummam Principis majeſtatem ſpectat: Huc imprimis mihi videntur facere quæ habet Vetus Scriptor Commentariorum in Epiſtolas Pauli, inter opera Ambroſij, ad *cap. 1. ep. ad Rom.* Is enim refutaturus calvam excuſationem Idololatrarum, qui volebant per minores Deos quos adorabant *ire ad Deum, ſicut per Comites itur ad Regem*; *Age*, inquit, *numquid tam demens eſt aliquis aut ſalutis ſuæ immemor, ut honorificentiam Regis vindicet Comiti, cùm de hac re ſi qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei damnentur? Et iſti ſe non putant reos qui honorem nominis Dei deferunt Creaturæ, & relicto Domino conſervos adorant, quaſi ſit aliquid plus quod reſervetur Deo?*

Sed tanquam eum, qui] Opponit hæreticus quæ non pugnant, ſed potiùs componenda veniunt. Nam ſane non poteſt alius eſſe quam ſummus ille Deus, is qui habet *dominium in vivos & mortuos, atque adeo omnes eos judicandi poteſtatem, propter quam omnes ei genua flectere debeant.* Hoc enim Dominium, illa judiciaria poteſtas, nemini convenire poteſt, qui ſummus Deus, omnipotens, & omniſcius non fuerit. Neque Chriſtus dicitur apud Paulum illud *dominium*, illamque *judicandi poteſtatem*, accepiſſe, ut fingit Volkelius. Licet enim dicat Apoſtolus Rom: XIV, 9. *ad hoc Chriſtus & mortuus eſt & reſurrexit & revixit, ut & mortuis & viventibus dominetur*, inde tamen non ſequitur illud Dominium in ejus morte fundari, aut illius eſſe mercedem & præmium, aut quod abſurdius foret, non ſupponere ejus Divinitatem; ſed tantum non potuiſſe illud exerceri in gratiam, favorem & ſalutem fidelium, tam eorum qui jam prædeceſſerant, quam eorum

rum qui adhuc vivebant ac porrò victuri erant, niſiChriſtus mortuus fuiſſet propter eorũ offenſas & reſurrexiſſet ad juſtificationem ipſorum Rom: IV, 25. Nec ſi Chriſtus illudDominium debet exercere etiã quà homo mortuus & ſuſcitatus pro nobis, inde colligi poteſt ergo non requiri in illius perſona ad tanti Dominij ſufficiens exercitium, Vim, Potentiam, Scientiam ſimpliciter infinitam, adeoque planè Divinam, & talem quæ in meram Creaturam cadere nequeat. Nec Paulus citando locumEſaiæ com. II. tam reſpexit ad id quod dixerat com. 9. de Dominio Gratiæ, Chriſto Servatori in ſuos omnes competente, quam ad id quod dixerat com. 10. immediatè præcedenti, *Omnes ſiſtemur apud tribunal Chriſti*, quod inde futurum confirmat, quoniam ipſemet Chriſtus idipſum futurum prædixerit per Eſaiam dicendo, *Vivo inquit Dominus, Certè ſeſe mihi flectet omne genu.* Neque in altero loco Heb: I, 6. ex Pſal: XCVII, 7. Chriſtus *præſtantior Angelis* dicitur ſimpliciter per reſpectum ad judiciariam poteſtatem quæ illi convenit in omnes, (quamvis & hæc poteſtas illius præſtantiæ ſit evidens documentum,) ſed ex eo quod ſit proprius & unigenitus Patris filius, effulgentia gloriæ & character perſonæ illius Heb: I, 3. 5. Ut nihil habeant *ipſorum locorum circumſtantiæ* quod errori Volkeliano vel in ſpeciem patrocinetur.

Et illud manifeſte docet] In hoc loco Phil: II, 9. 10. II. primùm illud διὸ καὶ, ſive *propter quod*, notat cauſam conſequentiæ, ut loquuntur in Scholis, non conſequentis; ut liquet ſimili exemplo, ubi itidem V. V. habet *propter quod* Luc: VII, 47. Deinde hæc exaltatio Chriſti & nominis ſui clarificatio, ita debuit conſequi illius exinanitionem, ſub qua videbatur quadantenus ſuæ majeſtatis & poteſtatis inſignia depoſuiſſe, aut ſaltem occultaſſe, cùm apparebat formâ ſervi, ut Codrus poſitis diademate & purpurâ habitum gregarij militis ſumpſerat, ut pro ſuis Athenienſibus mortem oppeteret, ut tamen revera ejus perſonæ dignitati & Divinitati omn nò debe-retur: Nam eo reſpectu propriè reſtitutus eſt ſuo gradu, evectâ tamen ſimul noſtrâ carne, quam ſibi hypoſtaticè conjunxerat, in illius participium; prout Patrem ſuum rogabat ut ſe glorificaret eâ gloriâ quam penes ipſum habuerat antequam mundus fieret Joh: XVII, 5. Igitur ex hoc Pauli ad Philippenſes loco, *patet* quidem *quam ob cauſam Chriſto omne genu flecti & omnis lingua ipſi confiteri debeat*, quia videlicet obtinet *nomen ſupra omne nomen*, ideſt ſupereminentem authoritatem, ipſi à Deo ſic reſtitutã poſt ſuam exinanitionem pro nobis, ut eam de novo accepiſſe quà θεάνθρωπος, & maximè reſpectu carnis ſuæ ad illam ὑπεροχὴν unà traductæ, meritò videri poſſit; At non liquet hinc quod vult porrò adverſarius, *quo pacto Deo ipſi in Chriſto genua flectantur*, cùm totus locus agat abſolutè de honore qui Chriſto debetur, & illius perſonæ ita proprius eſt ut ad alium naturâ ſuperiorem neutiquam referatur. Nam particula hæc, *ad gloriam Dei Patris*, non notat terminum honoris Chriſto exhibendi ab omni genu, ſed quaſi locum & ſedem Dominij illius ſummi quod obtinet, & cujus intuitu iſte honos ei ab omni genu debetur; Debet enim omnis lingua confiteri, quod ſit Dominus Jeſus εἰς δόξαν θεοῦ πατρὸς, ideſt quod Jeſus ſit Dominus, & Dominium illud ſublime exerceat ἐν δόξῃ θεοῦ πατρὸς, ſedens in ejus throno & conſidens ad dextram gloriæ illius; Nam hæ duæ præpoſitiones, εἰς & ἐν, promiſcuè plerumque uſurpantur, & V. V. hìc loci non reddidit *ad gloriam Dei Patris*, ſed *in gloria*. Quamquam libenter fateor etiam honorem exhibitum Chriſto vergere

gere *ad gloriam Dei Patris*, ceu fontis & originis totius Divinitatis, & in quantum Pater & Filius unum ſunt; quapropter Eraſmus in *Paraphraſi* utrumque expreſſit his verbis; *Nec ulla ſit uſquam lingua ſive hominum, ſive angelorum, ſive dæmonum, quæ non confiteatur Ieſum, omnium rerum Principem ac Dominum, à dextris aſſidere Deo Patri, ut regni communis gloriæque omnis conſortem, idque in gloriam Dei Patris, à quo proficiſcitur & in quem redundat omnis Filii gloria.* Ea enim ſane eſt utriuſque conjunctio eſſentialis & naturalis, ut omnes debeant honorare Filium prout honorant Patrem, nec minus cedat honori Patris honos qui Filio exhibetur, quam certum eſt eum qui non honorat Filium eo ipſo non honorare Patrem qui miſit eum ac dedit illi omne judicium Joh: v, 22. 23. Quamvis autem ad honorem Patris cedat, omnis honos legitimus Chriſto exhibitus, inde tamen non ſequitur hunc ſummum & divinum honorem perſonæ Chriſti ejuſque Divinitati non deberi, aut ipſius Chriſti verba non eſſe apud Eſaiam quæ tanquam illius profert Apoſtolus Rom: XIV, 11. Quod videtur inſuper agnoſcere Volkelius, dum ait Paulum ea ſcribentem de Chriſto quæ habet Phil: II, 9. 10. 11. *ad locum Eſaiæ apertè reſpicere, eumque ad Chriſtum accommodare*; id utique jure non facturus, niſi Propheta directè & immediatè de Chriſto fuiſſet loquutus: quâ ſolâ obſervatione omnes vitiligationes Volkelianæ circa hoc noſtrorum argumentum, de quo hactenus, concidunt & evaneſcunt.

Poſtquam ſatis de illis hujus rei teſtimoniis, quæ in verbis potiſſimùm occupantur, egimus, conſequens eſt, ut eos etiam locos ponderemus, in quibus rerum communitas quædam exprimitur. Horum autem duo rurſus ſunt genera: quorum alterum in iiſdem Dei Patris Filiiq; operationibus verſatur; alterum in proprietatibus, quæ utrique ineſſe videntur, conſtitutum eſt. Ac primùm quidem operum conjunctio magnum conſubſtantialitatis iſtius argumentum continere videtur, præſertim cum etiam Iudæi Chriſtum, ideò ſe æqualem Deo facere dicant, quòd quæcunque Pater facit, ſe ſimiliter facere affirmat. (*Ioh:* 5. 17. *& d.*) Nos igitur fatemur, non planè perperàm Iudæos id ex operum ſimilitudine colligere. Verùm, ut ſuprà oſtendimus, iſta æqualitas omnimoda nequaquam eſt: cum Pater à ſeipſo omnia faciat, Filius verò nonniſi à Patre ſibi data atque conceſſa efficere poſſit, quemadmodum Chriſtus ipſe Iudæis reſpondens, & æqualitatem cum Deo, quam illi ex verbis ipſius colligebant, limitans ait (*v* 19, *& d.*) Accedit, quòd ad pleniſſimam operum æqualitatem conſtituendam, non ſatis 446.
eſt patrare miracula ſub hominum oculos cadentia, & ad certa tantùm ſecula ſpectantia, ſed omnia planè ſine ullo diſcrimine opera, perinde ut Pater, facere. id quod de Chriſto neque alibi neque hoc in loco dictum eſſe comperimus. Et hîc quidem de ſe Patreque ſuo in præſenti tempore loquitur, ita ut nihil ſit neceſſe, ea ad antecedentia ſecula, atque adeo ad creationem ipſius mundi extendere.

Digitized by Google

1 *Nos igitur fatemur*] Quod ſi non *planè perperam* Judæi collegerunt Chriſtum Deum dicendo Patrem ſuum, ſe Deo parem vel *æqualem* facere, nec igitur perperam argumentantur Orthodoxi, cùm ex iſta æqualitate Filij cum Patre, eorum conſubſtantialitatem colligunt; cùm aliàs finiti & infiniti, ideſt meræ Creaturæ & Creatoris, nulla æqualitas concipi poſſit. Neque Judæi colligebant Chriſtum ſe æqualem Deo facere *ex operum ſimilitudine*, ut fingit Volkelius, ſed ex eo quod *Deum diceret Patrem ſuum*, ut habet Evangeliſta Joh: v, 18. Et tantum abeſt ut illam æqualitatem Dominus velit vel *limitare* vel coarctare com: 19. & 20. ut è contrario inde magis eam comprobet, quod Patrem habeat ſuæ originis principium æternum; quo ſenſu *à ſemetipſo* negat ſe operari; agit enim ex voluntate & potentia quæ ipſi eſt communis cum Patre; nec minus ipſe *à Patre* operetur quam Pater per ipſum; ſic tamen ut ſit cum Patre commune principium omnium operationum divinarum ad extra, eo quod *quæcunque Pater facit, hæc etiam Filius pariter facit.*

Accedit quod ad pleniſſimam] Sed & Chriſtus univerſaliter loquitur, dicendo ſe facere *quæcunque* Pater facit; & cum *miracula* patraret, alio planè modo quam Moſes & Prophetæ qui ipſum præceſſerant, nempe propriâ & inſitâ virtute, ac ut eorum non inſtrumentum merè morale, ſed cauſa principalis & phyſica, non potuit ea patrare niſi ejuſdem eſſet virtutis & eſſentiæ cum Patre. Nam talis miraculorum patratio, opus eſt omnipotentiæ, quæ in meram creaturam cadere nequit.

Et hic quidem de ſe] Hæc *temporis* obſervatio eſt abſurda; Nam primum præſens hic ponitur abſolutè, ceu omnes temporis differentias complectens, ut cùm dicitur Rom: xiv, 6. *Qui curat diem curat Domino*; Ac ſicut ex dicto Patris in præterito, *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui* Matt: iii, 17. fruſtra colligeres, id ad præſens non ſpectare, ita perperam colligas, ex eo quod Chriſtus loquatur in præſenti de iis omnibus quæ Pater facit, iſtam operationum ſuarum cum Patre æqualitatem ad præteritum extendi non debere. Deinde hic eſt Canon quem proponit Salomon Glaſſius *Philol. Sac. lib.* 3. *tract.* 3. *can.* 9. *Verbum quod actionem ſeu effectum notat, de conſuetudine agendi quandoque intelligendum & per SOLEO cum proprio infinitivo exponendum eſt*; Varia profert exempla, ex quibus hæc duo mihi ſufficient: alterum ex Deut: i, 44. *perſecuti ſunt ut faciunt apes*, ideſt, *ut facere ſolent*; quod etiam Junius retinuit in ſua Verſione: Alterum ex 1. Sam: xx, 2. ubi Jonathan ferè eadem dicit de ſuo patre ac Chriſtus hîc de ſuo; *Pater meus non facit quicquam magnum aut parvum, quin mihi prius revelet*; ideſt *non ſolet facere*: Quidni ergo & ita explicemus locum præſentem, *Quæcunque ille facit*, ideſt *quæcunque ille ſolet facere*, quo ſic importet evidentem reſpectum præteriti temporis? Adhæc inter illa omnia quæ illo *præſenti tempore*, quo loquebatur Chriſtus, faciebat Pater, erant utique ſuſtentatio & gubernatio Univerſi, juxta leges æternæ ſuæ Providentiæ; quam non immeritò Creationem continuatam dicunt Theologi; Non potuit autem Filius ſe conjungere Patri in illo opere ſuſtentationis & gubernationis Univerſi, quin eo ipſo ſe ei conjunxerit in opere Creationis illius: Eadem enim virtute & potentiâ, regi ac gubernari mundum, quâ primitùs fuit conditus ex nihilo, & res ipſa loquitur, & ſatis innuit Apoſtolus Heb: i, 2. 3. Denique ipſemet Chriſtus ſatis docet ſe æqualem facere Patri & conſortem operationum ſuarum, per reſpectum ad *antecedentia*

ſecula,

Digitized by Google

ſæcula, & *creationem mundi*, cùm dicit com. 17. *Pater meus huc uſque operatur*, *& ego operor*. Se enim hîc Patri conjungit, in illis operationibus quas cœpit ab initio, & huc uſque continuavit.

Hîc dices, non ſolùm miracula in oculis hominum, idque humanitatis ſuæ tempore Chriſtum edidiſſe, ſed ſimul cum Patre omnia creaſſe: cùm Scriptura dicat, (*Ioh*: 1, 3.) *per ipſum omnia facta eſſe*, *& ſine ipſo factum eſſe nihil*. Verùm ſciendum, vocem *omnis* & *omnia* in novi Teſtamenti ſcriptis, (*vid*: *inter alia Mar*: 13. 23. *Ioh*: 4. 25: 14. 26: 19. 28: *Act*: 2035: 1. *Cor*: 6. 12: *Cor*: 5. 17. 1 *Ioh*: 2. 20, 27.) uti & alibi fieri conſvevit, perpetuò ad illam rem pertinere, quæ explicatur, ſeu ad ſubjectam, ut loquuntur, materiam referri, nec ſeſe latiùs extendere.

‡ *Hic dices, non ſolum*] Hic locus Joh: 1, 3. valdè urit adverſarios, ideoque ſe mutant in omnes formas, ut eum veritati eripiant; Sed fruſtra ſunt. Litem non movebimus illis ſuper iſta regula quod Syncategorema *omnis* & *omnia*, debeat reſtringi *ad ſubjectam materiam*, & obtineat ſuppoſitionem, uti loquuntur in Scholis, cum exceptione, ſive *accommodam*; ubi videlicet ipſa ſubjecta materia non habet univerſalitatem abſolutam, ſed reſtrictam ac limitatam: Nec opus erat Volkelio, illa exemplorum coaceruatione id probare velle, de quo nemo ipſi controverſiam movere velit. Quin etiam eandem ſuo ſenſu hujus ſyncategorematis uſurpationem, eatenus illi concedimus, in hoc Joannis dicto, quatenus vox illa *omnia*, non debet extendi ad omnia entia abſolutè, tunc enim id abſurdi ſequeretur, Deum ipſum eſſe factum, ſed reſtringenda eſt ad omnia quæ facta & creata ſunt; cujuſmodi reſtrictionem legimus 1. Cor: xv, 27. ubi Paulus ad locum Davidis ſibi citatum, *Nam omnia ſubjecit pedibus ejus*, id annotat; *Quùm autem dicit omnia ei eſſe ſubjecta, palam eſt hoc dici excepto eo qui ſubjecit ei omnia*. Igitur huc omnis redit controverſia, quæ nam ſit hoc loco Johannis ſubjecta materia: Nos verò pertendimus eam ſuo ſinu complecti τὸ πᾶν & omnia opera creationis: tum quia abſolutè *nihil* ſine ipſo factum fuiſſe ibid. dicitur, tum quia *omnia* illa poſtea nomine *mundi* exprimuntur; Loquitur enim Johannes de Chriſto *Theologicè* conſiderato, quà eſt Patris λόγος æternus, & qui jam erat *in principio* apud ipſum: Hoc autem principium, eſt omninò illud idem de quo Moſes dixit Gen: 1, 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, ut liquet etiam ex Prov: VIII, 22. 23. ubi ſumma & æterna Patris Sapientia ſic loquitur; *Iehova poſſidebat me principio viæ ſuæ, ante opera ſua ante ullum tempus. Ante ſæculum inuncta fui, ante principium, ante primordia terræ*. Nec poteſt hoc principium intelligi de initio prædicati Evangelij, quia primò dicitur abſolutè, *In principio erat λόγος*, non in principio Evangelij aut prædicationis Euangelicæ; Secundò aliquid hîc eximij & ſingularis de Chriſto dicitur: Jam autem nihil in eo erit eximium & ſingulare pro ipſo, ſi intelligatur principium prædicationis Euangelicæ, in quo Apoſtoli coævi fuêre Chriſto, & Johannes Baptiſta quodam ſenſu ante ipſum, vel illo prior. Tertiò in illo Euangelici

Digitized by Google

Felici præconij principio, Chriſtus non tam erat apud Patrem quam ab ipſo venerat, ut inter homines & apud eos familiariter verſaretur.

Cum autem Ioannes de Ieſu Chriſto homine, quem Verbum ſeu Sermonem hoc loco nominat, deque ejuſdem Evangelio ſermonem inſtituerit: quandoquidem nec Ieſu Chriſtique nomina alii præter hominem convenire poſſunt, nec alia de re, quàm de Evangelio, iiſque quæ ad Novum fœdus pertinent, Ioannes Evangeliſta ſcribere debuit: conſequens omnino eſt, illa omnia hîc deſignari, quæ facta ſunt per Chriſtum hominem, & porrò quæ ad Novum fœdus quoquo modo pertinent, de quibus etiam loquitur Paulus (2. Cor: 5. 17.) loco huic admodum ſimili: *Vetera tranſierunt: ecce facta ſunt nova omnia.*

4. *Cum autem Iohannes*] Suppoſitio Volkelij falſa eſt multifariam: Nec enim *de Ieſu Chriſto* ſimpliciter quà *homine*, hoc initio agit Joannes, ſed de illo quà Deo, uti etiam diſertè eum appellat, cùm ait *& Deus erat Verbum.* Neque potuit ſermonem de Chriſti *Euangelio* inſtituere, quin excellentiam & dignitatem perſonæ ipſius explicaret. Et tantum abeſt ut *Ieſu Chriſtique nomina alii præter hominem convenire* non poſſint, ut verè & κατ' ἐξοχὴν Jeſus Chriſtuſque dici nequiret, niſi eſſet θεάνθρωπος, ideſt Deus & homo in unitate perſonæ. Et cùm ad Euangelium & *Novum fœdus* pertineat noſſe quis qualis-ve ſit Jeſus Chriſtus, qui illius utramque paginam facit, omninò *debuit* Joannes ſcribendo *de Euangelio, iiſque quæ ad novum fœdus pertinent*, etiam de Chriſti perſona & æterna Divinitate illius diſſerere; maximè cum veritatem Euangelicam vellet vindicare adverſus Socinianorum Patriarchas, Ebionem & Cerinthum, qui Jeſum Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον eſſe blaſphemabant. Unde patet ἀνακολουθία conſequentiæ Volkelianæ, qui *omnia* Joannis reſtringendo ad ea *quæ facta ſunt per Chriſtum hominem*, ridiculam Joanni tribuit orationem; ac ſi dixiſſet Euangeliſta, per ipſum eſſe facta omnia, quæ per ipſum facta ſunt: Quod utique non minus de Joanne Baptiſta reſpectu eorum quæ ipſe fecit, imò Caiaphæ & Pilati coævorum Chriſti, eorum reſpectu quæ ipſi fecerunt, quam de Chriſto homine, ſuorum operum & factorum reſpectu, dici & uſurpari poſſet. Fruſtra autem huc adfert Volkelius locum 2. Cor: v, 17. Nam Paulus agit de eorum quæ jam extant renovatione, atque eorum præexiſtentiam ſupponit, eo ipſo quod ait *vetera* tranſiiſſe, & omnia *nova* facta eſſe. Sed Joannes agit de non exiſtentium prima productione: Nec enim dicit omnia ab ipſo *nova* facta, per reformationem in melius, ſed abſolutè *omnia* ab eo eſſe facta, per primam eorum formationem.

Quod autem Ioannes ſubjungit, *ſine ipſo nihil factum eſſe, quod factum eſt*, id non eam vim habet, ut prorſus nihil eorum, quę facta unquam fuerunt, excludat: ſed, quemadmodum vox *omnia* ad certum rerum genus reſtringenda eſt, ita etiam vox *nihil* ei oppoſita. Imò ſi quis rectè attendat, animadvertet,

Digitized by Google

vertet, Ioannem in poſterioribus verbis priora quodammodo limitare, dum addit, *quod factum eſt*. q. d. quod nuper factum oculis noſtris vidimus, & de quo loqui perpetuò ſolemus. Animadvertet etiam, Joannem ſignificare, non omnia huc pertinentia æquè per Chriſtum facta eſſe, ſed quædam eatenus tantùm, quatenus non ſine ipſo, ſeu abſque ipſius autoritate ac virtute facta ſunt. nempe quia multa etiam poſt Chriſti reſurrectionem ab Apoſtolis facta fuerunt, ad Novum fœdus ſpectantia, atque inprimis gentium converſio, & ceremoniarum legalium abrogatio: ſed tamen non ſine ipſo, aut ſine ipſius numine, ut ex ſcripturis Novi Teſtamenti manifeſtum eſt.

‡ *Quod autem*] Imò verò hæc additio eſt maximi momenti, ut conſtet omnium eorum quæ facta ſunt in principio Moſaico, ad quod palam reſpexit Ioannes, nihil planè factum fuiſſe, quod per hoc æternum Patris Verbum factum non fuerit: Quare ut vox *omnia* denotat omnes res in principio creatas, & quæ ſub nomine cœli & terræ ut plurimum exprimuntur, ita etiam vox *nihil* ei oppoſita, generaliter ſumi debet, ut nihil excludat rerum earum quæ in principio factæ & creatæ ſunt. Adeoque delirat Volkelius dum pertendit hanc pericopã quâ dicitur, *ſine ipſo nihil factum eſſe quod factum eſt*, ſive ut habet magis emphaticè Græcus textus, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν, eſſe reſtrictivam & limitativam; cum è contrario hac ratione Euangeliſta velit eo ipſo univerſaliſſimè intelligi ſuum *omnia*, quod *nihil* omninò excipiendum ſtatuat. Nec ſanè agit Joannes de omnibus iis quæ nuper fieri viderant ſuis oculis, & de quibus tum loqui perpetuò ſolerent pii; ſed abſolutè & univerſaliter de *omnibus* quæ in principio illo facta ſunt quo fecit & creavit Deus cœlum & terram.

Animadvertet etiam] Hæc animadverſio eſt nullius momenti. Nam illud *ſine ipſo*, non opponitur ad *per ipſum*; & cùm omnia, ne hilo quidem excepto *per ipſum* facta dicuntur, eo ipſo inſinuatur ideo nihil eorum *ſine ipſo* factum eſſe, quod per ipſum omnia facta ſunt. Neque vox illa χωρὶς aliò reſpicit quam ad Deum Patrem, qui omnia ita fecit per Filium, ut nihil eorum quę ſunt facta, abſque Filio factum fuerit: Igitur revera docet Ioannes *omnia æquè per Chriſtum facta eſſe*, & quod nihil eorum Pater fecit ſine illo. Nec ſibi conſtat hæreticus, dum vult hîc fieri mentionem eorum quæ *etiam poſt Chriſti reſurrectionem ab Apoſtolis facta fuerunt ad Novum fœdus ſpectantia*, cujuſmodi notat ipſe *gentium converſionem & ceremoniarum legalium abrogationem*: Siquidem hæc omnia tam parum ad *principium* Volkelianum, quam ad Iohannæum pertinent.

At, inquies, ſatis ſeipſum Joannem explicare, cùm inferius dicit: (*Ioh.* 1, 10.) *Eum in mundo fuiſſe, mundumque per ipſum factum eſſe, & mundum eum non cognoviſſe*. Nos verò nullam rationem cogere videmus, ut hæc 447
poſteriora Euangeliſtæ verba ad illorum explicationem adhibita eſſe credantur, & conſecutionem, quâ tacitè hîc utuntur adverſarii, nullius momenti eſſe dicimus. Non protinus enim, ubi *mundi* vocabulum ſcriptum reperitur,

Digitized by Google

ritur, de cœlo terraque verba fieri ſtatuendum eſt, idque propter vocis iſtius ambiguitatem, ut pote quæ præter memoratam ejus ſignificationem, jam hominum conſociationem, & quaſi civitatem ſignificat, jam homines ſceleribus inquinatos, jam denique futuras illas noſtras ſedes, ac beatiſſimam vivendi rationem, quam *mundum futurum* vocat D. Autor Epiſt: ad Hebr. (*Heb*: 2. 5. *conf*: *cum cap*: 1. 6. *&* 2. *Pet*: 3. 13. *& Rom*: 4. 23.) adeò ut nihil prohibeat, quominus Joannem hoc in loco de diverſis mundis, non ſine ſermonis venuſtate, loqui credamus: ut nimirum Chriſtum in hoc mundi domicilio fuiſſe, perque eundem futurum illud ſeculum effectum eſſe, quo pacto etiam infrà (*v.* 17.) gratiam & veritatem per Chriſtum factam eſſe aſſerit; homines verò perditos eum nequaquam cognoviſſe oſtendat. Si enim, ut adverſarii volunt, duobus modis vocem mundi in his verbis accipit Joannes, nunc pro rerum aſpectabilium univerſitate, nunc pro hominibus impiis; nulla eſt ratio, cur, cum ter hanc vocem repetierit, triplici eam ſignificatione non uſurparit, imò hoc haud paulò eſt concinnius illo atque elegantius.

‡ *At inquies*] Ita eſt; plurimum ponderis accedit noſtro argumento ex eo quod hoc com. 10. dicitur *mundum* per Chriſtum factum fuiſſe: Agnoſco quidem vocem *mundi* ſumi multifariam in Scripturis; Imò triplicem illius largior in hoc ipſo commate ſignificationem: Cùm enim dicitur de Chriſtò *in mundo erat*, intelligitur potiſſimum hic inferior terrarum orbis hominum habitationi deſtinatus, in quo tum Chriſtus verſabatur in carne: Quo etiam ſenſu dicitur verſu præcedenti illuminare omnem hominem *venientem in mundum*; & Ioh: XVI, 28. *Prodii*, inquit Dominus, *à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum & proficiſcor ad Patrem*: Cùm dicitur *mundus per eum factus*, denotatur Univerſum Syſtema cœli & terræ, planè quo ſenſu antea dictum fuerat, omnia per ipſum facta fuiſſe; Et cùm dicitur *mundus eum non cognoviſſe*, ſignificantur homines irregeniti & impii qui ad lucem veritatis cœcutiunt & eam averſantur. Sed primò ut *mundus* abſolutè poſitus deſignet *futuras noſtras ſedes* in cœlo eſt planè alienum ab uſu Scripturæ: Nec eò faciunt loca quæ congerit adverſarius. Heb: 11, 5. non fit mentio *mundi* abſolutè, ſed cum reſtrictione & limitatione, *mundi futuri*, quem etiam jam factum fuiſſe cùm ſcriberet Iohannes, eò abſurdiùs dixeris, quò certius erat adhuc *futurus*, ſaltem nondum perfectus, tempore Pauli. Nec etiam mundus iſte futurus, denotat beatitatis æternæ ſedes, ſed potiùs œconomiam totam Euangelicam & Novi fœderis, quæ proceſſit immediatè per Chriſtum Dei Filium; non, ut œconomia Legalis & Veteris Teſtamenti Angelorũ Miniſterio. Notant enim eruditi ipſos Thalmudiſtas, per futurum ſæculum, non rarò intelligere *dies Meſſiæ*, Legem verò datam & promulgatam fuiſſe Angelorum miniſterio, videmus expreſſè Gal: III, 19. Heb: II, 2. Sed ſub Novo fœdere Patrem loquutum eſſe per ſuum Filium docemur Heb: 1, 1. Alia eſt ratio loci Heb: 1, 6. Nam Deus introduxit primogenitum ſuum in mundum, cùm voluit eum noſtra carne veſtitũ in mundo appar-

apparere: Nunc enim illi noſtro Immanueli & θεανθρώπῳ Angeli ſunt facti obnoxij, eumque ſtatim ac natus eſt, adoraſſe leguntur Luc: II, II. 13. Adde locum Joh: I, 52. Petrus equidem dicit nos expectare cœlos novos ac terram novam 2. Pet: III, 13. Sed neque mundi nomen ibi legimus, neque à Joanne cùm novus ille mundus ſit adhuc in fieri, potuit dici jam factus fuiſſe per Chriſtum. Nec facit ad hanc mundi ſignificationem Volkelianam locus Rom: IV, 13. cùm mundus cujus hæreditatem ſibi promiſſam Abraham fide expectavit, denotet Palæſtinam ſive terram Canaan, ut ſatis patet ex Gen: XV, 6. 7. 8. Niſi malimus cum Chryſoſtomo & Theophylacto, ſtatuere Abrahamum *hæredem mundi* per fidem fuiſſe conſtitutum, quatenus in ſemine & filio ſuo, nempe Chriſto, quaſi univerſo mundo potitur, juxta promiſſionem extantem Gen: XXII, 18. & dictum Davidis Pſal: II, 8. *Pete à me & donabo gentes in poſſeſſionem tuam & fines terræ jus poſſeſſionis tuæ.* Prætereà, dato non conceſſo, agi à Iohanne de ſedibus illis æternis quæ manent beatos poſt reſurrectionem, non poſſet ſtatui Chriſtus illum mundum feciſſe, quin eo ipſo Deus æternus & omnipotens, ac etiam mundi præſentis Creator, agnoſceretur: eo magis quod illas ſedes appellat domum Patris ſui Joh: XIV, 2. cujus ſtructor tamen ipſe dicitur Heb: III, 4. eaſque docet piis præparatas fuiſſe à jactis mundi fundamentis Matt: XXV, 34. Quid quod dicitur mundus hic ab ipſo factus, ſive ut reddit illud ἐγένετο, Syrus interpres, *per ipſius manum* fuiſſe; quod ſatis palam denotat illius creationem ſive conſtitutionem in ſuo eſſe. Nec video, quî pro ſententia Volkelij faciat ejus obſervatio ex com. 17. I. Joh: Nam nec debet vox ἐγένετο neceſſariò eodem ſenſu ſumi com. 17. & 10. & abſurdiſſimè *mundum* per Chriſtũ factum interpretaberis, gratiam & veritatem quam in ipſo conſequimur oppoſitè ad Legem quæ per Moſem lata & data fuit. Denique gratis ſumitur agere Johannem de futuro ſæculo, cùm nec illud unquam *mundus* ſimpliciter appelletur, nec uſpiam dicatur *fieri* vel *factum* à Chriſto, & nulla ſit in toto textu Johannæo circumſtantia, quæ iſti ridiculæ interpretationi fidem faciat; Quanto melius Nonnus Panopolitanus Poeta Chriſtianus, totam hanc pericopam ſic reddidit;

-------- Ἦν δ᾽ ἐν ἀπειθέϊ κόσμῳ,
Ἀπροϊδὴς, καὶ κόσμος ἀπείρειτος ἔσκε
δι᾽ αὐτῦ.
Καὶ λόγον οὐ γίνωσκεν ἐπήλυδα κόσμος
ἀλήτης.

idest, *Erat autem in incredulo mundo Improviſus, & mundus immenſus erat per ipſum, Et Sermonem non cognoſcebat advenam mundus erro.*

Quòd ſi triplicem ſignificationem vocis eo loco nolis admittere, propius vero eſt, Joannem de uno eodemque mundo verba facere. quod ſi ſtatuas, certè non niſi homines hoc nomine ſignificari inde apertiſſimum eſt, quòd mundum hunc lucem minimè cognoviſſe ait. Unde efficitur, cœli terræque creationem, hoc Joannis teſtimonio, Chriſto aſſeri nequaquam poſſe: cum hominum effectio à cœli terræque creatione non parùm diſtet. Huc accedit, quòd ipſa verborum complexio demonſtrat, tunc per Chriſtum factos eſſe homines, cùm inter illos eſſet, id eſt, cùm per Euangelij do-

ctrinam in tenebris luceret, in mundum veniens, id eſt, officium ſuum aggrediens, omnem hominem illuminaret, ad ſuos gentiles veniret, omnibus ſibi fidem adjungentibus in filios Dei evadendi poteſtatem concederet. Homines verò *mundi* appellatione deſignati ita per illum facti ſunt, quemadmodum etiam omnes per eum fuerunt illuminati. At per illum ita fuerunt, ut quamvis major hominum pars luminis ipſius claritatem fugeret, per ipſum tamen, quominus eâ omnes reipſa colluſtrarentur, minimè ſtaret. Eodem igitur pacto mundus per ipſum factus, id eſt, quantum in ipſo fuit, refectus eſt, licèt maxima ejuſdem pars eum agnoſcere,
448. divinamque clementiam, ipſius operâ delatam, grata mente proſequi, & animum ac mores ex ipſius præſcripto reformare noluerit.

† *Quod ſi triplicem*] Sive triplex ſignificatio hîc agnoſcatur, quod modò *concinnius* & *elegantius* ſtatuebas, ſive duplex tantum, ut aliis placet, ſive unica hæc, ut tibi parum conſtas, potiùs arriſerit, res eodem redibit contra te. Licet enim *hominum effectio*, *à cœli terræque creatione diſtet*, ut particulare ab univerſali, tamen hominum omnium, etiam impiorum, effectio, nonniſi reliquarum Creaturarum Conditori tribui poteſt: quomodo Deus dicitur *ex uno ſanguine feciſſe totum genus hominum* Act. XVII, 26. & *formator pariter cordis eorum* appellatur Pſal: XXXIII, 15. Adde locum Prov: XVI, 4. *Omnes operatus eſt Iehova propter ſe, etiamque improbum ad diem mali.*

Huc accedit] Falſum eſt tum demum factum fuiſſe mundum à Chriſto, cùm in mundo ac inter homines verſaretur: Docet enim Johannes quo jure venerit in mundum, nempe tanquam εἰς τὰ ἴδια, tanquam in domum ſuam, cujus dominus eſt & architectus; prout & dicitur Iohannes recepiſſe B. Virginem poſt crucem Chriſti εἰς τὰ ἴδια, id eſt in domum ſuam Ioh. XIX, 27. Et ſic verſatus fuit inter homines tanquam inter ſuas Creaturas, licet illi excœcati, eum recipere noluerint. Neque ſanè de ſola Iudæa, aut de ſolis Iudæis hîc agitur, ſed in communi de toto mundo, & de omnibus improbis & incredulis, ubicumque illi ſint; & τὰ ἴδια & οἱ ἴδιοι, ubi abſolutè ponuntur, Græcè & ex uſu Scripturæ, *ſua* quidem & *ſuos* denotant jure proprietatis alicujus, non verò *gentiles* & conſanguineos.

Homines verò] Atqui primò omnes & ſinguli homines venientes in mundum à Chriſto illuminantur lumine naturali intelligentiæ & rationis: nihil enim eſt λόγυ in homine, ut animal rationale ſtatuatur, niſi ab illo λόγῳ Patris æterno; ut à Sole eſt quicquid lucis reliqua Sydera habent; Et ita Cyrillus *lib.* 1. *Ioh. cap.* 9. *&* 10. Deinde ſi ageretur hîc de lumine ſupernaturali & gratiæ, illud Syncategorema *Omnis* deberet intelligi non de ſingulis generum ſed de generibus ſingulorum, *non quia nullus eſt hominum qui non illuminatur, ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur*, inquit Auguſtinus *Ench. cap.* 103. Abſurda enim foret loquutio, ſi dicerentur à Chriſto illuminati ſupernaturaliter, etiam illi qui *ipſius claritatem* fugiunt & quod per ipſum non ſtet quominus illuſtrentur. Nemo enim ſanæ mentis dixerit, Solem illuminare cœcos, & dormientes, & demerſos in ſpecubus ſubterraneis, & tal-

Digitized by Google

& talpas, & veſpertiliones, & bubones, eo quod minimè ſtet per Solem quominus illuminentur. Nam verbum φωτίζειν, denotat ipſum-met actum illuminationis, per quem is quem lux illa φωτίζει revera eſt illuminatus; Et vel pueri norunt quid ſit diſcriminis inter τὸ φαίνειν & τὸ φωτίζειν: prius dicitur de Chriſto Joh. 1, 5. καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν: At ubi eſt φωτισμὸς, ibi lux illuminantis ab illuminato percipitur, & hic deſinit in tenebris verſari. Ut igitur actualis hic illuminatio intelligitur, ſic debet intelligi actualis mundi per Chriſtum confectio: Sed ridiculè aſſerit Volkelius, primò homines fieri per Chriſtum, idem eſſe quod eos refici vel reparari; Nam veſtem aut domum facere, aliud eſt quam eam reficere. Secundò mundum dici per ipſum factum, ſive refectum, quantum in ipſo fuit, licet mundi maxima pars refici & reformari noluerit; Nam non cenſebitur vel poterit dici ille ſartor omnes detritas veſtes in Urbe feciſſe, eo quod paratus fuerit reficere eas, licet pauci admodum voluerint operam ipſius in eo adhibere.

In quaquidem conſideratione animadvertendum eſt, in mundum venire, in mundoque eſſe, ex Novæ Scripturæ conſuetudine, publicam officii adminiſtrationem ſignificare; & mundum *factum*, pro refectum eſſe, ideò nos ab Euangeliſta dictum exiſtimare, quòd Hebræos pro compoſitis verbis, quibus carent, ſimplicia uſurpare, & faciendi verbo interdum non ſubſtantiæ ejus rei, quæ fieri dicitur, productionem, ſed novæ in eam qualitatis introductionem ſignificare conſtat, cujus rei inter alia habes exempla 1. Sam: 12, 6. Pſal. 100, 3. Eſai. 43, 7. Epheſ: 2, 10. Hebr: 3, 2.

† *In qua quidem*] Sed hoc prius eſt falſiſſimum, & nunquam ex ſtylo Scripturæ probabitur: Licet enim Chriſtus venerit *in mundum* ut officio ſuo defungeretur, tamen ſui adventus finis & ſcopus non debet confundi cum ipſomet adventu & illius termino: Officii Sacri adminiſtrationem commiſſam fuiſſe Prophetis & Apoſtolis, frequenter legimus; nuſquam tamen eorum adminiſtratio, hac phraſi *in mundum* venire *in mundoque eſſe*, exprimitur: Quod ſi *in mundum venire* ſignificat *publicam officii adminiſtrationem* ſuſcipere, ſingulis igitur hominibus, quod dicantur omnes *venire in mundum* Joh: 1, 9. incumbit talis officii adminiſtratio publica: Quod ſi etiam *in mundo eſſe* reſpectu Chriſti, formaliter ſignificat publicam adminiſtrationem ſui officii, ergo cenſendus erit ab officii ſui Mediatorii adminiſtratione deſtitiſſe, cùm ex mundo abiit ac eum reliquit, ad Patrem rediturus Joh: XVI, 28. XVII, 11, 12. Id verò nunquam ſunt conceſſuri Sociniani.

Et mundum factum pro] Lepida ſanè ratio; Quia Hebræi carent *compoſitis verbis*, ergo *factum* dixit Johannes mundum à Chriſto, quia eum reficere annixus eſt, licet ſuo ſcopo in maxima illius parte exciderit: Quid eſt Dei Verbo illudere, ſi hoc non eſt? Cur non pariter dicas de loco celebri Joh: 1, 14. *Sermo caro factus eſt*, ubi idem verbum ἐγένετο occurrit, eo ſignificari, non tam factum eſſe carnem Dei Filium, quam in carneam naturam, quæ jam illi conveniret, refectum, reformatum

 &

Digitized by Google

& reparatum? An quia aliquot Hebraiſmi occurrunt in N. T. fas nobis erit omnia verba ſimplicia in ſenſu compoſito explicare? Et cur potiùs verbum ἐγένετο hoc com. 10. per *refectum* interpretaberis, quam com. 3. ubi *omnia per ipſum facta* dicuntur, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο? Sed etſi *faciendi* verbum quandoque ſignificet, quod non negamus, *novæ qualitatis introductionem* in jam præexiſtens ſubjectum, non illiuſmet ſubjecti productionem ſubſtantivam, ut cùm dicuntur quidam fieri Conſules, Paſtores, Doctores &c. deberet in eo ſenſu venire ubi effectio illa non de qualitate & conditione ſed de re & ſubſtantia dicitur; maximè ubi agitur de mundi & omniũ quæ in eo ſunt effectione. Quare non favent Volkelio loca ab ipſo hic citata: Nam. 1. Sam: XII, 6. cui poteſt addi Deut: XXXII, 6. & 15. ubi quidam Interpretes verbum *faciendi* reddunt per *magnificare aut exaltare*, τὸ *facere* non eſt *reficere*, *reparare*, *reformare*, ſed ex inepta & inhabili materia aliquid majus & dignius facere, quam ejus ferebat nativa conditio: Et ridiculus foret qui hæc verba *fecit mundum*, ſic interpretaretur, *mundum magnificavit*. Et præterea omnes Interpretes non conſentiunt in illa interpretatione. Nam Vulgatus Latinus & Leo Iudæ & Caſtalio, hic retinuerunt verbum ſimplex *fecit*. & ſimiliter Alexandrini Græci, adhibuerunt ſimplex ὁ ποιήσας. Nec Chaldæus Paraphraſtes, tam de Moſis & Aaronis exaltatione, quam de miraculis per eos divinitùs patratis, locum intellexit. Me quod attinet, putem verbum *faciendi* quod generalius eſt, illis locis fuiſſe adhibitum, quò utrumque ſignificaretur ſimul, ideſt & ſubſtantiæ productio, & perſonarum exaltatio; cùm nemini liceat benè eſſe niſi per eum cui ſuum eſſe debet, & in quo omnes ſumus, vivimus & movemur. Sed Pſal. C, 3. agitur potius de eſſe abſoluto, quam de benè eſſe; dicente Prophetâ, *Ipſe nos fecit, & non ipſi nos; ſumus populus ejus & grex paſcuorum ejus.* Nam prius norunt ad eſſe, poſterius ad benè eſſe pertinet. Ita Apollinaris in *Metaphraſi hujus loci*;

Ζωὴν αὐτὸς ἔτευξε βροτοῖς οὐχ ἡμέες
αὐτοί.
Αὐτὸς ἔτευξ' ἡμέας οὐδ' ἡμεῖς ἄρκιοι
ἐσμέν.
Ἡμεῖς αὖθ' ἔο λαὸς ὁμοῦ καὶ θρέμματα
ποίης.

Vitam ipſe dedit mortalibus, nos non ipſi;
Ipſe fecit nos, neque ſufficientes ſumus.
Nos rurſum ſimul populus ejus & alumni paſcui.

Si tamen legas cum Junio, *Ipſum effeciſſe nos (non autem nos ipſos) populum ſuum & gregem paſtus ſui*; tum verbum *faciendi*, non referes ad rem & ſubſtantiam, ut in loco controverſo, ſed ad qualitatem & conditionem collatam Iſraëlitis. Eſ. XLIII, 7. hæc tria tanquam ſynonyma, majoris emphaſeôs cauſâ, conjunguntur, *quem ad gloriam meam, creavi, formavi, feci*; quæ tria vocabula hic videntur conſultò uſurpata, quod iiſdem uſus ſit Moſes expreſſurus primã hominis originem Gen. I, 26. 27. II, 7. 18. Quod ad locum Eph. II, 10. dicimur ab Apoſtolo ποίημα Dei abſolutè, reſpectu creationis utriuſque primæ & ſecundæ, eo magis quod hæc illam neceſſariò præſupponat. Heb. III, 2. dicitur Chriſtus fidelis τῷ ποιήσαντι αὐτόν, non abſolutè, ſed, quod repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ex verſu præcedenti, ἀπόστολον καὶ ἀρχιερέα ἡμῶν, ubi conceptis verbis qualitas & conditio divinitùs Chriſto commiſſa exprimitur.

At

At clariùs, inquient, Paulus (*Col:* 1, 16.) *in Chriſto, & per Chriſtum condita omnia eſſe* dicit, *& quæ in cœlo, & quæ in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive thronos, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates. Omnia*, inquit, *per ipſum ſunt creata: & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſtant*. Quomodo igitur negari poterit, Chriſtum iiſdem operibus Patri conjungi, & ſic eidem conſubſtantialem eſſe? Reſpondemus, iſtam ratiocinationem multis modis vitioſam eſſe. Nam nec cœlum terraque, ſed omnia quæ in illis ſunt; nec iſta ſimpliciter omnia, ſed quæ ratione ſunt prædita, per Chriſtum condita eſſe dicuntur; quemadmodum apparet ex eo, quòd Apoſtolus eodem in loco paulò pòſt ait, Deo placuiſſe, *per ipſum reconciliare omnia in ſeipſum, pace facta per ſanguinem crucis ejus, per ipſum*, [inquam,] *ſive ea, quæ ſuper terra, ſive ea, quæ in cœlis ſunt*. at reconciliatio nonniſi creaturis intellectu præditis convenit.

‡ *At clariùs, inquient*] Et hic locus valde urit adverſarios; Nec enim dubium eſt quin Apoſtolus velit Chriſti perſonam deſcribere, ac demonſtrare contra Angelicos, adverſus quos totâ hac epiſtolâ diſputat, eum eſſe omnibus Angelis, quibuſcumque nominibus venirent, præferendum; non ſolum ex eo quod ſit imago Dei inviſibilis, ut monuerat com. præced. ſed etiam ideo quod omninò ſit Creator, tam inviſibilium quam viſibilium, adeoque ipſorum-met Angelorum, qui propterea tanto ſint illi inferiores, quanto diſtant Creaturæ à Creatore.

Nam nec cœlum] Sanè qui *omnia* dicit per Chriſtum creata, nihil omninò excipit; Nec potuit condidiſſe quæcunque ſunt in cœlo & in terra, quin eo ipſo cœlum quoque & terram condiderit. Nam eodem authori tribuitur in Scripturis cœli & terræ creatio, cui convenit creatio omnium quæ ſunt in cœlo & in terra, ut videre eſt in ipſo Decalogo Exod. xx, 11. Nec reſtringit ullo modo Apoſtolus hoc ſuum Syncategorema ad ea *quæ ratione ſunt prædita*; Etenim neque moris eſt in Scripturis viſibilium & inviſibilium diſtributione, exprimere ea quæ prædita ſunt ratione; cùm maximè id quo homo præditus eſt ratione ſit etiam inviſibile & ejuſdem conditionis & naturæ cum Angelis. Neque reſtrictionis gratiâ fecit hic Apoſtolus mentionem viſibilium & inviſibilium, ſed potius auxeſeôs & exegeſeôs causâ: Nam non dicit creata à Chriſto viſibilia & inviſibilia quæ ſunt in cœlo & in terra, ſed abſolutè & illimitatè viſibilium & inviſibilium, adeoque & ipſorum-met Angelorum, creationem illi tribuit: Nec omittit quicquam unde poſſit conſtare Chriſtum eſſe omnium omninò Creaturarum conditorem & authorem: Primò enim univerſaliter dicit, *in eo*, id eſt *per eum*, ut benè interpretatur Volkelius, creata eſſe τὰ πάντα, *omnia*: Secundò illa omnia explicat duplici diſtributione, ut ſint tum ea quæ in cœlis tum ea quæ ſunt in terra, τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, quâ diſtributione ſolet exprimi quicquid eſt in rerum natura; tum etiam, ne ſola viſibilia ei adſcriberentur & Angeli ſubducerentur ejus creationi, τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα; ita ut ſub hac ſecunda diſtributione contineantur omnes

Digitized by Google

nes Angeli & intelligentiæ ſeparatæ, εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι: Sic enim Heb. 1, 7. Angelorum creatio & imperium Chriſto tribuitur. Tertiò addit, ne quid eximatur ex illa univerſalitate, tam emphaticè per duplicem illam diſtributionem expreſſa, τὰ πάντα δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται: καὶ αὐτὸς ἐστὶ πρὸ πάντων, καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε; ideſt, *Omnia per eum & propter eum condita ſunt, eſtque ipſe ante omnia & omnia per eum conſiſtunt.* Certè non poteſt non eſſe æternus Deus, is *ex quo per quem & in quem ſunt omnia*, ut Deus ipſe deſcribitur Paulo Rom. XI, 36. qui *fecit omnia propter ſeipſum*, ut de Iehova dicit Salomon Prov. XVI, 4. qui *ſuſtinet* omnia potenti ſuo verbo Heb. 1, 3. in quo & per quem omnia conſiſtunt, ſive in *quo vivimus & movemur & ſumus* Act. XVII, 28. quorum utrumque de ſummo Deo dici, eſt extra dubium; qui denique eſt *ante omnia*, etiam ipſos Angelos, adeoque *primus & noviſſimus*, quo charactere Iehova deſcribitur Eſ. XLI, 4. Cùm igitur omnia quæ de ſummo Deo alibi dicuntur, hic in Chriſtum congerantur reſpectu creationis & conſervationis *omnium* abſolutè, & πάσης κτίσεως, ideſt *omnis creaturæ*, uti dicitur com. 15. nulli omninò reſtrictioni aut limitationi locus ullus reperiri poteſt in textu Paulino. Et cùm diſputet Apoſtolus adverſus θρησκείαν Angelorum, ut eum cultum ſoli Chriſto vendicet, meritò ei tribuit omnium creationem, quod eum ſolum *adorare* & colere religioſè debeamus *qui fecit cœlum & terram & mare & fontes aquarum*, uti jubemur Apoc. XIV, 7.

Quemadmodum apparet] Sed primò etſi daremus Apoſtolum omnium à Chriſto creatorum nomine intelligere duntaxat creaturas ratione præditas, id nihil officeret noſtræ cauſæ: Non poteſt enim Chriſtus non eſſe æternus Deus & Patri conſubſtantialis, ſi extitit ante Angelos & homines & eos condidit. Secundò negamus Volkelio τὰ πάντα in objecto ἀποκαταλλάξεως factæ per Chriſtum & in ſanguine illius, adæquanda eſſe τοῖς πᾶσι in objecto κτίσεως, aut hæc per illa debere intelligi. Nam dici nequit vel τὰ ὁρατὰ omnia eſſe reconciliata Deo per Chriſtum, cum plantæ & beſtiæ & ſydera & metalla, non ſint ſubjectum δεκτικὸν reconciliationis iſtius; vel voluiſſe Deum ſibi reconciliare in Chriſto, εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, Angelos inviſibiles, quos nunquam ab ipſo diſſenſiſſe certum eſt; & pro quibus pacificandis & reconciliandis ſanguis crucis fuſus non eſt; Nec enim *aſſumpſit Angelos ſed ſemen Abrahæ* Heb. 11, 16. Tertiò ex tota contextus ſerie liquet hoc com. 20. Syncategorema illud τὰ πάντα, reſtringendum eſſe ad eos qui conſtituunt Eccleſiam, non extendendum ad ea omnia quæ per Chriſtum condita fuiſſe priùs dicebantur: Poſtquam enim Apoſtolus egerat de opere Creationis omnium per Chriſtum, tranſit ad opus Redemptionis illi itidem vindicandum, his verbis com. 18. 19. 20. *Eſtque caput corporis, ideſt Eccleſiæ, eſtque etiam principium & primogenitus ex mortuis, ut inter omnes primas teneat; Quoniam libuit Patri ut omnis plenitudo in eum inhabitaret; & ut pace per ſanguinem crucis ejus factâ reconciliaret omnia ſibi per eum, tum quæ in terra tum quæ in cœlis.* Quis hinc non colligat quod τὰ πάντα in poſteriori hac pericopa non debeant extendi ad omnia per Chriſtum creata ab initio, viſibilia, & inviſibilia; ſed reſtringi ad omnes qui conſtituunt Eccleſiam &

Digitized by Google

omnia membra corporis illius myſtici cujus eſt caput; ad mortuos in Domino, quorum eſt primitiæ & primo genitus; ad ſuo ſanguine reconciliatos & redemptos electos, tam qui jam erant in cœlo tempore ſuæ paſſionis aut ſcriptionis Apoſtolicæ, quam qui ſupererant & ſuperfuturi erāt in terra, uſque ad conſummationem ſæculi? Admittimus ergo confeſſionem Volkelij, quod videlicet *reconciliatio nonniſi creaturis intellectu præditis convenit*: Sed addendum eſſet, quod reconciliatio facta per ſanguinem Chriſti ſit tantum hominum non Angelorum; adeoque hanc reconciliationem hujus commatis, non adæquari creationi præcedentium verborum quæ etiam Angelos complectebatur: Certè 2. Cor. v, 20. cùm Deus dicitur fuiſſe in Chriſto reconcilians *mundum* ſibi & non imputans ipſis ſua peccata, dubium non eſt mundi reconciliati nomine ſolos homines peccatores intelligi, adeoque non poſſe illam reconciliationem in Chriſto ad Angelos extendi, multo minus ad cœteras creaturas. Quamvis nolimus negare, ſuo ſenſu hanc reconciliationem noſtri, extendi objectivè ad omnia creata; Cùm enim non ſolum Angeli beati, ſed omnes omninò Creaturæ, per peccatum noſtrum hoſtili animo in nos ferrentur, pacato nobis Deo per ſanguinem crucis, videmur eo ipſo rediiſſe in gratiam cum reliquis Creaturis; juxta canonem à Salomone propoſitum Prov: xvi, 7. *Quùm Iehova benevolentiâ proſequitur vias alicujus, etiam inimicos ejus pacatos reddit ei.* Huc facit dictum Pauli 1. Cor. iii, 22. 23. *Et Paulus & Apollos & Cephas, & mundus, & vita & mors, & præſentia & futura, omnia veſtra ſunt; Vos autem Chriſti; Chriſtus verò Dei.* Sed neque hæc obſervatio quicquam facit pro Volkelio, neque ullo modo debilitat noſtram cauſam: Cui etiam ſuum pondus accederet, ſi verū foret quod obſervat Theodoretus *ad cap. 1. Epheſ.* ubi docet debuiſſe Chriſtum ὑπὲρ πάντες, *pro omni*, mortem guſtare, quod *omnis creatura opus habebat ſuſceptæ carnis diſpenſationis medicamento. Elementa enim,* inquit, *quæ propter uſum hominum facta fuerant, ut eſſent corruptioni & interitui obnoxia effecit, quandoquidem eum etiam mortalem factura erat tranſgreſſio. Quæ ſub aſpectum autem non cadunt, poteſtates; ægrè ferebant, ut eſt veriſimile, dum viderent improbitatem quæ verſatur in hominibus. Si enim lætantur propter unum peccatorem qui agit pœnitentiam, ut dixit Dominus, clarum eſt eas ægrè ferre dum vident contraria: Sed humanæ naturæ ab unigenito ſuſceptio, morte ſolutâ, & reſurrectione oſtenſâ, & communis reſurrectionis dato pignore, triſtem illam nubem diſcuſſit.* Eadem plane habet *ad cap. 2. Heb. Sola Divina natura nullius indigebat; reliqua autem omnia opus habebant humanæ ſuſceptæ naturæ medicamento; Deus enim ſermo homo factus, mortis potentiam diſſolvit & perfregit; eâ autem fractâ & diſſolutâ, reſurrectionem nobis pollicitus eſt; reſurrectioni autem adjuncta eſt à corruptione ac interitu remotio & immortalitas & incorruptionem autem aſſequentur etiam ea quæ videntur. Hoc enim dixit etiam in epiſtola ad Romanos, quod ſcilicet ipſa etiam creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Iam verò Angeli quoque perpetuâ afficientur lætitiâ, hominum ſalutem aſpicientes. Si enim gaudent propter unum peccatorem pœnitentiam agentem, multo magis videntes tot millia ſalutem conſecuta, implebuntur lætitiâ. Pro omnibus ergo ſalutarem paſſionem ſuſtinuit.* Admiſſâ itaque hac Theodoreti ſentētiâ, illa *omnium reconciliatio* cujus meminit hoc loco Apoſtolus, poſſet æquè generaliter intelligi ac *omnium creatio*, cujus antea fecerat mentionem: Ut nihil reſtet in hac exceptione Volkelij, quocunque ſe verterit, quod vim argumenti noſtri ex mente & dicto Apoſtoli petiti queat evertere.

Huc

Digitized by Google

‡Huc accedit, quòd verbum Condere ſeu Creare ambiguum eſt, ut ex
multis Scripturæ locis clariſſimè patet, (*Rom*: 8, 19. 2 *Cor*: 5, 17. *Gal*: 6.
15. *Eph*: 2, 10, 15: 3. 9: 4. 24. *Col*. 3, 10. *Jac*: 1, 18. *Apoc*: 3, 14.) quibus
verbum *creandi*, tam cum reſtrictione, quàm abſolutè poſitum, nonniſi reno-
vandi vim habere comperitur, quam ſignificationem & hîc illud continere,
tum ex alio loco, ubi eandem materiam tractat Apoſtolus, tum ex eo, quòd
Chriſtum iſtius creaturæ primogenitum hoc loco vocat, colligitur. In
Epiſt. enim ad Epheſios (*Eph*: 1, 10.) verbo Inſtaurandi, ut vetus interpres
Græcum verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι reddidit, pro verbo Creandi utens di-
cit: *Deum conſtituiſſe, in temporis plenitudine inſtaurare in Chriſto omnia,
quæ in cælis, & quæ in terris ſunt*, quem locum unà cum iis, quæ v. 20.
& ſeqq. leguntur, illis ad Coloſſ. verbis reſpondere, facilè intelliget, qui
meminerit, Epiſtolam ad Coloſſenſes, ejus quæ ad Eph: quoddam veluti com-
pendium eſſe, & tum ipſa illa teſtimonia, tum ea, quæ utroque in loco
antecedunt & ſequuntur, inter ſe contulerit, & partim unde in hæc verba
449. de lapſus fuerit Apoſtolus, partim etiam, quorſum ea protulerit, conſi-
deraverit.

‡ *Huc accedit quod*] Non inficior verbo *creandi* quandoque in Scripturis, renovationem meram denotari: ut cùm David dicit Pſ. LI, 12. *Animum mundum crea mihi Deus, & Spiritum firmum renova intra me.* Sed nec omnia loca à Volkelio citata hanc ſignificationem admittunt, & nullum profert in quo vox *creandi* abſolutè poſita eo ſenſu ſumatur: Nam Rom: VIII, 19. κτίσεως nomine intelligitur *mundus conditus*, qui *quaſi exerto capite obſervans expectat revelationem filiorum Dei*, & liberationem ab ea *vanitate* cui nunc *ſubjectus* eſt. Qui enim hac *creatura* ſenſu Volkeliano poſſet vel dici ſubjecta vanitati, vel à filiis Dei quorum exſpectat revelationem contradiſtingui? 2. Cor. V, 17. non extat, ut nec in loco præcedenti, verbũ *creandi*, ſed nomen *creaturæ*, cum epitheto *novæ*. *Si quis eſt in Chriſto nova eſt Creatura; Vetera præterierunt, ecce nova facta ſunt omnia.* Sic & Gal: VI, 15. *nova Creatura* expreſſè commendatur. Epheſ. II, 10. hoc vocabulum utramque creationem, primam & ſecundam, complectitur, & uſurpatur reſtrictè, cum dicimur *opus Dei conditi ad bona opera*: & com. 15. ad ſecundam expreſſé reſtringitur, dicente Apoſtolo Chriſtum aboleviſſe per ſuam carnem inimicitias, id eſt legem præceptorum, quæ in ritibus ſita eſt, *ut ex duobus illis* populis, Judæis & Gentilibus, *conderet unum novum hominem faciens pacem.* Eph. III, 9. nihil eſt quod cogat id verbum ſumere de ſecunda creatione, cùm mens Apoſtoli ſit oſtendere beneficium Redemptionis in Chriſto eo juſtiùs extendi, non ſolum ad Judæos, ſed etiam ad Gentiles, quod ſit creator gentis utriuſque; ſiquidem *Deus omnia creavit per Ieſum Chriſtum.* Cùm verò Eph. IV, 24. agatur *reſtrictè* de novi hominis creatione, non *abſolutè* de creatione hominis, fruſtra eo loco pugnat adverſarius. Multo minus pro ipſo facit locus Col. III, 10. *Induti ſitis novo illo homine qui renovatur in agni-*

tionem

Digitized by Google

ſionem congruentem imagini ejus qui ipſum condidit : Hic enim agitur evidenter de prima hominis creatione ad imaginem Dei, quæ in nobis renovatur & inſtauratur per Chriſtum. Sic & pii per renovationem & regenerationem dicuntur Jac. 1, 18. *primitiæ Creaturarum* Dei, quod videlicet illi ſoli ex tota Creaturarum reliquarum, hominum præſertim, maſſa, Deo ſint ſacri & conſecrati; prout ex tota frugum maſſa primitiæ ſpeciatim Deo conſecrabantur : quo ſenſu dicitur quoque Jerem. 11, 3. *Sanctitatem fuiſſe Iſraelem Iehovæ & primitias proventus ejus*, ideſt revera *populum ei peculiarem præ omnibus populis qui ſunt ſub univerſo cœlo*, ut Moſes loquitur Deut. vii, 6. Sic & Apoc. iii, 14. Chriſtus dicitur ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ, quod in ipſo & per ipſum Deus omnia condiderit, prout multi de ipſomet Chriſto intelligunt prima verba Geneſeôs, *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Ut revera nullum hactenus locum N. T. protulerit Volkelius, ex quo probetur Verbum *creandi* abſolutè & citra reſtrictionem poſitum, *nonniſi renovandi vim habere.* Jam autem Col. 1, 16. verbum *creandi* abſolute ponitur, & extenditur ad *omnia, viſibilia & inviſibilia,* quæ renovationis per Chriſtum & reconciliationis cum Deo capacia non ſunt; adeoque non poteſt hîc loci, verbum *creandi* ad renovationem reſtringi, cùm nulla ſit vocula in toto textu quæ eò ſpectet.

In epiſtola enim] Mox dicturi ſumus de eo quod *Primogenitus Creaturarum* Chriſtus à Paulo dicitur : Ad hanc verò collationem loci Eph. 1, 10. cum eo de quo diſputamus, agnoſco, quidem eodem ſpectare locum Col. 1, 20. qui eſt de omnium *reconciliatione*, & locum Eph. 1, 10. qui eſt de *omnium* ἀνακεφαλαιώσει, ſive recapitulatione, in Chriſto : Sed nego extare in epiſtola ad Epheſios cap. 1, 10. 20. 21. 22. quæ idem contineant cum eo quod extat Col. 1, 16. de omnium creatione per Chriſtum. Primum enim ἀνακεφαλαιώσασθαι, ſumi *pro verbo creandi*, aut idem eſſe quod *inſtaurare*, etſi ita reddiderit V. V. demonſtrari non poteſt: Et poſito quod ſignificet *inſtaurare*, quis inde ſanus colligat, ergo ſumi *pro verbo creandi*? Nullus quoque interpretum hic vidit iſtud verbum; & propriè vox originalis ſignificat *recapitulare*, ut etiam ita habet Hieronymus *eo loco*, ideſt revera ſub uno eodemque capite recolligere & adunare; quod ultra corpus Chriſti myſticum, ideſt Eccleſiam, cùm jam triumphantem in cœlis, tùm adhuc militantem in terris, extendi non debet. Quid ergo iſtud ad creationem omnium, quæ ſunt in cœlis & in terra, tam viſibilium quam inviſibilium, etiam ipſorum-met Angelorum, quæ non poſſunt dici coaluiſſe nobiſcum in idem myſticum corpus, quod vivificatur & regitur per Chriſtum? Deinde etſi verbum *inſtaurandi* hîc adhiberemus, non tamen haberet eundem ſenſum cum verbo *creandi*, ſed ad ſummum id ſignificaretur quod habet Auguſtinus *Enchir. ad Laur. cap.* 62. ubi citato hoc loco ita loquitur; *In ipſo quippe inſtaurantur quæ in cœlis ſunt, cùm id quod inde ex Angelis lapſum eſt ex hominibus redditur: Inſtaurantur autem quæ in terris ſunt, cùm ipſi homines qui prædeſtinati ſunt ad æternam vitam à corruptionis vetuſtate renovantur. Ac ſic per illud ſingulare Sacrificium in quo Mediator eſt immolatus (quod unum multæ in Lege victimæ figurabant) pacificantur cœleſtia cum terreſtribus, & terreſtria cum cœleſtibus; quoniam ſicut idem Apoſtolus dicit, In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus ſive quæ in cœlis ſunt,*

Digitized by Google

ſive quæ in terris. Quibus verbis Auguſtinus confert locum Eph. 1, 10. uti nos cum loco Col. 1, 20 qui eſt de reconciliatione, non verò cum loco Col. 1, 16. qui eſt de creatione: Quicquid verò extat Eph. 1, 20. & ſeqq. de Chriſto poſt ſuam reſurrectionem collocato *ſupra omne imperium ac poteſtatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen quod nominetur non ſolum in hoc ſæculo verum etiam in futuro, omnia* ſubjiciendo *ejus pedibus*, & conſtituendo eum *caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius & complementum ejus qui complet omnia in omnibus*, poteſt quidem conferri cum Col. 1, 18, 19. 20. Sed non ſpectat id quod extat ibidem com. 15. 16. & 17. de omnium creatione per Chriſtum; quæ eò magis faciunt ad ſcopum Apoſtoli, quò magis intererat ſcire non ab alio quam ab omnium Creatore, totius Eccleſiæ redemptionem & reconciliationem procedere potuiſſe Et quamvis utraque hæc Epiſtola ad Epheſios & ad Coloſſenſes, conveniant in pleriſque, nihil tamen obſtat quominus aliquid amplius de Chriſto in una quam in altera obſervetur.

Sed deinde, uti jam monuimus, hoc ipſo ad Col: loco Paulus Chriſtum ejus creaturæ, de qua agit, primogenitum eſſe ait. Vnde & ipſum in rebus illis creatis numerandum conſtat, qua de re plura infrà dicentur. (*vid. inf. c. 12.*) At Chriſtus nonniſi quatenus homo eſt, in creaturis haberi poteſt. Is autem tunc, cum Deus mundum ædificaret, homo nequaquam fuit: ac proinde veteris illius creaturæ primogenitus eſſe haudquaquam potuit. Conſequens igitur eſt, Paulum de nova creatura ſermonem inſtituiſſe, quæ nihil eſt aliud, quàm rerum intelligentium, tam in cœlis, quàm in terris exiſtentium reformatio, & in alium ſtatum traductio. Omnium igitur primò Chriſtus, talis à Deo creatura factus eſt. Primus enim à mortuis excitatus, & immortalitate donatus eſt. qua de cauſa & hoc in loco (*Col*: 1. 18.) & alibi, (*Apoc*. 1, 5.) primogenitus ex mortuis appellatur, poſtea per eundẽ omnia ratione prædita, eaque & cœleſtia & terreſtria, quorum illa ab oculis humanis ſunt remota, hæc ſub aſpectum cadunt, reformata ſunt; idque duplici ratione: nimirum ut primò Chriſtus Angelorum Dominus, Eccleſiæque caput conſtitutus fuerit, atque adeò non ſolùm homines, ſed etiam Angeli, iique non vulgares tantùm, ſed etiam omnium præcipui, qui antea ſoli Deo paruerant, eumque unum coluerant, Chriſtum pro Domino ac capite ſuo agnoſcere, eum revereri atque adorare, & ad varia miniſteria ab ipſo adhiberi cœperint; deinde ut idem Chriſtus Angelos & homines, qui antea diſſidebant, conglutinaverit conciliaveritque. Quorum utrumque magnam iſtis omnibus mutationem attulit. Dico autem *iſtis omnibus*, ne quis vocem *omnia*, hìc à Paulo aliquoties uſurpatam, omnia abſolutè ſineque reſtrictione, & ſic etiam arbores, pecora, lapides complecti exiſtimet. Eadem enim ratione iſta omnia Chriſti ſanguine reconciliata eſſe intelligendum eſſet: cum

cum hoc, uti jam monuimus, ibidem omnibus, quæ tàm in cœlis, quàm in terris ſunt, attribuatur.

‡ *Sed deinde uti jam*] Ad hanc ἔνστασιν, quæ fuit quoque olim Arianorũ, non aliis verbis opus eſt reſpondere quam Theodoreti *ad hunc locum. Eſt Primogenitus creaturæ, non quod ſororem habeat creaturam, ſed quod ante omnem creaturam ſit genitus. Quomodo enim fieri poſſet ut idem eſſet frater creaturæ & opifex? Si enim ut dicunt hæretici eſt creatura habet creaturam ſororem; Fieri autem non poteſt ut idem ſimul ejuſdem ſit frater & opifex. Eum autem opificem vocat Sacra Scriptura. Quod ſi opifex non ergo frater. Quod ſi non frater, non creatura: Maximè cùm nec ipſum divinus appellarit Apoſtolus* πρωτόκτιστον, *ideſt primum creatum, ſed* πρωτότοκον, *ideſt primogenitum, hoc eſt primum: Ita etiam dictus eſt primogenitus ex mortuis: Ita etiam Eccleſiam primogenitorum Sanctorum cœtum appellavit divinus Apoſtolus, non quod omnes primi natura ſolverint matrum uteros, ſed quia major honor primogenitis lege tribuebatur, eorum præſtantiam & honorem ſignificavit per hanc appellationem.* Summa eſt eum appellari *primogenitum creaturarum*, tum quod genitus ſit à Patre & ex illius ſubſtantia ante omnes creaturas, quia ab æterno; tum quod ſit earum Princeps & Dominus, ut jure veteri primogenito competebat dominium in univerſam familiam Gen. IV, 7. Nec poteſt eſſe *Primogenitus omnis creaturæ* quin ſit ante omnem creaturam; Qui verò extitit ante omnem creaturam, is utique creatura eſſe non poteſt, cùm ſolus Creator ante omnem creaturam extitiſſe cenſendus ſit. Quare toto cœlo errat Volkelius dum hinc colligit *Chriſtum in rebus illis creatis numerandum* eſſe; cùm è contrario hinc ſequatur eum alterius ordinis eſſe & naturæ; adeoque hoc elogium ei competere, non *quatenus homo eſt*, ſed quà Deo. Quin non potuit annumerari rebus creatis novæ creationis, quæ reconciliationem & renovationem ſignificat; cùm illius reconciliationis, & renovationis ſit author in omnibus & illius quantum ad ſe non eguerit.

Conſequens igitur eſt] Id nullo modo ſtatui poteſt, cùm nunquam creatio abſolutè poſita hanc reformationem ſignificet; & hæc ſola cadat in homines per peccatum corruptos & deformatos: neque poſſit probari ex Scripturis Angelos beatos, per Chriſtum vel reformatos, vel *in alium ſtatum* traductos fuiſſe.

Omnium igitur primò] Certè Chriſtus primò *talis à Deo creatura factus* dici non poteſt; cùm ſenſu Volkeliano omnis talis creatura à Chriſto ſit, & nihil in ipſo fuerit reformandum vel corrigendum.

Primus enim à mortuis] Sed neque ſenſu Volkelij reſurrectio à mortuis pertinet neceſſariò ad hanc *rerum intelligentium* reformationem, ſive novam creationem, quoniam eam vult extendi ad Angelos, qui tamen neque mortis neque reſurrectionis capaces ſunt. Nec Chriſtus *primogenitus ex mortuis* dicitur, niſi reſpectu piorum & fideliũ qui ſunt reſurrecturi ad gloriam, & quomodo *primogenitus inter plures fratres* appellatur Rom: VIII, 28. Tum primogenitus eſt ex mortuis quà θεάνθρωπος; ſed quà λόγος præciſè & priuſquam in carne veniſſet, fuit πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *primogenitus omnis creaturæ*: ut hoc per illud explicari aut reſtringi nullo modo queat.

Nimirum ut primò Chriſtus] Verùm quæ hic finguntur de Angelis, aliena

Digitized by Google

aliena ſunt à mente Pauli & ipſius-met Volkelij explicatione: Etenim creatio hæc ſecunda, debet ſonare meliorationem & traductionem ad ſublimiorem ſtatum, rerum quibus tribuitur; Atqui Angelis per novum fœdus & Chriſtum nihil acceſſit meliorationis, aut conditionis ſublimioris eâ quam antea obtinebant. Nec enim *ſubjecit Angelis mundum futurum de quo loquimur* Heb. II, 7. Imò ſi Chriſtus ſit ψιλὸς ἄνϑρωπος, ut volunt adverſarij, multum deceſſit Angelis, & ſtatus eorum in deterius eſt valde mutatus, ſi pro eo quod *antea ſoli Deo paruerant, eumque unum coluerant,* nunc teneantur Chriſtum, merum hominem ipſiſque naturâ inferiorem, *pro Domino ac capite ſuo agnoſcere, revereri & adorare.* Nec video quî ejuſmodi capitis diminutio in Angelis, nova eorum creatio & renovatio dici debeat: Reformatio forte poſſet appellari ſenſu non Scripturæ, ſed militari, quo is Centurio reformari dicitur, qui excidit ſuâ centuriâ &ad gregarios milites relegatur.

Deinde ut idem] Atqui illa reconciliatio omnium in Chriſto, quæ proceſſit ſanguine ipſius, non tam ſpectat Angelorum & hominum conglutinationem, quam omnium electorum, tum eorum qui jam in cœlo triumphabant cùm paſſus eſt, tum cœterorum militantium & porrò militaturorum in terris, reconciliationem cum Deo, uti evidenter liquet ex 2. Cor. v, 19. 20 Nec enim ſanguis Chriſti ad pacem faciendam effuſus, eſt placamentum Angelorum ſed Dei, ut tota docet Scriptura: Quanquam noſtræ non obeſſet cauſæ, ut ſuo loco viſum, ſi tam generaliter ſumeremus hanc reconciliationem eorum quæ in cœlis ſunt & in terra, ac generaliter pertendimus eorundem creationem ſignificari in præcedenti parte textus Apoſtolici; quod iſta per Chriſtum ἀποκατάλλαξις ſuo ſenſu ad omnia abſolutè pertineat, prout etiamnum præſtolamur per ipſum ἀποκαταστάσεως πάντων Act. III, 21.

Dico autem iſtis.] Sed neque ſi limitationi huic locus eſt quoad reconciliationem omnium, ea erit admittenda quoad omnium creationem. Tum nec Angeli ad iſtam reconciliationem cum Deo, ſanguine Chriſti, ullo modo pertinent; quod emplaſtro non fuerit opus, ubi vulnus nullum erat: nec ſi conſequenter ad noſtri cum Deo reconciliationem, videntur rediiſſe nobiſcum in gratiam, id tam ponit mutationem aliquam in ipſis, quam in nobis, quod jam ſumus erepti tyrannidi Diaboli, mortis & peccati, ſitque beneficio noſtræ Redemptionis noſtrum πολίτευμα in cœlis Phil. III, 20.

Eadem enim ratione] Sed æquè abſurdè dixeris pariter eſſe Deo reconciliatos ſanguine Chriſti Angelos & homines: Ut quorumcunque ſit hæc reconciliatio, aut quomodocunque limitanda, id non impediat quominus com. 16. omnium univerſaliſſimè, etiam ipſorum met Angelorum, creatio, Chriſto Servatori ab Apoſtolo tribuatur.

Inſtabunt tamen, & clariſſimum ſe ſuæ aſſertionis teſtimonium habere oſtendent, quòd Autor ad Hebræos, (*Heb*: 1, 10.) ad Chriſtum ea Pſalmi verba (*Pſal*: 102, 26.) referat: *Et tu Domine in principio terram fundâſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli: ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes, ut veſtimenta, veteraſcent, & veluti amictum involves eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Reſpondemus,

Digitized by Google

Autorem divinum non ideò hæc verba ad Chriſtum referre, quòd ad ipſum primò pertineant, & ad eum ab ipſo Pſalmographo directa fuerint; neque etiam ideò, quòd omnia ad Chriſtum ſpectent: ſed, quia, quatenus in futurum reſpiciunt, & ſic prophetiam continent ad Meſſiæ tempora ſpectantem, rem ejuſmodi prædicunt, quæ per Chriſtum ſit perficienda; & ſimul id continent, quod Chriſto non minùs, quam ipſi Deo convenit. Loquuntur enim partim de abolitione cœli & terræ, cujus cauſâ præcipuè allatum eſt hoc teſtimonium; partim de ejus, qui iſta ſit aboliturus, perennitate. Ut autem rem ita ſeſe habere conſtet, placet verba illa aliquanto diligentiùs examinare. 450.

1 *Inſtabunt tamen*] Eſt quoque & hoc argumentum magni momenti, quod Apoſtolus Heb. 1, 10 de Chriſto intelligenda & dicta doceat, quæ Pſal. CII, 26. leguntur de Jehova, ceu Creatore immutabili & æterno cœli & terræ. Et fruſtra laborat hæreticus ut ſe hinc extricet: Negare enim totum textum Davidicum, ut citatur à Paulo, ad Chriſtum pertinere, nihil aliud eſt quam obloqui in os Apoſtolo & gnaviter delirare. Et ſi pertinent hæc verba ad Chriſtum reſpectu abolitionis cœli & terrę per ipſū, & perennitatis ejus, utique pertinebunt quoque ad illum reſpectu creationis cœli & terræ: Nec enim mutat perſonam vel David vel Apoſtolus: Sed illi eidem cui dicitur, *Tu, Domine*, κατ' ἀρχὰς, *à principio*, (eodem modo quo Johannes dicit, *In principio erat verbum*) *terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli*, dicitur quoque non alii, *Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut veſtimentum veteraſcent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es & anni tui non deficient.* Neque alius poteſt abolere & immutare cœlos & terram, quam qui cœlos & terram condidit; Nec alius eſt abſolutè immutabilis & æternus quam ſummus Deus. Cùm ergo hæc omnia uno ore & uno ſpiritu de Filio & ad Filium dicantur, perabſurdè tentaveris disjungere quæ conjunxit Spiritus Sanctus, & nonniſi totius pericopæ ultima verba de Chriſto intelligere. Quid quod mens Apoſtoli eſt oſtendere quot paraſangis diſtet Chriſtus ab Angelis, & quam multis ſit illis ſuperior? Sed eò potiſſimū facit prior pars textus Davidici, quæ nullo modo poſſit Angelis convenire: At quod ſubjungitur, de non tam *abolitione* quam renovatione cœli & terræ, ceu peragenda per Chriſtum, & perennitate illius, poſſet aliàs ſuo ſenſu convenire Angelis, quos conſtat non ſolum æternos eſſe à parte poſt, ſed etiam ſuam habituros partem aliquam in executione magni illius operis quod continget in conſummatione ſæculi; cùm nullam planè habuerint in creatione cœli & terræ.

Quod ergo ad illam reſponſionis noſtræ partem attinet, quâ aſſeruimus, hæc verba non primò ac directè ad Chriſtum pertinere; ei nihil obſtat illud, quod ſuperiori teſtimonio ex Pſalmis à D. Autore adducto, cum quo id, de quo diſputamus, per voculam *&* connexum eſt, hæc præfiguntur verba, *Ad*

Digitized by Google

†*Filium autem*: unde conſequitur, & hujus, quo de agimus, teſtimonii verba ad Filium eſſe dicta. Et enim rem iſtam ex præcedentibus æſtimanti facilè patebit *ad Filium* hìc *de Filio* deſignare; ut non Filium compellari, ſed de Filio ſermonem eſſe intelligatur: quemadmodum ex ſuperioribus verbis, *Et ad Angelos quidem dicit*, apertiſſimum eſt. Quę enim ſtatim ſubjunguntur, *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*, &c. non id Angelos ſed de Angelis dicta eſſe, nemo non videt. Eo modo & hoc noſtrum teſtimonium, non quidem ad Filium eſt directum, ſed de Filio productum eſt.

† *Etenim rem iſtam*] At non potes negare, ad Chriſtum dici quod extat ex Pſal. XLV. com. 8. hujus capitis, *Thronus tuus ô Deus eſt in ſæculum ſæculorum*, &c. & Chriſtum ipſum ſive Filium compellari ſaltem in ultima alterius pericopæ Davidicæ parte, cum ei dicitur *Velut amictum mutabis eos* &c. Et licet com. 7 illud πρὸς τοὺς ἀγγέλους, ſit reddendum *de Angelis*, quoniam ibi ſermo eſt de ipſis in tertia perſona, tamen omninò illud com. 8. πρὸς δὲ τὸν υἱὸν, eſt reddendum *Ad Filium*, quia ſermo fit ad ipſum in prima perſona, quod ſaltem de ultimis verbis debes conſiteri. Tum etiam ſi huic cavillo aliquis foret locus, nobis tamen ſatis eſſet hoc *teſtimonium* Davidis, citatum à Paulo eſſe *de Filio*: Nec poteſt eſſe de Filio, quod ad finem attinet, quin de eodem ſit quantum ad principium; cùm ſeries oſtendat, de eadem omninò perſona agi à Davide, tam in fine quam in principio ſuæ orationis: Ut hoc effugium, ſit indignum homine qui rationi ſuæ nuncium non remiſit.

Cujus rei conſideratio non parum momenti habet ad intelligendum id, quod ſecundo loco explicandum ſumſimus, nempe nil eſſe neceſſe, ut omnia hujus teſtimonii verba ad Chriſtum referantur, ſecus quàm fieret, ſi ad Chriſtum primò ac directè pertinerent. Non omnia autem verba hujus teſtimonii ad Chriſtum eſſe accommodanda inde patet, quod non omnia ad ſcopum, quem Autor ſibi præfixit, faciunt: Imò ſi omnia ad Chriſtum pertinerent, id quod Autor ſibi probandum ſumſit, everterent. Theſis namque, quam ſibi Autor confirmandam propoſuerat, non eſt, Chriſtum eſſe cœli terræque creatorem, aut aliquam præſtantiam naturaliter atque à ſemetipſo habere, qualis eſt præſtantia ejus Domini, qui terram ab initio fundavit, & manibus ſuis cœlum expandit: ſed Chriſtum, cùm conſedit ad dexteram majeſtatis in cœleſtibus, tantò Angelis præſtantiorem factum eſſe, quantò excellentius præ illis nomen hęreditavit: (*vid* ℣ 4:) id quod in Deum illum altiſſimum, cœli terręque creatorem, minimè cadit: cum hic potiùs is ſit, qui omnia à ſeipſo poſſidens, Chriſto homini propter ſummam obedientiam nomen iſtud donaverit, eumque Angelis præſtantiorem effecerit, & ad dexteram ſuam collocaverit.

Digitized by Google

‡ *Cujus rei conſideratio*] Sed hæc ad *Chriſtum primò ac directè* non pertinere probari debuiſſet, non ineptè ſupponi

Non omnia autem] Abſurda ratio: quaſi non poſſet integer textus de Chriſto recitari, etſi pars tantum illius ad recitantis *ſcopum* pertineret.

Imò ſi omnia] Id ſtatuere, non eſt diſputare contra nos, ſed dicam ineptiarum ſcribere ipſi Apoſtolo, ac ſi ea pro ſe adferret, quæ contra ſe militant.

Theſis namque] Scopus Apoſtoli eſt probare multis paraſangis Chriſtum eſſe ſuperiorem Angelis: Id autem probat, primùm à titulo & generatione Filij com. 5. Secundò à cultu adorationis quem ei debent ipſi Angeli com. 6. Tertiò ab eo quod Angelis tribuitur merum Miniſterium com. 7. & 14. Filio verò thronus, æternus com. 8. unctio præ conſortibus ſuis com. 9. æternitas & omnium creatio com. 10. 11. 12. Seſſio denique ad dextram Dei com. 13. Quod cuivis legenti totum caput facile apparet.

Sed Chriſtum cùm conſedit] Falſum eſt Apoſtolum arceſſere totam Chriſti præſtantiam ſupra Angelos à tempore *quo conſedit ad dexteram majeſtatis in cœleſtibus*; ac ſi tum demum *præſtantior* factus ſit & cœperit eſſe ipſis Angelis: Sed de eo *Filio* per quem nobis Deus his ultimis temporibus loquutus eſt, loquitur bifariàm Apoſtolus, primùm abſolutè, deinde comparatè: Abſolutè ei tribuit quod ſit *hæres* omnium, & Deus *per eum mundum* condiderit com. 2. item quod ſit *effulgentia gloriæ & character perſonæ Patris* com. 3. item *quod ſuſtineat omnia Verbo ſuo potente* ibid. Quæ certè omnia Divinitatem æternam ejus comprobant; Item quod *peractâ purificatione peccatorum noſtrorum per ſeipſum conſederit ad dexteram majeſtatis illius in locis excelſiſſimis* ibid. Comparatè verò, com. 4. ei tribuit quod ſit tanto *præſtantior factus Angelis, quanto excellentius præ illis ſortitus eſt nomen*, ſcilicet *Filii* unigeniti, ab ipſis-met Angelis *adorandi*, (non demum poſtquam conſedit ad dextram Patris, ſed quam primum in hunc terrarum orbem fuit introductus;) *Dei*, cujus *thronus* eſt æternus & firmiſſimus; *Creatoris* omnium, & confidentis ad dextram Dei. Igitur non hoc ſibi vult Apoſtolus, Chriſtum per ſui collocationem ad dextram Patris demum factum eſſe præſtantiorem Angelis, ſed illum Chriſtum quem in præcedentibus abſolutè conſideratum deſcripſerat, eo ipſo comparatè ad Angelos, longè præſtantiorem illis eſſe factum, ſive declaratum in Scripturis ſacris, quod illæ longè aliter de ipſo & ſub titulis ac nominibus multo auguſtioribus, quam de Angelis loquantur; cujus diverſitatis varia edit ſpecimina. Hanc autem comparationem inter Chriſtum & Angelos meritò inſtituit, quod cùm in primo commate ſolis Prophetis Chriſtum oppoſuiſſet, videbatur reliquiſſe Judæis occaſionem præferendi nihilominus Legem Euangelio, ideo quod illa miniſterio Angelorum lata fuiſſet. Hac de cauſa oſtendit Chriſtum Dei Filium Patri eſſe coeſſentialem & coæternum, adeoque omnibus Prophetis & Angelis, quorum miniſterium viguit ſub V. T. jure merito longè præferendum. Quod ſi urgeat Volkelius Chriſtum *factum* præſtantiorem Angelis; reſponſio erit in promptu, talem non eſſe primò factum abſolutè in tempore, ſed talem dici factum, ideſt declaratum in Scripturis, per illas de ipſo loquutiones auguſtiores, Divinitatis ſuæ æternæ teſtes, quam quæ cadant aut cadere poſſint in Angelos, & quas refert ſigillatim Apoſtolus. Nec plus erit firmitatis in verbo *hæreditandi*, quo utitur Apoſtolus, ſignificaturus eum *nomen excellentius* præ Angelis ſortitum fuiſſe; Nam 1. Nomen hic non ſonat

ipſam

ipſam dignitatem, ut Phil. II, 9. ſed ipſius dignitatis expreſſionem variam in ſacris literis. II. Verbum κληρονομεῖν interdum in Scripturis non aliud ſignificat quam obtinere & conſequi, ut Mar. x, 17. Luc. x, 25 XVIII, 18. III. Poſſet dici Chriſtus *hæreditaſſe* illud nomen excellentius, non demum per ſui collocationem ad dextram Dei in tempore, ſed per ſui generationem æternam, per quam factus eſt *hæres omnium* Heb. 1, 2. Quo ſane reſpectu non repugnat Filium Patri ὁμοούσιον & coæternum, atque ſic *cœli terræque creatorem*, dici Angelis præſtantiorem factum & declaratum in Scripturis, *& excellentius præ illis nomen* hæreditaſſe & conſecutum fuiſſe; ut neutiquam hîc agatur de mero homine, cui *propter ſummam obedientiam nomen iſtud* datum ſit; cùm iſtius nominis, quo quis Filius unigenitus Dei, ab Angelis adorandus, Deus ipſe throno æterno ſedens, manens in æternum &c. dicatur, mera creatura capax eſſe nequeat: nec in merum hominum cadere poſſit id ipſum quod ex Pſalmis verbis Volkelius fatetur ad Chriſtum pertinere.

Ineptiſſimè igitur adverſarii D. Autorem argumentantem inducunt, idque
hunc in modum: Chriſtus cœli terræque creator eſt: Ergo eſt factus præ-
451. ſtantior Angelis, & quidem ab eo tempore, ex quo ad dexteram Dei con-
ſedit. Quid poteſt hac argumentatione cogitari ineptius? Alii autem loci
omnes, ad rei propoſitæ confirmationem adducti, aptiſſimè huc quadrant,
utpote nihil in ſe continentes, quod Chriſtus à Patre non acceperit. Conſe-
quens igitur eſt, verba iſta de cœli terræque creatione, non ideò ab Apo-
ſtolo in medium prolata fuiſſe, ut theſin propoſitam illis confirmaret: ſed
quia ea poſteriori parti, id eſt, vaticinationi de mundi conflagratione, mu-
tationeque per Chriſtum facienda, tam arctè cohærent, ut propter relati-
vorum interpoſitionem, poſterius orationis hujus membrum ſine priori in-
telligi nequaquam poſſit. Si enim ita cœpiſſet verba illa citare Auctor, *Ipſi
peribunt*, &c. quis intellexiſſet, quid eo pronomine ſignificetur? Quare ut
intelligeretur, priora etiam verba citanda fuerunt, in quibus ea exprimun-
tur, ad quæ pronomen *ipſi* refertur.

‡ *Ineptiſſimè igitur*] Illud *& quidem ab eo tempore*, non eſt, Volkeli, noſtræ concluſionis, ſed tuæ cavillationis: Nec enim Chriſtus demum cœpit præſtantior fieri Angelis *ex quo ad dexteram Dei conſedit*; ſed eum divinitatis ſuæ reſpectu, nonobſtante illa minoratione œconomicâ, quâ *pauliſper fuit inferior Angelis factus propter mortis perpeſſionem* Heb. II, 9. ſemper illis præcelluiſſe, luculenter declarat Apoſtolus.

Alii autem loci omnes] Atqui non repugnat coeſſentialitati Chriſti cum Patre, quod ab ipſo *acceperit*, quicquid ei convenit ὑπεροχῆς ſupra Angelos & omnes Creaturas: cùm id omne per ſui generationem æternam à Patre ſit conſecutus, ut patet ex Heb. 1. 2. 3. Joh. v, 26. & aliis locis. Hic igitur ſentiant hæretici ſe ineptire, dum Orthodoxos damnant ineptiarum, quod illas ſuas difficiles nugas nolint admittere.

Conſequens igitur eſt] Imò è contrario oportet hæc verba *de creatione* allata fuiſſe

à Paulo

Digitized by Google

à Paulo ad eam *theſim* confirmandam, qua Chriſti præcellentiam ſuprà Angelos aſſertam volebat; prout & eodem fine antea oſtendimus eum Angelorum conditorem declarari Col. 1, 16. nec potuerit aliter alio-ve titulo vel nomine objici adorandus Angelis; cùm ſolus omnium rerum conditor à nobiliſſimis illis creaturis, cœteriſque naturâ intelligente præditis, debeat adorari Matt. IV, 10. Apoc. XXII, 9 Adhæc etſi ſcopus Apoſtoli in hoc proferendo textu foret tantum reſpicere ad conſummationem ſæculi *per Chriſtum faciendam*, tamen nihilominus prior pars pericopæ, quæ ſpectat creationem cœli & terræ de ipſo eſſet intelligenda; quia illa mundi mutatio, quæ hîc inſinuatur, ceu *per Chriſtum facienda*, nec fieri poteſt niſi per primum mundi opificem, & ſoli primo opifici cœli & terræ tribuitur hoc loco: Nam de eodem omninò de quo dicitur hoc poſterius, *Ipſi peribunt tu autem permanes*, &c. illud prius dictum fuerat, *Tu initio, Domine, terram fundaſti* &c. At fatente ipſomet Volkelio hoc poſterius dicitur de Chriſto & ad Chriſtum, in eo etiam ſortitum excellentius nomen præ Angelis; Ergo & prius. Eſto igitur, quod hic ſomniat hæreticus, nonniſi poſteriorem partem pericopæ facere ad ſcopum Apoſtoli, & integram nihilominus debuiſſe citari, *propter relativorum interpoſitionem*; Interea tamen certum eſt, poſteriorem illam partem de eodem ſubjecto & de eadem perſona dici ad quam prior pertinet, cùm utrobique idem compelletur.

Neque verò novum eſt, ſacros autores integros locos citare, quamvis non omnes eorum partes, ad propoſitam diſputationem pertineant: veluti cum Matthæus (*Mat*: 12. 18, 19, 20, 21:) volens oſtendere, illa Chriſti prohibitione, ne ipſum homines patefacerent, illud Eſaiæ completum eſſe: *Non clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus*: non ſolùm hæc ipſa verba, (ỷ 19.) quę vel ſola, vel ſaltem unà cum ſequentibus tantùm ad rem pertinent; ſed totum de Chriſto teſtimonium producit. Similia exempla habentur Act: 2. nimirum tum ỷ. 16, 17, 18, 19, 21. tum ỷ. 25, 26, 27, 28. in quorum priore Apoſtolus Petrus probare inſtituens, Spiritum ſanctum in Apoſtolos effuſum eſſe, totam Joëlis ſententiam recitat, cum tantúm ỷ. 17, & 18. ad rem faciat. in poſteriori verò, ut Chriſtum à morte retineri non potuiſſe oſtendat, multa quoque verba ex Pſalmo profert: cum tamen nonniſi ỷ. 27. ad ejus propoſitum revera pertineat. Quid, quòd in hoc ipſo capite ỷ. 9. verba illa, *Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem*, nihil ad rem, de qua hîc agitur, nimirum quòd Chriſtus pręſtantior angelis ſit factus, faciant, & tamen ab auctore ſunt addita. Cum igitur alii Novi Teſtamenti ſcriptores abſque ulla neceſſitate, tantùm ideò, quòd verba cohærerent, hac divina teſtimonia citandi ratione uſi fuerint, nonne multò magis iſti Autori idem eodem modo facere licuit, neceſſitate quadam impulſo?

‡ *Neque verò novum eſt*] Totus hic diſcurſus eſt planè abſurdus & inutilis cauſæ Adverſarii : Cùm licet tantum ultima portio hujus dicti Davidici faceret *ad propoſitam quæſtionem*, quòd tamen jam ante falſum eſſe comprobavi, nihilominus deberent de Chriſto æquè intelligi priora, quod in tota ſerie hujus ſermonis nulla fiat perſonæ mutatio. Præterea temeritatis eſt ſolitæ hæreticorum quod hic nugatur Adverſarius de variis locis, in quibus teſtimonia V. T. proferantur ab Euangeliſtis & Apoſtolis, quorum pars maxima, nihil faciat ad eorum propoſitum; quaſi fruſtra & temerè aliquid in ſacris literis fuerit conſignatum ab illis ſub Spiritus Sancti immediato ductu, Nec favent huic temerariæ aſſertioni exempla quæ citat Adverſarius, Matt. XII, 18. 19. 20. 21. integrum vaticinium Prophetæ Eſ. XLII, 1. citatur quidem, ut reddatur ratio cur Chriſtus turbis quas ſanabat interminatus ſit ne ſe manifeſtum facerent; ſed ſola illa verba, *Non litigabit*, aut *Non clamabit* &c. illi rei non ſuffeciſſent, niſi & antecedentia & ſubſequentia addita fuiſſent, ex quibus liquidiùs conſtaret quis qualis-ve is erat futurus qui hæc interminaretur, & cui uſui ac fini tum iſtæ ſanationes, tum univerſum Miniſterii ſui exercitium, ordinarentur. Tum ſi par ſit hujus loci ratio cum eo de quo nunc diſputamus, ſaltem confiteri debebit Volkelius non minus priora verba hic de omnium creatione ad Chriſtum ſpectare, quam illìc ea quibus idem, ſervus Dei quem elegit, dilectus ſuus in quo acquieſcit anima ejus &c. appellatur. Sic & Act. 2. nihil citatur à Petro quod ad ipſius propoſitum non faciat, niſi dixerit Volkelius Apoſtolum in prima Euangelica concione extra oleas vagatum fuiſſe. Act. II, 16. 17. 18. 19. 20. 21. *totam Ioelis ſententiam recitat* meritò Apoſtolus, cùm prima illa effuſio Spiritus Sancti in ſe & ſuos collegas ſpectans ad comma 17. & 18. pertinuerit ad executionem totius vaticinii, & illius citatione voluerit ſuos auditores ad ea præparare qua extant com: 19. 20. 21. Nec ſecus actum Act. II, 25. 26. 28. ubi nulla eſt pars vaticinii Davidici, quæ ad reſurrectionem Chriſti, adeoque *ad* Petri *propoſitum*, *revera non pertineat*. Nam quæ leguntur com. 25. & 26. explicant in Chriſto, ſub cujus perſona David loquitur, fiduciam reſurrectionis glorioſę certò exſpectandæ, & ad illius expreſſionem, exitum & gloriam inde ſequutam, ſpectant cœtera com. 27. & 28. Sic & plurimum facit, *ad rem de qua agitur* ibi locus Heb. I, 9. cùm illa dilectio juſtitiæ quæ Chriſto tribuitur à Pſalte ſpectet judiciariam ejus poteſtatem, cujus exercendæ gratiâ inſidet illi throno firmiſſimo & æterno. Quis autem neget illâ poteſtate & illo throno Chriſtum Angelis præſtantiorem ab Apoſtolo conſtitui?

Cum igitur alii] Sed debuiſſet oſtendiſſe Volkelius iſta verba, quæ ſola vult ſpectare ad Chriſtum in Apoſtolica citatione, *Velut amictum circumvolves eos &c.* de alia perſona eſſe intelligenda, quam priora, *Tu initio, Domine, terram fundaſti.* &c. aut quî poſſint illa cum his cohærere, ſi de eodem ſubjecto enunciata non fuerint. *En Rhodus, en ſaltus.* Et laterem lavant hæretici, quamdiu horum neutrum demonſtraverint, quod nequidem eorum primipilus hic aggredi auſus eſt.

Non prętereunt quoque illa D. Autoris ad Hebræos verba, *Per quem fecit & ſecula*, (*Heb*: I. 2.) ut Chriſtum mundi conditorem eſſe demonſtrent.

Verùm

Digitized by Google

Verùm non uno modo falluntur. Primùm enim non dicitur, Chriſtum feciſſe ſecula, quod de cauſa iſtius actionis principali poſſet intelligi: ſed Deum per Chriſtum ſecula iſta feciſſe: adeó ut Chriſtus cauſa media atque 452.
inſtrumentalis iſtius actionis conſtituatur, qualis non eſt Deus ille ſummus, cœli & terræ creator. Ex quo deinde illud quoque patet, de creatione cœli & terrę aſpectabilis verba hæc non eſſe intelligenda. Nam in creatione iſta Deum uſum eſſe alicujus operâ, ſeu per aliam quampiam perſonam cœlum & terram condidiſſe, ut ſuprà jam alicubi monuimus, nuſpiam in ſacris literis indicatur, nec à Moſe, qui totam creationis veteris rationem accuratè deſcribit, aſſeritur.

‡ *Non prætereunt quoque*] Meritò urgemus iſta verba ex Heb. 1, 2. cùm illis ſuum pondus maximum inſit: nam illa verba δι' ὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν, meritò reddiderunt Caſtalio & Beza, *per quem etiam mundum condidit*; nec poteſt alia mens eſſe hujus loci quam dicti Johannæi Joh 1, 3. *Omnia per ipſum facta ſunt & abſque eo factum eſt nihil quod factum ſit.* Nec declinat Adverſarius vim iſtius argumenti ſuis effugiis.

Primùm enim non dicitur] Sed alibi non ſemel demonſtravi illam particulam *per*, non denotare neceſſariò cauſam inſtrumentalem; cùm & de Deo dicat abſolutè Paulus, *ex eo, per eum & in ipſum* eſſe *omnia* Rom. XI, 36. & ipſimet Græculi obſervarint ſuum Jovem Δία vocari, ὅτι δι' αὐτοῦ εἰσι τὰ πάντα, quod per ipſum ſunt omnia; Neque Pater omnia condidit per ſuum Filium tanquam per cauſam mediam & inſtrumentalem, ſed tanquam per ſuam æternam & coeſſentialem Sapientiam; prout dicuntur verbo *Jehovæ* cœli facti fuiſſe Pſal. XXXIII, 6. & Moſaicum בראשית *Bereſchith* Gen. 1, 1. Targum Hieroſol. reddidit בחכמת *Bachochmath, in Sapientia.* Aliquam tamen hic *mediationem* concedimus, ſed eam ſuppoſiti tantum, non verò virtutis & potentiæ: cùm Patris & Filii, ubi Pater per Filium creavit mundum, licet ipſi duæ ſint perſonæ diſtinctæ, propter eſſentiæ, potentiæ & voluntatis identitatem ac unitatem, una fuerit cauſalitas & virtus productiva univerſi.

Nam in creatione iſta] Sed Patrem per Filium tanquam per ſuam æternam & coeſſentialem Sapientiam omnia creaſſe, & ipſi *ſuprà jam alicubi monuimus*, probatumque dedimus ex ſacris literis, & *à Moſe* ſatis dilucidè aſſeritur, dum nempe Deum creatorem plurali nomine *Elohim* exprimit Gen. 1, 1. & Gen. 1, 26. Patrem introducit deliberantem cum Filio & Spiritu ſuo circa hominis creationem his verbis; *Poſtea dixit Elohim, Faciamus hominem ad imaginem noſtram, ſecundum ſimilitudinem noſtram.*

Adde, quòd D. Autor apertè dicat, per eum Filium ſecula feciſſe Deum, per quem his ultimis temporibus nobiſcum locutus eſt, quemque conſtituit hæredem omnium, & qui per ſemetipſum, id eſt, proprium ſanguinem peccatorum purgatione factâ, conſedit ad dexteram Dei, qui denique angelis factus eſt prę̨ſtantior. At is nonniſi Chriſtus homo eſſe poteſt. Summus

 certè

Digitized by Google

certè ille ſempiternusque Deus, nec is eſſe poteſt, per quem alter quidam Deus nobiſcum locutus ſit; nec idem hæres omnium conſtitui; nec ſeipſum offerendo purgationem perficere; nec à dextris alterius Dei ſedere, nec denique Angelis præſtantior fieri potuit.

‡ *Adde quod D. autor*] Hæ ſunt meræ ineptiæ. Nam Deus Pater, nobiſcum loquutus eſt per Filium ſuum jam incarnatum; Eum conſtituit hæredem omnium, tum illius æternâ generatione, tum ejus ad Mediatorium munus ordinatione, & quà θεάνθρωπον exaltatione ad dextram ſuam, poſtquam ſuo ſanguine purgationem peccatorum noſtrorum peregit; denique illum in ſuo verbo præſtantiorem Angelis fecit & declaravit, illis de Filio & ad Filium loquutionibus eximiis, quarum nulla in Angelos vel excellentiſſimos cadere poteſt. Et quamvis nonnulla ex his quæ congerit Volkelius oſtendant Chriſtum etiam eſſe hominem, nihil tamen eorum eſt ex quo probetur quod *nonniſi homo* ſit: Merus etenim homo & qui nihil ſit amplius, non poſſet oppoſitè ad Prophetas veteres, Filius κατ' ἐξοχὴν appellari; Non poſſet ſtatui hæres omnium; Non poſſet feciſſe proprio ſuo ſanguine purgationem peccatorum noſtrorum, cùm *Deus* ſit, & dicatur, & debuerit eſſe, qui *proprio ſuo ſanguine* redemit ſuam Eccleſiam Act. xx, 21. Non poſſet à dextris Dei conſediſſe, & omnibus Angelis præſtantior aſſeri. Nec repugnat, ſervatâ perſonarum Patris & Filii diſtinctione, Deum per Deum nobis eſſe loquutum, Deum à Deo hæredem omnium conſtitutum, Deum ſeipſum offerendo Deo, purgationem perfeciſſe peccatorum noſtrorum, Deum à dextris Dei ſedere, eâque ratione, quod magis eſt Angelis præſtantiorem factum, ideſt agnitum & declaratum fuiſſe: Sic enim Gen. xix. 24. dicitur Jehovam à Jehova demiſiſſe ſuper Sodomam & Gomorrham pluviam ſulphuris & ignis, & Pſal. cx, 1. dicit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, & Pſal. xlv, 8. dicitur Deus unxiſſe Deum oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis; & hi duo poſtremi loci etiam citantur Apoſtolo Heb. 1, 9. 13.

Cum autem per Chriſtum hominem, cœlum ac terram aſpectabilem minimè creatam eſſe, ipſi etiam adverſarii fateantur; efficitur, de ea re Autorem divinum hîc minimè loqui, ſed hęc verba eundem ſenſum continere cum illis Ioannis verbis, quæ ſuperiùs explicuimus, ubi aſſeritur, *mundum per ipſum*, nempe Chriſtum, *factum eſſe*: ita ut *ſecula*, quæ pro *mundo* hoc loco poni ipſi contendunt adverſarii, vel homines ſignificent, quos Chriſtus eâ, quæ antea explicata eſt, ratione reformavit, & ad longè meliorem ſtatum perduxit; vel futurum iſtud ſeculum, ac beatiſſimam vivendi rationem, quam Chriſtus nobis attulit, quam ob cauſam Eſajas olim prædixit, Chriſtum vocatum iri *Patrem æternitatis* ſeu *ſeculi*, (*Eſa*: 9, 5.) nempe, quemadmodum Græci interpretes explicuerunt, futuri. Futuri certè mundi mentionem facit hic idem Autor infrà, tum hoc, tum ſequenti capite. (*cap*. 1, 6. *cap*. 2, 5.) At, inquies, quo pacto futurus eſt ille

mundus,

Digitized by Google

mundus, ſi jam per Chriſtum factus eſt, & factus quidem nobis? Nam cæteroquin ante Chriſtum jam extitit. Reſpondemus, factum eum eſſe, quatenus nobis nunc primùm per Chriſtum eſt revelatus, ejuſque certa ſpes nobis facta eſt, ita ut nunc primùm quodammodo videatur extitiſſe: futurus tamen eſt, quia eum nondum incolimus, ſed aliquando demum incolemus. Novum enim cœlum & novam terram, quemadmodum Petrus ait, (2. *Pet.* 3, 13.) ſecundùm Dei promiſſionem expectamus.

‡ *Cum autem per Chriſtum*] Nec ea quæ Chriſto tribuuntur ab Apoſtolo eum arguunt eſſe merum hominem, ſed pleraque è contrario ejus Divinitatem evidenter adſtruunt; & revera per Chriſtum qui etiam homo eſt, licet non quà homo eſt, cœlum ac terra creata ſunt

Efficitur de ea re] Agnoſco eundem horum verborum eſſe ſenſum, *cum illis Ioannis verbis quæ ſuperiùs explicuimus*, & à ſtrophis Volkelianis vindicavimus, ubi aſſeritur *mundum per ipſum*, nempe Chriſtum, *factum eſſe.* Sed nec ibi vox *mundi*, ad ſolos homines debet reſtringi, cùm *omnia* per ipſum facta dicantur; nec *faciendi* vocabulum abſolutè poſitum, pro mera renovatione uſquam uſurpatur; nec omnes homines per Dei gratiam ſunt renovati, & ex ſtylo Johannis omnes homines ſatis apertè diſtinguuntur à mundo in quem venire dicuntur; nec quod hîc potiſſimum obſervandum eſt, ſi vox *mundi* quandoque ponitur pro genere humano, per metonymiam continentis pro re contenta, aut quia homo eſt microcoſmus, & quædam quaſi epitome omnium illarum Creaturarum ex quarum ſyſtemate mundus coaleſcit, jure ſtatuitur *ſæculorum* nomine, ubi *mundum* ſignificat, non ſignificari mundum propriè, ſed homines: Nam quemadmodum vox *mundi* cùm non ſumitur propriè pro ſyſtemate cœli & terræ, aut ſaltem pro hac inferiori parte Univerſi, ſed figuratè & impropriè pro hominibus, homines denotat in ſenſu proprio, non figurato; ita nomen *ſæculorum*, cùm non uſurpatur propriè pro menſura durationis rerum & extenſione temporis, ſed impropriè & figuratè pro mundo, cujus duratio & permanentia in eſſe ad illam temporis & ſæculorum extenſionem menſuratur, mundum denotat propriè dictum: Et quamvis aliquando αἰὼν in ſingulari ſumatur pro hominibus corruptis, ut Rom. XII, 1. quod utique rarius eſt, αἰῶνες tamen in plurali, nuſquam pro hominibus uſurpantur, ſed ubi durationis extenſionem non denotant, omnes res creatas ſuo ambitu complectuntur: Sic enim dicitur Heb. 1, 2. Pater per Filium τὺς αἰῶνας feciſſe, & Heb XI, 3. dicimur per fidem intelligere κατηρτίσθαι τὺς αἰῶνας, *compactum fuiſſe mundum verbo Dei, ut quæ cernimus non ſint ex apparentibus facta*: Quis ergo adhuc mentis tam obſtupuerit, ut neget eodem planè ſenſu, priori loco facta dici ſæcula per Filium; quo poſteriori, dicuntur concinnata vel compacta *verbo* Dei, quod utique aliud non eſt quam ejus λόγος ac ipſe Filius, uti conſtat ex Joh. 1, 1. & multis aliis locis: Quare neceſſe eſt agi Heb. 1, 2. de creatione prima cœli & terræ aſpectabilis, cùm extra controverſiam ſit de eadem agi & ſub iiſdem terminis Heb XI, 3. Itaque quod hîc nugatur Volkelius, vel de hominum reformatione per Chriſtum, vel de futuro

ſæculo, eſt ἀπροσδιόνυσον. Etenim per ſæcula, homines non intelliguntur, ſed omnes omninò creaturæ: Ne dicam quam abſurdum ſit ſtatuere omnes homines Chriſtum *reformaſſe*, cùm plerique ipſius adventu in mundum deformiores per accidens evaſerint; vel ſingulos *ad longè meliorem ſtatum perduxiſſe*, cum pleriſque in petram offendiculi & ſcandali ceſſerit: *Futurum* verò *ſæculum ac beatiſſimam vivendi rationem, quam Chriſtus nobis attulit* & confert, exprimi hîc per τὺς αἰῶνας, abſolutè poſitos, aut alibi uſpiam in N. T. non probabitur εἰς τὸν αἰῶνα. Neque aliunde meliùs nobis poteſt conſtare, quid ſibi per τὺς αἰῶνας velit Apoſtolus Heb. 1, 2. quam ex ipſo-met Apoſtolo, in loco illo parallelo Heb. XI, 3. quem modò retuli. Neque huc facit locus Eſ. IX, 5. Nam Chriſtus ibi appellatur אבי־עד *Avi-gned*, *Pater æternitatis*, ut reddunt etiam Vatablus & Junius, non ſolum reſpectu illius æviternitatis fœliciſſimæ quam ſuis confert, ſed etiam per prius reſpectu illius æternitatis abſolutæ, quæ illi, quà *Deo forti*, uti ibidem nuncupatur, cum *antiquo dierum* Dan. VII, 13. communis eſt; unde Chaldæus Paraphraſtes illud *Avi-gned* reddit קים לעלמיא, *Kajam legnalmaja*, ideſt *permanentem*, ſive *ſuperſtitem* ac *vivum in ſæcula*; quo ſenſu etiam Deus dicitur vivens in ſæcula ſæculorum Apoc. IV, 9. 10. Equidem Vulgatæ Verſionis latinæ author Eſajæ verba reddidit, *Patrem futuri ſæculi*, quod paraphraſticum potiùs quam ſimpliciter metaphraſticum, nihil facit ad hunc de quo diſſerimus locum, in quo *ſæculorum* in plurali & abſolutè fit mentio; Sed Græci interpretes, videntur omnia illa auguſta nomina Meſſiæ deſtinata, hac unicâ voce expreſſiſſe, καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτῦ μεγάλης βυλῆς ἄγγελος; nec quemquam ex titulis qui extant in textu originali Græcè reddidiſſe. Ac ut notat Nobilius in ſuis *Scholiis* ad Biblia Græca edita authoritate Sixti V. *non plura hoc loco ponuntur apud Baſilium*, *Cyrillum*, *Procopium*; *neque in tranſlationibus Syriaca & Arabica quæ de Græcis expreſſæ ſunt, & Romæ habentur*. Et eodem *ibid.* indice, S. *Hieronymus notat hæc quæ in Hebraico non habeantur poſita eſſe à LXX. pro ſex nominibus quæ ſunt in Hebræo*. Aquila tamen & Symmachus & Theodotion videntur preſſiùs inhæſiſſe textui, & hanc particulam reddidiſſe, πατὴρ αἰῶνος, nullâ adjectione τῦ μέλλοντος. Qui igitur Codices Græci plura habent, & nonnulli πατὴρ τῦ μέλλοντος αἰῶνος, ut citatur ille locus Euſebio *Demonſt. lib.* 7. & 9. videntur omninò interpolati, & aliquid habuiſſe infartum, tum ex verſionibus, tum ex paraphraſibus aliorum; ſiquidem etiam illud prius habent μεγάλης βυλῆς ἄγγελος, quod in Hebræo non extat. *Futuri certè mundi mentionem*, fieri bis ab Apoſtolo Heb. 1, 6 & 11, 5. dum imperterritè aſſerit Volkelius, ſtrenuè mentitur: Nam priori loco fit mentio ſimpliciter τῆς οἰκυμένης, nec eâ voce aliud deſignatur quam hic terrarum orbis, in quem Pater Filium ſuum introducens, licet formâ ſervi veſtitum, de illo tamen dixit juxta Apoſtolum, *Adorent eum omnes Angeli*: Neque vox iſta οἰκυμένη abſolutè poſita in tota Scriptura alio unquam ſignificatu uſurpatur. Poſteriori loco fit equidem mentio τῆς οἰκυμένης τῆς μελλούσης, mundi futuri, quem Deus non ſubjecit angelis; Sed quid hoc ad probandum quod per *ſæcula* commemorata Heb. 1, 2. & quæ Pater per Filium feciſſe dicitur, debeat intelligi futurum ſæculum & vita æterna. Quanquam & quod ille futurus mun-

Digitized by Google

mundus, non Angelorum ſed unius Chriſti diſpoſitioni & diſpenſationi ſubjacet, argumentum eſt æternæ divinitatis ipſius: Nam is ſolus reficere poteſt mundum, qui illum fecit: & à ſolo conditore cœli & terræ, *novum cœlum & novam terram*, 2. Pet. III, 13. debemus expectare. Verùm hîc videmus aquam hærere Adverſario, dum vult 1. per ſæcula facta à Filio, coagmentata item & compacta verbo Dei, illos novos cœlos & illam novam terram intelligi; cùm hæc nondum ſint facta, ſed ſint adhuc in fieri. 2. Id quod ad huc futurum eſt, jam tamen eſſe factum à Chriſto, ideſt ſimul eſſe & non eſſe, ut ut id implicet ſenſibilem contradictionem. 3. Chriſtum dici id feciſſe, quod tamen aſſerit jam extitiſſe ante Chriſtum; ideſt revera effectum ſuâ cauſâ longè priorem eſſe. 4. Illud dici factum à Chriſto, quod primùm per Chriſtum, licet ante illum extiterit, nobis eſt revelatum, ejuſque certa ſpes nobis facta; quaſi *facere* ſtylo horum hominum, idem ſit quod *revelare*; aut *fieri* idem ſit quod *innoteſcere* & *apparere*. 5. Eam domum dici futuram abſolutè, quæ jam quidem eſt plenè conſtructa & ædificata, ſed nondum incolitur: Nam licet ſit adhuc futurus incolatus noſter regni illius cœlorum nobis præparati à jactis mundi fundamentis, illud tamen non poteſt dici futurum & in fieri, quoad ſuum eſſe abſolutum, ſed tantum quoad ſuum incoli & inhabitari. En quo redeunt ſubtilitates iſtorum hominum, qui malunt ſuis Lectoribus tales affanias & abſurditates obtrudere, cum ipſo ſenſu communi pugnantes, quam non Titanio conatu veritatem ſe undique ingerentem rejicere & impugnare.

Alterum Dei opus, ex quo Chriſti cum Patre conſubſtantialitas probari ſolet, eſt rerum creatarum omnium conſervatio, quam Chriſto videtur tribuere Paulus, (*Col.* 1, 17.) dum ait, *in ipſo omnia conſiſtere*: & D. Autor ad Heb. qui dicit, *eum portare omnia verbo virtutis ſuæ*. (*Heb.* 1, 3.) 453

‡ *Alterum Dei opus*] Ut non minoris eſt gloriæ quam quærere parta tueri, ſic non minoris eſt virtutis & potentiæ Creaturas omnes in ſuo eſſe conſervare, quam illas primùm condidiſſe: Hinc ſoli Deo hæc conſervatio, non ſecus ac ipſa creatio, paſſim in Scripturis tribuitur, nominatim Pſal. XLVII, 10. & Act. XVII, 25. 27. 28. Eam verò conſervationem omnium, dum Filio vendicat Scriptura, ejus Omniſcientiam & Omnipotentiam, adeoque veram Divinitatem, luculenter adſtruit. Iam autem Paulus Col. 1, 17. poſtquam docuerat fuſè com. 16. omnia quæ in cœlo & in terra, viſibilia & inviſibilia, nequidem Angelis exceptis, ab ipſo creata, illi tribuit eorum omnium ſuſtentationem & conſervationem, καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων, & ipſe eſt ante omnes & omnia, καὶ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε, & omnia per eum conſiſtunt. Sic & poſtquam monuerat Apoſtolus, Heb. 1, 2. Deum Patrem per ſuum Filium ſæcula feciſſe, mox ſubdit com. 3. quod ſit effulgentia gloriæ & character perſonæ Patris, φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, *portans ſive ſuſtinens omnia verbo illo ſuo potente*, ac virtutis ſuæ, atque ſic ſolus dignus cui tribuatur globus in manu, quod univerſam hanc machinam potenter ſuſtineat & verſet ad lubitum. Quid verò ad iſta Adverſarius?

Sed primùm nihil prohiberet, quominus Deus per quempiam alium, ſibi haudquaquam conſubſtantialem, ſuâ cum ipſo virtute ac potentiâ communicatâ, res à ſe creatas conſervaret. Deinde in loco Pauli ad Col. ſermo eſt de iis tantùm rebus omnibus, quæ intellectu ſunt præditæ, ut ſuperiùs docuimus. (*hoc cap.*) Denique non eſt ibi ſermo de conſervatione ſubſtantiæ rerum iſtarum, de qua adverſarii loquuntur: ſed de conſervatione iſtius, ut ita dicam, formæ ac ſtatûs, in quem res illæ ſunt per Chriſtum perductæ. Quatenus enim res illæ ſunt per Chriſtum creatæ, eatenus etiam in ipſo conſiſtunt, & ab ipſo conſervantur. Dicuntur autem eo loco creatæ, non ratione ſubſtantiæ, uti antè à nobis eſt oſtenſum, ſed ratione ſtatûs ac conditionis, ac novæ cujuſdam formæ, quam per Chriſtum fuerunt adeptæ. Quare etiam non illius, ſed hujus ratione, eo loco dicuntur in Chriſto conſiſtere, atque ab eo converſari.

‡ *Sed primum nihil prohiberet*] At verò hoc primum effugium eſt abſurdiſſimum. Nam communicatas fingere proprietates divinas, omniſcientiæ & omnipotentiæ, omninò requiſitas ad Univerſi hujus ſuſtentationem, conſervationem & gubernationem, ei qui natura & eſſentiâ Deus non ſit, eſt ſubjecto finito attributa infinita vendicare, & oppoſitum in appoſito ſtatuere.

Deinde in loco Pauli] Sed nos ſuperiùs evicimus, omnium abſolutè ibi mentionem fieri. Nec poteſt rerum *quæ intellectu ſunt præditæ* conſervatio, alii tribui & convenire quam ei cui dicitur à Davide Pſal. XXXVI, 7. *Homines & jumenta conſervas, Iehova*, & inde *conſervator omnium hominum & maximè fidelium* appellatur 1 Tim. IV, 10.

Denique non eſt ibi ſermo] Imò verò ut agitur eò loci de rerum omnium, quæ ſunt in cœlis & quæ ſunt in terra, prima creatione, adeoque productione earum *ratione ſubſtantiæ*, ut antea demonſtravimus, ita hæc earum conſervatio, non ſolum eſt intelligenda *formæ ac ſtatus*, ſed etiam *ſubſtantiæ* reſpectu: Nec poſſet etiam Chriſtus res illas in ſuo benè eſſe conſervare, niſi poſſet per prius earum eſſe ſimplex ab interitu & deſtructione vindicare: Utrumque igitur eſt ſolius illius in quo ſumus, vivimus & movemur.

Quod ad locum Epiſt: ad Heb: attinet, præterquam quòd vox *omnia* itidem reſtringi queat ad ea, ad quæ nova creatio extenditur, imò ad ea tantùm referri, quæ Chriſti in terris adhuc degentis poteſtati fuerunt ſubjecta: animadvertendum eſt, verbum Græcum φέρειν, quo uſus eſt D. Autor, ut poſt Ambroſium notavit Eraſmus, hoc loco idem ſignificare, quod regere ac gubernare, ſeu mavis agere, commovere atque impellere, ita ut moventis voluntati in omnibus obſequantur, & eò ſe flecti patiantur, quò is velit. id quod oſtendunt voces additæ, quibus modus, quo Chriſtus omnia portet vel ferat, explicatur. Ait enim D. ſcriptor, id facere Chri-

ſtum

Digitized by Google

ſtum *verbo virtutis* ſeu *potentiæ ſuæ*, h.e. ex Hebræorum conſuetudine, juſſu ac mandato ſuo potenti atque efficaci. Juſſa autem atque mandata longè aptiùs gubernationi aut impulſioni, quàm conſervationi conveniunt.

‡ *Quod ad locum epiſtolæ*] Sed non quæritur, quonam vox *Omnia* reſtringi *queat* in læſa imaginatione Volkelii, ſed num ita reſtringi debeat. Nàm illa omnia quæ Chriſtus portat & ſuſtinet potenti ſuo verbo, ſunt quæ *ſæculorum* per ipſum factorum nomine com. præced. ſignificantur. Hæc autem *ſæcula* univerſum hunc mundum denotare demonſtravimus antea, maximè ex Heb. XI, 3. Imò ſi ſpectet hoc ſyncategorema ad ea ſingula *ad quæ nova creatio extenditur*, pertinebit quoque ad cœlos & ad terram, quorum renovationem expectamus: Et omnes abſurditatis numeros implet Volkelius, dum huic primæ ſuæ reſtrictioni diffiſus, in majores anguſtias ſe compingit, & vellet vocem *omnia, ad ea tantum referri, quæ Chriſti in terris adhuc degentis poteſtati fuerunt ſubjecta.* Quamvis enim Chriſto agenti in terris, & potiùs occultanti quam abdicanti ſuam Divinitatem, in ventos, in mare, in elementa, in dæmonas, in morbos, in mortem, & verbo ut dicam, in omnia, abſoluta poteſtas competierit: (licet ea ſe demum cœperit luculentiùs explicare per & poſt ſuam reſurrectionem Matt. XXVIII, 18.) attamen non agit Apoſtolus, de Chriſto in terris adhuc degente, ſed de eo abſolutè, quà Deo, æterno Dei Filio, mundi conditore, effulgentia gloriæ & charactere perſonæ Patris, & quo demum reſpectu cenſeri poteſt omnia ſuſtinere τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Nec video quid porrò utilitatis ſibi polliceatur ex obſervatione Ambroſii & Eraſmi; quanquam Ambroſii non eſſe illos Commentarios in Pauli Epiſtolas, qui vulgò ei tribuuntur, apud omnes eruditos in confeſſo eſt. Nam eſto, quod *portare* hic loci idem ſit quod gubernare ac regere; quis dubitet hanc gubernationem omnium per Chriſtum, *juſſu ac mandato ſuo potenti atque efficaci*, omnium quoque conſervationem complecti & continere? Et ſanè uterque hic Author citatus à Volkelio, ei conceptis verbis adverſatur: Nam qui Ambroſius dicitur, ita habet; *Portans, id eſt gubernans omnia, eo verbo virtutis ſuæ per quod fecit omnia; Non enim minus eſt gubernare mundum quam creare; Nam in creando quidem, ex nihilo rerum ſubſtantiæ productæ ſunt; in gubernando verò, ea quæ facta ſunt, ne ad nihilum redeant continentur.* Eraſmus verò ſic *in annot.* loquitur; *Meo quidem judicio* φέρων *hoc loco, non ſignificat idem quod portans ſive bajulans, ſed agens potiùs, ſive movens ac moderans. Nam* φερόμενα *dicuntur Græcis, quæ impetu quodam aguntur; unde &* φορὰν *impetum vocant. Et* ἄγειν καὶ φέρειν *dicitur qui ſuo arbitratu moderatur aliquem. Sentit enim Paulus, aut quiſquis fuit autor epiſtolæ, non ſolum mundum hunc conditum per Filium, quemadmodum modò dixerat, Per quem fecit & ſecula, verum conditum regi & adminiſtrari; idque non ſtudio curaque & induſtriâ, ſicut adminiſtrant homines, ſed verbo, hoc eſt nutu ſuæ potentiæ. Nam quod Principi verbum eſt, quo jubet aliquid fieri, hoc illi eſt velle. In hanc ſententiam interpretatur & Chryſoſtomus, annotans emphaſim hujus participii* φέρων: *Gubernat enim aliquis cum negotio; Fert qui ſine negotio movet quo libet,*

bet; proinde nos vertimus agat moderetur que. Quid hic quæſo pro Volkelio, aut quid expreſſius dici poſſet in illum? Et cui conveniet omnia regere, gubernare, movere atque impellere, niſi primo Motori, adeoque omnium Conditori?

Verùm præter creationem conſervationemque alia divina opera Chriſto cum Patre communia eſſe dicunt, indeque utriuſque conſubſtantialitatem concludi. Ea autem ſunt, intimorum ſenſuum ſcrutatio, rerum futurarum prædictio, miraculorum patratio, hominum denique conſervatio, ſeu, ut loquuntur, ſalvatio. Animadvertendum tamen eſt, ad conſubſtantialitatem iſtam conſtituendam non ſatis eſſe Dominum Ieſum omnia iſta, ut Pater, facere: ſed neceſſe eſſe, ut eadem prorſus ratione utrique conveniant, adeò ut uterque propriâ, nec aliunde acceptâ virtute, hæc opera faciat, quamvis ne ſic quidem coëſſentialitas, ſed potiùs duo Dii æquales
454. inducerentur. Verùm cum iſta omnia Chriſto homini ſummâ Patris benignitate conceſſa ſint, ita ut nihil à ſeipſo dicat faciat-ve, prorſus corruit iſta adverſariorum argumentatio.

‡ *Verùm præter creationem*] Hæc omnia tribui Chriſto, cùm non diffiteatur adverſarius, non eſt quod probationes noſtras de ſingulis proferamus: Satis erit adverſarii veſtigia premere, & abſurdas atque dilutas ejus de ſingulis obſervationes paucis refutare.

Animadvertendum tamen eſt] Latebras quærit hæreticus in iſta phraſi, *ut eadem prorſus ratione utrique conveniant*: Nam *omnia iſta* Dominus Jeſus facere cenſendus eſt ut Pater, & eadem prorſus ratione, ſi οὐσιωδῶς loquamur: quia ipſe & Pater unum ſunt Joh. x, 30. Unde quæcunque Pater facit, hæc etiam pariter facit Filius Joh. v, 17. 19. At loquendo ὑποστατικῶς, aliqua hîc ſuccurrit diverſitas, quæ tamen eorum Conſubſtantialitati non obeſt; quia hæc omnia tribuuntur Patri abſolutè, ut eſt ἀγέννητος, fons & origo totius Divinitatis; Filio verò relativè ad Patrem, ut eſt à Patre & ab illo prodiit, & accepit vitam habere in ſe ipſo. Joh. v, 19. 20. 26. Filius itaque hæc quidem opera facit *acceptâ virtute* à Patre; ſed eam virtutem accepit à Patre cum ipſa eſſentia divina, quam illi Pater ab æterno communicavit per ipſius incomprehenſibilem generationem. Quâ ratione non *duo dii æquales* inducuntur, ſed duæ diſtinctæ perſonæ per eandem numero eſſentiam Divinam ſibi communem, coeſſentiales, coæquales & coæternæ. Igitur quæ virtus hæc patrandi, cùm in nullam meram creaturam cadere queat, tribuitur Filio, ei *propria* eſt, quatenus eſt proprietas inſeparabilis ab eſſentia & natura Divina, quæ illi cum Patre & cum Spiritu Sancto competit: Sed tamen *aliunde*, ſive potiùs ab alio, eam accepit, quatenus ei cum ipſa eſſentia & natura Divina, à qua ne quidem cogitatione divelli poteſt, à Patre per generationem æternam communicata fuit. Quare firmo ſtat talo noſtra argumentatio, etſi Chriſtus relativè ad ſuum Patrem, à quo eſt, non per creationem, ſed per generationem ab æterno, *nihil à ſeipſo* dicere aut facere ſtatuatur.

Etſi

Digitized by Google

Etſi enim ſolus Deus corda ſcrutari, (1 *Reg*. 8, 39.) ſolus futura prædicere, (*Eſa*. 44, 7.) ſolus miracula edere, (*Pſal*. 72, 11. 136. 4.) ſolus denique homines ſervare (*Eſa*. 43, 11.) meritò dicitur: minimé tamen hinc efficitur, eum per alios ſibi ſubordinatos iſta perficere non poſſe: cum ad iſtiuſmodi dictorum veritatem ſatis ſit, eum ſolum à ſeipſo iſta omnia habere, nec ullum, niſi ipſo largiente, ea præſtare poſſe.

‡ *Etſi enim ſolus Deus corda*] Hæc omnia quæ ſolius Dei eſſe dicuntur locis hic citatis, ita ipſi ſunt propria, ut ſint incommunicabilia omni *meræ* Creaturæ: unde ultrò ſequitur, ergo Chriſtum verum eſſe Deum, nec meram creaturam, cui hæc omnia competunt. Solius Dei eſt καρδιογνωσία 1. Reg. VIII, 39. ſiquidem ea in ſolum omniſcium cadere poteſt. Solius Dei eſt futura prædicere Eſ. XLIV, 7. eo quod ſolius omniſcii oculus, ad futurorum prænotionem ſe extendat; tanto magis quantò certiùs omnium rerum futuritio certa, pendet ex Dei decreto, ipſi ſoli noto, ſive illud ſit effectivum, ſive merè permiſſivum. Solius Dei eſt facere miracula Pſal. LXXII, 18. CXXXVI, 4. quoniam patratio miraculorum ita verè dictorum, requirit Omnipotentiam quæ ſoli Deo convenit. Solius denique Dei eſt homines ſervare Eſ. XLIII, 11. Oſeæ XIII, 4. eo quod id ſit opus gratiæ, miſericordiæ & potentiæ infinitæ: & ipſimet Ethnici *Salutem* inter ſua Numina retulerunt, quod vera ſalus nonniſi à Numine ſupremo proficiſci & expectari debeat. Igitur cum Volkelius ſtatuit nihilominus Deum *per alios ſibi ſubordinatos iſta perficere poſſe*, quæ cæteroquin ſolus habet *à ſeipſo*, eludit magis ſubdolè, quam ſolidè elidit noſtrum argumentum. Nam primùm ſi Filius ὁμοουσίως conſideretur & reſpectu illius eſſentiæ ac naturæ Divinæ quam habet communem cum Patre & Spiritu Sancto, ſicut hoc reſpectu eſt αὐτόθεος, ita eodem reſpectu *à ſeipſo* corda ſcrutatur, prædicit futura, miracula edit, & ſuum populum ſervat à ſuis peccatis: licet ſi conſideretur ὑποςατικῶς & prout eſt à Patre eique ſubordinatur, non naturâ aut potentiâ, ſed ordine, à Patre ſuo, non à ſeipſo, habeat ſibi communicatam & eſſentiam Divinam, & omnia illius attributa; Quæ tamen ideo æquè ſolius ſunt Filii ac ſolius Patris, quod natura illa Divina, cui ſoli conveniunt, æquè ſit eſſentia Filii ac Patris; unde Filius dicitur non ducere rapinam parem eſſe Deo Phil. II, 6. Deinde ridiculè loquitur Adverſarius: per nullos enim ſibi ſubordinatos, Deus poteſt corda ſcrutari, aut perſpicere futura; neque ſana ratio patitur quemquam ſic loqui; Et licet poſſit revelare quibuſdam Prophetis quædam ſecreta cordium, & quæ pauca ex omnibus futuris vult ſuis innoteſcere; nulla tamen eſt mera creatura, cui ex largitione Divina, poſſit obtingere, vel cordium ſcrutatio, vel futurorum omnium prænotio, vel patratio miraculorum ex aliqua vi ſibi inhærente & inſita; quoniam nulla eſt creatura, in quam ullo modo cadat aut cadere poſſit vel Omniſcientia vel Omnipotentia; ſiquidem ſubjectum finitum, nunquam capax erit infinitæ vel perfectionis vel virtutis.

Hinc enim factum eſt, ut non ſolùm Chriſtus, ſed Prophetæ etiam, &

 Apoſtoli,

Apoſtoli, aliique viri divini ea noverint, ac ſpiritu viderint, quorum noticia non minùs, quàm cognitio cogitationum humanarum, divinæ, non humanæ ſapientiæ eſt, futuraque prædixerint, miracula fecerint, homines denique ſervaverint, hancque ob cauſam ſervatores dicti fuerint. (*Rom.* 11, 14. 1 *Cor.* 7, 16. *&* 9, 22. 1 *Tim.* 4. *ult. Iud.* 3, 9. 15. 2 *Reg.* 13, 5. *Nehem.* 9, 27.) Quod tamen non eo animo à nobis dicitur, quaſi Chriſtum illis aggregare penitus velimus: ſed quò clariùs hujus argumenti appareat vanitas. Chriſtum enim iſta omnia multò excellentiori ratione Dei conceſſu poſſidere, libentiſſimè fatemur.

‡ *Hinc enim factum eſt ut non ſolum*] Nunquam hac ratione infringet Volkelius vim noſtri argumenti. Nam ſanè cordium & renum ſcrutatio nulli Prophetarum aut Apoſtolorum tribuitur unquam in Scripturis: Et quæ notitia illis obtigit rerum obſcurarum aut futurarum, pependit à ſolius Dei revelatione. Sed Chriſtus ſcrutatur renes & corda per inſitam ſibi virtutem, propriamque ſcientiam, eamque infinitam Joh. XVI, 30. XXI, 19. Col. II, 3. Ac tantum abeſt ut per revelationem ei ſimilem quam obtinuêre Prophetæ & Apoſtoli, ipſi obtingat notitia rerum obſcurarum aut futurarum, ut è contrario ex ipſius revelatione, tanquam ex luminis fonte, hauſerint & acceperint omnes Prophetæ & Apoſtoli; Nam & Spiritus Propheticus qui fuit in illis erat Spiritus Chriſti 1. Pet. 1, 11. & de Spiritu illo qui erat deducturus Apoſtolos in omnem veritatem & futura illis renunciaturus, ita loquitur Chriſtus, *De meo accipiet & renunciabit vobis* Joh XVI, 13. 14 15. Ad hæc Prophetæ & Apoſtoli fecerunt miracula, ſed in nomine Dei & Chriſti, non ullâ quæ ſibi ineſſet virtute: Hoc diſertè profitetur Petrus Act. III, 12. Chriſtus autem propriâ poteſtate, quod ibi Petrus de ſe & ſuis negat, ſua edidit ſigna & miracula; unde dicebat *virtutem ex ſe prodiiſſe* quâ convaluit hæmorrhoiſſa Luc. VIII, 45 Et ſi quando homines ſervare & liberare, atque liberatores & ſervatores, dicuntur, ut locis citatis Adverſario, hoc debet intelligi miniſterialiter & inſtrumentaliter; cùm de Chriſto ut de Deo dicatur originaliter & principaliter; unde & *Ieſus*, & *ſervator*, & *ſalus*, κατ' ἐξαιρετόν, ſubinde appellatur.

Quod tamen non eo] Fateris ergo, hanc tuam exceptionem, quam modò proferebas, nihil facere ad rem: Si enim illis Chriſtus non ſit penitùs aggregandus, ergo hæc omnia aliter Chriſto quam ipſis conveniunt. Si aliter, ergo eodem modo quo Deo, cùm ipſe ſit Deus ſuper omnia benedictus Rom. IX, 5. Et ſiquidem *excellentiori ratione* Chriſtus iſta omnia poſſidet, quam Prophetæ & Apoſtoli, dubium non eſt quin de ipſo comparatè ad iſtos, etiam dici queat quod ſolus corda ſcrutetur, ſolus futura prædicat & revelet, ſolus miracula faciat, ſolus denique ſervet: quod & poſtremum diſertè habetur Act IV, 12. An verò iſta poſſideat *Dei conceſſu* & gratiâ, ut volunt adverſarii, an verò ex ſua conditione & natura, ut nos aſſerimus, facile eſt judicare ex confeſſione Volkelii; Nam ſane cùm ea habeat longè *excellentiori ratione*, quam excellentiſſimi hominum, imò etiam eâ ratione & modo qui in merum hominem, ut pote naturâ & conditione finitum, cadere non poteſt, oportet illa ipſi convenire ut Deo & Conditori.

Quod

Quod enim ad cordium explorationem attinet, ſatis apparet, eam Chriſto datam eſſe, ut ſummo Regi ac judici à Deo conſtituto, qui præmia pœnaſque rectè ſecúſque factis decernat. (*Act.* 10,42: 17. 31. *vid. Rom.* 2,16. 1 *Cor.* 4, 5.) Cùm enim in hoc divino judicio uniuſcujuſque facta ex animi affectu ponderanda ſint; neceſſe ſanè erat, ut Deus, qui talem illum judicem fecit, ſimul quoque abſolutiſſimam corda explorandi rationem ei daret., ut pote ſine qua hoc ſuum munus exequi nullo pacto potuiſſet. Qua de cauſa nullus præter hunc de ſe auſus fuit dicere, *Ego ſum ſcrutans renes & corda.* (*Apoc.*2,23.)

† *Quod enim ad cordium*] Primùm admittimus confeſſionem Adverſarii, quod nullus vir divinus, quantalibet notitiâ rerum abſtruſiorum aut futurarum Dei Spiritu præditus fuerit, potuerit unquam dicere cum Chriſto Apoc. II, 23. *Ego ſum ſcrutans renes & corda*: Cùm ergo ſolus hominum Chriſtus id dicere potuerit, hinc patet eum eſſe quoque cum Patre & Spiritu Sancto, qui itidem omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei, illum ſolum Jehovam cui dicitur 1. Reg. VIII, 39. *Tu ſolus noſti corda omnium filiorum hominis.* Nec dubium quin hæc notitia & ſcientia, ſimpliciter ſit infinita, adeoque talis quæ in meram creaturam & mentem finitam cadere non poteſt. Nec ab illa proprietate Deus tam ſæpè deſcriberetur in Scripturis, ut Pſ. VII, 10. Jerem. XI, 10. Act. I, 24. idque etiam quandoque cum oppoſitione ad homines, ut 1. Sam. XVI. 7. niſi ei ſoli conveniret atque incommunicabiliter Creaturæ, Secundò ut fateor datam eſſe Chriſto θεανθρώπῳ poteſtatem judiciariam in omnes, eumque illi muneri deſtinatum à Patre, quo faciunt loca Act. X, 42. XVII, 31. Rom. II, 16. 1. Cor. IV, 5. à Volkelio citata, ſic nego ei quà homini ad id datam fuiſſe illam omnium cordium ſcrutationem & explorationem; quod nuſquam dicunt Scripturæ; Sed pertendo potiùs ei ceu θεανθρώπῳ hanc judiciariam poteſtatem eſſe commiſſam, quod per naturam ſuam Divinam ſit præditus eâ & Omnipotentiâ & Omniſcientiâ, abſque qua exerceri non poſſet. Sic enim Reges & Principes, judices illos conſtituunt quos jam idoneos norunt ad talia munia, non verò eos idoneos reddunt, quod jam eos ad talia munia vocarint & conſtituerint. Quid quod id ipſum ſummi Regis ac Judicis univerſi elogium, Chriſti Divinitatem luculenter aſſerit, eo quod hoc quoque ſibi paſſim Jehova vindicet in Scripturis? Videatur Pſal. IX, 8. 9.

Præſcientiam quoque rerum futurarum Chriſto divinitùs conceſſam eſſe Joannes in Apocalypſi (*Apoc.* 1, 1.) clariſſimè teſtificatur: quamvis ſtatuamus, Chriſtum eâ 'em omnes alios, qui unquam futura præſciverunt prædixeruntque, longiſſimè ſuperare: quippe qui generatim perpetuoque, iſto divino munere polleat, quod aliis minimè contigit.

Digitized by Google

‡ *Præſcientiam quoque*] Etſi præſcientia futurorum ei diceretur *divinitùs conceſſa*, quà homini, id nihil operaretur contra æternam ejus Divinitatem: Verùm Apoc. 1, 1. id non dicitur; ſed tantum datum eſſe Chriſto à Patre, quatenus eum conſtituit Mediatorem inter ſe & homines & ſummum Prophetam ſuæ Eccleſiæ, jus hæc illa ipſa revelandi ſuis ſeruis, quæ ex ſua præſcientia Divina novit eventura: Non igitur ipſa præſcientia dicitur data Chriſto, ſed tantum ei à Patre munus commiſſum, & jus datum eſſe, ſuos famulos de iis quæ futura ſunt erudiendi & præmonendi, ad ſuæ Eccleſiæ ædificationem. Et cùm ibidem dicatur Jeſus Chriſtus hanc ipſam revelationem, (cujus faciendæ poteſtatem & authoritatem accepit à Deo Patre, cùm eum conſtituit Mediatorem & Redemptorem ſuorum,) *per Angelum ſuum ſeruo ſuo Iohanni* ſignificaſſe, luculenter adſtruitur ejus Divinitas, tum quod Angeli *ſui* ſint Heb. 1, 7. tum quod ſancti & fideles, quos tamen nefas eſt ſervire iis qui *naturâ Dei n n ſunt* Gal. IV, 8. ſint ipſius *ſervi*, & Angelorum in eo conſervi Apoc. XIX, 10. XXII, 9.

Miraculorum etiam edendi poteſtatem à Deo patre ſibi datam eſſe, Chriſtus non uno in loco affirmat: (*Ioh.* 5, 19. *& ſeqq.* 36. *&* 10. 25: *&* 14. 10.) quâ tamen aliis viris divinis, adhuc in terris vivens ita antecelluit, ut ea in ſe perpetuò reſidente, & quaſi ſuâ jam factâ, pro ſuo arbitrio fuerit uſus, eamque cum aliis communicare potuerit, quod illis conceſſum minimè fuit.

‡ *Miraculorum etiam*] Sed nec ſi quid *datum* dicitur Chriſto, ſtatim ejus infringit Divinitatem; cùm & ipſa ei data ſive communicata ſit à Patre per ſui generationem ab æterno, ut patet ex Joh. V, 26. Mich. V, 1. Nec loca quibus pugnat Adverſarius evincunt miraculorum edendorum poteſtatem, in tempore datam ei fuiſſe, quomodo & aliis hominibus, à Deo conceſſà legitur. Nam Joh. V, 19. non ſe ſtatuit inferioris & diminutæ potentiæ præ Patre, ſed tantum docet ſe omnem illam potentiam, unà cum eſſentia Divina, à Patre eſſe conſecutum; nec eam eſſe ſibi propriam, ſed communem cum Patre: ſiquidem nihil operari poteſt *à ſeipſo*, (cùm non ſit à ſeipſo, ſed à Patre,) aut ſeparatim ac ſeorſim à Patre, quo cum unum eſt, & eandem habet ut eſſentiam, ſic ſcientiam & potentiam; Unde profitetur ſe nihil operari niſi viderit Patrem operantem, hac additâ ratione quæ identitatem & eſſentiæ & potentiæ magis denotat; *Quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit*; Nam paritas operationis, paritatem potentiæ denotat; prout com. 20. Filius conſcius declaratur omnium conſiliorum Patris, ut pote cui Pater *omnia oſtendit quæ ipſe facit*: & ex vivificationis identitate vel paritate com. 21. colligitur com. 22. paritas vel potius identitas honoris, non minus Filio quam Patri, deferendi. Et quod com. 36. dicit Chriſtus opera quæ faciêbat ſibi *data* à Patre ut ea conſummet, magis comprobat quod volumus: Sic enim profitetur illa ſibi à Patre *data*, ideſt demandata & commiſſa ceu Mediatori inter Deum & hominem, ut eorum tamen authorem & cauſam principalem, non ſimpliciter inſtrumentalem & miniſterialem, ſe faciat, dum ſe illa *facere* aſſerit. Sic nihil derogat huic veritati

ritati

ritati, quod Joh. x, 25. hæc opera dicat ſe feciſſe in nomine ſui Patris; Licet enim eorum gloriam quà Mediator, & quà homo, velit & ſoleat in Patrem, à quo fuerat Mediator conſtitutus refundere, id tamen non impedit quominus Theologicè conſideratus, ejuſdem omninò fuerit authoritatis & potentiæ & eſſentiæ cum Patre: juxta illud quod ait Joh. v, 17. *Pater meus uſque adhuc operatur & ego operor*: ex quibus verbis ipſimet Judæi com. 18. intellexerunt ſatis quod *ſe parem faceret Deo*, ut etiam id ei jure licuit citra rapinam Phil. II, 6. Quò maxime facit alter locus à Volkelio citatus Joh. XIV, 10. *Non credis me in Patre & Patrem in me eſſe? Verba quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor: ſed Pater qui in me manet ipſe facit opera.* Quibus verbis oſtendit ſuam doctrinam, ſuaque opera, non eſſe ſui ſolius, ſed etiam ipſius Patris, cum quo unum eſt Joh. x, 30. tam eſſentiæ, quam potentiæ & ſapientiæ reſpectu. Igitur ipſe Pater manens in Filio ut Filius in ipſo, faciebat ea opera quæ erant Filii, quod ea Filius faceret ex potentia Patris, ſibi communicata cum ipſa natura Divina per generationem æternam. Eoque redit vel redire cogitur Volkelius, qui ſtatuit hac miracula edendi poteſtate, ſive potius potentiâ, Chriſtum, adhuc in terris viventem, *aliis viris divinis* ita antecelluiſſe, *ut eâ in ſe perpetuo reſidente & quaſi ſuâ jam factâ, pro ſuo arbitrio fuerit uſus, eamque cum aliis communicare potuerit, quod illis conceſſum minimè fuit.* Etenim non potuit hæc facultas & potentia edendi miracula perpetuò reſediſſe in Chriſto eique ſubjective inhæſiſſe, ut eâ pro ſuo arbitrio uteretur, eamque poſſet aliis quibus vellet communicare, quin planè aliter ei convenerit, quam aliis viris ſanctis, quorum miracula in ſacris literis commemorantur. Illi enim profeſſi ſunt ea fieri non *ſuâ* ullâ inſitâ & propriâ virtute, ſed Chriſti ipſius nomine & potentiâ Act. III, 12. 16. Et cùm hæc ſive poteſtas ſive potentia ſit infinita, in nullo mero homine poteſt reſidere, ita ut ab ipſo communicetur cui velit; Nec attributum infinitum poterit tribui ſubjecto merè finito ab eo qui ſuâ ratione volet uti: Cùm itaque Chriſtus per potentiam ſibi propriam & in ſe reſidentem Luc. VIII, 46. fecerit miracula, eorum miraculorum author & cauſa efficiens principalis cenſeri debet, unde non ſemel profitetur quod ea *faciat*: At viri ſancti, ad quorum fidem & preces Deus fecit miracula, non aliter ad ea concurrerunt quam ut inſtumenta merè moralia, & quibus nulla vis inerat quæ ad ipſum effectum pertingeret.

Servandi denique noſtri munus ac poteſtatem pleniſſimam Chriſtum à Patre accepiſſe, non uno in loco ſacri autores docent. (*Eſa.* 19, 20: 49, 6. *Luc.* 1, 69. *Joh.* 3, 16. 17: 6, 32. *Act.* 5, 31: 13, 23. 1 *Joh.* 4, 14. *Joh.* 6, 39. 40. 57: 10, 28. 29: 17, 2.) Qua de cauſa fatemur, atque adeò contendimus, nequaquam eum, hoc præſertim tempore, ſalutis noſtræ miniſtrum, quales fuerunt Apoſtoli, ſed principem, Deo ita ordinante, at- 455.
que datorem eſſe, ut & ipſe, & ejus Apoſtoli apertiſſimè teſtantur. (*Act.* 5, 31. *Phil.* 3, *ult.* *Heb.* 5, 9. 10.)

‡ *Servandi denique noſtri*] Fatemur Patrem Filio commiſiſſe munus & poteſtatem nos ſervandi, eo in Mediatorem & Redemptorem noſtrum ordinato

&

Digitized by Google

& conſtituto; quo faciunt loca hîc ab Adverſario operoſè congeſta, in re neutiquam controverſa; Sed nec illi committi id muneris, nec ipſe eo ritè defungi potuiſſet, niſi fuiſſet ut naturæ divinæ, ſic ſapientiæ & potentiæ infinitæ: Hinc ille Servator nobis promiſſus datus & miſſus à Deo, dicitur ipſa Jehovæ *ſalus* Eſ. XLIX, 6. *cornu ſalutis* Luc. I, 69. *Filius* Dei iſque *unigenitus* Joh. III, 16. I. Joh. IV, 14. *verus vivuſque panis è cœlo* Joh. VI, 32. 35. qui eſt ipſiſſima *vita* & *lux* hominum Joh. I, 4. uno verbo *verus Deus & vita æterna* I. Joh. V, 20. Hinc appellatur *autor ſalutis æternæ* Heb. V, 9. & Act. V, 31. *Princeps & ſervator, qui dat reſipiſcentiam Iſraeli & remiſſionem peccatorum:* quorum utrumque ſolius eſſe Dei colligere eſt ex Act. XI, 18. & Marc. II, 7. Hinc ſibi tribuit poteſtatem *ſuſcitandi* ſuos in die ultimo Joh. VI, 39. eâ utique vi *quâ poteſt ſibi ſubjicere omnia* Phil. III, 21. & eum in finem vult in ſe *credi* Joh. VI, 40. æquè ac in Patrem Joh. XIV, 1. & ſe ita *vivere* profitetur ut Pater vivit Joh. VI, 57. ac eandem ſibi aſſerit *manum & potentiam* cum Patre ad ovium ſuarum cuſtodiam Ioh. X, 28. 29. imò autoritatem *in omnem carnem* Ioh. XVII, 2. Ut omnia illa loca, quæ hîc congeſſit Volkelius ad marginem, aliquid habeant quæ Divinitatem Chriſti ejuſque coeſſentialitatem cum Patre adſtruant, quæ per conſequens in ipſo debuit ſupponi à Patre cum illum in Servatorem & Redemptorem noſtrum miſit & conſtituit.

Qua de cauſa fatemur] Primùm videtur Volkelius ſubdolâ illâ exceptione quam exprimit his verbis, *hoc præſertim tempore*, inſinuare aliquamdiu Chriſtum merum fuiſſe *ſalutis noſtræ miniſtrum*, *quales fuerunt Apoſtoli*, ſed poſtea in illius *principem* evaſiſſe: quod & valdè eſt abſurdum, dum fingitur Chriſtus ex cauſa merè inſtrumentali & miniſteriali ſalutis, tandem in illius cauſam principalem evaſiſſe; & omninò eſt blaſphemum, ac ſi Chriſtus tempore carnis ſuæ non fuerit verus Ieſus & σωτήρ Dei. Deinde cùm fateatur hæreticus Chriſtum nequaquam eſſe ſalutis noſtræ miniſtrum, ſed illius principem & datorem, eo ipſo eum facit æqualem, adeoque & coeſſentialem, Deo Patri; cùm ſolius Dei ſit hoc modo, nec merè miniſterialiter, ſervare.

Sequitur, ut quomodo ex quibuſdam proprietatibus ſive attributis, quæ pari modo Deo Patri Filioque ineſſe videntur, iſtam conſubſtantialitatem colligunt, animadvertamus. Primum igitur Dei attributum à quibuſdam conſtituitur immenſitas, ſeu ſubſtantiæ infinitas, quâ fiat, ut omnia prorſus loca permeet ac compleat: quam quidem Chriſto apud ſacros autores aſſignari nuſpiam videmus. Quòd enim illis verbis eam ſignificari quidam aſſerunt, quibus ſeſe Chriſtus in medio duorum aut trium in ipſius nomine congregatorum futurum eſſe promittit, (*Matt.* 18, 20.) nihil ad immenſitatem illam concludendam habet virium.

‡ *Primum igitur Dei*] Immenſitas ac Dei omnipræſentia ejus attributis debet annumerari ex Pſal. CXXXIX, 7. 8. 9. 10. & Ierem. XXIII, 24. Cùm & eam ipſimet Ethnici lumine naturæ agnoverint, unde illud, *Iovis omnia plena.* Iam verò etiam Chriſto tribuitur omnipræſentia, non uno loco: Nam Ioh. III, 13. dicen-

dicendo, *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, nempe filius hominis qui eſt in cœlo*, ſibi tribuit quod eſſet in cœlo, etiam tum cùm verba faceret ad Nicodemum in terra. Sic quamvis corpore jamjam diſceſſurus, dicebat ſuis Apoſtolis Matt. XXVIII, 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi*: Jugemque ſuam præſentiam in Eccleſia ſignificabat per *ὅραμα* Iohanni exhibitum, in quo viſus eſt inter ſeptem candelabra ambulare Apoc. I, 13. II, 1. Eo quoque facit promiſſio quæ extat Matt. XVIII, 20. *Vbi ſunt duo vel tres coacti in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* His enim verbis, ſe profitetur, & præſentem ſuis fore in terra, etiam poſt corpus ſuum in cœlos illatum, & præſentem ſimul fore multis in locis ac ubivis aliquot pii in nomine ſuo convenerint. Iam autem Multipræſentia eſt prærogativa naturæ creantis; nihil enim poteſt ſimul eſſe in multis locis à ſe mutuo diſcretis & ſeparatis, niſi quod eſt Omnipræſens: nihil autem eſt Omnipræſens & ubique niſi quod eſt naturæ immenſæ & infinitæ. Neque putem inter ipſos Socinianos ullum repertum iri tam væcordem, qui velit aſſurgere nonnullorum hoc ævo Philoſophaſtrorum abſurdiſſimo & impio non tam Paradoxo quam delirio, quod poſſit dari Creatura quæ ſit ubique; quod genus Monſtri, ex Becani Ieſuitæ cerebro natum, ſed in Academia Ultrajectina fotum cum publico omnium bonorum ſcandalo, alibi profligavi: Sanè Athanaſius, aut quiſquis eſt author inter Veteres *quæſtionum ad Antiochum q.* 26. Multipræſentiam abrogat conceptis verbis animabus ſeparatis & Angelis; eamque ut Omnipræſentiam & Ubiquitatem ſoli Deo vendicat: Et jam olim hoc noſtro argumento pugnarunt Catholici. Tertullianus *lib. de Trinit.* niſi is liber ſit potius Novatiani Tertulliano coævi; *Si homo*, inquit, *tantummodo Chriſtus, quomodo adeſt ubique invocaturis? cùm hæc non hominis natura ſit, ſed Dei, ut adeſſe in omni loco poſſit?* Sic Hieronymus *de quinque quæſt. ad Marc. Si Dominum Dei Filium conſideres de quo David, Quò ibo à Spiritu tuo, erat uno eodemque tempore cum Apoſtolis in omnibus locis; cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Paulo Illyrici &c.* Sic Fulgentius *lib. 3. ad Thraſim. Quomodo corporaliter aſcendit, & in ſuis fidelibus prædicatur eſſe in terra, ſi non eſt in illo Divinitatis immenſitas quæ cœlum poſſit implere & terram?* Sed videamus quid huic argumento opponat Adverſarius, ex quo conficiat nihil illud habere virium ad Chriſti immenſitatem adſtruendam.

Namque nec eſſentialiter Chriſtum ſuis adeſſe neceſſe eſt, ut hoc promiſſum ſervet; nec ſi realiter fidelium cœtibus intereſſet, mox conſequeretur iſta, quam adverſarii fingunt, immenſitas. Ac illud quidem ideò, quia favore virtuteque ſua fidelibus, citra eſſentialem præſentiam, perpetuò adeſſe poteſt: utpote qui inexhauſtam quandam divini ſpiritus copiam habeat, & innumeros Angelos ſummo imperio complectatur, quorum miniſterio in ſuis adjuvandis uti poteſt: niſi eum volumus hujus mundi regibus inferiorem eſſe, qui etiam abſentes, quibus volunt, auxilio eſſe, beneficiaque largiri poſſunt. De hujuſmodi autem præſentia Chriſtum loqui ſatis eſt manifeſtum: cum eam ſuis tantùm diſcipulis, atque inſignitè iis,

Digitized by Google

qui in nomine ipſius fuerint congregati, promittat. Hoc verò eam ob cauſam aſſerimus, quòd cœtuum piorum certi ſunt loci.

‡ *Namque nec eſſentialiter*] Neutra harum exceptionum conſiſtere poteſt: Nec enim poteſt concipi, quî *favore virtuteque ſuâ* adſit Chriſtus fidelibus, *citra eſſentialem præſentiam*, cùm *ſeipſum* in medio eorum futurum conceptis verbis aſſerat, nec vicariam aliquam virtutem relinquat cogitandam, quæ præſentiæ ſuæ eſſentialis defectum ſuppleat. Imò dum Chriſto tribuit Volkelius *inexhauſtam divini ſpiritus copiam*, & ſummum *imperium* in *Angelos innumeros*, ejus Divinitatem vel invitus adſtruit; cùm horum neutrum in meram Creaturam cadere poſſit. Nec tamen Chriſtus hic promittit auxilium ſuum ſe ſubmiſſurum fidelibus, Angelorum miniſterio, ſed ſimpliciter ſe in medio eorum fururum, illiſque adfuturum uſque ad conſummationem ſæculi.

Niſi enim volumus] Sanè Reges terreni ſuorum miniſterio, *etiam abſentes quibus volunt, auxilio eſſe beneficiaque largiri poſſunt*; Sed inſanus fiet qui inde colligat Reges in talium abſentium medio & cum illis jugiter eſſe ac verſari. Regum abſentium beneficentiam poſſumus experiri, non tamen præſentiam: Chriſtus verò hîc ſuis pollicetur, non meram beneficentiam, ſed præſentiam tutelarem & beneficam, quam illis in nomine ſuo ubi-vis locorum congregatis præſtare non poteſt, niſi abſolutè & ſimpliciter Omnipræſens ſtatuatur.

Hoc verò eam ob] Sed hoc ſecundum effugium, oſtendit quam parum Volkelius confidat primo: Jam autem & iſtud quoque facilè evertitur; quamvis enim *cœtuum piorum ſint certi loci*, tamen in his omnibus certis locis, ſæpiſſimè à ſe mutuo per magna ſpatia divulſis, *realiter* præſens dici nequit Chriſtus eodem temporis articulo & momento, quin Omnipræſens per prius ſtatuatur.

Secundum tertiumque attributum hoc loco conſiderandum, eſt Dei tum ſapientia, tum bonitas, quarum utramque propriam ita eſſe fatemur, ut meritò ſolus ſapiens, ſoluſque bonus appelletur. (*Rom.* 16, 17. 1 *Tim.* 1, 17. *Mat.* 19, 17.) Non tamen ea ratione, quin ipſius benignitate res quoque creatæ, ſapientiæ ac bonitatis titulo decorari poſſint. Nam & ſoli Deo immortalitas tribuitur: (1 *Tim.* 6, 16) cum tamen & Angeli immortales ſint, & nos aliquando immortalitatem conſecuturi ſimus. Vocari autem res quaſdam creatas, tum ſapientes, tum bonas, ex ſacris literis clariſſimum eſt. Solomonem enim v. g. ſapientem appellari, (*Mat.* 12, 42.) quis ignorat? Ex quo fit, ut quantò Chriſtus Solomone præſtantior eſt, tantò illi magis, quàm Solomoni, ſapientis nomen conveniat. Quod idem & de Chriſti bonitate, omnes naturas bonas mille partibus ſuperante, dictum volumus. Nec tamen hinc efficitur, Chriſtum illum ſummum Deum eſſe; ſed potiùs eum Dei benignitate plus ſapientiæ bonitatiſque aſſecutum fuiſſe, quàm omnes aliæ res creatæ. Quòd autem Deus ſolus ſapiens,
456. ſolus bonus, ſolus immortalis dicitur, id ideo fit, quòd ipſe ſolus à ſeipſo

Digitized by Google

ipſo talis, omniſque ſapientiæ, bonitatis, ac immortalitatis fons eſt atque origo.

‡ *Secundum tertiumque attributum*] Admittimus eo uſque confeſſionem Volkelii, ut eâ utamur in ipſius convictionem: eoque redit omnis quæſtio, an Chriſti ſapientia & bonitas, ſit creata, ejuſdemque ordinis cum ſapientia & bonitate Creaturarum. Id verò nequidem probare annititur Adverſarius; nobisque ea ſuppeditat unde contrarium potiùs colligatur: Nam immortalitas convenit quidem Angelis; (imò, quod tamen non dicit Volkelius, quia eſt Sadducæus hac in parte, animæ rationali:) Sed Chriſtus eſt ipſiſſima vita Joh. XI, 25. penes quem eſt fons vitæ Pſ. XXXVI, 10. ex quo manat omnis illa fœlix immortalitas, quam nos aliquando conſecuturi ſumus. Salomonis ſapientia celebratur in Scripturis; Sed Chriſtus eſt ipſiſſima Sapientia, ab ipſomet Salomone fuſiſſimè celebrata Prov. VIII, & IX. Adde Matt. XI, 19. Nec poteſt non eſſe infinita, adeoque increata, bonitas Chriſti, quæ *omnes naturas bonas mille partibus*, ideſt revera in infinitum, ſuperat. Neque Chriſtus ſe negat eſſe eſſentiâ bonum & ſic naturâ Deum Matt. XIX, 17. ſed carpit adoleſcentem hoc nomine blandiri geſtientem ſibi, quem tamen merum hominem eſſe falſò putabat; Neque negaverim Patrem eſſe quoque ſuo ſenſu *fontem* atque *originem* bonitatis & ſapientiæ Filii, cùm ſit fons & origo totius Divinitatis, ut communicatur ad intra, quemadmodum loquuntur Theologi: Sed Filio fons eſt ac origo ſapientiæ & bonitatis infinitæ, per generationem naturalem & æternam; Creaturis vero fons eſt & origo ſapientiæ & bonitatis finitæ, per liberam & voluntariam diſpenſationem in tempore.

Cap. XI.

De duabus naturis in Chriſto.

Reſpondente RUTGERO COUPER Gora-Tranſiſalano.

JAm ut eum convincamus errorem, quo duæ in uno Chriſti ſuppoſito naturæ inductæ ſunt, ita ut unus Chriſtus, & Deus natura ſit & Homo; conſtanter dicimus, hanc opinionem nec cum ſanæ mentis ratione convenire, nec ullo ſanctarum literarum teſtimonio comprobari poſſe. Rationi ideò eam repugnare aſſerimus, quòd mens noſtra dictat, fieri non poſſe, ut duæ formæ ſubſtantiales, eæque perfectæ, in unum idemque ſuppoſitum cadant: cum ſic non unum, ſed duo diverſa exiſterent ſuppoſita. ut facilè appareat, hoc commento duos Chriſtos contra omnem rationem induci: cum unum tantùm eſſe, & ſacra volumina teſtificentur, & omnes confiteantur.

† *Iam ut eum convincamus*] Sentit Adverſarius præcedens ſuum conamen contra Divinitatem Chriſti irritum fuiſſe; quandoquidem hanc quæſtionem ex profeſſo ſuſcipit pertractandam, quæ ultrò concidit ſublatâ aut probatâ coeſſentialitate Filii cum Patre. Duarũ autẽ naturarũ diſtinctionem & conjunctionem perſonalem in Chriſto, non tam *conſtanter* quam blaſphemè & impudenter negant Sociniani, in eo multo deteriores Arianis. Et dum in impugnando hoc *pietatis myſterio*, (uti dicitur Paulo 1 Tim. III, 16.) primas deferunt ſuæ rationi, non Scripturæ, oſtendunt eo ipſo, quam debeat eſſe nobis ſuſpecta omnis eorum Theologia, cujus primaria norma eſt ratio hominis, in rebus Dei cæcutiens 1. Cor, II, 14. ac planè diſtorta & vitiata.

Rationi ideo eam] Sed quam non ſit ſanæ rationis hæc ratio, multa evincunt: Primò enim hoc argumentum apertè dirigitur in Apoſtolum qui Phil. II, 6. 7. uni Chriſto conceptis verbis duplicem *formam* tribuit, nempe *Dei* & *ſervi* ac *hominis*. Secundò, cum *viri* & *homines* dicuntur Angeli qui apparebant Patriarchis, ut Gen. XVIII, 2. XIX, 5. XXXII, 24. id fit utique quod Angeli corpora quædam humana eaque viva aſſumpſiſſent, in quibus & per quæ functiones vitales & animales edebant: Nam tangebant & tangebantur, loquebantur, incedebant, comedebant &c. Jam autem in ejuſmodi apparitionibus *duæ formæ ſubſtantiales eæque perfectæ*, angelica ſcilicet & humana, quadantenus *in unum idemque ſuppoſitum* coaleſcebant, quod modò Angelus, modò Vir, ſive Homo, dicebatur: Nec enim dixeris ſex ſuppoſita apparuiſſe Abrahamo, cùm tria tantum dicantur Moſi, vel quatuor Lotho, cùm duo tantum fuerint, juxta Scripturam, vel duo Jacobo, cùm mera hic monomachia, merum inter duos antagoniſtas duellum, referatur. Ita ſanè de dæmoniacis quibuſlibet loquitur Scriptura tanquam de ſingulis ſuppoſitis; quamvis duæ formæ ſubſtantiales perfectæ in quolibet dæmoniaco concurrerent, diabolica, per modum formæ aſſiſtentis, & humana per modum informantis. Tertiò ſi non poſſunt duæ formæ ſubſtantiales eæque perfectæ in unum idemque ſuppoſitum cadere, id erit vel propter formarum iſtarum pluralitatem, vel propter unitatem iſtius ſuppoſiti; Sed neutrum dici poteſt: Non prius; Nam plures formas ſubſtantiales poſſe conjungi in eodem ſubjecto, nemo dubitabit ſanæ mentis, qui cogitaverit conjungi juxta pleroſque formam ignis & formam ferri in ferro candente; formam item auri, argenti & æris, in ære Corinthiaco, quod ex variis metallis conflatur; & Peripateticos multos diſputare formas ſubſtantiales elementorum in corporibus mixtis permanere. Non poſterius; Nam licet plures formæ ſubſtantiales, non poſſint convenire uni ſuppoſito ſimplici, cùm tamen unicum etiam ſtatui poſſit & debeat ſuppoſitum illud ad cujus conſtitutionem plures concurrunt naturæ, & in quo per conſequens, plures formæ ſubſtantiales reperiri debent, talis unitas ſuppoſiti, non poteſt cenſeri pluralitatis formarum everſiva; ut liquet exemplo *virangelorum*, ſi fas ſit ita loqui, apparentium Patriarchis, & energumenorum ac dæmoniacorum ſingulorum in Euangelio commemoratorum: Nam ſanè dæmoniacus quà talis, unicum dicit ſuppoſitum, ad cujus conſtitutionem duæ formæ ſubſtantiales eæque perfectæ, angeli & hominis, concurrere debent. Quartò, evertit palam hanc rationem Volkelii, ipſa ratio & conſtitutio hominis cujuſlibet, ad quem conſtituendum concurrunt duæ naturæ valde heterogeneæ, in ſuo tamen genere perfectæ, anima & corpus; quarum reſpectu duæ formæ ſubſtantiales,

les,

les, ψυχικὴν nempe & σωματικὴν, ſpiritualis & corporalis, ei omninò competunt, ex quarum conjunctione emergit illud quod *animal rationale*, vel *homo*, appellatur: atque inde fit quod idem ſuppoſitum, modò ab una earum formarum, modò ab altera exprimatur: Nam homines interdum ψυχὰς, interdum σώματα appellari, nemo eſt qui neſciat: Vide de priori Act. II, 41. VII, 14. de poſteriori I. Pet. I, 24. Apoc: XVIII, 13. Epiphanius certè *in Anchoratu* notat veteres conſuetudine quadam ſervos homines *corpora* appellaſſe. Quin eodem nomine veniunt apud Athenæum *lib.* 5. *cap.* 8. *Deipn.* ut notat Calvinus JCtus *in lexico juridico*, ad vocem *Corpus*. Ac ſanè ut Petrum non facit duos homines qui in eo diſtinguit duas naturas, eaſque in ſuo genere & phyſicè completas ac perfectas, animam & corpus, & ipſum modò animæ, modò corporis, nomine exprimit; ita non fingit duos Chriſtos, qui in Chriſto duas naturas, adeoque duas formas ſubſtantiales, diſtinguit divinam & humanam, & inde ſtatuit modò cum *Dei* nomine, modò *Hominis* titulo, exprimi in Scripturis.

Hîc verò tanquam ad aſylum confugientes, afferunt exemplum hominis ex corpore animaque conſtantis, ut haud aliter Deum & hominem unam Chriſti perſonam conſtituere oſtendant, atque anima & corpus unum conſtituunt hominem. Atqui hoc illis exemplum adverſatur. Nam nec anima Deo, nec corpus homini, nec horum compoſitio illorum conjunctioni reſpondet. Anima enim & corpus ad hominis conſtitutionem pertinent ut partes, quarum neutra de ſuo toto prædicari poteſt: cum nec hominem eſſe animam, nec hominem eſſe corpus dicamus. Id quod longè aliter ſe habeat neceſſe eſt in iſta divinæ atque humanæ naturæ copulatione: cum, ut iſti dicunt, qui ſubtiliùs iſta diſputant, nec humana, nec divina natura propriè ſit pars Chriſti: ſed Chriſtus tam ſit homo, quàm Deus

‡ *Hic verò tanquam ad*] Iſtud *haud aliter*, per fraudem hîc inſeritur à Volkelio: Nullum enim proferri poteſt ſimile ad hoc hypoſtaticæ unionis duarum naturarum in Chriſto explicandum, quod non ſit aliquâ parte diſſimile: In eo igitur conferimus unionem duarum naturarum in Chriſto, cum unione corporis & animæ in homine, quod ſint duæ naturæ toto genere diverſæ, quæ concurrunt ad tertii conſtitutionem: Verùm cum hac diſſimilitudine, quod duæ naturæ partiales in homine quolibet ſuâ conjunctione, tertiam quam naturam ſingularem conſtituant; nempe humanam, reſultantem ex utraque; ſed duæ in Chriſto naturæ concurrant ad tertium quid non naturale, ſed perſonale; quia ex earum conjunctione non reſultat tertia quæ natura ex Divinitate ex humanitate conflata, quod Eutyches cum ſuis ſibi velle viſus eſt; ſed ea perſona Immanuelis, quæ nec Deus tantum, nec tantum homo ſit & dici debeat, ſed θεάνθρωπος. His poſitis facilè concidit Adverſarii exceptio. Nam primò ſubdolè tranſit ab abſtracto ad concretum; à nominibus naturarum ad perſonalia;

Digitized by Google

Nec enim animam & corpus in homine conferimus in Chriſto cum Deo & homine, ſed cum Divinitate & humanitate. Secundò *hominis* nomen, ſumitur vel ſpecificè de natura humana quæ conſtat animâ & corpore, vel ſuppoſitaliter de perſona humana, qaæ completè & incommunicabiliter exiſtit: Hominem autem Deus non aſſumpſit in unitatem perſonæ poſteriori ſenſu, ſed priori; quamvis ex illa aſſumptione meritò homo ſit & dicatur, etiam ſuppoſitaliter & perſonaliter; non quod habeat perſonalitatem humanam, ſed quod ſit ea perſona divina quæ etiam habet humanitatem ſibi conjunctam, à qua homo meritò dicitur. Tertiò certum eſt Chriſtum tanquam συνθετὸν quid à nobis conſiderari, conſtans ex duabus illis naturis, in unicam ὑπόςασιν coaleſcentibus & conjunctis, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίςως, ut quatuor illa adverbia ei myſterio explicando adhibita ſunt in in Symbolo Chalcedonenſi, ante 1100. annos. Itaque habent illæ duæ naturæ in Chriſto θεανθρώπῳ rationem extremorum componentium, adeoque & partium, ex quarum unitione totum illud perſonale exurgit; ut totum hominis naturale, exurgit ex duabus illius partibus, anima & corpore. Quamvis iſtæ partes in perſona θεανθρώπε non ſe mutuo perficiant & compleant, ut anima & corpus in homine; ſed altera, nempe ὁ λόγος, compleat & perficiat; altera, nempe caro aſſumpta, compleatur & perficiatur; ſeque habeant ut arbor integra & ſurculus qui ei inſeritur: nihil enim ſubſiſtentiæ & perfectionis entitativæ ſurculus confert arbori, ſed arbor ſurculum ſuſtentat, terminat, ac perficit. Igitur qui *ſubtiliùs iſta diſputant*, ut ait Volkelius, & negant naturas in Chriſto eſſe partes *propriè* dictas, ideſt ex earum ordine quæ vel eſſentiales vel integrales in Scholis Philoſophicis appellantur, quâ cautione utuntur ne in Eutychianiſmum incidant, aut totum aliquod naturale vel quantitativum ex illis videantur conflare, agnoſcunt tamen in Chriſto θεανθρώπῳ aliquam compoſitionem, quam appellant, *non ex his, vel cum his, ſed hujus ad hoc*, ideſt hujus naturæ ad hoc ſuppoſitum, & cujus reſpectu ipſæ naturæ extremorum componentium induunt rationem. Quartò ſicut homo ex duabus illis naturis compoſitus, modò *animæ*, modò *corporis* nomine, per Synecdochem exprimitur, & ab anima rationali dicitur eſſe intelligens, ſapiens, Philoſophus, à corpore viſibilis, mortalis, obeſus, macer, licet in directo non poſſit anima aut corpus *de ſuo toto prædicari*, ut dicatur, homo eſt anima, homo eſt corpus; ſic Chriſtus θεάνθρωπος, modò exprimitur Dei nomine, modò hominis; modò à Divinitate omnipotens, omnipræſens, omniſcius, modò ab humanitate, viſibilis, mortalis, patiens, ſepultus &c. dicitur. Et quamvis neutra harum naturarum, in abſtracto de Chriſto queat prædicari, ut dicatur, Chriſtus eſt humanitas, aut eſt Divinitas; id tamen non obſtat quominus in concreto verum ſit dicere Chriſtum tam eſſe hominem, quam eſſe Deum; prout in concreto verum eſt dicere, Petrum eſſe hominem, eſſe mortalem, eſſe riſibilem, rationalem &c. licet, humanitas, mortalitas, ratio, riſibilitas &c. de ipſo in abſtracto ac directè prædicari non poſſit.

Hanc porrò ſententiæ iſtius vanitatem, hoc quoque argumento convincendam duximus, quòd duarum ſubſtantiarum, qualitatum ratione contrariarum,

Digitized by Google

riarum, nequaquam utraque de uno eodemque ſuppoſito, & quidem directè, ſeu, ut in Scholis loquuntur, in quid prædicari poteſt. Tales autem ſunt Deus & homo: cum ille ſit æternus, immutabilis, ac immortalis: hic verò principium habens, mutationi mortique obnoxius. Tantum quippè abeſt, ut in idem poſſint coire individuum, ut uno poſito, neceſſariò removeatur alterum: niſi ſimili ratione rem aliquam & ignem & aquam eſſe volumus.

‡ *Hanc porrò ſententiæ*] Reſpondeo primùm in hoc argumento peccari ignoratione Elenchi, ac ſi ſtatueremus de *uno eodemque* Chriſto *& quidem directè, ſeu, ut in Scholis loquuntur, in quid*, utramque naturam poſſe prædicari; Nec enim ſumus tam bardi, ut ad quæſtionem quâ quæreretur, Quid eſt Chriſtus, ſtatuamus poſſe reſponderi, Eſt humanitas, vel eſt divinitas; cùm ne quidem quærenti Quid eſt Petrus, reſponderi poſſit, Eſt humanitas, vel Apoſtolatus, ſed eſt homo, aut Apoſtolus. Secundò duas ſubſtantias qualitatum ratione contrarias, cujuſmodi ſunt anima & corpus, poſſe uni eidemq; ſubjecto & ſuppoſito convenire, liquet hominis exemplo, ſicque illas qualitates contrarias de illo eodem ſubjecto enunciari & affirmari; ut cùm dico homo eſt intelligens, item, homo eſt extenſus & viſibilis: quamvis non ſit extenſus quà intelligens, nec intelligat quà extenſus, ſed intelligat per animam, extendatur in longum, latum ac profundum per corpus. Tertiò in minore ſui argumenti proponenda, Volkelius abludit à ſcopo Controverſiæ, dum fingit Deum & hominem reſpectu Chriſti eſſe duas ſubſtantias qualitatum ratione contrarias, cum utrumque Dei & hominis nomen, Chriſto tributum in concreto, unum idemque connotet ſuppoſitum, quod utriuſque naturæ reſpectu θεάνθρωπος uno verbo dici debet. Hoc ſenſu ei qui homo eſt, convenit eſſe æterno, immutabili ac immortali, reſpectu ſuæ Divinitatis; & ei qui Deus eſt, convenit per & propter ſuam humanitatem fuiſſe mortali & patibili, adeoque redemiſſe ſuam Eccleſiam proprio ſuo ſanguine Act. xx, 28. Fatemur quidem humanitatem & Divinitatem eſſe diſparata, &, ſi placet ita loqui, eſſe duas diſtinctas ſubſtantias, *qualitatum ratione* contrarias: quamvis propriè loquendo Divinitatis nullæ ſint qualitates, ſed bona ſit ſine qualitate, & magna ſine quantitate, ut aliquando loquitur Auguſtinus: Sed diſparata non ſunt Deus & homo in perſona Chriſti: cum utrumque nomen eidem perſonæ in concreto conveniat. Sic diſparata ſunt anima rationalis & corpus, ſed rationalem eſſe & corporeum in homine non ſunt diſparata, cum utrumque ipſi conveniat. Igitur Divinitas & humanitas, etſi eouſque diſparata ſint, ut una altera nequeat eſſe aut dici, & poſitio unius hoc ſenſu, ſit negatio alterius; poſſunt nihilominus coire, non in eandem individuam naturam, ſed in eandem individuam perſonam, quæ ideo θεάνθρωπος, & Deus ac homo ſimul, jure cenſeatur: Quemadmodum ſpiritus & corpus ita ſunt diſparata, ut unius affirmatio ſit negatio alterius: nam neque ſpiritus poteſt eſſe corpus, nec corpus ſpiritus, quod etiam diſertè docet Chriſtus Luc. xxiv, 39 attamen poſſunt eo uſque coire ſpiritus & corpus in unum ſuppoſitum & ſubjectum, ut de illo ſubjecto poſſint affirmari, tam quæ ſunt ſpiritus,

Digitized by Google

ut cogitare, intelligere, velle, meditari, quam quæ ſunt corporis, ut tangi, videri, ſpatium ſibi circumſcriptum occupare &c. Quare ut poſito in homine tangere & tangi, qnod eſt ſolius corporis, non ſtatim removetur cogitare & intelligere, quod eſt ſolius mentis & ſpiritus; quoniam illæ duæ naturæ ſeparatæ, in unum ſubjectum amicè coeunt, licet corpus de ſpiritu affirmari, aut viceverſâ ſpiritus de corpore, nequeat; Sic ſuppoſitâ in Chriſto duarum naturarum unione, attributa utriuſque naturæ poſſunt de illo prædicari, ita ut mortalem & immortalem eſſe ſimul, licet diverſo reſpectu, ei convenerit: Et ipſa ratio dictat quod ubi duæ diſtinctæ formæ, ſive ſubſtantiales ſive accidentariæ eidem ſubjecto conveniunt, ut v. g. lacti albedo & dulcedo, utraque poteſt de ſubjecto in concreto affirmari; ut verum eſt dicere de lacte quod ſit album & quod ſit dulce, quamvis dulcedo & albedo totâ ſuâ naturâ differant: neque poſſint de ſe invicem in abſtracto prædicari; quia non, poteſt dici, albedo eſt dulcedo aut viceverſa; ſed lactis reſpectu poteſt dici album eſſe dulce & dulce album.

Ex ſcriptura etiam iſtam opinionem probari non poſſe, duobus modis patet. Primò, quòd in ea nuſpiam extet. Tametſi enim argumenta
457 negantia à teſtimoniis ducta non ſemper valent; ſi tamen & Spiritus ſancti conſuetudinem, & ejus, de qua agimus, rei rationem ſpectes, plurimum hîc valere comperies. Spiritus enim ſanctus res illas, quas humanæ mentis intelligentia propter earum difficultatem comprehendere nequit, ſtudioſiſſimè, idque diſertiſſimis verbis, inculcare ſolet, præſertim ſi ad ſalutem ſempiternam ſcitu ſint prorſus neceſſariæ. Ex quibus cum ſit mundi creatio, rerum humanarum procuratio, mortuorum reſurrectio; ideò & ſæpiſſimè, & clariſſimis verbis, iſta à divinis ſcriptoribus commemorantur. Quod cum de duarum in Chriſto naturarum copulatione, quam omnem humani ingenii captum longiſſimè ſuperare, & nihilominus ad ſalutem ſcitu neceſſariam omninò eſſe, adverſarii contendunt, nequaquam fieri videamus, parùmne liquet, eam ſententiam à veritate alienam eſſe?

† *Ex ſcriptura etiam*] Concedimus quod in dogmaticis procedant optimè *argumenta negantia à teſtimoniis Scripturæ*: Sed doctrinam *de duarum in Chriſto naturarum conjunctione*, *nuſpiam* extare in Scripturis, falsò dicitur; cùm è contrario æquè frequenter inculcetur à Spiritu Sancto, ut patebit inferiùs ex locis quæ adverſus Hæretici ſtrophas vindicabimus, ac *mundi creatio, rerum humanarum procuratio, mortuorum reſurrectio*; quibus etiam tribus articulis, licet exprimantur & inculcentur *ſtudioſiſſimè idque diſertiſſimis verbis*, tenebras ſuas offundunt Hæretici iſti, non minus quam huic: Nam circa primum negant cum Hermogene & aliis materiariis omnia *ex nihilo* eſſe facta, & pertendunt Angelos præextitiſſe principio Moſaico, quod tamen ceu temporis & omnium rerum proponitur. Circa ſecundum, præſcientiæ Divinæ ſubducunt futura contin-

tin-

Digitized by Google

tingentia, Deo tribuunt decreta conditionata & dubii eventus, atque arbitrii humani independentiam à Deo propugnant. Circa tertium, nihil minus credunt quam reſurrectionem mortuorum, quibus abrogant eadem corpora quæ olim ceciderint, & ex reſurrectione corporum, faciunt meram ſubſtitutionem corporum novorum prioribus quæ geſtaverimus in terris, ab illis non modò numero ſed etiam totâ ſpecie & naturâ differentium: & privilegium imaginariæ illius reſurrectionis, quam *carnis* fore negant contra expreſſum Symbolum Apoſtolorum, ſic reſtringunt ad ſolos bonos, ut malos & injuſtos reſurrecturos abſolutè negent. Quod ſi potuerunt Adverſarii, eo uſque cœcutire in hiſce tribus articulis, ut-ut *ſtudioſiſſimè* & apertiſſimè inculcatis in Scriptura, quid mirum ſi ſcotomate perculſi, juſto Dei judicio, non videant in libris ſacris hanc doctrinam de duabus naturis in Chriſto hypoſtaticè conjunctis, licet radio Solis ibi ſit deſcripta & eam ſemper Eccleſia Chriſtiana à tempore Apoſtolorum unanimiter agnoverit?

Quod quò appareat evidentiùs, animadvertendum eſt, adverſarios noſtros, duarum in Chriſto naturarum conjunctionem ita effectam eſſe arbitrari, ut Divina humanam in ipſa Chriſti conceptione aſſumſerit. Quòd ſi cum vero congruit, neceſſe eſt, ut ampliſſimam ſacris Autoribus, qui Chriſti nativitatem explicandam ſuſceperant, occaſionem præbuerit, ſui diligenter excutiendi, inque omnium oculis ponendi. Hoc autem contrà factum fuiſſe argumento eſt, quòd Lucas & Matthæus ex profeſſo de Chriſti tum conceptione, tum nativitate ſcribentes, nullam planè hujus rei mentionem faciunt: cum interim alia ſat diligenter exponant, quæ non modò ſine ſalutis jactura ignorari poſſunt, ſed etiam reſpectu incarnationis iſtius, quam vocant, admodum levia cenſeri debent. At verò divinos illos ſcriptores, aut in re tanta parùm fideles, parumque diligentes in officio fuiſſe, aut nobis tantum ſalutis myſterium invidiſſe, quis audeat dicere?

1 *Quod quò appareat*] Primùm non ideo debuerunt Matthæus & Lucas de unione hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum meminiſſe in hiſtoria conceptionis & nativitatis Chriſti, quod iſta unio, per quam λόγος *caro factus* eſt Joh. 1, 14 & *Deus manifeſtatus in carne* 1. Tim. III, 16. proceſſerit ab ipſo conceptionis initio. Cùm enim ſibi propoſuerint duntaxat conceptionem & nativitatem Chriſti quà hominis & ſecundum carnem enarrare, adeoque genealogiam illius humanam deſcribere, non erat neceſſe eò loci agere de Divinitate ipſius & naturarum hypoſtatica unione, aut generatione divina. Secundò, falſiſſimum eſt Matthæum & Lucam nullam planè hujus rei mentionem facere.; Nam Matthæus cap. 1, 21. 22. 23. non ſolum in nomine *Ieſu* quod Angelus aſſignat Chriſto ex Maria naſcituro, & in eo quod *populum ſuum* eſſet liberaturus à ſuis peccatis, nobis proponit concipiendam Chriſti Divinitatem; cùm neque

id nominis eo ſenſu poſſit meræ Creaturæ tribui, neque id beneficii ab eo qui naturâ Deus non ſit obtineri; Sed etiam unionem hypoſtaticam graphicè deſcribit, dum nixus Prophetico teſtimonio docet Chriſtum naſciturum ex virgine, verum *Emmanuel* futurum, ideſt *nobiſcum Deum*, quod fieri non potuit niſi Deo naturæ noſtræ in ipſius perſona intimè conjuncto. Id notavit quoque Remigius *in catena* Thomæ; *Hoc nomine duæ ſubſtantiæ, divinitatis ſcilicet & humanitatis, in una perſona* Domini *noſtri Ieſu Chriſti deſignantur; quod qui ante omnia ſæcula ineffabiliter genitus eſt à Deo Patre, idem ipſe in fine temporum factus eſt Emmanuel, ideſt nobiſcum Deus ex virgine matre.* Quid quod Matt. 11,2 11. Chriſti pueri recens nati Divinitas vera adſtruitur ex illa ejus adoratione, quam ei exhibitum venerant & de facto exhibuerunt Magi ex Oriente: cùm talis adorationis cultus uni & ſoli Deo debeatur, juxta ipſiusmet Chriſti effatum Matt. IV, 10. Sic & apud Lucam non uno modo in hiſtoria conceptionis & nativitatis Chriſti, vera ejus Divinitas unà adſtruitur: Nam Luc. 1, 35. non tantum modus conceptionis, ſed etiam in illa incarnationis τῦ λόγυ graphicè proponitur, quâ factum, ut quod ex B. Virgine naſciturum erat *Sanctum*, vocari debuit, ideſt agnoſci, *Filius Dei*: Sic Luc. 1, 76. Johannes ejus πρόδρομος deſignatus, dicitur eo ipſo præiturus *ante faciem Domini*, & vocandus *Propheta Altiſſimi*: Sic Luc. 11, 11. dicitur eo die natus fuiſſe *Servator, qui eſt Chriſtus Dominus*; quod elogium utrobique reſpondet nomini *Iehovæ*, quod incommunicabile eſt meræ creaturæ. Plura poſſent proferri iſtius generis; Sed hæc paucula ſufficiunt convincendo Volkelio, impudenter aſſerenti, nihil apud Lucam, nihil apud Matthæum, *ex profeſſo de Chriſti tum conceptione tum nativitate ſcribentes*, de hoc incarnationis myſterio reperiri poſſe: Nam conſulto tranſimus aliam iſtius hominis blaſphemiam, quâ aſſerit multa illos *ſat diligenter* expoſuiſſe, quæ tamen *ſine ſalutis jactura ignorari poſſunt*; adeoque de Scriptoribus ſacris, id poſſe dici, *Non amo nimium diligentes*; ac ſi in ſuperfluis valde diffuſi & pluſquam opus eſſet, in neceſſariis verò ſteriles & breves admodum fuerint.

Apoſtoli quoque, ut in eorum Actis videmus, quamvis in hoc toti eſſent, ut ſummam Jeſu Chriſti dignitatem atque præſtantiam orationibus ſuis explicarent: altiſſimo tamen incarnationem iſtam ſilentio ſuppreſſerunt, nihilque aliud hominibus de ſumma Ieſu Nazareni præſtantia ac divinitate confirmârunt, quàm Deum illum ad dexteram ſuam collocaſſe, eum Dominum ac Chriſtum, vivorumque ac mortuorum judicem feciſſe, & & ſervatorem noſtrum conſtituiſſe. (*vid. Act. capp.* 2. & 3. & 4. & 5. & 10.)

‡ *Apoſtoli quoque*] Imò vero Apoſtoli non uno loco Divinitatem Chriſti adſtruunt, adeoque duas in ipſo naturas luculenter propugnant. Sic Petrus hæc Davidis verba de ipſo citat, *Dixit Dominus Domino meo* &c. Act. 11, 34. Nequivit autem Filius Davidis ſecundum carnem Act. 11, 30. eſſe unà illius Dominus, quin Deus eſſet; cùm David rex optimo jure, ſoli Deo ſubeſſe potuerit. Sic idem

idem Apoſtolus, id quod Jehova facturus dicebatur apud Joelem, *Effundam ex ſpiritu meo* &c. à Chriſto factum fuiſſe aſſerit Act. II, 17. 33. Sic idem Apoſtolus Act. III, 13. 15. 16. Chriſtum vocat *Filium* Dei, & *Principem vitæ*, ac profitetur *per fidem in nomine ipſius*, claudum illum ſanatum fuiſſe. Sic Act. IV, 12. ſtatuit non eſſe *ſalutem in quoquam alio, nec aliud nomen datum ſub cœlo per quod oporteat nos ſervari*: Quæ ſanè elogia in meram creaturam cadere non poſſunt. Sic Act. V, 31. illi idem Petrus tribuit quod *det reſipiſcentiam Iſraeli & remiſſionem peccatorum*, quorum utrumque ſolius eſſe Dei eſt certiſſimum. Sic Act. VII, 59. 60. Stephanus eum religioſe invocat iis verbis quæ ad ſolum Deum dirigi poſſunt; *Domine Ieſu recipe Spiritum meum*; item, *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*; Quorum utrumque ab ipſo Chriſto in cruce ad Patrem uſurpatum Luc. XXIII, 34. 46. Stephanus ad Chriſtum ipſum non direxiſſet, niſi eum ut Patri coæternum & coeſſentialem ſuſpexiſſet. Nec dubium quin Philippus Æthiopem probè erudiverit de duabus in Chriſto naturis, à quo illud egregium *Credo* elicuit quod extat Act. VIII, 36. Sic Act. IX, 5. 6. 10. 11. 13. 15. *Dominus* abſolutè appellatur, eo nomine quod correſpondet in Novo Teſtamento nomini quadrilitero *Iehovæ*, & *omnium Dominus* nuncupatur à Petro Act. X, 36. Hæc deſumpta ex iis ipſis Actorum capitibus quorum nonnulla citat Volkelius in rem ſuam oſtendunt quam falſo nitatur fundamento. Quamvis mirum non ſit Apoſtolos, de incarnationis myſterio, in primis illis ſuis apud Judæos concionibus, ad *Ieſu Chriſti dignitatem atque præſtantiam* explicandam deſtinatis, non multa dixiſſe: cùm ejus reſurrectionem & aſcenſionem glorioſam in cœlos, ſuo teſtimonio confirmantes, ſufficienter comprobarent, eum eſſe verum Meſſiam per Prophetas prædictum & promiſſum, adeoque verum θεάνθρωπον, Deum & hominem in una perſona: Talem enim futurum fuiſſe Meſſiam jam præſupponebatur, & pleriſque in veteri Synagoga erat perſuaſum; Quod ex priſcorum Rabbinorum monumentis, plerique Chriſtiani eruditi demonſtrarunt, & nominatim, poſt Raymundum, Galatinum, Samuelem Marrochianum, illuſtris Pleſſæus *in parænesi ad Iudæos cap. 3.* Imo illa ipſa quæ hîc notat Volkelius ab Apoſtolis dicta de Chriſto fuiſſe in ſuis Actis, adſtruendæ ejus Divinitati multum inſerviunt: Cùm ad Patris dexteram collocari, Dominus ac Chriſtus, vivorumque ac mortuorum judex fieri & Servator noſter conſtitui, Act. II, 33. 34. 35. 36. III, 13. IV, 12. V, 31. X, 42. nemo potuerit, niſi Filius Dei æternus, naturâ & dignitate ſupra omnes Angelos collocatus. Nec potuerunt Apoſtoli *de ſumma Ieſu Nazareni præſtantia ac divinitate* ut hic loquitur Volkelius, quippiam contiri maſſe, quin hoc ipſum Myſterium inſinuarent; *Is* enim cui *ſumma* & *præſtantia* & *Divinitas* competit, ſuperius ſe naturâ Numen non poteſt agnoſcere. Ut hæc vox veritatis efficaciâ & fidiculis Volkelio aliud agenti & cogitanti extorta videatur. Nec repugnat ſummæ illi Divinitati Filii incarnati, ordinatio ejus ad munus Mediatorium, cùm potius hæc illam ſupponat neceſſariò. Nec etiam ſumma ex altatio humanę naturę in ipſius perſona comprobat illam factitiam Divinitatem, quam potiſſimum ex Act. II, 36. colligunt Adverſarii. Nam factus dicitur à Deo Patre *Dominus* & Chriſtus, non *Deus*; & hoc quod dicitur de Chriſto reſpectu ſuæ humanitatis, & in quantum hic homo qui & quà fuit crucifixus & mortuus, eò dignitatis nihilominus eſt dexterâ Dei evectus, conſequenter ad unionem hypoſtaticam & vi illius, non tam deſtruit, quam ſuppo-

Digitized by Google

nit in ipſo alterius naturæ, nempe Divinæ, veritatem. Ne dicam quod factum eſſe Dominum & Chriſtum, nihil ſit aliud, quam talem ſolemniter declaratum & renunciatum eſſe: Nam Jeſum, & Chriſtum & Dominum fuiſſe jam ante ſuam reſurrectionem & ſeſſionem ad dextram Dei, & ſub ipſa exinanitione & cruce, nullus Chriſtianus ibit inficias. Sed ſui reſurrectione & exaltatione dicitur factus fuiſſe Chriſtus & Dominus, quod tunc talis ſolemniter promulgatus fuerit, & talem eum eſſe publicè & palam innotuerit. Sic enim David Semei parciturus 2 Sam. XIX, 23. dicebat Abiſai, Paraphraſte Caſtalione; *Quaſi vero neſciam me hodierno die regem Iſraelitarum fieri?* quod tum ſolemni ſuâ reſtitutione poſt tam triſtem fugam coram Abſalomo, videretur quaſi de novo thronum Iſraeliticum indipiſci: Aliàſque notum eſt ſæpè verba activa in Scripturis non tam *effectivè*, quam *declarativè* eſſe ſumenda: Vide loca Gen. XIX, 12. & Pſal. II, 7. coll. cum Act. XIII, 33. Heb. V, 5.

Quid verò Paulum commemorem, qui in omnibus ſuis de Chriſto, deque admirabili Dei charitate, per ipſum humano generi teſtata atque exhibita, concionibus, (*vid. Act.* 13. *&* 17. *&* 26.) nihil planè dicit de Deo ſalutis noſtræ cauſâ homine facto. Quod quidem ſi, ut adverſarii plenis buccis vociferantur, maximum Dei erga humanum genus amoris indicium eſt, nequaquam à Paulo tanto tamque fideli Chriſti ſervo prætermitti debuit.
458. Huc accedit, quòd idem Paulus, (*Act.* 17. 22, 23. *&c.*) cùm Athenienſibus ignotum Deum annunciaret, ſatis idoneam habuit occaſionem docendi, eum non alium eſſe, præter Ieſum Chriſtum cœli terræque & omnium rerum conditorem, qui humanam naturam aſſumſerit, ſubque ea, dum de hominum ſalute laborat, deliteſcere voluerit, & eam ob rem quodammodo ignotus ſit ac fuerit. Verùm non ſolùm nullum ea de re verbum facit, ſed inſuper Chriſtum, quem ibidem inferiùs virum appellat, (*Ibid.* ℣ 31.) quemque à mortuis excitatum, mundi judicem conſtitutum eſſe teſtificatur, ab illo Deo, omnium rerum conditore, qui ipſum à mortuis excitavit, & judicem conſtituit, apertiſſimè diſtinguit. Et hæc quidem prima cauſa eſt, cur meritò ſtatuamus, conjunctionem iſtam duarum in Chriſto naturarum à divinis autoribus planè ignorari.

‡ *Quid verò Paulum*] Sed nec ubique omnia debuit Paulus dixiſſe, & captui ſuorum Auditorum ſe accommodando, à facilioribus debuit incœpiſſe; nec etiam penitùs tacuit de hoc Myſterio in illis ſuis ſermonibus, qui recitantur in Actis, licet illud uberiùs hinc inde in ſuis Epiſtolis explicaverit. Act. XIII, 17. & ſeqq. ſic agit apud Judæos Antiochenos de morte & reſurrectione Chriſti, *è ſemine Davidis ſecundum promiſſionem* excitati com. 23. ut ſimul eum commendet ceu *Filium Dei* ſpeciali modo ab ipſo genitum com. 33. Et Act. XIV, 15. Lycaonios (quos utique traducere intendebat ad fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti,) monebat ut ſe converterent *ad Deum vivum qui fecit cœlum & terram & mare*

mare & omnia quæ in eis ſunt. Et Act. XVI. ut Pythonis ſpiritum ejiciebat *per nomen Chriſti* com. 18. id eſt, virtute divinâ ipſius, ſic Philippenſium commentarienſi de ſua ſalute ſolicito, id ſolum ſuadebat ad ſalutem com 31. *Crede in Dominum Ieſum Chriſtum & ſervaberis tu & domus tua.* Nequivit autem exigere fidem in Chriſtum, quin eum naturâ Deum hoc ipſo ſtatueret, ex regula Prophetæ Jer. XVII, 5. Neque Act. XVII, 18. *peregrinorum Deorum* annunciator fuiſſet exiſtimatus à Philoſophis Athenienſibus, quod *Ieſum & reſurrectionem* annunciaret, niſi unà adſtruxiſſet Divinitatem Ieſu Chriſti, ceu *ignoti* illius Dei apud ipſos, cujus fit mentio com. 23. Nec enim iſtis Philoſophis unius Dei Creatoris mentio fuiſſet penitùs peregrina, cùm illis cohabitarent Judæi, qui Idolorum cultum rejiciebant, & unicum Creatorem ſe publicè colere profitebantur. Neque ideo merum hominem Chriſtum fecit, quod com. 31. *eum virum* illum eſſe dixerit, per quem Deus definivit orbem judicare, *fide ejus rei palàm facta omnibus, illo ex mortuis ſuſcitato*; Nam poſitio unius naturæ in Chriſto, non eſt negatio alterius: & prudentiæ erat Apoſtolicæ apud iſtos Philoſophos prius factum ipſum proponere, quam de rei jure & modo altiùs diſſerere. Sed Act. XIX, 5. disertè docet Joannem baptiſaſſe *in nomen Domini Ieſu*, cùm tamen ille baptiſarit in nomen unius Dei: & Act. XX, 28. duas in illo naturas apertè proponit, cùm mandat Epiſcopis Epheſiis ut ritè paſcant *Eccleſiam Dei quam ſuo proprio ſanguine acquiſivit*: Nam & Deum illum appellat, idque non prædicativè tantum ſed ſubjectivè, quomodo volunt Sociniani id nomen de ſolo vero & ſummo Deo poſſe intelligi, & nihilominus proprii ſui ſanguinis pretio redemptam eſſe Eccleſiam aſſerit: Nec dubium quin ille Deus ſit Chriſtus, cùm & Syrus interpres, hic nomen Chriſti expreſſerit. Denique Act. XXVI, 2. & ſeqq. apud Regem Agrippam ita Jeſum probat eſſe Meſſiam promiſſum, qui com. 23. paſſurus erat & reſurrecturus quà homo, ut ejus Divinitatem luculenter adſtruat com. 8.

Quod quidem ſi, ut] At verò nullo locorum quæ hìc citat Volkelius, Apoſtolus ex profeſſo diſſerit *de admirabili Dei charitate* in miſſione Chriſti ejus-ve traditione pro nobis: Sed ubi hanc ipſam charitatem ex profeſſo celebrat & commendat, tum planiùs hoc Myſterium incarnationis pandit, ut Rom. I, 3. 4. VIII 3. 32. IX, 5. Phil. II, 6. 7. Col. I, 17. 18. II, 9. I. Tim. III, 15. Heb. II, 9. 16. & ſexcentis aliis locis.

Huc accedit quod] Atqui de hoc jam diximus, & oſtendimus revera Paulum Divinitatem Chriſti ceu Dei apud Athenienſes huc uſque ignoti, propoſuiſſe hoc loco; ſic tamen ut expreſſiùs voluerit Philoſophos de illius quà hominis reſurrectione edocere, & ita viam ſibi ſternere ad ejus dignitatem & Divinitatem meliùs exponendam. Quid quod non potuit eum *Iudicem* totius orbis conſtitutum aſſerere, quin eo ipſo ejus Divinitatem adſtrueret, cùm mera Creatura hoc officio defungi nequeat? Dicere itaque *conjunctionem iſtam duarum in Chriſto naturarum à divinis autoribus plane ignorari*, eſt dicere eos id neſciviſſe quod tam clarè, tot in locis ſacræ Scripturæ tradiderunt Eccleſiæ.

Deinde ea de cauſa ſententia iſta ſanctarum literarum teſtimoniis comprobari minimè poteſt, quòd illis apertè repugnet. Nam & ſolum Deum Patrem

Digitized by Google

trem naturâ Deum eſſe, ſuprà (*ſup. cap.* 9.) divinis oraculis demonſtravimus; & Chriſti divinitas ſublimitaſque nuſpiam à ſanctis autoribus, ut divina quædam ſubſtantia, ſed ut maximum Dei Patris beneficium, quo Chriſtum hominem ornaverit, conſideranda proponitur. Quid enim eſt nomen illud ſupra omne nomen Chriſto donatum (*Phil.* 2: 9. *& ſeqq.*) aliud, quàm ipſius divinitas? Patet id ex eo, quòd propter illud nomen ei divinus exhiberi debeat honor, omniumque & cœleſtium & terreſtrium, & inferorum genua flecti. At divinus honor nemini niſi propter divinitatem præſtari debet.

‡ *Deinde ea de cauſa*] Verùm ſuo loco docuimus & res ipſa per ſe loquitur, longè aliud eſſe dicere quod habet Scriptura, Patrem eſſe ſolum verum Deum Joh. XVII, 3. & quod iſti fingunt ſolum Patrem eſſe verum Deum: Ibi enim Patri adſcribitur ea ſola & vera Divinitas quæ eſt unius ſupremi Numinis; at non hæc Divinitas ſoli Patri vendicatur ad excluſionem Filii & Spiritus Sancti; cùm è contrario in illius veræ & ſupremæ divinitatis participio Filius Patri jungatur loco citato. Nec etiam ea *Divinitas ſublimitaſque* quæ Chriſto tribuitur, in Scripturis, Adverſario fatente, alia poteſt concipi quam eſſentialis; cùm poteſtas meræ beneficiariæ & collatitiæ divinitatis, cujuſmodi forte eſt Angelorum & Magiſtratuum in communi, licet eorum nemo in particulari unquam Deus vocetur, ut ſæpè Chriſto ſingulariter & ſubjectivè & attributivè id nominis tribuitur, nequeat in eum cadere qui abſolute eſt ſupra omnes & Angelos & Reges, cui omni genu debet flecti, quique eſt Deus ſuper omnia benedictus Rom, IX, 5. ac verus Deus & vita æterna 1. Joh. V, 20.

Quid enim eſt nomen] Præterea quod hic locus Phil. II, 6. 7. 8. 9. 10. apertè & graphicè duas in Chriſto naturas adſtruit, *formam Dei* priùs, & tum *formam ſervi* aſſumptam ei tribuens, falſum eſt hoc *nomen Chriſto donatum*, illius Divinitatem eſſe, licet eam præſupponat. Denotat enim gloriam, authoritatem, celebritatem, cultum religioſum, quem Pater Chriſto θεανθρώπῳ, & jam ante manifeſtato in carne, conciliavit poſt ſuam exinanitionem, ei reſtituendo gloriam quã apud ipſum habuerat priuſquã mundus factus eſſet Joh XV, 1, 5 evectâq; ipſius carne, in qua tam contemptibilis prius apparuerat, ad participium ejuſdem majeſtatis & gloriæ. Quare ut largimur Adverſario, hîc agi de divino honore Chriſto exhibendo, & quod *divinus honor niſi propter Divinitatem præſtari debeat*, ſic negamus hanc Chriſti Divinitatem eſſe dativam; quia eo honore, qui in ejus Divinitate fundatur, donatus eſt à Patre quà θεάνθρωπος & conſequenter ad ejus exinanitionem, per quam occultatâ ſua Divinitate æternâ ſub carnis noſtræ velo ſe, ut Patri obediret & ſalutem noſtram conficeret, omnium contemptui & ludibrio expoſuerat. Igitur hoc Adverſarii argumentum in illius crura facilè recidit. Etenim ut *divinus honor nemini niſi propter divinitatem præſtari debet*, ſic cùm nefas ſit iis ſervire qui naturâ dii non ſunt Gal. IV, 10. à divino honore Chriſto debito & exhibendo, vera æternaque ejus Divinitas meritò colligitur; licet ille honos ſequatur ejus exaltatio-

tationem quà θεάνθρωπε, ipſiuſque quà λόγε reſtitutionem ei gloriæ, quam ad tempus quadantenus depoſuerat, noſtræ carnis & formæ ſerui aſſumptione.

Præterea duarum iſtarum naturarum in Chriſto conjunctio ſupervacanea prorſus ac inutilis eſt: quandoquidem nec diuina Chriſti natura, quam iſti ſecundam divinitatis perſonam nominant, quicquam ab humana natura utilitatis percipit; nec viciſſim humana, ulla in re, divinæ naturæ ope auxilioque fruitur. Ac illud quidem maniteſtiſſimum eſt: cum ſummo illi Deo nihil quicquam ab homine dari poſſit; niſi fortè per iſtam, quam vocant, hypoſtaticam unionem, veram quandam humanarum qualitatum communicationem illi obtigiſſe volumus, & ſic inſignem conſtantiſſimæ naturæ Dei mutationem, illatam eſſe credimus: quod quàm ſit abſurdum, nemo non videt. Hoc verò alterum eam ob cauſam veriſſimum eſt, quòd Chriſtus omnia à Patre ſeſe accepiſſe aſſerit: (*Matt.* 11, 17. *Joh.* 3. 35: 17, 2. 6. 7. 8, *& d.*) qui Pater non ſecunda, ſed prima, ut iſti volunt, Trinitatis perſona eſt: à filio ſanè diverſam eſſe perſonam neceſſe eſt.

‡ *Præterea iſtarum duarum*] Hoc dilemma procedit à non cauſa ut cauſa: Nec enim ideo Chriſtus eſt incarnatus, ut aliquid vel Divinitati humanitas conferret, vel humanitati Divinitas, ſed ut eſſet Mediator idoneus inter Deum & homines, atque eos inter ſe reconciliare poſſet. Adhæc, eadem quâ Adverſarius hîc utitur ratione, poſſet impugnari in homine unio duarum naturarum, ſpiritualis & corporeæ; cùm nec quicquam perfectionis naturæ corporeæ in genere, mens conferat, nec menti corpus: nihilominus tamen uniri & conjungi debent ad conſtitutionem & perfectionem animalis rationalis, ſive hominis. Præterea licet nihil utilitatis ſubjectivæ & ſui reſpectu conſequatur perſona λόγε *ab humana natura* quam aſſumpſit, eam tamen debuit aſſumere ceu adjunctum ſibi neceſſarium ad conficiendum opus noſtræ redemptionis; quod peragendum ſuſceperat. & vice verſâ debuit uniri natura humana perſonæ τε λόγε ad hoc opus, & per eam unionem conſequi dotes neceſſarias ad illud peragendum; quò potiſſimum paſſionibus ſuis in humanitate ſuſtinendis infinitum pretium accederet, non aliunde æſtimandum, quam ex eo quod *Deus redemit Eccleſiam ſuam proprio ſuo ſanguine* Act. xx, 28. Nequivit Deus mori pro hominibus, niſi unà eſſet homo; *Homo qui debuit, homo qui ſoluit*, inquit Bernardus: Nequivit etiam homo vincere mortem, eamque per glorioſam reſurrectionem ſuperare, erigendo intra triduum templum corporis ſui, ſubrutum à ſuis crucifixoribus, niſi unà eſſet Deus ſuper omnia benedictus Rom. ix, 5. Uno verbo, nequivit eſſe *Mediator Dei & hominum* 1. Tim. II, 5. quin eſſet inter diſſidentes medium participationis extremorum, inſtar ſcalæ Jacobi; & ſublimitate Divinitatis cœlos attingeret, ac humanitatis infirmitate terram

terræ quadantenus adreperet. Neque dubito quin arca fœderis, quæ nobis proponitur tanquam typus & figura Chriſti Apoc.xi,19. in eo quoque ipſum adumbraverit, quod ex duabus diſtinctis naturis conſtiterit, ligno ſcilicet & auro. Adeantur ex veteribus Anſelmus in ſuo opere *Cur Deus homo*, & Jobii *Commentarii de verbo incarnato*, quorum *Eclogas* exhibet Photius *Bibliothecæ* ſuæ N. 222. Porrò licet Chriſtus profiteatur ſe *omnia accepiſſe à Patre*, locis hîc citatis Matt. xi,27. Joh. iii,35. xvii, 2. 6 7. 8, & ſeq. per id nihil decedit noſtræ cauſæ: Nam primò non repugnat refundi in Patrem, ceu primam perſonam Trinitatis, & fontem ac originem aliarum duarum, chariſmata omnia humanitati Chriſti collata conſequenter ad unionem hypoſtaticam illius cum perſona λόγου: eo quod hæc perſona λόγου, ſive ſecunda Trinitatis, quæ ſibi uniendo naturam humanam ei communicavit quicquid neceſſarium erat ad eum finem in quem aſſumebatur, eſt etiam à Patre, & ſic ipſam Divinitatem ſuam habet ſibi ab eo communicatam per generationem æternam, ut ipſe & Pater unum ſint Joh. x, 30. Deinde non faciunt ad mentem Adverſarii loca quæ citat: Nam quod Matt. xi, 27. *omnia* ſibi *à Patre tradita* profitetur Chriſtus, & Joh. iii, 35. *omnia* ſibi *in manum data* ab eo, & Joh. xvii. 2. ſibi *datam* ab eo *auctoritatem in omnem carnem*, & datos electos eſſe redimendos, ſpectat partim perſonæ ſuæ dignitatem, maximè Divinitatis reſpectu, partim officium Redemptorium & Mediatorium ei quà θεανθρώπῳ commiſſum; non dotes humanitati collatas à λόγῳ per unionem hypoſtaticam. Sed ita moris eſt Socinianis opponere quæ debent componi, & ex poſitione unius eorum quæ vario reſpectu conveniunt Chriſto, alterius rejectionem ac remotionem vitioſè concludere. Quid enim abſurdius quam inde negare quicquam acceſſiſſe humanitati Chriſti ex unione hypoſtatica cum τῷ λόγῳ, quod ſoleat Chriſtus Patri adſcribere quicquid ipſi competit poteſtatis, & authoritatis, vel reſpectu ſuæ perſonæ Theologicè conſideratæ quà λόγος, vel reſpectu ſui officii Oeconomici quà Mediator & θεάνθρωπος? Apageſint tam delira nugamenta.

Accedit etiam illud ad falſitatem iſtius ſententiæ detegendam, quod Deus ut
ſalutem noſtram conſtitueret, nequaquam neceſſe habuit, eò uſque ſe de-
459. mittere, (id quod ne fieri quidem potuit) ut humanarum calamitatum
quodammodo particeps fieret: cum hoc longè alia facilioreque via ac ra-
tione, nimirum virtute potentiâque ſuâ perficere potuerit, ad quam exe-
rendam humanæ naturæ cum divina copulatione nequaquam fuit opus.
Nam quod vulgò creditur, ideò debuiſſe Deum humanam naturam aſſu-
mere, ut pro peccatis ſatisfacere poſſet; id infrà à nobis refutabitur. (*Inf.
cap.* 21.)

1 *Accedit etiam illud*] Valeret hoc argumentum Volkelij ſi ſervandi fuiſſemus per meram eamque abſolutam Dei potentiam: Verùm id neque potuit, neque debuit; cùm ſalus noſtra nequiverit conſtitui abſque prævia & ſufficienti ſatisfa-

Digitized by Google

tisfactione præſtanda juſtitiæ Divinæ, & noſtram ἀπολύτρωσιν atque ἱλασμὸν non potuerimus aliter vel alibi conſequi quam in ſanguine Chriſti: quod tota docet Scriptura Rom: III, 25. Eph. I, 7. I. Joh: II, 2. & alibi paſſim. Et mirum eſt cur ergo voluerit Deus Filium ſuum unigenitum mittere in mundum, eum miſeriæ, opprobriis, maledictioni & morti ſubjicere, ipſi non parcere propter nos, ei imponere caſtigationem noſtræ pacis, eum tradere propter offenſas noſtras &c. ad ſalutem noſtram conficiendam, *ſi hoc longe aliâ faciliorєque viâ ac ratione, nimirum virtute potentiâque ſuâ, perficere potuerit*: cum fruſtra fiat per plura quod æquè benè & commodè potuiſſet fieri per pauciora? O quam aliter loquitur Apoſtolus Heb: II, 10. ſcilicet decuiſſe ut ipſe per quem & propter quem ſunt omnia, multos filios ad gloriam adducendo, principem ſalutis eorum per perpeſſiones conſummaret ac conſecraret!

Nam quod vulgò] Nempe non alio fine negant iſti impii Incarnationis Myſterium, quam ne ſatisfactionem Chriſti pro nobis cogantur admittere: & hujus ac crucis Chriſti ſunt inimici, quod Phariſaico faſtu turgentes, velint ſuæ ſalutis & fortunæ fabri eſſe. Sed de eo agemus plenius ſuo loco, quò nos remittit Volkelius.

Hinc ergo patet, vanam eſſe diſtinctionem adverſariorum, quoties aliquid de Chriſto non ſecundùm divinam, ſed ſecundùm humanam naturam, aut contrà, in Scripturis dici aſſerunt. Cùm enim, ut demonſtratum eſt, duarum naturarum copulatio falſa ſupervacaneaque ſit, Chriſtique Divinitas non natura ſit ſeu ſubſtantia in Chriſto exiſtens, ſed qualitas quædam inhærens, & ideò unam is tantùm, videlicet humanam naturam habeat; quis non videt diſtinctionis iſtius vanitatem?

‡ *Hinc ergo patet*] Sanè etſi tam graphicè hoc myſterium nobis non proponeretur in Scripturis, vel ſola tamen earum conciliandarum ratio nos eò deduceret. Cùm enim quædam dicantur de Chriſto quæ nonniſi Dei nec meri hominis eſſe poſſunt, quædam è contrario quæ ita ſolius ſunt hominis ut in Deum cadere nequeant, hæc non poſſunt aliter inter ſe conciliari, quam per iſtam diſtinctionem; cui & illam adjicimus Veteribus uſurpatam, quâ ſtatuunt quædam dici de Chriſto Theologicè, idest præciſè quà Deus eſt & ſecunda perſona Trinitatis, & quædam œconomicè, idest quà eſt Θεάνθρωπος & reſpectu officii Mediatorii quod ſuſcepit pro noſtra ſalute.

Cum enim, ut demonſtratum] Hoc neque *demonſtratum* eſt ab Hæretico, neque demonſtrabitur in æternum. Multo minus, diſtinguendum eſſe inter Divinitatem ſubſtantivam, & qualitativam, quarũ hæc demum, non illa, Chriſto conveniat; licet ſit *verus Deus & vita æterna* I. Joh: V, 20. ac *Deus ſuper omnia benedictus* Rom: IX, 5. Si enim Divinitas qualitativa tantũ competit Chriſto, non ſubſtantiva, licet non Divinitas tantum, ſed etiam *Deitas*, illi tribuatur Col: I I, 9. & Deus ac Jehova appelletur ſæpiſſimè, & ei attributa ſimpliciter divina conveniant, & dicatur jam fuiſſe ἐν μορφῇ θεοῦ, nec rapinam duxiſſe æqualem eſſe Deo, cùm ſe ipſum exinanivit aſſumptâ formâ ſervi & factus ſimilis hominibus Phil: II, 6. 7. imò pauper factus propter nos cùm eſſet dives, ut ejus paupertate diteſceremus 2. Cor: VIII, 9. pari ratione dixeris

ris cum Marcionitis & Docetis, ei non ſubſtantivam humanitatem conveniſſe, ſed merè qualitativam. Etiam abſurdum eſt qualitates verè & propriè divinas, quę ſubjecto tribuant Deitatem, & omnia attributa, nomina, opera cultum honoreſque ſummi Dei, concipere ſeparatas ab eſſentia & ſubſtantia divina, quà proprietates eſſentiales cujuſcũque rei concipere à ſuo ſubjecto ſeparabiles & alteri diverſæ naturæ communicabiles. Ne dicam fruſtra fingi qualitates verè divinas, quæ Divinitatem aliquam dativam & ſecundariam in creata natura conſtituant, & ſic oppoſitum in appoſito ſtatuant; cùm in Deo nihil ſit quod non ſit ipſe Deus, ejuſque proprietates ab illius eſſentia nonniſi ratione diſtinguantur. Et quam non qualitativè tantum, aut analogicè & denominativè, ſed ſubſtantivè, verè & realiter, Chriſtus Deus ſit, ex illius conſubſtantialitate cum Patre, fuſè probatum dedimus capite præcedenti, ut his diutiùs immorari nihil attineat; maximè cum id quidem dicat, neutiquam verò probet Adverſarius.

Quæ tamen multò luculentiùs hinc quoque apparet, quòd pronunciata, in quibus adhiberi ſolet, vel expreſſè, vel tacitè aliquid de Chriſto negant, idque ſimpliciter, ſeu nulla addita reſtrictione: quæ tamen omnino fuiſſet adhibenda, ſi ratione unius tantùm naturæ res iſtæ, de quibus ſermo eſt, de Chriſto negarentur. Neque enim v. g. hominem edere, bibere, calere, frigere negamus ſimpliciter, ſeu nulla addita limitatione, quia ratione animæ non edat, bibat, caleat, frigeat: ita cum Chriſtum nihil à ſeipſo facere, Patrem ipſo majorem eſſe, quod tantundem valet, ac eum non tantum eſſe, quantus Pater eſt, ſcriptum legimus, (*Ioh*: 14, 28. *Ioh*: 5, 19, 10.) de toto Chriſto, quantus quantus eſt, iſta negari fatendum eſt: cum ſi ſecundùm aliquam ſuam, ut dicitur, naturam, eamque potiorem, à ſeipſo omnia faceret, & Patri per omnia æqualis eſſet, nequaquam hoc toti ipſius ſubjecto adimendum eſſet. Neque enim de toto ſubjecto negandum illud eſt, quod ei ſecundùm unam eſſentialem partem vel naturam, eamque præcipuam convenit, deque eo ſimpliciter enunciari jure poteſt. Similes locutiones ſunt hæ: Nihil à meipſo loquor aut facio; nihil præter ea, quæ à Patre edoctus ſum, dico, aut exequor. (*Ioh*: 14. 10. & 12. 49.) Quæquidem negationes diſertiſſimis verbis leguntur apud ſacros autores. Atqui ſi iſta ſecundùm unam naturam conveniunt Chriſto, & de ipſo rectè prædicantur, id quod adverſarios ſtatuere neceſſe eſt, quo, quæſo, jure, à toto ſuppoſito removentur? Si enim alterius naturæ ratione idem Chriſtus à ſe omnia facit ac loquitur, quomodo, quæſo, ait, ſe nihil à ſeipſo facere aut dicere? Nonne, verbi cauſa, ineptiſſimè diceretur hominem nihil intelligere, quia ipſius corpus nihil intelligat?

† *Quæ tamen multò*] Subjicet orator quod rusticus edit ineptè; adeoque non opus eſt addi reſtrictionem in ejuſmodi loquutionibus in quibus ex rei natura

tura

tura venit intelligenda: Et quamvis non ideo neges hominem *edere* vel *bibere* &c. quia *ratione animæ non edat & bibat*, quia illæ actiones ſunt actiones vitales, quæ ſunt totius ſuppoſiti, & ad quam ipſa anima cenſetur omninò concurrere tanquam *principium quo* omnium earum; tamen cùm negas ſimpliciter, v. g. hominem eſſe immortalem, & verè loqueris, & tamen vel Chriſto docente Matt: x, 28. debes hanc reſtrictionem ſubintelligere, quod non ſit immortalis quoad corpus, licet talis ſit animæ reſpectu. Sic de Angelis in corporibus humanis apparentibus, verè negaveris eos ediſſe vel bibiſſe, licet tamen ejuſmodi actiones corporeæ ab illis corporibus & in illis editæ fuerint: Sed ut magis conſtet abſurditas hujus rationis, eſt redigenda ad formam Syllogiſticam: Quod *ſimpliciter, ſeu nullâ additâ reſtrictione* negatur de ſubjecto, id non poteſt ei convenire pro aliqua ſui natura vel parte; Sed *ſimpliciter ſeu nullâ additâ reſtrictione* negatur divinitas de Chriſto *vel expreſſè vel tacitè*, in multis Scripturæ pronunciatis: Ergo. Certè utraque propoſitio in hoc Syllogiſmo laborat: Nam primò major falſa eſt in exemplis modò citatis: Nego enim ſimpliciter hominem eſſe immortalem poſt peccatum, licet anima ejus ſit immortalis: Deinde eget explicatione: Nam negatio ſimplex de aliquo ſubjecto vel eſt tantum de toto ſubjecto, vel eſt etiam de toto ſubjecti, ita ut hæc quidem nullam patiatur ſubintelligi limitationem, illa verò facilè eam admittat: Verbi gratiâ ſi negavero, terram eſſe fluidam, id intelligendum eſt de toto ſubjecto & toto ſubjecti, cùm nulla ei conveniat particula quæ fluida ſit: At ſi negavero Æthiopem eſſe album, id quidem negabo ſimpliciter de toto ſubjecto, non tamen de toto ſubjecti, cùm conſtet eum & oculis & dentibus albicare: Ita vulgò dicunt Theologi, Totum Chriſtum eſſe ubique ſed non totum Chriſti, quia quantum ad corpus cœlo debet contineri uſque ad tempus reſtitutionis omnium: Sic tota anima eſt in cerebro, ſed non totum animæ, quia ſic eſt in cerebro, ut ſit etiam in corde & cœteris partibus corporis, quas animat & informat. Igitur dato non conceſſo Scripturam alicubi negare de Chriſto vel expreſsè vel tacitè ea quæ ſunt Divinitatis, id foret intelligendum de toto illius ſuppoſito, ut eſt ſubjectum prædicationis & denominationis iſtius, non tamen de toto illius ſuppoſiti, ac ſi nihil ſit cui tale prædicatum conveniat. Minor verò ejuſdem Syllogiſmi falſa eſt. Nuſpiam enim vel expreſſè vel tacitè ita ſimpliciter negatur Divinitas de Chriſto, ut nulla ſit addenda vel ſubintelligenda reſtrictio; cùm hanc reſtrictionem alicubi expreſſè additâ à Spiritu Sancto alibi ſubintelligendâ eſſe idê Spiritus diſertiſſimè doceat. Sic v.g. Rom: 1, 3.4. dicitur Chriſtus *factus ex ſemine Davidis ſecundum carnẽ*, ſed *declaratus potenter filius Dei, ſecundum ſpiritum ſanctificationis*; Sic Rom: ix, 5. dicitur Chriſtus *qui eſt Deus ſupra omnia benedictus* eſſe ex Iſraelitis aut Patribus *quod ad carnem*; Sic 1. Pet: iii, 18. dicitur *mortificatus quidem carne, at vivificatus Spiritu*; Quibus ſanè in locis tam diſertè illa reſtrictio proponitur, ut in aliis omninò intelligenda veniat. Hanc verò minorem non probant quæ addit Volkelius; Nam quod dicit Chriſtus Joh: v, 19. non poſſe Filium *à ſemetipſo operari, niſi viderit Patrem operantem*, nequidem iſtâ eget reſtrictione: cùm eo in loco Chriſtus ita aſſerat ſe eſſe & operari à Patre ceu originis ſuæ in Sacroſancta Trinitate principio, ut unà evidenter ſuam conſubſtantialitatem cum Patre adſtruat, dum eandem ſibi tribuit & potentiam & operationem cum Patre; addendo, *Quæcunque enim ille*, nempe Pater, *facit, hæc etiam Filius pariter facit.* Ille enim

ſe enim ὁμοούσιος debet eſſe Patri, qui quæ Pater facit ipſe ὁμοίως facit. Imò Judæos ex illo ſermone Chriſti id ipſum quod dicimus percepiſſe, docet Evangeliſta; Nam poſtquam com. 17. ejuſdem capitis introduxerat Chriſtum dicentem, *Pater meus hucuſque operatur & ego operor*, ſubdit com. 18. *Propterea ergo magis ſtudebant eum Iudæi interimere, quia non ſolum ſolviſſet Sabbathum, ſed & Deum dixiſſet Patrem ſuum, parem ſe faciens Deo.* Quantum ad locum Joh: XVI, 28. ubi dicitur Pater Chriſto *major* eſſe, hoc non eſſe intelligendum illimitatè & de toto Chriſti, vel inde patet, quod alibi dicatur, Chriſtum & Patrem unum eſſe Joh: X, 30. ita ut ipſo viſo videatur Pater Joh: XIV, 9. nec rapinam ducat *parem* eſſe cum Deo Phil: II, 6. Non ſtatim mentietur qui dixerit Goliam fuiſſe majorem Davide, licet id ſumi debeat reſtrictè de ſtatura, non item de animo, vel fortitudine, vel pietate. Hæ igitur negationes, ſi negationes dici debent, ſunto *de toto Chriſto*, ut ipſe eſt ſubjectum attributionis vel prædicationis in ejuſmodi aſſertis; ſed non ideo creduntor eſſe de toto Chriſti, ſive *de toto Chriſto, quantus quantus eſt*, ut loquitur Volkelius, cùm alia iſta loca contrarium evincant. Ita ſanè ipſe Chriſtus ſimpliciter negabat Jairi filiam eſſe mortuam, etiam cum adjectione oppoſiti, *Puella non eſt mortua, ſed dormit*, quod tamen non fuiſſe intelligendum abſque reſtrictione & limitatione nemo ſanus inficias iverit.

Cum ſi ſecundum aliquam] Nec obeſt Divinitati Chriſti, quod etiam ſecundum illam à Patre non à ſemetipſo operetur, cùm ſecundum illam ſit quoque à Patre & ab illo prodierit. Licet enim Divinitas ſit αὐτοθεότης, & ſic illius reſpectu ſit αὐτόθεος, id eſt ejus naturæ quæ in eſſendo & operando eſt independens, cùm tamen hanc naturam habeat dependenter à Patre, ſibique communicatam per generationem æternam, etiam eo reſpectu à Patre eſſe & operari, non à ſemetipſo, cùm ſemetipſum non genuerit, meritò dicitur. Sed quod ſpectat aliud membrum hujus argutiolæ, negamus id toti hujus ſubjecti abrogari quod de toto ſubjecto negari videtur; cùm de eodem ſubjecto alibi ſimpliciter affirmetur quod ſit æqualis Patri: quare aliquid ponendum eſt in eo ex quo Pater ſit illo major, aliquid verò ſupponendum ex quo rapinam non ducat æqualem Patri eſſe. Ac ſicut minoratio Chriſti œconomica infra Angelos nihil demit de illius abſoluta ſuperioritate præ illis Heb: II, 7. 8. 9. ita hæc eadem Chriſti minoratio infra Patrem, quæ illi convenit per aſſumptam ſervi formam, nihil derogat, ejus æqualitati & coeſſentialitati cum Patre, quæ tot aliis Scripturæ teſtimoniis adſtruitur.

Neque enim de toto] Crambe recocta; & quam falſum ſit negari non poſſe de toto ſubjecto, denominativè & attributivè, quod tamen de toto ſubjecti non eſt negandum, ſatis ſuperque demonſtratum eſt.

Similes locutiones] Sed neque hæ ſimiles ſunt præcedenti, & facilè illis reſpondemus. Joh: XIV, 10. poſtquam Chriſtus ſuam cum Patre ἐμπεριχώρησιν adſtruxiſſet his verbis, *Non credis me in Patre & Patrem in me eſſe?* (quod negatâ conſubſtantialitate dici nequiret,) ſubjungit, *Verba quæ ego loquor à me ipſo non loquor, ſed Pater qui in me manet ipſe facit opera;* Jam verò prout non negat ſua eſſe opera ſuæque potentiæ quæ facit, ea adſcribendo Patri, quod communem habeat cum ipſo eſſentiam & potentiam; ſic non negat abſolutè ſe non loqui à ſeipſo, ſive ſua non eſſe quæ eloquebatur; ſed tantum negat ea eſſe ſui ſolius excluſivè

Digitized by Google

ad Patrem;* a quo prodierat, in quo manebat, & cum quo unum erat. Idem planè ſenſus eſt loci Joh. XII, 49. ubi non aliud ſibi vult, quam non ſui ſolius eſſe illa verba quæ loquebatur in carne, ſed etiam unà ſui Patris, cujus authoritate fretus hoc publico docendi munere defungebatur; & à quo per ſui generationem æternam, illam ſapientiam ſimpliciter divinam ſibi communicatam habebat: Ideo ſubjungit com. 50. *Quæ ego loquor, prout dixit mihi Pater, ita loquor* Hinc liquet quam non proſint cauſæ Volkelianæ iſtæ *negationes*, quæ non ſunt abſolutæ, ſed tantum comparativæ, qualis illa Jehovæ ad Samuelem, *Non te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt ne regnem ſuper ipſos* 1 Sam. VIII, 7. Igitur non abſolutè hæc *à toto ſuppoſito removentur*, ſed tantum negantur eſſe ejus ſolius excluſivè ad Patrem, magiſque faciunt ad conjungendum Filium Patri in Sapientia, Potentia, Authoritate, quam ad eum Patri in his opponendum. Ut debuerit Volkelius ebrius fuiſſe cùm hæc ſcriberet.

Nonne verbi cauſâ] Non ineptè negaveris hominem eſſe inviſibilem & immortalem, licet id ei non conveniat ſecundum totum ſui, & ſit reverâ quoad animam, nobiliorem ſui partem, inviſibilis & immortalis.

Huc accedit, quòd apertè in locis memoratis, Filius opponitur Patri, unde 460
liquet, Chriſtum iſtis in locis non ſecundùm unam tantùm naturam conſiderari, ſed totam ipſius perſonam intelligi, & ſic de eo toto, quantus quantus eſt, iſta, quæ de eo negantur, negari. Ad iſtiuſmodi autem enunciationes, in quibus aliquid ſimpliciter de Chriſto negatur, vel inprimis pertinent illa Chriſti verba, quibus *horam diemque judicii neminem ſcire dicit, ne angelos quidem cæleſtes, neque Filium, ſed ſolum Patrem.* (*Mar*: 13, 32. *Mat*: 24, 36.) Quod cum ita ſit, ubi quæſo, erit divina natura in Chriſto? præſertim cum eum & verbis iſtis *ſolus Pater*, & Filii Patri oppoſiti apertiſſima mentione, ſeipſum, quantus quantus eſt, ab ultimi diei ſcientia ſegregaſſe manifeſtum ſit.

‡ *Huc accedit quod*] Negamus id ſequi: Nam è contrario ubi Scriptura ſub aliqua conditione humana de Chriſto loquens eum opponit Patri, eo ipſo indicat id non convenire Chriſto aliter quam reſtrictivè ad eam naturam quâ diſtinguitur à Patre, adeoque de tota quidem perſona dici, ſed non de toto perſonæ: Quale hactenus non aliud protulit hæreticus, quam iſtud decantatiſſimum in veterum Arianorum ore, & centies ab Antiquitate Catholica retuſum, *Pater major me eſt*. Nam reliqua aliter eſſe ſumenda, modò viſum.

Ad iſtiuſmodi autem] Et hoc telo ex Matt XXIV, 36. Mar. XIII, 32. pugnabant olim Ariani; Sed quam noſtra reſtrictio hîc debeat admitti, nec Chriſtus, *quantus quantus eſt ab ultimi diei ſcientia* ſegregari, ſed tantum quà homo erat, duo evincunt: Unum eſt quod ſe Angelis in hac neſcientia conjungendo, eo ipſo vult ſe intelligi quà Creaturam ejuſdemque ordinis cum illis, non vero quà eorum Creatorem, Superiorem, & Dominum, qualis deſcribitur Col. 1, 16: Heb. 1, 6. 7. Alterum, quod aliàs hoc dictum non poſſet conci-

Digitized by Google

liari cum aliis Scripturæ teſtimoniis, quibus Omniſcientia, quod eſt attributum ſimpliciter divinum, ei tribuitur, ut Joh. II, 25. XXI, 17. Col. II, 3. Apoc. II, 23.

Verùm cum & rationum & ſcripturæ firmamentis adverſarii hunc ſuum errorem adſtruere conentur; videamus ſanè, quomodo hoc illis ſuccedat. Primò autem hanc afferunt rationem: ꝉ Officium, inquiunt, Chriſti erat, divinæ juſtitiæ pro hominum peccatis cumulatiſſimè ſatisfacere. Atqui hoc, niſi præter humanam divinâ etiam naturâ præditus fuiſſet, fieri nequaquam ab illo potuiſſet: cum & divina juſtitia, & peccata noſtra infinita ſint; humana verò natura & certis finibus ſit circumſcripta, & ideò tantas vires nequaquam habeat, quantæ ad infinitæ juſtitiæ pro infinito ſcelere ſatisfaciendum requiruntur. Nos verò id, quod in hac argumentatione primo loco ponitur, falſiſſimum eſſe dicimus: propterea, quòd non ſolùm Chriſti officium id eſſe, nuſquam apud divinos autores legitur; ſed contrarium etiam, videlicet gratuitò peccata noſtra deleri, nobiſque per Chriſtum condonari, clariſſimè ſcriptum reperitur. (*Rom.* 3, 24. *Eph.* 1, 6. 7.) ut taceam, iſtam ſatisfactionem ex iis eſſe, quæ fieri nullo modo poſſunt, qua de re infrà copioſè à nobis diſputabitur. (*cap.* 22.) Præterea in hac argumentatione non rectè pro conceſſo ſumitur, Chriſtum, ſi naturâ divinâ ſit præditus, hujuſmodi ſatisfactionem Deo præſtare poſſe. Atqui hic error ſeipſum conficit. Si enim Chriſtus naturam divinam habuit, adeoque ipſe Deus fuit; ſibi ipſi ut ſatisfaceret; ac debita noſtra ſolveret, fuiſſet neceſſe. Quis verò ſibi ipſi ſolvit, aut pro altero ſatis facit? Neque enim ad naturarum diſtinctionem recurrere hîc poterunt: cùm hoc præſidium jam ſibi ipſis eripuerint, affirmantes, humanam, ſine divina natura, iſta perficere nequaquam potuiſſe, ſed pretii pro nobis ſoluti vim ac valorem, ex divinæ naturæ cum humana conjunctæ virtute ac dignitate pendere. Adde, quòd ex utraque natura unum ſingulariſſimum individuum conſtare, actioneſque nonniſi toti ſuppoſito tribuendas eſſe, ipſi aſſeverant. Quo fit, ut ipſum Chriſti ſuppo-
461. ſitum, quod Deus ſit, Deo, hoc eſt, ſibi ipſi ſatisfeciſſe ſit dicendum. Quòd ſi ad perſonarum diſtinctionem refugerint, & ſecundam divinitatis perſonam primæ ſatisfeciſſe contenderint, ſimiliter nihil agent: cum & vaniſſimum eam commentum eſſe ſuprà demonſtraverimus, & tam ſecunda, quàm prima divinitatis perſona, apud illos peccatis noſtris offenſa fuerit, & ſic ſatisfactionem pro illis poſtularit.

ꝉ *Officium, inquiunt Chriſti*] In genere ad hoc ut eſſet Mediator idoneus Dei & hominum 1 Tim. II, 5. noſterque genuinus Emmanuel Matt. I, 23. debuit eſſe Deus & homo in eadem perſona; Nec alius potuit pro nobis mori

bis mori quam homo, nec alius potuit mortem ſuperare quam princeps vitæ: Non igitur meri hominis ſed ipſius Dei proprius ſanguis debuit fundi pro redemptione Eccleſiæ Act. xx, 28. ſalusque illius confici, crucifixo Domino gloriæ 1. Cor. II, 8, qui inde Jehova juſtitia noſtra meritò appellatur Jer. XXIII, 6. Ne dicam debuiſſe proprium Dei Filium, fieri filium hominis, ut per ipſum fieremus filii Dei, & adoptionem conſequeremur Joh. 1, 12. Epheſ. 1, 5.

Propterea quod non] Imò verò hoc Chriſti officium fuiſſe, paſſim teſtatur Scriptura, quæ docet ipſum tradendum fuiſſe in ἀντίλυτρον & pretium redemptionis noſtræ, propter peccata noſtra, ut ea elueret ſuo ſanguine, Deum nobis propitium redderet, & remiſſionem peccatorum noſtrorum nobis conſequeretur Eſ. LIII, 4. 5. 10. 11. Matt. xx, 28. Joh. 1, 29. Rom. III, 19. IV, 25. 2. Cor. V, 21. Eph. 1, 7. II, 24 V, 2. 1. Tim. II, 6. Heb. IX, 14 26. 28. 1. Pet. II, 14. III, 18. 1. Joh. II, 2. Apoc. V, 9. & alibi paſſim.

Sed contrarium etiam] Opponunt hæretici quæ erant componenda, imò quæ componuntur illis ipſis in locis quæ citantur à Volkelio. Nam *gratuitò peccata noſtra deleri*, cùm dicit Scriptura, excludit quidem omne noſtrum meritum; ſed tantum abeſt ut excludat meritum & ſatisfactionem Chriſti pro nobis, ut è contrario doceat totam hanc gratuitam remiſſionem in ejus obedientia, morte, ſanguine, merito & ſatisfactione fundari. Maneamus demum intra terminos duorum iſtorum locorum quos citat Volkelius. Rom. III, 24. 25. 26. dicimur quidem *gratis* juſtificari; ſed quomodo? *Per redemptionem*, (inquit Apoſtolus) *quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Hæc autem redemptio, ἀπολύτρωσις, neceſſariò λύτρον ſive ἀντίλυτρον ſupponit expenſum & perſolutum pro nobis; ideo additur à Paulo Chriſtum à Deo præſtitutum fuiſſe *placamentum*, ἱλαστήριον, quo ipſe placandus nobis erat, *per fidem in ſanguine ipſius, ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ*, quæ ne peccatis, quæ volebat nobis condonare, impune eſſet, pœnas eorum exegit à noſtro ſponſore, facto peccatum pro nobis ut eſſemus juſtitia Dei in ipſo 2. Cor, V, 21. Sic Eph. 1, 6. 7. dicitur quidem Deus nos *gratis ſibi acceptos* effeciſſe *in ſuo dilecto*; ſed quomodo? *In quo*, inquit Paulus, *habemus redemptionem*, ἀπολύτρωσιν, ut in præcedenti loco, *per ſanguinem ipſius, remiſſionem inquam lapſuum ex divite ipſius gratia*; Nam ex divite ipſius gratia fluxit, quod hic ſanguis novi Teſtamenti effuſus ſit in remiſſionem peccatorum, non ſolum ὑπὲρ ἡμῶν, pro nobis Luc. XXII, 20. & περὶ πολλῶν, pro multis Marc. XIV, 24. ſed etiam ἀντὶ πολλῶν, vice & loco multorum, in quorum λύτρον datus eſt Matt. xx, 28.

Ut taceam iſtam.] Prudenter facit Volkelius quod id tacere velit; cùm fruſtra aſſerat id *fieri nullo modo* poſſe, quod factum & præſtitum fuiſſe à Chriſto pro nobis, Scriptura luculenter & pleniſſimè docet: Sed de eo agetur inferiùs.

Præterea in hac argumentatione] Nihil plus ineſt ſoliditatis in altera hac exceptione, quam in præcedenti. Nam Chriſtus ſatisfecit quà θεάνθρωπος, non præciſè quà λόγος; & in hac œconomia Pater perſonam ſuſtinebat Judicis, cui ſatisfaciendum, Filius incarnatus ſponſoris qui ſatisfaciebat pro nobis. Igitur primò non repugnat quempiam ſibi ſolvere, vel ſatisfacere, ſub vario reſpectu, prout hic Chriſtum in genere entis à ſe ipſo in genere moris, benè diſtinguunt Theologi, quos tamen hac in

parte

parte *ad naturarum diſtinctionem recurrere* negamus. Etenim Rex ille liberalis & magnanimus, qui gratificaturus alicui reo ex ſuis ſubditis, & ſimul legum vim atque authoritatem tuiturus, huic miſero & egeno de ſuo daret pecuniam omnem quę pro mulcta debebatur, ab ipſo reo Fiſco inferendam, ſibi ipſi hoc facto & de ſuo ſatisfaceret & ſolveret: cujus rei exemplum in Alexandro Macedone à Scriptoribus illius vitæ proditum eſt. Jam autem ut in hoc facto iſte Rex duplicem reſpectum ſuſtineret; alterum Principis juſti & legum acerrimi vindicis, qui eas loco ſuo moveri non patitur; alterum Principis benigni, liberalis & clementis, qui reo illi vult ſubvenire & parcere; ita Chriſtus duplicem hic reſpectum ſuſtinet; alterum quidem præciſe quà λόγος, & uti loquuntur in genere entis, Iudicis & Legiſlatoris ſummi cum Patre & Spiritu Sancto, cui ſatisfaciendum erat; alterum in genere moris quà λόγος incarnatus & θεάνθρωπος ac ſequeſter noſtræ pacis, qui de ſuo expendere voluit id quod à reis debebatur, ne quippiam derogaretur autoritati legum. Adhæc non repugnat, ſuppoſitâ perſonarum divinarum diſtinctione, ut omninò eam ſupponendam *ſuprà* adverſus cavillationes Volkelianas abundè demonſtravimus, Patri ceu Iudici ſatisfactum fuiſſe à Filio pro peccatis noſtris: Quamvis enim perſonâ Filii non minus quam perſona Patris *offenſa fuerit*, tamen inde non ſequitur non potuiſſe Filium ſequeſtri munus ſuſcipere, & ſe medium interponere, ut per debitam ſatisfactionem partes reconciliaret. Menenius Agrippa Senator Romanus, æquè offenſus fuerat ſeceſſione plebis, ac reliqui Patres conſcripti: Id tamen non impedivit quominus ſepoſito quantum ad ſe offenſæ illius ſenſu, agerent pararium pacis reſarciendæ & partes ſibi invicem reconciliaret. Quæ rebellio à ſubditis tumultuantibus movetur contra Regem, offendit quoque Regis filium, coronæ hæredem præſumptivum, aut jam throno cum patre inſidentem. Id verò non obſtat quominus filius injuriæ vindicias & ſenſum, quadantenus ſoli ſuo patri relinquens, pro iſtis rebellibus apud eum intercedat & deprecetur, iiſque commiſſi criminis gratiam & veniam à patre impetret.

Ex eo quoque, quòd Chriſtus Dei hominumque mediator in ſacris literis appellatur, (1 *Tim.* 2, 5.) conſequens eſſe ajunt, eum utrâque naturâ præditum eſſe; propterea quòd à tali mediatore requiratur, ut Deum hominum ſceleribus offenſum reconciliet, & ita homines ad Deum perducat; quod nequaquam ab eo fieri poſſe ajunt, ſi utriuſque naturæ particeps non ſit. At verò nec id per ſe mediatoris officium eſt, ut partes inter ſe diſſidentes in gratiam reducat; nec ut divinâ naturâ talis mediator præditus, ſit, neceſſe eſt: cùm ſatis ſit, illum medium inter utramque partem conſtitutum eſſe, & quaſi internuncii officio fungi. id quod ab homine nullâ divinâ naturâ prædito fieri poſſe factumque eſſe, argumento eſt, quòd Moſes, qui Dei Iſraëliticique populi in lege ferenda mediator cum eſſet, (*Gal.* 3, 19.) non tamen Deum tanquam iratum populo, ratione iſtius muneris habita, illi reconciliavit, nec aliam præter humanam naturam habuit.

Digitized by Google

‡ *Ex eo quoque quod*] Huic argumento elucidando inſerviunt verba Theodoreti ad hunc ipſum Pauli locum qui extat 1. Tim. II, 5. *Quemadmodum qui duos quoſpiam manus inter ſe conſerentes ac confligentes vult reconciliare, ſe medium interponens, & hunc quidem dextrâ, illum verò ſiniſtrâ tenens, ad amicitiam deducit ac conjungit; ita ipſe cùm divinam naturam humanæ univiſſet, immobilem & quæ diſſolvi non poteſt, pacem conciliavit. Si autem ut vult Arius & Eunomius non eſt Patris ſubſtantiæ particeps quomodo eſt Mediator? Nobis enim unitus eſt quoniam quod ad humanitatem attinet, eſt ejuſdem nobiſcum ſubſtantiæ; ſed Patri non itidem, ſiquidem, ut illi volunt, eſt ab ejus ſubſtantia ſejunctus. Atqui eum vocavit Mediatorem ſive interceſſorem divinus Apoſtolus. Ergo etiam Patri fuit unitus quod attinet ad Divinitatem; & nobis ſimiliter quoad humanitatem.*

At verò nec id per ſe] Mediatoris inter Deum & homines nomen, & ſoli Chriſto convenire, & nemini alii tribui in Scripturis, multi ſtatuunt Viri Docti, etiã ex eorum communione qui aliàs interceſſionem Sanctorum mordicùs propugnant: Hos inter Eſpenſæum & Heſſelium, illum Pariſienſem Theologum, hunc Lovanienſem, poſſim nominare. Saltem cùm Apoſtolus hîc loci *unicum* Mediatorem Chriſtum agnoſcat, eique paſſim Deum propitiandi & partes diſſidentes reconciliandi officium tribuat, ac *internuncii* munus, eò latiùs pateat officio Mediatoris, quod Paſtores *internuncii* ſint Dei ad homines, Mediatores non ſint, ſi modò id obtineat Auguſtini, *lib. 2. cont. epiſt. Parmen. cap. 8. Si ita diceret* Johannes, *Hoc ſcripſi vobis ut non peccetis, & ſi quis peccaverit Mediatorem me habetis apud Patrem, ego exoro pro peccatis veſtris, ſicut Parmenianus quodam loco Mediatorem poſuit Epiſcopum inter populum & Deum, quis ſicut Apoſtolum Chriſti & non ſicut Antichriſtum intueretur?* & paullò poſt; *Si eſſet Mediator Paulus, eſſent utique & cæteri coapoſtoli ejus, ac ſic multi Mediatores eſſent, nec ipſius Paulo conſtaret ratio quâ dixerat Unus enim Deus, unus Mediator Dei & hominum* &c. non eſt cur Volkelius vel Chriſto in ſingulari illo Mediatoris munere, eique ſoli, eo ſenſu ſaltem, conveniente, abroget Divinitatem; vel id nominis, præſertim in ſpeciali hoc ſignificatu, cum *internuncii* generaliori titulo confundat. Et præterea quod incertum eſt Moſem intelligi ſub nomine *Mediatoris*, per cujus manum Lex data dicitur Gal: III, 19. quoniam plerique Interpretes, (quibus hac in parte noſtrum calculum libenter adjicimus) hunc Mediatorem intelligunt ipſum Chriſtum, Angelum Fœderis & magni Conſilii, quem & tentatum ab Iſraelitis quibus iſta Lex ferebatur, dicit Apoſtolus 1. Cor: X, 2. cùm ſaltem Moſes non potuerit dici εἷς μεσίτης, ut Chriſtus Paulo appellatur 1. Tim: II, 5 nec de Moſe aſſeri quod de Chriſto ibid. com, 6. legitur, eum ſe dediſſe ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, parum præſidii conſequitur hæreticus ex iſto loco Gal: III, 19. in quo vel revera Moſes id nominis obtinet ſenſu planè laxiori & ſignificatu diverſo ab eo quo Chriſto competit, ſic noſtro apud Patrem *advocato*, ut unà ſit *propitiatio pro peccatis noſtris* 1. Joh: II, 1.2 vel potiùs non Moſes ſed Chriſtus ipſe intelligitur.

Huc accedit, quòd Paulus diſertiſſimis verbis, *hominem Jeſum Chriſtum*, unicum Dei & hominum mediatorem nominat. Cur, ſi ad mediatorem conſtituendum requirebatur, ut Deus ſimul eſſet & homo, non dixit, unus eſt mediator & hominum, Jeſus Chriſtus *Deus & homo*, ut adverſarii loqui a-

Digitized by Google

mant, ea de re differentes? cur hominem tantùm appellavit? Quemadmodum igitur Moſes ita Dei populique Iſraëlitici mediator fuit, ut medius in Lege promulganda ſteterit, Deique ea in re legatus & internuncius fuerit, (*Levit*: 26,45. *Deut*: 5,5.) & per eum populus ad Deum acceſſerit: ita Chriſtus quoque medium inter Deum homineſque locum tenens, non quidem Deum nobis placavit, ſed in novo fœdere ſanciendo inter nos & Deum ſtetit, & tanquam internuncius ejus voluntatem nobis promulgavit, eaque ratione effecit, ut nos illa divinæ voluntatis cognitione inſtructi ad Deum accederemus.

‡ *Huc accedit, quod*] Abſurda eſt hæc ratio, quia poſitio unius naturæ in Chriſto, non eſt negatio alterius. Et ne quid dicam de eorum ingenioſa obſervatione, qui pertenderunt ad Chriſti perſonam hic loci pertinere utrumque elogium, ut unius Dei ſic & unius Mediatoris inter Deum & homines, qui itidem ſit homo, ratio in promptu eſt cur Mediatorem hunc licet θεάνθρωπον, *hominem* potius dixerit Apoſtolus quam Deum: Quoniam enim lis ipſi intercedebat adverſus Angelicos, qui ſibi μεσίτας ad Deum Angelos adſciſcebant & eo prætextu eorum cultui vacabant, illis hoc munus inde voluit abrogare, quod cùm nullo naturæ vinculo nobis ſint connexi iſto officio defungi non poſſint; ſed is demum ſolus qui licet multo celſior & ſublimior Angelis quà Deus, naturæ tamen communionem ad id nobiſcum ſuſcepit, & homo factus eſt, adeoque talis qui poſſit & velit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, eoque faciliorem aditum nobis parare ad thronum gratiæ Heb: IV, 15. 16.

Quemadmodum igitur Moſes] Sed neque Moſes fuit Mediator inter Deum & Iſraelitas quomodo id nominis Chriſto tribuitur, nec eo nomine venit in Scripturis; ſed generaliori tantum *internuncii*, quatenus profitetur ſe ſtetiſſe *inter Iehovam & illos ad referendum ipſis ſermonem Iehovæ* Deut: V, 5. & dicuntur *ſtatuta judicia & leges* datæ à Jehova *inter ipſum & filios Iſraelis ad montem Sinai per Moſem* Levit: XXVI, 46. Neutro etiam locorum hic Volkelio citatorum dicitur populus per Moſem ad Deum acceſſiſſe, ut per Chriſtum habemus liberrimum acceſſum ad Patrem Eph: II, 18. Heb: VII, 25. ſed tantum Deum per Moſem ſtatuta & præcepta ſua promulgaſſe, quod populus Dei præſentiam & alloquium ferre non poſſet. Præterea etſi non negem, aliquam partem Mediatorii officii quod ſuſtinet Chriſtus, Moſem ceu illius typum adumbraſſe, maximè quantum ad munus Propheticum; quò ſpectat locus eximius Deut: XVIII, 15. tamen cùm *medium* longè aliter teneat Chriſtus inter Deum & nos, quam olim Moſes inter Deum & Iſraelitas, id neceſſariò ſupponit eũ eſſe inter partes mediũ participationis extremorum, quod Moſi non conveniebat; eò magis quod Chriſto id convenerit, quod Moſi non conveniſſe fatetur Adverſarius, ideſt Deum nobis placare & propitiationem ſuo ſanguine facere peccatorum noſtrorum. Id enim dum Chriſto abrogat Adverſarius, contradicit toti Scripturæ: Videatur nominatim Rom: III, 25. 2. Cor: V, 19. Epheſ II, 14. 15. 1. Joh: II, 2. Imò dum Volkelius nihil ultra tribuit Chriſto quod ad Mediatorium ipſius munus, quam quod *tanquam internuncius*, Dei *voluntatem nobis promulgavit, eaque ratione effecit, ut nos*

Digitized by Google

ut nos illâ divinæ voluntatis cognitione inſtructi ad eum accederemus, revera nihil ei tribuit quod cuique ſuorum Apoſtolorum, imò & ordinariorum Eccleſiaſtarum, pacem evangelizantium, non poſſit convenire.

Jam igitur videamus, quibus ſcripturæ teſtimoniis hanc ſuam ſententiam defendere conentur. Ac primùm quidem illis Joannis Euangeliſtæ verbis (*Ioh*: 1, 14.) contineri videtur, *Et verbum caro factum eſt*. Quod quidem nihil ad hanc rem facere, primò inde apparet, quòd aliud eſt, Verbum fieri carnem, aliud, Deum fieri hominem: cùm, ut ſuprà jam vidimus, (*cap: præced.*) hoc Verbum ſeu Sermo, Deus ille altiſſimus nequaquam ſit, ſed 462.
potiùs Chriſtus homo, qui ob muneris ſui officium hoc nomen adeptus erat.

‡ *Iam igitur videamus*] Hic locus Joh: 1, 14. valde urget: ſi modò meminerimus primò, quod ſuo loco *cap. præc.* probatu eſt, λόγον hunc, ideſt Dei Filium æternum, Deum eſſe & dici Johanni, atque deſcribi ceu eum per quem omnia facta ſunt, & ſine quo nihil factum eſt eorum quæ facta ſunt Ioh: 1, 1. 2. 3. Secundò de eo dici quod ad ſua venerit Joh: 1, 10. 11. Tertiò modum explicari, quomodo venerit in mundum, quod videlicet *caro factus ſit*, ideſt, homo; cujus incarnationis hoc fuit conſequens, quod ἐσκήνωσεν inter nos, converſando inter homines, iiſque in ſua perſona (in quâ inhabitat omnis plenitudo Deitatis σωματικῶς Col: II, 9. non τυπικῶς tantū & umbraticè, ut olim in Tabernaculo) eam Numinis præſentiam exhibendo, quam olim ſignificabat nubes jugiter propitiatorio inſidens quæ שכינה *Schekinah*, quaſi dicas σκήνωσιν ſive inhabitationem, Iudæis dicebatur.

Quod quidem nihil] Effugia Adverſarii ſunt ridicula: Nam ſuo loco, primum hoc quod attinet, evicimus, Dei filium fuiſſe λόγον priuſquam conſpiceretur in mundo, aut Deus per ipſum homines alloqueretur; & ſic appellari quod per ipſum omnia ab initio condiderit, juxta id quod extat Pſal: XXXIII, 6. Unde ſequitur Verbum fieri carnem, nihil aliud eſſe quam Deum de Deo, æterni Patris æternum filium, hominem fieri, & veſtitum noſtrâ carne conſpici hominibus 1. Tim: III, 16.

Deinde ipſa verborum complexio evidentiſſimè demonſtrat, verbum ἐγένετο, quod ambiguam habet ſignificationem, non *factum eſt*, ſed *fuit*, interpretandum eſſe, ut aliis quoque in locis, atque adeò hoc ipſo cap: ſuperiùs v. 6. factum videmus. Cùm enim Euangeliſta ante iſta verba ea deſcribat, quæ Chriſtum, poſtquam homo natus fuit, geſſiſſe compertum eſt; ut ea taceam, quæ de Joanne Baptiſta antè narraverat: quis eum ineptiſſimè locutum fuiſſe non videat, ſi poſteriora prioribus anteponere voluiſſet, ut nimirum Chriſtum in mundo fuiſſe, ſed ab eo non cognitum, ad Judæos veniſſe, ſed ab iis non fuiſſe receptum, iis autem, à quibus receptus fuerit, poteſtatem in filios Dei evadendi dediſſe ſignificaret, & tum demum adderet, eum humanam naturam aſſumſiſſe.

Digitized by Google

† *Deinde ipſa verborum*] Hoc ſecundum effugium, quo teſtatur Adverſarius parum ſe credere priori, ejuſdem eſt cum illo ponderis & naturæ: Eſto enim, quod ait *verbum* ἐγένετο, *ambiguam* habere *ſignificationem*, quo jure nobis ſuam potiùs obtrudet, quam recipiet noſtram, conſtanti Veterum omniū calculo & omnium hactenus Interpretum authoritate ſuffultam? Aut cur potius hîc retinenda erit ſignificatio τοῦ *fuit*, quia credit Volkelius eo ſenſu ſumi com. 6. quam τοῦ *factum eſt*, quo ſenſu extra dubium ſumitur com. 3? Ne alia citem loca, ejuſdem ſignificationis, Joh: 11, 9. Matt: xxvii, 45. Apoc: iv, 2. vi, 12. & alibi. Quid quod illo com. 6. ad quem provocat, non neceſſariò reddi debet *fuit*; cùm illud ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ, verbo ad verbum ſignificet, *factus fuit homo miſſus à Deo*; cùm verbi ἐγένετο conjunctio cum participio ἀπεσταλμένος, amplius quid videatur ſonare, quamvis non ita commodè reddi poſſit, quam ſi præteritum perfectum paſſivum ἀπέσταλται, aut ἀπεστάλη in aor. primo, ideſt revera *miſſus fuit*, adhibitum fuiſſet. Sic enim preſſius ſignificatur hanc miſſionem Johannis ſolemni quodam modo inſtitutam, adornatam & factam fuiſſe. Præterea Joh: 1, 14. hoc verbum ἐγένετο, reſpicit nomen ſubſtantivū, nempe σάρξ, *caro*, adeoque debet reddi per *factum fuit*; ſed com. 6 refertur non ad ſubſtantivum nomen *hominem*, quod hic nihil amplius ſonat quam τις, *aliquis*, & individuum vagum notat, quod poſtea ſignatur ſuo nomine proprio; ſed ad participium præteritum ἀπεσταλμένος, adeoque conjunctim cum illo, redditur plerumque ac ſi ſimpliciter poſitum fuiſſet ἀπέσταλται, aut ἀπεστάλη, *miſſus fuit*.

Cum enim Evangeliſta] Hæc omnia ſunt ἀπροσδιόνυσα. Nam ſtatim ab initio capitis, Euangeliſta deſcripſerat Chriſtum ab æterna ſua Divinitate, & iis quæ fecerat priuſquam homo factus & natus eſſet: poſtea miſſionem explicat Joannis Baptiſtæ, ut Dei Filio, in mundum & ad ſuos venienti, ſuo teſtimonio præluceret; & tandem hoc com. 14. docet quomodo cùm fuerit ab æterno & omnia condiderit, venerit in mundum & ad ſuos, qui eum recipere dedignati ſunt, licet inſigni privilegio filiorum Dei ornarit qui ipſum receperunt, nempe dum caro factus fuit & inter nos eſt commoratus. In quibus ſanè omnia fluunt commodiſſimè, nihilque abſurditatis poſſit obſervari, niſi ab iſtis Zoilis & Momis, qui vel in Sole meridiano maculas notare volunt.

Quæ ſanè cum abſurdiſſima ſint; multò ſatius, & ad rem, quam Ioannes agit, accommodatius fuerit, ſi eo animo illum hæc verba feciſſe intelligamus, ut hunc, cujus operâ Deus hominibus voluntatis ſuæ perfectiſſimæ conſilium primùm patefecit, ac totum hominum genus reformare, & novam ei rerum ad religionem pertinentium faciem inducere inſtituit, hominem fuiſſe mortalem, infirmitatibus ac perpeſſionibus, morti denique obnoxium oſtenderet. *Carnis* enim nomine talem hominem, qualem deſcripſimus, apud divinos autores, denotari cernimus: (*vid: Pſal:* 78, 39. *Eſa:* 31, 3. 40. 6. 1 *Pet:* 1, 24.) Qualis cum nunc Chriſtus, utpote glorificatus, nequaquam ſit: quandoquidem nec caro ſanguiſque regnum Dei, nec corruptio incor-

Digitized by Google

incorruptibilitatem poſſidere poteſt: (*2 Cor*: 15, 50.) idcirco hanc ipſam planè ob cauſam, meritò Chriſtus olim caro fuiſſe dicitur. Inſtabis tamen, & ipſam orationis ſeriem poſtulare dices, ut *factum* potiùs, quàm *fuiſſe* carnem illud Verbum vertatur: cum idem priùs Deum, inque mundi principio apud Deum fuiſſe, omniaque per ipſum facta eſſe teſtificetur. Verùm ad hanc objectionem partim ſuprà copioſè reſpondimus, (*cap: præced:*) partim inferiùs reſpondebimus, (*inf: cap*: 13.) ubi de Chriſti æternitate agemus.

‡ *Multo ſatius & ad rem*] Mittimus quæ hîc congerit Volkelius de ſenſu & nominis λόγου, & illius ſententiæ quod per ipſum omnia facta ſint, ſuo loco abundè à nobis refutata. Sufficiat oſtendiſſe, quam abſurdam ſignificationem hic affingat nomini *carnis*, ac ſi qualitativè de infirmitate, non ſubſtantivè de ipſa natura humana, ſumi deberet. Quamvis enim aliquando priori ſenſu illa vox uſurpetur in Scriptura, pro creatura ſcilicet miſera, debili, infirma, & peccato corrupta, quò ſpectat locus 1. Cor: XV, 50. magis quam teſtimonia adverſario citata ex Pſal. LXXVIII, 39. Eſa: XXXI, 3. XL, 6. citato 1. Pet: I, 24. In his namque potiùs miſeria, debilitas, fragilitas, deſcribuntur, ceu adjuncta carnis ſubſtantivè ſic dictæ, ideſt naturæ humanæ, quam per nomen *carnis* exprimuntur; imò nominatim Eſ: XXXI, 3. ſynonyma ſunt Prophetæ *homo* & *caro*: Certum tamen eſt hoc loco debere ſumi ſimpliciter & ſubſtantivè, pro natura Chriſti humana quà aſſumpſit ex ſemine Davidis in utero B. Virginis, communem & ejuſdem ſpeciei cum cæteris hominibus, qui in communi & generatim carnis nomine exprimuntur in Scripturis. Rationes noſtræ ſententiæ ſunt evidentes. Primò enim illa acceptio carnis qualitativa, non poſſet convenire cum ea gloria & plenitudine gratiæ & veritatis, cujus meminit ibidem Euangeliſta, cùm ait; *Et Sermo ille Caro factus eſt. & commoratus eſt inter nos* (*& ſpectavimus gloriam ejus, gloriam ut unigeniti à Patre*) *plenus gratiæ ac veritatis*. Deinde non dubium quin hîc illa *caro* intelligatur quam Chriſtus commendat ceu verè cibum vivificantem omnem qui eo veſcitur, & ab eo omni manducandum qui vitæ obtinendæ cupidus eſt Joh: VI, 52. 53. 54. 55. 56. Ibi autem caro & ſanguis Chriſti ſubſtantivè ſumuntur, licet eorum manducatio non ſit oralis & ſenſibilis, ſed moralis & intelligibilis; non qui premit dente, ſed qui credit corde. Tertiò Sermonem factum eſſe *carnem*, idem eſt quod Deum manifeſtatum fuiſſe *in carne* 1. Tim: III, 16. Chriſtum factum fuiſſe ex ſemine Davidis, & ortum traxiſſe ex Patribus & Iſraelitis *ſecundum carnem* Rom. I, 3. IX, 5. participem factum fuiſſe παραπλησίως *carnis & ſanguinis* Heb: II, 14. veniſſe *in carnem* 1. Ioh. IV, 2. 3. ac tandem ea in *carne* morte affectum fuiſſe 1. Pet. III, 18. Quibus omnibus in locis ſubſtantivè id nominis ſumitur, quomodo Pſal. XVI, 9. introducitur dicens *Caro mea habitat ſecurè*, quod etiam in ſepulchro non ſenſerit corruptionem. Denique eodem ſenſu λόγος factus eſt caro, quo cœteri homines in communi *carnis* nomine veniunt in Scriptura; ſic enim deſignari in genere naturam humanam nemo ſanus ibit inficias: Et ideo propter illã carnis & naturæ communionem nobiſcum, dicitur factus *per omnia fratribus ſuis ſimilis* Heb. II, 17. *abſque tamen peccato* Heb. IV, 15. Unde & Rom. VIII, 3. dicitur Deus miſiſſe ſuum Filium, *in forma con-*

ma conſimili carni peccato obnoxiæ, idque *pro peccato*, quò condemnaret *peccatum in carne*; Habuit enim hic ſerpens æneus, ſimilitudinem dipſadum, ideſt hominum peccatorum, per identitatem naturæ; earum tamen virus & venenum non habuit.

Qualis cum nunc] Sed Chriſtus nunquam fuit illa *caro & ſanguis* qualitativè, quæ regnum Dei poſſidere non poteſt I. Cor, xv, 50. cùm hæc caro ea ſit quæ per & propter peccatum multifariàm polluta, unde debemus etiam odiſſe *tunicam quæ à carnis contactu ſit maculata* Iud. com. 23. corruptioni & deſtructioni obnoxia eſt, nec ab illa corruptibilitate poteſt liberari donec cribro ſepulchri & mortis perpurgata fuerit; Neque enim Chriſtus fecit aut novit unquam peccatum, & in ipſa morte ejus caro ſecurè habitavit, ut modò viſum: Imò eo ipſo tempore quo in ſua carne inter homines commorabatur, retinuit gloriam unigeniti à Patre, & in illa ipſa carne plenus fuit gratiæ & veritatis: quod non poteſt illi carni qualitativæ convenire quæ regnum Dei poſſidere nequit: cùm aliàs *carnis* ſubſtantivè ſic dictæ, reſurrectio ſit exſpectanda juxta communeSymbolum omnium Chriſtianorum, & ſimus Deum viſuri *in noſtra carne*, ut hac fiduciâ ſe ſolabatur Iob in ſuis ærumnis Iobi xix, 26. Igitur ſic olim ὁ λόγ☉ factus eſt caro ſubſtantivè, ut id ipſum quod factus eſt etiamnum ſit in regno cœlorum: Nam quod ſemel aſſumpſit, nunquam depoſuit, inquit verè Damaſcenus: Ac prout illam ipſam carnem retulit ex ſepulchro quæ ei illata fuerat Luc. xxiv, 3. depoſitis tamen infirmitatum omnium, quibus ſe pro nobis ultrò ſubjecerat, involucris; quod ſignificabant ſepoſita & relicta in ſepulchro lintea quibus pollinctus fuerat Joh. xx, 6. 7. (reſurgebat enim ad immortalitatem & gloriam, in eo factus primitiæ mortuorum.) ſic in eadem aſcendit in cœlum eamque intulit Sacrario cœleſti, in eadem rediturus viſibiliter ad judicium univerſi Act. I, II.

Inſtabis tamen] Sed & nos ſuprà genuinum hujus loci ſenſum plenè vindicavimus contra diſtortam interpretationem Volkelii, & iterum ſuo loco ex illo æternitatem Chriſti demonſtrabimus: Interea conferat Lector hæc loca inter ſe Ioh. I, I. 2. 3. Prov. VIII, 23. 24. 25. 26. Col. I, 16. Heb. I, 10. II.

‡ Alterum teſtimonium, quod ad errorem hunc ſtabiliendum detorquent adverſarii, illo Apoſtoli loco continetur, ubi magnum pietatis ſeu religionis Chriſtianæ myſterium oratione complectens dicit, (I *Tim*: 3. *ult.*) *Deum manifeſtatum in carne, juſtificatum in ſpiritu, apparuiſſe angelis, prædicatum gentibus, eique creditum in mundo, & aſſumptum in gloria eſſe.* Atqui hæc verba ad id, quod parant adverſarii, nihil conferunt. Primò enim vox *Dei* nequaquam in omnibus græcis codicibus habetur, ſed ad myſterium pietatis proximè nominatum omnia iſta referuntur: quemadmodum in vulga-
463. ta editione, & Syriaca interpretatione videre eſt.

‡ *Alterum teſtimonium*] Etiam hic locus ex I. Tim. III, 16. eo eſt illuſtrior quo continet breviarium Myſterii pietatis, eumque fidei noſtræ articulum quem ipſe Socinus retur appellari à Paulo com. 15. ϛυλὸν καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, *Columnam & ſtabilimentum Veritatis*, ut qui ſit in religione Chriſtiana, id quod

id quod Iudæi in ſua, Mæmonides nominatim, *fundamentum fundamentorum* appellant. Hanc enim hujus loci Interpretationem, conſtat ex Socino hauſtam à Camerone. Quanti autem facienda ſint illa verbá quibus Paulus deſcribit ſummarium myſterii pietatis, malim Theodoreti quam meis verbis explicare. Is igitur ita loquitur; *Cùm eſſet Deus & Dei Filius & haberet naturam quæ ſub aſpectum non cadit, homo factus, evaſit manifeſtus omnibus. Nos autem apertè duas naturas docuit: Dicit enim divinam naturam eſſe manifeſtatam in carne.* Sed audiamus quas tenebras huic luci offundere ſtudeat Volkelius.

Primò enim vox Dei,] Sed hanc vocem legerant ex Veteribus, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, *in hunc locum*, Cyrillus *ad Reginas*, Athanaſius *ſerm. de Incarn. contra Paulum Samoſat. tom. 1. oper. Pag.* 461. ex recentioribus, Vatablus, Caſtalio, Arias Montanus, Benedictus, Iſidorus Clarius, Eraſmus ipſe in ſua verſione, licet *in ſuis notis* aliud habeat, Beza, Piſcator, Proteſtantes omnes, & eam habent Codices omnes Græci probatæ fidei. Interpretes verò Latini veteres qui nomen Dei non legunt, nihilominus myſterium pietatis dicunt eſſe myſterium Dei manifeſtati carne, ut videre eſt in Commentariis qui circumferuntur ſub nomine Ambroſii & Hieronymi, item apud Sedulium, Primaſium, Carthuſianum, Lyranum & alios. Syrum quod attinet, licet juxta quædam illius exemplaria non expreſſerit nomen *Dei*, quod,ut Author vulgatę verſionis, videatur incidiſſe in Codicem Græcum, cui hujus myſterii hoſtes antiqui ungues ſuos iniecerant, tamen illud ſubintelligendum indicat, dum ita habet juxta Boderianam verſionem, *Et verè magnum eſt hoc arcanum juſtitiæ qui manifeſtatus ſit in carne juſtificatus in ſpiritu* &c. Imò juxta verſionem Tremellianam exprimere illud debuit: Sic enim reddit Tremellius, *Et verè magnum eſt myſterium hoc juſtitiæ, Quod Deus revelatus eſt in carne & juſtificatus in ſpiritu.* Quin inter admiratores V. Verſionis, Cornelius à Lapide, Tirinus, Emanuel Sà, & reliqui omnes Romanæ communionis Scriptores, ſuæ Verſionis elucidationem, ex Græco & Syro interprete ultrò deſumunt. Et certum eſt, non poſſe hujus loquutionis ſubjectum ſtatui *myſterium* pietatis: Rarò enim myſterii φανέρωσις apud Paulum legitur,ſed frequentiùs ἀποκάλυψις, ut Rom. XVI, 25. Gal. I, 16. Epheſ. III, 3. 5. 2. Theſſ. II, 8. Sed è contrario φανέρωσις, aliquando de Deo legitur apud ipſum ut Rom. I, 19. de Chriſto verò ejuſque gratia & gloria frequenter, ut Col. III, 4. 2 Tim. I, 10. Tit. I, 3. Sed nominatim de Chriſti adventu & manifeſtatione in carne uſurpatur 1. Pet. I, 20. 1. Joh. I, 2. III, 8. Nec dubium quin adventus Chriſti in mundum ideo Veteribus non ſolum ἐπιφάνεια, ſed etiam θεοφάνεια, ideſt ipſius Dei apparitio & manifeſtatio,dicatur,ut fuſè videre eſt apud Caſaubonum *Exerc. in Baron.* 2. §. 11. Ideo Paulus 2. Tim. I, 10. commendat Dei erga nos gratiam φανερωθεῖσαν νῦν διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Nec dubium quin eò ſpectent loca Tit. II, 11. III, 4. & maximè quod extat 1. Joh. III, 8. ubi dicitur quod ad id ἐφανερώθη Dei Filius ut deſtrueret opera Diaboli: Adde locum Heb. IX, 26. ubi dicitur quod Chriſtus in conſummatione ſæculorum πεφανέρωται ad peccatum è medio tollendum immolatione ſuiipſius. Sed præſertim, reliqua attributa in oratione Pauli ſatis oſtendunt de Chriſto agi; Myſterium enim juſtificari, nuſpiam legimus; Sed hoc apprimè convenit Chriſto, qui licet in carne

carne morte affectus, & condemnatus ab iniquis,& improbis annumeratus, tamen *declaratus fuit filius* Dei *potenter ſecundum Spiritum ſanctificationis per reſurrectionem à mortuis*, inquit Paulus Rom. I, 4. Nec dubitem quin manifeſtatū fuiſſe in carne & juſtificatum in Spiritu conveniat Chriſto apud Paulum, eodem ſenſu quo Petro dicitur *mortificatus*, ſive morte affectus, carne, & *vivificatus Spiritu* 1 Pet. III, 18. Quâ utique ratione ita ſolemniter fuit juſtificatus adverſus ſuorum inimicorum criminationes primas, ut etiā ei inſuper juſtificando contra eorundem calumnias plurimū inſervierit copioſa Spiritus Sancti effuſio in ſuos; quorum adeo Miniſterio effectum eſt ut Sapientia à filiis ſuis juſtificaretur Matt. XI, 19. Flocci enim facienda puto, quæ nonnulli hodie novaturientes Theologaſtri nuperrimæ editionis, κακȣ̃ κόρακ☉ κακὰ ὠὰ, abſque judicio conſcribillant de juſtificatione Chriſti coram Deo ſuæ obedientiæ merito; cùm non venerit juſtificandus & glorificandus ex ſuis meritis, ſed nobis remiſſionem peccatorum, juſtitiam & vitam, ſuo obſequio ſuaque ſatisfactione comparaturus; quod disertè teſtatur Matt. XX, 28. & Joh. XVII, 19. Uno verbo ut per antitheſim carnis ad ſpiritum in nobis, denotantur aliquando duæ partiariæ naturæ quibus conſtamus, corpus & anima, ut Heb. XII, 9. ſic in Chriſti perſona iſta oppoſitio non rara inter Carnem & Spiritum, ut Rom. I, 3. 4. I. Tim. III, 16. I. Pet. III, 18. Heb. IX, 14. nos rectà ducit ad duas in ipſo diſtinctas naturas, Divinitatem & Humanitatem, agnoſcendas. Chriſto quoque convenit *viſum* fuiſſe ab Angelis, qui ejus natalia & annunciarunt & feſtivo cantico celebrarunt, ei in deſerto fideliter miniſtrarunt, eum in agone ſunt conſolati, primi fuerunt teſtes & præcones ſuæ reſurrectionis, & dicuntur *cupere* in ea quæ per Euangelium de Chriſto annunciantur *introſpicere* I. Pet. I, 12. Et quamvis non negem poſſe ſtatui myſterium pietatis *prædicatum gentibus*, id tamen de ipſo Chriſto dici, convenit magis ſtylo Scripturæ, ut videre eſt I. Cor. XV, 12. Phil. I, 15. Sic & Chriſti eſt potiſſimum credi in mundo; cùm nihil frequentiùs occurrat in Scripturis quam fides Chriſti & in Chriſtum, Joh. III, 16. XIV, 2. Phil. III, 9. & alibi paſſim: Creditum autem myſterium, non memini uſpiam legere: Prout etiam aſſumptū fuiſſe in gloriā, Chriſto demùm convenit ex ſtylo Scripturæ, quæ Aſcenſionem Chriſti hoc ipſo verbo ἀνελήφθη exprimit Marci XVI, 19. cui concinit participium ἀναληφθεὶς adhibitum Act. I, 11. & utrique correſpondet τὸ ἀνεφέρετο eundem in uſum Luc. XXIV, 51.

Deinde ſi maximè haberetur vox *Dei* ſubjecti loco poſita, non tamen Dei Filium, ſed ipſius Patrem, ut aliàs ſemper, cum itidem ſubjecti locum obtinet, ſignificaret; atque adeò Deum Patrem in carne manifeſtatum fuiſſe, intelligendum eſſet: quod quid ſit, paulò pòſt intelligetur. Quòd ſi quis dixerit, ideò non de Deo Patre, ſed de Chriſto potiùs verba iſta accipienda eſſe, quòd eundem Deum in gloria aſſumtum, id eſt, in cœlum ad ſempiternam gloriam receptum eſſe, Apoſtolus teſtetur: reſpondemus, horum nihil hîc Apoſtolum dicere: cum aliud ſit *in gloria*, id eſt, cum gloria, ſeu glorioſè, (*vid*: 2. *Cor*: 3, 11. *Phil*: 4, 19.) aliud in gloriam cœlumvè aſſumi, & à dextris Dei conſtitui. Adde, quòd ipſa horum verborum

rum complexio iſtam adverſariorum explicationem prorſus excludit: cum ante iſtam in gloria aſſumtionem, Deus gentibus prædicatus, eique fides in mundo adjuncta fuiſſe dicatur. Id quod, antequam Chriſtus in cœlum aſcenderet, nunquam factum fuiſſe, quis ignorat? In carne quoque manifeſtari, carnem fieri, aut carnem aſſumere, ſignificare, nulla ratione demonſtrari poteſt.

1 *Deinde ſi maximè*] Verùm ſuo loco oſtendi vocem *Dei* ſæpiùs etiam attributivè de Patre æquè ac de Filio, & de hoc è contrario quandoque ſubjectivè, uſurpari, ut nominatim Act. xx, 28. ubi dicitur Deus proprio ſuo ſanguine Eccleſiam ſuam redemiſſe; quod ſanè ad Patrem traduci nullâ ratione nulloque prætextu probabili poteſt: adeoque hanc regulam eſſe falſam, quâ nituntur adverſarii ut enervent Catholicum argumentum pro Deitate Chriſti inde deſumptum, quod *Deus* verus, *Deus* benedictus, *Deus* magnus, ſæpiculè appellatur in Scripturis. De Deo Patre autem hunc locum Pauli poſſe intelligi dum nugatur Adverſarius, ſuam prodit τὴν διανοίας ἀῤῥωστίαν, cùm nulli alii quam Chriſto, hæc omnia attributa queant convenire; quare ſimplici affirmationi Volkelianæ, noſtram ſimplicem negationem hic opponere ſufficit.

Quod ſi quis dixerit] Jam ante oſtendimus hanc ἀνάληψιν Chriſti denotare aſcenſionem ejus glorioſam, prout de Chriſto dicitur Marci xvi, 19. quod ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, *aſſumptus eſt*, ſive ſurſum receptus, *in cœlum* Ridicula, verò eſt diſtinctio Volkelii inter aſſumi *in gloria*, & aſſumi *in gloriam*, ut hoc quidem non neget tribui Chriſto, illud verò illi ſtatuat abrogandum. Nam primò non negabit, opinor, quod Chriſtus in ſua Aſcenſione ἀνελήφθη, ſive ſurſum receptus eſt, *cum gloria ſeu glorioſe*; adeoque & illi poſſe convenire ipſiuſmet ſenſu quod ἀνελήφθη ἐν δόξῃ, aſſumptus ſit in gloria. Secundò quamvis illud *in gloria* 2 Cor. iii, 7. 8. 11. Phil. iv, 19. non poſſit idem eſſe quod *in gloriam*, tamen cùm neutro illorum locorum ulla fiat mentio τῆς ἀναλήψεως, nullumque verbum extet, quod importet, ut hîc, motum ad locum, & terminum ad quem exigat; ſed priori de Miniſterio utroque Legis & Euangelii, quanquam de hoc magis, dicatur quod ſit ἐν δόξῃ, ideſt *glorioſum*, ſive cum gloria & ſplendore conjunctum; poſteriori, confidat Apoſtolus Deum ſecundum divitias ſuas, *glorioſè*, ἐν δόξῃ, ſuppleturum quicquid Philippenſibus deerat; oportet eos inſanire, qui ex duobus illis locis, genuinum ſenſum hujus de quo nunc agimus exſculpere velint. Tertiò ea eſt ratio linguæ Græcæ in N. T. ut ſæpè illæ duæ particulæ εἰς & ἐν, inter ſe commutentur, ita ut & εἰς ponatur pro ἐν, ut 1. Cor. x, 2. 2. Cor. xiii, 4 & viceverſâ ἐν pro εἰς & termino ad quem; ut juxta Bezæ verſionem 1. Joh. iv, 2. 3. ubi dicitur Chriſtus veniſſe ἐν σαρκὶ, ideſt *in carnem*, quia τὸ *venire* videtur motum ad locum ſignificare: ſic Matt. xxvii, 5. *cùm projeciſſet argenteos* ἐν τῷ ναῷ, *in templum*, & Marc. v, 30. converſus ἐν τῷ ὄχλῳ *ad turbam*, & Joh. v, 4. *deſcendit* ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, & 1. Cor. vii, 15. Deus *vocavit nos* ἐν εἰρήνῃ, *ad pacem*.

Adde quod ipſa] Abſurdum eſt hoc effugium, cùm in ejuſmodi ἀθροίσμοις nequidem ſæculi Oratores, multo minus

nus Scriptores Sacri, ſoleant præciſè ordinem ſervare vel temporis vel naturæ. Videatur 2. Cor. VII, 11. ubi defenſio præcedit indignationem, utraque timorem, hic vehemens deſiderium, & zelum & vindicationem; cùm tamen ordine naturæ timor præceſſerit indignationem, hanc ſequutum ſit vehemens deſiderium, huic ſucceſſerit zelus, illi defenſio & vindicatio. Et præterea quod frequentes ſunt ὑστερώσεις in ſacris literis, ac plerumque veniat in illis explicandis obſervandus Canon hic Rabbinorum, *In Lege non eſt prius & poſterius*, non vidit Volkelius hanc ſuam obſervationem in ſua crura recidere. Nam ſi quia aſſumptio Chriſti in gloriam præceſſit ordine temporis prædicationem Euangelij inter gentes, non debet Apoſtolus de illa hîc eſſe loquutus, cur non pari ratione dixerim, non loqui Apoſtolum de manifeſtatione Dei in carne infirma Apoſtolorum & præconum Euangelij, cùm hæc manifeſtatio ſit ordine poſterior eorum præconio inter gentes? Quid quod huic objectiunculæ Volkelianæ reſponderi poſſit quod habet Theodoretus *ad hæc verba; Hoc quidem factum eſt ante prædicationem; poſtremo autem loco id poſuit, docens prædicationem fuiſse jure creditam. Eſt enim in cœlis qui hoc juſſit fieri & à dextris conſidet.*

In carne quoque manifeſtari] Imò ſanè manifeſtari in carne, venire in carne vel in carnem, ex Patribus factum eſſe ſecundum carnem, quæ omnia de Chriſto dicuntur, nihil aliud eſt quam Chriſtum hominem factum eſſe & miſſum ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας Rom. VIII, 3. tamen abſque peccato Heb IV, 15. ut ita in carne peccatum condemnaretur. Et ſane cùm non auſit negare Volkelius Chriſtum in carne veniſſe & nobis per omnia factum eſſe ſimilem excepto peccato, & hunc ipſius adventum in mundum, eſſe ipſius manifeſtationem & apparitionem, ut etiam ſuprà viſum, non video qui poſſit negare hæc duo eſſe ſynonyma, in carne manifeſtari, & hominibus aſſumptâ naturâ conſpicuum fieri.

Interim cum perpetua ſcripturæ veritate congruentius eſt, Deum per homines infirmos, morti afflictionibuſque obnoxios, qui ideò hîc carnis homine appellantur, ſeſe mundo patefeciſſe. Talis autem fuit Chriſtus ejuſdemque Apoſtoli, qui divinæ voluntatis myſterium hominibus annunciârunt. Hinc talis loci iſtius ſenſus emergit: Deum ſeipſum voluntatemque ſuam à ſeculis reconditam, per Chriſtum Apoſtoloſque variis ejus rei gratiâ perpeſſionibus vexatos, (*vid:* 2. *Cor* 4. 7.) clariſſimè propoſuiſſe: interim tamen, etiamſi hominum adeò infirmorum operâ eam revelârit, virtute ſuâ divinâ, quam in illis exeruit, effeciſſe, ut juſtus ac verax agnoſceretur, ejuſque voluntas approbaretur. Eo demum tempore ab ipſis angelis divinam hanc voluntatem rẹvera agnitam perſpectamque fuiſſe, & multiplicem illam Dei ſapientiam, quæ in ea elucet, ipſis patuiſſe. (*Eph.* 3. 10.) Eandem Dei voluntatem Gentibus extraneis, quæ à Deo antea prorſus alienæ fuerant, ac divinis patefactionibus deſtitutæ, prædicatam eſſe; eique in toto terrarum orbe paſſim fidem eſſe habitam; eam denique ſumma cum gloria ab hominibus palàm fuiſſe receptam.

Interim

Digitized by Google

‡ *Interim cum perpetua*] Imò verò, nullum exemplum iſtius loquutionis profert vel proferre poteſt Adverſarius; Et qui non vult ἀνάληψιν ἐν δόξῃ, idem eſſe quod aſſumptionem εἰς δόξαν, *in glorium*, multo minus debet ſibi ſumere licentiam, φανέρωσιν ἐν σαρκὶ, apparitionem & manifeſtationem in carne, interpretandi veritatis divinæ manifeſtationem per carnē, διὰ σαρκὸς, licet φρόνημα τῆς σαρκὸς ſit ἔχθρα εἰς Θεὸν Rom. VIII, 7. Ubi miros ludos nobis exhibent Hæretici; Nam volunt Deum denotare voluntatem divinam, cui cætera per conſequens conveniant, nominatim juſtificari in Spiritu, videri ab Angelis, aſſumi in in gloria; Volunt Dei manifeſtationem eſſe revelationem doctrinæ Euangelicæ, miniſterio Apoſtolorum, etſi Deus dicatur manifeſtaſſe Gentilibus τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ per opera naturæ Rom. I, 19. ubi legitur τὸ φανερόν ἐστι, & τὸ ἐφανέρωσε Volunt quod manifeſtari *in carne*, idem ſit quod manifeſtari inſtrumentaliter per carnem, licet non auſint dicere quod venire in carne idem ſit quod venire inſtrumentaliter per carnem; id enim nullum ſanum ſenſum poſſet admittere; Volunt nomine carnis intelligi, non carnem ipſam ſubſtantivā, ſive humanam naturam, ſed *homines infirmos, morti affictionibuſque obnoxios*, eoſque reſtrictos ad certū ordinem, non in communi, licet id nomen *Carnis* ſit commune omnibus hominibus, etiam ubi notat infirmitatem & corruptibilitatem, ut Pſalm. LXXVIII, 39. Eſ. XL, 6. Quæ ſanè omnia oſtendunt Socinianos circa hunc locum ad miras anguſtias eſſe redactos, neque hæc comminiſci niſi ut ſerviant ſuæ hypotheſi, & quocunque modo offundant tenebras veritati.

Talis autem fuit Chriſtus] Primò id abſurdum eſt, quod circa hanc Dei manifeſtationem, pari loco habeantur Chriſtus & Apoſtoli; cùm ille Dominus & Herus ſit ac Magiſter, hi nonniſi Miniſtri, Famuli & Diſcipuli. Deinde ſi Chriſtus & Apoſtoli oppoſitè ad cœteros homines, *carnis* nomine hoc loco debent intelligi, qui quæſo quales-ve dicendi erunt reliqui, quibus per Chriſtum & Apoſtolos *divinæ voluntatis myſterium* fuit annunciatum, quique illud proterviter magna ex parte rejecerunt? Utique enim juxta oppoſitionem quæ extat Eſ. XXXI, 3. ſuprà notatam à Volkelio, *Ægyptius homo eſt non autem Deus fortis, & equi eorum caro non autem Spiritus*, (ubi ſynonymōs uſurpantur *homo* & *caro*) debuiſſent iſti eſſe & cenſeri Dii fortes & Spiritus, quod diacriticè ad illos Chriſtus & Apoſtoli *carnis* nomine exprimantur. Quid quod falsò ſupponit hæreticus Chriſtum & Apoſtolos *hic carnis nomine* appellari, propter varias afflictiones & perpeſſiones, quibus ob annunciatum Euangelium vexati & obnoxii fuerunt: Nullus enim Scripturæ locus dabitur in quo *carnis* nomen ideo tribuatur quibuſdam hominibus quod præ cæteris ſint miſeriores, & vexationi majori apud alios ex veritatis profeſſione & doctrina obnoxii: cùm eo caſu, qui fortiter patiuntur dira quæque propter veritatem, minimum habeant carnis & plurimum Spiritus; ſed è contrario mera caro ſint & carnis vilia mancipia, qui eos vexant & perſequuntur.

Deum ſeipſum voluntatemque] Sed quam hic ſenſus ſit coactus & violentus, jam oſtenſum eſt: Nec ſi dixit Apoſtolus 2. Cor. IV, 7. habere nos *theſaurum hunc in teſtaceis vaſculis, ut hæc hujus potentiæ ſupereminentia ſit Dei & non ex nobis*, inde ſequitur manifeſtationem Dei in carne, eſſe 1. Tim. III, 16 prædicationem Euangelii *per Chriſtum Apoſtoloſque variis ejus rei gratiâ perpeſſionibus vexatos*. Nam hac notâ diſtinguuntur juxta Volkelium Chriſtus & Apoſtoli à cœteris hominibus; Sed dum Miniſtri

 Euange-

Digitized by Google

Euangelii à Paulo *teſtacea vaſcula* vocantur, diſtinguuntur ab ipſomet Deo, & ei opponuntur.

Interim tamen, etiamſi] Abſurdè, cùm hic *juſtificari in Spiritu* idem ſit quod *vivifica i Spiritu* 1. Pet. III, 18. vel ſaltem illius conſequens neceſſarium; ut non aliò debeat quam ad Chriſtum referri. Et debuiſſet hîc meminiſſe hæreticus ſuæ præcedentis contra nos inſtantiæ: Nec enim effectum eſt ut Deus *juſtus ac verax agnoſceretur ejuſque voluntas approbaretur*, niſi poſtquam Euangelium fuiſſet mundo annunciatum & fide receptum: Attamen, Apoſtolus illud huic utrique præmiſit.

Eo demum tempore] Sed nec tum demum cœpit Deus videri ab Angelis, cùm, juxta Chriſtum, illi in cœlis *per omne tempus* faciem Dei intueantur Matt. XVIII, 10. Nec Dei πολυποίκιλος ſapientia in negotio ſalutis diſpenſando innotuit juxta Paulus Eph. III, 10. *imperiis ac poteſtatibus quæ in cœlis*, aliter quam *per Eccleſiam*, jam inter gentes extraneas collectam præconio Euangelii; ut fruſtra velit Volkelius, hanc experimentalem cognitionem Angelorum, (quam ridiculè Dei Viſionem appellat) præceſſiſſe Euangelii prædicationem *Gentibus extraneis*; cùm Eccleſia demum per hanc prædicationem cogi & convocari cœperit.

Eam denique ſumma] Verùm admiſſio Veritatis ſalutiferæ per homines, κατάληψις potiùs quam ἀνάληψις deberet appellari; & nuſquam hoc nomine veritatis Euangelicæ admiſſio per homines deſignatur in Scripturis; & abſurdiſſimè Deus diceretur ἀναληφθεὶς ἐν δόξῃ quod homunciones dignarentur ſuam voluntatem *palàm* recipere.

Tertius locus, ex quo dogma iſtud ſuum elicere conantur, extat in Epiſt. ad Hebr. ubi D. Autor, (c. 2. 14, 16.) Chriſtum *carnis & ſanguinis participem factum eſſe*, & *non angelos, ſed ſemen Abrahæ aſſumere*, dicit. Ex his enim colligi ajunt, eum antequam iſta faceret, aliam quandam naturam, nempe divinam, habuiſſe, & porrò Deum revera hominem factum
464. fuiſſe, humanamve naturam aſſumſiſſe. Atqui carnis ſanguiniſque participem fieri, non eſt, ut iſti loquuntur, incarnari, vel naturam humanam aſſumere, eamque alteri, quam jam habeas, naturæ adjungere: cum & pueros, qui nonniſi Chriſti fideles ſunt, carnis ſanguiniſque participes factos eſſe ibidem dicatur, (ỳ. 14.) qui tamen nequaquam fuerunt incarnati, nec humanam naturam aſſumſerunt: ſed cùm nondum extarent, nati ſunt homines, carne & ſanguine circundati, ac porrò omnis generis afflictionibus, ac morti, etiam violentæ, cui poſtmodum ob Chriſtum magis adhuc ſubjiciuntur, obnoxii. His ergo ſimilem evaſiſſe Chriſtum ait, & conditione parem: id quod de illo dici poteſt, etiam ſi præter humanam nullam aliam naturam habuerit.

‡ *Tertius locus ex quo*] Nec duo iſta teſtimonia ex Heb. II, 14, 16. fuiſſent combinanda, cùm ex unoquoque eorum ſpeciale argumentum pro Veritate Catholica exſurgat; Nec ſatis fideliter vis argumenti noſtri ex utroque, exprimitur ab Adverſario. De primo primùm dicamus. Apoſtolus luculenter & graphicè

phicè admodum Divinitatem Chriſti æternam comprobaverat ac deſcripſerat toto capite primo hujus Epiſtolæ, ac nominatim eum ceu Dominum præpoſuerat multiſque paraſangis prætulerat Angelis: Inde initio capitis ſecundi colligit eò graviores pœnas metuendas inobedientibus Euangelio per ipſum Dominum promulgato, quò minus parcitum fuerat rebellantibus in Legem per Angelos adminiſtratam; Quo pacto autem ipſeDominus hanc novi Fœderis diſpenſationem ſuam fecerit, explicat porrò, dum oſtendit hunc Dominum, Dei Filium, licet ab ipſis met Angelis, ceu eorum & Univerſi conditorem, adorandum, factum pauliſper Angelis inferiorem, *propter mortis perpeſſionem*, ideſt ut eam ſuſtineret, & ita guſtaret mortem pro omnibus, quod ita illum deceret per varias perpeſſiones conſecrari & conſummari à Deo, qui per ipſum, ceu principem ſalutis, plures filios ad gloriam æternam adducere decreverat. Et cùm id non potuerit fieri quin fieret homo, & illis ſervandis ac cohæredibus ſuis conſtituendis, per omnia ſimilis, excepto peccato, ideo, inquit Apoſtolus, Chriſtus conſimiliter particeps factus eſt carnis & ſanguinis, quod & illi quos ſervandos à Patre acceperat, & quibuſcum ſe Patri ſiſtere volebat cum his verbis, *Ecce ego & pueri quos dedit mihi Deus*, carnis & ſanguinis ſint participes, ideſt revera ſint homines: id omne ex regula illa generali quam propoſuerat com. 11. *Nam & qui ſanctificat & qui ſanctificantur ex uno ſunt omnes.* Inde igitur noſtrum pro incarnationis myſterio argumentum eſt evidens: Qui quo inferior fieret Angelis, & communionem naturæ haberet cum hominibus à ſe redimendis, licet Angelis tantò ſuperior naturâ & dignitate, quantò Deus Creaturas, Dominus Miniſtros, ſuperat, particeps factus eſt carnis & ſanguinis, is utique aſſumpſit naturam humanam, cui præexiſtebat ſuâ Divinitate: At illud de Chriſto dicit liquidò Apoſtolus; Ergo & iſtud nos docet apertè & igne liquido liquidiùs. Atque ſic concidit tota reſponſio Volkelii: Nec enim argumentamur ſimpliciter ex eo quod Chriſtus dicatur fuiſſe aut factus κοινωνὸς & μετόχος carnis & ſanguinis, ſed ex eo quod id factus fuerit & ita ſervandis à ſe hominibus ſimilis evaſerit, cùm ſuperior licet naturâ & dignitate Angelis, inferior tamen illis voluit fieri, in illam μετοχὴν & κοινωνίαν carnis & ſanguinis deveniendo, propter mortis perpeſſionem, ut beneficio Dei mortem guſtaret pro omnibus illis filiis quos Pater per ipſum, Principem ſalutis conſtitutum, ad gloriam æternam traducere decreverat.

Aſſumere autem ſemen Abrahæ, ibidem non denotat, humanam naturam ad divinam adjungere: quippe cum ſemen Abrahæ, non humanam naturam, ſed Abrahami progeniem, nunc carnalem, nunc ſpiritualem ſignificet. Hoc loco de ſpirituali ſumi poteſt, quam paulò antè filiorum Dei, & puerorum, eorumque nomine cohoneſtaverat Autor divinus, qui ſanctificantur, quoſque Chriſtum non puduerit fratres appellare. Unde huic ſemini non angelica natura, nec angelus aliquis, ſed *angeli* opponuntur. Illos igitur Chriſtum aſſumere, Autor D., & veluti manu porrecta apprehendere, ſuſcipere, ac ſublevare dicit. Id enim denotare ſolet verbum ἐπιλαμβάνεσθαι, cujus propria ſignificatio eſt, ſuſcipere vel apprehendere: quemadmodum videre eſt inter alia Luc: 14. 4. Act: 9. 27. ad quam ſignificationem

 alludi-

Digitized by Google

alluditur infrà apud hunc eundem Autorem, cap. 8. v. 9. ubi Deus dicitur apprehendiſse manum patrum Iudaici populi, ut eos educeret ex Ægypto, ubi eſt participium à verbo ἐπιλαμβάνεσθ deductum. Sed eandem, quam nos iſto cap. 2. loco conſtituimus, ejus verbi ſignificationem habes Eccl: 4. 12. ubi ſapientia dicitur ſuſcipere (Græcè ἐπιλαμβάνεσθ) inquirentes ſe. Patet autem etiam ex eo, de incarnatione ibi ſermonem non eſſe, quod Autor dicit, Chriſtum *aſſumere* ſemen Abrahæ, non verò, ut vulgò exiſtimare videntur *aſſumpſiſſe*. Loquitur nempe de re ejuſmodi, quæ adhuc duret, non quæ olim jam præterierit, qualis eſſet incarnatio, quam jam olim factam eſſe neceſſe eſſet; quemadmodum ſanè factam eſſe urgent ii, cum quibus hoc loco diſputamus.

‡ *Aſſumere autem ſemen*] Socinus omnium primus, hujus loci Heb. 11, 16 hanc depravationem invexit; cùm omnes Veteres tam Græci quà Latini, (quos æquè benè intellexiſſe ſignificationem verbi ἐπιλαμβάνεσθαι, ac hodiernos hæreticos, jure dixerimus,) Paulum intellexerint de carnis & naturæ humanæ, non Angelicæ, aſſumptione per Chriſtum, cùm μετέσχε, particeps factus fuit, carnis & ſanguinis: Et quamvis Joanni Cameroni, ingenii paſſim luxuriantis ac novaturientis, & qui ejuſmodi Scripturæ corruptelas Socinianas, tunc minus adhuc notas, ſubinde adoptabat ut ſui admirationem majorem apud plebeculam togatam excitaret, hæc depravatio Socini arriſerit, & paucis ejus mirionibus poſt ipſum, qui malunt Cameroniſtæ audire quam Proteſtantes aut Reformati, nemo tamen ſanæ mentis & qui ſuo judicio non penitus renunciaverit, iſti delirio poterit aſſurgere. Nam licet *ſemen Abrahæ* ſit quandoque nomen collectivum, totam Abrahæ poſteritatem ſignificans, tamen hîc loci debet ſumi de ſingulari & individua illa carne, juxta quam Chriſtus filius Abrahami dicitur Matth. 1, 1. & factus ex patribus ſecundum carnem Rom. IX, 5. Nam ſemen Abrahæ etiam ſingulariter ſumi de Chriſto, liquet palam ex Gal. III, 16. ubi ita loquitur Apoſtolus, *Abrahamo dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus: Non dicit, Et ſeminibus de multis, ſed ut de uno, Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus*: quid quæſo expreſſius? Et eo ſenſu eſſe ſumendum in hoc loco, patet; quia primò agit Apoſtolus de apparitione Chriſti in carne, per quam factus eſt *paulliſper inferior Angelis propter mortis perpeſſionem* com. 9. ejuſdem conditionis & naturæ cum iis qui ſanctificantur, unde non erubeſcit eos *vocare fratres* com. 11. & παραπλησίως μετέσχε, particeps factus eſt, carnis & ſanguinis, *ut per mortem aboleret eum penes quem eſt mortis robur, hoc eſt Diabolum; & liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam damnati erant ſervituti* com. 14. & 15. Ut ſubjiciendo com. 16. & 17. *Non enim utique Angelos aſſumpſit, ſed ſemen Abrahami aſſumpſit*, ὅθεν ὤφειλε κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, evidenter doceat quomodo induerit hanc mortalitatem, & carnis ac ſanguinis communionem cum iis quos à Patre redimendos ſuſceperat, nempe non aſſumendo Angelos, ſive naturam Angelicam, in qua nec mortalis, nec hominibus per omnia ſimilis, fuiſſet, ſed humanam ex Abrahami ſemine. Deinde ſi hic intelligis collectivè poſteritatem Abrahami, ea debebit eſſe vel carnalis, vel

ſpiritua-

ſpiritualis: Sed neutra Sociniano & Cameroniano ſenſu poteſt intelligi: Non illa utique; quoniam Chriſti auxilium & opitulatio non debet reſtringi ad poſteros Abrahæ ſecundum carnem, cum ad quoſlibet electos & credituros ex poſteritate Adami pertineat, ut conſtat ex Joh: x, 16. xi, 52. xii, 32. Gal. iii, 28. 1. Joh ii, 2. Apoc. v, 9. & multis aliis locis. Non etiam hæc, ut vellet Volkelius; cùm ſaltem in Schola Socini & Cameronis Chriſti auxilium & beneficium, pertineat univerſaliter ad omnes homines, nec ſit reſtringendum ad ſolam progeniem ſpiritualem Abrahami.

Unde huic ſemini] Quaſi verò non foret familiare Scripturis nomen plurale ponere pro ſingulari, ut Matt. xxvii, 44. collato cum Luc. xxiii, 39. item Luc. xix, 33. Aut uſurpatione concreti pro abſtracto, per Angelos in plurali, non poſſet intelligi Angelica natura, quo ſenſu Act. xxiii, 8. Sadducæis tribuitur quod dicerent non eſſe *Angelum neque ſpiritum*, ideſt nullam dari naturam ſpiritualem & Angelicam.

Illos igitur Chriſtum] Quod *aſſumere* idem ſit ac *ſuſcipere*, largior Volkelio; ſed non item quod aſſumere aut ſuſcipere idem ſit quod *ſublevare*; multo minus quod uſpiam in Scripturis beneficium redemptionis quæ eſt in Chriſto, exprimatur verbo ἐπιλαμβάνεσθαι aut Latino aſſumendi, ſuſcipiendi ac ſublevandi. Ne dicam fruſtra negaturum fuiſſe Apoſtolum Chriſtum manum porrexiſſe Angelis ſublevandis, (ſi boni præſertim intelligantur, pro ſtylo ordinario Scripturæ) cum Angeli boni ſemper ſteterint in officio, neque erectione aut ſublevatione indiguerint.

Id enim denotare ſolet] Id verò probandum fuiſſet, non ſimpliciter aſſerendum: Et nullum profertur teſtimonium Scripturæ in quo ἐπιλαμβάνεσθαι, idem ſit quod ἀντιλαμβάνεσθαι, ideſt opitulari & ſublevare. Et cùm *propria* hujus *ſignificatio* ſit, fatente Adverſario, *ſuſcipere, vel apprehendere*, adeoque & aſſumere, ut hic redditur ab omnibus ferè Interpretibus, nulla ſubeſt ratio cur ab illa ſignificatione propria, recedamus ad impropriam & plane inuſitatam auxiliandi ac redimendi. Sane Luc. xiv, 4. agitur de prehenſione propriè dicta, per quam Chriſtus hominem hydropicum, injectâ in eum manu, ad ſe aſſumpſit & accedere proximè fecit, ut eum ſanaret. Nec ſublevandi, ſuſcipiendi, aut opitulandi, nedum redimendi, ſed tantum aſſumendi ſecum, habet ſignificationem Act. ix, 27. ubi dicitur Barnabas ἐπιλαβόμενος Saulum, eum duxiſſe ad Apoſtolos; vide Luc. ix, 47. Multo minus huc facit locus Heb. viii, 9. *ubi Deus dicitur apprehendiſſe manum patrum Iudaici populi, ut eos educeret ex Ægypto*, cùm hîc non dicatur Chriſtus ἐπιλαμβάνεσθαι τῆς χειρὸς σπέρματος Ἀβραὰμ, per metaphoram deſumptam, vel à nutricibus, quæ ſuos alumnos nondum gradiri peritos prehendunt manu, ut eos deducant, vel à cœcorum ductoribus, qui correptâ eorum manu illos tutò abducunt, & quomodo propriè Chiliarcha dicitur ἐπιλαβόμενος τῆς χειρὸς adoleſcentis illius qui ei fecit indicium conſpirationis Judæorum contra Paulum, cum illo ſeorſim ſeceſſurus Act. xxiii, 19 ſed ſimpliciter ἐπιλαμβάνεσθαι σπέρματος Ἀβραὰμ. Locus Syracidis iv, 12. eſt longè ineptior, tum quia ſcriptor eſt Apocryphus, tum quia hic ἐπιλαμβάνεσθαι, eſt quidem ſuſcipere & aſſumere ad ſe, id eſt in ſui conſortium recipere, non verò opitulari aut ſublevare. Et quamvis V. V. ita habeat, *Sapientia filiis ſuis vitam inſpirat & ſuſcipit inquirentes ſe*, tamen commodior eſt Junii verſio, & magis quadrans textui Græco, *Sapientia exaltat filios ſuos, & prehendit manu eos*

qui

qui quærunt ipſam. Etenim in Græco textu ita legitur; ἡ σοφία υἱοὺς ἑαυτῆς ἀνύψωσε ϗ ἐπιλαμβάνεται τῶν ζητούντων αὐτήν.

Patet autem etiam ex eo] Etſi Vulgatus Interpres non *aſſumendi* verbum hic habeat, ſed *apprehendendi*, tamen τὸ *apprehendit* quod habet, æquè poteſt ſumi in præterito, ac τὸ *aſſumpſit*, quod habent Beza, Genevenſes, Italus, Syrus; Quamvis etiam textus Originalis præſens habeat, meritò tamen obſervarunt plerique Interpretes eſſe hic ſacris literis ſatis frequentem enallagem temporis præſentis pro præterito, quod ea denotetur facta aſſumptio, cujus actus perpetuò durat & continuatur in æternum: Nam, ut benè docent Theologi ex Damaſceno, quod Filius Dei ſemel aſſumpſit nunquam depoſuit. Incarnatio quidem *jam olim* facta eſt, ſed cùm permaneat in æternum, & unio naturarum in Chriſto ſit planè indiſſolubilis, illi ſignificandæ verbum præſens æquè potuit adhiberi ac præteritum.

Ex eodem quoque Autore illa verba adducere ſolent: *Ideo ingrediens in mundum dicit: hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptâſti mihi* (*Heb*: 10. 5.) Vbi apertiſſimè iſtam incarnationem nobis ob oculos poni affirmant.
465. At verò iſte in mundum ingreſſus, nec Chriſti deſignat, ut illi exiſtimant, nativitatem, nec locutio *corpus aptare*, humanæ ſignificat naturæ aſſumtionem.

† *Ex eodem quoque Autore*] Et hic quoque locus Heb: x, 5. apertè militat Veritati: Nam Paulus applicans Chriſto verba Davidis Pſal: xl, 7. quæ citat juxta Græcam Verſionem, eum introducit dicentem ſub tempus ſui in hunc mundum ingreſſus, *Sacrificium & oblationem*, ſcilicet ex bobus & ovibus, *noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi*, quod videlicet offeram ipſe pro peccatis aliorum, in eo tibi obediens factus uſque ad mortem crucis. Nec tam denſas tenebras poterit unquam Volkelius huic luci offundere, ut ejus radios vel cohibere vel obtundere queat.

At verò iſte in mundum] Imò vero utrumque luculenter poteſt demonſtrari: Nam *iſte in mundum ingreſſus* non alius eſſe poteſt quam is cujus fit mentio Heb. 1, 6. ubi ille mundus in quem Pater introduxit ſuum Filium ab omnibus Angelis adorandum, οἰκουμένη appellatur. Nec alio ſenſu Chriſtus dicitur ingreſſus in mundum, quam quo dicitur illuminare omnem hominem venientem in mundum Joh. 1, 9. & negat ſe veniſſe in mundũ ut mundũ condemnet Joh. iii, 17. & appellatur Lux quæ venit in mundum Joh. iii, 19. xii, 46. ac Propheta qui venturus erat in mundum Joh. vi, 14. & profitetur ſe veniſſe in hunc mundum ad judicium exercendum Joh. ix, 39. & Martha eum confitetur illum eſſe Chriſtum Filiũ Dei qui in mundum venturus erat Joh. xi, 27. Prodiit enim à Patre & venit in mundum (in mundum miſſus ab eo Joh xvii, 18. & ad hoc venit in mundum ut det teſtimonium veritati Joh. xviii, 37.) ſed poſtea reliquit mundum & profectus eſt ad Patrem Joh. xvi, 28. Sic Paulus 1. Tim. 1, 15. dicit Chriſtum veniſſe in mundum ad ſervandos peccatores; & nullus in æternum proferetur locus, qui agat de Chriſti introductione, miſſione, adventu, ingreſſu, in mundum, alio ſenſu. *Corpus* verò *aptare* alicui, nihil aliud eſſe poteſt quam eum corpore, carne & oſſibus veſtire

Digitized by Google

veſtire ac induere; Ut verbum καταρτίζειν artificioſam illam corporis humani occultamque fabricam in matrum utero denotat, quam celebrat Propheta Pſal. CXXXIX, 15. Eodemque verbo utitur idem Apoſtolus agens de creatione mundi Heb. XI, 3.

Illud quidem ideò, quòd ſimulac in mundum illum ingreſſus eſt, ſacrificium ſuum faciendo, legales oblationes abrogâſſe, ibidem haud obſcurè dicitur: id quod in ipſius nativitate ſtatim factum eſſe, nemo dixerit. Quo fit, ut mundus hîc intelligi queat futurus, quem Chriſtus, ut cœleſte tabernaculum, ingreſſus, ſacrificium ſuum peragit.

‡ *Illud quidem ideo*] Inficeta plane ratio: Nam neque illud *ſimulac* eſt in textu, ſed tantum docet Apoſtolus ex Pſalte, ſubrogari obedientiam à Chriſto præſtandam Patri, in illo ipſo corpore quod ſibi eum in finem adaptatum profitetur, ſacrificiis legalibus, ut pote quibus peccata auferri non poterant; & revera venit in hunc mundum oblaturus illud Sacrificium cruentum corporis ſui, in quo peccata noſtra tulit ſuper lignum 1. Pet. II, 24. cujus vi *legales oblationes* ſunt abrogatæ. Nam ideo in ſua morte dicebat *Conſummatum eſt* Joh. XIX, 30. & cùm pateretur in cruce velum templi fiſſum fuit per medium à ſummo ad imum Matt. XXVII, 51. quo cultus Levitici abrogatio & legalium oblationum abolitio ſignificabatur. Et licet hæc abrogatio *in ipſius nativitate ſtatim* facta non fuerit, naſcebatur tamen ut eam procuraret, & ſacrificium illud unicum ſuiipſius ſemel offerret quo conſummavit in perpetuum eos qui ſanctificantur.

Quo fit ut mundus hîc] Non audet dicere Volkelius quod hîc *mundus futurus* intelligatur, ſed tantum quod *intelligi queat*; ſcilicet ab iis qui pro lubitu affingunt Scripturis quicquid delirant febricitantes, ut pueri nolis ſonantibus quæ apud ſe cogitant & cantillant. Sed primò mundus abſolutè poſitus, ut hîc, nuſquam reſtrictè de *futuro* ſumitur. Secundò ex conſtanti ſtylo Scripturæ ſuprà annotato, ingreſſus & miſſio & adventus & introductio Chriſti in mundum, ejus adventum, exhibitionem & manifeſtationem in carne, ſolet denotare. Tertiò abſurdè dixeris Chriſtũ jam ingreſſum eſſe in mundum futurum; cùm nondum ſit mundus ille qui adhuc futurus eſt. Quartò nunquam *cœleſte Tabernaculum* quod Chriſtus ſubiit per ſuam Aſcenſionem, vel *mundi* abſolutè, vel *mundi futuri* nomine exprimitur. Quintò fatetur Volkelius hic eum intelligi mundum, in quo Chriſtus *Sacrificium ſuum peregit*; Atqui ſacrificium ſuum Chriſtus peregit in hoc mundo, dum animam ſuam expoſuit in *ſacrificium pro reatu* Eſ. LIII, 10. & factus eſt *peccatum* pro nobis 2. Cor. V, 21. & ſuum effudit ſanguinem in remiſſionem peccatorum pro multis Matt. XXVI, 28. Et qui attenderit ad ea quæ extant Heb. IX, 12. 13. 14. 22. 25. 26. 28. X, 12. 14. 20. facilè obſervabit, mortem Chriſti in cruce, fuiſſe illud piaculare, unicum, ſemel oblatum & irreiterabile ſacrificium ſuiipſius, in quo expiationem & remiſſionem plenam conſequimur peccatorum noſtrorum.

Hoc verò eam ob cauſam, quòd nec corpus totam humanam naturam ſignificat, ſed alteram hominis partem a ſpiritu ejus diſtinctam, nec verbum

bum κατηρτίσω, connectendi vel adjungendi ad aliquid ſignificationem habet, ſed potiùs aliquid aptum ad id, quod quæritur, atque accommodatum reddere, vel etiam omnibus ſuis numeris ac partibus abſolvere, deſignat.

‡ *Hoc verò eam ob cauſam*] Quamvis corpore & anima conſtet natura humana, nihil tamen frequentius eâ ſynecdoche quâ homines modò *corporum*, modo *animarum*, nomine exprimuntur. Σωμα pro toto homine ſumitur Matt. v, 29. 30. vi, 22. 23. xxvii, 52. 1. Cor. ix, 27. xii, 14. Gal. vi, 17. Jac. iii, 6. Apoc. xviii, 13. Et inter virum & uxorem per legem conjugii ea fit mutua traditio corporum, ex dicto Pauli 1. Cor. vii, 4. quæ etiam & per prius animorum conſenſionem exigit. Sed præſertim tralatitium eſt in Scripturis, corpus Chriſti ſumi pro illius carne & natura humana in qua mortem ſuſtinuit pro nobis, Rom. viii, 4. Phil. iii, 21. Heb. x, 10. 1. Pet. ii, 24.

Nec verbum κατηρτίσω] De iſto verbo jam ante dixi, illud habere ſignificationem, non quidem abſolutè *connectendi vel adjungendi ad aliquid*, ſed affabrè efformandi & coaptandi: Non potuit tamen Pater Filio mundum ingreſſuro, corpus affabrè efformaſſe, quin illud ei coaptaret & conjungeret. Nec enim dicit Chriſtus ingrediens in mundum, Aptum & accommodatum reddidiſti corpus meum, ſed Corpus *omnibus ſuis numeris ac partibus* abſolutum, *mihi* accommodaſti & adaptaſti: Non potuit autem illud *adaptari* Dei Filio, quin ipſi uniretur & connecteretur, ceu *aptum ad id* cui peragendo in mundum veniebat.

Cum igitur Chriſto ad ſui ipſius oblationem immortali corpore opus eſſet; ideò ejuſdem corpus, quod antea mortale erat, tunc Deum immortale, & ſic ad oblationem iſtam aptum atque accommodatum effeciſſe, D. Autor innuit, cum idem Chriſtus in hoc ſuum tabernaculum introiret.

‡ *Cum igitur Chriſto*] Imò verò mortali corpore Chriſto opus erat ad ſui ipſius oblationem in cruce peragendam; Nec agit Apoſtolus de primo Chriſti corpore reformando & ex mortali immortalitate donando; quod factum eſt in ipſius reſurrectione glorioſa; non cùm ingrederetur in mundum, ſed cùm erat ex mundo egreſſurus & rediturus ad Patrem: Verùm agit de ipſo eo corpore inſtructo & donato, in quo ſui oblatione noſtra peccata portaret ſuper lignũ, & hanc ſui ipſius hoſtiam, verè cruentam, ſubſtitueret victimis & oblationibus legalibus, quarum ſanguis auferre peccata non poterat. Sed ad ſomnia febricitantium pertinent quæ fingunt Hæretici de alio corpore accommodato Chriſto cùm in cœleſte ſacrarium introiit; Etenim aſcendit in cœlum in eo ipſo corpore jam immortalitate donato per ſui glorioſam reſurrectionem, in quo mortem ſuſtinuerat pro nobis; Nec ſubiit illud ſacrarium ad ſui oblationem faciendam, quæ jam ſemel pro ſemper peracta fuerat in cruce; ſed tantum ad illius ſuæ oblationis jugem repræſentationem, & ex illa efficaciſſimam interceſſionem pro nobis apud Patrem. Quæ omnia ita ſunt perſpicua in Scripturis, ut illis ulteriùs comprobandis velle immorari, foret digitum in Solem intendere. Ne dicam hæc alio loco commodiùs eſſe diſputanda & vindicanda.

Aſterii

Digitized by Google

Afferri ſolent & illa Ioannis verba, quibus *Ieſum in carne veniſſe* dicit. (1. *Joh*: 4. 2, 3.) Nihil aliud enim ſignificari illis contendunt, quàm Filium Dei incarnatum, & ſic divinæ naturæ humanam conjunctam fuiſſe: cum alium illum, qui in carne venit, aliud quoque ipſam carnem eſſe neceſſe ſit. Reſpondemus autem, Joannem, cùm hæc ſcriberet, iſtam incarnationem ne ſomniaſſe quidem; ſed ex ſacrarum literarum conſuetudine, carnis nomine fragilitatem ac infirmitatem, quæ in Chriſti morte potiſſimùm apparuit, intellexiſſe: contra Antichriſtianos ſpiritus oſtendere, eum Jeſum, qui in carne, ſive cum carne, id eſt, infirmitate venit, vel, ut explicatiùs dicam, qui non tantùm aliis malis in vita fuit obnoxius, ſed etiam acerbiſſimam crucis mortem expertus eſt, eſſe Chriſtum. Hoc enim à multis illius temporis hominibus negabatur, qui cùm Meſſiam ſive Chriſtum expectarent magna cum pompa ac ſplendore venientem, & vi potentiâque ſuâ Judæos ex ſervitute eripientem, eorumque hoſtes ſibi atque ipſis ſubjugantem, & maxima cum poteſtate in terris longè lateque dominantem; conſpecta poſtmodum Chriſti infirmitate atque acerbiſſima morte, eum pro Chriſto agnoſcere noluerunt. Hunc autem in modum verba illa conſtruenda eſſe: *Omnis ſpiritus, qui confitetur Jeſum, qui in carne venit,* [eſſe] *Chriſtum*; & participium ἐληλυθότα, & Joannis, aliorumque Apoſtolorum conſilium atque officium apertiſſimè indicat. Neque enim id præcipuè illis 466.
injunctum erat, ut Jeſum in carne veniſſe Judæis, qui hoc minimè ignorabant, imò contrà Apoſtolos urgebant, confirmarent, ſed ut eum, licet in carne veniſſet, nihilominus illum Chriſtum eſſe demonſtrarent.

† *Afferri ſolent & illa*] Quoniam argumentum ex his verbis quæ extant 1. Joh. IV, 2 3. non poſſunt evertere Hæretici, quin vim illis faciant evidentem, ante omnia debent referri, ut Græca ſonant. πᾶν πνεῦμα ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ἐν τοῦ θεοῦ ἐστι; καὶ πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ἐκ τοῦ θεοῦ οὐκ ἐστι, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ τοῦ ἀντιχρίστου &c. Hæc verba ita redduntur à Beza: *Quicunque ſpiritus profitetur Ieſum Chriſtum in carnem veniſſe, ex Deo eſt; at quicunque ſpiritus non profitetur Ieſum Chriſtum in carnem veniſſe, ex Deo non eſt; Sed hic eſt ille* Spiritus *Antichriſti* &c: Vulgata Verſio autem ſic habet; *Omnis Spiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: Et omnis Spiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Hæc autem interpretatio, potius paraphraſtica quam metaphraſtica, alterius pericopæ, oſtendit hujus Verſionis authori, omninò perſuaſiſſimum fuiſſe Apoſtolum agere de admittenda veritate incarnationis, & duarum in Chriſto naturarum perſonali unione; Siquidem ei ſynonyma ſunt negare Jeſum in carne veniſſe, & *ſolvere* Jeſum, ideſt naturarum alteram ipſi denegare. Sed de ipſa Verſione hac quicquid ſit, certum eſt primò Johannem hic loci idem inculcare quod docet Euangelii ſui cap. 1, 14. cùm

 ait

Digitized by Google

ait Sermonem carnem factum fuiſſe: iis autem verbis incarnationis myſterium luculenter proponi, ſuprà demonſtravimus. Secundò eum hîc characterem nobis proponi ex quo Pſeudo-prophetæ ſubeuntes Eccleſiam, & ſub Chriſtiano nomine Chriſtianiſmum oppugnantes, ac jam ſuo tempore præludentes magno illi Antichriſto, quem olim venturum, maximè ex Epiſtolis Pauli inter Chriſtianos tunc erat compertum, à genuinis & germanis Doctoribus ac Paſtoribus veniant diſtinguendi; Hos enim docet, magnum illud pietatis myſterium, Dei manifeſtati in carne, retinere & inculcare; Illos verò, hoc idem myſterium labefactare & impugnare. Tertiò in utraque hac pericopa Apoſtolum ἐν pro εἰς uſurpaſſe, quod eſſe in uſu frequenti Sacræ Scripturæ, jam ſuprà cum ageremus de loco Pauli 1. Tim. III, 16. oſtendimus variis exemplis. Ea præſertim enallage Johanni frequens eſt; Sic enim Joh. v, 4. dicitur quod Angelus deſcendebat ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, pro εἰς τὴν κολυμβήθραν. Sic Joh. XIII, 35. ἐὰν ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις, pro εἰς ἀλλήλους. Sic 1. Joh. IV, 9. ἐφανερώθη ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ ἐν ἡμῖν, pro εἰς ἡμᾶς. Sic 1. Joh. IV, 16, in hoc novimus & credidimus τὴν ἀγάπην ἣν ἔχει ὁ θεὸς ἐν ἡμῖν, iterum pro εἰς ἡμᾶς. Quartò illam phraſim quâ ſtatuitur JeſumChriſtum veniſſe in carnem vel in carne, ideo ab Apoſtolo uſurpari quò innuat Chriſtum præextitiſſe illi ſuæ carni in quam & in qua veniſſe & apparuiſſe dicitur, prout dicitur εἰς τὰ ἴδια veniſſe quando Sermo caro factus eſt Joh. I, 11. 14. Ex his autem ſatis liquet quam frivola ſit exceptio Adverſarii. Abludit enim manifeſtè & à ſtylo Scripturæ, & à contextus filo, & à ſcopo Apoſtoli. Abludit primò à ſtylo Scripturæ; Nuſquam enim reperiemus quod venire in carne, idem ſit quod *cum carne, id eſt infirmitate*, venire; multo minus quod idem ſit ac *non tantùm aliis malis in vita* eſſe obnoxium, *ſed etiam acerbiſſimam crucis mortem* experiri: Et ſi hæc debeat eſſe periphraſis iſtius loquutionis, quam ceu *explicationem* proponit Volkelius, nihil de Chriſto dixerit Scriptura cùm eum vel in carne veniſſe, vel carnem factum fuiſſe dicit, quod juxta non conveniat cuilibet homini, quoniam omnis homo caro eſt Joh. III, 6. aut potius quod non ſit reſtringendum ad ſolos cruciarios & furciferos; ſiquidem venire in carne eſt acerbiſſimam crucis mortem experiri: Quæ ſanè explicatio eſt lepidiſſima, quâ in carne venire is demum dicitur, qui abit in malam rem, ut Comici loquuntur, & ſuffigitur cruci, prout evenit duobus Latronibus concrucifixis Chriſto; quod annon ſit potiùs illudere Scripturæ quam eam explicare, judicet Lector. Abludit à contextus filo: Nec enim habet Apoſtolus, πᾶν πνεῦμα ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα εἶναι χριστὸν; ſed πᾶν πνεῦμα ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα: quæ duo toto cœlo differunt: cùm aliud ſit confiteri Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, aliud confiteri Ieſum qui in carne venit eſſe Chriſtum: Quamvis neque id obfuturum eſſet noſtræ ſententiæ; quia ſemper Ieſum in carne veniſſe, idem foret ac eum hominem factum fuiſſe & participem carnis & ſanguinis. Abludit tertiò à ſcopo Apoſtoli, qui non eſt hanc veritatem adſtruere, Ieſus ille qui in carne venit eſt Chriſtus, ſed hanc, Ieſus Chriſtus in carne venit; prout iterum dicit 2. Ioh. 7. *Multi impoſtores ingreſſi ſunt in mundum qui non profitentur Ieſum Chriſtum veniſſe in carne. A multis* quidem *illius temporis hominibus negabatur* Ieſum eſſe Chriſtum: Sed hæc erat negatio communis omnium Iudæorum, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum erat, ut Græcis ſtultitia; non verò eorum Pſeudo-

Pſeudoprophetarum, ſeductorum & hæreticorum, de quibus ſpeciatim agit Apoſtolus, & qui Chriſtianum nomen retinentes, Chriſtum tamen ſolvebant; vel eum merum hominem ſomniando, ut Ebion & Cerinthus, de quo per conſequens non poſſet dici eum in carne veniſſe, adeoque ſuæ illi carni præextitiſſe; vel veritatem carnis ſuæ negando, ut omnes Docetæ, quibus Simoniani, Gnoſtici, & Menandriani, jam tum præludebant.

Neque enim id præcipuè] At verò hic non agit Apoſtolus de Iudæis, extra Chriſtianum orbem & nomen conſiſtentibus, ſed de Pſeudoprophetis & ſeductoribus inter ipſos Chriſtianos exſurgentibus, & nova ſua dogmata contra primævam Euangelii Veritatem per fas & nefas Eccleſiæ obtrudentibus. Ac præterea tantum intererat Iohannis aliorumque Apoſtolorum, probare etiam Judæis Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ideſt λόγον carnem factum fuiſſe, quantum id faciebat amoliendo apud eos ſcandalo crucis, & comprobando, eum fuiſſe verum Emmanuelem & Redemptorem promiſſum à Prophetis.

Nec inſuper eo modo, quo volunt adverſarii, alium eum, qui in carne, aliam ipſam carnem eſſe neceſſe eſt, ita nimirum, ut eum aliquando carnem non habuiſſe, ſed in eam poſtea demum deſcendiſſe ſtatuatur: cùm à Paulo in carne ambulare, in carne vivere, in carne permanere, (2. *Cor.* 10, 3. *Phil.* 1, 22. 24. 1. *Pet.* 4, 2.) non alius quiſpiam extra carnem, ſed is ipſe homo dicatur, cujus caro pars quædam eſt: niſi in hominibus, quibus iſta tribuuntur, duas etiam naturas cogitare volumus. Et hanc quidem ob cauſam quidam locum adulterantes, non *in carne*, ſed *in carnem* verterunt, ut verba ipſorum ſententiæ magis viderentur conſentanea.

† *Nec inſuper eo modo*] Et hoc omne perperam: Nam primùm ſæpè illa phraſis *in carne ambulare*, aut *vivere*, ſumitur ſenſu morali pro affectibus vitioſis obſequi; ut cùm Paulo ſynonyma ſunt *ambulare ſecundum carnem* & *eſſe in carne* Rom. VIII, 2. 8. Sed eo ſenſu Chriſtus ambulaſſe, fuiſſe, veniſſe in carne, dici nullo modo poteſt. Deinde revera Paulus oppoſitione carnis ad ſpiritum ſæpè duas naturas diſtinctas connotat, eaſque conjunctas in eodem ſubjecto, vel phyſicè, ut cùm carnis nomine corpus, animam nomine ſpiritus, denotat Heb. XII, 9. vel myſticè, ut cùm luctam carnis & ſpiritus proponit Rom. VII, 14. Gal. V, 17. & in ſe ac quolibet fidelium *interiorem hominem* diſtinguit ab exteriori Rom. VII, 22. 23. Iam autem in Chriſto carnis diſtinctio à ſpiritu, quæ extat aliquando in Scripturis, ut Rom. 1, 3. 4. Heb. IX, 14. 1. Pet. III, 18. non poteſt eſſe coporis ab anima; multò minus carnis peccatricis ab homine interiore & Spiritu regenerante; ergo debet eſſe naturæ humanæ à divina, ut caro Spiritui & homo Deo forti opponitur Eſ. XXXI, 3. Præterea nullum Adverſarius profert teſtimonium, in quo hæc phraſis, *veniſſe in carne*, recurrat. Dicamur 2 Cor. X, 3. *in carne* militare licet *non ſecundum carnem* ambulemus, (ubi in voce carnis eſt manifeſta antanaclaſis) quia caro ſumus & hanc carnalem animalemque vitam vivimus in mundo toto tempore militiæ noſtræ; non tamen ideo dicimur veniſſe in carne, quod de Chriſto eſt confitendum. Dixerit Paulus Phil. 1, 22.

 24, non tam

24. non tam ſibi quam Philippenſibus conferre ut *vivat & permaneat in carne*, cùm id ſibi foret melius diſſolvi eſſeque cum Chriſto, non dixit tamen ſe veniſſe in carne illa in qua vivebat & permanebat; id enim ſapuiſſet delirium Origenis & Rabbinorum ſtatuentium animas præexiſtere corporibus, & jam ab initio mundi omnes ſimul cum Angelis conditas fuiſſe. Tum etiam id ipſum quod dicit Paulus ſe in carne militare, vivere, permanere ad tempus, implicat diſtinctionem in ipſo alterius nobilioris & præſtantioris naturæ, juxta quam in illa carne vivebat quidem & militabat, ſed optabat unà diſſolvi & eſſe cum Chriſto; ac diſſoluto hujus carneæ domus tabernaculo, ſuperindui domicilio illo quod è cœlo eſt 2. Cor. v, 1. 2. Idem dicendum de loco 1. Pet. iv, 2. prout ſeipſum Petrus diſtinguit ab hoc corporis & carnis ſua tabernaculo, quod brevi ſe depoſiturum noverat 2. Pet. 1, 13. 14. Cùm igitur neque illæ phraſes quas profert Adverſarius, de quoquam mortalium id dicant quod juxta Johannem debemus de Chriſto confiteri, *eum veniſſe in carne*, & etiam in ſingulis duas connotent naturas diſtinctas, animam ſcilicet & corpus, nihil ex illis poteſt habere præſidii quo argumentum noſtrum ex dicto Johannis elidat.

Et hanc quidem ob cauſam] Legitimam non adulterinam hanc eſſe verſionem Bezæ, & hîc ſumi ἐν pro εἰς, ut ſæpè in ipſa V. V. quod notatum ab Emanuele Sà inter alios, *in cum ablativo* ponitur pro *in cum accuſativo*, ac viceverſa, ſuperiùs comprobatum eſt.

Ex illis quoque Baruchi verbis hanc ſuam ſententiam evinci putant, quæ ſic in vulgata interpretatione habentur. (*Baruch.* 3. 3ʹ, 37, 38.) *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum: hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſraëli dilecto ſuo. Poſthæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus.* Atqui non ſolùm libri iſtius autoritas, apud magnam adverſariorum noſtrorum partem in dubium venit; verùm etiam, non Deum, ſed diſciplinam illam ſive ſcientiam poſtea inter homines viſam verſatamque fuiſſe, in græcis codicibus legi poteſt; quam idem Baruchus, mox in ſequenti capite, eam ob cauſam librum mandatorum Dei, & legem æternam nominat. Ita enim incipit caput ſequens: *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum.* Unde apparet, eum proximè antè de lege hac, ſeu libro legis, non de Deo, loquutum eſſe. Ad extremum, ſi maxime, & canonicum librum eſſe, & verba iſta ad Deum ſpectare concedamus: num protinus de aliquo æterno filio Dei vox *Deus* accipienda erit, & non potiùs de ſummo illo Patre? an porrò mox Deum humanam naturam aſſumſiſſe hinc efficietur? Nequaquam verò: cum non ſolùm alium ſummum Deum præter Patrem extare, adverſariis probandum priùs ſit, ſed Deus etiam ille ſummus excellentiſſima quadam ratione, etiam citra iſtam incarnationem, ab hominibus videri, interque illos verſari poſſit, dum videlicet ea voluntatis ſuæ myſteria aperit, eaque in ipſorum conſpectu opera facit, quæ homines

Digitized by Google

homines ad ejus cognitionem adducunt; cumque eos ſubinde familiariter, ut ita dicam, alloquitur, ſuoque favore præſens illis adeſt.

Ex illis quoque Baruchi] Sed cùm iſte liber ſit Apocryphus, nec extet in Canone Judæorum, nolim ejus authoritate & teſtimonio vehementer pugnare. Interea tamen neceſſarium non eſt quod ait Adverſarius, Græcum textum poſſe intelligi non de ipſo Deo, ſed de illius diſciplina, poſtea inter homines viſa & converſata; cùm illud μετὰ τοῦτο ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη, coactiùs ad πᾶσαν ὁδὸν ἐπιστήμης, quam ad Deum qui eam adinvenit & tradidit Iſraeli, referatur: Nam neque *ſcientia*, neque *omnis via ſcientiæ*, ſatis commodè dici poſſet *videri* & *converſari inter homines*. Et quod iſte ſcriptor, juxta V. V. tribuit Deo noſtro, poſt legiſlationem viſo in terris & cum hominibus converſato, ut magnam habet affinitatem cum dicto Johannis 1, 14 de ſermone quem priùs *Deum* vocaverat, quod caro factus, fuerit *commoratus inter nos* ita ut ſpectaverimus gloriam ejus ceu unigeniti à Patre, ſic videtur ab eo qui Baruchi nomen ſibi fecit, (ſi hæc pericopa non ſit potiùs à manu Chriſtiana,) deſumptum fuiſſe ex Eſ. XXXV, 4. 5. *Ecce Deus veſter ultio advenit, retributio Dei, ipſe adveniet ſervaturus vos. Tunc aperient ſe oculi cæcorum, & aures ſurdorum patefient* &c.

Ita enim incipit] Sed quamvis ex illo capitis quarti initio benè colligas, quæ ſit illa via ſcientiæ quam Deus noſter nobis patefecit, ac ubi, juxta hunc Authorem, reperiatur, inde tamen non ſequitur ultima capitis tertii verba, potiùs ad viam ſcientiæ quam ad Deum ejus authorem & datorem eſſe referenda.

Ad extremum, ſi maximè] Imò verò hoc poſito, vox iſta *Deus* de Filio, non de Patre, erit intelligenda: Nam Deum Patrem nemo vidit unquam Joh. 1, 18. nec factus eſt viſibilis, nec viſibiliter converſatus eſt inter homines, niſi in ſuo Filio, Deo manifeſtato in carne 1. Tim. III, 16. Joh. XIV, 9. Deum verò Patrem, ſepoſitâ incarnatione Filii, qui cum Patre eſt ſummus & verus Deus ſuper omnia benedictus, *ab hominibus videri interque illos verſari* dici poſſe, dum *voluntatis ſuæ myſteria aperit* &c. cùm aſſerit Volkelius tranſit à ſenſu literali ad myſticum, & ex inviſibili Patre fabricatur Deum viſibilem & viſibiliter converſantem inter nos; talem enim converſationem intelligi apud Baruchum, quæ præcedit vox ὤφθη ſatis indicat. Sed hæc paucula de hoc dicto ſufficiunt, cùm hic liber non ſit Canonicæ & indubiæ Authoritatis; & ſat argumentorum pro veritate ex Canonicis Scripturis habeamus.

Hîc quoque de ſervi forma, quam Chriſtum aſſumſiſſe Paulus teſtificatur, (*Phil.* 2: 7.) explicandum eſſet. Verùm cum ſuprà (*cap. præced.*) de hoc Pauli teſtimonio non pauca dicta ſint, ex quibus intelligi queat, id, quod adverſarii volunt, inde exſculpi minimè poſſe; ideò nunc eo prætereito, ad aliud iſti perquam ſimile nos conferemus; quod quidem apud eundem Paulum (1. *Cor.* 8, 9.) hunc in modum extat: *Noſtis beneficentiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod, cùm dives eſſet, propter vos pauper factus eſt, ut vos ipſius paupertate diteſceretis.* Ex quibus verbis, cum 467

Deum

Deum hominem factum eſſe adverſarii colligere non dubitent; nos reſpondemus, Paulum hîc de Ieſu Chriſto verba facere, quem nonniſi hominem illum ex virgine natum eſſe, ſatis unicuique patet. Is igitur, & non alius ante ipſum, & dives, & pauper fuit. Ex quo fit, ut divitem eſſe, nequaquam æternum Deum extitiſſe; nec pauperem factum eſſe, vel potiùs pauperem fuiſſe, ſeu pro paupere ſe geſſiſſe, (nam id Græcum ἐπτώχευσε ſignificare videtur) humanam naturam aſſumſiſſe ſignificet: præſertim cum ibidem Paulus Corinthios etiam divites factos, & alibi, (1. *Cor.* 1, 5.) eos omni verbo, omni ſcientia, omnibus denique divinæ gratiæ muneribus locupletatos affirmet. Cur ergo, cùm de Chriſti divitiis loquitur Apoſtolus, non de maxima ſpiritualium donorum, quibus Chriſtum auxit Deus, copia atque abundantia loqui eum cenſeamus? quid eſt, quod ſuadeat, divinam naturam per iſtas divitias intelligi aut comprehendi; & ideò Chriſtum pauperem fuiſſe dici, quia naturam humanam aſſumſerit? Imò res ipſa nos monet, ut tunc Chriſtum, dives cùm eſſet, paupertatem, noſtri ditandi cauſâ, ſubiiſſe, vel pro paupere ſe geſſiſſe credamus, cum ampliſſimis illis cœleſtibuſque donis, quibus eum Deus mirum in modum ditaverat, quodammodo depoſitis eorumque uſu veluti abdicato, ſeſe permiſit conſtringi, flagellari, conſpui, cædi, ac denique interfici; unde ſempiternas ſpiritualeſque divitias nobis profluxiſſe certum eſt.

‡ *Hic quoque de ſerui*] Quæ dicta ſunt à Volkelio circa hunc locum Philipp. II, 7. ſuprà quoque cap. præcedenti à nobis ſunt refutata. Sed interea inde pro incarnationis myſterio, tria colligimus: Primùm duas eſſe formas ſubſtantiales in perſona Chriſti, quarum altera eſt *forma Dei*, juxta quam rapinam non ducit parem eſſe Patri, altera *forma ſerui* & hominis, juxta quam factus eſt obediens Patri uſque ad mortem. Secundò, juxta Dei formam illum præextitiſſe formæ ſerui, ſiquidem hanc demum ſumpſit, cùm jam eſſet in forma Dei. Tertiò revera ipſum cùm in forma Dei eſſet, & Patri coeſſentialis & coæternus, aſſumpſiſſe formam ſerui & ſimilem hominibus factum fuiſſe, ut de ipſo verè dici potuerit, quod falſò de Paulo & Barnaba dicebant Lycaonii, non arbitrati illam Dei cum hominibus ſub aſſumpta forma humana converſationem aliquam, Dei naturæ repugnare, Act. XIV, 11. *Deus aſſimilatus hominibus deſcendit ad nos.* Nec dubium quin ex hoc loco Phil. II, 7. multum lucis affulgeat loco illi alteri ex Heb. II, 16 de quo antea dictum; nam ibi ſimplex λαμβάνειν occurrit, ut hic compoſitum ἐπιλαμβάνειν, quorum utrumque eſt ſumere, adſciſcere, aſſumere.

Quod quidem apud eundem] Quandoquidem præcedens teſtimonium, ceu ferrum candens, & juſto calidius quam ut illud poſſit attrectare, ſeponit Volkelius, videamus quomodo ſe ex hoc altero 2. Cor. VIII. 9. conetur extricare: Sanè ab eo momento Chriſtus factus eſt pauper & talis fuit, quo conceptus & natus eſt ex beata virgine: Natalia ejus fuêre pauperrima, ut conſtat ex Luc. II, 7. 12. & ab illo tempore non habuit in hoc mundo ubi caput reclinaret

Matt.

Digitized by Google

Matt. VIII, 20. Jam autem priuſquam ita pauper eſſet & fieret, dives erat; nam *cùm dives eſſet propter nos pauper factus eſt*, ac ſemetipſum ultrò ſubjecit paupertati; Ergo jam erat priuſquam conciperetur & naſceretur; non potuit enim dives eſſe & omnium hæres Heb. I, 2. quin eſſet; Ergo non potuit dives fuiſſe priuſquam conciperetur & naſceretur pauperrimus, quin per ſuam Divinitatem præexiſteret ſuis natalibus in Bethlehem, à quibus ejus paupertina conditio incœpit.

Reſpondemus, Paulum hic] Verum eſt hic agi de Jeſu Chriſto ex Virgine nato; ſed falſiſſimum quod ſupponit hæreticus, hominem illum ex Virgine natum *nonniſi* hominem fuiſſe: Cùm ſi nonniſi homo fuiſſet, non potuiſſet jam fuiſſe, & fuiſſe *dives*, quando pauperrimus ex Virgine natus eſt. *Is itaque*, quod ultrò largior Volkelio, *& non alius ante ipſum & dives & pauper fuit*; Sed is tamen non alius, dives fuit & hæres omnium, antequam pro nobis & homo & pauper ſimul fieret.

Ex quo fit ut divitem] Fateor quod in genere *divitem eſſe*, non ſignificet Deum eſſe; aut *pauperem* eſſe vel fieri, fieri vel naſci hominem: Sed hæreticus ex profeſſo diſſimulat vim & pondus noſtri argumenti, quod tale eſt; Qui erat dives cùm pauper factus eſt, & voluit pauper concipi & naſci, is aliquâ ſui parte & naturâ præextitit ſuæ paupertati, conceptioni & nativitati; Sed prius de Chriſto aſſerit Apoſtolus; Ergo & poſterius. An ullus negabit cœpiſſe Chriſtum πτωχεύειν pro nobis, ab illo inſtanti quo cœpit homo fieri & natus eſt? Jam autem dives erat, & per conſequens erat, cum ἐπτώχευσε pro nobis: Nec multum refert quo demum ſenſu illud verbum uſurpetur à Paulo; Sive enim ſignificet pauperem & egenum fieri, ut omnes habent Interpretes, ſive ſonet pauperem eſſe, ut mallet ſuâ nixus authoritate Volkelius, res ſemper eodem redibit. Quamvis priori ſenſui magis faveat præter conſenſum Interpretum, quod ſicut πλουτεῖν eſt diteſcere & divitem fieri ex paupere, 1. Tim. VI, 9. Apoc. III, 18. ita πτωχεύειν ſignificat pauperem fieri: Quo ſenſu LXX. Interpretes Jud. VI, 6. habent καὶ ἐπτώχευσεν Ἰσραὴλ σφόδρα, pro eo quod eſt in textu originali וידל ישראל מאד *Vaijddal Iſrael Meod*, *Et attenuatus eſt Iſrael valde.* Ita juxta eoſdem Alexandrinos Interpretes, aut ſaltem quædam eorum exemplaria, loquebantur Jud. XIV, 15. Juvenes Philiſtæi ad Sponſam Samſonis, ἦ πτωχεῦσαι ἐκαλέσατε ἡμᾶς? Quod eſt juxta Hebraicã veritatẽ & verſionem Junianam, *An ad hæreditatem noſtram conſequendam invitaſti nos?* Sic Pſal. XXXIII, 10. Heb. 34. πλούσιοι ἐπτώχευσαν καὶ ἐπείνασαν, & Prov. XXIII, 21. μέθυσος καὶ πορνοκόπος πτωχεύσει. Nuſquam verò πτωχεύειν is dicitur qui ſe gerit pro paupere, & præ ſe fert paupertatem. Extat locus ad hanc rem conſideratione dignus Prov. XIII, 7. *Eſt qui divitem ſe jactat, cùm deſint omnia, item qui pauperem ſe fingit*, vel *qui pauperem oſtendit, cui ſubſtantia eſt ampla:* Ibi autem, is qui pauperem ſe fingit Heb. מתרושש *Mitteroſchesch*, πτωχεύων non dicitur iiſdem Græcis Interpretibus, ſed ταπεινῶν ἑαυτόν. Theodotioni verò πτωχοφανής dicitur, commodiùs quam Symmacho, qui πτωχιζόμενον interpretatur.

Præſertim cùm ibidem] Verùm non video quid hîc ſibi velit Volkelius: Nam etſi Chriſtus temporalem paupertatem ſubierit, πλούσιος ὤν, *cùm eſſet dives*, ut ipſius paupertate corporeâ, ſpiritualiter diteſcerent & Corinthii & omnes electi 2. Cor VIII, 9. haſque ſpirituales divitias in Chriſto apud ſuos Corinthios

laudet & commendet Apoſtolus 1. Cor. 1, 5. 7. quid hoc ad infringendum noſtrum argumentum, inde deſumptum, quod cùm Chriſtus eſſet dives, factus fuit pauper propter nos? Imò verò ut quod Corinthii divites facti dicuntur per Chriſtum, ſupponit eos antequam ita diteſcerent, & extitiſſe in rerum natura & pauperes ſpiritualiter fuiſſe; ſic quod de Chriſto dicitur eum pauperem factum fuiſſe pro nobis, ſupponit neceſſariò illum ante iſtam paupertatem ultrò in gratiam noſtri ſuſceptam, opulentum & nullius rei indigum, adeoque cum Patre, אל שדי *El Schadai* fuiſſe; & de quo poſſet dici quod extat Pſal. XXIV, 1. quique poſſet dicere quod legitur Pſal. L, 12.

Cur ergo cum de Chriſti] Ratio cur hoc εὕρημα Adverſarii nequeat admitti, multiplex eſt. Primò enim nuſquam legimus illâ *ſpiritualium donorum* copiâ, quam agnoſcimus effuſam in Chriſti humanitatem, eum ditatum fuiſſe à Patre, ut ditati ſunt per ipſum Corinthii & omnes fideles: Nam illi demum diteſcunt per Chriſtum, qui priùs erant ærumnoſi, & miſerabiles, & pauperes, & nudi, & cœci, Apoc. III, 17. 18. quod nunquam de ipſo in ſenſu ſpirituali affirmari potuit. Secundò opes quæ Chriſto tribuuntur hîc à Paulo, præextiterunt ipſius paupertati; ſed abundantia illa *ſpiritualium donorum* ei quà homini collatorum, non fuit prior aſſumptâ paupertate pro nobis. Nam jam ab utero & ab ipſis incunabulis pauper factus eſt, cùm è contrario illa donorum ſpiritualium copioſa in eum diffuſio (maximè in Schola Socinianorum, qui eam nolunt arceſſere ab unione hypoſtatica, quam detrectant agnoſcere,) ſit poſterior naturâ & tempore ejus nativitate, & illâ ſuſceptione ultroneâ omnigenæ paupertatis pro nobis.

Imò res ipſa nos monet] Hæc ſunt inania; quia falſò ſupponit Volkelius, 1. Synonyma eſſe pauperem fieri, & pro paupere ſe gerere; cùm tamen hæc duo plurimum & toto cœlo differant; 2. Chriſtum dona illa ampliſſima & cœleſtia, *quibus eum Deus mirum in modum ditaverat*, (quâ tamen phraſi nuſquam utitur Scriptura) *quodammodo* depoſuiſſe, eorumque uſum *veluti* abdicaſſe, cùm ſe ſubmiſit cruci & morti pro nobis: etſi nuſquam ferè magis apparuerit efficacia Gratiæ ſpiritualis quæ Chriſto quà homini collata fuerat, quam in ipſius ultima paſſione; nuſquam etiam Potentiæ & Majeſtatis ſuæ divinæ majora ferè magiſque conſpicua ediderit ſpecimina, quam illo ipſo ſuæ paſſionis & crucifixionis tempore. Vide Joh. XVIII, 6. Luc. XXII, 51. 61. XXIII, 34. 43. 44. 45. Matt. XXVII, 51. 52. 43. 54. 3. Tum demum Chriſtum pauperem factum fuiſſe, & *paupertatem noſtri ditandi cauſâ ſubiiſſe*, cùm tot egregiis donis cœleſtibus inſtructus *quodammodo depoſitis, ſeſe permiſit conſtringi, flagellari, conſpui, cædi, ac denique interfici*; licet revera in his ferendis patientiam & manſuetudinem, & obedientiam Patri delatam, & ſummam in nos charitatem, id eſt revera opum ſpiritualium gazas plenè regias & theſauros inexhauſtos explicuerit; & nuſquam hæc ultima Chriſti paſſio ejus depauperatio dicatur; & inſuper paupertatem pro nobis ſubierit & ſuſtinuerit, non demum in ultima ſua paſſione, ſed ut ſuprà probatum eſt, toto vitæ ſuæ curriculo, & ab ipſo ſuæ nativitatis & conceptionis momento. Nam conceptus fuit in utero matris paupertinæ admodum conditionis, naſciturus in ſtabulo, nec aliàs cunas quam præſepe habiturus. Famem & ſitim ſæpè in ſua vita paſſus eſt, nec habuit unquam ubi caput reclinaret. 4. Chriſtum dici pauperem factum pro nobis, ſenſu myſtico non literali; quamvis omnes circumſtantiæ textus Paulini inſinuent eum intelligendum de paupertate corporali &

propriè

Digitized by Google

propriè dicta: Hanc enim urget & commemorat Apoſtolus, ut Corinthios ad eleemoſynas erga pauperes & egenos magis excitet.

Illos quoque Pauli locos afferre ſolent, quibus Chriſtus ſecundùm carnem, tum ex Davidis ſemine factus, tum ex Iſraëlitis originem ducere affirmatur; exque iis colligunt, Filium Dei ex ſemine Davidis Iſraëlitarumque carnem aſſumſiſſe: (*Act.* 2. 30. *Rom.* 1. 3. 2. *Tim.* 2. 8. *Rom.* 9. 4.) & ſic hominem factum ex duabus naturis conſtare: quæ naturam humanam deſignet, alteri, videlicet divinæ naturæ, è regione opponi videatur.

‡ *Illos quoque Pauli*] Nec Paulina omnia ſunt ea loca quæ citantur à Volkelio in margine, cùm Petrinum ſit quod extat Act. 11, 30. Nec ſatis ſyncerè refert Orthodoxorum argumentum ex iſto & ſimilibus locis Rom. 1, 3. 2. Tim. 11, 8. Rom. 1x, 5. quibus adde 1. Pet. 111, 18. & Heb. 1x, 14. ubi vel caro Chriſti ab altera ejus natura apertè diſtinguitur, vel ſaltem illa diſtinctio neceſſariò ſubintelligitur. Quid enim illud ſibi vult quod Petrus Act. 11, 30. monet promiſſum fuiſſe Davidi etiam ſub juramento fore ut ex lumbis illius, τὸ κατὰ σάρκα, *quod ad carnem attinet*, (quæ verba mirum eſt non expreſſiſſe vel Syrum Interpretem vel Vulgatam Verſionem, cùm tamen ea legant probatiſſimi quique Codices Græci, & retinuerint antiqui Eccleſiæ Doctores, nominatim Chryſoſtomus *ad hunc locum, & hom. 9 in Acta*;) ſuſcitaretur Chriſtus, niſi aliam in Chriſto naturam fore à carne diſtinctam, & juxta quam πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος Col. 11, 9. in ipſo habitaret, & ipſius Davidis Dominus cenſeretur Pſal. cx, 1. Sic Rom. 1, 3. 4. ita dicitur factus ex ſemine Davidis *ſecundum carnem*, ut ſtatim ſubjiciatur eum declaratum eſſe Filium Dei *potenter ſecundùm Spiritum Sanctificationis*: quo ita inſinuetur eum Filium Davidis fuiſſe κατὰ σάρκα, & quoad humanitatem, ut ſimul fuerit Filius Dei *unigenitus* Joh. 111, 16. & *proprius* Rom. v111, 32. κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης & αἰώνιον, *per quem ſeipſum obtulit* inculpatum pro nobis Heb. 1x, 14. Quo ſanè ſenſu, non alio, dicitur θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι 1. Pet. 111, 18. Ubi ultrò cœcutit in meridie, qui duarum naturarum diſtinctionem non agnoſcit; cùm in earum altera mortem ſuſtinuerit, & ſuum fuderit ſanguinem pro nobis; per alteram verò ſeipſum obtulerit in cruce, & potenter ſuſcitaverit ex mortuis; atque ſic ſe eſſe Dei filium æternum luculenter comprobaverit Joh. 11, 19. Act. 1, 3. Sic 2. Tim. 11, 8. ita dicitur fuiſſe ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, imò ex Judæis τὸ κατὰ σάρκα Rom. 1x, 5. ut ſtatim hoc ultimo loco ſubjiciatur quod ſit ſuper omnia *Deus benedictus* in ſæcula. Ubi ſanè eſt aperta antitheſis inter Chriſti humanitatem, juxta quam eſt ſtirpis Iſraeliticæ, & divinitatem illius, cujus reſpectu eſt ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς, & verus Deus ac vita æterna 1. Joh. v, 20.

Reſpondemus igitur, vocem carnis in iſtiuſmodi locutionibus, nec humanam naturam, præſertim neceſſariò, denotare; nec aliam naturam ſeu

 ſubſtan-

Digitized by Google

ſubſtantiam, nempe divinam, præſupponere: cùm de Abrahamo Pauloque idem ſcriptum legamus, (*Rom.*4, 1. 9, 3.) quorum ille Judæorum Pater ſecundùm carnem appellatur; hic verò fratres cognatoſque ſecundùm carnem habuiſſe dicitur: nec tamen aliâ illos inſuper naturâ ſeu ſubſtantiâ præditos fuiſſe, quiſquam dixerit. Taceo, etiam Iſraëlem ſecundùm carnem, & dominos ſecundùm carnem ab Apoſtolo commemorari.(1.*Cor.*10, 18.*Col.*3.22.)

468.

‡ *Reſpondemus igitur*] Sanè mirum eſt quod Volkelius auſit negare *humanam naturam* in his *locutionibus* voce *carnis* denotari: cùm revera *neceſſariò* hoc ſenſu ſit ſumenda, eo quod idem ſit Scripturæ Chriſtum eſſe κατὰ σάρκα filium Davidis, aut ex Iſraelitis, ac eum eſſe factum *ex ſemine Davidis, & ex fructu lumbi ipſius.* Imò pudorem aliquem pati videtur Hæreticus in ſua hac impudenti negatione, additâ hac ſalutari clauſulâ, *præſertim neceſſariò*: quâ agnoſcit tacitè, ſaltem hunc ſenſum poſſe hîc obtinere: In quo etiam ipſe acquieſcere cogitur dum nullum alium indicat, vel commodiorem noſtro, vel æquè commodum.

Nec aliam naturam] Imò *aliam naturam, nempe divinam*, in illis locis non præſupponi modò, ſed omninò connotari, modò viſum eſt. Neque nobis obſtant duo loca quæ profert ex Rom. IV, 1. & IX, 3. Sanè priori non dicitur Abraham pater eſſe noſter *ſecundùm carnem*, ſed dicitur eum nihil inveniſſe ſecundùm carnem, de quo poſſet gloriari apud Deum: Quo ſenſu profitetur Paulus Phil. III, 3. 4. ſe gloriari in Chriſto Jeſu, nec confidere *in carne*; quanquam haberet etiam *in carne* de quo confideret, ſi quiſquam alius: videatur quoq; 2. Cor. XI, 18. Sed & quamvis Judæorum Abraham diceretur pater ſecundùm carnem, id non obeſſet noſtræ ſententiæ: Supponeret enim vel in Abrahamo duplicem paternitatem, aliam ſecundùm carnem, aliam ſecundùm Spiritum, vel in Judæo quolibet duplicem ſubſtantiam, carnis ſive corporis, quæ trahatur ab Abrahamo, & Spiritus ſive mentis, quæ ſit à Deo: quemodo Apoſtolus Heb. XII, 9. vult ut diſtinguamus patres carnis noſtræ, à Patre Spirituum, nempe Deo, cujus hoc nomine diſciplinam æquiori animo ferre debemus. Poſteriori verò, nempe Rom. IX, 3. diſtinguit Apoſtolus cognationem ſuam carnalem, quæ ipſi, utpote Judæo, cum Judæis intercedebat, ab ea cognatione ſpirituali, quæ illi & omni pio, cum reliquis Sanctis in Chriſto convenit Eph. III, 15. Vide 2. Cor. V, 16. Enimverò cum illud κατὰ σάρκα, ubicunque reperitur ſit reſtrictivum & limitativum, aliud omninò innuit in eodem ſubjecto aut ejus reſpectu, quod non eſt κατὰ σάρκα, & per conſequens ſemper aliquam duplicitatem connotat. Sic Iſrael *ſecundùm carnem* 1. Cor. X, 18. contradiſtinguitur ab Iſraele ſecundùm Spiritum, juxta id quod extat Rom. 11, 28. 29. & domini *ſecundùm carnem* Col. III, 22. à ſupremo omnium Domino, in cujus oculis ſemper verſamur. Jam autem nulla alia duplicitas poteſt in Chriſto innui per illam limitationem unius membri τὸ κατὰ σάρκα, quam naturarum.

Quò accedit, quòd verba *ſecundùm carnem*, nunquam iſtis, *ſecundùm divinam naturam*, ſed his, *ſecundùm ſpiritum*, oppoſita leguntur: quod etiam apertiſſimè fit, cùm de Chriſto ſermo eſt, ut videre licet Rom. 1, 3. 4. Cum autem

Digitized by Google

autem ſecundùm ſpiritum naſci, apud divinos autores, nonniſi ſpirituali naſcendi modo procreari ſignificet; conſequens certè eſt, ſecundùm carnem gigni, carnali ratione in lucem edi, deſignare: ut facilè appareat, nequaquam eſſe neceſſe, propter ejuſmodi loquendi modum duas comminiſci naturas.

‡ *Quo accedit quod verba*] Sed I. non ſemper eſt expreſſa antitheſis, cùm de Chriſto agitur, inter hæc duo, *ſecundùm carnem & ſecundùm Spiritum*: Nam & *Spiritus æterni* per quem ſeipſum obtulit fit mentio Hebr. IX, 14. nulla *carnis* conceptis verbis: & è contrario dicitur *quoad* vel *ſecundùm carnem* fuiſſe ex fructu lumbi Davidis Act. II, 30. abſque oppoſitione expreſſa τοῦ *ſecundùm Spiritum*. II. Etiam Rom. IX, 5. illud *ſecundùm carnem*, de Chriſto non opponitur his *ſecundùm Spiritum*, ſed potiùs iſtis *ſecundùm divinā naturā*; quandoquiquidem ita dicitur ex illis, nempè vel Iſraelitis, vel patribus, eſſe Chriſtum ſecundùm carnē, ut ſtatim ſubjiciatur quod ſit Deus ſuper omnia benedictus in ſęcula. III. Cùm carnis & Spiritus oppoſitio ſit varia in Scripturis, non poteſt in Chriſto alia eſſe quam humanitatis ad divinitatem, ut etiam Eſ. XXXI, 3. Nequit enim eſſe qualis eſt in unoquoque noſtrum corporis ad animam; cùm per Spiritum æternum, ſeipſum obtulerit pro nobis, non corpore tantùm, ſed etiam animâ: ut tota docet Scriptura Eſ. LIII, 10. Matth. XX, 28. Joh. X, 11. Et viceverſa dicitur vivificatus fuiſſe Spiritu oppoſitè ad carnem ſecundùm quam mortificatus priùs fuerat, cùm tamen ſui reſurrectione glorioſâ, etiam ipſum corpus ejus vivificatum fuerit. Non poteſt quoque eſſe qualis ſæpè legitur inter nativam corruptionem, & regenerationis gratiam; cùm neque illi obnoxius fuerit, neque iſtâ indiguerit. Et Rom. I, 3. 4. nequit iſta oppoſitio de Chriſto aliter ſumi, quam noſtro ſenſu: Etenim duplex ibi proponitur Filiatio Chriſti, altera per quam eſt Filius Davidis ſecundùm carnem, altera per quam eſt Filius Dei, unigenitus utique & proprius ac naturalis, ſecundùm Spiritum ſanctificationis, cujus efficaciâ ſeipſum ſuſcitavit à mortuis: Is enim eſt idem ille Spiritus æternus, per quem ſeipſum obtulit pro nobis Heb. IX, 14. & quo dicitur ζωοποιηθεὶς, cum carne θανατωθεὶς fuiſſet I. Pet. III, 18.

Cùm autem ſecundùm] Fateor duplicem illum modum *naſcendi* opponi quandoque in Scripturis, ut Joh. III, 6. Sed neque hæc oppoſitio cadere poteſt in Chriſtum, qui regeneratione ſpirituali opus non habuit ad generationis carnalis vitia corrigenda; nec poteſt cenſeri unquam ſecundùm carnem ambulaſſe & vixiſſe ut poſtea cœperit ſecundùm Spiritum vivere & procedere: Et ubicunque illa antitheſis obtinet, duplex etiam principium ſubſtantiale debet concipi, alterum quidem nativitatis primæ ſecundum carnem, quod eſt caro & ſemen humanum, alterum verò nativitatis ſecundæ ſecundùm Spiritum, quod eſt Spiritus Sanctus & ſemen Dei. Addo quod non poſſet dici Chriſtus *carnali ratione in lucem editus*, ex Davide & illius ſemine, ex Judæis, ex Patribus, quin alia ejus generatio ſubindicetur, juxtà quam ſit Filius Dei æternus, Deus de Deo, lumen de lumine: ut *propter ejuſmodi loquendi modum* debeamus neceſſariò *duas* in Chriſto concipere *naturas*.

Rem autem iſtam ita planè, ut diximus, ſeſe habere, inde perſpicuum eſt, quod Iſaacum ſecundùm ſpiritum, Iſmaelem verò ſecundùm carnem ex Abrahamo generatum eſſe, idem Paulus teſtificatur: (*Gal.* 4, 23. 29) ubi quidem divinam in Iſaaco fingere naturam nemo audebit; cùm nimis manifeſtum ſit, Paulum hoc dicere voluiſſe: Iſaacum non prorſus carnali modo, ſeu viribus carnalibus, ex Abrahamo genitum fuiſſe, ut Iſmael: ſed ad illius generationem, divinam quandam virtutem atque efficaciam acceſſiſſe, quæ ad hujus generationem non acceſſerit, utpote naturali prorſus modo perfectam. Hæc ſi ad Chriſtum accommodentur, loci Rom. 1. ex quo cæteri intelligi queunt, ſenſus erit: eundem Chriſtum, & Davidis, & Dei filium eſſe: illius quidem ita, ut carnali ratione ex eo ſit natus: hujus verò ſic, ut ſpirituali modo ex illo generatus ſit. Nam non modò de ſpiritu ſancto conceptus, ſed & ſanctificationis ſpiritu conſecratus fuit, idque perfectiſſimè tunc, cum à mortuis excitatus, ad regnum ac ſacerdotium æternum adminiſtrandum à Deo unctus eſt. Ob has enim cauſas Chriſtum Filium Dei appellari, ex divinis literis compertiſſimum eſt. (*Vid. Luc.* 1, 35. *Joh.* 10, 36. *Act.* 13, 32. 33. *Hebr.* 5, 5. 6. 2. *Joh.* 5. *conf. verſ.* 1. & 5.

‡ *Rem autem iſtã*] Non video qui hæc oppoſitio inter Iſmaelem & Iſaacũ Gal. iv, 23. 29. quorum ille genitus dicitur ſecundùm carnem, id eſt ex viribus naturæ, hic verò ſecundùm Spiritum, id eſt ex viribus ſupernaturalibus & planè extraordinariis, quæ à Dei Spiritu pẽdebant, & conſequenter ad Dei Spirituaĺe promiſſioné, quicquã faciat ad hanc cauſam: Nam ibi quidẽ duplex proponitur generatio, ex duplici planè principio, ſed quarũ alia aliam omninò removet. Nec enim de Iſmaele poterat dici quod eſſet etiam genitus ſecundùm Spiritum, nec de Iſaaco quod genitus quoque eſſet ſecundùm carnem, ut hæ duæ voces in hac antitheſi ſumuntur. Secus ſe res habet de Chriſto, cui convenit genitum fuiſſe & ſecundùm carnem, ex Davide & patribus in tempore, & ſecundùm Spiritum ex Patre ab æterno.

Hæc ſi ad Chriſtum] Atqui non poſſunt iſta ad Chriſtum accommodari; cùm reſpectu Iſaaci & Iſmaelis unius poſitio ſit negatio alterius: utrumque verò, ſed alio ſenſu, Chriſto conveniat. Præterea nullo modo tribui poteſt Chriſto quod ſit *ſecundùm carnem* ex Davide & aliis Patribus, quomodo Iſmael ſecundùm carnem ab Abrahamo genitus eſt; tum quia Iſmael ita genitus, natus fuerit ex ancilla ad ſervitutem, quod Chriſto convenire nequit; tum quia revera Chriſtus ex Davide, Patribus & Abrahamo ipſo genitus ſit, ut Iſaac ſecundùm Spiritum; quia ſecundùm Dei ſpecialem promiſſionem factam Abrahamo, quod in illius ſemine benedicerentur omnes nationes terræ; nec *prorſus carnali modo ſeu viribus carnalibus*, ut Iſmael; cùm ad *illius* æquè ac Iſaaci *generationem* divina quædam virtus atque efficacia acceſſerit, longè auguſtior adhuc quam in generatione Iſaaci: nam ille ex Abrahamo fuit per matrem efflœtam, non tamen ſine virili ſemine, hic verò ex matre virgine, per operationem miraculoſam Spiritus Sancti.

Eundem Chriſtum & Davidis] Hoc quidem in genere admittimus de duplici filiatione, atque ex conſequenti duplici gene-

generatione Chriſti, altera carnali ex Davide, altera Spirituali ac æterna ex Deo: Sed tamen cùm filius ſit Davidis & Abrahami, non minus quam Iſaac iſtius, imò magis, ſecundum Spiritum, ſenſu eo quo generatio ſpiritualis Iſaaci diſtinguitur à carnali Iſmaelis, nec poſſit dici filius Davidis aut Abrahami ſecundum carnem, eo ſenſu quo Iſmael ſecundum carnem genitus ſtatuitur, neceſſe eſt ut aliud denotet in Chriſto, eſſe Filium Dei ſecundum Spiritum, & Davidis ſecundum carnem, quam quod hîc fingit Hæreticus.

Nam non modò de Spiritu] Sed quomodo conceptus eſt ex Spiritu Sancto, eſt etiam natus ex Virgine. Atqui eo reſpectu factus eſt ex ſemine Davidis ſecundum carnem. Adeoque illius conceptio & nativitas miraculoſa, non facit illam ejus generationem ſpiritualem quæ carnali opponitur: Quod ſi propter ejus conceptionem ex Spiritu Dei, filius Dei diſtinctè à filio Davidis diceretur, etiam Spiritus Sancti filius dici poſſet: quod quàm abſurdum ſit, res ipſa loquitur: Adhæc divinitùs conſecrari à Spiritu Sancto, eoque ungi *ad regnum ac ſacerdotium æternum*, aut à mortuis ſuſcitari, non eſt ex ſtylo Scripturæ naſci vel generari ſecundùm Spiritum; Et cùm pii quilibet etiam ſuo ſenſu ungantur & conſecrentur à Spiritu Sancto in Reges & Sacerdotes æternos, ſintque ſuſcitandi ad gloriam, non tamen per id *unigeniti* Patris ſtatui poſſunt Et Chriſtus eo momento quo natus eſt ex ſemine Davidis ſecundùm carnem, fuit etiam Filius Dei vivi, nec cœpit id fieri demùm poſtquam reſurrexit ex mortuis. Imò ſtatim à natalibus ſuis, non demum cùm à mortuis fuit excitatus, unctus eſt in Regem & Sacerdotem æternum; Nam & venerunt Magi ab Oriente adoratum regem Judæorum qui natus erat, & *Chriſtum Dominum* natum *fuiſſe* Bethlehemi, Angelus renunciabat Paſtoribus Luc. II, II. Verumque erat dicere de illo, etiam dum in carne verſaretur inter homines, quod legimus Joh. III, 34. Deum illi non dare Spiritum ad menſuram. Ac in ipſa ſua cruce & Regis ornabatur elogio, coronaſque cœleſtes quà Rex diſtribuebat, dicendo Latroni converſo, *Hodie mecum eris in Paradiſo*, & ſeſe offerendo pro nobis, fungebatur Sacerdotio illo æterno, quod ei competit ſecundùm ordinem Melchiſedeci.

Ob has enim cauſas] Tantum abeſt ut id ſit *compertiſſimum* ex Scripturis, ut è contrario ſit falſiſſimum: cùm illius appellationis, quâ Filius Dei unigenitus & proprius ſubinde dicitur, idque oppoſitè ad nos qui ſumus filii adoptivi per regenerationem, non proprii & naturales per generationem, alia ratio reddi nequeat quam quod ab æterno à Patre prodierit & genitus ſit, Pſal. II, 7. Prov. VIII, 22, 23. Mich. V, 2. Joh. I, 14. Col. I, 15. & alibi. Loca quæ Volkelius citat ad marginem, ipſum non juvant. Luc. I, 35. non dicitur Chriſtus ex Virgine naſciturus conſtituendus Filius Dei per conceptionem ex Spiritu Sancto & miraculoſam ſui nativitatem; Sed ideo talis appellandus & agnoſcendus, quod ita miraculosè concipi ex Spiritu Sancto, & naſci ex Virgine, ſoli Dei Filio carnem noſtram aſſumenti ac futuro Emmanueli propriè competat. Joh. X, 36. Chriſtus per ſanctificationem & miſſionem ſui ad munus Mediatorium, probat à poſteriori ſe eſſe Dei Filium, cùm ad id ſanctificari & mitti nemo præter Filium Dei æternum potuerit Eſ. IX, 6. Jer. XXIII, 5. 6. Sed inde non arceſſit ſuam illam filiationem à priori. Act. XIII, 32. 33. demonſtrat Apoſtolus Chriſtum neceſſariò debuiſſe reſurgere, eo quod eſſet Dei Filius, quem proindè, ceu principem vitæ, impoſſibile erat detineri vinculis & doloribus mortis Act II, 24. Sed non docet ipſum eſſe ex non filio filium factum ſui ſuſcitatione ex mortuis. Reſurrectio

Digitized by Google

ſurrectio itaque patefecit eum eſſe Filium Dei, quod diſertè dicit Paulus Rom. I, 4. ſed illum talem non fecit: nec debet confundi cauſa cognoſcendi cum cauſa eſſendi in hac Filiatione. Hebr. v, 5. eodem illo loco Pſal. II, 7. ex quo Apoſtolus Act XIII, 33. colligebat neceſſitatem reſurrectionis, probatur ejus ordinatio ad Sacerdotale munus, non quod Deus eum ordinando in Sacerdotem fecerit ipſum ſuum unigenitum Filiū ſed quod illū ordinando ad hoc munus pronunciaverit ac declaraverit, eum pro Unigenito ſuo agnoſcēdū prout olim Sacerdotale axioma erat primogeniti. Ex I. Joh. v, I. collato cum com. 5. conſtat quidem non poſſe credi Jeſum eſſe Chriſtum, quin credatur eſſe filium Dei, non quod ejus unctio ad munus Mediatorium eum formaliter Filium ex non filio fecerit, ſed quod ad hoc munus ungi & mitti, non alius quam Filius potuerit.

Hîc verò objicient, Paulum in cap. 9. ejuſdem Epiſtolæ, hanc locutionem, *ſecundùm carnem*, non ſpiritui, ſed divinitati opponere, cùm hunc in modum loquitur: *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* Nos verò iſtam oppoſitionem hîc non agnoſcimus: cum nec verba *ſecundùm divinitatem* hoc in loco habeantur, nec ſubaudiri debeant; ſed, ſi quid ſubaudiendum eſt, ſubintelligendum ſit illud ipſum, quod nos volumus, nempe *ſecundum ſpiritum*. Neque enim ſine nugatione quadam dixeris, Chriſtum eſſe Deum ſecundùm ſanctificationis ſpiritum, ut ſuprà cap. I. ubi de ratione, quâ filius Dei ſit, ſermo eſt. Qua enim ratione Chriſtus filius Dei potiſſimùm dicitur, eâdem etiam Deus eſt.

‡ *Hic verò objicient*] Quàm parum dextrè ſe expediat Volkelius ex hac objectione, nemo prudens videre nequit. Hic enim opponit Apoſtolus in Chriſto, id quo reſpectu erat ex Patribus ei juxta quod eſt Deus benedictus ſuper omnia: Imò non obſcurè innuit quod Chriſtus factus fuerit ex Iſraelitis aut ex Patribus jam exiſtens, ὁ ὤν, aut cum jam eſſet Deus ſuper omnia benedictus; ut λόγος dicitur caro factus Joh. I, 14. & Deus manifeſtatus in carne I. Tim. III, 16. Adeoque negare hîc carnem Chriſti, quam habuit ex patribus, opponi ejus Divinitati, ſive ei rationi & conditioni, *quâ filius Dei eſt*, ut ipſe Hæreticus loquitur & cogitur fateri, ſit contra Solem loqui. Neque ſanè volumus hic *ſubaudiri* hanc particulam, *ſecundùm divinitatem*: cùm abſque hoc vel ullo alio ſupplemento ſit ſenſus plenus & facilis, Chriſtum eſſe quidem ex Iſraelitis & patribus ſecundum carnem, ſed unà eſſe Deum ſuper omnia benedictum. Et ſi quid eſſet ſupplendum, non neceſſariò foret illud *ſecundùm Spiritum*: cùm poſſet ſuppleri, *ſecundum aliam formam*; prout *forma Dei* & *forma ſervi* ac hominis in Chriſto diſtinguuntur & opponuntur ab Apoſtolo Phil. II. 6 7. Sed tamen admiſſo hoc ſupplemento Volkeliano, ex frequenti oppoſitione apud Paulum *carnis* & *Spiritus*, ut-ut ſub diverſiſſimo ſenſu, nihil inde accederet cauſæ adverſarii. Inſerviret enim tantum ſignificando in Chriſto diſtingui debere carnem & Spiritum, ſed aliter quam in nobis: eò quod ſecundum carnem originem trahat ab Iſraelitis & patribus: at ſecundum Spiritum, non ſit tantum ſpiritualis homo, ut quilibet Sanctorum, aut Angelus incorporeus, ſed Deus ſuper omnia benedictus.

Digitized by Google

dictus. Nec video quid ſit abſurditatis ſi dixero, *Chriſtum ſecundùm Divinitatem eſſe Deum* ſuper omnia benedictum, adeoque Patri ſuo coëſſentialem & coæternum; cùm citra abſurditatem dixeris, Chriſtum ſecundum carnem eſſe hominem verum, nobis per omnia ſimilem excepto peccato. Nam ſanè ut ſecundùm illam carnem quâ dicitur θανατωθείς, fuit verus homo ejuſdem nobiſcum naturæ, ita ſecundùm illum Spiritum quo dicitur ζωοποιηθείς, & olim tempore Noæ πορευθείς prædicaſſe Spiritibus qui nunc ſunt in carcere 1. Pet. III, 18. 19. omninò verus Deus Patri ſuo æqualis, eſt agnoſcendus. Et cùm *Spiritus* in Chriſto oppoſitè ad ipſius *carnem*, ejus Divinitatem ſonet, tam verum foret dicere, Chriſtum ſecundùm Divinitatem eſſe Deum ſuper omnia benedictum, quam vult Volkelius poſſe dici Chriſtum ſecundùm Spiritum eſſe Deum, ut ſecundùm carnem eſt ex Iſraelitis & Patribus. Et revera opponit quæ ſunt eadem; cùm illud in Chriſto oppoſitè ad carnem, *ſecundùm Spiritum* idem debeat eſſe, ſi non formaliter, propter variam illius vocis uſurpationem in Scripturis, ſaltem eminenter, ac *ſecundùm divinitatem*. Sed etiam notoriè fallitur Adverſarius, dum ut ſuo ſupplemento locum faciat, vult ſtatui Chriſtum dici Deum, *ſecundùm ſanctificationis Spiritum, ut ſuprà cap. 1. ubi de ratione quâ Filius Dei ſit ſermo eſt*. Nec enim proprie Rom. 1, 5. agitur de ratione quâ Chriſtus ſit Filius Dei, ſed de ratione quâ ſolemniter innotuit & declaratum eſt eum eſſe Dei Filium, nempe ipſius reſurrectione ex mortuis, vi & efficaciâ æternæ ſuæ Divinitatis, quæ Spiritus ſanctificationis ibi appellatur oppoſitè ad carnem; ut Spiritus æternus nuncupatur Heb. IX, 14. & Spiritus ſimpliciter 1. Tim. III, 16. 1. Pet. III, 18. ac prout Deus οὐσιωδῶς ſic dictus, dicitur eſſe Spiritus Joh. IV, 24. Interea exoſculamur axioma Volkelii, quod hîc proponit, & illud in ipſum retorquemus, hoc argumento: *Quâ ratione Chriſtus Filius Dei dicitur*, (illud *potiſſimum* ab Adverſario inſertum nullius eſt valoris; cùm non ſint diverſæ rationes aliæ principales, aliæ minus principales iſtius filiationis) *eadem & Deus eſt*. Atqui Chriſtus Filius Dei eſt & dicitur per & propter ſui generationem æternam à Patre; Ergo per & propter hanc ſui generationem æternam Deus eſt.

Sed præterea nulla ratione conſtat, divinitatem, quam Paulus Chriſto tribuere videtur, (nam alii (*Eraſmus*) punctulo poſt vocem *carnis* poſito, ad Patrem hæc verba referunt,) divinam ſignificare naturam ſeu ſubſtantiam: imò ex perpetua ſanctarum literarum analogia patet, Chriſtum non naturâ, ſed ſummi illius Dei beneficio, Deum eſſe atque appellari. nec mirum, Chriſtum hîc ſuper omnia, vel omnes, Deum benedictum dici: cùm Deus Pater omnia ſub pedes ejus ſubjecerit, illumque nomine ſupra omne nomen donaverit. (1. *Cor.* 15, 27. 28. *Eph.* 1, 20. 21. 22. *Heb.* 2, 8. 9. *Phil.* 2, 9.) 469.
Unde ſanè nec naturarum iſtarum in Chriſto diſtinctio, nec mirabilis illa incarnatio colligi poteſt: ſed potiùs, illum ipſum Chriſtum, qui ex Iſraelitis naſcendi principium duxit, eſſe ex ſummi optimique Patris liberalitate, ſuper omnes omniaque Deum benedictum in ſecula.

Digitized by Google

† *Sed præterea nullâ*] Non erat cur ſuum Scepticum *videtur*, hîc Volkelius inſereret; ſiquidem omnibus bonis fœtet illa Eraſmiana exclamatio, ab Arianis impudentioribus mutuata: Nulla enim interjectio hîc apparet; & cùm habeat textus originalis poſt κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, ille ipſe articulus, eique additum participium, ſatis indicant continuari ſermonem de Chriſto, nullamque ibi eſſe προσφώνησιν ad Patrem; quam etiam nec Vulgatus Latinus, nec Syrus Interpres, nec Veteres Codices aut Interpretes, agnoverunt. Quare cùm *Divinitatem* pro certo Paulus Chriſto hoc loco tribuat, eamque ſupremam & abſolutam, quod iſtud elogium Dei ſuper omnia benedicti in ſæcula, nulli meræ Creaturæ citra blaſphemiam tribui poſſit, non poteſt non *divinam ſignificare naturam ſeu ſubſtantiam*.

Imò ex perpetua] Hoc probandum fuiſſet, non temerè aſſerendum. Quinetiam cùm idololatriæ damnentur qui eos coluerunt qui *naturâ Dii* non erant Gal. IV, 8. ejuſdẽ criminis rei forent omnes Chriſtiani, cùm Chriſtum religioſè colunt & adorant, niſi *naturâ* Deus fuerit; quod alibi fuſius probatũ eſt: Et tam repugnat *ſummi Dei beneficio* merum hominem, & qui *naturâ* Deus non ſit, Deum eſſe & appellari, non ſimpliciter ſed cum emphaſi multiplici, nempe verum Deum & Deum benedictũ ſuper omnia, quam cum ſummi Dei natura pugnat eum dare ſuam gloriã alteri.

Nec mirum, Chriſtum] Atqui Pater *omnia* ſub pedes ejus ſubjecit, illumque *nomine ſupra omne nomen* donavit, I. Cor. XV, 27. 28. Epheſ. I, 20. 21. 22. Heb. II, 8, 9. Phil. II, 9. quià licet ſeipſum ad tempus exinanivisset aſſumptâ formâ ſervi, erat tamen in forma Dei Patri æqualis & hæres omnium. Aliàs iſtius infinitæ poteſtatis & gloriæ, ad cujus participium evecta eſt illa ipſa caro quam aſſumpſerat & ſibi hypoſtaticè conjunxerat, ſubjectum δεκτικὸν non fuiſſet, quod finita natura infiniti attributi capax eſſe nequeat. Quid quod in illa Chriſti exaltatione, locis ab Adverſario citatis commemorata, propriè reſtitutus eſt illi ea gloria, quam propter paſſionem mortis pro nobis ſuſtinendam ſepoſuiſſe videbatur, quamque aliàs poſſederat apud Patrem priuſquam mundus fieret? Joh. XVII, 5.

Unde ſanè nec] Benè eſt quod fatetur Adverſarius, *illum ipſum Chriſtum qui ex Iſraelitis naſcendi principium duxit*, eſſe *ſuper omnes omniaque Deum benedictum in ſæcula*: Sed dum id arceſſit *ex ſummi optimique Patris liberalitate*, pugnantia loquitur: Cùm nec ea liberalitas ſit Deo adſcribenda, quâ ſecum evehat meram Creaturam ad hoc faſtigium, quoniam eâ ratione ſeipſum abnegaret, & ſupremum ſuum in omnes & omnia Dominium abdicaret; nec ejus beneficii, liberalitatis & faſtigii, ulla mera Creatura capax eſſe queat; ſed debeat id dicere quod Franciſcus I. Galliarum Rex, Pontifici ſibi liberaliter offerenti Angliæ Regnum, (modò illud armis occuparet) ſallè reſpondebat, ſe non habere ſcrinium aut conclave, quod poſſet tam inſigne & magnum munus capere ac continere.

Ex illa quoque quæſtione, quam Chriſtus (*Matt.* 22, 41.) Phariſæis propoſuit, (nimirum, cum Meſſias ſit filius Davidis, quomodo ab illo Dominus illius appelletur), iſtam naturæ duplicitatem elicere conantur. Atqui ut Chriſtus, qui naturali ratione ex Davide generatus eſt, ejuſdem Dominus jurè dicatur, nequaquam opus eſt, eum præter humanam, divinâ quoque naturâ præditum eſſe: cùm ſatis ſit, illum Dei Patris beneficio, per mortem

Digitized by Google

mortem ac reſurrectionem eò dignitatis perveniſſe, ut à dextris Dei conſtitutus, vivorum & mortuorum, (*Rom.* 14, 9.) & ſic Davidis etiam Dominus eſſet. Quod cùm David, utpote vates, futurum eſſe ſpiritu proſpiceret, Dominum illum in ſpiritu appellabat.

‡ *Ex illa quoque quæſtione*] Et ſanè hoc ipſum quod Meſſias ab una parte Davidis erat futurus filius, ab altera ejuſdem Dominus Matt. XXII, 46. Pſal. CX, 1. duas in ipſo naturas diſtinctas evidenter ponit: cùm filius debuerit eſſe *τὸ κατὰ σάρκα*, ſed Dominus, quia Deus ſuper omnia benedictus: Cùm enim David Rex fuerit optimo jure, nullum ſuprà ſe Dominum, præter Jehovam, ſupremum cœli & terræ conditorem, cui ſoli ideo ſe peccaſſe profitebatur Pſal. LI, 6. potuit agnoſcere. Ideo Judæi hodierni malunt illum locum Pſal. CX, 1. de quolibet alio quam de Meſſia interpretari, & alteri cuivis quam Davidi tribuere, quod ex iſto argumento ſe nunc magis quam olim non poſſint expedire. Quod verò hîc comminiſcitur Volkelius, ut ſe hinc extricet, parem ejus *ἀπορίαν* & *ἀῤῥωστίαν τῆς διανοίας* ponit in propatulo: Nam abſurdè finxeris Davidis, Regis utique ſupremi, filium, tot ſæculis poſt ipſum naſciturum, merumque hominem futurum, ejus tamen Dominum cenſendum & appellandum: cùm e contrario filii benè morati ſuos parentes tanquam Dominos ſoleant venerari, & ex Lege Dei & naturæ eos omni honore & cultu proſequi teneantur. Quamvis autem David proſpexerit *Spiritu* futurum ut diceret Dominus Domino ſuo, *Sede ä dextris meis*, tamen conſideravit eum, non tanquam futurum ſuum poſtea Dominum, ſed qui jam talis eſſet, & de quo meritò, etiam tunc, tanquam de Domino *ſuo*, loqueretur; prout eum quoque ceu *Deum* compellat Pſal. XLV, 8. Nec dubium, quin jam tum, Chriſtus cùm hoc argumentum proponebat, Davidis Dominus eſſet, optimo jure. Necdum tamen conſederat ad dextram Dei, vel reſurrexerat ex mortuis. Adhæc dominium illud vivorum & mortuorum, cujus meminit Paulus Rom. XIV, 9. fundatur in ipſius morte vel ſuſtinenda vel perlata pro illis. Sed Schola Sociniana negat Chriſtum mortem oppetiiſſe pro Davide aut Sanctis Veteris Teſtamenti, adeoque negat Chriſti dominium in Davidem mortuum. Præterea juxta hos hæreticos, mortui non ſunt: fruſtra ergo ſtatueretur Chriſtus Davidis Dominus poſt illius mortem; cùm non entium, nulla ſint attributa, accidentia nulla. Et ſi Chriſtus Davidis mortui Dominus eſt, quia eum olim eſt revocaturus ad vitam, eo ipſo ejus Dominus eſt quia Deus eſt: Nam mortuos vivificare ſolius Dei eſt, penes quem jus eſt & arbitrium vitæ & necis, Joh. V, 21.

Illud etiam Petri teſtimonium, quo Chriſtus mortificatus carne, vivificatus autem ſpiritu perhibetur, (1. *Pet.* 3, 18.) huic adverſariorum ſententiæ auxilii nihil adfert: cùm nec caro humanam, nec ſpiritus divinam naturam ſignificet; nec illa ab hoc aſſumpta eſſe dicatur. Caro enim hoc in loco infirmitatem, ſpiritus autem virtutem Dei deſignat, ut ſenſus ſit: Chriſtum ob infirmitatem, cui ſubjectus erat, mortuum fuiſſe, & propter virtutem, quâ Deus vitæ illum reſtituit, reſurrexiſſe. id quod Paulus (2. *Cor.* 13. 4.) hunc

Digitized by Google

4.) hunc in modum exprimit: *etſi crucifixus eſt ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei.* Spiritus quippe Dei eſt illa ſupereminens ejuſdem virtus, quam, ut alibi teſtificatur Paulus, (*Epheſ.* 1, 19.) efficaciter oſtendit in Chriſto, ſuſcitando illum à mortuis.

‡ *Illud etiam Petri*] De iſto Petri loco 1. Pet. III, 18. plura jam ante monuimus. Faciliùs autem eſt Volkelio negare quod *Caro* hoc loco, humanam, vel *Spiritus* divinam naturam ſignificet, quam hujus ſuæ negationis ullum ſolidum proferre argumentum. Sanè *Caro* hæc, dicit in Chriſto ſubjectum mortale, & cujus reſpectu mortem ſuſtinuit: Sed *infirmitas* eſt conditio illius ſubjecti, juxta quod θανατωθεὶς dicitur. Quare caro hæc ipſam naturam humanam ſignificat; non verò meram infirmitatem illius. Et ridiculè Volkelius, ex ſubjecto mortem recipiente in Chriſto, facit cauſam ob & per quam mortuus eſt. Hinc Syrus habet pro carne nomen corporis, & carne mortificatum eſſe interpretatur mortuum eſſe *in corpore. Spiritus* itidem apud Petrum notat quidem virtutem divinam, ſed quæ ipſimet Chriſto conveniat. Nam vivificatus eſt Spiritu non alieno, ſed ſuo, quatenus propriâ & inſitâ vi ſuæ Divinitatis, templum corporis ſui dirutum & deſtructum intra triduum excitavit, & ita poſtquam manifeſtatus fuerat in carne juſtificatus eſt in Spiritu 1. Tim. III, 16. Patet quod dicimus, ex eo quod Petrus com. ſeq. dicit Chriſtum in illo ipſo Spiritu, in quo & per quem fuit vivificatus, jam olim *profectum* fuiſſe tempore Noæ, & prædicaſſe ſpiritibus illis qui nunc ſunt in tetro illo carcere, in quo ſuæ impœnitentiæ & incredulitatis æternas pœnas pendunt juſtitiæ Divinæ. Unde patet Chriſtum illo ſuo Spiritu quo vivificatus & juſtificatus eſt, præextitiſſe ſuæ carni, in qua mortem ſuſtinuit pro nobis; ſiquidem jam tum cùm arca parabatur, in illo Spiritu profectus fuit & Noam inſpiravit ut primi mundi incolas ad reſipiſcentiam invitaret. Non potuit autem fuiſſe Caro Chriſti, illa caro ſecundùm quam morte fuit affectus, & fuiſſe itidem Spiritus illius ille Spiritus in quo dicitur ζωοποιηθεὶς & πορευθεὶς, quin hic illam aſſumpſerit in unitatem perſonæ. Porrò nobis non obeſt quod virtuti ſupereminenti Dei reſurrectio Chriſti interdum tribuitur, ut Eph. I, 19. Nam cùm illa ſupereminens virtus quâ reſurrexit, ſit quoque Chriſti ipſius, quia ipſe & Pater unum ſunt, ut naturâ ſic etiam potētiâ, hinc eſt quod non minus ſuo quâ Patris Spiritui, non minus ſuæ quam Patris virtuti & potentiæ, illius reſurrectio in Scripturis tribuatur. Iniqua verò eſt comparatio loci Petrini, de quo agimus, cum dicto Paul. 2. Cor. XIII, 4. ut illum per hunc explicemus: Nam primùm termini ſunt diverſi: Ibi enim occurrunt caro & Spiritus; hic verò infirmitas & virtus Dei. Deinde phraſiologia eſt diverſa, & hic infirmitas notat cauſam proëgumenen crucifixionis Chriſti, unde dicitur crucifixus ἐξ ἀσθενείας, id eſt ex infirmitate illa cui ſe ultrò ſubjecit pro nobis: at ibi dicitur θανατωθεὶς σαρκὶ, non ἐξ σαρκὸς, quia denotatur mortis & crucifixionis ſubjectum recipiens His addo quod nulla ſubſit juſta ratio, cur illa δύναμις Θεοῦ ex qua vivit, de ipſiuſmet divina potentia, virtute & natura non debeat intelligi; prout de ipſius Spiritu æquè ac de illius carne loquitur Petrus Apoſtolus. Nam ut Petrus carnem Spiritui, ſic Paulus infirmitatem humanā virtuti divinę uterque verò morti & crucifixioni, reſurrectionem & vitam in eodem

dem Chriſto opponit, & ſic duas in ille diſtinctas naturas, uterque ponit neceſſariò: quod fuerat demonſtrandum.

CAP. XI.

De æterna Filii Dei generatione.

Reſpondente WESSELO WESTENBERG Neda-Gelro.

JAm igitur, quòd Filius Dei ab omni æternitate ex eſſentia Patris genitus
eſſe affirmatur; hoc firmiter conſtituendum eſt, ſententiam iſtam & ab- 470.
ſurdiſſimam, & planè ex eorum numero eſſe, quæ fieri nulla ratione poſſunt; ac proinde nec ſacrarum literarum teſtimoniis confirmari poſſe. Se enim ipſam evertit. Nam ſi generatus eſt Filius, ut ſanè generatus eſt, ab omni æternitate non extiterit, ſed fuit tempus aliquod, cùm nondum exiſteret. Omnis enim generatio, præſertim ſubſtantialis, quam vocant, ac propriè ſic dicta, eſt mutatio à non eſſe ad eſſe.

‡ *Iam igitur, quod Filius*] Imò hîc firmiſſimè conſtituendum eſt Dei Filium ab æterno eſſe genitum, tum quia ipſe extitit ab æterno cum Patre Joh. XVII, 5. tum quia aliàs ejus Filius Pſal. II, 12. iſque unigenitus Joh. III, 16. proprius Rom. VIII, 32. primogenitus omnium creaturarum Col. II, 15. adeoque genitus ante omnes creaturas, ſplendor gloriæ & character perſonæ Patris Heb. I, 3. imago Dei inviſibilis Col. I, 15. quo viſo videtur Pater &c. Joh. XIV, 9. dici non poſſet. Et cùm eũ genuiſſe Pater ipſe diſertè teſtetur Pſ. II, 7. imò cùm ſit Patris *μονογενής* Joh. I, 14. III, 16. & *proprius* ejus Filius Rom. VIII, 32. cujus *exortus* eſt ab æterno Mich. V, 2. λόγος ipſius æternus, qui fuit apud ipſum jam in principio & per quem omnia fecit Joh. I, 1. 3. Judæis, Saracenis & Mahumetanis improbiorem eum eſſe oportet qui cum Volkelio paria faciat, & generationem æternam Filii, tanquam *abſurdiſſimam* & quæ *ſeipſam evertat* auſit rejicere.

Nam ſi generatus eſt] Priuſquam hoc argumentum Adverſarii expendamus, ejus πρῶτον ψεῦδος eſt obſervandum; quod generationem Filii planè hyperphyſicam, confundat cum generatione phyſica & naturali, ſubſtantiarum corporearum & materialium, prout materia eſt fritillus ordinarius generationis & corruptionis, eadem ſtupiditate quâ Mahumetes negat Chriſtum eſſe Dei Filium, quia Deus non habet uxorem ex qua eum genuerit: Phyſica ſanè generatio ut eſt rerum materialium, ita fit in tempore, actione tranſitivâ & per mutationem: Hyperphyſica Filii in eſſentia divina purè putè Spirituali, facta eſt ab æterno, actione immanente, & per emanationem: In Phyſica quoque, ſi univoca fuerit, eadem ſpecie natura communicatur genito; in hyperphyſica eadem numero: In Phyſica itidem qui gignit eſt naturâ & tempore prior genito; at ſecus ſe res habet in hyperphyſica, in qua gignens & genitus ſunt ſimul naturâ & tempore, coeſſentiales & coæterni. Eſtque iſta generatio æterna Filii ei ſimilis, quâ Sol lucem ex ſe producit & generat: Nam ſi per impoſſibile ſupponatur Solem extitiſſe

Digitized by Google

extitiſſe ab æterno, ab æterno quoque lucem ſuam genuerit & produxerit. Ac ſicut mens hominis, ὁ νοῦς, ſuam in ſe & ex ſe rationem, τὸν λόγον, generat & producit; ita Pater, ſuprema illa mens, ſuum in ſe & ex ſe λόγον genuit ab æterno: generatione equidem univocâ in ſe, quatenus eſt communicatio ejuſdem naturæ & eſſentiæ ad terminum perſonalitatis; ſed cui tamen comparatè ad materialem & Phyſicam, generationis nomen non conveniat univocè, cùm ſit alterius ab ea generis & naturæ. Quod ipſum Platonem ejuſque diſcipulos non penitùs latuiſſe, alibi docuimus: Superſunt & obſcura illius veritatis veſtigia apud Judæos, in iis quæ docent de ſuis *Sephiroth* & mundo emanationis: Quin Gentilium Poetæ ſurgent in Judicio adverſus Socinianos & eos condemnabunt; quod potuerint utcunque intelligere poſſibilitatem iſtius generationis æternæ, docentes alii Jovem ex ſuo capite Metim genuiſſe, alii ex Jovis cerebro Palladem, ſummam æternamque Sapientiam, genitam & editam fuiſſe. Sed excutiamus per partes argumentum Volkelii. *Si*, inquit, *generatus eſt Filius, ut ſanè generatus eſt, ab omni æternitate non extitit, ſed fuit tempus aliquod cùm nondum exiſteret.* Reſpondeo primùm, nos admittere ejus confeſſionem, quod Filius genitus ſit: Adeoque hoc argumentum retorquere in ipſum; Nam ſi Filius genitus eſt, utique ab omni æternitate genitus fuit, cùm extiterit ab æterno, & ſit Pater æternitatis Eſ. IX, 5. Deinde, negare nos illam conſequentiam: Nam præterea quod nequidem ea concederetur in Schola Peripateticorum & Ariſtotelis, qui ab æternitate Dei & motoris, motus & mundi exiſtentiam ſive γένεσιν ab omni æternitate fuiſſe pertendunt, illa demum vera foret, poſito quod generatio Filii eſſet Phyſica, & per mutationem, non hyperphyſica & per emanationem à Patre. Nam ſanè ut non fuit tempus, quo Deus Pater non fuerit, ſic non fuit tempus quo Filius ejus æternus, ab ipſo procedens & genitus non extiterit. Ac ſicut cogitatio & intellectio (ſaltem generica) Angeli, eſt ſimul naturâ & tempore cum ipſo, quia non poteſt concipi tempus quo Angelus extiterit, nec tamen intellexerit & cogitaverit; eſt enim Angelus intelligentia ſeparata, id eſt ſubſtantia Spiritualis intelligens & cogitans; Ita debet eſſe Patri coæternus & coeſſentialis ſuus λόγος & Filius, quia non poteſt concipi tempus, quo Deus extiterit ſine ſuo λόγῳ, Pater abſque ſuo Filio: adeoque λόγου & Filii generatio debet eſſe æterna, cùm nec λόγος, nec Filius fuerit, niſi proceſſerit & genitus ſit à Patre. Pergit tamen Volkelius.

Omnis enim generatio] Sed generatio ut notat propriè acquiſitionem formæ, nec mutatio eſt, nec ſpecies motus, juxta ſaniores Philoſophos, ſed tantùm illius terminus: Quia tamen plerumque generationis vocabulum ſumitur pro tendentia ad formam, & mutatio in facto eſſe reſpectu geniti eſt terminus illius tendentiæ & motus, hoc quod aſſerit Volkelius haud gravatè illi concedo de omni generatione phyſica & materiali; nego de generatione hyperphyſica & immateriali, in qua generans non agit per mutationem & per actionem tranſeuntem, ſive tranſmutativè; ſed per emanationem & operationem immanentem, ſive emanativè; quomodo mens noſtra in ſe & intra ſe ſuam cogitationem & ſuum λόγον progignit. Nec eſt quod dicat Hæreticus ſe agere de generatione *ſubſtantiali.* Nam ſubſtantialis eſt generatio & productio noſtri λόγου & conceptus à mente noſtra, ſaltem ex parte termini à quo: Et ridiculè argumentatur ab eo quod obtinet in generatione phyſica rerum & ſubſtantiarum materialium atque corporearum, & cujus principium paſſivum eſt

materia,

Digitized by Google

materia, juxta communem Scholarum Philoſophicarum ſententiam, ad evertendam generationem immaterialem & ſpiritualem Filii Dei in divinis.

Ex quo conſequitur etiam, in Deum illum ſummum, nempe eum, qui ex ſubſtantia Patris genitus dicitur, mutationem cadere. quin etiam in Patrem qui generavit. Vel enim Filius nondum eſt penitùs genitus, ſed adhuc generatur, & in æternum generabitur; quod & ſac. literis, & ſanæ rationi repugnat; vel Pater eum generare deſiit, & ſic ex generante factus eſt non generans, idque ratione ſubſtantiæ ſuæ, ex qua generaſſe dicitur.

‡ *Ex quo conſequitur*] Negatur id ſequi: Nam in eum quidem qui genitus eſt generatione iſtâ immateriali, hyperphyſicâ & æternâ, cadit generatio, non tamen ulla mutatio: quia mutatio ſupponit motum, & motus omnis fit in tempore: Sed in eo quod fuit ab ęterno, nec tempus nec motus concipi poteſt, adeoq; ne ulla mutatio: Quis negabit Deum ab æterno aliquid apud ſe ſtatuiſſe & decreviſſe? In hoc verò Dei decretum, nulla cadit mutatio, nullus tranſitus à non eſſe & non operari ad eſſe & operari: quia non proceſſit per motũ & in tempore, ſed per actũ Dei immanentem & ab æterno: Et eâ ratione evertitur dilemma Volkelii, Nam de Decreto Dei facto ab æterno, non poteſt dici, vel quod nondum ſit peractum, ſed adhuc fiat & fiet in æternum, vel quod Deus deſierit decernere, & ſic ex decernente factus ſit non decernens, ac proinde mutatus: Sed poteſt dici quod decretum factum ab æterno, maneat ratum & factum in æternum, ſemperque verum fuiſſe, eſſe & futurum, quod Deus id ita decreverit ab æterno: Nec quia Deus uſque & uſque id continuò nõ decernit, quod ſemel decrevit ab æterno, cenſendus eſt aut deſiiſſe decernere, aut factus eſſe non decernens ex decernente. Nam deſitio, ceſſatio & quies, ſupponit actionem tranſeuntem, nec-non mutationem & motum, ſaltem in objecto & termino: Hoc modo Deus dicitur deſiiſſe creare & quieviſſe ſeptimo die, Sed horum nullum cadit in æternum Dei decretũ; Ac ſicut nequit dici quod incœperit decernere, & ex non decernente factus fuerit decernens, ita nequit dici quod deſierit decernere & ex decernente non decernens factus ſit. Uno verbo, deſitio ſupponit incœptionem, & utraque tempus: quare ut id non incœpit aliquando eſſe quod fuit ab æterno, ut Dei decretum, ita nequit dici deſiiſſe aliquando fieri, quod ab æterno factum fuiſſe dicitur & docetur. Idem ergo ſtatuendum de æterna generatione Filii, eo magis quod illa ſit neceſſaria & naturalis; cùm decretum Dei ſit ſuo modo voluntarium & liberum; videlicet non poſſe dici, Filium *nondum* penitùs eſſe genitum, ſed *adhuc* generari, & in æternum generatum iri: Nam hæ particulæ *nondum* & *adhuc*, ſunt adverbia temporis, quæ in hac generatione æterna non habent locum: Satis eſt, quod licet uſque & uſque Filius non generetur à Patre, per actionem ſucceſſivè continuatam, cùm nequidem ipſa generatio Phyſica, juxta ſaniorem Philoſophiam, ut ſonat acquiſitionem formæ, ſit ſucceſſiva & ſpecies motus, ſed fiat momento & in inſtanti, ſemper tamen & in omni differentia temporis, verum eſt, fuit & erit, Filium ab æterno genitum eſſe. Nec tamen quia non generatur continuò uſque & uſque per omnes temporis differentias, poteſt dici de Patre, quod eum generare deſierit, quoniam nunquam incœpit

eum

cum generare, nec in id quod æternum & ab æterno eſt, magis cadat deſitio quam incœptio. Ac ſicut Pater non eſt factus ex non generante generans, gignendo Filium ab æterno, quia videlicet non incœpit generare; ſic ex eo quod eum genuerit ab æternò, non poteſt dici factus ex generante non generans, quia non deſiit generare: Ideo autem non deſiit aliquando, quia aliquando non incœpit; nam ea ſolùm deſinunt aliquando, quæ aliquando & in aliqua temporis differentia incœperunt, non item ea quæ fuerunt ab æterno. Sed etſi id largiremur Adverſario, Patrem deſiiſſe generare Filium, (quod tamen propter rationes allatas dici non poteſt) quatenus concipitur hæc generatio ſemel pro ſemper facta ab æterno, an inde ſequeretur Patrem eſſe mutatum & ex generante non generantem factum eſſe? Non ſanè magis, quam ſi pari abſurditate pertendendo Deum deſiiſſe id decernere quod ſemel pro ſemper ab æterno decreviſſe concipitur, velles inde colligere Deum eſſe mutatum & ex decernente factum eſſe non decernentem, *idque ratione ſubſtantiæ ſuæ*, ut hîc loqueris: cùm decretum Dei, ſaltem *ſubjectivè* conſideratum, ſit ipſe Deus, quoniam nihil eſt in Deo quod Deus non ſit, nec *Eſſe*, *Poſſe*, *Operari*, in ipſo aliter quam pro noſtro concipiendi modo imperfecto & inadæquato diſtinguuntur. Quinimò ſi nequidem ex eo quod Deus verè deſiit creare, & quievit ab omni ſuo opere, ſeptimo die, quia videlicet etiam in tempore creare incœperat, non tamen ſequitur Deum eſſe mutatum, & ex Creatore non Creatorem factum fuiſſe, quantò minus poſito quod Pater deſierit generare Filium, quia genitus fuit ab æterno, bene colligeres Patrem igitur eſſe mutatum & ex generante in non generantem abiiſſe? Imò verò potiùs, ut ex eo quod Deus deſiit creare & abſolvit opus creationis, manet ma ebilque in æternum Creator Univerſi; tantum abeſt ut ex Creatore in non Creatorem illâ deſitione abierit; ſic etiam ex eo quod Deus in ſigno rationis diceretur deſiiſſe gignere ſuum Filium, quoniam abſoluta intelligatur fuiſſe hæc Filii ſui generatio ab æterno, non ſequeretur eum ex genitore in non genitorem mutatum fuiſſe, ſed potiùs ſtatueretur ſemper & in æternum ſui Filii generans, vel genitor; utpote qui eum ab omni æternitate perfectiſſimè genuerit. Sed iſti homines ψυχικοὶ carnalia duntaxat ſapientes, ad has ineptias delabuntur, dum temporis ſucceſſionem, motum & fluxum, in æternitate, id eſt oppoſitum in appoſito, & contradictionem in adjecto, concipiunt, & generationem Patris hyperphyſicam, belluinè revocant ad ideam ejus quod faciebat impurus ille Veterum Cynicus, qui rei turpi publicè vacans, & rogatus quid ageret, ſe hominem plantare profitebatur; & expletâ ſuâ libidine, ex generante in non generantem ratione ſubſtantiæ ſuæ abibat.

Præterea cum Dei ſubſtantia nec in partes dividi, nec multiplicari queat; neceſſe eſt, ut ſi Chriſtus ex Dei ſubſtantia generatus fuit, tota ei Patris ſubſtantia, eadem numero, communicata fuerit. At hoc ſeipſum evertit. ſemper enim aliam ejus, qui generatur, aliam illius, qui generat, ſubſtantiam eſſe oportet. aliàs idem ſeipſum generaret.

Præterea cùm Dei] Largimur ultrò totam Patris ſubſtantiam, eandemque numero communicari Filio, Patremque dare Filio, quicquid ipſe habet, excepto

eſſe

eſſe Patris, ut aliquando loquitur Auguſtinus, imò docet ipſe Filius Joh. v, 26. Sed primùm hæc eſt communicatio, non alienatio: Deinde eſſentia divina in Patre, qui fons eſt & origo totius Divinitatis, debet concipi à nobis bifariàm: vel ut certo & incommunicabili modo characterizata & determinata ad perſonam Patris; vel ut communicabilis ad intra perſonæ Filii. Jam autem hoc poſteriori demum modo, non illo priori, Pater Filio ſuam ſubſtantiam, utique totam, communicare cenſendus eſt, alio modo in Filio characterizandam quam in ſe. Et ſanè ut homo in generatione hominis ei communicat illam eandem naturam humanam quam habet, utique totam; aliàs totus homo totum hominem, non generaret; nec tamen vel eâ ſe exuit, vel idem ſeipſum generat; ita Pater in divinis Filio, quem genuit, eandem quam habet naturam divinam, eamque totam, communicavit, nec eam abdicando, nec ſeipſum generando. Agnoſco quidem id eſſe diſcriminis inter hæc duo, quod in generatione divina, eadem numero eſſentia communicetur, quod cùm ſit infinita unico ſubſiſtendi modo & charactere perſonali non exhauriatur, ſed pluribus perſonis ſit communicabilis; quomodo pluribus inter ſe diſtinctis facultatibus anima rationalis communicari concipitur; at in humana generatione, nonniſi eadem ſpecie natura communicatur filio à patre; quod natura humana ſingularis, finita cùm ſit, nonniſi unum ſubſiſtendi modum habere poſſit. *At*, inquit Volkelius, *hoc ſeipſum evertit; ſemper enim aliam ejus qui generatur, aliam illius qui generat, ſubſtantiam eſſe oportet: aliàs idem ſeipſum generaret.* Nolim huic Volkeliano incommodo, de ſuipſius generatione, objicere, vel quod prodiderunt Veteres de Phœnice, ſeipſum ex ſuis cineribus generante, vel quod Sociniani ex Pelagiana ſua doctrina volunt quemlibet Sanctorum ſeipſum regenerare; Satis eſto obſervaſſe, axioma hoc Volkelii, quod *ſemper aliam ejus qui generatur, aliam illius qui generat ſubſtantiam eſſe oportet*, multis vitiis laborare. Nam primum ita generatim loquendo, contrarium ſtatui poſſet, & quod ad generationem univocam, ſemper eadem debeat eſſe ſubſtantia gignentis & geniti. Nam è ſquilla roſa non naſcitur, & *fortes fortibus creantur*, inquit Horatius, *neque imbellem feroces generant aquilæ columbam*; herbæ ac arbores quælibet ſementant ſemen in ſpecies ſuas Gen. 1, 22 Secundò, facilè concedo aliud ſemper debere eſſe ſuppoſitum, ſive in intelligentibus aliam perſonam, gignentis quam geniti, ut in divinis alius Pater eſt, alius Filius; Sed nego aliam ſemper debere eſſe utriuſque ſubſtantiam ſive naturam: cùm ſaltem ſpecificè loquendo, eandem debeant habere naturam & ſubſtantiam, leo gignens & leo genitus. Tertiò, *ſubſtantiæ* vox eſt ambigua, & conſultò adhibetur ab Adverſario ad Sophiſma ſuum occultandum; Interdum enim ſumitur pro ipſa rei cujuſcunque eſſentia & natura, ſive pro ſubſtantia ſecunda, (quamvis inter iſta duo adhuc diſtingui poſſit) interdum verò præcisè pro ſubſtantia prima, ſive pro ſuppoſito, quod in intelligentibus perſona eſt; quo ſenſu Hilarius inter Veteres, tres ſubſtantias divinas aſſerebat, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Si igitur hoc poſteriori ſenſu nomen ſubſtantiæ ſumatur, ſemper diverſa eſt ſubſtantia gignens & genita; etiam in divinis. Si priori, omninò ſemper debet eadem eſſe in generatione univoca & perfecta, ſubſtantia gignentis & geniti, tantum abeſt ut hujus aliam, & aliam iſtius, eſſe oporteat. Quartò, quamvis natura & eſſentia divina, quæ valdè impropriè & minus accuratè ſubſtantia dicitur, eadem ſit in Patre generante & in Filio genito, tamen aliter ſe

habet in Patre quam in Filio; quod ſufficit impediendo ne *idem ſeipſum* generare ſtatuatur. Nam Pater eſt ſubſtantivè & in neutro genere idem quod Filius, ſed non iſdem adjectivè & in genere maſculino; prout viceverſa, non eſt aliud quid eſſentialiter & ſubſtantivè, ſed eſt adjectivè & perſonaliter aliud ſuppoſitū. Quintò denique, quod alia numero debeat eſſe eſſentia ſive ſubſtantia gignentis quam geniti, nequidem in Phyſicis verum eſt de generatione ſive proceſſione emanativa, qualis eſt in divinis Filii à Patre. Nam Sol radiis quos ex ſe diffundit, fons & ſcaturigo rivo quem effundit, ſuam illam eandem numero quam habet & quâ conſtat ſubſtantiam ſive naturam, ille lucis, hic aquæ, confert & communicat, citra ſui diviſionem, multiplicationem, aut deſtructionem. Nec tamen *idem ſeipſum generat* aut producit: Nam licet eadem ſit lux numero in radiis quæ in Sole, eadem numero aqua in rivo quæ in ſcaturigine aut fonte, aliter tamen lux eſt in corpore Solis, quam in radiis, aqua aliter in ſcaturigine aut fonte quam in rivo.

Hîc verò nonnulli illud Eſaiæ teſtimonium proferunt: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* (*Eſa.* 66,9.) Verùm ex hoc loco id, quod volunt adverſarii, concludi minimè poſſe, & materia verbis iſtis ſubjecta, & interpretationis varietas manifeſtè oſtendit. Ac illa quidem ideo, quòd hîc non ſolùm ejus partûs mentio fit, quem Deus Sioni promittit, & ſic nequaquam illius æterni & eſſentialis, ab adverſariis conficti: ſed etiam nonniſi Judaici populi liberatio, & in priſtinum locum reſtitutio, partûs nomine ſignificatur; perindeque eſt, ac ſi hunc in modum Deus loquatur: Scilicet ego alios parere faciam, & ipſe non efficiam, ut Sion Judæorum patria, indigenis ſuis receptis, liberorum multitudine abundet? At verò aliter Vatablus, homo Hebraicis literis doctiſſimus, legendum cenſet, nimirum ſic: *Num ego contererem, & non facerem parere? num ego facio parere, & cohibeo?* id eſt, ut idem interpretatur Vatablus, Egóne, qui do vim pariendi mulieribus, prohibebo, ut Eccleſia non pariat? Nihil igitur hinc, ſive hæc, ſive illa interpretatio retineatur, adverſariorum opinio poteſt habere præſidii.

t *Hîc verò nonnulli*] Cùm in hoc Eſaiæ LXVI, 9. dicto interpretando varient Interpretes, & aliàs is ſit loci ſcopus quem notat Volkelius, nec agat de eo quod Deus in ſe faciat, ſed de eo quod operetur in ſua Eccleſia, nolim multum inſiſtere huic argumento; maximè cùm non ſit probandum, quod Deus genuerit aut gignere potuerit Filium, quo fortè poſſet facere hic locus juxta verſionem Junianam, *An ego aperirem os matricis & non gignerem, ait Iehova; an ego qui gigno, amplius occluderem, ait Deus tuus?* Sed tota difficultas ſpectet modum & ordinem iſtius generationis.

Verùm videamus, quibus ſcripturæ præſidiis, iſta ſempiternæ generationis opinio muniatur. Primò dicunt, de Dei ſapientia literis ſacris proditum eſſe,

Digitized by Google

eſſe, (*Prov.* 8, 22. 23.) quòd ab omni æternitate conſtituta ac genita ſit. 471.
quam cum Dei Filium eſſe Pauli teſtimonio (1. *Cor.* 1, 24.) comprobari videatur; eundem à ſempiternis infinitiſque temporibus ex Dei eſſentia genitum eſſe colligunt. Sed perperam hoc ab illis fieri, indicio eſt, tum propoſitionis, præſertim in eum, quem illi volunt, ſenſum acceptæ, tum aſſumptionis falſitas. Illam enim falſam eſſe hinc perſpicitur, quòd Solomon eo in loco, nec Dei ſapientiam, ſed ſapientiam ſimpliciter & generatim, vel, ut dicitur, in abſtracto conſideratam, tanquam perſonam quandam inducit; nec eam genitam, multò minùs ex Dei eſſentia genitam aſſerit, ſed formatam, (ſic enim hebraicè legitur, ut teſtis eſt Vatablus, Pagninus, & B. Arias, homines hebraicis literis doctiſſimi:) formare autem creare eſt; nec denique dicit ab omni æternitate, ſed *à ſeculo*, hoc eſt, ut ſtatim explicatur, ex antiquis, ſcilicet temporibus, ſapientiam conſtitutam fuiſſe. Eam enim vocum *à ſeculo* vim eſſe, ex aliis ſacrarum literarum locis intelligitur. (*Eſa.* 64, 4. *Hier.* 2, 20. *Luc.* 1, 70.) Quæ omnia in unum coacta, ſenſum efficiunt hujuſmodi: ſapientiam jam tunc extitiſſe, Deoque adfuiſſe, cùm mundi hujus opificium aggrederetur; & intelligentiam fuiſſe, antequam quicquam conderetur: quia nimirum Deus omnia ſapientiſſimè crearit ac conſtituerit.

† *Primò dicunt de Dei ſapientia*] Cùm fusè & ex profeſſo de hoc loco Prov. VIII, 22. 23 & ſeq. diſputaverim contra Crellium *bujus operis lib.* 1. *cap.* 24. *pag.* 379. *& ſeqq.* non eſt quod illi explicando & vindicando diu immorer. Sufficient breves ſtricturæ ad ea quæ hoc loco repetuntur ab hæreticis

Quam cum Dei] Nec ſolùm iſto Pauli loco 1. Cor. 1, 24 Chriſtus *Dei Sapientia* appellatur, ut etiam Luc. XI, 49. collato cum Matt. XXIII, 34 ſed abſolutè dicitur ipſiſſima *Sapientia* Mat. XI, 19. Luc. VII, 35. Neque ipſe nobis potuiſſet fieri *Sapientia* à Patre 1. Cor. 1, 30. niſi ejus λόγος æternus & ſapientia perſonalis fuiſſet.

Illam enim falſam] Annon *Dei Sapientiam* intelligeret Salomon, quæ, ut tota ſeries contextus oſtendit, Deo aderat in creatione univerſi, & (quod magis Filio convenit) ſpeciatim com. 30. dicitur *apud eum* eſſe ac illius eſſe *deliciæ*? Prout ὁ λόγος, nempe Filius, dicitur fuiſſe in principio apud Deum Joh. 1, 1. imò eſſe *in ſinu Patris* Joh. 1, 18. & de illo teſtatur Pater quod ſit Filius ſuus dilectus, in quo εὐδόκησε Matth. III, 17. XVII, 5. Nec de hac Sapientia Salomon loquitur *generatim & in abſtracto*, ut quadamtenus communis eſſe poteſt Deo & hominibus, id eſt complecti analogicè Sapientiam increatam & creatam, ſed de Sapientia Dei increata & perſonali, cui ſoli ea convenire poſſunt quæ ibi leguntur. Neque hic eſſe admittendam proſopopœam, *loco jam citato* accuratiùs demonſtravi. Et cùm proſopopœa ſit regulariter ea figura per quam ſermones & operationes naturæ aut ſubſtantiæ intelligentis, tribuuntur ſubſtantiis & naturis aut brutis aut ſenſu deſtitutis, ut cùm in apologo Jotham arbores loqui introducuntur, & dicitur aſinus cognoſcere ſuum poſſeſſorem, & flumina à Davide invitantur ad plauſum, aut cœli & terra ad audiendum

dum à Moſe & Eſaia; illi figuræ non poſſet hîc eſſe locus, ex mente Adverſariorum, juxta quam hæc Sapientia Salomonica ſit merum ens rationis, cui extra noſtrum conceptum nulla convenit exiſtentia, nulla realitas.

Non eam genitam] Imò verò verbum חוללתי, *Cholalthi*, quod eſt in textu originali com. 24. & 25. commodiſſimè reddi poteſt *genita ſum*, ut factum à Chaldæo paraphraſte & Interpretibus Græcis, Genevenſibus, Belgis. Nam & eandem habet ſignificationem Pſal. LI, 7. Et ipſum חולל *Cholel*, quod eſt Pihel à חול *Choul*, non modò *parere* ſignificat, ſed etiam *gignere*, ut notant Eruditi. Ne dicam, quod & Græcum τίκτειν, & Latinum *parere*, quorum ut umque frequentiùs de matre ſolet uſurpari, etiam quandoque ab Authoribus Claſſicis utraque linguâ dicatur de patre, qui inde τοκεὺς Græcis, & *parens* Latinis appellatur. Ac licet illi Interpretes, ad quos provocat Volkelius, habeant hîc *formata ſum*, tamen non videntur tam reſpexiſſe ad creationem, de qua nunquam illa vox uſurpatur, quam ad generationem, cujus beneficio artificiosè admodum conficimur & conformamur Pſ. CXXXIX, 15. 16. Ideo Junius reddidit, *Edita eram*. Nequivit autem eſſe formata, ſive genita, ſive edita, ante omnium Creaturarum originem, niſi *ex Dei eſſentia*; cùm nihil præextiterit omnium rerum creationi præter Deum; & dicere creatā eſſe Sapientiam hanc ante omnem Creaturam, foret revera negare eam eſſe creatam. quod nihil concipi poſſit niſi increatum, ante omnem creaturam.

Nec denique dicit ab omni] Non eſt hîc operosè diſputandum de ſignificatione vocis מעולם, *Megnolam*, com. 23. quæ redditur *A ſeculo* per Vulgatum Interpretem, per Junium *Ante ſeculum*, imitando Græcos Interpretes, qui habent πρὸ τοῦ αἰῶνος, per alios, nominatim Belgas, *ab æterno*. Et quamvis quandoque illa particula, ſignificet tantùm *jam olim*, vel *ab antiquis temporibus*, ut locis citatis Volkelio, ſæpè tamen ſonat ipſam æternitatem: ut cùm Deus dicitur benedictus *à ſæculo in ſæculum* 1. Paral. XIV, 36. & miſericordiæ Dei dicuntur eſſe מעולם, *à ſæculo*, id eſt, ab æterno Pſ. XXV, 6. ac ipſe Deus dicitur eſſe *à ſæculo* Pſ. XC, 2. XCIII, 2. Neque poteſt alio ſenſu hîc ſumi quam ab omni *æternitate*, quia ipſa Sapientia ſumma profitetur ſe præextitiſſe ac præfuiſſe natalibus mundi: faseturque Volkelius eam *jam tunc extitiſſe Deoque adfuiſſe cùm mundi opificium aggrederetur*. Quod autem præextitit mundi adeoque & ipſius temporis natalibus, omninò debuit ab omni æternitate fuiſſe.

Quæ omnia in unum] Admittimus Volkelii confeſſionem de *Sapientiæ* hujus exiſtentia *antequam quicquam conderetur*; Sed hanc præexiſtentiam rebus omnibus creatis, quis ſani ſyncipitis putabit illi tribui, *quia nimirum Deus omnia ſapientiſſimè crearit & conſtituerit*? Cùm è contrario omnia hæc Deus *ſapientiſſimè* crearit, quia omnia creavit per illam ſummam æternamque Sapientiam ſuam perſonalem, quæ ab ipſo edita ſive genita erat ab æterno.

Unde perſpicuum eſt, non id egiſſe Solomonem, ut ſapientiam illam, divinam quandam perſonam eſſe oſtenderet: ſed ideò per proſopopœiam, eam tanta de ſe prædicantem induxiſſe, ut hominum animos ejus ſtudio ac cupiditate inflammaret, atque ad eam acquirendam incenderet. Eam ob rem ibidem ſuperiùs (*verſ.* 15, 16.) hanc illam eſſe dicit, per quam reges regnant, juſtitiamque decernunt. Hanc omnes prudentiâ egentes inclamantem producit,

Digitized by Google

producit, ſtultitiæque, ſub fatuæ mulieris perſona, eâdem dicendi figurâ inferiùs inductæ (*cap.* 9, 13.) opponit. Hanc ut ſororem cognatamque noſtram appellamus (*cap.* 7, 4.) id eſt, ardentiſſimè amplectamur, ſtudioſeque ſequamur, acriter nos incitat. Hanc denique alibi ſine dubio à Deo ſibi donari petit, ut omnia ſapienter moderari atque adminiſtrare poſſit. (1.*Reg.* 3, 9. 11. 12. 2. *Paral.* 1, 10. 11.) Quæ omnia ſapientiam iſtam nequaquam perſonam eſſe evidenter demonſtrant.

‡ *Unde perſpicuum eſt*] Imò ex toto textu contrarium elucet manifeſtiſſimè; primò hanc Sapientiam ceu perſonam induci, quod fatetur Adverſarius; & ſecundò ea illi perſonalia tribui, quæ in meram qualitatem cadere non poſſint. Quod ſi fas fuerit nobis pro lubitu, ad proſopopœam recurrere, quoties aliqua perſona vel Divina, vel Angelica, vel humana, introducitur loquens in Scripturis, nihil certi amplius in textu ſacro reſtare poterit.

Ut hominum animos] Equidem hæc ſumma Sapientia nobis deſcribitur ſeriò homines invitans ad ſe; Sed id ipſum eſt quod videmus Chriſtum Dei Filium præſtitiſſe liquidò Matth. XI, 28. 29. 30. Joh. VII, 37. 38. Aliàs cùm hæc ipſa Sapientia ſit utique ipſius Dei, quâ mundum condidit, adeoque infinita, non poſſet fingi per proſopopœam voluiſſe eam *hominum animos ſui ſtudio & cupiditate inflammare, atque ad ſe acquirendam incendere*; cùm illius Sapientiæ infinitæ, mens hominum finita capax ſtatui non poſſit.

Eam ob rem ibidem] Atqui hoc ipſum quod dicitur hujus cap. VIII, com. 15. & 16. optimè quadrat in perſonam Filii Dei, qui Rex Regum & Dominus Dominantium inde dicitur Apoc. XIX, 16.

Hanc omnes prudentiâ] Atqui hoc iterum optimè convenit Dei Filio, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & notitiæ abſconditi Col. II, 3.

Stultitiæque ſub fatuæ] Nego ſtultitiam opponi Sapientiæ Prov. IX, 13. Nam ejus cap. com. 11. abſoluitur ſermo Salomonis de ſuprema Sapientia & com. 12. redit ad ſolitas ſibi ſententias: Nec com. 13. agit de ſtultitia in abſtracto, ſed in concreto de *muliere ſtolida, ſtrepera & fatua*, quæ *fatuos* illos ad ſe traducit, com. 16. quibus *aquæ furtivæ ſuaveſcunt* com. 17. Quibus verbis mulierem procacem & adulteram denotari, res ipſa per ſe loquitur; confer Prov. VII, 9. & ſeqq. Sed quamvis ſub imagine ſcorti & mulieris adulteræ, error, hæreſis, ſuperſtitio, idololatria intelligerentur, quibus homines à Chriſto ejuſque Euangelio, vera ſcilicet & ſalutari Sapientia, abducuntur, quid hoc ad mentem Adverſarii? Cùm è contrario hæc omnia vitia, ſub nomine & imagine perſonæ corruptiſſimæ, nempe mulieris fatuæ & adulteræ expreſſerit Salomon, ut ita diſtinctiùs perſonæ ſummæ Sapientiæ aliam perſonam opponeret. Adde quod hæc vitia ſint revera perſonarum certarum inter homines, qualitates notæ; ut eo faciliùs per proſopopœam exprimantur: Sed nullius perſonæ humanæ, ſumma Salomonis Sapientia, qualitas & conditio ſtatui poteſt; adeoque nequit hîc per proſopopœam deſignari.

Hanc ut ſororem] Sed primò nulla ratio nos cogit locum Prov. VII, 4 de eadem illa Sapientia intelligere, cujus ſit mentio Prov. VIII. & IX. capp. cùm ejuſdem vocis varia acceptio ſit frequens in Scripturis. 2. Illa loquutio nihil quicquam perſonale tribuit ſapientiæ iſti, ſed tantùm commendat intimam familiaritatem colendam cum ea ſapientia cujus capaces ſumus, qualis ſolet nobis interce-

 dere

dere cũ ſororibus & familiaribus noſtris: quomodo & Job. XVII, 13. homo mortuus aut jamjam moriturus introducitur dicẽs foveæ, *Tu es pater meus*, & vermibus, *Vos eſtis mea mater & mea ſoror*; quâ loquutione nihil perſonale per proſopopœam tribuitur foveæ aut vermibus, ſed tantùm indicatur intimior connexio hominis mortui cum fovea & vermibus, quam cuiquam ſolet eſſe in domo paterna cum ſuis parentibus, ſororibus & fratribus germanis. 3. Nihil obſtat quominus & ille locus Prov. VII, 4. applicetur Chriſto, quem ceu Sapientiam cœleſtem debeamus appellare *ſororem cognatamque noſtram*, eum germanè colendo, noſque ei adjungendo quam familiariſſimè: ſiquidem ipſemet Matth. XII, 49. 50. protenſâ ſuâ manu in diſcipulos ſuos, qui familiariùs ipſi adhærebant, dixit, *Ecce mater mea & fratres mei*, ac generatim addidit eum ſuum fratrem, ſuam ſororem, ſuamque matrem eſſe, qui Patris ſui cœleſtis voluntatem fecerit.

Hanc denique alibi] Non tam hanc petiit 1. Reg. III, 11. 12. 2. Chron. I, 10. 11. quam illius irradiationem & chariſmata ſibi neceſſaria in regni ſui adminiſtratione. Ideo qui dicitur poſteriori loco pêtiiſſe *Sapientiam & Intelligentiam*, חכמה ומרע, *Chochma umaddang*, in priori introducitur petens *animum intelligentem ad judicandum & diſcernendum inter bonum & malum*. Non ergo ſequitur non eſſe perſonam illam Sapientiam cujus meminit Salomon in Proverbiis, eo quod perſona non ſit illa quam petit ad regimen Reip. In hac enim oratione eam petebat, quæ in hominem cadere poſſet, non verò illam quam Jehova *poſſidebat* (ἔκτισε reponendum eſſe in Græca verſione pro ἔκτισε, multi autumant; quamvis etiam τὸ *creare*, idem ſæpè ſit in omnibus ferè linguis quod *procreare* & *gignere*; unde בר *Bar* filius, à ברא *Bara* creavit; qua de re videatur Sixtinus Amama, *Antibarb. lib. 3.*) *principio viæ ſuæ ante opera ſua, aut ullum tempus*, quæ fuit *inuncta* & princeps declarata, *progenita* & edita ab æterno, & de qua agitur Prov. VIII, 22 23 25.

Sed jam ad aſſumptionem veniendum nobis eſt, ut oſtendamus, eam meritò à nobis falſitatis coargui. Chriſtum enim ſapientiam illam, de qua hactenus diſſeruimus, minimè eſſe, non una ratione conſtat. Illa enim ſapientia, de qua Salomon loquitur, præterquam quòd perſona non eſt, univerſè ac ſimpliciter accepta, ideoque ſine Dei mentione prolata, non ejus propriam ſapientiam, ſed facultatem illam, omnibus ſapienter rem aliquam admini-
472. ſtrantibus communem, declarat: Chriſtus verò & perſona eſt, & non ſimpliciter apud Paulum (1. *Cor.* 1, 24. & 30.) ſapientia, ſed *Dei ſapientia* dicitur, quia nimirum Dei ſapientia in eo manifeſtiſſimè elucet. quo pacto etiam *Dei potentia* ibidem dicitur, quia ſumma Dei potentia in eo fuit exſerta, atque adhuc exſeritur. qua ratione & Euangelium *Dei potentia* vocatur; (*Rom.* 1, 16.) quia in tota Euangelica prædicatione ac diſciplina ſingularis Dei virtus elucet.

Sed jam ad aſſumptionem] Imò verò, vel ideo Chriſtus eſt illa *Sapientia* de qua Salomon in Proverbiis, & quod hæc perſona ſit, cui perſonalia varia propriè non-

non per proſopopœam tribuuntur; & quod quæ illi tribuuntur apud Salomonem, Chriſto quoque conveniant & illi attribuantur in Scriptura; & quod Chriſtus *Sapientia* abſolutè, ut etiam abſolutè λόγος, quandoque appelletur, quod ſuprà eſt demonſtratum; & quod Salomon Prov. 8. & 9. agat de Sapientia Dei, non verò de ea quæ in abſtracto, per conceptum valdè abſurdum, fingeretur communis Deo & Creaturæ. Agit enim Salomon de ea quam Deus poſſedit, inunxit, genuit ab æterno, quæ Deo adfuit & toti illius operi præfuit in creatione Univerſi, quæ homines diligit intenſiſſimè eoſque amanter invitat ad ſua præcepta audienda & capeſſenda, quam qui conſequitur, conſequitur vitam, &c. Quæ ſanè non poſſunt quadrare in illam ſapientiam civilem & humanam, quâ quilibet rem ſibi commiſſam dextrè & prudenter adminiſtrat. Apud Galatinum *lib. 3 de Arc. Cath. ver. cap. 3.* citatur locus ex *tract. Sanhedrim in Cap. Dine Mam. noth*, ubi Sapientia de qua Prov. 9. adeoque & 8. dicitur eſſe מדתו *Middatho, proprietas ipſius Dei Sancti & benedicti, qui univerſum mundum in Sapientia vel per Sapientiam creavit.* Et inter decem Dei *Sephiroth* ſive Numerationes, *Sapientia* ſecunda numeratur, ut videre eſt in earum Schemate quod Rittangelius proponit, ad librum Kabbaliſticum *Ietzira*, *pag.* 12.

Chriſtus verò] Sed enim perſona eſt Sapientia Salomonis celebrata in Proverbiis, & Sapientia Dei, & Chriſtus quoque *Sapientia* abſolutè dicitur in Euangelio. Neque potuiſſet nobis factus eſſe *Sapientia* ut Juſtitia *à Deo* 1. Cor. 1, 30. niſi in ſe æquè fuiſſet Jehova Sapientia noſtra, ac Jehova juſtitia noſtra dicitur Jer. XXIII, 6. Neque certè dubium quin eodem ſenſu dicatur 1. Cor. 1, 24. *Sapientia Dei*, quomodo ibidem *Potentia Dei* eſſe ſtatuitur: At verò non dicitur Potentia Dei merè objectivè, quod Deus in ipſo ſuam potentiam exeruerit; ſed potiſſimum ac primariò ſubjectivè, quod per ipſum tanquam per ſuum brachium, uti etiam *Brachium Iehovæ* appellatur Eſ. LIII, 1. potentiam ſuam exerceat; unde ipſe Filius dicitur ſuſtinere omnia verbo virtutis ſuæ Heb. 1, 3. Nec Euangelium eſt Dei potentia Rom. 1, 16. niſi quatenus eſt Euangelium Chriſti, in quo & per quem exercetur Omnipotentia divina ad peragendam ſalutem Electorum. Pariter Chriſtus non dicitur merè objectivè Sapientia Dei, quod *Dei Sapientia in eo manifeſtiſſimè eluceat*; Sic enim poſſet quælibet Creatura & Sapientia Dei & Potentia Dei appellari, quod earum nulla ſit, ne muſcâ quidem exceptâ, in cujus productione, conformatione, conſervatione, adminiſtratione, manifeſtiſſimè non eluceat Potentia & Sapientia Divina; unde natum apud Arabas notitiâ Chriſti deſtitutos hoc adagium, *Opus naturæ opus intelligentiæ*: Nec eo minus in creationis operibus elucet Dei Sapientia, quod dicatur *mundus in Dei Sapientia non cognoviſſe Deum per ſapientiam* 1. Cor. 1, 21. ut eò minus non ſplendet Sol quod bubones & veſpertiliones illius lucem non hauriant nec percipiant: Sed Chriſtus, illa Sapientia Patris æterna, Sapientia Dei eſt potiſſimum ſubjectivè, quod in illo *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ* recondantur Col. 11, 3. unde etiam ex illius cognitione ſalutari, verè ſapientes efficimur.

At certè, inquies, illis Dei verbis hanc Chriſti generationem probari conſtat, quibus ſe *illum ex utero ante luciferum genuiſſe*, ipſe affirmat. (*Pſ.* 110, 3.) Atqui verba iſta hebraico codice minimè continentur: cùm in hebraico, quemad-

Digitized by Google

quemadmodum omnes, qui ejus linguæ periti ſunt, nôrunt, & variæ doctorum virorum interpretationes teſtantur, ſic totus verſiculus, ut præcedentia etiam attingamus, legatur: *Populus tuus voluntatum*, (ſeu *voluntarius*) *in die roboris* (vel *exercitus*) *tui*, *in ſplendoribus ſanctitatis*: *ex utero auroræ* (vel *ex aurora*) *tibi ros juventutis* (alii *nativitatis*) *tuæ*. quorum verborum, quæ non Dei ſunt, ut in illa adverſariorum argumentatione omnino ponitur, ſed Prophetæ Chriſtum alloquentis, hic eſt ſenſus: Quando tu, ô Chriſte, exercitum educere voles ſanctitate ſplendidum, tanta erit in populo tuo promptitudo, ut juvenum, qui tibi militabunt & ad ſigna tua confluent, tanta ſit multitudo, quanta ſolet eſſe copia roris, quam aurora ſecum adfert, & veluti ex utero ſuo emittit. Cùm igitur in Latinis Græciſque veteris teſtamenti verſionibus, ea tantummodo, & rectæ rationis, & doctiſſimorum hominum judicio, vera exiſtimanda ſit, quæ ex hebraicæ veritatis fontibus derivata eſt; profectò omnis, quæ aliunde profluit, meritò repudiatur. Quòd ſi apud non paucos, LXX illi interpretes tantùm habent autoritatis, ut ipſis etiam hebraicis literis eorum verſionem præferendam arbitrentur: ii ſciant, magnam inter doctos eſſe controverſiam, utrùm omnia ſacrorum voluminum ſcripta ab illis in Græcam linguam transfuſa ſint: utpote cùm non pauci aſſerant, illos quinque tantùm Legis libros interpretatos fuiſſe, id quod & Joſephi, qui in Antiquitatum Jud. libris interpretationis illius hiſtoriam refert, & Ariſtææ, qui eandem rem deſcribit, & quorundam Eccleſiæ Patrum, quos vocant, autoritate probant. Sunt præterea, qui omnem quidem ſcripturam literis græcis eos donaſſe, poſtea tamen hunc eorum laborem periiſſe dicant. Adde, quod & Hyeronymus, non vates illos, ſed interpretes habendos jure exiſtimat, verſionemque illis aſcriptam adeò vocat in dubium, ut non ſolùm librariorum culpâ, ſed ipſiuſmet interpretationis vitio indignam judicet, cui omnibus in locis plenum aſſenſum præbeamus. An non igitur tutius eſt, in tanta diſſenſione, ex ipſis fontibus ſalutarem aquam
473. haurire? Mitto nunc, quòd admiſſa etiam interpretatione illa, nondum tamen, ab omni æternitate Chriſtum ex Patris eſſentia generatum, conſequatur: cùm nec eſſentiæ divinæ hìc ulla fiat mentio; nec protinus eum, qui ante luciferum genitus eſt, ab omni æternitate genitum eſſe ſit neceſſe.

† *At certe, inquies*,] Etſi nolimus multum niti hoc teſtimonio ex Pſal. cx, 3. quia tamen & Græci Interpretes, & Vulgatus Latinus habent, *Ex utero ante Luciferum genui te*, certum eſt eos ſaltem de hac generatione æterna Filii cogitaſſe: Simeon de Muis, Vir in Hebraicis doctiſſimus, *comment. in hunc locum*, ita loquitur, *Illud ex utero ante Luciferum genui te*, *poteſt haud difficilè effici ex his verbis*, *Ab utero* (*ab*) *aurora tibi ros nativitatis tuæ*, (*ſic enim forſan verti poteſt*) *ita ut metaphorica ſit loquutio ſignificans quod genitus es ſeu genui te.* Audentior adhuc eſt Genebrardus

Digitized by Google

dus, *ad hunc locum. Septuaginta ſenſum duntaxat ſecuti ſunt, idque fidiſſimè & propheticè; non quod aliter legerint quam nunc habeat Veritas Hebraica; Ros metaphoricè notat ſuavitatem, ut cùm nos dicimus, flos, & aliquem eſſe in flore ætatis. Eſt ergo ſenſus facilis & perſpicuus: Ex utero meo, (id eſt ſubſtantia) ab aurora, ab auroræ ortu, tibi eſt ros adoleſcentiæ tuæ; Tu eras ex utero meo & mea ſubſtantia, in rore adoleſcentiæ, ab ipſo Luciferi ortu. Tu jam eras in flore juventutis, vel in ſuavitate & dulcedine adoleſcentiæ. Tu jam eras natus magna mea voluptate.* Interea tamen largimur Volkelio, nec ſatis reſpondere Græcam & vulgatam Latinam verſionem fontibus Hebraicis, & magis fluere ſenſum quem ipſe proponit hujus loci. Videatur de hoc loco Sixtinus Amama, *Antibarbari ſui lib.* 3. ubi meritò tanquam *portentoſa* notat *illa Maldonati, qui perruptis omnis pudoris clathris, hæc chartis illevit; Deo tribui vulvam metaphoricè, ut intelligamus in generatione æterna Filii, fuiſſe quodammodo Hermaphroditum, id eſt virum & mulierem. Non ſic loqui audent,* inquit Amama, addo nec debent, *qui muſas colunt modeſtiores,* & convenientiùs Scripturæ de hoc profundo myſterio loqui volunt.

Mitto nunc quod] Hæc exceptio nulla eſt: Nec enim id poteſt ab æterno non eſſe quod ante Luciferum, adeoque ante ortum omnium creaturarum & ipſius temporis, fuiſſe dicitur: Nam ipſa Creationis primordia ex ſtylo Scripturæ tum fuiſſe deſcribuntur *cùm canerent ſimul ſtellæ matutinæ & vociferati ſunt omnes filii Dei,* Jobi XXXVIII, 7. Nec potuit Pater genuiſſe Filium ex utero ab omni æternitate, & ante ullius Creaturæ productionem, quin eum ex ſua eſſentia genuerit. Nec deſunt qui putent *uterum* metaphoricè Deo tribui Eſ. XLVI, 3.

Sed fortaſſis illud, ad hujus ſententiæ confirmationem, aliquam vim habere putabunt, quòd Michæas Chriſti *egreſſum à principio, à diebus æternitatis,* (*Mich.* 5, 2.) ut quidam vertunt, eſſe affirmat. Atqui tantum abeſt, ut locus ille quicquam ad hanc ſententiam ſtabiliendam habeat momenti, ut ibi ejus ne veſtigium quidem appareat. Præterquam enim quòd Egreſſus vocabulum latiùs, quàm Generationis, patet; nullo verbo indicatur, hoc loco egreſſum ex ipſo Deo, aut ex divina ipſius ſubſtantia intelligi. Sed quid multis opus? annon Prophetæ ipſius verba clariſſimè oſtendunt, de egreſſu Chriſti ex oppido Bethlehemitico, & natalibus ex illuſtri regum antiquiſſimorum ſtemmate, ſermonem eſſe? Præceſſerat enim: *Nam ex te* (ſcilicet Bethlehem) *egredietur mihi dux.* Cur ergo de alio egreſſuum (nam in Hebræo plurale eſt) aut natalium genere hìc diſputamus?

‡ *Sed fortaſſis illud*] Hic non eſt loquendum per *fortaſſis*: Nam revera hic locus Mich. V, 2. ita militat nobis, ut nullis ſubterfugiis Hæreticorum, Achilles iſte nobis eripi poſſit. Etenim debet is Filius Dei, qualem eſſe dicique Chriſtum hícque intelligi certum eſt, genitus fuiſſe ex eſſentia Patris ab æterno, cujus *exortus* vel *egreſſus* ſunt מקדם *Mikkedem, ab antiquo,* ut reddunt Arias Montanus, Caſtelio & Deodatus, vèl *à quondam,* ut Pagninus, vel *ab initio,* ut habet Vulgatus Interpres, aut *à principio* ut Junius; item מימי עולם *Mimegnolam, à diebus ſeculi,* aut *æternis, aut æternitatis,* ut redditur à variis Interpretibus. Sed quantum inſit ponderis

ris huic argumento, amplius patebit ex refutatione eorum quæ illi opponit Volkelius.

Præterquam enim] At licet *Egreſſus* vocabulum latiùs pateat quam *Generationis*, tamen negari non poteſt generationem eſſe egreſſum, prout omnes filii & poſteri Jacobi dicuntur *egreſſi* ex femore ejus Gen. XLVI, 27. & egreſſum hic de generatione ſumendùm, vel inde liquet, quod agatur de Dei Filio, de quo tam perſpicuè dicitur in Scripturis quod à Patre prodierit & egreſſus ſit, Joh. XIII, 3. XVI. 27. 28.

Nullo verbo indicatur] Sed nequit eſſe hic Filii egreſſus niſi ex Deo & Patris ſubſtantia, cùm ſit ejus qui eſt Dei Filius proprius Rom. VIII, 32. nec rapinam ducit æqualem eſſe Patri Phil. II, 6. Neque potuit prodiiſſe à Patre niſi per generationem ſubſtantialem, cujus egreſſus à Patre præceſſit omnem creationem & productionem ex nihilo.

Sed quid multis opus?] Imò quid hoc effugio abſurdius? Nam cùm Chriſtus non ſit egreſſus *ex oppido Bethlehemitico* ab æterno, ſed tempore Herodis magni & Auguſti, & jam ablato ſceptro è Juda, quis non videt aliud eſſe quod prædicit Propheta de Chriſto, quantùm ad carnem Bethlehemi naſcituro, & ſic ex Bethlehem prodituro ac egreſſuro, aliud quod monet ejus tamen *egreſſus* in plurali, fore ab æterno? Imò quis non videt hîc agi de eo *egreſſuum aut natalium genere*, (hîc enim agnoſcit Hæreticus, quod paullò antè inficiabatur, hos *egreſſus*, *natales* ſignificare,) quod ſit longè auguſtius illis natalibus quæ Chriſto humanitatis reſpectu Bethlehemi evenerunt? Hebraiſmum enim hunc nemo non novit, quo res excellentiſſimæ non rarò plurali nomine exprimuntur: Et næniæ ſunt meræ quod hîc nugatur Adverſarius de Chriſti *natalibus ex illuſtri regum antiquiſſimorum ſtemmate*: Nuſquam enim fumoſas illas imagines Chriſtus legitur oſtentaſſe: Et cùm omnes homines ex Adamo prodierint, & ipſa Genealogia Chriſti quà hominis, in Adamo terminetur Luc. III, 38. de mancipiorum ultimo æquè id poſſet dici ac de Chriſto, quod ſit ex antiquiſſimo ſtemmate oriundus.

Præterea verba illa, quæ reddita ſunt, *à diebus æternitatis*, in Hebræo nil aliud ſignificant, quàm *à diebus ſæculi*, nec poſſunt de ejuſmodi æternitate intelligi, quæ omni careat principio. repugnant enim voces *à principio*, pro quibus illæ ponuntur; & ipſa vox *dierum*, quæ nonniſi de certo aliquo tempore uſurpatur, reclamat: ſed, ut alibi, ſignificant tempora antiqua ſeu priſca. (*Eſa.* 51, 9. 11. *Mal.* 3, 4.) *Principii* autem vox ad ſubjectam materiam ſemper referenda eſt. Jam verò hoc loco de duce ſeu de dominatore ſermo eſt, qui Bethlehemi ſit naſciturus, quique paſcere, h. e. regere ac curare debeat populum Iſraëliticum. Quare principium illud rectè refertur ad id tempus, quo primò cœperunt ab ipſo Deo reges Iſraëlitici conſtitui, & quidem ex eodem oppido Bethlehemitico oriundi: ut ſenſus ſit, hunc populi Iſraëlitici ducem Bethlehemo egreſſurum, non tantùm ſuæ ipſius perſonæ habitâ ratione, ſed etiam habitâ ratione majorum antiquiſſimorum, qui primi ad paſcendum ac regendum populum Iſraëliticum electi, ex eodem oppido oriundi fuerunt: vel, præſtantiſſimum illum populi Iſraelitici ducem

Bethle-

Digitized by Google

Bethlehemo proditurum eſſe, quemadmodum in ipſo regni Iſraelitici primordio, gentis illius rex ab ipſo Deo populo datus, ex eodem oppido originem ſuam duxerat; quem quidem Davidem fuiſſe nemo ignorat.

‡ *Præterea verba illa*] Primùm etſi obtineret hoc Adverſarii effugium, ſaltem hinc ſequeretur Chriſtum præextitiſſe ſuæ Nativitati in Bethlehem, unde non prodiit מקדם מימי עולם *Mikkedem mime gnolam*, à principio & à diebus ſæculi. Secundò illud *Mikkedem* quod Græci reddunt ἀπ' ἀρχῆς, notat quandoque in Scripturis idem quod ab æterno: Sic enim Deus dicitur Habac. 1, 12. מקדם יהוה *Mikkedem Iehova*, ἀπ' ἀρχῆς κύριος, prout abſolutè Deuteron. XXXIII, 27. Deus קדם *Kedem*, id eſt Deus *ſempiternus* appellatur. Sic quod dicit Paulus 2. Theſſal. II, 13. Deum ſuos elegiſſe ἀπ' ἀρχῆς, idem eſt quod nos elegiſſe ab æterno Eph. 1, 4. 2. Tim. 1, 9. Tertiò etſi fateor quod *Mime gnolam* apud Micham poſſit reddi, *à diebus ſæculi*; tamen inde non ſequitur, quod non ſit idem ac *à diebus æternitatis*. Nam ut notat Maimonides in *More Nevochim lib. 2. cap. 28. quod* עולם *Gnolam neceſſariò* ſignificet *æternitatem* ſi *conjungatur* עד *Gned* vel *Gnad*, ita hæc duo quæ hîc conjunguntur *Mikkedem* & *Mime gnolam*, habent ſpecialem emphaſim ad ipſam æternitatem abſolutam ſignificandam; etſi alterutrum ſeorſim eam non neceſſariò ſignificet. Quartò Pſal. XC, 2. Deus dicitur eſſe מעולם עד־עולם, *Megnolam gnad-gnolam, à ſæculo in ſæculum*, id eſt, ab omni æternitate in omnem æternitatem: eò magis quod ibi Kimckius, τὸ *Megnolam* interpretatur *ante ſæcula*. Sic Prov. VIII, 23. dicitur Summa Sapientia *Megnolam* principatum obtinuiſſe, id eſt, vel antè ſæcula vel ab æterno.

Repugnant enim voces] Neutrum horum ſtringit contra nos: Nam τὸ קדם poni pro æternitate, modò viſum ex Deut. XXXIII, 27. & per conſequens τὸ מקדם idem eſt quod ab æternitate. Deinde poſito quod קדם hîc abſolutè ſignificaret principium mundi, tamen nihil obſtaret quominùs τὸ מן *Min*, ei præfixum, ſumeretur non pro *à* ſed pro *antè*, quomodo Prov. VIII, 23. Summa Sapientia dicit ſe principatum obtinuiſſe vel inunctâ fuiſſe, מעולם מראש מקדמי־ארץ, *Megnolam*, *Meroſch*, *Mikkadme arets*, quod Junius ita reddidit, *Ante ſæculum*, *ante principium*, *ante primordia terræ*. Nec dubium quin ibi, quomodocunque ſumatur *illud præfixum*, abſoluta æternitas ſignificetur. Falſum etiam vocem *dierum*, *nonniſi de aliquo tempore* uſurpari: Nam Dan. VII, 13. ipſius Dei æternitati ſignificandæ deſtinatur id elogium quo *Antiquus dierum* appellatur. Ac ſicut *anni* Dei pro ipſius æternitate ponuntur, quæ ſolet à nobis concipi ſub imagine quadam temporis infiniti, & annorū perpetuò decurrentium abſque initio & fine, ita eodē ſenſu uſurpantur *dies æternitatis*; Imò Eſd. IV, 15. illa particula מן־יומת עלמא *Min-jomath gnalma*, *à diebus ſæculi*, ponitur pro *ſemper*, licet pro ſubjectâ materia debeat intelligi. Fruſtra autem citat Volkelius in margine loca Eſaiæ & Malachiæ, quæ ipſi non favent. Nam Eſ. LI, 9. Propheta petit à Deo ut evigilet, כמי קדם דורות עולמים *Chime Kedem Doroth gnolamim*, ſecundùm dies antiquos, & generationes ſæculorum, aut generationes quæ fuerunt à ſæculis; ſed nec *Mikkedem* habet, nec *Mimegnolam*, quorum utrumque ſimul extat apud Micam: Commate verò 11. ejuſdem capitis Eſaias promittit piis ac redemptis à Domino,

Digitized by Google

mino, lætitiam עולם, id eſt, non temporum priſcorum, ſed à parte poſt *ſempiternam*: ut etiam Arias Montanus eam vocem ibi reddidit. Malach. III, 4. prædicitur quidem munus Judæ ſuave fore Domino in futurum, כמי עולם וכשנים קדמניות *Chime gnolam, Ucbiſanim Kadmonijoth, ut diebus priſcis & ut annis antiquis*, id eſt revera ac uno verbo, ut *olim*, quod Latinum etiam à עולם *gnólam* derivari videtur; Sed quid hoc ut probetur, id non intelligi ab æterno, apud Micham quod dicit fuiſſe *ab olim, Mikkedem*, & *Mimegnolam*? Quis enim non videt longè aliud hac phraſi ſignificari, quando aliquid ſimpliciter dicitur eſſe vel ab olim, vel ab ævo, vel à diebus ſæculi, imò πρὸ χρόνων αἰωνίων, & ante dies ſæculorum, ac cùm prædicitur aliquid poſtea in certa temporis differentia futurum, ei ſimile quod fuerat antea & in diebus ſæculi?

Principii autem vox] Eſto hoc quod vis Volkelî, de hac voce referenda ſemper *ad ſubjectam materiam*, quid hoc pro te, cùm ſubjecta materia hic ſit æternus Deî Filius, α & ω, nec initium dierum neque vitæ finem habens? Heb. VII, 3. Erat quidem ille Bethlehemi naſciturus in tempore, & inde proditurus quà homo, ut paſceret populum Iſraëliticum; ſed ut par eſſet huic muneri, debuit unà eſſe Deus ab æterno, & talis cujus egreſſus ſint multò anteriores hac illius nativitate temporali, utpote qui ſint *Mikkedem mime gnolam*?

Quare principium illud] Sed primò oſtendi ſuprà quod illud *Mikkedem* idem ſit quod ab ęterno: Deinde abſurdè diceretur *egreſſus* alicujus fuiſſe ſimpliciter à principio, à diebus ſæculi, ut connotetur principium, quo majores ipſius cœperunt in dias auras prodire Et cùm regnu Chriſti ſit alterius ordinis & naturæ ab eo quod in Davide incœpit, imò debuerit ſceptrum auferri è Juda priuſquam Scilo veniret, quid abſurdius quam ſtatuere egreſſum Chriſti dici abſolutè *Mikkedem mime gnolam*, per tacitum reſpectum ad illud tempus, *quo cœperunt ab ipſo Deo reges Iſraëlitici conſtitui, & quidem ex eodem oppido Bethlehemitico oriundi*: Ac ſi quis de Fauſto Socino hæreſiarcha diceret, & eum prodiiſſe ſuo tempore ex Italia, & ejus egreſſus fuiſſe *Mikkedem Mimegnolam*, ab initio à diebus æternitatis; quia nempe multis ante retro ſæculis cœpit Æneas in Italia Romulidûm condere gentem, aut quod ex benè antiqua Socinorum familia, id genus monſtri ortum eſt.

Sed etiam habitâ ratione] At ſi *majorum* Chriſti reſpectu id dictum eſt de ipſo, æquè dicas egreſſum ejus fuiſſe *Mikkedem mime gnolam*, quia à priſcis temporibus Abraham egreſſus fuerat ex Ure, vel Noa ex arca, vel Adamus ex terra; cùm & illis ſuos paſcendi & regendi munus etiam incubuerit? Verùm-enim-verò cùm *egredi* apud Prophetam idem ſit quod naſci & generari, non poteſt illius egreſſus ſtatui à principio & à diebus æternitatis, qui reſpectu prædeceſſorum ſuorum fuerit ab ævo in remotiſſima potentia ad naſcendum; ſed ejus demum qui à principio & à diebus illis ęternitatis revera genitus fuerit, & de facto extiterit. Aliàs æquè de quolibet alio homine hodie vivente, aut olim extituro, poſſet idem dici quod hic de Chriſto, ejus egreſſus eſſe à principio à diebus ſæculi; quia à principio Deus creavit Adamum & Evam, ex quibus omnes homines prodierunt hactenus, & porrò prodituri ſunt.

Vel præſtantiſſimum] Neſcit Volkelius quò ſe vertat; & eo magis ſe intricat, quo magis ſe ſtudet extricare; Nulla ſanè hic fit comparatio Chriſti cum Davide, & illud *quemadmodum* quod furcillis ſuis textui Prophetæ inſerere conatur, nullum in eo locum poteſt reperire: Licet enim Chriſtus quoad carnem prodierit & prodire

dire debuerit ex Bethlehem ſicut David, tam non vult innuere Propheta Chriſti egreſſus fore *Mikkedem* & *mime gnolam*, ut ipſius Davidis: Quanquam juxta deliria hæreticorum, potuiſſet idem dici de Davide regnaturo primùm ex Bethlehemo oppido in Iſraële, quod ejus egreſſus eſſent *Mikkedem*, *mime gnolam*, quoniam multis ante retro ſæculis & fortè à temporibus occupatæ terræ Canaan per Joſuam, ejus Majores Bethlehemi habitaſſent. Et obteſtor hîc omnium piorum lectorum conſcientiam, an v. g. cùm Regis Chriſtianiſſ. Ludovici XIV. à Deo dati, (de cujus convaleſcentia poſt periculoſum quo nuper defunctus eſt Caleti morbum, ex animo gratulor meæ Patriæ dum hæc ſcribo,) Regina mater eum in utero geſtaret, potuiſſet dici ex illo utero proditurum Dominatorem & Monarcham inſignem in Gallia, qui tot clades eſſet illaturus Hiſpanis, & *ejus egreſſus eſſe ab initio à diebus æternitatis*, quod per longam temporum ſeriem ejus Majores, in eodem Galliæ throno fœliciter ſederint. Apageſint talia nugamenta.

Quid autem illud eſt, dices, quòd hunc Jeſum Deus ſic alloquitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* (*Pſal.* 2, 7.) Annon apertiſſimè ex ipſa divina ſubſtantia, idque hodie, id eſt, ab æterno, Filium Dei eſſe genitum affirmatur? At nos iſtam conſecutionem, ut falſam ac ineptam, meritò repudiamus. Non enim, quia ſe Deus Filium *hodie* genuiſſe dicit, protinus ab æterno, exque ipſa ſubſtantia genuiſſe conſequitur. quandoquidem nec vox *hodie* æternitatis vim uſpiam habet; nec Dei ſimpliciſſima ſingulariſſimaque natura fert, ut uſitata communique animantibus generandi ratione ac via, qualis eſt generatio ex ſubſtantia propria, Filium gignere potuerit. Adde, quòd verba iſta primo ſeu literali, ut vocant, ſenſu, Davidem regem concernunt, quem neque ab æterno, neque ex Dei eſſentia natum eſſe manifeſtum eſt. Alia etiam prorſus ratione, alioque tempore Deum filium ſuum genuiſſe, Paulus (*Act.* 13, 13.) & Autor Epiſtolæ ad Hebræos (*Heb.* 1, 5: 5, 5.) locupletiſſimi teſtes ſunt. Hi enim iſta Davidis verba tunc reipſa completa fuiſſe oſtendunt, quando Deus Jeſum à mortuis excitatum, immortalitateque donatum, ad regii pontificiique muneris perpetuam dignitatem extulit. atque hoc fuit illud gignere. Cùm autem Jeſus ab infinitis temporibus à mortuis excitatus, atque à Deo rex ac ſacerdos reipſa factus nequaquam fuerit; quid abſurdius eſt, quàm in voce *hodie* æternitatem cogitare, & non potiùs ad illud tempus eam accommodare, quo Ieſus in vitam revocatus iſtiſque muneribus præfectus eſt? 474

† *Quid autem illud eſt*] Et hic locus Pſal. 11, 7. apertus eſt in noſtram ſententiam: Ut enim paſſim in N. T. Chriſtus μονογενὴς & Unigenitus Patris appellatur, ita hic Pater verbis conceptis eum ſe genuiſſe profitetur, prout & hoc charactere, citato etiam hoc Pſaltis loco, ab Angelis diſtinguitur Heb. 1, 5. Genitus autem non potuit eſſe à Patre, niſi ex ſua ſubſtantia, juxta conditionem omnis veræ & propriè dictæ generationis: Et quamvis τὸ *Hodie* Dei ejus æter-

nitatem neceſſariò non denotaret, tamen non poſſet ſtatui genitus à Patre niſi ab æterno; cùm id omne quod fit à Deo in tempore, eo ipſo creari, non gigni propriè, ſtatuatur. Sed audiamus quid reponat Adverſarius.

Non enim, quia te] Sed primùm quoad illud *Hodie*, faciliùs eſt vellicare quam refutare, quod *in hunc Pſalmum* habet Auguſtinus, his verbis; *Hodie quia præſentiam ſignificat, atque in æternitate nec præteritum quicquam eſt, quaſi eſſe deſierit, nec futurum, quaſi nondum ſit, ſed præſens tantum, quia quicquid æternum eſt ſemper eſt, divinius accipitur ſecundùm id dictum, Hodie genui te, quo ſempiternam generationem virtutis & ſapientiæ Dei, qui eſt unigenitus Filius, fides ſynceriſſima & catholica prædicat.* Adhæc nihil frequentius in Scripturis eâ phraſi, quâ verba quæ *fieri*, *eſſe*, vel *agere*, quid ſignificant, non tam eſſentiam vel actum, quam ejuſdem notificationem & declarationem, qualiſcunque illa ſit, denotant. Plurima illius rei exempla ex V. & N.T. profert Salomon Glaſſius *Philolog. ſacræ lib.* 3. *tract.* 3. *can.* 15. Ita nominatim Gen. XXX, 13. *Beatificabunt me mulieres*, id eſt beatam declarabunt: Ita Levit. XIII, 3. 13. 17. dicitur Sacerdos eos vel *impurare* vel *mundare* quos impuros vel immundos declarat & pronunciat. Quidni igitur hoc modo dicatur Deus eo die ſuum Filium genuiſſe, quo eum unigenitum ſuum eſſe potenter & luculenter declaravit?

Nec Dei ſimpliciſſima] At verò etſi in Deum non cadat generatio phyſica, animalis & materialis, nihil obſtat quominus ei tribuatur generatio hyperphyſica, ſpiritualis & tranſcendentalis, quæ in eo conveniat cum phyſica quod ſit proceſſio viventis à vivente ſecundùm ſimilitudinem naturæ: Sed eo eſt illa perfectior quod non procedat per ullam mutationem, quod generans nihil perdat de ſua ſubſtantia, & quod gignens & genitus ſint ejuſdem numero eſſentiæ; quo fit ut ratio generationis priùs & perfectiùs huic quam illi conveniat.

Adde quod verba] Verùm neceſſe non eſt omnia & ſingula quæ hoc Pſalmo dicuntur convenire primò & literaliter Davidi, etſi in quibuſdam ex illis Chriſti typum ſuſtinuerit. Imò cum Apoſtolus Heb. 1, 5. neget cuiquam Angelorum hæc verba dicta fuiſſe, non eſt temerè cogitandum, ea ad Davidem quoque pertinuiſſe. Ne dicam totum hunc Pſalmum variis Novi Teſt. locis de Chriſto ſic intelligi, ut nihil nos cogat eum de Davide per prius interpretari. Quid quod Pſal. XXII, 17. 18, 19. ea proponuntur de Chriſto quæ accuratè loquendo Davidem regem non concernunt, licet plures aliæ pericopæ ejuſdem Pſalmi Davidi convenire & accommodari poſſint? Nec video quomodo vel quo ſenſu potuerit dici divinitùs Davidi, *Tu es filius meus dilectus, hodie genui te.* Ridicula enim Kimckii eſt interpretatio, quod David dicatur eſſe à Deo genitus quo die unctus eſt in regem, ei tum communicato ſuo Spiritu, 1. Sam. XVI, 13. Nam ut alia mittam, illud *hodie* Pſal. II, 7. non poteſt pertinere ad illam primam unctionem Davidis; cùm id dicatur de eo cujus hic ſit mentio, poſtquam jam fremuerant gentes, & reges ac principes convenerant in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ſive unctum ejus: Tum ſi hic ageretur de regeneratione Spirituali, per Spiritus Sancti efficaciam, de qua Joh. III, 5. 6. Jac. 1, 18. ut nihil de Davide hîc dictum foret, quod cuique fidelium non conveniat, ita non poſſet id ipſum convenire Chriſto, qui non eguit regeneratione Gratiæ, quæ nativæ generationis vitium elueret: Ne dicam quod iſto ſenſu nec *unigenitus* nec *proprius* Dei Filius dici poſſet. Quod ſi verò dicas genitum ſtatui Davidem à Deo, quod ab ipſo creatus ſit, ut eo ſenſu vox illa ſumitur

Digitized by Google

mitur Deut. xxxii, 18. ubi τὸ *genuit* idem eſt quod *creavit*, adſtipulante Chaldæo Paraphraſte, neque ſic te expedies: Nec enim demum eo die quo hæc dicta ſunt, creatus & formatus fuerat David à Deo, ſed diu ante. Aliàs de nullo homine in V. T. legitur quod Deus illum genuerit. Et cùm omninò teneantur hæretici fateri hanc pericopam, etiam dato eam quodam ſenſu poſſe accommodari Davidi, longè auguſtiùs & ſublimiùs de Chriſto eſſe intelligendam, non ſequeretur hic Chriſti æternam generationem ex Patris eſſentia non denotari ipſius reſpectu, eo quod longè infimioris gradus & conditionis generatio foret intelligenda reſpectu Davidis: De Melchiſedeco & de Chriſto idem dicitur Heb. vii, 3. quod ſit *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, nec initium dierum neque vitæ finem habens*; neque tamen negaveris hoc elogium longè alio ſenſu de Chriſto, quam de Melchiſedeco, eſſe intelligendum.

Alia etiam prorſus ratione] Nullum eſt horum teſtimoniorum quod evertat noſtram ſententiam, imò quod eam non comprobet. Nam his tribus locis citatur hoc dictum Pſal. ii, 7. de Chriſto, ab eodem Apoſtolo, (nobis enim Paulus eſt Author Epiſtolæ ad Hebræos, ut plerique Veterum & conſtanter omnes Græci Scriptores perhibent) triplicem in finem. Heb. i, 5. profertur ad Chriſti Divinitatem æternam & ὑπεροχὴν præ excellentiſſimis Angelis comprobandam, quod ſtatuatur Filius Dei ab ipſomet genitus; Monſtroſa enim foret generatio, ſi Filius non eſſet ejuſdem naturæ & eſſentiæ cum ſuo Patre. Act. xiii, 33. adfertur ad comprobandam veritatem reſurrectionis Chriſti: non utique quod Deus eo die demum ipſum genuerit in Filium, quo eum ex mortuis ſuſcitavit; nam jam ante ſolemniter etiam voce cœlitùs editâ, eum ſuum eſſe filium, proprium utique & unigenitum, declaraverat, Matt. iii, 17. xvii, 5. Sed quod eo die ipſum eſſe ſuum proprium & unigenitum Filium, quem proinde impoſſibile erat ſub mortis imperio detineri, palam oſtenderit: prout idem Apoſtolus diſertè docet eum *declaratum eſſe Filium Dei potenter ſecundùm Spiritum Sanctificationis per reſurrectionem à mortuis* Rom. i, 4. Profertur & idem dictum Heb. v, 5. ut probetur Chriſtum à Patre in ſummum noſtrum Pontificem eſſe conſtitutum, tum ut ſpecificetur perſona conſtituentis, tum etiam ut inſinuetur hoc muneris ei debitum fuiſſe ex ea veteri lege quæ Sacerdotium primogenito filiorum aſſignabat Gen. xxv, 31. Sed ut illud *gignere* ſit formaliter idem quod *à mortuis* excitare, *immortalitateque* donare, & *ad Regii Pontificiique muneris perpetuam dignitatem* efferre, Volkelius nullis fidiculis Paulo extorquebit. Nam primùm hi tres actus, maximè in Schola Sociniana, ſunt planè diſtincti; cùm tamen unico & ſimplici actu hæc generatio proceſſiſſe debuerit. Præterea abſurdiſſimè ſtatuas Chriſtum fuiſſe genitum à Patre demum poſtquam ipſius Filius eſſet, cùm potiùs ſit conſtitutus Filius & hæres omnium per generationem ex Patre: nam terminus ad quem generationis eſt Filiatio & Filius. Sed jam revera filius erat cùm excitatus fuit à mortuis, immortalitate donatus, & ad Regii Pontificiique muneris dignitatem evectus; igitur per hæc non poteſt dici genitus in Dei Filium. Adhæc ſi ideo excitatus fuit à mortuis, immortalitateque donatus & evectus ad regiam & pontificiam dignitatem, quod jam eſſet Dei Filius, adeoque illius unigenitus, nequit ejus Filiatio & genitura in illis formaliter collocari: Iſta ſunt conſequuta ejus Filiationem & generationem, & ſunt illius cauſæ *cognoſcendi*, & per quas innotuit, non verò *eſſendi*, & in quibus ſita ſit. Neque proferent Adverſarii in æternum ullum locum ſacræ Scripturæ, in quo *gignere* idem ſit

ſit quod ſuſcitare à mortuis, immortalitate donare, & ad regiam dignitatem evehere. Ne dicam ipſam Filii ordinationem in Regem & Sacerdotem noſtrum, præceſſiſſe ejus ſuſcitationem à mortuis, in qua perperam primum iſtius Filiationis & generationis gradum collocat hæreticus. Nam Chriſtus & in cunis ceu Rex Iſraëlis adoratus fuit, & coram Pilato ſe veniſſe ut Rex eſſet profitebatur, & in ſua ipſa cruce in qua Regis ſuſtinebat titulum, Sacerdotii munere fungebatur.

Cùm autem Ieſus] Sed etſi in voce *hodie æternitatem cogitare* nolis, & malis *ad illud tempus eam accommodare quo Ieſus in vitam revocatus iſtiſque muneribus præfectus eſt*, nihil profeceris: Nam eo tempore, uti modò viſum, non fuit demum factus Filius & genitus, ſed duntaxat Filius manifeſtatus & declaratus. Pater Prodigi, non eum gignebat, cùm curabat eum indui ſtolâ præcipuâ, & ejus digito indi annulum precioſum, & ſoleas ejus pedibus adaptari, Luc. XV, 22. ſed eo tempore & illis actibus conteſtabatur ſolemniter eum eſſe filium ſuum à ſe genitum, & quem ideo illis paterni amoris documentis ornabat.

At, inquies, non tunc demum genitum eſſe filium Dei, cùm ex morte in vitam revocatus, inque ampliſſimo illo honoris gradu conſtitutus eſt, illud luculentiſſimè demonſtrat: quòd à Paulo *primogenitus omnis creaturæ* dicitur. (*Col.* 1, 15.) Quod quidem nihil aliud ſibi vult, quàm eum ante omnes res creatas, ex Dei ſubſtantia genitum fuiſſe. Nos verò hanc ſive interpretationem, ſive argumentationem, haudquaquam admittimus. Longè enim hæc verba, *Primogenitus ante omnes creaturas*, ab his, *primogenitus omnis creaturæ* diſtare, hinc perſpicitur, quòd qui *primogenitus omnis creaturæ* verè dicitur, is non ſolùm omnes res creatas tempore dignitateque antecedere, ſed earundem etiam numero contineri, omninò exiſtimandus eſt. Hoc enim mos loquendi, & vulgo & ſcripturæ ſacræ uſitatus, (*Gen.* 4, 4. *Exod.* 13, 15.) omninò poſtulat; adeò ut haud aliter, ac primogenitus fratrum, filiorum, gregis, fratribus, filiis, gregi annumeratur, Primogenitus ſimiliter omnis creaturæ, in creaturis habeatur. Sic vetus interpres Apoc. 1, 5. ubi Chriſtus primogenitus ex mortuis dicitur, Primogenitum mortuorum, quod ad ſenſum attinet, rectè vocat: nempe quia & ipſe in mortuorum fuit numero, & primus ex illis ad vitam ſempiternam fuit reſuſcitatus, atque à Deo genitus.

† *At, inquies, non tunc*] Eſt & huic loco Col. 1, 15. ſua emphaſis pro veritate; nam creatura eſſe nequit, qui omni creaturæ præextitit; Et cùm non factus fuerit ex nihilo ante omnes cœteras creaturas, ſic enim etiam creatura foret, debuit neceſſariò ex ſubſtantia Patris genitus fuiſſe. Ideo Scholiaſtes Græcus ita habet; πρὸ πάσης κτίσεως πρωτότοκος, καὶ μονογενῶς γεννηθείς.

Longè enim hæc verba] Sed hic Volkelius ſuo ſe jugulat gladio: Si enim primogenitus omnis creaturæ, *omnes res creatas tempore dignitateque* antecedit, nequit eſſe creatura; cùm ſoli Creatori conveniat tempore, ſive duratione, & dignitate, *omnes res creatas* præcellere. Nec poſſunt adverſarii ſtatuere Chriſtum tempore & dignitate *omnes res creatas* antecedere; cùm negent eum extitiſſe priuſquam

Digitized by Google

quam Bethlehemi ex Beata Virgine naſceretur.

Hoc enim mos loquendi] Verùm primò ex ſtylo ordinario & vulgi & Scripturæ, primogenitus fratrum aut filiorum, neceſſariò diſtinguitur ab iis quorum eſt primogenitus, & qui poſt eum geniti ſunt: Et ſic pariter primogenitus omnium creaturarum, diſtinguitur ab omnibus creaturis; & per conſequens ut primogenitus fratrum, negatur eſſe ex ordine & numero poſtgenitorum, ita de primogenito omnis creaturæ, negari debet eum in *omnium* creaturarum circulo, cenſu & ordine contineri. Secundò ita Chriſtus dicitur eſſe primogenitus inter multos fratres Rom. VIII, 29 ut tamen non ſint cum ipſo ejuſdem ordinis & conditionis: Nam ille eſt Filius Dei naturalis, unigenitus & proprius; nos ſumus filii tantum adoptivi, cùm prius fuiſſemus filii iræ & ſervi peccati. Iſmaël fuit primogenitus filiorum Abrahami, nec tamen continetur eorum numero quorum fuit primogenitus, cùm nec ille ingenuus fuerit ut Iſaac ex libera natus, nec Iſaac verna ut ipſe, qui ex ancilla prodierat: Nam partus, inquiunt Juriſconſulti, ventrem ſequitur. Tertiò cùm Chriſtus hic loci duplici ornetur elogio, quod videlicet ſit *Imago Dei inviſibilis & primogenitus omnis creaturæ*, omninò debet ſtatui eum vocari primogenitum omnis creaturæ, quod genitus fuerit ante omnem creaturam, adeoque ab æterno: Si enim voluiſſet Paulus ipſum, qui *effulgentia eſt gloriæ & character perſonæ* Patris Heb. I, 3 creaturis annumerare, eum potiùs vocaſſet πρωτόκτιςον πάσης κτίσεως quam πρωτότοκον; aut ſaltem eum dixiſſet primogenitum, non abſolutè *omnis* creaturæ, ſed vel indefinitè primogenitum creaturarum, vel definitè, primogenitum omnium *aliarum* creaturarum. Quartò non dicitur primogenitus omnis creaturæ, quaſi & omnis alia creatura à Deo ſit genita, cùm ipſe ſit unigenitus Patris ſed quod ſit Dei primogenitus, prout illius primogenitus expreſsè appellatur Heb. I, 6. qui eo ipſo jure ſuæ primogenituræ ex Patre ſit hæres omnium, atque Princeps & Dominus omnis creaturæ. Quintò ſi diceretur ideo primogenitus omnis creaturæ, quod *earundem etiam numero* contineatur & in illis habeatur, deberent & reliquæ creaturæ intelligi genitæ à Deo quomodo & ipſe; id verò dici non poſſe, & modò monui, & res ipſa per ſe loquitur. Atque ex ſtylo Scripturæ notum eſt *primogenitum* quoque dici non quod alii poſt ipſum nati & geniti ſint, ſed quod nemo ante illum; quomodo Chriſtus dicitur primogenitus B. Virginis Matth. I, 25. Denique nihil eſt ſimile huic Pauli dicto quod eſt præ manibus, iis in locis qui citantur Volkelio ex Gen. IV, 4 & Exod XIII, 15. Nam quod de Abele dicitur eum obtuliſſe ex *primogenitis ſui gregis*, connotat potius diſtinctionem inter gregem & illius primogenita, quam hæc illius numero contineri. Sic cùm dicitur Deus occidiſſe in Ægypto *omne primogenitum* tum hominum tum jumentorum, hæc primogenita diſtinguuntur ab ipſis reſpectivè hominibus & jumentis quorum primogenita erant. Tum utroque loco plures primogeniti & variorum ordinum deſignantur; At in Paulo unius primogeniti in ſingulari fit mentio, qui ſit Dei primogenitus, non creaturarum, idque per oppoſitionem ad *omnes* creaturas, & evidentem ejus ab illis diſtinctionem.

Sic vetus interpres] Etſi primogenitus *mortuorum* vel *ex mortuis* Chriſtus dicatur Apoc. I, 5 hoc tamē non idem eſt ac *à Deo genitus*. Nuſquam enim Scriptura reſurrectionem, Dei generationem appellat: Et Chriſtus erat ipſiuſmet Patris æterni *Unigenitus & Primogenitus*, priuſquam moreretur aut reſurgeret ex mortuis. Deinde perperam hic locus confertur cum dicto

Paulino de quo agimus; tum quia phraſiologia diverſa eſt in originali; quam diverſitatem Paulus ipſe retinuit Col. I, 18. Cùm enim com. 15. eum *primogenitum omnis creaturæ* dixiſſet explicaturus ejus divinitatem, illum poſtea com. 18. appellat principium & primogenitum ex mortuis, ut inquit *inter omnes primas teneat*, quà Deus inter omnes creaturas, quà homo inter omnes fideles & glorificandos: Tum quia abſolutè dicitur primogenitus omnium creaturarum à Paulo, nonniſi reſtrictè & limitatè apud Johannem & Paulum, *mortuorum*, nempe non ſingulorum, ſed eorum tantum qui dormierunt in Chriſto & ſunt reſurrecturi ad gloriam, ut liquet ex I. Cor. XV, 20.

475. Eodem autem ſenſu, quo Chriſtus primogenitus omnis creaturæ dicitur, à Joanne divinæ creaturæ principinm nominatur. (*Apoc.* 3, 14) Ut igitur aquæ in vinum converſio principium ſignorum ſeu miraculorum Chriſti ita eſt, (*Joh.* 2, 11.) ut in Chriſti ſignis numeretur: & Amalec principium gentium eo pacto appellatur, (*Num.* 24, 20.) ut ex numero gentium ſit: ſic principium creaturæ Dei, in rebus creatis omnino numerandum eſt. Ex quo facilè intelligitur, Chriſtum hominem, nec quenquam alium, qui ante eum extiterit, eſſe primogenitum illum; & creaturam, cujus eſt primogenitus, non veterem illam, ſed novam eſſe: utpote cum adverſarii ipſi fateantur, Chriſtum nonniſi quatenus homo eſt, inter res creatas numerari poſſe. Quod cum ita ſit, quid, quæſo, hæc primogeniti apoellatio ad æternam illam generationem conferre poteſt? Vocatur autem omnis iſtius, de qua agitur, creaturæ primogenitus, quia & tempore, ut diximus, & dignitate eam auteceſſerit.

I *Eodem autem ſenſu*] Fateor eodem ſenſu Chriſtum dici Apoc. III, 14. *principium opificii* vel *creaturæ Dei*, quo *primogenitus omnis creaturæ* appellatur loco modò excuſſo Col. I, 15. Sed nego Chriſtum appellari hic *principium* paſſivè, intrinſecum, & conſtitutionis, cujuſmodi eſt punctum in linea, materia aut forma in corpore, prima unitas in numero: verum principium ſtatui debet activè, extrinſecum, & effectionis atque productionis, quomodo omnia per ipſum facta dicuntur Joh. I, 3. *Principium* ſenſu quo dixi eſſe ſumepdum, patet ex Apocal. I, 8. ubi appellatur α & ω, *Principium & finis*. Quia tamen ἀρχὴ habet etiam in Scriptura ſignificationem *principatus*, ut Luc. XX, 20. I. Cor. XV, 24. poſſet ſtatui Chriſtus eo ſenſu ἀρχὴ τῆς κτίσεως, quod omnium creaturarum ſit Princeps & Dominus Rom. IX, 5.

Ut igitur aquæ] Quam non ſit par ratio horum locorum in quibus vox ἀρχὴ ſimpliciter ſumitur pro *initio* earum rerum ibi commemoratum, rationes modò productæ ſatis indicant: eò magis quod falſò ſtatueretur, Chriſti nativitatem humanã eſſe initium omnium creaturarũ Dei, *ut aquæ in vinum converſio* fuit *principium ſignorum ſeu miraculorum* Chriſti inter ſuos diſcipulos Joh. II, 11. aut prout Amalech fuit *principium gentium* Num. XXIV, 20. id eſt ordine prior eorum populorum, qui nequicquam & in caſſum ſe Iſraeli opponere voluerunt.

Ex quo facile intelligitur] Imò facile intelligitur quæ dicta ſunt, neque intelligenda de Chriſto homine; neque illum accen-

accenſendum novæ creaturæ, cùm nihil in illo fuerit renovandum; nec poſſe ſtatui primum ordine inter eos qui pertinent ad novam creaturam, cùm tot ſæculis ante ipſum natum, cor novum & mundum in ſe creari David à Deo petierit. Ne dicam quod illis loquutionibus quibus dicitur *principium* & *primogenitus* omnis creaturæ, non numeretur *inter res creatas*, ſed potius earum ordini & conditioni eximatur.

Vocatur autem] At cùm ibi agatur abſolutè de omni creatura, Paulo ſtatim ſubjiciente quod per *eũ ſint condita omnia, quæ in cœlis ſunt, quæ in terra, viſibilia & inviſibilia*, non poteſt omnis creaturæ abſolutè primogenitus eſſe, adeoque eam omnem *tempore & dignitate* antecedere, quin eò ipſo extiterit ante omnem creaturam, quod aſſerere eſt ſtatuere eum eſſe genitum ab æterno.

Sed inſtant illi, & porrò nobis objiciunt, Chriſtum & filium Dei viventis, (*Matt.* 16,16. *Joh* 6.69.) & filium eiuſdem unigenitum, (*Joh.* 1, 14. 18. 3, 16. 18.) naturalem, ac proprium (*Rom.* 8,32.) in ſacris literis nominari, & porrò fieri non poſſe, quin ex ipſa Dei eſſentia ſit natus. Sciendum tamen eſt, omnia hæc Chriſti nomina, nequaquam iſtam ex eſſentia Dei generationem conſtituere. Primò enim, quòd *Dei viventis filius* dicitur; aut in voce *viventis*, aut in ſimplici *Filii Dei* appellatione eam vim ineſſe volumus, quâ iſta ex Dei ſubſtantia generatio conficiatur. Sed neutram iſtarum appellationum eam vim habere inde patet, quòd alioquin innumerabiles filios Deum ex ſua eſſentia genuiſſe ſtatuendum eſſet: cum omnes, qui in Chriſtum credunt, nunc filii Dei ſimpliciter, (*Rom.* 8, 14. 16. 17. *Gal.* 3, 26: 4, 6. 7.) nunc filii Dei viventis (*Oſ.* 1, 10. *Rom.* 9, 26.) dicantur. Neque verò vox *viventis*, Dei nomini apponitur, ad certum aliquem modum, quo Deus filios habeat, exprimendum: ſed tantùm ad Deum ipſum à Diis fictis vitaque deſtitutis diſtinguendum.

‡ *Sed inſtant illi*] Quam meritò Orthodoxi hæc epitheta urgeant, patebit ex iis quæ ad ſingula erunt ordine obſervanda.

Primò enim quod] Certè cum Apoſtoli confitentur Jeſum eſſe Chriſtum *Filium Dei viventis* Matth. XVI, 16. Joh. VI, 69. volunt proculdubio ſpecialem ei aliquam filiationem tribuere, quæ ipſi ſoli conveniat, nec cadat vel in Angelos vel in homines. Hæc verò nequit alia eſſe quam quæ in ipſius æterna generatione ſita ſit. Ideo Pater hoc *viventis* titulo hîc inſignitur, quò hæc ipſa generatio connotetur; cùm rerum viventium ſit proprium gignere ſibi ſimile, imò generatio ſit proceſſio viventis ex vivente ad ſimilitudinem naturæ; unde Filius dicit Joh V, 26. quod *ſicut Pater vitam habet in ſeipſo*, ſic *dedit Filio habere vitam in ſeipſo*: & Joh. VI, 57. *Miſit me vivens ille Pater & ego vivo per Patrem*.

Sed neutram iſtam] Verùm quis neſcit planè aliter Chriſtum eſſe & dici Dei Filium, quam *omnes qui in Chriſtum credunt*, cùm eorum nemo ſit μονογενὴς & proprius Dei Filius, & omnes ſint Dei Filii per adoptionem gratuitam quæ eſt in Chriſto? Fruſtra itaque congerit Volkelius loca Scripturæ in quibus fideles Dei filii dicuntur; cùm hæc eorum filiatio

ſit alterius ordinis ab ea quâ Chriſtus dicitur κατ' ἐξαίρετον ille Filius Dei viventis, in quo ſolo acquieſcit. Fruſtra etiam profert loca in quibus ait idem epitheton tribui gregariis fidelibus, ut Oſ. I, 10. Rom. I x, 26. cùm in confeſſo ſit non poſſe illis convenire eodem modo & ſenſu quo Chriſto tribuitur: Adeoque illud adjunctum *viventis* in his duobus locis, exprimit tantùm naturam & conditionem Patris cœleſtis cujus dicimur filii; Sed cùm agitur de Chriſto, exprimit modum ſpecialem ſuæ filiationis, niſi blaſphemè dixerimus eum non aliter eſſe & ſtatui Filium Dei viventis, quam gregarios fideles: licet hoc ſpeciali elogio inſinuetur illum igitur eſſe illum verum Meſſiam, de quo Pater dixerat, *Tu es Filius meus, ego hodie te genui, & Oſculamini Filium* Pſal. II, 7 12. Unde ideo accuſatur Dominus à Judæis quod ſe Dei Filium profeſſus eſſet, Joh. XIX, 7.

Neque verò vox] Id falſum eſſe de confeſſione Apoſtolica, vel inde liquet maniſeſtè, quod ibi nulla fiat oppoſitio contrarietatis vel aperta vel tacita Dei ad Idola, ut Oſeæ I, 10. & ex eo Rom. IX, 26. item Act. XIV, 15. & alibi ſæpè, ſed ſimplex oppoſitio relationis Patris ad Filium, qui ſimiliter eſt fons vitæ, via, veritas & vita, & vivens in ſæcula; adeoque connotat talis oppoſitio modum ſpecialem illius filiationis, quam meram creaturam ſibi aſſerere non poſſe abſque grandi crimine & mortis reatu ipſimet Judæi benè ſentiebant.

Si dixeris, hunc Dei Filium in communem filiorum Dei turbam conjiciendum minimè eſſe; propterea quod non ſimpliciter Dei filius, ſed *ille* Dei filius à Petro dicatur: (*Matt.* 16, 16. *Joh.* 6, 69.) quemadmodum & Cajaphas Chriſtum per Deum vivum obteſtatur, num ſit Chriſtus, ille Filius Dei viventis; (*Matt.* 26, 63.) à quo hac in parte minimè diſſidens Joannes, affirmat, ſibi in Euangelio conſcribendo fuiſſe propoſitum, ut Jeſum eſſe Chriſtum, illum Filium Dei, crederemus. (*Ioh.* 20, 31.) Quibus in locis, inquies, additus articulus non ſinit nos Chriſtum reliquis Dei filiis aggregare, ſed ad ſingulariſſimam in illo Dei filiationem cogitandam planè impellit, videlicet ex ipſa Dei ſubſtantia, ſempiternâ inexplicabilique generatione profectam. Hîc fatemur ſanè, ſingulariſſima ratione Jeſum Dei filium dici &
476. eſſe: inde tamen æternam ejuſdem ex divina ſubſtantia generationem conſequi, planè negamus.

‡ *Si dixeris, hunc Dei*] Quam ſit validâ & ſolida hæc ἔνστασις, luculentiùs apparebit ex refutatione eorum quæ congerit Hæreticus, ut ſe his vinculis exſolvat.

Hîc fatemur ſanè] Si hoc fateris bonâ fide, cur ergo modò negabas ex illo elogio quicquam colligi poſſe in rem noſtram, eo quod *omnes qui in Chriſtum credunt, nunc filii Dei ſimpliciter, nunc filii Dei viventis dicuntur?* Et cùm nullam aliam *ſingulariſſimæ* illius filiationis in Chriſto rationem nobis proponant Sacræ literæ quam *generationem* ex Patre, à qua & illius *unigenitus* tam ſæpè appellatur, quâ fronte audent hæretici eam ſugillare & impugnare?

Vt enim

Digitized by Google

Ut enim alias Chriſti filiationis cauſas ſuo loco reſervem, & præſentium tantummodo teſtimoniorum rationem habeam; dico, & Petrum locis citatis, & Cajapham, & Joannem, iſtam Chriſti filiationis ſingularitatem nonniſi in eo ponere, quòd is Chriſtus ſive Meſſias ille ſit, Iſraëlitico populo divinitùs promiſſus; id quod nulli alii filiorum Dei tribuitur. Nam præterquàm quòd omnibus iſtis in locis, appellatio *filii Dei* per appoſitionem adjicitur voci *Chriſti*, ad eam uberiùs declarandam; illud quoque accedit, quòd Marcus & Lucas, (*Marc.* 8, 29. *Luc.* 9, 20.) eandem Petri confeſſionem commemorantes, inque rem ipſam potiùs, quàm in verba, animum intendentes, nihil ampliùs eum inducunt dicentem, quàm, *tu es Chriſtus*, vel *Chriſtus Dei*: ut facilè appareat, in locis iſtis, *Filium Dei* & *Chriſtum* eſſe, eandem habere ſignificationem. quod etiam ex Joanne liquet, apud quem idem eſt, credere aut confiteri, Jeſum eſſe filium Dei, &, credere aut confiteri, Jeſum eſſe Chriſtum, quemadmodum verba ipſius diverſis locis extantia, (*vid. Joh.* 2, 22: 4, 2. 3. 15. *c.* 5, 1. & 5. 2. *Joh. v.* 7.) ſi inter ſe conferantur, luculenter oſtendunt. Cujus rei documentum illud quoque eſt, quòd Judæi apud Lucam, (*Luc.* 22, 67. 70.) eo interrogato, num Chriſtus eſſet, idque ille ſatis apertè fuiſſet confeſſus, ita ſubjiciunt: *Tu igitur es Filius Dei?* nec non illa Nathanaëlis confeſſio, (*Ioh.* 1, 50.) quâ hunc in modum Dominum Jeſum profitetur: *Tu es ille Filius Dei*, *tu es rex ille Iſraëlis*; ubi eadem planè res diverſis verborum notis exprimitur.

‡ *Ut enim alias Chriſti*] Atqui illius *filiationis* unica eſt ratio & cauſa, prout & ipſe Filius unus eſt. Neque ideo Chriſtus Filius Dei viventis dicitur quod eſſet Meſſias, ſed è contrario inde agnoſcitur pro Meſſia promiſſo, quod eſſet Dei Filius, qui ſolus ad hoc munus fuerat auctorandus. Et revera ideo *omnibus iſtis in locis* Matth. XVI, 16. Johann. VI, 69. Matt. XXVI, 63. Joh. XX, 31. *appellatio Filii Dei per appoſitionem adjicitur voci Chriſti ad eam uberius declarandam*, eo quod ſoli Dei Filio æterno hoc Chriſti ſive Meſſiæ munus conferre & competere debuerat. Nec ſequitur nihil eſſe emphaſeôs in iſto epitheto apud Matthæum & Johannem, eo quod Marcus VIII, 22. & Lucas IX, 20. illud omiſerint. Nam ex altero Euangeliſtarum eſſe ſupplendum, quod alter omiſerit, in confeſſo eſt apud omnes. Fateor equidem Filium Dei & Chriſtum eundem eſſe, non ſanè quod hæc duo nomina *eandem* habeant *ſignificationem*, cùm alterum naturæ ſit nomen, alterum officii; nec quod ἀξίωμα & conditio Meſſiæ ſit formalis ratio illius filiationis quâ cenſetur eſſe Dei Filius; nam fuit per prius Dei Filius quam in Meſſiam ingereretur; ſed quod hoc Chriſti ἀξίωμα & officium à ſolo Dei Filio potuerit ac debuerit ſuſtineri & exerceri: quo ſenſu illum confiteri Meſſiam ſive Chriſtum, eſt quoque eum agnoſcere Filium Dei viventis, & viceverſa. Qui dixerit hominem eſſe animal riſibile ac rationale, per id non conſtituet formalem rationis eſſentiam in riſibilitate, ſed tantùm ſtatuet quod riſibilitas ſupponat rationem: ut inde fiat, quod dicere hominem animal riſibile tantùm, ſit nihilominus tacitè profiteri

Digitized by Google

quòd ſit quoque animal rationale. Sicque virtualiter, licet non formaliter, *idem eſt credere aut confiteri Jeſum eſſe Filium Dei, & credere aut confiteri Jeſum eſſe Chriſtum*; quod iſta duo nexu indivulſo inter ſe cohæreant, & poſitio unius ſit ſuppoſitio alterius. Subdolè autem confundit Volkelius cum alterutrius confeſſione in locis Johannis citatis, ea quæ agunt de confitendo Jeſum Chriſtum in carnem veniſſe, id eſt noſtram aſſumpſiſſe naturam, ad hoc ut eſſet θεάνθρωπος & dignus Mediator inter Deum & homines 1. Johann. IV, 2. 3. 2. Joh. ℣. 7. Et quamvis eſſe Chriſtum & eſſe Dei viventis Filium unigenitum & proprium, huic uni perſonæ conveniat, non tamen cenſendi ſunt principes Judæi hunc nexum intellexiſſe Luc. XXII, 67. 70. licet eum intellexerint & Apoſtoli in ſua confeſſione, & Nathanael in ſua Johann. I, 50. ac proculdubio quotquot pii redemptionem Hieroſolymis expectabant, Luc. II, 38. Sed cùm viderent illi primores Jeſum non abnuere penitùs ſe eſſe Chriſtum, neque putarent hanc illius confeſſionem ſufficere ei condemnando, vel blaſphemiæ accuſando, cùm & plerique ex populo eum haberent pro Meſſia, & Chriſtum aliàs ipſi Judæi omnes expectarent, ſed purum putum hominem, ex præpoſtera imaginatione Regni illius merè terreni; petunt inſuper an ſit Filius ille Dei, ab æterno videlicet à Patre genitus, eique coeſſentialis & coæternus; quod cùm ipſe confiteretur, eum tunc blaſphemiæ reum pronunciant, & reum mortis, ut patet ex Matth. XXVI, 65. & Luc. XXII, 71. Sic autem ei verterunt crimini politico & in ſecundam tabulam, apud Pilatum, quod ſe Regem Judæorum profiteretur, ut ad crimen religioſum & in primam tabulam putarint pertinere quod ſe diceret Dei Filium, adeoque Deum dicendo *proprium* ſuum Patrem *parem* ſe faceret Deo Joh. V, 18: X, 33. Unde ita alloquuntur Pilatum Joh. XIX, 7. *Nos legem habemus & ſecundùm legem noſtram debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.* Secundùm Legem Judaicam non debebat mori, ceu perſonaliter reus, quod ſe Regem Judæorum aut Meſſiam profiteretur; Siquidem Lex & Prophetæ volebant ut Rex Meſſias, ubi appareret, omni honore & cultu exciperetur: Neque debebat mori juxta eam legem, quod ſe quocunque modo, ejuſdem ſcilicet ordinis cum cæteris fidelibus & piis, ſeipſum diceret & faceret Filium Dei; Sed quia hujus nomen ſumebat eo ſenſu, quem nec in hominem infirmum qualis illis externè apparebat, nec in ipſum Meſſiam, quem ψιλὸν ἄνθρωπον iſti primores perperam expectabant, poſſe cadere arbitrabantur; unde eum & violatæ ſuæ legis, & horrendæ blaſphemiæ inſimulabant, quod ſe Filium Dei eximio illo ſenſu aſſereret. Perperam autem confunditur confeſſio Nathanaëlis, viri pii & ſancti, & melius edocti, de futura conditione Meſſiæ, quam Cajaphas cum ſuis gregalibus, cum horum quæſtionibus Servatori propoſitis, ut eum ex ſuo ore condemnarent: Siquidem non eum blaſphemum ſtatuunt quod ſe Meſſiam diceret, ſed quod unà ſe faceret Dei Filium, quem titulum, nec ipſi, nec Meſſiæ, poſſe tribui arbitrabantur.

Non negamus igitur, Jeſum ſingularem Dei Filium, utpote Meſſiam ſeu Chriſtum eſſe, ex locis iſtis apparere: ſed quid hoc ad eſſentialem illam ex omni æternitate generationem? cùm Meſſiam, hoc eſt, unctum eſſe, nonniſi Chriſto homini conveniat, & res ſit ejuſmodi, quæ tunc demum perfecta fuit, cùm eum Deus à mortuis excitatum ad dextram ſuam collocavit. Tunc enim,

Digitized by Google

enim, ut in Actis teſtatur Petrus, (*cap.* 2, 36.) Deus ipſum fecit Dominum ac Chriſtum. Quare cùm Jeſum Dei Filium dici audimus, qualitatem quandam eximiam Filii hominis exprimi, intelligendum nobis eſt. Cui rei præter alià illud quoque eſt argumento, quòd eo in loco, quem hîc inprimis examinamus, in quo Petrus Chriſtum Filium Dei viventis appellat, (*Matt.* 16, 16.) quæſtio erat de Filio hominis, quiſnam eſſet, ut locus inſpectus unumquenque docet.

t *Non negamus igitur*] Sed jam antè oſtendimus formalem rationem & cauſam iſtius filiationis non eſſe Meſſiæ munus ac officium: licet hoc nonniſi illi Dei Filio committi potuerit: Falſiſſimum eſt autem quod hîc ſtatuit Volkelius, *Meſſiam, hoc eſt, Vnctum eſſe, nonniſi Chriſto homini convenire*: Nam licet Unctio hæc, ut ſonat collationem chariſmatum neceſſariorum ad exercitium iſtius officii, ſit Chriſti quà hominis, eſt tamen æterni Dei filii, ut ſonat ordinationem ad hoc munus; unde Deus unctus à Deo ungente apertè diſtinguitur Pſal. XLV, 8. Heb. 1, 9. Imò niſi fuiſſet θεάνθρωπος non potuiſſet eſſe noſter Emmanuel, genuinus Meſſias, & idoneus Mediator inter Deum & homines. Falſiſſimo falſius, quod non ante Chriſtus fuerit perfectè Meſſias, quam *eum à mortuis excitatum ad dextram ſuam Deus collocavit*. Nam jam in cunis adorabatur tanquam Rex Judæorum, & eundem titulum obtinebat in ſua cruce: Nec Petrus, Nathanaël & alii, eum confitebantur futurum Meſſiam & qui talis duntaxat eſſet in fieri; ſed qui jam talis erat in facto eſſe, & qui eo loco erat habendus ab omnibus. Sed videtur Volkelius velle datâ operâ Judæos, optimos Socinianorum amicos, ei ſubducere reatum, quem illis Scripturæ imputant, quod Dei Chriſtum, & Filium Dei proprium, & Dominum gloriæ, affixerint cruci: Siquidem ex illius hypotheſi antequam Jeſus crucifigeretur & moreretur, nondum erat Dei Filius, aut verus Chriſtus, nec alio ferè loco quam ſemi-Meſſiæ habendus: Atque ſic jure dixerit Neſtorius, *Noli gloriari Iudæe, neque enim Deum aut Filium Dei crucifixiſti, ſed filium Mariæ.* Nec favet huic imaginationi locus Act. 11, 36. Etenim illud *tunc* non eſt in textu, quaſi demum poſtquam crucifixus fuerat, factus ſit Chriſtus & Dominus: Sed hoc ſolùm ſibi vult Apoſtolus, illum ipſum quem crucifixerant Iudæi, factum, conſtitutum declaratum divinitùs, eſſe Chriſtum & Dominum: adeoque illos grandi piaculo ſe obſtrinxiſſe crucifigendo eum, quem Deus fecerat Regem & Meſſiam, ipſiſque miſerat & dederat in Chriſtum, Dominum ac Redemptorem. Ut ſit ſenſus, quem commodè proponit Petrus Lintrenſis *comm. in Acta. Quùm igitur quæ ex Prophetis attuli, de Chriſto prædicta ſint; cumque ea in Ieſum Nazarenum tanquam in Chriſtum ſeu Meſſiam Domini quadrare per tanta miracula ab eo facta, & quæ hodie fiunt, Deus vobis declararit ac declaret; debet univerſus populus Iſraeliticus, (cui primò Meſſias mittitur) certiſſimè credere quod idem hic Ieſus Nazarenus, homo propter nos factus, ſit à Deo Patre conſtitutus Chriſtus, id eſt Meſſias ſuus; quem in ſalutem humani generis miſerit; idemque ab eo ſit conſtitutus Dominus humani generis, utpote quod ipſe paſſione ac morte ſuâ è captivitate peccati & mortis redemerit.*

Quare cùm Ieſum] Eundem Ieſum fateor eſſe & dici debere tum Filium hominis, tum etiam Filium Dei: Verùm ut non eſt filius hominis per meram aliquam *qualitatem*, ſed per naturam humanam,

Digitized by Google

manam, ſic Filius Dei cenſeri debet, non qualitativè tantùm & accidentaliter, ſed naturaliter & ſubſtantivè: Conditio quidem eximia hoc nomine exprimitur in noſtro Ieſu, ut-ut aliàs ſit Filius hominis, & ſimilis nobis excepto peccato: Sed iſta tamen conditio non fundatur in aliqua qualitate quæ inhæreat ſubjectivè ipſius humanitati, ſed in ipſiuſmet natura Divina, cui humanitas hypoſtaticè & perſonaliter conjuncta eſt. Igitur cùm eum qui Filius hominis erat & dicitur, Petrus confitetur eſſe *Chriſtum Filium Dei viventis* Matth. XVI, 16. idem quidem notat ſuppoſitum, eandemque perſonam; ſed cui præter naturam illam humanam, in qua tunc conſpicuus & contemptibilis erat, & à qua Filius hominis appellabatur, & altera natura conveniret verè divina, à qua Dei viventis Filius proprius & unigenitus eſſet agnoſcendus, & ſublime illud Meſſiæ ac Chriſti officium quod nonniſi à θεανθρώπῳ & vero noſtro Immanuele ſuſtineri poterat.

Ex eo quoque, quòd Dominus Jeſus Unigenitus Dei Filius vocatur, (*Ioh.* 1, 14. 18: 3, 13.) æterna illa ex ſubſtantia Dei generatio colligi nequaquam poteſt: quippe cum non ſolùm impoſſibilem eam eſſe ſuprà oſtenderimus, ſed etiam, quia vox *unigeniti* in ſacris literis non ſemel eum ſignificat, qui, cum plures ei ſint fratres, vel iiſdem planè parentibus, vel ſaltem eodem
477. patre nati, omnibus tamen illis præfertur. Iſaac enim, verbi cauſâ, & Solomon, quia multò erant parentibus ſuis, quàm reliqui, chariores, & multis in rebus illis præponebantur, ideò unigeniti ſunt appellati: (*Gen.* 22, 12. *Heb.* 11, 17. *Prov.* 4, 3. 1. *Paral.* 3, 5.) quamvis ut eodem Abrahamo & Iſmaël, ſic eodem Solomonis parente utroque plures ipſius fratres progenati eſſent. Patet id vel ex eo, quòd Græca tranſlatio Gen. 22. ubi de Iſaaco, & Proverb. 4. ubi de Salomone ſermo eſt, pro voce *unigeniti*, quam Latinus interpres habet, vim Hebrææ vocis exprimens, ponit ἀγαπητόν, id eſt, dilectum.

† *Ex eo quoque, quod*] Imò plurimum ineſt ponderis huic argumento, deſumpto ab eo *Unigeniti* titulo quo Dei Filius frequenter inſignitur; ut nominatim Ioh. 1, 14. 18: III, 16. Etenim *Unigenitus* Patris non poteſt eſſe, quin à Patre ſit genitus: Nec poteſt à Patre genitus fuiſſe, quin ex ipſius ſubſtantia genitus ſit. Quod enim hic recoquit Volkelius de impoſſibilitate iſtius generationis æternæ & divinæ, ſuo loco fuit abundè refutatum: Nec debemus id ceu impoſſibile reſpuere, quod tam frequenter & tam expreſſis verbis Scriptura ſacra factum eſſe aſſerit: Ita negabis Solem quotidie moveri ab Oriente in Occaſum, quia tibi impoſſibile videtur, tam grande corpus poſſe tantum iter emetiri tantillo temporis ſpatio: Ita negabis omnia ex nihilo condita fuiſſe, quia impoſſibile putas aliquid ex nihilo fieri. Ita negabis Chriſtum ex virgine natum fuiſſe, quod naturaliter ſit impoſſibile virginem intactam viro & abſque ſemine virili concipere & parere. Ita negabis paucis panibus tot hominum millia Chriſtum paviſſe in deſerto, & tot corbes plenos ex reliquiis Apoſtolos recollegiſſe, cùm abſurdum & impoſſibile videatur multo plus ſubſtantiæ ex illis panibus reſtitiſſe, poſtquam tot homines abundè

Digitized by Google

abundè ex illis comederant, quam in ſe habebant, cùm primum frangi & diſtribui cœperunt. Ita negabis reſurrectionem corporum, quæ jam penitùs computruerint & in aliarum rerum materiam abierint, quod impoſſibile putes à privatione ad habitum dari regreſſum: Fruſtra quidem id ceu poſſibile jactes, quod nunquam factum oſtenderis, ut argutè monet Hieronymus *ad Cteſiph.* ſed etiam perperam id ſtatues impoſſibile, quod ita ſe habere & factum eſſe, διαῤῥήδην in Dei Verbo aſſeritur.

Sed etiam quia vox] Primùm etſi aliquando *Unigenitus* poneretur pro *dilecto* præ cæteris, tamen non poſſet prædilectus, unigenitus ſtatui, niſi revera ab eo genitus eſſet, à quo diligeretur pluſquam alii: Diſputamus de æterna Filii Dei generatione: Ut genitum eum probemus à Patre, ea proferimus teſtimonia in quibus Patris *Unigenitus* appellatur: Volkelius ut infirmet hanc probationem, unigenitum dixit poni pro eo qui *præfertur* cœteris, ab eodem parente genitus. Sed neque ſic probat eum non eſſe genitum à Patre, & falſò ſupponit plures eſſe alios Dei Filios, qui pariter ab ipſo geniti ſint. Secundò negamus, uſpiam in Scripturis eum dici Unigenitum, qui cùm plures habeat fratres ejuſdem ſecum ordinis, plus cœteris diligitur. De Iſaaco quidem legimus eum fuiſſe *unicum* Abrahamo, Gen. XXII, 2. 12. Unde & μονογενὴς ejus appellatur Heb. XI, 17. Verùm de facto talis fuit: Nam unigenitus erat Abrahami & Saræ ſimul, & ſolus Patriarchæ ex plenè legitimo thoro natus, & ſolus pro filio habitus in illius familia, poſt ejectum & abdicatum Iſmaëlem. Salomonem Lyranus putat fuiſſe pariliter *unicum* ſuæ matris, juxta locum Prov. IV, 3. cùm prior Berſabeæ filius adulterinus, recens natus obierit; Sed videtur obeſſe alter locus 1. Chron. III, 5. ubi quatuor filii Davidis, ex illa ſuſcepti nominantur: Quare ſufficit quod vox Hebræa יחיד *Iachid,* non ſemper ſignificet μονογενῆ & unigenitum, ſed aliquando denotet tantùm unicè charum & dilectum: Unde fit ut David ſuam animam non uno loco vocet יחידתי *Iechidathi, unicam meam* Pſ. XXII, 21. XXXV, 17. Videtur autem eſſe ſenſus loci Proverbiorum de Salomone, quod fuerit unicus ſive unicè charus ſuæ matri, & ei magis dilectus, quam reliqui ejus fratres; unde notæ Maſorethicæ dictæ vulgo קרי *Keri* & כתיב *Cetib*, pro לפני *Liphne*, id eſt *coram*, quod eſt in textu ſcribendum putant לבני *Libhne*, id eſt, *inter filios matris meæ*.

Patet id ex eo] Ex iſta obſervatione liquet equidem vocem יחיד *Iachid*, non ſemper ſignificare Græcum μονογενῆ, ſed aliquando latiùs ſumi pro ἀγαπητῷ. Sed nos diſputamus hîc de voce μονογενὴς, non de voce יחיד: Licet enim etiam omnis μονογενὴς ſit *Iachid* & ἀγαπητὸς, non tamen viceverſa omnis *Iachid* & ἀγαπητὸς debet ſtatui μονογενὴς & unigenitus. Jure Latinus interpres retinuit in Geneſi de Iſaaco vocem *Unigeniti*, quia revera Iſaac erat μονογενὴς quo ſenſu explicavi & appellatur à Paulo Heb. XI, 17. ideo Gen XXII, 2. non ſolum dicitur eſſe *Iachid* Abrahami, ſed etiam is quem diligebat; quâ additione inſinuatur τὸ *Iachid* non ſolum ἀγαπητὸν, ſed μονογενῆ revera ſignificare, ſiquidem ille *Iachid*, præterea *dilectus* ſive ἀγαπητὸς appellatur: Sed quam prudenter in Geneſi Latinus interpres receſſit ab illa laxiori ſignificatione hujus vocis, cui inſtiterant Interpretes Græci, tam malè in loco Proverbiorum, receſſit à generaliori ſignificatione τοῦ ἀγαπητοῦ, quam prudenter illic Græci Interpretes ſequuti ſunt. At Jud. XI, 34. tam Græci quam Latinus, illud היא יחידה *Hi Iechida*, de filia

Jepthæ, benè μονογενῆ & *Unigenitam* reddiderunt, quia additur ei præterea non fuiſſe vel filium vel filiam: Adeo vox illa יחיד *Iachid*, non ulteriùs ſit μονογενὴς, quam id ex aliis circumſtantiis, vel hiſtoriæ vel textus colligitur.

Neque verò ideò prius exemplum alienum ab inſtituto noſtro judicandum eſt, quòd Abraham Iſaacum & Iſmaëlem non ex eadem uxore ſuſceperat: cum ſatis ſit, utrumque ex eodem patre generatum fuiſſe, & ſic Abrahamum uno plures filios habuiſſe, cum Iſaacum reſpectu Abrahami unigenitum ſcriptura vocet. Nec illud quicquam cauſam noſtram infirmat, quòd Solomon non matris ſuæ, ſed coram matre ſua unigenitus dicitur; ſed potiùs id, quod dicimus, illuſtrat ac confirmat, nempe eum, qui præ cæteris omnibus fratribus ſuis maximè, atque ut dicere ſolemus, unicè diligitur, unigenitum dici. Significatur enim ea locutione, Solomonem apud matrem inſtar unigeniti habitum ac dilectum fuiſſe.

† *Neque verò ideo*] Sed cùm Iſmael natus eſſet ex ancilla, & tum etiam abdicatus authoritate divinâ ab Abrahamo, & ejectus ex Patriarchæ domo cum ſua matre, meritò Iſaac tunc temporis unigenitus dictus eſt Abrahami, utpote quem unicum genuerat ex legitima ſua conjuge, & cujus unius reſpectu promiſſiones acceperat: confer Gal. III, 16.

Nec illud quicquam] Sed Salomon non dicitur unigenitus ſuæ matris, ut ſuprà viſum: Aliud ſanè eſt Salomonem ſtatuere unigenitum ſuæ matri, aliud eſt dicere, unicum eum fuiſſe *coram matre ſua*, aut ut alii reddunt propter authoritatem τοῦ *Keri*, *inter filios matris* ſuæ. Hoc poſterius dicitur hîc loci Proverbiorum; non prius illud: Et toto cœlo, quod ajunt, hæc duo differunt, *unicè* diligi, ut plerumque ſolet diligi unigenitus, & *apud matrem inſtar unigeniti* haberi, aliud verò ſimpliciter & abſolutè matris unigenitum ſtatui. Et qui illud *inſtar*, ſubintelligendum apud Salomonem, vellet omnibus iis locis inſerere in quibus Chriſtus μονογενὴς Patris dicitur, ac ſi id nihil aliud foret quam eum Deo valde charum eſſe & *inſtar* unigeniti, is non tam explicare quam implicare textum ſacrum & vim notoriam illi inferre cenſendus eſſet.

Hoc idem nomen & Chriſto eadem ratione, citra ullam ex ſubſtantia Patris generationem attributam eſſe, quis non intelligat? præſertim cùm Chriſtum hominem pro ſalute noſtra in mortem traditum, (*Ioh.* 3, 16.) & idcirco ab illa ſempiterna generatione remotiſſimum, Unigeniti, quemadmodum & Proprii filii Dei appellatione decoratum eſſe, in ſacris literis videamus. (*Rom.* 8, 32.) Chriſto enim plurimos eſſe fratres, ex eodem Patre Deo generatos, nemo fortaſſis dubitat. (*Ioh.* 1, 13. *Rom.* 8, 29. *Iac.* 1, 18. 1. *Ioh.* 3, 9. 10. *Heb.* 2, 11. 12.) At ne hoc quidem dubium eſſe poteſt, eum, ut unicè Deo charum, ita reliquis omnibus longè ſuperiorem eſſe ac fuiſſe. qua quidem in re Iſaacus, quem Abrahami filium unigenitum appellatum fuiſſe vidimus;

Digitized by Google

dimus, egregiam quandam Chriſti nobis exhibet imaginem. Ut enim is Abrahamo unicè fuit charus: ita Deus cœlitùs hunc eſſe filium ſuum chariſſimum, ſibique acceptum, bis teſtificatus eſt. (*Mat.* 3, *ult.* 17, 5.) & ut ſolus Iſaac univerſam patris adivit hæreditatem: ita Chriſtus à ſummo illo Patre omnium hæres conſtitutus eſt. (*Gen.* 21, 10. 12: 25, 5. 6. *Gal.* 4, 30. *Heb.* 1, 2.) Ut denique ab Iſaaco ſolo vera Abrahami poſteritas, ei à Deo promiſſa, denominanda fuerat: (*d. l. Gen.* 21, 12. *Rom.* 9, 7. *& d. Gal.* 3, 26. 29.) ita à ſolo Chriſto Dei filiorum progenies nomen traxit: propterea quòd, quemadmodum ex Iſaaco veri Abrahami filii, promiſſionum ipſius hæredes, naſcebantur: ſic ex Chriſto omnes, quotquot Dei filiorum ac hæredum nomine gaudent, genus ducunt.

‡ *Hoc idem nomen*] Imò quis intelligat Chriſtum tam ſæpè *unigenitum* Patris appellari, quod ſit illi *inſtar unigeniti*, licet revera unigenitus non ſit? Ac ſi diceres etiam filium *dilectum* appellari, ut Matt. III, 17. XVII, 5. non quod revera ſit filius dilectus, ſed quod inſtar filii dilecti apud Deum habeatur.

Præſertim cùm Chriſtum] Sed nodus hic facilè ſolvitur: Licet enim & homo & mortalis fuerit, ille Filius Dei unigenitus qui *pro ſalute noſtra in mortem* traditus eſt, attamen per id non deſiitit eſſe quà Deus, filius ejus proprius, & ab ipſo genitus ab æterno: adeo ut *quamvis filius eſſet, tamen ex iis quæ paſſus eſt didicerit obedientiam*, inquit Apoſtolus Heb. V, 1.

Chriſto enim plurimos] Verùm illi quos non pudet Chriſtũ ſuos fratres appellare Heb. II, 11. 12. eo quod παραπλησίως ſit factus particeps carnis & ſanguinis, non ſunt filii Dei ejuſdem ordinis cum ipſo, prout reliqui in familia Abrahami non erant filii Patriarchæ ejuſdem conditionis cum Iſaaco: Chriſtus enim eſt Filius Dei per generationem & naturam; unde & *unigenitus* & *proprius* Dei Filius & *ſplendor gloriæ ac character perſonæ* Patris appellatur; Nos ſumus filii per regenerationem & gratiam & adoptionem, cùm eſſemus naturâ filii iræ, Eph. II, 3. nec digni qui filii vocaremur Luc. XV, 21. Filiatio noſtra conſequitur noſtram fidem in Chriſtum: Quotquot enim illum receperunt, dedit eis hoc jus ut filii Dei fierent Joh. 1, 12. At Chriſtus nuſquam dicitur *factus* Dei Filius, nec ejus filiatio ex fide in ipſum poteſt ſuſpendi. Filiatio noſtra eſt à Deo, beneficio regenerationis illius, cujus fit mentio Joh. III, 3. 1. Pet. 1. 23. & quæ ſi quando *generatio* dicitur, ex Deo Joh. 1, 13. 1. Joh. III, 9. 10. ex Spiritu Joh. III, 5. 6. & quæ fiat ſermone veritatis Iac. 1, 18. hos nomen non ſortitur, niſi propterea quod imitatur quodammodo naturalem generationem: Sed tam abſurdè ſtatuas Chriſtum factum eſſe Dei Filium, per generationem hanc ſpiritualem ac myſticam, quam impiè præſupponeres eum ſubfuiſſe nativæ corruptioni, quæ illâ emendatione egeret, cujus virtute ex iræ filio, in Dei Filium transformaretur. Filiatio noſtra procedit per gratuitam & indebitam adoptionem & ipſius Chriſti beneficio nititur, Rom. VIII, 15. 16. 29. At Chriſtus non eſt filius ſui ipſius beneficio, nec debet dici filius adoptivus; & ante 800. annos in Concilio Francofurtenſi, hæreſeôs meritò damnati ſunt qui id ſtatuerent; ſed proprius eſt, naturalis & unigenitus Dei filius, quod de nemine noſtrûm dici poſſet. Denique generatio illa myſtica fideliũ, quæ regeneratio aliàs appel-

appellatur, eſt pluribus communis: Sed filiatio per quam Chriſtus Dei Filius cenſetur procedit per generationem illi propriam, & quæ de illo ſolo, quod ſit μονογενὴς prædicatur. Sunt igitur Chriſto plures fratres, at adoptivi, non naturales; ſunt & illi ex eodem Patre geniti, ſed generatione myſticâ, quæ communis eſt omnium fidelium, cùm Chriſtus ſit à Patre genitus generatione propriâ, & quæ ipſius ſolius eſt, & cujus reſpectu *unigenitus* appellatur.

At ne hoc quidem] Sed debuiſſet Volkelius explicare quomodo Chriſtus ſit *reliquis omnibus* ſuis fratribus *longè* ſuperior quantum ad ordinem & dignitatem filiationis, ſi ejuſdem ordinis & conditionis ſit generatio illius ex qua μονογενὴς appellatur & horum regeneratio & adoptio gratuita, per quam ex Deo geniti dicuntur, & jus filiorum Dei conſecuti. Nec poteſt *longè* ſuperior concipi cœteris ſuis fratribus, niſi per diſcrimen quod intercedit inter ipſius generationem naturalem adeoque & æternam, & noſtri regenerationem Spiritualem ac myſticam.

Qua quidem in re] Tota hæc comparatio inter Iſaacum & Chriſtum, nobis non obeſt: Nec enim unicè tantum charus fuit Iſaac Abrahamo, ſed revera fuit illius unigenitus, quo ſenſu antea explicatum eſt: Et prout hæc duo de Iſaaco dicuntur verè Gen. XXII, 2. quod fuerit Abrahamo & *unicus* & *dilectus*, ita hæc duo diſtinctè de Chriſto aſſeruntur, & quod ſit Unigenitus Patris, & quod ſit ei chariſſimus. Et ſicut Iſaaco jure ſuæ ſpecialis geniture tota obtigit hæreditas, ita Chriſtus quatenus eſt Patris unigenitus, eſt etiam hæres omnium Heb. 1, 2. Verùm planè alterius ordinis eſt filiatio Iſaaci ad Abrahamum, quam cœterorum qui Abrahami filii cenſeri poſſunt, vel ſenſu phyſico, vel ſenſu myſtico; illorum quidem, quod ipſe ſolus ex legitimo thoro ſit procreatus, nec ſine miraculo, & ex ſpeciali Dei promiſſione; horum verò, quoniam inſititii ſunt qui filii dicuntur Abrahami per fidem, ipſe verò in quo ſemen Abrahæ fuit appellandum, ab Abrahamo genitus ſit. Sic quoque planè alterius ordinis eſt filiatio Chriſti ad Patrem, quam vel Angelorum, vel hominum: Nam Angeli per creationem ſunt filii Dei, homines fideles per regenerationem & adoptionem in ipſo Chriſto; at ipſe eſt filius per generationem æternam.

Propterea quod quemadmodum] Hoc ipſum adverſatur Volkelii ſententiæ: Nam ut Iſaac aliter fuit Abrahami filius, quam alii *qui ex Iſaaco promiſſionum ipſius hæredes naſcebantur*; hi enim fuère Abrahami filii mediati, Iſaac immediatus: ita aliâ ratione Chriſtus cenſeri debet Dei filius quam reliqui fideles: Imò ſi valeat hoc ſimile in quo tantopere ſibi plaudit Hæreticus, Deus ſolius Chriſti dicendus erit Pater, reliquorum fidelium avus & atavus. Quin ſuo ſe gladio hîc jugulat: Nam ſi eo ipſo quod fideles *ex Chriſto genus ducunt* cenſentur filii Dei, oportet ipſum eſſe verum Deum, à quo genus ducendo *Dei filiorum ac hæredum nomine gaudemus.*

478. At, inquies, illa quidem vera eſſe; non poſſe tamen fieri, quin multò verior cauſa ſubſit, cur unigenitus Dei filius nominetur Chriſtus. Cum enim unigenitus eum denotet, qui vel ſolus ex aliquo ſit natus, idque propriiſſimè, vel certè qui ſolus excellentiſſima quadam ratione genitus ſit; neceſſe profectò eſt, ut non ſolùm divina charitate diviniſque muneribus Chriſtus reli-

quis

Digitized by Google

quis antecellat, ſed ipſa quoque nativitatis ratione ſuperior ſit. quemadmodum & Iſaac non ſolùm favore paterno, hæreditatiſque poſſeſſione, ſed ipſa etiam naſcendi ratione Iſmaëlem ſuperabat: quippe cum non perinde, ut Iſmaël, ex ancilla, ſed ex Abrahami uxore, eaque jam ſenio confectâ, non abſque inaudito miraculo genitus eſſet. Unde colligi videtur, ſi Chriſtus eſt filius Dei unigenitus, eum ſolum ſingulariſſima ratione ex eodem generatum fuiſſe; & cum nulla poſſit cogitari alia generatio ſingularis, quæ Chriſto ſoli conveniat, præter illam ſubſtantialem; fatendum eſſe, Chriſtum ex Patris ſubſtantia ab immenſis temporibus natum extare. Reſpondemus autem primùm, nulla ratione probari poſſe, præter cauſas à nobis explicatas, omnino aliam ſubeſſe, ob quam Chriſtus unigenitus Dei filius fuerit appellatus. Licèt enim Unigeniti vox eum propriè denotet, qui ſolus ex altero fuerit genitus: oſtenſum tamen eſt, & quidem exemplis eorum, qui Chriſti typum gerunt, etiam aliam vocis iſtius ſignificationem eſſe, eamque ejuſmodi, quam Chriſto competere nemo negare queat, quæque locis omnibus, ubi ea vox de Chriſto effertur, egregiè conveniat. Repone enim omnibus iis in locis pro voce *unigeniti* nomen *chariſſimi*, omnia optimè quadrabunt.

t *At, inquies*] Neque ſupponimus *vera* eſſe illa omnia quæ modò refutavimus in Volkelio, neque ex hac ipſa inſtantia ſe unquam extricare poterit.

Reſpondemus autem primum] Atqui volebas unigenitum dici, quod præ aliis diligatur: Id verò nec ſtylo Scripturæ convenire, nec ſic intelligi Iſaaci reſpectu, ſatis ſuperque oſtenſum eſt.

Licet enim unigeniti] Sed primùm cur hîc à propria ſignificatione ad impropriam ſit recedendum, probari omninò debuiſſet, non ſimpliciter affirmari. Deindè negamus illius aliam eſſe ſignificationem, cùm nec de Salomone uſurpetur, & proprio ſenſu Iſaaco conveniat.

Repone enim omnibus] At hæc duo ſignificatu differre, vel inde liquet, quod utrumque dicitur de Iſaaco citra ullam tautologiam Gen. XXII, 2. Et poteſt fieri ac ſæpè fit, ut nec unigenitus ſuo patri ſit ei chariſſimus, ſed è contrario illi abeat in ſupplicium & crucem, nec qui eſt chariſſimus, ſit eo ipſo unigenitus. Et quamvis hæc duo conveniant Chriſto reſpectu Patris æterni, quod ſit illius *unigenitus* & ſimul ei chariſſimus, negamus tamen eſſe *ἰσοδυναμοῦντα*, cùm poſterius ſit revera in ſigno rationis conſequens prioris: & alterum ſit naturale, alterum morale. Et audaciſſimæ eſt impudentiæ ac inſolentiæ ſibi imaginari omnia optimè quadratura in ſacro textu, ſi ubique pro voce *unigeniti*, quam conſultò adhibuit Spiritus Sanctus, ad originem & Divinitatem Filii connotandam, reponatur auſu Giganteo, nomen *chariſſimi*, quod ex ſe nihil tale ſonat.

Deinde dicimus, minimè conſequens eſſe, ut, quamvis ſingulariſſima ratione Chriſtum ex Deo genitum eſſe libenter concedamus, mox ex divina eſſentia id factum eſſe ſtatuamus. Nam & fieri illud nullo pacto potuiſſe jam demonſtravimus; & longè aliâ viâ factum eſſe, ex ſacris teſtimoniis conſtat;

Digitized by Google

ſive primam ſeu naturalem Chriſti ſpectes nativitatem, ſive poſteriorem ſeu ſpiritualem. Ad primam enim naſcendi rationem quod attinet; ſolum Chriſtum divini ſpiritus virtute in virginis utero conceptum, ex eaque natum, & idcirco ſummi Dei filium nominatum fuiſſe, quis ex angeli ad Mariam verbis non intelligit? (*Luc.* 1, 35.) Ita nempe genitus eſt Chriſtus, ut præter Deum nullum alium haberet Patrem.

‡ *Deinde dicimus, minimè*] At verò hic habemus confitentem reum: Nam qui pertendis Chriſtum ideo non eſſe propriè unigenitum Patris, quod ei ſint plurimi fratres ex eodem Patre geniti, ut ante faciebas, ſi ipſius generatio ex Patre eſt planè alterius ordinis ab ea per quam nos Chriſti fratres ac Dei filii conſtituimur?

Nam & fieri illud] Imò nos *jam demonſtravimus*, & nihil impoſſibilitatis in eo eſſe concipiendum, & rem ita ſe habere juxta Scripturæ documenta.

Et longè aliâ viâ] Duplicem quidem agnoſcimus vel generationem vel nativitatem in Chriſto, alteram divinam, alteram humanam. Sed ut ei quà homini duplex tribuatur nativitas, prima & naturalis, ſecunda & ſpiritualis, alienum eſt & ab uſu Scripturæ & à rei veritate: Nec enim ſecunda & ſpiritualis nativitas quâ regeneramur ſpiritualiter in ſpem vivam ad imaginem conditoris noſtri, & cujus efficaciâ corrigitur & emendatur prioris noſtræ nativitatis vitium & corruptela, in Chriſtum cadere poteſt, in quo nihil fuit vitii ex primæva nativitate, quod corrigi regenerationis beneficio debuerit.

Ad primam enim naſcendi] Sed illa Chriſti conceptio in utero B. Virginis, ex Spiritu Sancto, non fecit eum Patris μονογενῆ; tum quia Spiritus Sanctus in eo opere non ſe habuit σπερματικῶς, ſed δημιουργικῶς, ut benè monet Damaſcenus; tum quia inde (ſi hoc ſit fundamentum hujus tituli,) potiùs μονογενὴς Spiritus Sancti eſſet dicendus, quam Patris. Fuit equidem planè admirabilis iſta Chriſti conceptio & conformatio in matris ſuæ ſanctiſſimæ utero, & proceſſit totum hoc opus per miraculoſam operationem Spiritus Sancti, quæ eo magis ad id requirebatur, quod aliter ex muliere, cæteroquin communi peccato obnoxia, purus & ab omni peccato immunis naſci non potuiſſet, juxta regulam quæ extat Jobi XIV, 4. *Quis edat mundum ex immundo?* & Jobi XXV, 4. *Ut quid purus eſſet natus muliere?* Nec video cur ex miraculoſa conceptione & nativitate Chriſti, magis debeat dici μονογενὴς Dei, quam Adam vel Eva, quorum uterque miraculoſo planè modo editus eſt; Adamo formato ex limo terræ; Evâ verò deſumptâ ex viri latere; ut eum habuerit quadantenus patrem ſine matre, cujus mox & ſoror & conjux conſtituta fuit. Nec probat locus citatus ex Luc. 1, 35. Chriſtum propter illam ſui miraculoſam conceptionem eſſe ſtatuendum Dei unigenitum, ſed tantum illum exinde à poſteriori agnoſcendum Filium Altiſſimi, quod ita miraculoſè conceptus & natus eſſet; cùm ſic concipi & naſci, nonniſi noſtro Emmanueli veroque θεανθρώπῳ convenire debuerit: ut illud διὸ καὶ quod extat in textu, ſonet hujus tituli reſpectu cauſam non conſequentis & eſſendi, ſed tantum conſequentiæ & cognoſcendi, ut etiam ſimiliter uſurpatur particula ὅτι Luc. VII, 47. Nam hæc miraculoſa conceptio & nativitas, *conjunxit in unitate perſonæ, hominem Deo, carnem verbo*, ut loquitur Auguſtinus *de Corrept. &*

gratia

gratia cap. 11. Quod ſi per *virtutem Altiſſimi* B. Virginem obumbraturam, intelligamus cum pleriſque Veterum, ipſam perſonam λόγου, ſibi naturam humanam efficaciâ Spiritus Sancti conceptam & ſanctificatam, hypoſtaticè conjungentem, eò magis confirmabitur noſtra explicatio, ideo ſuppoſitum illud naſciturum ex B. Virgine vocandum & agnoſcendum Filium Altiſſimi, quod ſancta θεότοκος, non merum hominem eſſet editura, ſed verum θεάνθρωπον, æternumque & unigenitum Dei Filium, qui eam obumbrando, ſibi in ejus utero noſtram carnem & naturam hypoſtaticè conjunxerit: Et benè dictum ab Andræa Hieroſolymitano *in Oratione de ſalute Angelica, Qui è Spiritu Sancto per Sanctum Patrem, eo modo qui intelligentiam omnem excedit, formatus eſt infans, ante ſæcula exiſtens, meritò Sanctus erit & Filius Altiſſimi vocabitur, ut quem Altiſſimi coæternum verbum eſſe conſtet.*

Altera verò ſeu ſpiritualis Chriſti ex Patre generatio, in Dei ſimilitudine potiſſimùm conſiſtit. Quæ quidem duplici ratione conſideranda eſt, reſpectu videlicet tum ad illud tempus habito, quod mortem ac reſurrectionem Chriſti anteceſſit, tum ad illud, quod fuit conſecutum. Illo autem tempore ſolus & perfectâ rerum divinarum ſcientiâ, & ſapientiâ tantâ, ut cogitationes etiam hominum perſpiceret, & tantâ in ventos, aliaſque in res ſublunares, itemque in dæmones, morbos, mortem denique, poteſtate atque imperio valebat, ut meritò in Dei forma, Deoque æqualis eſſe diceretur. Quo loco illud quoque conſiderandum eſt, quòd tunc, cùm Chriſtus unigeniti filii nomen ferret, nullus hominum Dei filius, quales quidem ſub novo fœdere exiſtere poſſunt ac debent, extitit: ut manifeſtum ſit, tantò majori jure, ratione iſtius temporis, hoc ei nomen fuiſſe tributum. Hoc verò poſteriori tempore, videlicet poſtquam in vitam revocatus, diviniſſimum ſtatum conſecutus eſt, hoc pacto fuit à Deo genitus, ut ſolus ab ipſo Deo immediatè & ante omnes immortalitatem adeptus, ſummoque in omnia imperio ac poteſtate auctus, & porrò Deo quàm ſimillimus factus fuerit, adeò ut rectiſſimè eam ob cauſam unigenitus Dei filius dici queat.

‡ *Altera verò ſeu ſpiritualis*] Primùm hæc generatio ſpiritualis Chriſti, quam iſti homines ſomniant, eſt planè alterius ordinis à noſtra ſpirituali regeneratione & adoptione, quâ ex filiis iræ ſimus filii Dei, adeo ut neque in naturali, neque in Spirituali reſpectu, ejus filiatio ſit ejuſdem ordinis & conditionis cum noſtra. Deinde non negamus ſpiritualem poſſe dici generationem Filii ex Patre, tum quia ad leges generationis carnalis, materialis, & naturalis hominum non ſit exigenda, tum quia Deus eſt Spiritus, & Spiritus ex conſequenti uterque terminus, à quo & ad quem hujus generationis; prout etiam Divinitas Chriſti non ſemel Spiritus nomine exprimitur in Sacra Scriptura ut antè viſum; Sic quàm minus accuratè dicitur hæc Filii ex Patre generatio *in Dei ſimilitudine* conſiſtere, cùm Titii ex Mævio generatio in hominis qualicunque ſimilitudine ſita non ſit, ſed in proceſſione viventis

ventis à vivente ſecundùm ſimilitudinem naturæ; tam verè debet agnoſci ſimilitudo Dei in Chriſto non accidentalis tantùm & merè qualitativa, ſed planè eſſentialis & naturalis, per quam nec rapinam ducat æqualem eſſe Deo, & ſit effulgentia gloriæ & character perſonæ Patris: Etenim ſimilitudo quæ per generationem intercedit genito cum gignente, fundatur primariò in identitate naturæ; Cùm verò hæc naturæ identitas nequeat ſpecificè ſtatui, inter Patrem & Filium in Divinis, quia ſic eſſentia Divina multiplicari deberet, quod ejus ſimpliciſſimæ & ſingulariſſimæ unitati repugnat, omninò numerica eſt agnoſcenda; adeo ut Filius ſit in Patre & Pater in Filio, & Pater ac Filius unum ſint. Si ergo Dei ſimilitudinem in Chriſto merè accidentalem & qualitatum tantum ſtatuat Volkelius, non erit in ipſo per generationem ex Patre; Sin eam dixerit eſſentialem & naturæ, renunciabit ſuo errori & noſtram Orthodoxiam amplectetur.

Quæ quidem duplici] Atqui hæc omnia ſunt abſurditatum plena: Sic enim multiplex fingetur generatio Filii ex Patre, alia quæ præceſſerit ejus mortem & reſurrectionem, alia quæ utramque ſubſecuta ſit. Nam ſemper & eodem modo, fuit Filius Dei dilectus, unigenitus, proprius, quo viſo videtur Pater, &c. ut ſummæ ſit vel ſtultitiæ, vel malitiæ, fingere Chriſtum aliter fuiſſe Filium Dei, Patri ſimillimum, tempore *quod mortem & reſurrectionem* ejus *anteceſſit*, aliter verò tempore illo *quod fuit conſecutum*.

Illo autem tempore] Atqui hæc καρδιογνωσία, illud imperium abſolutum in omnia, illa Dei forma Deique æqualitas, naturam Chriſti divinam ſic adſtruunt, ut in meram creaturam cadere nequeant: Nam æqualitas cum Deo nulli finitę creaturę poteſt convenire, eo quod finiti & infiniti, nulla æqualitas eſſe poſſit: Dei forma, nequit ei convenire qui naturâ Deus non ſit: cùm Dei forma ſit ſubſtantialis, & forma det eſſe rei. Imperium in omnes creaturas, dæmones & mortem, ſolius eſt Creatoris omnipotentis & penes quem eſt fons vitæ, ut & ſolus Deus eſt qui ſcrutatur renes & corda, & ei ſoli citra blaſphemiam dici poteſt ac debet, *Tu omnia noſti.*

Quo loco illud quoque] Verùm hoc eſt longè abſurdiſſimum: Tum quia nullus hominū magis ſub Novo fœdere quam ſub Veteri poteſt eſſe Dei filius ejuſdem ordinis cum Chriſto Patris unigenito, & qualis hic à Volkelio deſcribitur: Tum quia falſum eſt, nullum tempore Chriſti in carne verſantis extitiſſe Dei filium, *quales ſub novo fœdere exiſtere poſſunt ac debent:* Nam multa ſunt loca in Euangelio ex quibus liquet pios omnes, maximè Chriſti Diſcipulos, Dei filios, quales & nos nunc debemus eſſe, fuiſſe & habitos & nuncupatos; unde etiam precaturi potuerunt ac debuerunt dicere *Pater noſter qui es in cœlis:* Tum quia *unigenituræ* Filii, nihil planè derogat adoptio & regeneratio fidelium, alterius ordinis à Chriſti generatione ex Patre, quæ ei ſoli convenit, vel ex hujus hominis hypotheſi: Tum denique quod juxta hypotheſim Volkelianam, Chriſtus non fuerit Patris unigenitus nec ita appellandus, niſi pro illo tempore ſuæ converſationis in carne, & nunc unigenitus deſierit eſſe, ex quo extiterunt Dei filii, quales ſub Novo fœdere exiſtere poſſunt ac debent. An ullus unquam mortalium tam ſolemnia deliravit?

Hoc verò poſteriori] At illam Chriſti exaltationem, ejus generationem poſſe dici, nunquam probabitur ex ſtylo Scripturæ; maximè cùm priuſquam *in vitam* revocaretur, jam eſſet revera à Deo genitus & ipſius μονογενὴς meritò ſtatuendus: Nec ipſius exaltatio hoc nomen ei conciliavit, ſed tantum illum talem eſſe Dei Filium indicavit & demonſtravit,

vit. Ut verò ita articulatim Filius à Patre ſit *genitus*, & aliter ante ſuam mortem, aliter poſt ſuam reſurrectionem, facilius eſt hæreticis fingere, quam ex Dei Verbo aut recta ratione demonſtrare. Porrò nec *diviniſſimum ſtatum* conſequi, nec *Deo quam ſimillimus*, ſtatui poteſt, qui Deus naturâ non ſit.

Neque verò difficile ad intelligendum fuerit, quo pacto Chriſtus ſit Dei filius naturalis; quamvis eum hoc nomine inſignitum eſſe nuſpiam in ſacris literis legatur: nimirum quia, ut dictum eſt, ſingulari admirabilique Dei virtute, nullo viro interveniente, ex virgine natus eſt, atque ita ab ipſo vitæ principio, non alius patris, præter Deum, filius fuit. Unde perſpicitur, nequaquam eſſentialem illam, nulloque temporis ſpatio definitam generationem, contra apertiſſima, quæ partim ſcriptura, partim ſana ratio ſuppeditat, argumenta, excogitare opus fuiſſe, ut Jeſum naturalem Dei filium eſſe oſtenderemus.

1 *Neque verò difficile*] Etſi nunquam dicatur Chriſtus αὐτολεξεὶ filius Dei *naturalis*, tamen cùm & *proprius* Dei filius dicatur, & ſic diſtinguatur ab iis qui ſunt filii Dei adoptivi, omninò *naturalis* eſt agnoſcendus: Nam juxta Juriſconſultos, filius naturalis dicitur, vel oppoſitè ad legitimum, qui ex legitimis nuptiis proceſſit, quo ſenſu id nominis hic non ſumitur, vel oppoſitè ad adoptivum, prout adoptio eſt imitatio quædam naturæ, per juris fictionem adinventa in gratiam eorum qui filiis propriis & naturalibus deſtituti ſunt: Hinc Calvinus JCtus in *Lexico* obſervat à *vulgo* quidem *Barbarorum* naturalem filium dici *qui ſit ex illegitimo thoro ſuſcitatus*, ſed revera *propriè* eum eſſe filium naturalem, quem ipſe genueris; ſive *qui ſanguine & naturâ ſit tuus, non adoptione factus*, quod etiam *ex verbis Tranquilli in Tiberio*, (licet plerumque aliter loquantur Juriſperiti) poſſe firmari non inficiatur. Ut igitur Chriſtus hoc ſenſu (cùm prior in illum non cadat) poſſit ſtatui filius Dei *naturalis*, omninò requiritur ut ex illius ſubſtantia ſit genitus: Quod enim nugatur Hæreticus de Chriſti generatione humana quæ proceſſit *nullo viro interveniente*, non magis eum facit filium Dei naturalem quam Adamum, qui itidem *ſingulari admirabilique Dei virtute nullo viro interveniente*, ex terra formatus eſt quod amplius quid ſonat quam naſci ex virgine; cùm B. Virgo activè etiam concurrerit, & quicquid maternum eſt contribuerit ad Chriſti generationem; terra verò merè paſſivè ſe habuerit ad natales Adami. Et prout inſanus ſiet qui Evam faciat Dei filiam naturalem, quod ſingulari admirabilique virtute, nullâ muliere interveniente, ex Adamo proceſſerit, ſic abſurdus admodū erit qui propter admirabilem Chriſti nativitatem ex virgine abſque opera viri, eum naturalem Dei filium faciat. Quæ autem hic crepat Adverſarius contra æternam eſſentialemque Filii generationem ex Patre, *apertiſſima, quæ partim Scriptura, partim ſana ratio ſuppeditat argumenta*, nulla revera eſſe, ex iis quæ hactenus diſputata ſunt, evidenter & ſufficienter cognoſcitur.

Hanc tamen ſummam divinâque ſententiâ confirmatiſſimam veritatem, ita infringere conantur, ut hinc conſequens eſſe affirment, nihil Angelorum

 filia-

Digitized by Google

ſiliationem (*Job.* 1, 6. *Pſal.* 89. 7.) à Chriſti ſiliatione differre; propterea quòd itidem, ut Chriſtus, abſque ſeminis virilis interventu, divina virtute procreati ſint. Animadvertendum tamen eſt, non genitos, ſed creatos Angelos eſſe. quod idem & de Adamo (*Luc.* 3, *ult.*), quem ſimili ratione adducunt, judicandum eſt. Aliud autem eſſe ſimpliciter creari, aliud Dei virtute ex virgine viri neſcia propriè gigni, quis ignorat? Ad illud enim perficiendum nequaquam opus eſt, Dei virtutem virilis ſeminis vicem quodammodo ſupplere: hîc verò omnino id fieri neceſſe eſt: ut quidem in Filio Dei ex virgine genito eveniſſe, clariſſimo eſt argumento, quòd Mariæ interroganti, (*Luc.* 1, 35.) quomodo id fieri poſſet, cùm virum neſciret, reſpondit Angelus, Spiritum ſanctum ſuperuenturum, & virtutem altiſſimi ei obumbraturam; ideoque illud ſanctum, quod ex ipſa ſit naſciturum, filium
480. altiſſimi Dei vocatum iri. Nec ſolùm res ſimpliciter creatas hinc excludimus, ſed omnes etiam ex ſterilibus alioqui parentibus genitos, utpote qui alios veros patres habuerunt; nec illis procreandis divina virtus vicem virilis ſeminis ſupplevit, ſed tantùm vires ad generandum parentibus ſuppeditavit.

‡ *Hanc tamen ſummam*] Hæc exceptio Volkelii ad hanc ἔνςασιν, deſumptam ab Angelis qui filii Dei dicuntur Job 1, 6. & Pſal. LXXXXIX, 7. item ab Adamo qui & filius Dei appellatur Luc. III, ult. evanida & nulla eſt: Nam ad formationem Chriſti in utero matris, Deus ſe habuit merè δημιουργικῶς, ut in creatione Angelorum & Adami: Nec de Chriſto dicitur uſpiam quod genitus fuerit à Deo ex virgine, ſed tantum quod in illa & ex illa genitus fuerit: & aliquid ampliùs eſt *ſimpliciter creari*, quod de Angelis & Adamo ſtatuendum, quam *ex virgine viri neſcia propriè gigni*: tùm quia hic, creatura, nempe Virgo, concurrit activè ad generationem Chriſti, cùm è contrario Angeli & Adamus ſint immediatè à Deo creati; & terra ex qua hic fuit formatus merè paſſivè ſe habuerit in Dei manu. tum quia de Adamo & Angelis verè dici poteſt quod ſint à Deo creati, vel ex nihilo ſimpliciter, vel ex materia indiſpoſita & penitus inhabili; nullo modo de Chriſto quod ſit à Deo genitus ex virgine, quomodo vel Seth fuit genitus ex Adamo & Eva matre omnium viventium, vel Iſaac ex Abrahamo & Sara matre credentium: Nuſquam enim vox geniti eſſe vel gignendi uſurpatur de Chriſto quà homo fuit per reſpectum ad Deum, ut dicatur Deus eum genuiſſe, aut ipſe dicatur à Deo ex virgine genitus fuiſſe, ſed tantum per reſpectum ad B. Mariam, quæ eum genuiſſe, & in qua & ex qua ipſe genitus fuiſſe dicitur, Matth. 1, 16. 20. Luc. 1, 35. Gal. IV, 4.

Ad illud enim perficiendum] Iſtud *quodammodo* quod hîc ponitur pertinet ad ἀπορίαν iſtorum hominum. Nam ſuppleviſſe Deum in conceptione Chriſti & generatione ipſius ex Virgine *virilis ſeminis vicem*, in ordine cauſæ materialis, falſiſſimum eſt. Nec magis eo loco ſupplevit ſeminis virilis vices in generatione humana Chriſti ex Virgine, quam ſupplevit vices uteri materni & ſeminis muliebris in formatione Evæ ex coſta Adami; Ac prout pertendunt quidam Scholaſtici corpus Evæ fuiſſe quadantenus, vel, ut noſter loquitur, quodammodo *ſeminaliter* in Adami coſta, ex qua Deus illud fabricari

bricari voluit; Deo ſuâ ibi potentiâ ſupplente quicquid ineſt activitatis in ordine cauſæ efficientis in ſemine paterno & materno; multo potiori jure dixerim totam Chriſti naturam humanam fuiſſe ſeminaliter in ſanguine & ſemine B. Virginis, quod Deus ſuâ omnipotentiâ eò elevavit, (ultra ſphæram utique activitatis ſuæ naturalis,) ut ſufficeret generationi & procreationi carnis Chriſti; planè quomodo *ſterilibus alioqui parentibus, vires ad generandum ſuppeditavit*, ſuprà quam eorum vis & conditio naturalis patiebatur. Nec Angelus Luc. 1, 35. tribuit Spiritui Sancto quod *virilis ſeminis vicem* in B. Virgine per modum cauſæ materialis eſſet ſuâ operatione ſuppleturus; ſic enim deberet Chriſtus dici, quod nuſquam ſit, filius Spiritus Sancti, eò magis quod dicatur B. Virgo gravida deprehenſa *ex Spiritu Sancto* Matth. 1, 18. & fuiſſe *ex Spiritu Sancto* id quod in ea genitum erat Matt. 1. 20. Sed Angelus tribuit miraculoſæ operationi Spiritus Sancti, quod ipſa abſque ſeminis virilis ope, ex proprio ſuo ſemine & propriâ ſubſtantia conceptura & paritura eſſet filium, qui unà foret, per & propter unionem hypoſtaticam duarum in ipſo naturarum, filius Altiſſimi, Luc. 1, 30. Atque inde fit quod Angelus addit B. Virgini fiduciam illius conceptionis ab exemplo Elizabethæ, quæ jam conceperat filium in ſua ſenectute, ita ut is eſſet ſextus menſis illius quæ priùs *ſterilis* fuerat & vocabatur Luc. 1, 26 ut intelligeret pari ratione poſſe Deum ex virgine intacta viro ſuum filium educere, ac ex parentibus effœtis Joannem Baptiſtam procreare. Hoc eſt quod benè monet Auguſtinus *ſerm. de temp. Chriſtus non de ſubſtantia Spiritus Sancti, ſed de potentia, nec generatione, ſed juſſione & benedictione, conceptus eſt.*

Nec ſolum res ſimpliciter] Illi tamen qui ex parentibus cœterà ſterilibus procreati ſunt, meritò quidem geniti dicuntur *ſingulari admirabilique virtute*, ut paullo antè loquebatur Volkelius, ſed neutiquam poſſunt cenſeri aut dici geniti à Deo vel ex Deo ſeminaliter fuiſſe, ac prout generans ex ſe confert ſubſtantiam vel materiam ex qua procedit generatio: Imò prout hîc addidit ſterilium conditioni & ſemini vim generativam, quæ illi per naturam deerat, illudque fœcundum reddidit ſuâ virtute, ita ſuâ potentiâ fecit prolificum ſemen B. Virginis, quod ſolum ex ſe & ſua natura tale non fuiſſet: Verùm in eo ſe Deus habuit, uti antè dictum, δημιουργικῶς, non σπερματικῶς: Neque hoc poſterius audet aſſerere abſolutè hæreticus, qui tam inſanæ abſurditati per ſuum *quodammodo* præcavere voluit. His addo quod ita Chriſtus ſit Patris μονογενὴς, ut impoſſibile ſit omninò, eum titulum illi non convenire: Sed non eſt impoſſibile virtuti Divinæ, alium hominem ex alia virgine miraculoſè educere, prout vel ex his lapidibus poſſet ſuſcitare filios Abrahamo. Tunc igitur, alio homine nato per ſimile miraculum ex alia virgine, aut Chriſtus deſineret eſſe unigenitus Patris, quod impium eſt cogitare, aut quod abſurdum eſt dicere, duos unigenitos Deus haberet; aut ſtatuendum omninò eſt ex alio titulo & reſpectu Chriſtum dici Dei Filium, eumque unigenitum, quam ex illa ejus miraculoſa conceptione & formatione humana, ex B. Virginis ſanguine & ſemine.

Hanc tamen evidentiſſimam naturalis filiationis Chriſti rationem contumaciter repellentes, duo objiciunt. Primò enim ajunt, angelum non ſolùm prædicare, Spiritum ſanctum in Mariam ſuperventurum; ſed virtutem quoque altiſſimi, id eſt, Verbum illud ſempiternum, quod Filius Dei ſit, illi

Digitized by Google

illi obumbraturam. Quare perinde eſſe, ac ſi hunc in modum locutus fuiſſet: Filius Dei in uterum tuum deſcendens, ex eo carnem aſſumet; ideoque illud, quox ex te naſcetur, filius Dei altiſſimi vocabitur. Hæc verò interpretatio & falſa & abſurda eſt.

‡ *Hanc tamen evidentiſsimam*] Certè hæc ſive objectio ſive obſervatio, non caret ſuâ probabilitate: Duo enim vult Angelus eam docere; & quod abſque opera viri eſſet conceptura filium, & quod ille filius eſſet futurus filius Altiſſimi: Prius ex eo arceſſit quod Spiritus Sanctus in illam eſſet superventurus, eamque ad id fœcundaturus ſuâ vi: Poſterius verò inde quod eam eſſe obumbratura virtus Altiſſimi, ſecunda nempe perſona Trinitatis, quæ etiam *brachium Dei* appellatur Eſaiæ LIII, 1. & expreſsè Dei *ſapientia* & *virtus* ſive *potentia* dicitur 1. Cor. 1, 24. Nec malè Chryſoſtomus *in catena Thomæ*; *Altiſsimi regis virtus Chriſtus eſt, qui per adventum Spiritus Sancti formatur in virgine.* Putant enim viri eruditi nonnulli eſſe loquutionē deſumptā à Dei apparitionibus ſub V. T. quæ plerumque fiebant per modum caliginis aut nubis circumpoſita obumbrantis: ut non immeritò dixerit Gregorius *Moral.* 18. apud eundem Thomam; *Per obumbrationis vocabulum incarnandi Dei utraque natura ſignificatur; umbra enim à lumine formatur & corpore. Dominus autem per Divinitatem lumen eſt; quia ergo lumen incorporeum in ejus erat utero corporandum, rectè ei dicitur Virtus Altiſsimi obumbrabit tibi, id eſt corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis.*

Nulla enim neceſſitate impellitur, ad aliud quippiam virtus divinæ nomine intelligendum, præter ipſum Spititum ſanctum: cum apertiſſimum ſit, vocabulum *Et*, ſæpenumero non copulandi, ſed explicandi vim habere, ut perinde ſit, ac ſi dictum foret: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, id eſt, Dei virtus te inumbrabit. Quo pacto Deus ſpiritu & virtute Ieſum Nazarenum unxiſſe, (*Act.* 10, 38.) & ipſe Ieſus ſpiritu & igne ſuos baptizaturus dicitur. (*Matt.* 3, 11.) Cujus rei argumentum eſſe debet, quod apud Matthæum nullam virtutis altiſſimi mentionem factam, ſed ſimpliciter ſic ſcriptum legimus: *Et inventa eſt uterum ferre ex Spiritu ſancto*: Item: *Quod in ea genitum eſt, ex Spiritu ſancto eſt.* (*Matth.* 1, 18. 20.) Quòd autem quidam ajunt, ideò hîc virtutem illam minimè commemorari, quia non reddatur ratio, cur Filius Dei appellandus, apud Matthæum non quærebatur: tamen res ipſa non minùs, quàm apud Lucam, poſtulabat, ut, quis conceptionis autor eſſet, angelus Ioſepho ea de re ſiniſtrè ſuſpicanti ſignificaret. Si igitur præter ſanctum Spititum etiam ſempiternus quidam Dei Filius partûs illius effector fuiſſet; certè id angelum reticere non decuiſſet, tum propter cauſam dictam, tum ut Ioſephus tantò majoris ſanctiſſimam illam Mariæ prolem faceret, eamque non modò aſſumere nil vereretur, ſed etiam vehementer cuperet, & ſibi matris ſecundæ, ſi placet, divinitatis perſonæ, atque adeò

Digitized by Google

adeò illius ipſius divinæ perſonæ curam ac tutelam obtigiſſe, ſummopere gauderet.

† *Nulla enim neceſsitate*] Sed nec ulla eſt major neceſſitas quæ nos compellat ad illud vocabulum *Et* hîc loci explicativè ſumendum, non verò copulativè, quia *ſæpenumerò non copulandi ſed explicandi vim habet*: Nam etiam ſæpenumerò & longè multò frequentiùs copulat, adeoque poſſet æquè iſtum uſum hîc loci ac frequentiſſimè alibi obtinere: Maximè cùm diſpar ſit hujus loci ratio, & illorum duorum ex Act. x, 38. & Matt. III, 11. quæ huc adfert Volkelius; Nam neque his locis duobus *&* per *id eſt* debet explicari, & duobus diſtinctis nominibus per hendiadym conjunctis unicum reſpondet verbum: In priori enim dicitur quod Deus Chriſtum *unxit* πνεύματι ἁγίῳ καὶ δυνάμει, ubi Spiritus & virtus per hendiadym ponuntur pro Spiritu potenti & efficaci; ut cùm in illo Poëtæ dicitur, *Frænum momordit & aurum*, pro *fræno aureo*, item *Pateris libantes & auro*, pro *pateris aureis*. In altero ſimiliter dicitur Chriſtus baptizaturus Spiritu Sancto & igne, id eſt Spiritu igneo; At hîc loci cuique nomini ſuum correſpondet verbum diſtinctum: Nam de Spiritu Sancto dicitur quod ſuperventurus eſſet in Mariam; de virtute Dei, quod eam eſſet obumbratura: Adeoque virtus ibi non videtur opponi ad Spiritum per hendiadym, ut attributum illius denotet, ſed potiùs ut diſtinctum ab illo ſubjectum ſignificet: Alias ſi τὸ *id eſt* Volkelii hîc foret intelligendum, obſcurum per obſcurius Angelus explicaſſet: Nam minus difficultatis habet & facilius intelligitur hæc loquutio, *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te.* quam iſta, *Dei virtus te inumbrabit.*

Cujus rei argumentum] Hoc argumentum eſt frivolum: Nec enim apud Matthæum I, 18. 20. redditur ratio cur filius Dei eſſet vocandus id quod ex Spiritu Sancto in Maria genitum erat: ſed tantum, cur B. Virgo ut-ut prægnans non deberet apud Joſephum venire in ſuſpicionem læſæ aut violatæ pudicitiæ: Neque ex ſermone Angeli cum Joſepho, debet explicari ſermo habitus ad Virginem, cùm primùm ei annunciaretur incarnationis myſterium. Non eſſe verò *frigidam* hanc rationem ac *nullius momenti*, ipſe agnoſcit hæreticus, dum fatetur nec quæri nec explicari apud Matthæum, *cur filius Dei eſſet appellandus*: Id verò etſi apud Lucam non quæreret B. Virgo, tamen explicatum voluit ei dare nuncius cœleſtis. Utrobique autem Spiritus Sanctus *conceptionis author* deſignatur; Sed inſuper apud Lucam ipſummet ſubjectum exprimitur quod B. Virginem obumbrando, & corpus ex illius ſanguine & ſemine vi Spiritus Sancti efformatum ſibi conjungendo, ex illa erat naſciturum.

Si igitur præter] Atqui τὸ *obumbrare*, non eſt *partûs illius* effectorem eſſe, juxta eos è Chriſtianis qui hîc æternum Dei Filium per virtutem Altiſſimi intelligunt, ſed fœtum à Spiritu Sancto formandum in ipſius utero ſibi hypoſtaticè in eodem utero conjungere, quò per illam unionem hypoſtaticam, aſſumptionemque noſtrę naturę in communionem filiationis illius æternæ quæ ſibi quà λόγῳ conveniebat, etiam priuſquam factus eſſet caro & habitaret inter nos, id ſuppoſitum quod ex B. Virgine naſcebatur, verus noſter Emmanuel & Filius Altiſſimi dici & cenſeri poſſet.

Certe id Angelum] Sed quid debuerit Angelus vel dicere vel *reticere* apud Joſephum, noſtrum non eſt definire: Neque etiam id penitùs ei reticuit: Nam citato Eſaiæ loco, dicit puerum ex Virgine naſciturum potenti operatione Spi-

Digitized by Google

ritus Sancti fore appellandum *Emmanuel*, id eſt revera futurum θεάνθρωπον in eadem perſona: Nec dubium quin hac revelatione auditâ *non modò aſſumere nil vereretur* B. Virginem, *ſed etiam vehementer cuperet, & ſibi matris ſecundæ divinitatis perſonæ adeoque illius ipſius divinæ perſonæ*, ſed in carne noſtra apparentis, *curam ac tutelam obtigiſſe ſummopere gauderet.* Erat enim futura Virgo verè θεότοκος ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἐν τῇ μήτρᾳ τοῦ παρθένου οἰκήσας ἐσαρκώθη, ut Patres adverſ. Neſtoriū contendebant. Quod quidam eruditi (nominatim Heinſius *ad Luc.* 1.) putant שכן *Schakan* Hæbreorum reſpondere, eamque præſentiam Numinis denotare quæ Judæis שכינה dicitur, & qualem non [illegible]ικῶς ſed σωματικῶς Paulus vendicat Chriſto per incarnationis myſterium Col. 1, 9.

Adde, quod apud Lucam id revera quærebatur, quo pacto Maria concipere ac parere filium poſſet, cum virum non cognoſceret. id enim ipſamet interrogaverat, & ad id angelus revera reſpondet: quamquam ita, ut reſponſionem ſuam conſectario quodam amplificet, quod ad commendationem
481. ſancti illius partus plurimùm pertinebat. Atqui eadem reſponſio, ad Mariæ quæſtionem ſolvendam, atque ad Ioſephi ſuſpicionem penitus diluendam requiritur. ex eodem enim revera fonte utraque manat. Quare eandem reſponſionem utrobique ab angelo allatam eſſe, dubitandum non eſt.

† *Addo quod apud Lucam*] Hoc quidem quærebat Maria, ſed ut fatetur ipſemet Adverſarius, *ad id angelus ita reſpondet, ut reſponſionem ſuam conſectario quodam amplificet, quod ad commendationem ſancti illius partus plurimum pertinebat:* Hoc verò conſectarium illud eſt quod hîc urgent plerique Interpretes Orthodoxi, videlicet fœtum hunc efficaciâ & vi Spiritus Sancti, abſque ullius viri operâ formandum, fore ideo filium Altiſſimi, quod ſecunda perſona Trinitatis obumbratura eſſet B. Virginem, & ſibi in illius utero naturam humanam hypoſtaticè conjunctura, eamque per illam unionem in participium & communionem ſuæ illius filiationis traductura.

Atqui eadem reſponſio] Sed & amplius reſponſum eſt B. Virgini quam quæſiverat ipſo Volkelio fatente, & etiam Joſepho dignitas fœtus ex Virgine naſcituri, in nomine *Immanuelis* aperitur.

Præterea, quàm indigna fuiſſet cœleſti nuncio illa oratio: id, quod ex te naſcetur, ſanctum, Filius Dei appellabitur: quia ſempiternus Dei Filius uterum tuum ingreſſurus, in eoque carnem aſſumturus eſt? Nam quis neſciat, ſi Dei Filius concipiatur, Filium Dei dicendum eſſe illud, quod eſt naſciturum? Quis igitur non videt, multò veriorem, & ad propoſitum accommodatiorem hujus rei rationem eſſe; ideo ſanctum illum partum Dei filium nominandum fuiſſe, quòd Deus ſpiritu virtuteque ſua viri vicem ſuppleturus eſſet? Quod enim virtute divina naſcitur, hoc ad ipſum Deum, cujus eſt virtus, tanquam ad patrem, jure revocatur. quod propterea dicimus, ne quis hinc concludat, Chriſtum Spiritus ſancti potiùs filium, quàm Dei

Digitized by Google

Dei dicendum fuiſſe: cum, ut ſuo loco docebimus, (*inf. cap.* 14.) Spiritus ſanctus perſona non ſit, adeoque Patris rationem habere nequeat. Neque enim virtus, quâ generatio perficitur, pater eſt, ſed is, qui eam habuit & exeruit. Huc accedit, quòd ſi virtus Dei altiſſimi ſempiternum Dei filium declarat, nihil neceſſe fuiſſet, Spiritus ſ. operationem, ſi is perſona ſit à Patre ac Filio diſtincta, ad hoc negotium convenire; niſi Filium iſtum Dei infirmum, & porrò huic operi minimè ſufficientem fuiſſe volumus.

† *Præterea quam indigna*] Imò quam indignè & proterviter de hoc Myſterio loquitur Hæreticus? Equidem nemo neſcit *ſi Dei filius concipiatur, filius Dei dicendum eſſe illud quod eſt naſciturum*; ſed debuit conſtare virgini fore Dei filium qui in utero ſuo *carnem aſſumpturus* eſſet: Et illud eſt de quo ſpeciatim edocetur per ſermonem Angeli: Prout revera Deus debet is eſſe, qui natus ex virgine ſit eo ipſo futurus *Emmanuel* & Deus nobiſcum.

Quis igitur non videt] Sed & falſò ſupponitur, Deum *Spiritu virtuteque ſuâ viri vicem* hic ſuppleviſſe, ac ſi in iis quæ virtute & calore Solis generantur in terra, Sol *vicem viri* aut maris ſupplere cenſeretur. Deinde dato non conceſſo, *ideo ſanctum illum partum, Dei filium nominandum fuiſſe* quod virtute Spiritus Sancti conciperetur, nihilque eſſe diſcriminis realis inter Spiritum Sanctum & virtutem Dei, ſed hoc poſterius apponi Spiritui Sancto, ad denotandam vim, virtutem & efficaciam Spiritus Sancti, quæ ſe prodidit in hoc *opere*, tamen illud *ideo* deberet ſumi de cauſa conſequentiæ, non verò de cauſa conſequentis: ita ut hæc conceptio ex Spiritu Sancto non ſit formalis ratio propter quam Chriſtus fuerit filius Altiſſimi, ſed tantum cauſa & ratio per & propter quam pro tali ſit agnoſcendus; quod ſicut nemo ex Virgine debuerit naſci, juxta vaticinium Eſaiæ, niſi qui futurus eſſet verus *Immanuel*, & *Deus nobiſcum*, ita non debuerit alius concipi ex illius ſemine & ſanguine, operatione & virtute potenti Spiritus Sancti, quam Filius Dei æternus, aſſumens noſtram carnem, ut in illa redemptionis humanæ opus perageret.

Quod enim virtute] Sed cùm virtute divinâ plurima quotidie naſcantur, nihil hîc foret ſpeciale concipiendum de Chriſto, aut quod ei non ſit commune cum omnibus creaturis, minutiſſimiſque vermiculis, & quotidiana pluvia, cujus Deus *Pater* appellatur Job. XXXVIII, 28. ideo quod *virtute divina* naſcatur & producatur. Et ut nolimus negare, Deum poſſe cenſeri hoc generali modo Patrem carnis Chriſti, quatenus divinâ ſuâ virtute eam miraculoſè produxit ex ſemine B Virginis, ſic pertendimus ex hoc capite & titulo non poſſe Chriſtum cenſeri Dei filium unigenitum, naturalem & proprium.

Quod propterea] Id tamen omninò ex tuis principiis eſſet concludendum; Nam illa utique virtus quâ proceſſit conceptio Chriſti in utero B. Virginis fuit Spiritus Sancti, ipſeque Spiritus Sanctus eam ad id habuit. Eſſe verò Spiritum Sanctum perſonam, contra Pneumatomachum hunc ſuo loco Deo dante demonſtrabimus. Sed neque *perſona* ſemper eſt aut eſſe debet id cujus virtute *generatio perficitur*. Notum illud eſt ex Ariſtotele quod, Sol & homo generent hominem, Nec tamen Sol perſona eſt: Et patrum ac matrum nomina conveniunt etiam vegetabilibus & ſenſitivis, quæ tamen *perſonæ* non ſunt; ſiquidem perſona, etiam in Schola Sociniana, eſt ſuppoſitum intelligens.

Huc

Huc accedit quod ſi] Quaſi verò ſit hoc novum vel inſolens in Scripturis Deum per ſuum Filium & per Spiritum ſuum operari, citra ullam ipſius infirmitatem & inſufficientiam. Utique tota Sancta Trinitas efformavit naturam Chriſti humanam in utero B. Virginis, eamque hypoſtaticè conjunxit perſonæ τȣ̃ λόγȣ qui eam ibidem aſſumebat; prout opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa; quo facit Veterum ſimile deſumptum à tribus puellis quæ unà conſuant togam pretioſam uni tantum ex illis adaptandam & induendam: Verumtamen hoc idem opus commune Patri, Filio & Spiritui Sancto, appropriatur ſpeciatim tertiæ perſonæ, ob ſingularem & eximiam ſanctificationem carnis iſtius abſque qua non potuiſſet uniri τῷ λόγῳ. Ideo qui conſentiunt hic conjungi Spiritum & virtutem Altiſſimi per hendiadym, cenſent τὸ ἐπισκιάζειν, quod hic Spiritui Dei potenti tribuitur, eſſe tralationem ſumptam ab avibus pullos excludentibus, à qua ſententia non longè abit Theophylactus; *ut ita*, (inquit Grotius ipſe, *ad hunc locum*) *oſtendat Angelus eâ virtute oriturum hunc fœtum quâ Mundus ipſe exordium ſumpſit*; *Nam in Moſis hiſtoria eſt* ורוח אלהים מרחפת על־פני מים, *Veruah Elohim merachepeth gnal pne maijm*, *quod verbum Merachepeth de tali incubitu exponunt Hæbreorum doctiſſimi.* Ut autem per illum incubitum Spiritus Dei fovendis & excludendis creaturis deſtinatum nihil infirmitatis aut inſufficientiæ venit tribuendum Creatori, ſic ex ſimili operatione Spiritus Sancti in conceptione Chriſti quoad carnem, nihil ipſius λόγȣ eam aſſumentis dignitati aut ſufficientiæ & virtuti decederet.

Videndum jam porrò eſt, num ideo ex Dei Patris ſubſtantia Chriſtum generatum eſſe credendum ſit, quòd *proprius* Dei Filius dicitur. (*Rom.* 8, 32.) Id autem vel ex eo conſequi ſtatuendum eſt, quòd *proprium* opponatur metaphorico ſeu figurato; omnis autem filius, qui ex ſubſtantia ejus, cujus filius dicitur, non fuerit generatus, metaphoricè ejus vocetur filius; vel ex eo, quòd, licèt ea vox non opponatur metaphorico, nihilominus tamen voci *Filii* adjecta, vim habeat ſignificandi eum, qui ex ſubſtantia illius, cujus filius proprius eſſe dicitur, ſit genitus.

‡ *Videndum jam porrò eſt*] Plurimum ſtum eſt in hoc Pauli loco Rom. VIII, 32. Proprius enim filius opponitur vel ſuppoſititio, vel ei qui talis ſit aut adoptione aut affinitatis jure, quomodo & gener & privignus à ſocero & vitrico reſpectivè filius ſalutatur: adeoque is demum alicujus proprius eſt filius, qui ſit fructus lumborum ſuorum & quem ille verè & propriè genuerit. Nec dubium quin Chriſtus *proprius* Dei filius dicatur per diſtinctionem à fidelibus, quorum quilibet eſt Dei filius, non utique proprius, ſed adoptivus.

Id autem vel ex eo] Sed hìc dum ſubtilis vult videri Volkelius, opponit quæ debent componi: cùm filius proprius dicatur per diſtinctionem à filiis adoptivis, cujuſmodi nos eſſe hoc eodem capite docet Apoſtolus Rom. VIII, 15. 16. & eo ipſo ſignificetur talis filius *qui ex ſubſtantia illius cujus filius proprius eſſe dicitur, ſit genitus.*

Quod

Digitized by Google

Quod ad prius attinet, nunquam vox *proprii* in ſacr. literis metaphorico aut figurato opponitur: imò eo modo, quo hîc fit, conſtructa, ne apud prophanos quidem autores. Nam v. g. proprius dominus, proprius ſervus, proprius paſtor, proprius ager, aut liber, nunquam ita dicitur, ut minimè figuratus aut metaphoricus eſſe intelligatur: ſed tantùm ut ſignificetur, eum non eſſe alienum, aut non eſſe cum aliis communem. Alieno enim aut communi vox *proprii*, nomini rei ſimpliciter adjecta, opponitur. Quoties enim boni autores voce illa indicare volunt, vocabulum aliquod abſque tropo in- 482.
telligendum eſſe, hujuſmodi verbis uti ſolent: propriè ſic dictum, proprio nomine appellatum, propriè loquendo, & ſimilibus.

‡ *Quod ad prius attinet*] Tota hæc Grammaticatio eſt inutilis: Nam primò etſi *proprium* ut ſubſtantivè & in neutro genere enunciatur, non opponatur *metaphorico*, inde non ſequitur iſti oppoſitioni non eſſe locum ſi adjectivè ſumatur: Nam v. g. ſenſum proprium opponi ſenſui figurato & metaphorico apud Grammaticos qui negaverit, ſenſu communi ſeipſum carere prodet. Deinde etſi vox proprii non opponatur metaphorico & figurato, ſed extraneo & alieno, id ſufficiet ad probandum filium proprium hic loci ab adoptivo diſtingui: Nam filius adoptivus eſt perſona aliena & extranea, ut JCti loquuntur, quę in familiam alienam & ejus filiumfamilias ſuſcepta eſt. Ad hæc dubium non eſt quin eo ſenſu Chriſtus dicatur ab Apoſtolo ἴδιος θεοῦ υἱός, quo ægrè ferebant Judæi Joh. v, 18 quod ipſe πατέρα ἴδιον, *proprium patrem*, Deum eſſe diceret. Sic autem Deum faciebat Patrem ſuum naturalem, non merè adoptivum: Hoc enim poſterius Judæi non potuiſſent illi vertere vitio, cùm & ipſi Deum ſuum eſſe Patrem profiterentur Joh. VIII, 41. Quare cùm proprius Dei filius dicitur, intelligitur filius naturalis, non adoptivus. Præterea fatentur Sociniani Chriſtum filium Dei naturalem dici poſſe; neque poſſunt negare ideo dicendum eſſe filium Dei naturalem, quod ejus proprius filius à Paulo appelletur: Quare tam neceſſe eſt proprium filium opponi adoptivo, quam conſtanter naturales filii, adoptivis apud Juriſconſultos opponuntur. Ideo omnes Veteres, qui utique vim hujus locutionis habuerunt perſpectam, ſenſerunt Chriſtum dici proprium Dei filium, per diſtinctionem à filiis non propriis, id eſt adoptivis: Sic enim in Synodo Francofurtenſi tempore Caroli magni contra adoptionarios, qui Chriſtum filium Dei adoptivum faciebant, urgebatur illud dictum Pauli quo proprius Dei filius appellatur: & Hilarius 6. *de Trinit.* monet amplius eſſe quod dicatur Deus non pepercisse *proprio filio*, quam ſi diceretur ſimpliciter non peperciſſe filio *ſuo*. Sic & Theophylactus proprium dici aſſerit quod ſit ex illius *natura*, & per diſtinctionem ab *adoptivis*.

Ex quibus aliquo modo jam intelligitur, quid ad poſterius ſit reſpondendum. Etenim cùm vox *proprii*, hoc præſertim modo, quo hîc fit, conſtructa, & in vulgari loquendi uſu, & in ſacr. literis, opponatur rei alienæ, aut cum aliis communi; apparet, eam vi ſua nihil ſignificare aliud, quàm *ſuum*, ſeu *omnino ſuum*: quo pacto *proprium corpus* (2. *Cor.* 6, 18: 15, 38.) eſt corpus

ſuum, *proprius ſanguis* (*Heb.* 9, 12: 13, 12.) nil aliud, quam ſanguis ſuus: quemadmodum vel ex interpretibus ſacrarum literarum conſtare poteſt, qui pro voce *proprii* nonnunquam reponunt *ſuum*. Quare *filius proprius* nihil ſignificabit aliud quam *filius ſuus*, opponeturque alieno, ſeu ei, qui alium habet patrem. Jam verò Chriſtus præter Deum nullum habet patrem, adeò ut rectiſſimè filius Dei proprius dicatur.

† *Ex quibus aliquo modo*] Sed *proprii* vocem aliquid amplius hîc ſignificare quam ſuum, vel inde liquet quod nemo ſit verè fidelis qui Dei filius, & quem is pro *ſuo* agnoſcat, dici non poſſit; nemo tamen qui *proprius* Dei filius poſſit appellari. Tum etiam Adamus reſpectu Dei *filius ſuus* dici poterat, imò talis qui alium patrem non haberet: Prout nec Angelorum quilibet alius pater quam Deus poteſt aſſignari: Attamen nec Adam nec Angeli *proprii* Dei filii ſtatui poſſunt: Nec uſquam ita de illis loquitur Scriptura. Adhæc Chriſto quoque ſecundùm humanitatem convenit alium patrem habere quam Deum; nam Abrahami quoque & Davidis filius appellatur Matth. 1, 1. Nec in uſu loquendi communi, τὸ *ſuum* æquipollet *proprio*, ac idem ſignificat: Lanius in macello, ſuam carnem habet vænalem, neutiquam tamen propriam: Et ſi Mævius Stychum ceu ſuum mancipium legaverit, poterit dici non modò corpus legaſſe, ſed & ſuum corpus; nullo modo tamen proprium corpus legaſſe ideo cenſebitur. Admitto tamen *proprium* filium hîc opponi *alieno*; id eſt revera naturalem adoptivo: Et cùm non ſemper Scripturæ Interpretes *pro voce proprii reponant ſuum*, ſed tantùm *nonnunquam*, hinc teſtatum faciant, hæc duo non ſemper æquipollere, & illud aliquando quid amplius quam iſtud ſignificare.

Quòd ſi, cùm de hominum liberis ſermo eſt, ii, qui filii alicujus proprii dicuntur, ex ejus ſubſtantia ſunt geniti; id, quod ad vim vocis *proprii* attinet, per accidens eſt, nec protinus ad Chriſtum, qui Dei filius proprius dicitur, trahendum, niſi aliunde priùs oſtendatur, hujuſmodi generationem in Deo locum habere; quod nos impoſſibile eſſe jam ſuperius oſtendimus. Et ſanè mirum eſt, eos, qui cæteroquin argumentationes ab humanis ad divina ductas valere pernegant, hic, ubi minimè fieri oportebat, tam audacter ab humanis ad divina argumentari: cum non tantum propter rationes ſuperius adductas, ſed etiam propterea ejuſmodi generatio in Deum non cadat, quòd ea inſtituta ſit ad conſervandam ſpeciem pereuntibus individuis. Unde in immortalibus non eſt generatio: quemadmodum tum ratio ſana dictat, tum ex argumentatione Chriſti, quæ extat Luc. 20, 35. 36. colligitur. Quòd ſi ne in angelos quidem, aut homines beatos, poſtquam reſurrexerint, cadit, quia illi immortales ſunt, hi à reſurrectione erunt, licet numero ſint infiniti; quantò minùs in Deum cadet, qui non tantum immortalis eſt, atque adeò, ut ſcr. literæ dicunt, ſolus immortalitatem habet; verum etiam unus tantummodò

tummodò eſt, ita ut multiplicari nullo pacto queat; quod tamen fieri neceſſe eſſet, ſi generatio ſubſtantialis in eum caderet.

† *Quod ſi cum de*] Neutiquam hoc fit per accidens, ſed valde propriè, cum proprii filii ab adoptivo diſtinctio, non aliunde ſit arceſſenda quam ab illius ſubſtantiali generatione: Hanc verò Deo eſſe tribuendam ab æterno, nec impoſſibilem eſſe, ſuo loco abundè oſtenſum eſt.

Et ſanè mirum eſt] Imò magis mirum quod Sociniani quibus tam ſolemne eſt argumentari ab humanis ad divina, talem hîc noſtrorum argumentationem auſint reſpuere: Neque ſimpliciter hîc argumentamur *ab humanis ad divina*; ſed tantum pertendimus quod cùm Chriſtus κατ' ἐξοχὴν & diacriticè à nobis, qui ſumus filii Dei partim per regenerationem & adoptionem gratuitam, partim etiam per primævam creationem in Adamo, *proprius* Dei filius appelletur, talis debeat eſſe per ipſius æternam & incomprehenſibilem generationem; quæ non debet ideo *impoſſibilis* ſtatui, quod illius modum clarè percipere aut explicare non poſſimus: Hæc enim myſteria ſunt fide credenda, quia divinitùs revelata, non verò Mathematicè demonſtranda: Si vides, non eſt fides.

Sed etiam propterea ejuſmodi] A generatione materiali & phyſica, ad immaterialem & hyperphyſicam ac tranſcendentalem, non procedit argumentum. Præterea etſi hoc axioma poſſet concedi, de ea generatione ſubſtantiali, quæ procedit per tranſmutationem, ut cùm Leo gignit Leonem, tamen non obtinet in ea quæ procedit per meram emanationem, ut cùm Sol ſuos radios ex ſua ſubſtantia gignit & procreat. Adhæc nec verum eſt omnem generationem phyſicam & corpoream, inſtitutam eſſe *ad conſervandam ſpeciem pereuntibus individuis*. Nam per prius ordinatur ad ſpeciei multiplicationem & propagationem: Imò in ſtatu naturæ integræ ſi homo non peccaſſet, generatio huic tantum uſui, non etiam illi, inſerviiſſet, cùm nulla individua peritura fuiſſent; videatur Gen. 1, 28. Chriſtus autem Luc. xx, 35. 36. conſiderat generationis uſum & finem in natura corrupta: quo reſpectu ei reparatæ & ſufficienter propagatæ in beatitudine cœleſti, generatio convenire non debet. Denique etſi cauſa finalis generationis humanæ, non cadat in divinam, tamen ideo veritas formalis hujus non eſt abneganda: abſurdè enim negaveris viros habere mammas in pectore, eo quod eum uſum in viris habere nequeant, ad quem mulieribus ſunt à natura conceſſæ, nempe ad prolem lactandã & nutriendam. Abſurdè etiam negaveris Deum filios adoptivos habere, quod adoptio inter homines ſit reperta & inſtituta in ſolatium eorum qui liberos proprios non habent.

Quod ſi ne in Angelos] Primò falſò ſupponitur in hac inſtantia, quod ſola *immortalitas* obſtet generationi: Nam Adam genuiſſet filios, etiamſi, permanendo in juſtitia primæva, nunquam moriturus, ſed ſuo ſenſu immortalis futurus fuiſſet: Deinde non eſt locus generationi inter Angelos & Cœlites, quia 1. generationis phyſicæ & materialis Angeli capaces non ſunt; 2. Cœlites poſt reſurrectionem, non amplius vivent vitam animalem, qualis erat Adami, ut-ut ſuo modo immortalis, ante peccatum; adeoque nec in illos poſſunt cadere vitæ animalis functiones, cujuſmodi ſunt, nutritio, generatio &c. 3. Angeli creati fuerunt ſufficienti numero ab initio, & poſt reſurrectionem completus erit numerus electorum, qui non debeat vel decreſcere per corruptionem, vel per generationem multiplicari & accreſcere:

Digitized by Google

At ſecus ſe res habet in generatione Divinâ; illa enim nullam eſſentiæ divinæ multiplicationem ponit, prout humana, ad multiplicationem eſſentiæ humanæ in ſingulis individuis ordinatur; ſed tantum unius ejuſdemque numero eſſentiæ & naturę communicationem, perſonæ ſive ſuppoſito Filii. Non hic omnes congeram rationes, quæ probant talem generationem ſubſtantialem Deo poſſe convenire, quas ſatis ſubtiles profert Raymundus de Sabunde *Theol nat. tit. 47. & ſeqq.* Sane ſi homini duplex convenit productio, altera artis, quâ v. g. librum conſcribit, domum ædificat, naturæ altera, quâ hominem generat, neutra debet abrogari Deo; cui ut prior convenit per creationem ex nihilo, ita poſterior poteſt convenire per generationem ab æterno. Sufficiat quod generatio filii, non ſpectet ad conſervationem aut multiplicationem divinæ naturæ, ſed tantum ad plurium perſonarum in eadem numero natura, intimam conjunctionem, quæ pluralitas in unitate ad Dei veram beatitatem requiritur; quatenus ita ei remanet ſumma unitas abſque ſolitudine, & ſolitudo ab eo removetur ſine unitatis læſione. Uno verbo negamus *multiplicari* Deum aut eſſentiam divinam, pluralitate perſonarum, aut ſubſtantiali generatione Filii; eò quod per eam, ſecus quam obtinet in generatione phyſica, non numero diverſam, ſed planè eandem numero eſſentiam, Pater Filio communicet, quâ ratione fit ut viſo Filio videatur Pater, quia Pater eſt in Filio & Pater ac Filius unum ſunt.

Jam igitur poſtquam nullum locum æternæ filii Dei ex ſubſtantia Patris generationi reliquiſſe videmur, magnæ nos impietatis accuſabunt adverſarii, ut qui Chriſtum adoptatum Dei filium faciamus, infraque angelos ponentes, hominibus, qui in eandem venerunt adoptionem, eum æquiparemus.
483. Quocirca nihil horum meritò in nos conferri, hoc loco demonſtrandum nobis eſt. Ad primum ergo quod attinet, ſatis apparet, eos, qui id nobis objiciunt, adoptati filii nomen propriè accipere, ita ut adoptivus Dei filius is ſit cenſendus, qui, cum alio patre fuerit prognatus, atque ita naturâ Dei filius minimè extiterit, poſtea divinâ benignitate in filiorum Dei numerum receptus ſit. Nos verò cum Chriſtum nullum alium habuiſſe patrem, præter Deum, illiuſque inexplicabili virtute ex virgine generatum eſſe, & porrò naturâ atque à primo ortu Dei filium aſſeveremus; quomodo, quæſo, ea ratione, de qua hic diſputatur, illum adoptivum facimus? quomodo Chriſtum in aliorum filiorum numerum conjicere dicendi ſumus? Nam præter alias cauſas, quas ſuperius explicuimus, ob quas eum cæteris omnibus Dei filiis ratione generationis ex Deo longè præferimus, etiam hæc eſt, quòd homines fideles non à primo ſtatim ortu filii Dei exiſtant, ſed poſtea demum fiant: angeli, licèt à primo ſtatim exiſtentiæ ſuæ initio filii Dei fuerint, non tamen ab eo fuerint generati, ſed creati tantùm. Atqui utrumque, nempe ut & à primo ſtatim ortu, & generationis ratione ſit filius, ad filium naturalem conſtituendum pertinet. quod utrumque cum in Chriſto, quatenus Dei

Digitized by Google

Dei filius eſt, reperiatur, nec in quoquam alio, meritò Chriſtus, & quidem ſolus, naturalis Dei filius appellandus eſt.

† *Iam igitur poſtquam*] Utique faciunt Sociniani Chriſtum filium adoptivum, dum ejus generationem ex Patre, ut ſuprà viſum, cum noſtra regeneratione conferunt, & propriè unigenitum eſſe negant. Imò eum deprimunt infra Adamum & Angelos, quorum Deus Pater fuit per immediatam creationem, eoſque produxit ſolus & ſine matre; cùm ad Chriſti miraculoſam conceptionem & nativitatem adhibuerit operam mulieris, quæ mater propriè dicta illius fuit.

Ad primum ergo quod] Sed neutra harum rationum hic militat; cùm utraque cadat in Adamum & in Angelos: Illi enim *nullum* quoque *alium* habuerunt *Patrem præter Deum*, à quo ita immediatè ſunt conditi, ut hæc eorum γένεσις ſit nobis incomprehenſibilis: Deinde *naturâ atque à primo ortu* Dei filii fuerunt, quia ſunt conditi in juſtitia & ſanctitate, ad ipſius Dei imaginem & ſimilitudinem, id eſt imaginem ſimillimam. Imò nequidem Chriſtus quà homo, uti ante monitum, poteſt tam abſolutè ſtatui *nullum alium habuiſſe patrem præter Deum*, ac Adamus: Nam & Joſephus pater illius fuit putativus, & habuit revera avos & proavos, unde ſæpè filius Davidis appellatur, imò ab ipſomet Adamo primo gentis noſtræ conditore ſuam traxit originem.

Nam præter alias cauſas] Ut plus & minus non variant ſpeciem, ita illæ quas antea expendimus cauſæ, non aliam diſtinctionem ponunt inter filiationem Chriſti & noſtram quam graduum; cùm tamen debeant toto genere differre.

Non à primo ſtatim] Sed & Adam & Angeli, filii Dei fuerunt à primo ſtatim ortu, & fidelium liberi ſtatim ab ipſo ortu ſancti ſunt 1. Cor. VII, 14. &, ſaltem fœderaliter, inter Dei filios cenſentur.

Non tamen ab eo fuerunt] Sed 1. ipſa creatio, ex qua Adamus & Angeli filii Dei fuerunt, eo quod terminata fuerit per Dei imaginem in nobiliſſimis illis Creaturis, ad quandam filiationem, quæ ſemper ſonat aut generationem ſubſtantialem, aut aliquod ſaltem ejus veſtigium & imitamentum, poſſet non incommodè etiam generatio dici & cenſeri; prout Græcorum γένεσις utrumque ſignificat, & apud Latinos ſępè ſynonyma ſunt *creare & gignere*: juxta illud Poëtæ, *Nec ſtirps prima fuit, genito jam fratre creatus*. 2. Amplius adhuc, ſi fas ſit ita loqui, videtur contribuiſſe Deus ad productionem Adami & Angelorum, quam Chriſti quà hominis: Ad illam enim nulla omninò concurrit Creatura: Sed ad hanc B. Virgo de ſuo contulit & contribuit, quicquid aliàs, excepto concubitu cum viro, ſolent matres conferre ad fœtus ſui conceptionem & generationem. 3. Ad Chriſti conceptionem in utero B. Virginis Deus revera; non ſe habuit σπερματικῶς, ſed δημιουργικῶς, non ſeminaliter, ſed creativè; ut eo reſpectu Chriſtus eſſet ęquè cenſendus (ſi foret merus homo,) filius Dei per creationem ac Adamus vel quilibet Angelorum. Nec video cur minus creatio dici debeat Chriſti formatio miraculoſa in utero B. Virginis ex illius ſemine, ſanguine & ſubſtantia, quam vel Evæ formatio ex coſta & carne Adami, vel Adami ipſius ex pulvere terræ, vel cujuſlibet Angeli ex nihilo.

Atqui utrumque] Sed quam hæc duo non faciant Chriſtum filium Dei *naturalem*, conſtat exemplo Angelorum & Adami; qui & *à primo ſtatim ortu* ſuo filii Dei fuerunt, & eâ *ratione*, quę *generatio* ſuo ſenſu dici poteſt, nec revera alterius eſt ordinis, licet modus ſit paullulum diverſus

Digitized by Google

ſus à Chriſti creatione & formatione in utero B. Virginis. Nec ullus eſt filius naturalis, niſi qui ejuſdem eſt naturæ cum ſuo patre & ex illius ſubſtantia prodiit. Unde fit quod Juriſconſulti, *naturales* filios dicunt, tum oppoſitè ad legitimos, quia hi non modò ſunt naturaliter procreati ex ſubſtantia ſui patris, ſed etiam ex juſta uxore & thoro legitimo nati ſunt; tum oppoſitè ad adoptivos, qui revera non ſunt geniti ex ſubſtantia adoptantis, ſed ipſi erant alieni: adeoque inter naturales & adoptivos tantum eſt diſcriminis, quantum inter crus nativum, & membrum poſticum ſive ligneum quod illius loco & vice reponitur. Quare perridiculè arceſſit Volkelius naturalem filiationem Chriſti, ex illius miraculoſa conformatione in utero Virgineo, quæ cùm Dei naturam Chriſto non contulerit, neque ex Patris æterni ſubſtantia proceſſerit, nunquam magis eum faciet filium Dei naturalem, quam Adamum vel quemlibet Angelorum.

Cæterùm ſi impropria quadam ratione nomen adoptivi ſumas, & eum intelligas, qui licet vere à Deo ſit generatus, & à primo ſtatim ortu Dei filius extiterit, non tamen talis, qualis poſtea evaſit; poteſt Chriſtus, quatenus poſt primam ſuam nativitatem alia quadam perfectiori ratione fuit à Deo genitus, adoptivus Dei filius dici. Omnia enim ea, quorum ratione Deo ſimilis, & porrò perfectiori ratione Dei filius evaſit, veluti eſt perfectiſſima ſanctitas, ſapientia ac potentia planè divina, immortalitas, & ſummum in omnia imperium, non à natura, nec à primo ſtatim ortu, ſed poſtea demum, nec eodem omnia tempore, divino munere adeptus eſt.

‡ *Cæterum ſi propterea*] Hæc ſunt nova monſtra iſtorum hominum, ex quibus conſtat eos nihil habere certi in quo conſiſtant: Modò enim ajunt, modò negant, Chriſtum eſſe Dei Filium adoptivum: Et cùm paullo ante videretur Volkelius valde alienus ab Adoptionariorũ nomine & errore, imò cenſeret non poſſe Chriſtum citra aliquam in eum impietatem ſtatui filium Dei adoptivum, nunc tamen etiam *adoptivum* illum facit, ſaltem *impropriâ quadam ratione*; quaſi verò nos aliter quam impropriâ quadam ratione filii Dei adoptivi dici debeamus; ſiquidem noſtra adoptio non proceſſit ex parte Dei more humano, in ſolatium ſuæ orbitatis: Et hoc eſt perabſurdum, ut qui filius Dei naturalis modò ſtatuebatur, ceu *verè à Deo generatus* (propriè genitum, non dicit Volkelius, quod omninò requirebatur ad filiationem naturalem: nam aliàs, & nos quoque Deus verè progenuit ſermone veritatis ut eſſemus primitiæ creaturarum ſuarum Jac. 1, 18. nec tamen per id ſumus filii naturales, ſed tantum adoptivi;) *& à primo ſtatim ortu Dei filius*, nunc in adoptivum degeneret: quamvis ea ſit oppoſitio evidens inter filium adoptivum & naturalem, ut nemo ejuſdem patris reſpectu, uterque eſſe queat. Tum plurimum quoque habet abſurditatis, quod fingitur Chriſtum *poſt primam ſuam nativitatem*, (per quam tamen *& à primo ſtatim ortu*, *& generationis ratione*, jam erat filius Dei *naturalis*, & quidem *ſolus*,) *aliâ quadam perfectiori ratione à Deo genitum* fuiſſe: quaſi ulla poſſit dari generatio perfectior eâ per quam excluſivè ad Angelos & homines, conſtitutus eſt filius Dei naturalis *ſolus & proprius*: Nec id caret magnâ abſurditate, quod fingitur filius *naturalis*

naturalis jam ſemel genitus, iterum gigni alia perfectiori ratione, per quam dicatur *filius adoptivus*: quaſi verò adoptio quæ eſt mera juris fictio imitans naturam adeoque perfectam rationem generationis, poſſit eſſe ratio perfectior generationis eâ per quam quis filius naturalis conſtituitur. Id quoque perabſurdum, facere vel concipere Chriſtum filium Dei adoptivum: Nam adoptio aliàs eſt extranei, & illius qui patrem naturalem alium habebat: Jam verò juxta Volkelium Chriſtus ita fuit *à primo ſtatim ortu*, filius Dei naturalis, *proprius*, & *ſolus*, ut *nullum alium patrem præter Deum* habuerit, & ei nunquam extraneus fuerit. Tum quotquot ſumus filii Dei adoptivi, illam adoptationem in Chriſto & per Chriſtum conſequimur. Ipſe igitur non poteſt eſſe adoptivus, niſi, quod foret abſurdiſſimum, ſtatuatur ipſe in ſeipſo & per ipſum, adoptatus.

Omnia enim ea quorum] Atqui ſic Chriſtus Adamo erit inferior; Hic enim *à primo ſtatim ortu*, *Deo ſimilis extitit*, conditus ad ipſius imaginem, in juſtitia, ſapientia & ſanctitate perfecta; immortalis quoque fuit ab ipſo ſui ortu, & *ſummum in omnia* alia animantia *imperium divino munere adeptus eſt.* Chriſtus quoque *Dei filius* non *evaſit* per gradus, ſed ſemper fuit & dici debuit, etiam à nativitatis ſuæ momento, ille filius Dei altiſſimi in quo Pater ſibi complacuit. Quinimò dum in carne adhuc verſabatur, erat ſanctitate perfectiſſimâ præditus, adeo ut nemo eum peccati redarguere poſſet; inſtructus quoque *ſapientiâ ac potentiâ planè divinâ*, & ſummo *in omnia* imperio, adeo ut & mare & venti & elementa & mors, ipſi obedirent. Quid quod filiatio inter homines non in ſimilitudine potentiæ aut virtutis, ſed potiſſimum in ſimilitudine naturæ ſita eſt: Nec enim cenſetur Conſulis filius quem genuit, magis evadere filius ipſius, ſi ad Senatoriam dignitatem provehatur. Nec ſi quis Rex in filium ſuum, quem priùs genuerat, varia conferat munera, aut multum authoritatis, cenſebitur eo ipſo, illum ex filio genito & naturali adoptivum & legalem conſtituere. Et eſt abſurdiſſimum, quempiam alterius filium conſtitui articulatim, & per varios gradus, actuſque multiplices ac diſtinctos naturâ & tempore, cùm filiatio in formali ſuo eſſe momentò acquiratur, quocunque modo ea procedat, ſive per generationem, ſive per adoptionem.

Verùm hujuſmodi adoptio, non tantùm Chriſti ſupra cæteros omnes Dei filios eminentiam non tollit, ſed etiam conſtituit. Quia enim per eam Chriſtus inter omnes adoptatos Dei filios principatum obtinuit; meritò hac quoque ratione unigenitus Dei filius dicitur. adeò ut ipſius reſpectu, ne angeli quidem Dei filii, ſed ſervi potius habendi ſint. Quanquam, ut hoc obiter adjiciam, non ſatis propriè homines Chriſtiani adoptati filii Dei dicuntur: cum non ſolum filiorum loco habeantur, ſed revera etiam ſint, utpote ea ratione, quâ Deus generat, ex ipſo nati: cum adoptivi filii pro filiis tantum habeantur, non verò ex iis, à quibus adoptantur, nati ſint. Paulus enim dicens, ſe unà cum aliis adoptionem expectare, (*Rom.* 8, 23.) non id ſe cæteroſque ſibi ſimiles ſperare indicat, ut pro filiis Dei habeantur, ſed ut revera ſint, ut quidem eos futuros eſſe Chriſtus confirmat Luc. 20, 36. Appellantur 484.

Digitized by Google

tamen adoptivi, quia nec ab ipſo vitæ ſuæ exordio Dei filii fuerunt, nec poſtquam filii Dei eſſe cœperunt, ſtatim tales extiterunt filii, quales aliquando demum evadent.

‡ *Verùm hujuſmodi adoptio*] Ridiculo fundamento ſuperſtruit meras nugas; cùm hîc nec vola nec veſtigium adoptionis reſpectu Chriſti appareat, & perabſurdè fingitur quod Chriſtus adoptionis iſtius imaginario reſpectu, *unigenitus Dei filius* dicatur.

Non ſatis propriè] Primò Volkelius apertè contradicit hac in parte Sacræ Scripturæ; quæ diſertè appellat Spiritum Sanctum *Spiritum adoptionis* Rom. VIII, 15. Et nobis ſubinde tribuit υἱοθεσίαν & adoptionem in Dei filios Rom. VIII, 23. IX, 4. Gal. IV, 5. Eph. I, 5. Secundò cùm naturâ eſſemus filii iræ & rebellionis Eph. II, 2. 3. non potuimus aliter fieri filii Dei quam per adoptionem; cùm hæc ſit perſonæ extraneæ aſſumptio, in jura hæreditatis & ſucceſſionis.

Cùm non ſolum filiorum] Hîc opponuntur non opponenda: Nam etiam *revera* filius eſt, non *putativè* tantum, qui talis eſt per adoptionem: Quamvis enim adoptio procedat per fictionem juris, habet tamen effectum realiſſimum. Nec obeſt quod etiam dicamur ex Deo nati & à Deo geniti; nam hæc generatio non eſt propriè ſed metaphoricè intelligenda; unde etiam *regeneratio* appellatur in Scripturis; adeo non eſt ejus ordinis cum ea generatione quâ Deus ſuum filium genuit, quo reſpectu & *proprius* & *unigenitus* appellatur: Si enim eadem eſſet ratio utriuſque generationis, non poſſet Chriſtus filius Dei unigenitus ſtatui, quod tot alii eſſent eadem ratione qua ipſe à Deo geniti.

Cùm adoptivi filii] Non *habentur* tantum pro filiis, ſed reipſa filii ſunt & fiunt per adoptionem, quæ quod naturam imitetur, ut loquuntur JCti, generatio legalis dici poſſet, licet non naturalis. Sic enim *naturalizari* vulgò dicuntur, qui exteri cùm eſſent donantur civitate, & aliquando *regenerari* apud JCtos, qui poſt paſſam relegationem & capitis diminutionem, beneficio Principis reſtituuntur in integrum. Quin apud Rabbinos etiam regenerari dicebantur proſelyti juſtitiæ, quod infererentur genti Iſraëliticæ per Baptiſma, Corbona & Circumciſionem, & ſic in omnia Iſraelitarum privilegia immitterentur.

Paulus enim dicens] In hoc loco Pauli Rom. VIII, 23. *adoptio* ponitur, non pro ipſo actu adoptandi, ſed pro illius *fructu* & hæreditate ex adoptione hac noſtra ſequutura: Videatur Luc. XXI, 28. ubi ἀπολύτρωσις appellatur, quam ſcilicet ſperamus plenam & completam, quod hîc υἱοθεσία dicitur: Tunc ſanè non fiemus Dei filii, quod nunc ſumus I. Joh. III, 2. unde & cum fiducia Deum ceu Patrem noſtrum invocamus; ſed tantum manifeſtum fiet quantum bonorum hæc adoptio & filiatio ſecum ferat, & quam ſit eximium culmen illud gloriæ ad quod traducentur filii reſurrectionis, cùm Deus erit omnia in omnibus: Itaque quod dicitur Lucæ XX, 36. filios reſurrectionis eſſe filios Dei, non eſt ſic intelligendum quaſi tunc demum hanc filiationem conſequantur, ſed quod tum ad filiorum Dei ſupremam gloriam erunt traducti, adeoque extra vitæ animalis neceſſitates & functiones conſtituti.

Appellantur tamen] Sed neutra harum rationum ſufficit: Non prior utique, cùm multi pii & ſancti, jam ab ipſo vitæ ſuæ exordio fuerint Dei filii per ipſius Spiritum & gratiam: Fidelium & fœderatorum liberi ſancti dicuntur I. Cor. VII, 14. utique ab utero, & de Johanne Baptiſta nominatim docemur quod jam à ventre

ventre matris ſuæ repletus fuerit Spiritu Sancto, Luc. 1, 15. Non quoque poſterior, cùm nec etiam multorum hominum naturales vel adoptivi filii, tales ſint ab initio quales poſtea evadunt, citra ipſiuſmet filiationis remiſſionem vel intenſionem: Quare his miſſis logodædaliis breviſſimè & uno verbo reſpondetur fideles & pios eſſe Dei filios per adoptionem gratuitam in Chriſto; cùm Adamus olim & Angeli fuerint filii Dei per creationem; Chriſtus verò ſit Dei filius, proprius, naturalis, unigenitus, quo viſo videtur Pater, per generationem æternam.

Cap. XIII.

De Exiſtentia Chriſti ab æterno.

Reſpondente JOHANNE REUTERO, *Bremenſi.*

Sequitur ut eos locos excutiamus, qui demonſtrare videntur, Chriſtum ab æterno reipſa extitiſſe. Loci autem illi ſunt, quibus Chriſtus in principio, ante Abrahamum fuiſſe, ante conditum mundum apud Patrem gloriam habuiſſe, (*Joh.* 1, 1. *&* 8, 58: 17, 5.) populum Iſraëliticum ex Ægypto eduxiſſe, ei in deſerto adfuiſſe, & varia in illum beneficia contuliſſe; (1. *Cor.* 10, 4. *Jud.* ỳ. 5.) item ipſius gloriam ab Eſaia viſam fuiſſe; (*Joh.* 12, 41. *Eſa.* 6, 9.) de cœlo denique eum deſcendiſſe dicitur, (*Joh.* 6, 38: 3, 13.) aut dici videtur. Negamus igitur, ullo iſtorum teſtimoniorum Chriſti ab æterno exiſtentiam probari.

‡ *Sequitur ut eos*] Quantum inſit ponderis his ſingulis locis, quibus miror non addita eſſe teſtimonia celebria Heb. 1, 10. 11. 12. & Apoc. 1, 8. ex eorum examine & refutatione cavillorum Volkelianorum circa illos, luculenter apparebit. Rem ipſam aggrediamur.

Quod enim ad *principii* vocabulum attinet, (*Ioh* 1, 1.) animadvertendum eſt, illud, ubicunque in ſ. literis reperitur, ſemper ejus rei initium deſignare, de qua agitur. Cujus rei exempla paſſim apud ſacros autores, atque adeò apud ipſum Joannem aliquoties habentur. (*Dan.* 8, 1. *Ioh.* 15, 27: 16, 4. *Act.* 11, 15. 1. *Ioh.* 2, 7. 24: 6, 3. 11: 2. *Ioh.* ỳ. 7.) Cùm verò Joannes, qui libri ſui ab his verbis, *In principio*, exordium capit, nonniſi Euangelium deſcribat; parúmne liquet, principium Euangelii hoc loco innui, quod à Joannis baptiſmate teſtimonioque illius, quod Chriſto perhibuit, ibidem commemorato duci, teſtis eſt Marcus, ſcriptionem ſuam ſic inchoans: (*Marc.* 1, 1.) *Initium Euangelii Ieſu Chriſti Filii Dei, ſicut ſcriptum eſt in Prophetis: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto*, &c.

Digitized by Google

† *Quod enim ad Principii*] Sudes eſt in oculis Socinianorum initium Euangelii ſecundùm Johannem Joh. 1, 1.2.3. maximè quod dicatur ὁ λόγος *in principio* extitiſſe, idque apud Deum, & per eum omnia facta fuiſſe. Certum enim eſt & idem illud intelligi *principium*, quo juxta Moſem Deus omnia condidit Gen. 1, 1. & fieri alluſionem manifeſtam à Johanne ad id quod de ſumma & æterna Sapientia dicitur Prov. VIII, 22. 23. 30. Et quis dubitet idem hic *principium* intelligi, quod deſignatur eidem Euangeliſtæ Johann. VIII, 44: ubi Diabolus dicitur homicida fuiſſe à principio? Unde patet etiam Johanni aliquando ita poni abſolutè, ut principium rerum conditarum & Moſaicum ſignificet: Ita etiam ſumitur Matth. XIX, 4. 8. Et ut non negem principium in Scripturis intelligendum de *ejus rei initio* de qua agitur, ut exempla eò facientia operoſè congerere Volkelio opus non fuerit, ſic pernego Joannem eo quod *Euangelium* deſcribere ſibi proponeret, Euangelii principium hic intelligere: Etenim cùm ad accuratam Euangelii deſcriptionem plurimum intereſſet explicare, quis qualis-ve ſit Jeſus Chriſtus, de quo tota Euangelica narratio inſtituenda erat, voluit Joannes eum talem nobis proponere, qui naturâ ſuâ fuerit Deus, Patri coeſſentialis & coæternus, atque ita præextiterit omnium rerum origini, ac noſtræ carnis aſſumptioni & in ea converſationi, de qua agit com. 14 Ac quemadmodum Moſes, qui operis ſui *ab his verbis*, In principio, *exordium capit*, & nonniſi Legem ſibi proponebat deſcribere, unde pentateuchus Moſaica התורה *hathorah* appellatur, tum ex ſtylo Scripturæ, tum ex uſu ordinario Judæorum, debuit tamen rem, quod ajunt, ab ovo repetere, & primam omnium rerum originem ac compendium hiſtoriæ Patriarchalis ad ſua uſque tempora paucis perſtringere, quo magis conſtaret Iſraelitis quis qualis-ve eſſet ille Deus cujus nomine legatione fungebatur in ducatu populi & legiſlatione ad ipſum; ita multo potiori jure Joannes, etſi *nonniſi Euangelium* deſcribere deſtinabat, debuit altiùs rem totam repetere quam factum fuerat ab aliis Euangeliſtis, & auſpicari ab æterna Divinitate noſtri Servatoris; eo magis quod, ut aliàs oſtendimus, & inſinuat Hyeronymus *in Catal.* ſcripſerit ſuum *Euangelium rogatus ab Aſiæ Epiſcopis adverſus Cerinthum alioſque hæreticos*, (Socinianorum patriarchas) *& maximè tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe: unde & compulſus eſt divinam ejus nativitatem educere*. Similia habentur in *præfat.* incerti Authoris quæ præfigitur Auguſtinianæ expoſitioni in Johannem; & ſurget in judicio adverſus Socinianos eoſque condemnabit *Platonicus* ille philoſophus, qui referente *ſancto ſane Simpliciano* apud Auguſtinum *lib.* 10. *de Civit. Dei*, *cap.* 29. ſolebat dicere initium Euangelii Johannis *aureis literis conſcribendum & per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum eſſe*. Hujus enim vocis puduiſſet & Simplicianum & Platonicum, ſi à Volkelio didiciſſent nihil minus his verbis contineri, quam quod præ ſe ferunt; neque hoc *principium* aliud denotare, quam *principium Euangelii*, quod ipſe Marcus deducit demum à Johannis baptiſmo & præconio Marc. 1, 1. Verum-enim verò quam ineptè Principium Johannæum ex iſto Marci loco interpretentur hæretici, res ipſa per ſe clamat: Nam Marcus expreſſè commemorat *initium Euangelii Ieſu Chriſti*, quod ſuam narrationem Euangelicam velit auſpicari à Johannis Baptiſtæ præconio; Johannes verò dicit abſolutè quod jam *in principio erat Sermo*, eratque apud Deum *in principio*, imò erat ipſe Deus. Nec quia de Joanne Baptiſta interſeritur narratio com. 6. quo diſcrimen inſinuetur inter λόγον & ipſum,

tum, quale eſt inter Deum & hominem, Dominum & Miniſtrum, non tamen inde colligas jure, igitur com. 1. intelligi principium quo Joannes Baptiſta cœpit de Chriſto conteſtari; cùm ad illud teſtimonium explicandum non procedat Johannes niſi com. 15. & poſtquam docuerat com. 14. Verbum carnem factum fuiſſe, & ſic habitaſſe inter nos.

Indicat igitur Ioannes Evangelicæ hiſtoriæ ſcriptor, tunc, cùm Ioannes Baptiſta munus ſuum ſuſciperet atque exequeretur, extitiſſe eum, qui perfectam Dei voluntatem hominibus primùm annunciaturus eſſet; id enim Verbi ſeu Sermonis nomine intelligi, jam ſuprà (*cap.* 10.) ſuo loco oſtendimus; h.e. Chriſtum, qui ſermo ille eſt, jam tum ei muneri fuiſſe à Deo deſtinatum ac præparatum.

† *Indicat igitur Iohannes*] Quam eò non reſpiciat Johannes, ſed ad principium quo Pater omnia per ſuum Filium fecit & condidit Joh. 1. 3. Col. 1. 16. Heb. 1. 2. & verba ipſa indicant, & tota ſeries contextus luculenter demonſtrat. Quam etiam longè aliud hic ſonet nomen λόγος, quod Filio tribuitur, quam externam duntaxat enunciationem voluntatis Divinæ, quo reſpectu idem nomen foret communicabile Moſi, Prophetis, ipſi Johanni Baptiſtæ, omnibus Verbi Divini in Eccleſia Præconibus & Miniſtris, & res ipſa loquitur, & fuſiùs demonſtravimus ſuo loco, nempe præſertim ad *cap.* 10. quò Volkelius hic remittit ſuos Lectores. Et ſanè ſi principium Euangelii eſt præconium Johannis Baptiſtæ, non eſt hic excludendus à perfectæ voluntatis divinæ annunciatione quæ Euangelio continetur.

Ait autem, eum *in principio apud Deum fuiſſe*, vel quòd apud Deum in cœlis tunc temporis fuerit, ut nimirum mandatum à Patre acciperet, (*Ioh.* 12, 49. 50.) quid loqui, quidve hominibus ipſius nomine annunciare deberet: (ſolent enim legati priùs à regibus ſuis mandata certa accipere, & tum demum ablegari) vel potiùs, quòd tum temporis hominibus generatim, muneris 485.
iſtius ratione habita, ignotus fuerit, ſoli autem Deo notus. Opponuntur enim inter ſe apud Joannem initio primæ Epiſtolæ, *eſſe apud Patrem*, & *manifeſtatum nobis*, cùm ait, vitam æternam fuiſſe apud Patrem, & maniſtatam eſſe nobis: (1. *Ioh.* 1, 2.) ut ſit ſenſus: vitam æternam, quatenus nimirum ad nos ſpectat, antè ſoli Patri fuiſſe cognitam, & apud eum quodammodo latuiſſe; ſed nunc etiam nobis innotuiſſe.

† *Ait autem eum à principio*] Hæc ἀπολογία Volkeliana ſatis oſtendit, velle hæreticum ſuæ ſervire hypotheſi quomodocunque poterit: Fuiſſe enim Chriſtum in carne *apud Deum in cœlis* priuſquam ad Euangelii præconium ſe accingeret, commentum eſt ridiculum & ineptum, primùm à Socino excogitatum, & quod nec ullo Scripturarum teſtimonio comprobatur, nec cuiquam mortalium ante hunc infauſtum

infauſtum Theologum in mentem unquam venerat: Quaſi verò res tanti momenti ignota debuerit eſſe Apoſtolis & toti Eccleſiæ, uſque ad tempora Socini: Neque favet illi commento locus hic citatus ex Ioh. xii, 49. 50. cùm ſoleat Chriſtus originem ſuæ doctrinæ refundere in ſuum Patrem à quo eſt, & hîc agat de ſui ordinatione & miſſione ad munus Mediatorium, quæ proceſſit ex Patris decreto, & quam præceſſiſſe ejuſmodi raptum Chriſti in cœlum priuſquam manifeſtaretur Iſraeli, faciliùs eſt hæreticis in ſuo Parnaſſo ſomniare, quam ullo Scripturę teſtimonio demonſtrare. Nec ſanius eſt aliud Volkelii κρησφύγετον: Nam eſt temeraria & audax interpretatio & aliena à ſtylo Scripturæ, quâ ideo dicatur fuiſſe apud Deum, *quod tum temporis hominibus generatim, muneris iſtius ratione habitâ ignotus fuerit, ſoli autem Deo notus.* Nam ſanè pari ratione dixeris Paulum fuiſſe apud Deum etiam quo tempore perſequebatur Eccleſiam & conſentiebat lapidationi S. Stephani, *quod tum temporis hominibus generatim muneris* Apoſtolici *ratione habitâ ignotus fuerit, ſoli autem Deo notus.* Et quamvis Joanni Baptiſtæ nondum notus eſſet de facie, attamen, Verbũ Dei ad illum factũ fuerat & mandatũ acceperat de ejus adventu annunciando & propalando; ne quid dicam de Joſepho, B. Virgine, Simeone Juſto, Magis ex Oriente, Opilionibus Bethleemiticis, quibus jam innotuerat Jeſum eſſe Chriſtum.

Opponitur enim] Hanc oppoſitionem admittimus 1. Joh. 1, 2 inter *eſſe apud Patrem*, & *manifeſtatum nobis*: Sed illa adſtringit quod volumus, videlicet Filium Dei æternum, fontem & authorem vitæ, ab æterno extitiſſe apud Patrem & in ſinu illius Joh. 1, 18. ſed in plenitudine temporum nobis eſſe manifeſtatum ſui incarnatione 1. Tim. iii, 16. Heb. 1, 1. 2. Ioh. 1, 14. Itaque Iohannes, nomine *vitæ* non intelligit ipſum vitæ æternę beneficium, quod obtinemus in Chriſto; ſed intelligit ipſummet Chriſtum, vitæ illius fontem, datorem & largitorem, quem *Sermonem vitæ* appellaverat com. 1. de quo dixerat in Euangelio ſuo Ioh. 1, 4. *In ipſo vita erat, & vita erat Lux hominum*, & qui de ſeipſo dicit Ioh. xi, 25. *Ego ſum reſurrectio & vita*, item Ioh. xiv, 6. *Ego ſum via, veritas & vita.* Et ſanè Chriſtum authorem vitæ jam manifeſtatum eſſe eſt extra dubium; ſed quod ſpectat ipſum beneficium vitæ, cujus promiſſiones, maximè reſpectu Gentilium, nunc ſunt luculentiùs propalatæ 2. Tim. 1, 10. certum eſt juxta Iohannem, nos ita nunc eſſe Dei filios, ut nondum tamen manifeſtè apparuerit *quod erimus* 1. Ioh. iii, 2. ſiquidem, *vita* noſtra *abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*; *poſtquam autem Chriſtus vita* illa noſtra, *manifeſtus factus fuerit*, reditu ſuo ultimo ad judicium Univerſi, *tum* & nos *cum eo* patefiemus *glorioſi* Col. iii, 3. 4.

‡ Hic verò ſine dubio objicient ſequentia Ioannis verba, quibus omnia per ſermonem facta eſſe dicit; ſatiſque apparere affirmabunt, hic non de Evangelii, ſed de omnium rerum creationis initio verba fieri, inque eo principio jam Chriſtum apud Deum fuiſſe, poſtquam ab æterno ex ipſo generatus eſſet. ſed id à vero alieniſſimum eſſe, nos ſuprà ſatis oſtendimus. (*ſup. cap.* 10.)

‡ *Hic verò ſine dubio*] Hæc objectio eo validior eſt, quod ea quæ in contrarium à Volkelio fuerant propoſita, ſupra c. 10. accuratè refutaverimus.

Iam

Digitized by Google

Iam quòd Chriſtus ante Abrahamum fuiſſe dicatur, (*Ioh.* 8, 58.) id nequaquam Chriſti æternitatem conſtituere hinc perſpicitur, quòd multi homines (ne de angelis aut dæmonibus nunc quicquam dicam) ante Abrahamum fuerunt, nec tamen æterni.

† *Iam quod Chriſtus*] Ridicula hæc eſt prima exceptio Volkelii ad celebrem hunc locum Ioh. VIII, 58. Cùm ſatis ſit adverſus Socinianos probare Chriſtum præextitiſſe ſuæ conceptioni & nativitati ex Virgine: Quod cùm nemo ſanus poſſit interpretari de Chriſto reſpectu ſuæ humanitatis, eò quod ſic foret ſeipſo prior & poſterior, omninò de ejus Divinitate debet intelligi. An enim Sociniani ex ſuo Photinianiſmo depulſi, ſe in Arianorum caſtra recipere vellent?

Quanquam ne hoc quidem cum vero conjunctum eſt, eum nimirum ante Abrahamum extitiſſe. Quod ita ſe habere facilè comperiemus, ſi diligenter locum, quo id probare nituntur adverſarii, conſideraverimus, & quidem ita, ut græca verba inſpiciamus, quæ ſic habent, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι, quæque Benedictus Arias, verbum verbo reddens, ſic interpretatus eſt: *Ante Abraham fieri, ego ſum.* ubi verbum γενέσθαι ſecundùm Grammaticos modi infinitivi, aoriſti temporis, & porrò pro contextus ratione, vel per præſens ſubjunctivi, quod in futurum reſpiciat, vel per imperfectum reddendum eſſe, nemo ignorat: ita videlicet, ut ſi verbum, cui adhæret, fuerit temporis præſentis, per præſens ſit vertendum; ſin præteriti temporis illud fuerit, hoc quoque per præteritum imperfectum ſit reddendum: quanquam & hoc nonnunquam in futurum reſpicit; unde ab interprete veteri, per præſens ſubjunctivi tunc vertitur. Cum autem hoc in loco verbum γενέσθαι inter duo præſentis temporis verba poſitum ſit, quorum alterum eſt *dico*, alterum verò *ſum*; fieri non poteſt, quin per præſens ſubjunctivi ſit convertendum.

† *Quanquam ne hoc*] In genere toti huic Grammaticationi opponimus univerſalem conſenſum omnium Interpretum: Vulgatus Latinus & Beza reddunt, *antequam Abraham fieret*; Eraſmus, *antequam Abraham naſceretur*; Caſtalio, *priuſquam Abrahamus eſſet*; Syrus Boderiani, *antequam Abraham erat ego eram*; Syrus Tremellii, *antequã fieret Abraham ego ſum.* Adhęc Gręcam phraſim Iohannis non intellexiſſe Patres Græcos, quid abſurdius? Iſti verò omnes in ſenſu noſtro conſentiunt; Chryſoſtomus *hom.* 54 *in Ioh.* arbitratur Chriſtum dixiſſe, εἰμι, *ſum*, non eram, ut eo magis ſuam æternitatem *ab omni tempore liberam* adſtrueret; idem obſervat Theophylactus ad hunc locum, quoniam Dei eſt dicere *Ego ſum qui ſum*: Nonnus ſimiliter in *ſua paraph.* Ἀβραὰμ πρὶν γένος ἔσχεν ἐγὼ πέλον. *Abraam antequam genus habuit*, aut *genitus eſſet*, *ego ſum.* Neque aliter Latini hunc locum intellexerunt. Tertullianus eorum antiquiſſimus, id expreſſit hoc ſimpliciſſimo modo *Ante Abraham ego ſum.* Benedictus Arias Montanus ita quidem reddit in textu interlineari, ut dicit Volkelius, ſed tamen habet in margine *antequam fieret*, ex V. V. utpote quæ ſenſum magis quam verba exprimat: & τὸ *fieri* Abraha-

mi

mi ad ejus primordia exiſtendi omninò ſpectat. Nec diffitetur Volkelius verbum γενέσθαι, poſſe hic reddi, per *eſſet*, vel *erat*, vel *fuiſſet*, vel *fieret*: Neque poteſt negare primariam & maximè ordinariam ſignificationem aoriſti eſſe præteriti, licet quandoque per enallagen trahatur ad præſens aut futurum: Hic autem non poſſe habere rationem præſentis ſubjunctivi, *quod in futurum reſpiciat*, tum res ipſa loquitur, quod Abraham jam diu denatus non amplius eſſet in fieri, tum loca ſimilia ſatis oſtendunt: Sic dicitur Ioh. 1, 49. πρὸ τοῦ σε Φίλιππον φωνῆσαι, *priuſquam Philippus te vocaret, cùm eſſes ſub ficu vidi te*: Sic Act. VII, 2. *Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ cùm eſſet in Meſopotamia*, πρὶν ἢ κατοικῆσαι, *priuſquam commoraretur* vel *habitaret in Charran*: Fallit autem regula quam hîc ponit adverſarius de aoriſto γενέσθαι reddendo *per præſens, ſi verbum cui adhæret fuerit temporis præſentis*, vel *per præteritum imperfectum*, ſi illud verbum *præteriti temporis fuerit*. Hanc regulam eſſe falſam, patet ex loco quem mox citabit adverſarius Ioh. XIV, 29. καὶ νῦν εἴρηκα ὑμῖν πρὶν γενέσθαι, ubi verbum quo cum jungitur eſt temporis præteriti, & tamen redditur per præſens quod reſpicit in futurum, *Et nunc dixi vobis priuſquam fiat*. Quid quòd fallit etiam hæc regula in textu nunc controverſo: Nam duo verba præterita præceſſerunt: Siquidem commate 57. dicitur *nondum es natus annos quinquaginta*, καὶ Ἀβραὰμ ἑώρακας? & com. 58. εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, *dixit illis Ieſus, Amen, amen dico vobis, priuſquam Abraham fieret ego ſum*. Præſertim ad hanc rem extat locus eximius Mat. II, 2. *Vidimus enim ejus ſtellam*, καὶ ἤλθομεν προσκυνῆσαι αὐτῷ. Hîc ſanè duo verba præcedentia ſunt præteriti temporis, aoriſtus tamen habet ſignificationem cum reſpectu ad futurum: Sexcenta iſtius generis poſſent ex Scripturis obſervari. Et revera non ex habitudine præcedentis aut ſequentis verbi, ſed ex conſideratione contextus & circumſtantiarum, de aoriſtorum aut ſignificatione ordinaria, aut enallage, judicandum eſt. Et cùm in narratione Euangelica, præteritum *dixit* præceſſerit, quo argumento, potius ex præſenti *dico* quod ſequitur, quàm ex illo præterito, de ſignificatione τοῦ γενέσθαι, pronunciabitur? Nam ſæpe Chriſtus etiam illo præſenti *dico*, cum aſſeveratione, utitur ad præteritum enarrandum, ut nominatim Matt. XIII, 17. Aliquando ad futurum denotandum, ut Ioh. XVI, 20. Nec plus eò facit præſens εἰμί ſive *ſum* quod ſequitur, cum etiam illud aliquando præteritum involvat aut in præteritum reſpiciat, ut Ioh. XIV, 9, XV, 27. Heb. XIII, 8. Hæc moneo ad hominem, reſpectu illius regulæ quam hîc pro ſuo arbitrio fabricantur hæretici, nulli hactenus Interpretum obſervatæ, & nullius Grammatici celebris authoritate ſuffultæ.

Eam autem verbi γενέσθαι naturam eſſe, quam diximus, ex duobus ſimilibus ejuſdem Ioannis teſtimoniis perſpicuum eſt, in quibus vel ob verbi præſentis anteceſſionem, vel propterea, quòd rem futuram manifeſtè ſignificet, vetus
486. interpres non *fieret*, ſed *fiat*, (ita nimirum, ut hoc ipſum verbum, quantumvis præſens, in futurum reſpiciat) illud vertit. Prior locus extat cap. 13. (℣ 19.) ubi ait Chriſtus: *A modò dico vobis, priuſquam fiat*, (in Græco eſt πρὸ τοῦ γενέσθαι) *ut, cùm factum fuerit, credatis quod ego ſum*. Poſterius extat cap. 14. (℣ 29.) ubi idem Chriſtus ait: *Et nunc dixi vobis, priuſquam fiat*, (Græcè πρὶν γενέσθαι) *ut, cùm factum fuerit, credatis*.

Digitized by Google

‡ *Eam autem verbi*] Horum locorum neuter favet adverſario: Nam Joh. XIII, 19. Chriſtus ſatis oſtendit ſe loqui de re in fieri, cùm addat, *ut cùm factum fuerit credatis quia ego ſum.* Adhæc ibi τὸ ἀπ' ἄρτι, *à modo*, opponitur palam τῷ πρὸ τοῦ γενέσθαι, præſens futuro, quod in loco de quo agimus non poteſt obtinere. Ex Ioh. XIV, 29. ſuprà evertimus regulam adverſarii, quod hic πρὶν γενέσθαι, quod futurum ſpectat jungatur cum præterito εἴρηκα, adeoque juxta axioma Volkelianum præteritum deberet ſignificare non futurum. Et quod hîc enallage ſit admittenda aoriſti ſive præteriti pro futuro, patet ex eadem formula ἵνα ὅταν γένηται πιστεύσητε, non verò poſſet aliàs colligi ex ipſo vocabulo γενέσθαι, cujus propria ſignificatio eſt præteriti, non futuri.

Quare verba illa Chriſti, de quibus diſputamus, hoc modo ſunt convertenda: *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fiat, ego ſum.* quo loco **verba illa *ego ſum* idem valere**, quod ego ſum lux mundi, vel Meſſias, ex collatione ſimilium locorum, quæ apud eundem Ioannem, tum hoc ipſo cap. 8. (*Johan.* 8, ỳ 12. 24. 25. 28.) tum alibi (*cap.* 13, 19.) extant, apparet.

‡ *Quare verba illa*]. Abſurditas hujus interpretationis vel inde apparet, quod quadruplici ad minimum violentiâ laboret. Primò enim citra ullum argumentũ ex ipſo textu vel ex rei natura deſumptũ, enallagem fingit temporis in vocabulo γενέσθαι, juxta quam aoriſtum, quod in ſe eſt temporis præteriti, ſed indefiniti, ponatur pro futuro. Secundò ellipſim fingit in illa particula *Ego ſum*, ac ſi ſubintelligendum veniat *ſupple Lux mundi*; cùm tamen τὸ *ſum* abſolutè poſitum, ut hic, de abſoluta exiſtentia ſumi debeat, non de reſtricta & qualitativa. Qui dicit abſolutè *Alexandrum eſſe*, aliud ſanè dicit, quam qui dicit Alexandrum eſſe victorem Darii, vel Aſiæ domitorem. Tertiò in iſtis verbis πρὶν ἀβραὰμ γενέσθαι, quæ vult reddi *priuſquã Abraham fiat*, aliã adhuc ellipſim mandat concipi, æquè durã, violentã, atheologã, quæ his verbis exprimatur, *Supple Pater Gentium.* Quartò aſſerit gratis, quod illud πρὶν ἀβραὰμ γενέσθαι pertineat ad *dico vobis*, ut notetur tempus quo Chriſtus dicebat ſe eſſe lucem mundi, non ad *ego ſum*, ut fiat oppoſitio inter τὸ γενέσθαι Abrahami, & τὸ εἶναι Chriſti. Hæc verò omnia ſi liceant in una Scripturæ pericopa, in qua cæteroquin omnia plana ſunt & obvia, quid amplius ſupererit ſacrum & inviolabile in ſacris literis; aut quis non faciet facile quodlibet ex quolibet, ſi fas ipſi fuerit ita graſſari in ſacro textu corrumpendo & detorquendo? Eſt verò hîc effrenis planè ac intoleranda imprudentia hæretici, quâ primam illam ſuam ellipſim vult infarcire textui: Quid enim ſtolidius, quam inde colligere, illud *Ego ſum*, idem eſſe quod *Ego ſum lux mundi*, quia antea dixerat Ioh. VIII, 12. ſe mundi lucem eſſe? Nec plus ineſt efficaciæ ad hoc commentum ſtabiliendum in com. 24. 25. 28. Nam 1 in com. 24. poſſet ideo agi, de exiſtentia non abſoluta ſed qualitativa, quod com. 25. de hac non de illa Iudæi Chriſtum interrogarint, ei dicentes, *Tu quis es?* Sed alia eſt ratio *com.* 58. ubi Chriſtus agit de exiſtentia abſoluta, & quod potuerit meritò ab Abrahamo videri & vidiſſe Abrahamum, ut-pote

ut-pote qui jam fuerit & extiterit antequam eſſet & naſceretur Abrahamus. 2. Cùm Chriſtus dicit *com.* 24. *Niſi credideritis quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris*, non neceſſariò ibi debet ſuppleri in *ego ſum*, illud additamentum *Lux mundi*, ſed æquè bene iſtud, *Ego ſum Meſſias*, vel *Ego ſum æternus Dei filius*, vel *Ego ſum qui venturus erat nec alius eſt expectandus*. Prout etiam com. 25. rogatus quis eſſet, reſpondebat ſe eum eſſe quem dixerat à principio ſui curriculi, vel ut textus reddi poſſet, ſe eſſe ipſummet principium omnium rerum. Tum neuter horum verſuum poteſt conferri cum eo de quo diſputamus, in quo agitur de Chriſto comparatè ad Abrahamum, & ipſe Chriſtus oſtendit non poſſe ſibi vitio verti quod viderit Abrahamum, & ab eo videri potuerit, ut-pote cùm extiterit ante illum natum & editum in rerum natura. Ioh. XIII, 19. agebatur de ipſo Chriſto qualificando, hoc eſt de ejus conditione & qualitate agnoſcenda, idque à poſteriori ex complemento prædictionum ſuarum, non verò de abſoluta ipſius exiſtentia, ut cùm illius duratio confertur cum natalibus Abrahami; adeoque ibi, cum dicit *ut cùm factum fuerit credatis quia ego ſum*, ibi ſupplendum veniat, ſummus ille Propheta miſſus à Deo, Servator mundi & Filius Dei.

Ex quo haud difficulter intelligitur, verba *Antequam Abraham fiat*, non cum illis *ego ſum*, ut adverſariorum ſententia poſtulat, ſed cum iſtis *dico vobis*, propriè cohærere: ac porrò nomen *Abraham*, non ipſam Abrahami perſonam denotare, ſed id, quod nomen illud tum origine ſua, tum voluntate ejus, qui id Abrahamo impoſuit, inſpectâ ſignificat, nempe *patrem multarum Gentium*, uti Moſes docet: (*Gen.* 17, 5.) Pater verò multarum Gentium non antea verè extitit, quàm Evangelio ad Gentes extraneas tranſlato, eæ ad fidem perducerentur, & ſic ſpirituales Abrahami filii evaderent, quemadmodum Paulus docet. (*Rom.* 4, 11. *& d. uſque ad* 11. *conf. etiam cap* 9. 7. 8. *& Gal.* 3, 7. 19. 20. *c.* 4, 28. *& d. conf. cum præced.* ꝟ 22. *& d.*) Id verò quia cum ſummo Iudæorum detrimento, h. e. cum eorum rejectione futurum erat conjunctum, ideò Chriſtus eos, Abrabami nomine fruſtra gloriantes, monet, iiſque, antequam illud fiat, prædicit, ſe eſſe lucem mundi ſive Meſſiam; ut, quando adhuc liceat, in ipſum credant, & ſic ſupplicium, quod iis impendebat, effugiant.

‡ *Ex quo haud difficulter*] Sed tota ratio contextus clamat fieri oppoſitionem inter τὸ γενέσθαι Patriarchæ & τὸ εἶναι Chriſti, ut hoc illo prius & antiquius ſtatuatur: non verò denotari tempus quo Chriſtus loquebatur, quaſi inſinuet aliquid poſtmodum ſequuturum, ex quo Abraham fieri intelligeretur. Æquè abſurda ſunt quæ hic finguntur de voce *Abrahami*, ac ſi non *ipſam Abrahami perſonam denotet*, ſed id quod *nomen illud ſignificat, nempe patrem multarum gentium*, Gen XVII, 5 Nam tota ſeries ſermonis demonſtrat agi de perſona Abrahami; & niſi de illa loquatur Chriſtus, debet ergo fingi aliud ſubjectum quod præconio Evangelii eſſet evaſurum in patrem multarum gentium: Et nullo uſu

Sacræ

Digitized by Google

Sacræ Scripturæ poteſt comprobari, quod tum dicatur Abraham factus fuiſſe, vel γινέσθαι, cùm Gentiles ad Chriſti Euangelium ſunt traducti. Nec ſi ad promiſſionem factam Patriarchæ, cùm ex Abramo factus eſſet Abrahamus, pertinet quoque vocatio Gentilium, qui verâ fide Chriſtum ſuſcipiendo, & fidem Patriarchæ ſectando, ejuſque veſtigiis inſiſtendo, inſiti ſunt in Abrahæ familiam, & ejus filiis ſpiritualibus annumerati, quò faciunt loca Paulina hic operosè citata, inde tamen ſequitur, vel poſſe dici tum *fieri Abrahamum*, cùm Gentiles convertuntur ad Chriſtum, quaſi uſque & uſque ſit Abraham *in fieri*, & nondum *in facto* eſſe, quod quotidie Deus ex gentilibus aggreget ſuæ Eccleſiæ qui ſalvi fiant, & tandem deportentur in ſinum Abrahæ; vel negari Abrahamum fuiſſe & dici potuiſſe patrem multarum gentium, tum phyſicè, reſpectu populorum qui ex illius lumbis & poſteris fuerunt propagati, tum myſticè reſpectu multitudinis credentium, qui ejus fidei inſtiterunt, tam ex Iſraelitis quam ex proſelytis uſque ad Chriſti adventum: Id enim dum negat Volkelius, & imperterritè ſtatuit *non antea verè* fuiſſe Abrahamum patrem multarum gentium, quam Euangelium ad gentes extraneas transferretur, loquitur non ſolum abſque Scriptura & ratione, ſed etiam adverſus lumen evidens utriuſque. Eſt quoque falſiſſimum quod Abraham non potuerit fieri vel conſtitui pater multarum gentium *niſi cum ſummo Iudæorum detrimento*: cùm extenſio paternitatis iſtius myſticæ ad Gentiles, ab ea non excludat omnes Abrahami poſteros ſecundùm carnem, qui unà fidei iſtius preſſerunt veſtigia; ſed ex æquo dicatur pater credentium in præputio & pater circumciſionis, Rom. IV, 11. 12. Ut nemo non videat, quam longè petita ſit, quam intricata, quam aliena à verbis & mente Chriſti, hæc Sociniana explicatio; quam item abſurda ſint quæ hic fingit Adverſarius de conſilio Servatoris, Judæos *Abrahami nomine fruſtra gloriantes* præmonentis, & *antequam illud fiat* prædicentis, *ſe eſſe Lucem mundi ſive Meſſiam, ut quando adhuc liceat, in ipſum credant, & ſic ſupplicium quod iis impendebat effugiant.* Si enim eò Chriſtus collimaſſet, utique hanc admonitionem & prædictionem expreſſiſſet ejuſmodi terminis, qui potuiſſent ab ipſis intelligi: prout occaſione ita ferente Judæis dixit in os ſuam domum everſum iri, & ipſis rejectis, aliis agricolis ſuam vineam elocatum. Verùm cùm nec de vocatione Gentium aut rejectione Judæorum hîc agat, ſed tantùm de ſui collatione quantum ad ætatem & durationem cum Abrahamo, & impoſſibile fuerit Judæis ex illis verbis Chriſti eum ſenſum exſculpere, quem nemo hîc ſomniavit ante Socinum, non eſt quod tam abſurdis conceptibus locus ullus ſuperſit apud homines qui ſuo & ſano judicio uti voluerint.

Neque eſt, quòd, ſi iſta interpretatio retineatur, parùm appoſitè reſpondiſſe videatur Dominus Judæorum objectioni, quæ hæc eſt: *Quinquaginta annos nondum natus es, & Abrahamum vidiſti?* Neque enim hanc eorum objectionem reſponſione dignam judicabat; utpote quæ nec quicquam ad rem pertinebat, nec cum vero conjuncta erat. Ea enim Dominum dicentem faciebat, quæ non dixerat, videlicet, ſe Abrahamum vidiſſe: cum tantummodò diem ſuum ab Abrahamo viſum fuiſſe affirmaſſet. Multò igitur conducibilius,

Digitized by Google

ducibilius, & ſuâ perſonâ dignius putavit Dominus, ad illud redire, de quo inter ipſum & Iudæos orta erat diſputatio, videlicet, an ipſe eſſet lux mundi, & ita ex Abrahami mentione ab illis facta commodiorem arripere occaſionem, non ſolum ejuſdem rei denuò confirmandæ, verum etiam Iudæos interim acriter reprehendendi, & præmonendi, ut antequam multorum gentium pater, & ſic Abraham reipſa fieret, ipſique porrò cœleſti regno excluderentur, Chriſtum ſeſe eſſe crederent.

‡ *Neque eſt quod*] Chriſtum noluiſſe reſpondere objectioni Judæorum, tam gratis fingitur, quam falsò ſupponitur nihil dixiſſe Dominum quod ei objectioni occaſionem dediſſet: Etenim dixerat com. 56. *Abrahamus pater ille veſter geſtivit videre diem iſtum meum & vidit & gavi ſus eſt:* Quod cùm de viſione phyſica & oculari non myſtica & fidei perperam intelligerent, inde hoc ſuppoſito meritò colligebant Chriſtum de ſe profiteri quod Abrahamum vidiſſet, cùm ita ab Abrahamo videri non potuerit quin unà ipſe viderit Abrahamum. Igitur etſi non dixerat Chriſtus *ſe Abrahamum vidiſse*, tamen id dixerat, ex quo id omninò ſequebatur, ſi ita viſum ſe dixiſſet ab Abrahamo, ut à Judæis ſumebatur. Quamvis igitur hanc objectionem ſibi formaverint non expreſsè ex iis quæ dixerat Chriſtus, ſed ex iis quæ ipſum dixiſſe perperam arbitrabantur, nihilominus voluit illi objectioni reſpondere, & iſtos homines hac occaſione altiùs deducere in notitiam veritatis.

Multò igitur] Imò verò hîc omninò requirebatur, ut de ſe eos doceret, quod ceu abſurdiſſimum rejiciebant, & quo admiſſo facilè intellexiſſent ſe eſſe lucem mundi & filium Dei. Nec poteſt ibi acris fingi reprehenſio & præmonitio, ubi verba reprehenſiva aut præmonentia à nemine poſſunt intelligi.

487. Neque novum eſt, Chriſtum ſtultis, ſecundùm ipſorum ſtultitiam, ut eſt apud Solomonem (*Prov.* 26, 4.) minimè reſpondere. Nam & infrà apud eundem Joannem (*Joh* 12, 34.) turbæ quærenti, quomodo Chriſtus exaltandus eſſet, cùm eum in æternum manſurum ex Lege didiciſſent, & quis filius ille hominis eſſet, nihil planè ad id reſpondet; quamvis multò, quàm hîc Judæi, ad rem, qua de agebatur, accommodatiùs videantur interrogaſſe: ſed inſtitutum retinens, eos admonet, ut ambulent in luce, inque eam credant, dum eam habent: quemadmodum etiam hoc noſtro loco, ſi explicatio noſtra recipiatur, monet.

‡ *Neque novum eſt*] Non diffiteor Chriſtum nonnunquam abducere ſuos auditores, à ſenſibili & eorum ſenſu craſſo & phyſico, ad intelligibile & ſenſum moralem & myſticum; ſed hîc nulli ſenſui myſtico locus eſt, & nulla in textu circumſtantia quæ eò nos deducat. Nec debuit Chriſtus parabolicè loqui & planè inintelligibiliter, ſi volebat acriter reprehendere ſuos auditores & ſimul eos præmonere ſui officii. Quare reſpondit hîc ſtultis non juxta eorum ſtultitiam, ſed juxta ſuipſius ſapientiam.

Nam & infra] Falſum eſt quod ſupponit

Digitized by Google

ponit Volkelius Chriſtum hic *nihil* reſpondere ad id quod moverant turbæ Joh. XII, 34. Nam hæc illæ movebant: *Nos audivimus ex lege Chriſtum manere in æternum quomodo ergo tu dicis oportere tolli Filium hominis? Quis eſt ille filius hominis?* Ubi duplex erat ſcrupulus; alter quomodo tolli poſſet, qui debebat in æternum manere, alter quomodo Jeſus de ſe dicendo quod tolli debeat ſit Meſſias, quaſi iſte filius hominis à Meſſia ſit diſtinguendus. Utrique ſcrupulo autem reſpondet Dominus verbis ſequentibus com. 35. & 36. *Adhuc parvo tempore lux vobiſcum eſt: ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ deprehendant: nam qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat; Dum lucem habetis credite in lucem, ut lucis filii fiatis:* Quibus verbis parænetice propoſitis ſolvit utrumque ſcrupulum: Nam ſe filium hominis eò probat eſſe Chriſtum, quod ſit *Lux* mundi: probat verò ita ſe tollendum & attollendum brevi, ut auferat quidem Judæis ſuam præſentiam, nonniſi parvo adhuc tempore continuandam, non tamen ut deſinat eſſe aut permanere in æternum. Et cùm Dominus ibi parænetice loquatur, non item in loco de quo diſputamus, qui ſimpliciter eſt aſſertivus, abſurdiſſimè hæc verba Chriſti, *Antequam Abraham eſſet ego ſum*, ſtatues idem ſonare ac ſi dixiſſet, Ego ſum lux mundi, priuſquam gentes vocentur, (quaſi tunc Lux mundi eſſe deſiturus ſit) igitur in me credite, & ambulate in luce, dum lucem habetis. Hoc eſt profanè illudere Dei Verbo, non verò Chriſtianè & religioſè illud interpretari.

Habes & alia apud eundem Ioannem loca, ubi Chriſtus ad interrogata aut dicta aliorum, licet bono animo prolata, ſed quæ ipſe pro ſua ſapientia reſponſione directâ putavit indigna, aut parum digna quibus immoraretur, directè nihil reſpondet. vid. inter alia cap. 4, 10. 16. 32. 34: cap. 12, 23: 14, 24. Interdum autem verba, vel à ſe, vel ab aliis primum prolata, à vulgari ac proprio ſenſu ad improprium, reſpondens deflectit, ut patet ex d. l. Ioh. 4, 10. 13. 32. 34. 35: cap. 6, 27. 35: cap. 8, 39.

‡ *Habes & alia*] Nulla horum exemplorum huc accommodari poſſunt: Iohan. IV, 9. 10. ſatis apertè reſpondet Samaritanæ, dubitanti qui vellet homo Judæus, qualem eum ſuſpicabatur, aquam petere à ſe quæ Samaritana erat. Docet enim de ſe aliter omninò judicandum quam de gregariis Judæis, & ſtudet eam attollere gradatim in ſui notitiam; *Si noſſes illud Dei donum & quis ſit ille qui tibi dicit &c.* An hoc eſt nihil directè reſpondere ad mulieris quæſtionem? Joh IV, 13. Chriſtus aquam ſpiritualem de qua loquutus fuerat, multum præfert ei aquæ ſenſibili quam tantopere laudabat Samaritana, & eo ipſo quod illius ſe largitorem profiteatur, indicabat ſe multo majorem eſſe Iacobo à quo illum puteum habuerant; quod ipſa interrogaverat: Ioh. IV, 32. 33. 34. ita abducit cogitationem ſuorum diſcipulorum à cibo ſenſibili ad myſticum, ut tamen quis iſte ſit palam explicet, dicendo *Eſca mea eſt exequi voluntatem eius qui miſit me.* Quod ſi voluiſſet hic derepentè tranſire ab Abrahami perſona, de qua omnis ſermo ei fuerat hactenus cum Iudæis, (etenim tum hi tum ille euſque de eodem Abrahamo loquuti fuerant, cùm Ioh. IV. de alia plane aqua & eſca loquerentur Samaritana mulier & ipſius diſcipuli, quam ipſe) ad neſcio quem Abrahamum ima-

 gina-

ginarium & myſticum, nuſquam aliàs in Scripturis commemoratum, ſaltem aperuiſſet diſtinctiùs, quis eſſet ille Abraham adhuc in fieri, quem ἀπὸ μηχανῆς priore ſuo ſermone relicto in ſcenam induceret, ut Samaritanæ & diſcipulis reſſpectivè explicat quam eſcam & aquam ipſe intelligeret. Ioh. XII, 23. cùm de Græcorũ quorundam eum videre geſtientium deſiderio relatũ eſſet ad Chriſtum, ipſe appoſitiſſimè monet, *Venit hora illa glorificandi filii hominis* &c. quaſi in iſto Græcorum & peregrinorum deſiderio, παρασκευὴ quædam eſſet ad imminentem ſui glorificationem, per quam inter gentes exteras futurum eſſet ſuum nomen celebre & glorioſum. Ne dicam nullam hic legi interrogationem, ad quam Chriſtus debuerit reſpondere, ſed meram relationem, ex cujus occaſione in hæc verba erupit. Ioh. XIV, 23. directè reſpondet ad quæſtionem ſibi factam, cur dixerit ſe exhibiturum cognoſcendum ſuis non mundo, quod videlicet hoc debeat eſſe privilegium eorum qui ſe diligunt & ſermonem ſuum ſervant, ut Pater & ipſe ad illos veniant & habitent apud eos.

Interdum autem] Fateor Chriſtum interdum tranſire à ſenſu proprio ad figuratum; Sed 1. quæritur num id faciat hoc loco. 2. Nullum mihi dabitur exemplum talis tranſitionis repentinæ ad ſenſum figuratum, in ſermone diutiſſimè inter ſe & alios continuato in ſenſu proprio: Imò nullum in quo ipſe & alii priuſquam loqueretur eodem ſenſu idem verbum uſurparint. Ioh. IV, 7. 10. 13. alium potum petebat à Samaritana quam aquæ ſenſibilis, nam ſitiebat illius ſalutem: & occaſione illius aquæ quam mulier venerat hauſtum, eam ſtudet traducere ad aquam ſpiritualem & myſticam. Sic ejuſd. cap. com. 32. 34. alium omninò cibum intelligit & proponit diſertè ſuis diſcipulis ab eo ſenſibili quem illi apponebant: & com. 35. occaſione alicujus ſermonis de meſſe adhuc remota inter ipſos diſcipulos commutati, eos attollit ad meſſem illam ſpiritualem, cujus jam primitiæ quædam in Samaritanorum converſione apparebant. Ioh. VI, 27. opponit diſertè cibo pereunti, cui turbæ inhiabant, eum qui manet in vitam æternam, id eſt revera cibo ventris, cibum mentis, qui & *panis vitæ* dicitur com. 35. & per fidem in Chriſtum ſpiritualem eſuriem & ſitim ſedare ſtatuitur. Sed quid hoc ad Abrahamum illum allegoricum quem hîc adverſarii comminiſcuntur? Ioh. VIII, 39. oſtendit Iudæos quos alloquebatur jactantes Abrahamum eſſe ſuum patrem, revera non eſſe filios Abrahami veros & genuinos, quod ab illius fide & operibus tam procul abeſſent: Utrobique ſanè idem Abraham intelligitur, licet Chriſtus agat de filiatione myſtica, cùm alii de phyſica loquerentur. Verùm cum iſte ſermo de Abrahamo ultro citroque ita diu continuaverit inter Chriſtum & Iudæos, ut & illi & ipſe ſemper eodem ſenſu, nempe proprio non figurato, Abrahamum ſumpſerint, com. 33. 37. 39 40 52. 53. 56. 57. ridicule fingeretur Dominus in ultima concluſione ſermonis tranſiiſſe à ſenſu proprio & literali hujus vocis, ad eum ſenſum myſticum, ſpiritualem & allegoricum, qui nec ex uſu Scripturæ, nec ex ulla ſermonis iſtius circumſtantia, colligi poſſit. Maximè cùm credibile ſit eum loquendo Syriacè non Græcè, ita dixiſſe ut Syrus effert, *Amen dico vobis quod nondum erat Abraham, ego eram.* Nec aliter intellexerunt Iudæi, qui ideo eum ac ſi blaſphemiæ reus eſſet, æternitatem ſibi tribuendo, lapidare tentarunt.

Nunc videamus, an ex eo, quod ante mundum conditum Chriſtus apud Patrem

Digitized by Google

Patrem gloriam habuit, (*Ioh.* 17, 5.) efficiatur, ipſum Chriſtum tunc revera extitiſſe. Dicimus igitur, longè ſecùs ſeſe rem habere: cum Chriſtus, quamvis ante conditum mundum minimè exiſtens, apud Patrem gloriam, ſibi nempe prædeſtinatam, non ſolum habere potuerit, ſed planè etiam habuerit. Nam & nobis ante tempora æterna gratiam datam fuiſſe, (2. *Tim.* 1, 9.) Deumque in Chriſto nos ante conditum mundum elegiſſe & amaſſe, (*Epheſ.* 1, 4.) ſacra volumina teſtantur: cum tamen ante mundi fabricationem non fuerimus.

‡ *Nunc videamus*] Hanc gloriam tanto potiori jure repetit Chriſtus Ioh. XVII, 5. quod eam habuerit apud Patrem priuſquam mundus fieret: habuit enim eam apud Patrem eodem modo quo dicitur fuiſſe in principio apud Deum Ioh. 1, 1. Quare non potuit eam habere & poſſidere, quin actu exiſteret. Poſſeſſio enim ſupponit poſſeſſorem: nec poſſet quis dici habuiſſe ac poſſediſſe olim aliquid quod demum poſtea habiturus & poſſeſſurus eſt.

Dicimus igitur] Sed quam abſurdè id dicatis facilè oſtendimus: Etenim is cui aliquid prædeſtinatione divinâ decretum eſt, idipſum certò eſt habiturus; ſed jam illud habuiſſe ab æterno, & priuſquam actu exiſteret, dici nequit. Et nullum unquam proferent hæretici teſtimonium Scripturæ in quo dicantur fideles habuiſſe & poſſediſſe ante jacta mundi fundamenta gloriam æternam & regnum cœlorum, quod illis à jactis mundi fundamentis præparatum eſt. Nec favent commento ridiculo loca duo quæ hîc citantur à Volkelio. Quod enim 2. Tim. 1, 9. dicitur gratia nobis data fuiſſe ante tempora ſæcularia, eum non juvat; nam aliud eſt aliquid nobis datum fuiſſe ab æterno ex donatoris arbitrio & conſilio, aliud nos ab æterno id quod nobis jam deſtinatum erat habuiſſe: Nec ſtatim donatarius habet, aut habere dici poteſt, quicquid jam antea ei datum eſt ab alio, ut apparet in hæreditatibus & legatis, jam datis cum obſignabatur Teſtamentum, licet nec hæres adeat hæreditatem ante tabulas Teſtamenti reſignatas, nec legatarii quicquam conſequantur priuſquam hæres ſcriptus hæreditatem adierit. Imò poteſt aliquis eſſe donatarius vel legatarius, qui nondum eſt in rerum natura, ut poſthumus; ſed rem donatam habere & poſſidere, priuſquam natus ſit, propriè dici non poteſt. At de Chriſto non ſolùm dicitur illi datam eſſe gloriam quam repetit ante jacta mundi fundamenta Johan. XVII, 24. ſed quod de facto eam habuerit & poſſederit apud Patrem ab æterno Joh. XVII, 5. adeoque priuſquam ex B Virgine naſceretur & carnem noſtram indueret. Multo minus eſt præſidii in altero loco Eph. 1, 4. Nam eligi & amari à Deo ad gloriam potuerunt ab æterno, qui non aliam haberent exiſtentiam quam objectivam in mente divina: Sed nuſquam dicuntur illi electi & dilecti à Deo, ab æterno vel à jactis mundi fundamentis habuiſſe & poſſediſſe regnum cœlorum, ipſis ex illa electione Dei benevola & gratuita deſtinatum, cùm illud non ſint plenè habituri vel poſſeſſuri ante conſummationem ſæculi.

Habuiſſe autem tunc Chriſtum gloriam apud Patrem, non reipſa ſibi datam, ſed divino conſilio ſibi deſignatam, ex ipſius precatione, quâ ad Patrem utitur,

tur, clariſſimè patet. Si enim eam ante conditum mundum revera habuit, ſemper habuit, nec unquam eâ ſpoliari potuit, ut à Patre eam denuò petere neceſſe haberet. Ut interim taceam, in altiſſimum ſempiternumque Deum, quem Chriſtum eſſe volunt, nequaquam convenire, ut alicui pro gloria ſibi danda ſupplicet. Si dicas, ſecundùm humanitatis ſuæ rationem Deo ſupplicaſſe; jam habemus, quod quærebamus, videlicet hominem Chriſtum Jeſum, qui ante mundi conſtitutionem nequaquam reipſa apud Patrem fuit, habuiſſe gloriam iſtam apud Patrem, hocque in loco, ut ipſo effectu ſibi detur, Patrem orare. Quod animadvertentes nonnulli ſac. literarum interpretes, haud poſtremi inter adverſarios nominis, idem quod nos, de his Chriſti verbis ſenſerunt. Ex quibus eſt Auguſtinus, in quo quantum ponant adverſarii, nemo ignorat, & Wolffgangus Muſculus, homo inter
488. Trinitarios haud poſtremo loco habendus, ideoque hac in parte minimè ſuſpectus.

† *Habuiſſe autem tunc*] Argumentum à *precatione* Chriſti deſumptum, neutrâ parte ſtringit. Nam priorem inſtantiam quod attinet, non petit illam gloriam, quaſi eâ ad tempus *ſpoliatus* fuerit, aut *ſemper* eam non habuerit; fuit enim ſemper Dominus gloriæ, etiam in ipſa cruce 1. Cor. 11, 8. Joh 1, 14. Sed quod cum eam ad tempus depoſuiſſe videretur, aſſumptâ formâ ſervi ad peragendam noſtram Redemptionem Phil 11, 6.7. eam velut porrò poſſidere extra omnem exinanitionem illam œconomicam, qua Rex licet hominum & Angelorum, Angelis tamen paullò minor factus fuerat ut poſſet mortem pati pro nobis, evectâ inſuper illâ ſua carne, in qua ad tempus tam contemptibilis apparuerat, ad illius gloriæ participium & conſortium. Altera inſtantia etiam facilè tollitur, cùm Chriſtus in ejuſmodi precationibus ad Patrem, conſiderandus ſit œconomicè non merè Theologicè, ut Veteres amant loqui, id eſt quà Mediator & θεάνθρωπος, non præciſè quà λόγος: Nam illius mediationis ergo, eò proceſſerat exinanitionis, ut non quidem privaretur ſuâ gloriâ, ſed ea videretur quadantenus reprimi, occultari, & quandam quaſi obtenebrationem pati ſub velo carnis noſtræ & miſeriarum quibus ſe ſubjiciebat.

Si dicas, ſecundum] Neque hæc poſtrema objectiuncula multum urget: Nam etſi dixero petere Chriſtum hanc gloriam ſuæ humanitati, conſequenter ad unionem illius hypoſtaticam, ex qua erat neceſſariò evehenda ad conſortium & participium pro ſuo captu gloriæ illius æternæ, quam habuerat apud Patrem ante mundi creationem quà Deus, ipſi coeſſentialis & coæternus, id omninò nec juvabit cauſam adverſarii, nec meæ oberit. Cùm ſufficiat illum actu habuiſſe quà Dei filium hanc gloriam ab æterno, quam petit ſibi conferri quoque quà homini in unitate perſonæ, poſt abſolutum opus redemptionis noſtræ.

Quod animadvertentes] Fateor Auguſtinum hunc locum trahere ad prædeſtinatam gloriam humanitati Chriſti; ſed tamen *ibidem* ſatis apertè docet, quod non ſapit palato Volkeliano, Chriſtum quà Deum ab æterno illam gloriam obtinuiſſe & poſſediſſe: & quia Volkelius hic voluit Auguſtino Muſculum conjungere, haud

haud pigebit Muſculi verba deſcribere ex quibus pateat illi fieri injuriam ab hæreticis, eumque nihil habere quod illorum cauſæ patrocinetur. Sic itaque loquitur *ad illum Ioh. locum, obſ.* 6. poſt recitatum Chriſti dictum: *Et hic locus contra Arianos diligenter eſt obſervandus; licet enim loquatur hic de glorificatione hominis in forma ſervi aſſumpti, idem tamen Chriſtus quatenus Verbum Dei eſt, quod erat in principio apud Deum & Deus erat, Deo Patri eſſentialis & gloriâ æqualis, antequam mundus fieret extitit; qui ſe poſtea ubi plenitudo temporis venit, ſecundùm Apoſtolum Phil* 2. *exinanivit, & formam ſervi homo factus accepit, & Patri obediens factus eſt uſque ad mortem, mortem videlicet crucis, poſt quam obedientiam exaltatus à Patre & ad dextram illius Dominus omnium quæ in cœlo ſunt & in terra collocatus eſt.* An his in verbis Muſculi jota unum reperiet Volkelius quod faciat ad rem ſuam? Sed pro eo quod perperam crepat Auguſtinum & Muſculum, agedum reponamus ipſi alios duos, alterum ex Veteribus, alterum ex Neotericis, cujus fide & authoritate plurimum nituntur adverſarii. Prior eſto Nonnus Panopolitanus, qui hunc locum ita παραφράζει:

Καὶ σύ με νῦν κύδαινε τεῇ πατερ ἠθάδι τιμῇ
ἣν προτέρην σοὶ πάρος εἶχον, ὅτε ζαθέῳ σέο μύθῳ
Οὔπω κλιζομένοιο θεμείλια πήγνυτο κόσμου:

Id eſt,

Et tu me nunc glorifica tuo Pater *aſſueto honore,*
Quem apud te antea habebam, quando divino tuo Verbo,
Nondum conditi fundamenta figebantur mundi.

Alter eſto Eraſmus, qui in paraphraſi hujus loci ita habet; *Et nunc, mi Pater, tu viciſſim effice, ut mundus intelligat me totum receptum in eam gloriam quam habebam apud te, priuſquam hic orbis conderetur. Propter corporis imbecillitatem adhuc humiliter de me ſtatuunt homines, de te verò magnificè ſentiunt; Tua gloria ſicut ex ſeſe nec initium habet, nec finem, ita nec creſcere novit, nec decreſcere. Nec hujus corporis aſſumpti imbecillitas imminuit gloriam meam quam ſemper habui, ſemper ex te natus; ſed abs te conditus eſt mundus per me, ut eſſent qui cognoſcerent, mirarentur & amarent potentiam, ſapientiam ac bonitatem tuam,* &c.

Nec eſt, quòd verbum *habendi* alicui ſcrudulum injiciat: cum id apud ſacros ſcriptores non ſemel de iis rebus uſurpetur, quæ licet nondum reipſa poſſideantur ab illis, qui eas dicuntur habere, iis tamen certò ſunt deſtinatæ: quo pacto apud eundem Joannem (*Joh.* 3, 36: 5, 24: 6, 53. 1. *Joh.* 3, 15: 5, 12. 13.) fideles vitam æternam habere, cæteri non habere dicuntur; & alibi in ſac. literis iidem cœleſte domicilium melioremque in cœlo ſubſtantiam habere leguntur, (2. *Cor.* 5, 1. *Heb.* 10, 34.) licet iſta nondum reipſâ fuerint aſſecuti.

‡ *Nec eſt quod*] Imò hoc verbum *habendi*, ejus eſt emphaſeôs, quod notavit etiam jam olim author libri *de Trinit.* qui ſub Tertulliani nomine circumfertur, ſed ab aliis Novatiano, ei coætaneo, tribuitur, ut nullâ ratione poſſint verba Chriſti intelligi de prædeſtinatione divina, ex qua habituri quidem certè ſumus gloriam, ſed dici non poſſumus eam jam habuiſſe ab æterno & priuſquam eſſemus.

Digitized by Google

eſſemus. Et nullus eſt locorum hic conſeſtorum qui admittat aut comprobet ejuſmodi interpretationem. Sanè meritò apud Johannem III, 36. V, 24. dicuntur fideles habere vitam æternam, ubi jam exiſtunt & ſunt fideles; cùm nec fideles forent, aut dici poſſent, dum ſimpliciter eſſent in prædeſtinatione divina: Et illâ ſuâ fide *habent jam* non tantum pignora ſed etiam initia & primordia vitæ æternæ. Joh. VI, 53. eſt manifeſta enallage præſentis pro futuro; negantur enim habituri vitam in ſeipſis qui carnem Chriſti non comederint, & ſanguinem ejus non biberint. Sed in ea loquutione conditionali nihil eſt ſimile aſſertioni abſolutæ Chriſti, quâ dicit ſe habuiſſe eam quam petit gloriam penes Patrem ante jacta mundi fundamenta: Nec aliud eſt in locis I. Joh. III, 15. V, 12. 13. quam quod in prioribus; ubi *habere* vitam æternam dicuntur fideles qui jam ſunt actu fideles, & revera ſunt in quaſi poſſeſſione vitæ æternæ, per illius indubitata pignora & initia; ſed de iis qui nondum actu eſſent & crederent, nuſquam dicitur eos habere vitam æternam, quia non entis nulla ſunt accidentia vel attributa: Sic demum de actu exiſtentibus & credentibus loquitur Paulus 2. Cor. V, I. qui ſciunt & confidunt ſi terreſtris hujus domus ſuæ tabernaculum diſſolutum fuerit, ſe *habituros*, ſic enim benè redditur à *Beza*, ædificium à Deo, domicilium videlicet non manufactum æternum in cœlis: Sed non dicuntur *habuiſſe* id domicilium ante jacta mundi fundamenta vi prædeſtinationis divinæ priuſquam eſſent. Quin etſi præſens retineretur, nihilo amplius foret: Nam revera ſcimus nos hoc domicilium habere nobis præparatum in cœlis ex promiſſione divina; & jus ad illud nobis partum eſt merito Chriſti, & ſumus in via ad ejus poſſeſſionem adeundam. Sic Heb. X, 34. dicuntur pii qui tum erant excepiſſe cum gaudio direptionem bonorum ſuorum, *ut qui ſciretis*, inquit Apoſtolus, *vos habere apud vos*, vel *vobis ipſis*, *potiorem ſubſtantiam in cœlis*. Certè ſupponitur jam fuiſſe qui & hoc ſcirent ſe habere, & hoc ipſum haberent ex ſpe firma promiſſionum divinarum & præſentia Spiritus Sancti in ſuis cordibus; qui inde *arrhabo hæreditatis noſtræ* dicitur Epheſ. I, 14. Et jam cenſemur rem eam *habere*, cujus arrhas & pignora indubitata ſumus conſecuti: Sed nequeunt Sociniani ullum reperire locum in Scriptura in quo fideles dicantur habuiſſe domicilium cœleſte, potiorem ſubſtantiam, vitam æternam, ab æterno & ante jactà mundi fundamenta, eo quod ad iſta prædeſtinati ab æterno fuiſſent. Noſtra quæſtio non eſt, an aliquid poſſimus dici habere, quod tamen nondum plenè & totaliter poſſidemus, ſed an quiſpiam poſſit dici aliquid habuiſſe, qui nondum eſt, & jam habuiſſe ante jacta mundi fundamenta, qui natus eſt demum quater mille annis poſt mundum conditum; & id eſt quod negamus, cùm is debeat eſſe qui habet, & jam habuiſſe dicitur.

Quanquam non ſimpliciter Chriſtus ait, ſe gloriam illam habuiſſe ante conditum mundum, ſed habuiſſe *apud Patrem*; quæ verba aliqua ratione vim vocis *habendi* limitare cenſenda ſunt, & indicare, Chriſtum nondum reipſa atque in ſeipſo gloriam illam habuiſſe, ſed eatenus tantum, quatenus ei fuerit à Patre decreta, & apud ipſum quodammodo depoſita. Unde Auguſtinus perinde eſſe ait, ac ſi dixiſſet Chriſtus: claritatem, quam habui apud te, prædeſtinatione tuâ, jam tempus eſt, ut apud te habeam etiam vivens in dextera

Digitized by Google

in dextera tua. Hunc ſenſum confirmant ea, quæ inferius in eadem precatione à Chriſto dicuntur: (ỳ. 24.) *ut videant gloriam quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* quod quid eſt aliud, quàm ſi dixiſſet, Quia ante mundi conſtitutionem me ſummo beneficio afficere decreviſti, atque adeò gloriam hanc mihi deſtinâſti. Confirmant etiam illa, quibus ſe gloriam à Patre ſibi datam diſcipulis dediſſe ait. (ỳ. 22.) Quæ ſane nec æterni Dei gloria eſſe, nec alia ratione illis dari tunc ab ipſo potuit, quàm deſignatione.

1 *Quanquam non ſimpliciter*]. Verùm hæc particula *apud Patrem*, non pertinet ad modum quo Chriſtus hanc gloriam habuit, ſed ad locum, ſi fas ſit ita loqui, ubi eam habuit: Nam Chriſtum habere gloriam apud Deum, non eſt gloriam habere ſibi in occulto decretam à Deo antequam exiſteret; ſic enim nihil Chriſtus de ſe dixiſſet quod quilibet gregarius fidelis jam moriturus dicere non poſſet; ſed eſt poſſidere cum Deo & in illius ſocietate gloriam ſolidam & æternam: Etenim eodem modo & ſenſu Chriſtus hanc gloriam cenſendus eſt habuiſſe apud Patrem, quo dicitur fuiſſe in principio apud Deum Joh. 1, 1. Quod tamen hactenus Sociniani de Dei decreto & prædeſtinatione interpretari non auſi ſunt. Quin ſi id ad Dei decretum ſit referendum, nunc non cenſebitur Chriſtus eſſe glorioſus apud Deum, quia gloria ipſius non fuerit apud Deum niſi decretivè: jam tamen eſt glorioſus actu, non decretivè tantum. Imò idipſū petit quod antea ſe jam habuiſſe aſſerit: Atqui non petit glorificari tantùm decretivè ſed actu, cùm ait, *Glorifica me Pater apud temetipſum*, ut illud *apud temetipſum* non ſpectet ad decretum Patris, ſed ad illius actuale conſortium in gloria: Ergo neque cenſendus eſt illam gloriam habuiſſe *apud* Patrem priuſquam mundus eſſet per ſolum decretum divinum, ſed per actuale Patris conſortium. De Auguſtini mente dictum eſt ſuprà; & cùm illius authoritati ſtare nolint adverſarii in cauſa principali, non eſt quòd illâ nos urgeant in hoc acceſſorio: circa quod Auguſtinus ſpectando gloriam carnis Chriſti, ad prædeſtinationem recurrit illius reſpectu, ne incidat in eorum errorem qui neſcio quam carnis in divinitatē transfuſionem ſibi hîc imaginabantur: Interea tamen cenſuit Chriſtum quà Deum illam gloriam actu poſſediſſe apud Patrem ab æterno. Nec favent præpoſteræ interpretationi adverſariorum verba com. 24. hujus cap. XVII, quæ citat Volkelius; Nam ſive illud, *ante conſtitutionem mundi*, referatur ad proximè præcedens, *dilexiſti*, ſive pertineat ad remotius, *dediſti*, ſemper id ad noſtram cauſam ſpectabit. Mirum enim non eſt Patrem Filium dilexiſſe ante conſtitutionem mundi, cùm ante conſtitutionem mundi & ab æterno Filius fuerit apud Patrem: Mirum quoque non eſt hanc divinam gloriam, in cujus conſortium noſtra caro in ipſius perſona fuit aſſumpta, ei datam ab æterno à Patre, quoniam per generationem æternam Pater ſimiliter ei *dedit* habere vitam in ſeipſo Joh. v, 26. Hinc igitur patet gloſſam Volkelii eo eſſe abſurdam, quod non de decretiva ſed de actuali dilectione, non de deſtinatione ſed de ipſamet donatione, Chriſti verba veniant intelligenda.

Confirmant etiam] Hæc nova inſtantia ex Joh. XVII, 22. eſt longè abſurdior. Nam primùm ex hypotheſi adverſariorum non poteſt ſtatui Chriſtus hanc

gloriam ſibi datam à Patre *dediſſe* ſuis diſcipulis per actum prædeſtinationis æternæ; ſiquidem negant Chriſtum ab æterno extitiſſe. Deinde ejuſdem ordinis eſt donatio quâ Pater iſtam gloriam dedit Filio, cum ea quâ eam Filius dedit ſuis: Hæc autem eſt donatio actualis, non ſimpliciter prædeſtinata & decreta ab æterno. Nec *deſignatio* aut conſilium vel propoſitum dandi, donatio dici poteſt; & revera jam Chriſtus dederat actu iſtam gloriam ſuis diſcipulis Lucæ XXII, 22. licet eos nondum in rei donatæ poſſeſſionem actualem immiſiſſet. Tertiò Chriſtus ſuos evocat in conſortium ſuæ gloriæ divinæ, non formaliter ſed analogicè, & prout cœlites ipſo Deo frui intelliguntur. Vide Apoc. II, 7. 17. 26. III, 21.

Quòd ſi dixerint, Chriſtum non ſimpliciter ſibi dari gloriam cupiviſſe, cum eam à ſempiternis temporibus haberet, ſed eam illuſtrari, mundoque manifeſtari voluiſſe: idque inde colligi, quia Chriſtus, ut ſe dicit Patrem glorificaſſe in terris, id eſt, ejus virtutem, ſapientiam, ac bonitatem, & voce & factis hominibus patefeciſſe: ita ab eodem Patre petat, ut apud ipſummet glorificetur ſeu manifeſtetur. Reſpondemus igitur, Chriſtum non id petere, ut eodem planè modo à Patre glorificetur, quo ipſe Patrem glorificaverat in terra. Alioqui enim nihil ſequeretur aliud, quàm Chriſtum orare, ut Pater ſibi ipſi ejus gloriam patefaciat; quod adeò eſt abſurdum, ut ſeipſum refellat. Ait enim Chriſtus: *Glorifica me tu, Pater, apud temetipſum ea gloria* &c. Deinde ſi Chriſtus ille Deus altiſſimus fuiſſet, gloriamque à ſempiternis ſeculis reipſa habuiſſet, quid fuiſſet opus Patrem orare, ab eoque precibus impetrare, ut gloriam ipſius mundo patefaceret? an non enim id
489. pro arbitratu ſuo, ſua ipſius virtute potuiſſet efficere? Statuimus igitur, Chriſtum id à Patre ſuo petere, ut ipſum à mortuis excitatum, gloriâ & honore antea decreto reipſâ coronet. Quod eum propter obedientiam uſque ad mortem crucis conſecutum eſſe, compertiſſimum eſt. (*Phil.* 2. 9.)

1 *Quod ſi dixerint*] Etſi non neceſſe ſit eò devenire, tamen poteſt petere Chriſtus manifeſtationem & illuſtrationem ſuæ illius æternæ gloriæ quæ aſſumptione formæ ſervi obſcurata quadantenus fuerat, quomodo gloriam paternam ſtudioſè illuſtraverat & manifeſtaverat.

Reſpondemus igitur] Captio eſt in illa vocula *eodem planè modo*; Nam modus glorificationis poteſt eſſe aliquantillum diverſus, licet glorificatio utrobique ſumatur non pro actuali gloriæ priùs non habitæ collatione; ſed pro gloriæ jam habitæ & debitæ propalatione & manifeſtatione: ut revera Pater toti orbi propalavit qualem gloriam ab æterno Filius apud ſe poſſederit, licet propter mortis perpeſſionem ad tempus paullo minor Angelis factus fuerit Heb. II, 9. eum collocando à dextris ſuis in cœlis & in gloriam aſſumendo 1. Tim. III, 16.

Deinde ſi Chriſtus] Hoc Chriſtus à Patre petere debuit propter œconomicam ſuam exinanitionem, cujus reſpectu & Patre minor voluit eſſe & illi debuit ſupplicare.

Statuimus igitur] Non curamus quid ſtatuatis,

Digitized by Google

tutis, ſed quid probetis: cùm diſertè Chriſtus agat non de gloria ſibi decreta antea, ſed de gloria habita apud Patrē ante conſtitutionem mundi: cui reſtitutus eſt, *conſequenter* ad illam quam præſtiterat *obedientiam ſuo* Patri pro nobis *uſque ad mortem crucis* Phil. II, 9. non meritoriè *propter* illam. Nam illud *διὸ* denotare cauſam conſequentię non conſequentis, & ſuo loco fuſiùs probatum eſt, & liquet ex Luc. XXIV, 26. & I. Pet. I, II.

Porrò Jeſum Chriſtum Iſraëliticum illum populum ex Ægypto eduxiſſe, ii, apud quos vulgata editio Latina ſummam habet autoritatem, D. Judæ teſtimonio comprobare ſolent, quod in editione iſta ita legitur: (*Jud. v.* 5.) *Jeſus populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit.* Verùm cum Judas græcè Epiſtolam ſuam ſcripſerit inque nullo græco exemplo nomen *Ieſu*, *Domini* autem vocabulum in omnibus reperiatur; cumque eadem vox *Domini* ibidem poſita, ad vetera illa tempora reſpiciat, & Deum illum unum Iſraëlis denotet; quid eſt, quod oſtendat, de Chriſto *D.* Judam fuiſſe locutum? Quare nihil inde de Chriſti ante ſuam ex Maria nativitatem, nedum ab omni æternitate exiſtentia, concludi poteſt.

‡ *Porrò Ieſum*] Sanè quod V. V. hoc loco Judæ v. 5. nomen *Ieſu* repoſuit, non eſt factum abſque cauſa; Licet enim Græcus textus habeat ὁ κύριος, meritò id retulit ad Jeſum Chriſtum, de quo commate præcedenti ſermo erat, & quem Judas ibi vocaverat μόνον Θεὸν καὶ δεσπότην τὸν κύριον ἡμῶν, ἰησοῦν χριστὸν. Ideo etiam Æthiops interpres, prout eum ediderunt Johannes Georgius Niſſelius & Theodorus Petræus, Viri Juvenes de iſto genere literaturæ optimè meriti, hoc ipſo loco vulgatum Latinum imitatur, & nomen *Ieſu* habet pro nomine *Domini*. Nec obeſt quod ea vox *ad vetera illa tempora reſpiciat, & Deum illum unum Iſraëlis denotet*: Siquidem certum eſt Jeſum noſtrum, eſſe illum verum Iſraëlis Deum Patri ſuo coeſſentialem & coæternum, qui priſcis illis temporibus eduxit populum ex Ægypto, quod aliis teſtimoniis alibi probatum eſt.

Adfuiſſe porrò Filium Dei populo Iſraëlitico in deſerto, illis Pauli verbis probari exiſtimatur, quibus ait, Petram, ex qua Iſraelitæ in deſerto biberint, eos fuiſſe ſecutam, eamque fuiſſe Chriſtum, (I. *Cor.* 10. 4.) nec non illis: *nè tentemus Chriſtum, ut quidam eorum tentaverunt, & à ſerpentibus perierunt*: (*v.* 9.) Sed neutro iſtorum locorum, id, quod volunt, probatur. Ad priorem enim quod attinet, quivis facilè animadvertere poteſt, petram, illam, ex qua Iſraelitæ biberunt, propriè loquendo Chriſtum nequaquam fuiſſe, ſed figuratè ita appellari: quemadmodum tum ex veteribus ſacræ literarum interpretibus nonnulli, tum verò quàm plurimi ex recentioribus animadverterunt: nempe quia figura & imago quædam fuerit Chriſti. Solemus enim imagines ac figuras nominibus earum rerum appella-

Digitized by Google

re, quarum ſunt imagines, ut alibi monuimus. Myſticam ſcilicet petra illa, & aqua ex ea fluens, ſignificationem habebat, & rem futuram occultè adumbrabat. Quam ob cauſam & aqua iſta, & petra, quemadmodum & manna, ſeu cibus, quo paſcebantur Iſraëlitæ, ſpiritualis eodem loco dicitur. (1. *Cor.* 10. 3. 4.) Quicquid enim myſticum habet ſenſum, ut ait Eraſmus, hunc ipſum locum explicans, ſpirituale dicimus. Sic in Apocalypſi dicitur, civitatem illam magnam, ubi & Dominus noſter crucifixus fuit, Sodomam & Ægyptum vocari *ſpiritualiter*, h. e. myſticè & allegoricè. (*Apoc* 11. 8.) Cum ergo petram iſtam ſpiritualem appellâſſet Apoſtolus, & ſic myſticam quandam ſignificationem habuiſſe indicaſſet, eam nobis explicans, & rationem dicti ſui reddens, ait, Petram illam fuiſſe Chriſtum, h. e. Chriſtum adumbraſſe ſeu figuraſſe. Quòd verò ait, petram illam Iſraelitas fuiſſe ſe-
490. quutam; id per metonymiam de aqua ex petra illa fluente accipiendum eſt. Quo pacto etiam ex ea petra iidem bibiſſe, ab Apoſtolo hoc loco dicuntur. Etenim cùm largiſſima aqua ex petra illa profluxerit, & ſic rivum effecerit, neceſſe eſt, illam Iſraelitas, quamdiu in iiſdem convallibus iter ſunt proſecuti, fuiſſe ſecutam: præſertim cùm ex hiſtoria ſacra conſtet, totum illud deſertum alioquin aquis fluentibus, ex quibus populus bibere potuiſſet, fuiſſe deſtitutum. Videatur inter alia Moſes in Deut. (*Deut.* 8. 15.) & Eſaias, (*Eſa.* 43. 20.) apud quem Deus ita loquens inducitur: *glorificabit me beſtia agri, dracones & ſtruthiones; quia dedi in deſerto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo.* Quod ad poſteriorem locum attinet, negamus, Paulum dixiſſe, Jeſum Chriſtum tunc ab illo populo tentatum fuiſſe: cum nos tantùm Chriſtianos admoneat, ne Chriſtum tentemus. Subjicit quidem hæc verba: *Ut quidam eorum tentârunt*: ſed non addit *ipſum*, vel *Chriſtum*: verùm ex hiſtoria omnibus obvia intelligendum relinquit, quinàm is fuerit quem Iſraelitæ olim tentârint. Is autem fuit Dominus, ſeu Deus, & aliqua ratione Moſes. Nam ibi, (*Num.* 21. 5, 7.) ubi hiſtoria illa deſcribitur, dicitur, quòd Iſraelitæ loquuti fuerint, & peccaverint contra Deum, ſeu Dominum, & Moſen, verbis ad Moſen propriè directis. Ita enim legimus: *locutus que eſt populus contra Dominum & Moſen, cur nos eduxiſti ex Ægypto, ut moreremur in ſolitudine?* Et ibidem paulò poſt: *Peccavimus, quia locuti ſumus contra Dominum & te.* Simili ellipſi uſus eſt Auctor D. Epiſt. ad Hebr. cap. 3. (*Heb.* 3. 16.) in re ſimillima. Loquens enim de exacerbatione, qua Iſraelitæ in deſerto Dominum irritaverunt, ait *Quidam enim audientes exacerbaverunt*, non addita mentione perſonæ illius, quam exacerbaverint. Id enim tanquam ex hiſtoria ſatis notum, ſubintelligendum relinquit.

Digitized by Google

‡ *Adfuiſſe porrò*] In hoc loco 1. Cor x, 4. 9. plurimum eſt præſidii ad id quod modo dicebam: Quamvis enim primum quod attinet, ultrò largiar *petram illam ex qua Iſraelitæ biberunt*, non ſubſtantivè fuiſſe Chriſtum, ſed ſignificativè, tamen niſi jam ſuo modo Chriſtus extitiſſet, & ſpiritualiter potaſſet fideles illius populi in deſerto, non potuiſſet dici de petra illum ſignificante quod petra erat Chriſtus. Hæc enim loquutio ſatis palam connotat ſignum & ſignatum eodem tempore extitiſſe. Maximè cum dicat Apoſtolus com. 3. & 4. Iſraelitas in deſerto eandem eſcam ſpiritualem & eundem potum ſpiritualem nobiſcum bibiſſe. Sed præſertim, *quod ad poſteriorem locum attinet*, proſtitutæ eſt audaciæ figmentum Hæretici, quo negat pronomen relativum *ipſum* eſſe ſubintelligendum in illa parte orationis Paulinæ, *ut quidam eorum tentarunt*; Cùm enim nos dehortetur Apoſtolus à Chriſto tentando, exemplo pœnarũ quas incurrerunt Iſraelitæ in tali crimine, utique ejuſdem criminis, à quo nos dehortatur, Iſraelitæ debuerunt eſſe rei, ſi rectè procedat ejus oratio. Imò non deſunt exemplaria Græca, ut Bezæ annotatum, quæ habent, καθώς καὶ τίνες αὐτὸν ἐπείρασαν: Tum hîc agitur vel de Chriſto tentato, vel de alio aliquo: Si prius, illud eſt quod volumus: ſi poſterius, quæ eſſet ratio hujus argumenti, non debere nos tentare Chriſtum, ſicuti his in deſerto Jehovam tentantibus non fuit impune, ſed perierunt à Serpentibus? Adde quod vox *tentandi* nunquam abſolutè ponitur in Scripturis, ſed ſemper tranſitivè, connotato objecto circa quod verſatur. Quare illud hîc omninò ἀπὸ τοῦ κοινοῦ eſt repetendum; cùm ſatis indicetur verbis Apoſtoli dicentis, *Et ne tentemus Chriſtum*. Præterea nullius tentatio in Scripturis prohibetur præterquã Dei, ut patet ex Matt. IV, 7. *Non tentabis Dominum Deum tuum*, quod extat Deut. VI, 13. X, 20 Verè igitur Chriſtus Jehova Deus noſter, quem ideo tentare non debemus, quod qui eum tentarunt in deſerto, male mulctati fuerint & perierint à ſerpentibus. Fateor quidem hunc ab Iſraelitis tentatum in deſerto fuiſſe Jehovam, ut liquet ex Num. XXI, 5. 6. Pſal. CV, 29. Sed Apoſtolus oſtendit Chriſtum noſtrum eſſe illum Jehovam, quem nemo impune tentaverit. Etenim æternum Dei Filium, Angelum fœderis, eduxiſſe populum ex Ægypto, & deduxiſſe per deſertum, liquet ex Exod. XIV, 19. XXIII, 20. Eſ. LXIII, 9. Et quamvis murmuraſſe legatur populus contra Deum & Moſem, nuſquam tamen Moſes tentatus dicitur, ſed ſolus Deus. Quin etiam ex loco Heb. III, 16. ad quem provocat perperam Volkelius, major lux affulget veritati. Nam ut ibi τὸ ἐπίκραναν, *exacerbaverunt*, refertur ad eum de quo dictum immediatè ante fuerat com. 15. *Hodie ſi vocem EIUS audieritis* &c. & in hac ellipſi ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ſupplendum eſt αὐτὸν ex verbis præcedentibus, ita hic idem relativum debet omninò intelligi & ſuppleri. Habet autem hæc ellipſis frequentiſſima exempla in Scriptura; ut nominatim Matt. XXI, 7. XXIV, 33. Joh. III, 34. Act. XIII, 3. adeo ut etiam Eniedinus tandem eam agnoſcat 1. Cor. X, 9. & hoc de Chriſto intelligi fateatur: Sed ejus κρησφύγετον, hoc ſuppoſito, viſum eſt ita abſurdum Volkelio, ut quam ellipſim in ſimili loco agnoſcit, hîc tamen nolit admittere.

Vidiſſe prætererea Eſaiam Chriſti gloriam, (*Eſa*. 6. 5.) illo Joannis teſtimonio (*Joh*. 12. 41.) confirmari exiſtimant: *Hoc dixit Eſaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de illo*; hincque colligi ajunt, Chriſtum jam

Digitized by Google

tunc extitiſſe. Verùm tantum abeſt, ut his Eſaiæ verbis, Chriſtum jam tunc extitiſſe, probari poſſit, ut ne gloriam quidem ejus tunc vati eidem apparuiſſe, neceſſariò evincatur. Commodiſſimùm enim verba iſta ad Deum referri, faciè confitebitur is, qui animadverterit, verſiculum 38. unà cum tribus ſequentibus, parentheſi includi debere, vel ſaltem jure poſſe. Apertiſſimum enim eſt, verſiculum demum 24. cum 37. & ſenſu & verbis conjungi. Jam verò in iſta parentheſi non de Chriſto, ſed de ipſo Deo, & potiſſimùm, & proximè ſermo fuerat. Etenim paulò antè Euangeliſta dixerat,
491. eum excœcaſſe oculos eorum nempe Judæorum, ut oculis non viderent, & non intelligerent corde, ut converterentur, & ipſe eos ſanaret.

‡ *Vidiſſe præterea Eſaiam*] Totus Johannis locus ut extat cap. XII, 41. debet hîc ſubjici; *Hæc dixit Eſaias* VI, 9. *quando vidit gloriam ejus & locutus eſt de illo.* Quæritur ergo an ille cujus vidit gloriam & de quo locutus eſt Propheta ſit Chriſtus; Negat adverſarius & pertendit *verba iſta ad Deum referri*, quod neque nos negamus; cùm è contrario inde adſtruamus divinitatem Chriſti, eo quod Chriſtus ſit ille *Iehova*, cujus Eſaiam vidit gloriam & de quo loquutus eſt. Si igitur oſtendero Johannis verba de Chriſto eſſe intelligenda, res erit in vado. Id verò patet partim ex antecedentibus, partim ex conſequentibus, partim ex aliis evidentibus rationibus: Antecedentia quod attinet, ita habetur com. 37. & 38. *Quùm autem ſigna coram eis edidiſſet*, nempe Chriſtus, *non credebant in eum*; *ut ſermo Eſaiæ impleretur quem dixit, Domine quis credidit ſermoni noſtro*, &c. Jam autem illud prius teſtimonium Eſaiæ ex cap LIII, 1. eſſe de Chriſto, nequidem ipſa impudentia auſit negare; tum quod totum illud caput 53. ad eum ſpectet, tum quod hæc pericopa eo fine citetur à Johanne ut oſtendat qui factũ quod Judæi nonobſtantibus tot ſignis à Chriſto editis in eum tamen non crediderint: Hæc verò citatio foret fruſtranea, & nihil probaret, niſi in loco Eſaiæ citato Chriſtus intelligeretur. Conſequentia ſi ſpectemus eodem nos ducunt: Nam verſu 42. ita habetur; *Verum tamen ex primoribus multi crediderunt in eum*: Is igitur cujus Eſaiam gloriam vidit & de quo loquutus eſt, fuit idem ille in quem cùm tot ſigna edidiſſet Judæi non crediderunt, & in quem tamen crediderunt *multi ex primoribus*, etſi propter Phariſæos hoc non profitebantur, ne Synagogâ moverentur: Hunc verò fuiſſe Chriſtum, nequidem ipſa impudentia negaverit. Eò etiam nos ducunt aliæ evidentes rationes: Nam illa alia verba quæ ex Eſ. VI, 9. citantur com. 40. eò quoque ſpectant, ut explicetur ratio qui factũ quod Iudæi in Chriſtum non crediderint: Ergo Iohannes illa de Chriſto voluit intelligi Nec etiam faceret ad mentem Iohannis tota hæc citatio, niſi revera totum Eſaiæ ὅραμα de Chriſto fuerit: Ac prout citra dubium Propheta de Chriſto loquutus eſt cap. LIII, 9. ita etiam ad Chriſtum & Chriſti gloriam ſpectant viſio & verba cap. 6. Quæ ſi aliò quam ad Chriſtum pertineant, fruſtra à Iohanne proferri dicendum eſt. Quam autem hic parentheſim ſomniat hæreticus, nemo videt præter ipſum. Nec ſolum verſus 42. ſed etiam omnes præcedentes & nominatim 41. *& ſenſu & verbis* cum 37. conjunguntur. Fateor quidem Eſaiam *de ipſo Deo* loqui; ſed cùm quæ *de ipſo Deo* dixit Propheta, Iohannes teſtetur ad Chriſtum pertinuiſſe & ſpectaſſe, eo ipſo comprobat Chriſtum eſſe ipſum Deum & Iehovam.

Verùm

Digitized by Google

Verùm eſto, locutus fuerit Eſaias de gloria Chriſti, num hinc neceſſariò concludendum eſt, Chriſtum tunc revera fuiſſe? Nequaquam: cum aliud ſit ipſum Chriſtum, aliud ipſius gloriam videre. Dici enim poteſt, Eſaiam tunc, non præſentem, ſed futuram Chriſti gloriam vidiſſe: Hoc enim prophetarum proprium eſt, ut futura proſpiciant: qua de cauſa vel inprimis Videntes in divinis literis nominati ſunt. (1. *Sam.* 9. 19.) Verè autem hoc affirmari, illa ejuſdem Prophetæ verba indicant: *plena eſt univerſa terra gloriâ ejus* (*Eſa*: 6. 3.) Hæc enim tunc demum exitu verè completa fuerunt, cum Chriſtus non ſolum univerſæ Iſraëlitarum, ſed omnium etiam gentium nationi notus fieret, eaque ratione Dei majeſtas in univerſo terrarum orbe conſpiceretur.

‡ *Verum eſto*] Meritò hîc deſerit Volkelius primum ſuum effugium, quod ſentit illud ſubſiſtere non poſſe. Sed neque ſanius eſt hoc alterum: Nam cùm non entis nullum ſit accidens, nequivit Chriſti nondum exiſtentis gloria videri a Propheta; Nec *futuram gloriam* Chriſti vidit Propheta, ſed *præſentem*: Siquidem ejus gloriam vidit, *qui inſidebat ſolio celſo & elato cujus fimbriæ complebant templum ipſum* com. 1. cui Seraphini ſuum acclamabant τεισάγιον com. 3. & propter quem ideo metuebat ſe exſciſſum iri, *cùm*, inquit, *Regem illum Iehovam exercituum viderint oculi mei.* Et quamvis hæc viſio Prophetæ exſtatica ſymbolum continuerit rei poſtea futuræ, quam eâ ratione ipſe in ſpiritu proſpexerit, quod *videntium* eſſe non diffitemur ex 1. Sam. IX, 19. & multis aliis Scripturæ teſtimoniis. adeo ut quod dicebatur com. 3. *plena eſt univerſa terra gloriâ ejus*, *tum demum exitu* completum fuerit, poſtquam Chriſti nomen, *non ſolum univerſæ Iſraelitarum*, *ſed omnium etiam gentium nationi* innotuit; (quamvis neceſſe non ſit eò recurrere; cùm ſemper & omni tempore id ipſum accini Deo debuerit, Pſ. XIX, 1. LVII, 6. 12. CVIII, 6. ne dicam cum Iunio id intelligi poſſe ſpeciatim de ea terra quam cultui ſuo addixerat, quam gloriâ & celebritate ſuâ replebat, ut ejus fimbriæ in hac viſione totum implebant templum:) nihil tamen inde de noſtri argumenti pondere delibatur. Nam etſi adhuc futurum erat ut gloriâ Chriſti univerſa terra impleretur, illius tamen futuræ gloriæ, Dei Filius jam præſens, cenſendus eſt præſentiſſimum exhibuiſſe Symbolum Prophetæ, ex quo dixerit Iohannes Eſaiam vidiſſe gloriam ejus. Sed quod rei caput eſt, is cujus Propheta gloriam vidit, ſive præſentem ſive futuram, fuit *Dominus*, cui Seraphini accinebant, *Sanctus*, *ſanctus*, *ſanctus eſt Iehova exercituum*, & quem *Regem illum Iehovam exercituum* appellat ipſe Propheta, quique Prophetæ dixerit com. 9. *I, ut dicas populo iſti*, &c. quorum pars citatur Iohanni cap. XII, 40. ut reddat rationem quî factum quod Iudæi Chriſto præſenti credere detrectarint. Hæc autem omnia num alii poſſint convenire quam ſummo Deo Iſraelis, judicent omnes Chriſtiani. Neque ſane hîc agitur de gloriâ Dei oppoſitè ad Chriſtum eluceſcente ex Chriſti cognitione inter gentes, quâ factum ſit ut *Dei majeſtas in univerſo terrarum orbe conſpiceretur*, ſed de ipſius-met Chriſti perſonali gloria, quam vidit Eſaias, & quæ replet totam terram.

Ad extremum, quòd Chriſtus de cœlo deſcendiſſe dicitur, (*Ioh.* 3. 13. & 6. 38, 62.)

Digitized by Google

6. 38, 62.) ideoque ab æterno eum ibi fuiſſe ſtatuitur; dicimus, hoc à vero ſe junctiſſimum eſſe; cum omnes loci, iſtius rei mentionem facientes, luculenter oſtendant, filium hominis in cœlo fuiſſe, eorumque primus teſtetur, eum illò adſcendiſſe. Filium autem hominis ante ſuam nativitatem in cœlo revera fuiſſe, ſine aperta contradictionis, ut loquuntur, implicatione dici non poteſt.

‡ *Ad extremum quod*] Non ſolum Ioh. III, 13. & VI, 38, 62. ac pluries eodem capite *Chriſtus de cœlo deſcendiſſe dicitur*, ſed etiam Eph. IV, 9. 10. & Apoc. X, 1. XX, 1. Et ſane cùm priùs deſcenderit ad inferiores terræ partes aſſumptione noſtræ naturæ, quam aſcenderet ſupra omnes cœlos, cùmque ſuâ aſcenſione redierit ubi priùs erat, priſcam gloriæ & majeſtatis ſuæ ſedē recuperaturus, dubitari non poteſt quin ante carnis noſtræ aſſumptionem, ejuſque apparitionem ad opus noſtræ redemptionis, jam in cœlis fuerit. Sed miſſis aliis teſtimoniis, expendamus ea ex quibus fruſtra Volkelius tentat ſe expedire. Ioh. III, 13. ita habetur; *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, Filius hominis qui eſt in cœlo.* Ita enim ait ſe deſcendiſſe è cœlo, ut etiam tum cum loqueretur in terris, adhuc eſſet in cœlo: quod utique nequit de Chriſto dici vel intelligi alio reſpectu quam naturæ diuinæ: Cùm igitur eodem ſenſu & reſpectu deſcendiſſe ſtatuatur è cœlo, quo nihilominus erat & manebat in cœlo, & hoc ei convenerit per & propter divinitatem ſuā, neceſſe eſt ut divinitatis quoque reſpectu deſcendiſſe è cœlo ſtatuatur, non utique deſcenſu locali, qui non cadit in Dei naturam, cùm ea ſit ubique, ſed metaphorico & morali, ſui apparitione in carne ad redemptionē noſtram. Ioh. VI, 33. 35. 41. 42. 50. Chriſtus ſe profitetur eſſe *panem Dei qui de cœlo deſcendit*, item com. 38. dicit ſe *deſcendiſſe è cœlo ut exequeretur non voluntatem* ſuam, *ſed voluntatem ejus qui* ſe *miſit*; & com. 61. 62. *Hoccine vos offendit? Quid ſi igitur ſpectaveritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius?* Quibus ſanè verbis primùm non dicitur *rediiſſe* è cœlo, quò antea raptus fuerit, ſed è cœlo *deſcendiſſe*, ita ut priùs in terris conſpectus non fuerit: Secundò cœlum proponitur ceu terminus à quo ſui adventus ſuæque converſationis inter homines, quod ſtatui non poſſet ſi demum jam homo factus & circa annum ſuæ ætatis trigeſimum, eò primitùs aſcendiſſet: Tertiò non dicit aſcenſurum *ubi fuerat priùs* ad breve tempus & per raptum imaginarium Socinianorum, cujus nec vola nec veſtigium extat in Hiſtoria Euangelica, ſed abſolutè *ubi erat prius*, quâ phraſi innuit, ſe priùs ibi fixam, conſtantem & continuam ſedem habuiſſe. Quæ contra excipit adverſarius ſunt frivola & ſuapte cadunt. Nam quod priori loco dicatur Chriſtus *illò aſcendiſſe*, nihil efficit contra nos: Ut enim illius è cœlo *deſcenſus* non poteſt fuiſſe localis, ſiquidem etiam tum adhuc cùm ſe deſcendiſſe dicebat nihilominus erat in cœlo, ſic iſte in cœlum *aſcenſus* corporeus & localis fingi non debet. Nam aſcendere in cœlum eſt rerum cœleſtium penitiſſimam habere & aſſequi notitiam, ut patet liquidò ex Deut. XXX, 12. Rom. X, 6. Negat igitur cuiquam alii quam ſibi hanc rerum cœleſtium & ſublimium notitiam, juſque eas enarrandi mortalibus, competere, ut pote qui non ſit χοϊκὸς & ex terra, ut primus homo, ſed *Dominus è cœlo* 1. Cor XV, 47. qui ut hæc cœleſtia ſibi perſpectiſſima enarraret mortalibus, è cœlo ſic deſcenderit aſſumptâ eorum carne ut propterea in cœlo eſſe non deſierit. Adeoque his verbis

Chriſtus

Chriſtus idem docet quod extat Joh. 1, 18. *Nemo Deum vidit unquam; Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe nobis enarravit*: Ubi ſane etiam tum eſſe *in ſinu Patris* dicitur, cùm tamen diſcipuli ejus *gloriam* ſpectabant in terris *ut unigeniti egreſſi à Patre* Joh. 1, 14. Neque dubium quin Chriſtus ad Nicodemum tacitam proponat ſui cum Moſe antitheſim: Hic enim non deſcendebat niſi ex ex vicino monte cum tabulis Fœderis in ſua manu, & velamine ſuo vultui circumpoſito, quod alias ejus fulgorem Iſraelitæ ferre non poſſent: At Chriſtus nobis detulit è ſinu Patris & ſummo cœlo, ceu ſedibus ſuis æternis, tabulas Fœderis Euangelici, per carnis noſtrę velamen repreſſo ſplendore faciei ſuę divinæ, quem mortales ferre ac ſuſtinere nequiviſſent. Quod verò dicitur *Filius hominis* deſcendiſſe è cœlo, non ſignificat iſtum deſcenſum ei competere reſpectu ſuæ humanitatis, niſi ratione termini, quatenus ὁ λόγος ſuo illo metaphorico deſcenſu, eam aſſumpſit ac ſibi conjunxit in unitatem perſonæ. Hoc enim nomen *Filius hominis* eſt nomen perſonæ, in qua illæ duæ diſtinctæ naturæ, quod ſuo loco probatum eſt, veniunt conſiderandæ, ex quarum hypoſtatica unione fit, ut quod ei convenit unius naturæ reſpectu, de tota perſona dicatur, etiam cum ab alia natura ſuam denominationem obtinet: Ita Act. xx, 28. dicitur Deus redemiſſe Eccleſiam proprio ſuo ſanguine: Deus hoc loco eſt nomen perſonæ, ſic dictæ quod revera ei conveniat natura divina: Sed illa ſanguinis effuſio, quæ huic perſonæ tribuitur, ei convenit ex alia natura, nempe humana, cujus aſſumptione μετέσχε παραπλησίως carnis & ſanguinis Heb. 11, 14. Eodem modo dicuntur *Judæi Dominum gloriæ* crucifixiſſe 1. Cor. 11, 8. quamvis carne duntaxat *mortificatus* fuerit 1. Pet. 111, 18. nec divinitas paſſa aut crucifixa dici poſſit. Pari igitur ratione Filius hominis è cœlo deſcendiſſe dicitur, non per eam naturam per quam id nominis conſequitur, ſed per alteram illam, nempe divinam, cujus reſpectu erat in cœlo: ut ſic abſque ulla *contradictionis implicatione* dici poſſit, *Filium hominis ante ſuam nativitatem in cœlo revera fuiſſe*, licet non fuerit per eam naturam à qua Filius hominis denominatur.

Quòd ſi ad fictam illam idiomatum communicationem confugientes, hominem Chriſtum Jeſum ante Mariam in cœlo fuiſſe dixerint, non quidem ſecundùm ipſam humanitatem, ſed ſecundùm naturam divinam, quam ſecundam trinitatis perſonam eſſe volunt; reſpondemus, hoc perfugium, ut jam ſuprà ſatis demonſtravimus, (*ſup. cap.* 11.) falſum eſſe, & hîc, ubi filius hominis in cœlum aſcendiſſe, in cœlo fuiſſe, ex eo deſcendiſſe dicitur, nullum locum habere. Quemadmodum enim non rectè id, quod ſoli animæ ſeu ſpiritui hominum competit, corpori tribuitur: ita non rectè; id quod divinæ naturæ ſoli competiiſſet, tribueretur filio hominis, qui à natura humana nil differt: præſertim cum Chriſtus Joan. 6. cap. (ỷ. 51.) affirmet, panem, quem ipſe daturus ſit, eſſe carnem ſuam, quam ſit daturus pro mundi vita; & hunc panem vivificum de cœlo deſcendiſſe antea dixerit. An verò caro Chriſti ſecundùm divinam naturam de cœlo deſcendit? an non ex adverſariorum etiam mente illi naturæ planè opponitur?

Digitized by Google

† *Quod ſi ad fictam*] Hic ſane nihil ficti, ſed omnia vera & γνησία, quod etiam *ſupra cap.* 11. pleniùs demonſtravimus: Et ἀπροσδιόνυσον eſt ſimile quod adfert Volkelius: Neque enim ſtatuimus hîc tribui uni naturæ quæ ſint alterius, ſed quæ ſunt alterutrius naturæ tribui ſuppoſito quomodocunque denominetur: Ita hominem vel animal ſepultum meritò dicimus; licet ſolum illius cadaver ſepulchro condatur, non anima: Ita Lazarum ulceroſum & pannoſum quoad vixit legimus tranſlatum in ſinum Abrahæ Luc. XVI, 22. licet non eâ parte quâ ulceroſus erat & pannoſus, ſed animæ reſpectu. Id autem eſt longè falſiſſimum. Filium hominis *à natura humana* nihil differre; quaſi totum nihil differret ab unaquaque ſuarum partium, aut ſuppoſitum à ſingulis naturis ex quibus conſtat ac conflatur. Petrum ſanè aliquid ampliùs ſonare quam ipſius vel animam, vel corpus, nemo ſanæ mentis negare audebit. Filius hominis ut eſt nomen perſonæ, includit etiam naturam Divinam; non item natura humana: ut vel ſummam nequitiam, vel ſummam ignorantiam eorum quæ docent Orthodoxi Theologi, hîc prodant hæretici.

Præſertim cùm Chriſtus] Negare nequeunt hæretici ſynecdochicam eſſe loquutionem Joh. VI, 51. ubi *caro* Chriſti ille panis eſſe dicitur qui deſcendit è cœlo. An enim aſſererent Chriſtum ſolius carnis, non etiam mentis & animæ reſpectu, raptum aliquando fuiſſe in cœlum, & poſtea è cœlo deſcendiſſe? Quod ſi putant ibi per ſynecdochem partis pro toto, *carnis* nomine intelligi non ſolum molem carneam & corpoream Chriſti, ſed etiam illius animam & mentem, cur non mihi fas erit dicere hac ſynecdochâ partis pro toto, totam Chriſti perſonam ſic intelligi, ut tamen hujus ſynecdochæ adhibendæ cauſa ſpecialis unà connotetur, quod ſcilicet Chriſtus voluerit oſtendere modum quo factus nobis eſt panis vitæ, nempe noſtræ carnis & naturæ aſſumptione, ejuſque traditione in mortem pro nobis. Talem hîc ſynecdocham eſſe concipiendam vel ex eo patet quod aliàs hoc eodem Johannis cap. VI, 63. *caro* contradiſtinctè à *Spiritu*, humanitas à divinitate, (nam hæc eadem eſt diſtinctio quæ legitur reſpectu Chriſti Rom. I, 4. I. Tim. III, 16. I. Pet. III, 18.) nihil prodeſſe ad vivificationem & nutritionem aſſeritur. Caro itaque Chriſti præciſè conſiderata, *natura* ejus divinæ *planè opponitur*, ſed non ubi ſumitur ſynecdochicè pro tota Chriſti perſona, ut hoc loco: Cùm enim Chriſtus dixit panem quem erat daturus eſſe *carnem* ſuam, perinde eſt ac ſi dixiſſet panem illum eſſe ſeipſum, prout tam ſæpè hoc toto capite aſſerit ſe eſſe illum panem verum & vivum qui deſcendit è cœlo. Et ſicus frequentiſſimum eſt apud Juriſconſultos ac quandoque in Scriptura, ut *corporis* nomine, homo ſive perſona intelligatur, ſicut etiam per ſynecdochem duriorem נפש *nephesch*, id eſt *anima*, in Scriptura quandoque uſurpatur de animalis cadavere exanimi, quid mirum eſt ſi per longè faciliorem ſynecdochem Chriſtus ſeipſum totum, verum θεάνθρωπον, carnis ſuæ nomine expreſſerit, quod ſe vellet conſiderari ſub illo formali ſub quo apparebat, id eſt carne noſtra veſtitum & in illa mortem oppetiturum pro noſtri Redemptione & vita?

Præterea, cum Chriſti verba propriè accepta nullam pariant abſurditatem; nil eſt neceſſe ad figuras, eas præſertim, quarum nullum poſſis proferre exemplum, niſi id ipſum, de quo controverſia eſt, decurrere. Quòd ſi tamen tropum

Digitized by Google

tropum illis ineſſe volumus, cur non potiùs ipſum hominis filium diſertiſſi-
mè commemoratum eo ſenſu de cœlo deſcendiſſe dicimus, ut intelligamus, 492.
eum à Deo fuiſſe profectum ac ſingulari ratione miſſum? quæ enim à Deo
ſingulari ratione proficiſcuntur, è cœlo dicuntur deſcendere. (*Matt.* 21,
25. *Jac.* 1,17. 3. 15,17. *Apoc.* 3,12. 21. 2,10.)

‡ *Præterea cum Chriſti*] Multiplicem *abſurditatem* in explicatione adverſariorum ſupra oſtendebamus: quia 1. Aſcenſus corporei & localis Chriſti in cœlum ante reſurrectionem ſuam, nuſquam meminit Scriptura; erubeſcimus verò ſine lege loqui; 2. Si deſcenſus corporeus & localis intelligeretur iis in locis, dicendus fuiſſet Chriſtus non tam deſcendiſſe, quam rediiſſe è cœlo, ubi paulò ante, per inſenſibilem forte tranſpirationem, tranſlatus fuiſſet; 3. Nec poſſet dici Chriſtus tunc adhuc fuiſſe *in cœlo*, nonobſtante hoc ſuo ex illo deſcenſu, aut reverſurus fuiſſe *ubi erat prius*, ſiquidem nullam antea ibi moram egiſſe, ſed ad breve momentum duntaxat illuc raptum fuiſſe, fingunt adverſarii; 4. Hic deſcenſus Chriſti è cœlo ſtatuitur initium ſuæ nativitatis ſive conformationis in utero Eph. IV, 9 collato cum Pſal. CXXXIX. 15. & converſationis inter homines, quod raptui imaginario adverſariorum nequit convenire. Plurima quoque proſtant exempla iſtius figuræ ſive idiomatum communicationis, tum reſpectu perſonæ Chriſti, tum reſpectu aliorum ſubjectorum in quibus duæ formæ partiales eidem ſuppoſito convenire intelliguntur: Quamvis ſufficiat perſonam Chriſti quod attinet, in qua aliquid ſingularitatis agnoſcimus, alia extare Scripturæ loca, in quibus talis figura omninò eſt agnoſcenda & admittenda.

Quod ſi tamen] Sed quominus locus detur reſpectu Chriſti huic deſcenſui metaphorico, quo rei duntaxat origo cœleſtis & divina indicatur, ut locis hîc Adverſario citatis, in quæ operosè inquirere nihil attinet, facit, ut cœtera mittam, 1. Quod ille Chriſti deſcenſus è cœlo, non poſſit hîc intelligi de accidenti & qualitate tantum aliqua, ut in locis quæ profert Volkelius, ſed debet omninò ſumi de ejus ſuppoſito & perſona: 2. Quod ille deſcenſus è cœlo contradiſtinguitur ab ejus aſcenſione in cœlum, tum morali Joh. III, 13. tum phyſica & locali Eph. IV, 9. Hoc proculdubiò vidit Hæreticus, itaque nonniſi obiter id infert, ceu ex ſuo Sceptico ingenio utcunque primo obtutu defenſibile, non verò penitùs aſſerit, ceu neceſſarium & verum.

Verùm, ut dixi, neutiquam nos hoc facere opus eſt: cum citra ullam incommoditatem, propriiſſimè loquendo, hominem Chriſtum Jeſum in cœlo poſt nativitatem ſuam fuiſſe, affirmare & poſſimus, & debeamus. Si enim Paulus Chriſti miniſter in tertium uſque cœlum raptus eſt; (2. *Cor.* 12, 2.) quid tandem de ipſo Domino exiſtimandum eſt, quem Pater rerum divinarum ac cœleſtium, apud mundum proponendarum, pleniſſimâ notitiâ inſtructum, certiſſimumque teſtem eſſe voluit, ut quæ vidiſſet audiviſſetque hominibus annunciaret, hocque ipſo maxima illius dictis autoritas conciliaretur?

Digitized by Google

‡ *Verùm, ut dixi*] Sed neque hoc dicit uſpiam Scriptura, nec quiſquam ante Socinum per quindecim ſæcula in Eccleſia Chriſtiana ſomniavit: & quominus tali Chriſti hominis *poſt nativitatem ſuam* in cœlos imaginario raptui, Phraſiologia Sacra de illius deſcenſu è cœlis, queat convenire, ſufficienter probatum eſt. Pauli raptus in cœlum de quo 2. Cor. XII, 2. huc inferri non poteſt, tum quia ipſemet neſcivit qualis ille fuerit, an in corpore, an extra corpus; tum quia nuſquam dicitur Paulus conſequenter ad illum raptũ è cœlo deſcendiſſe, aut adhuc fuiſſe in cœlo cùm iſta de ſuo raptu in terris enarraret: Et cùm Paulus ea dicat ſe in illo ſuo raptu *audiviſſe ineffabilia verba quæ non licet homini eloqui* 2. Cor. XII, 4. fruſtra Chriſtus debuerit rapi in cœlum, ut ea quæ ibi *vidiſſet audiviſſetque hominibus annunciaret*: Si enim Chriſtus & Paulus hic eſſent conferendi, cur magis illi quam huic viſa & audita in cœlo eloqui licuiſſet? Tum etiam inſerviit Paulo ille raptus in cœlum ut guſtum aliquem experimentalem haberet gloriæ futuræ in Dei filiis revelandæ, ne in eo poſt haberetur Petro, Jacobo & Johanni, quibus tale ſpecimen fuerat exhibitum in transfiguratione Chriſti, de qua Matt. XVII, 2. 3. 4. Sed nec Paulus raptus fuit in cœlum ut edoceretur de iis quæ in Miniſterij ſui exercitio proponeret Eccleſiæ; nec multo minus eum in finem debuit Chriſtus hoc pacto deduci in *rerum divinarum & cœleſtium apud mundum proponendarum* pleniſſimam notitiam; cùm plenus gratiæ & veritatis, hanc notitiam ab æterno hauſerit *in ſinu* Patris, apud quem jam erat ante jacta mundi fundamenta.

Hoc autem ita eſſe, apertiſſimè patet ex Chriſti cum Nicodemo colloquio, ubi dicit, ſe, quæ ſciat, loqui, & quæ viderit, teſtari: (*Joh.* 3. 11.) & tamen plurimos teſtimonium ſuum aſpernari, quamvis ad humani ingenii captum orationem ſuam valde accommodet. magis itaque id facturos innuit, ſi, prout rerum illarum natura aliquo modo poſtulet, ſublimi ac cœleſti quadam ratione eas explicet. At verò omnino eſſe à ſe cœleſtia diſcenda, adeoque verbis ſuis fidem adhibendam: quandoquidem nemo præter ipſum in cœlum aſcenderit, & ſic certam plenamque rerum cœleſtium cognitionem fuerit adeptus.

‡ *Hoc autem ita eſſe*] Eſt magnæ inſolentiæ in iſtis hominibus quod tam imperterritè ſua ſomnia auſint publico obtrudere, quorum nec in Scripturis, nec in traditione Eccleſiaſtica, volam aut veſtigium deprehendere licet. Numquid enim huic Chriſti imaginario raptui in carne, ullâ ratione favet quod Nicodemo dixerit *Joh.* III, 11. & ſeq. *ſe quæ ſciat loqui & quæ viderit teſtari?* Neutiquam; Nam primùm loquitur ibi Chriſtus in plurali de ſe & Johanne, *Quod ſcimus loquimur & quod vidimus teſtamur*; Johannes autem ita teſtabatur quæ viderat, Joh. 1, 32, 33, 34. ut tamen ad hoc teſtimonium perferendum raptus in cœlum non fuerit; cur ergo magis ad teſtimonium Chriſti confirmandũ tali raptu opus erit? Deinde Chriſtus hac phraſi oſtendit ſe & Johannem proponere certiora ac magis ſibi comperta, & de quibus majorem ipſi-met haberent πληροφορίαν, quam Scribas & vulgatos Doctores Synagogæ, qui ſuas conjecturas ſubinde popello propinabant; unde dicitur Chriſtus docuiſſe *ut habens authoritatem; non autem ut Scribæ* Matt. VII, 29. Quia verò in ordine ad teſtimonia plus ſolet credi uni oculato teſti

Digitized by Google

teſti quam decem auritis, Chriſtus eò alludens, teſtimonii Johannæi & ſui eam certitudinē innuit eſſe, quæ eſt in foro humano eorum qui loquuntur de rebus ſibi benè compertis, & quarum oculati quadantenus ſpectatores fuerunt. Neque debuit Chriſtus rapi in cœlum poſt ſuam nativitatem in carne ut iſta addiſceret, cùm per ſuam omniſcientiam divinam illa omnia haberet ſpectatiſſima & notiſſima, Matt. xi, 27. Non inficior quidem Chriſtum ſtatuere *omninò eſſe à ſe cœleſtia diſcenda, adeoque verbis ſuis fidem adhibendam*; Sed nego velle Dominum id colligi ex ſuo raptu locali in cœlum; cùm potiùs ideo ſibi credendum ſtatuat, quod cùm nemo hominum aſcenderit in cœlum, & penitiſſimam illam notitiam ſupremæ Voluntatis Divinæ & rerum cœleſtium ac ſalutarium conſequutus fuerit, eam ſibi meritò vendicet, ut pote qui ita deſcenderit è cœlo ea enarraturus, ut nec è cœlo penitùs diſceſſerit.

Ab hac ſanè ſententia minimè illud diſſidet, quod idem Chriſtus alio in loco de ſe dicit: *Deſcendi de cœlo, non ut meam, ſed ut ejus, qui me miſit, voluntatem facerem.* (*Joh.* 6. 38.) Item illud: *Quid ſi videritis filium hominis aſcendentem, ubi erat priùs?* (*ibid. v.* 62.) Necnon illud: *Exivi à Patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* (*cap.* 16. 28.) Quare ſtatuendum eſt, Chriſtum hominem in cœlum aſcendiſſe, ut ibi voluntatem Patris pleniſſimè diſceret; & poſtea deſcendiſſe, ut eam in hominibus ad ſibi credendum adducendis, & porrò conſervandis, perficeret: ut nihil hîc ſit opus ad diſtinctionem naturarum, atque ad communicationem idiomatum confugere.

‡ *Ab hac ſane ſententia*] Imò hæc omnia commentum Socinianum penitùs evertunt: Nam Joh. vi, 38. ſynonyma ſunt Chriſto *mitti* à Patre & *deſcendere* de cœlo: atqui miſſus erat à Patre quam primùm natus eſt: Dicebat enim puer adhuc duodecennis Luc. ii, 49. *An neſciebatis oportere me in iis eſſe quæ Patris mei ſunt?* Ergo quam primum natus eſt dici debebat è cœlo deſcendiſſe. Joh. vi, 62. dicitur tandem aſcenſurus *ubi erat priùs*. At illa phraſis, ut ante dictum, non ſignificat momentaneum raptum, ſed moram continuam & diutiſſimè tractam in cœlo, priuſquam veniret in mundum & homo fieret. Quod vel evidentiùs liquet ex Joh. xvi, 28. ubi ſynonyma ſunt deſcenſui Chriſti de cœlo, *exire à Patre & venire in mundum*; Tum autem Chriſtus venit in mundum, cum natus eſt & caro factus Joh. i, 14. Ac prout ſuâ aſcenſione reliquit mundum & vit ad Patrem, ita etiam ſuâ nativitate exiit à Patre & venit in mundum. Quod ſi ante hanc aſcenſionem Chriſti, quæ refertur in Evangelio & creditur in Symbolo, alia ſit confingenda ejus aſcenſio localis in cœlum, tunc quoque debuiſſet reliquiſſe mundum, ut iret ad Patrem: At revera non reliquit mundum ante ſuam aſſumptionem in gloriam: Nam illud πάλιν vel iterum, non eſt intelligendum de iterata derelictione mundi, ſed de actu oppoſito adventui ſuo in mundum, quem adventum extra ipſius nativitatem quærere, nec ſana ratio, nec Scripturæ ſuadent. Et quamvis in genere Sociniani hanc fabellam de aſcenſione locali Chriſti qua hominis in cœlum ante ſuam mortem ſtolidè propugnent, non tamen ſibi con-

ſtant in aſſignando tempore quo ea contigerit : Aliis fingentibus id eveniſſe ante Baptiſmum Chriſti, cùm tamen in Baptiſmo ſuo demum fuerit auctoratus publicè ad docendum; Aliis ſomniantibus, id factum illicò poſt ſuum Baptiſmum; cùm tamen ex hiſtoria Euangelica conſtet tunc eum abductum fuiſſe à Spiritu in deſertum ut tentaretur à Diabolo, non verò raptum in cœlum ut edoceretur à Deo, & inde ad homines mitteretur.

Cap. XIV.

De Spiritu ſancto.

Reſpondente JACOBO à PORTA Sluſâ Fland.

SEquitur, ut poſtquam falſas de Deo ejuſque Filio opiniones ſatis, ut videmur, diluimus, eam etiam refellamus, quam de Spiritu ſancto homines imbiberunt, nimirum eum divinam perſonam eſſe putantes. Quod quidem ita eſſe pernegamus. Primò enim unicam ac ſimplicem Dei eſſentiam perſonarum pluralitatem nequaquam admittere, ſuprà ſatis demonſtratum eſt. (*ſup. cap.* 9.)

1 *Sequitur ut poſtquam*] Scilicet Macedonianiſmus ſequitur in Volkelio Photinianiſmum, ut vara vibiam: Summa autem hujus quæſtionis eò redit, An Spiritus Sanctus, ſit perſona Divina, à Patre & Filio diſtincta per modum ſingularem ſubſiſtendi, ejuſdem tamen eſſentiæ & naturæ cum utroque? Hîc ergo fides Catholica affirmativam profitetur, Sociniana impietas ſtat pro negativa.

Primò enim] Atqui ſuo loco viſum pluralitatem perſonarum non pugnare cum unitate & ſimplicitate eſſentiæ Divinæ; ut non pugnat cum unitate & ſimplicitate animæ rationalis pluralitas facultatum inter ſe diſtinctarum, quas ſanior ratio & Philoſophia in illa agnoſcit.

493. Deinde plurimis in locis Spiritus Dei dicitur, quod alibi declaratur, cum Spiritus Patris appellatur. (*Mat*: 10, 20.) At ſpiritus alicujus non eſt perſona ab eo diſtincta, cujus eſt ſpiritus.

1. *Deinde plurimis*] Concidet hoc Sophiſma triplici obſervatione : Nam 1. alio ſenſu poſſet dici *Spiritus Dei*, quam *Spiritus Patris*, ut prius dicatur οὐσιωδῶς, quatenus eſſentiæ eſt Divinæ, poſterius ὑποϛατικῶς quatenus procedit à Patre. 2. Non procedit argumentum à Spiritu *alicujus* hominis formaliter ſic dicto, qui non *eſt perſona ab eo diſtincta cujus eſt ſpiritus*, ad Spiritum Dei Patris, ſic originaliter dictum, quod ab ipſo procedat: Nam ita debet eſſe perſona à Patre diſtincta, prout diſtinguitur ſæpiſſimè à Patre in Scripturis. 3. Aliter omninò Spiritus Sanctu ſe habet ad Patrem à quo eſt & cujus Spiritus eſſe dicitur, quam Spiritus hominis alicujus ad ipſummet hominem: Nam qui Spiritus Patris dicitur, appella-

appellatur quoque Spiritus Chriſti Rom. VIII, 9. 1. Pet. 1, 11. Jam autem nullus ſpiritus humanus ſingularis poteſt dici duarum perſonarum ſimul eſſe.

Quò accedit, quòd ita ſtatuitur eſſe in Deo, quemadmodum ſpiritus hominis eſt in homine: ut facilè ex illo Pauli teſtimonio perſpicitur, (1. Cor. 2, 11.) quo perinde, quid in Deo ſit, neminem ſcire dicit, niſi ſpiritum Dei, ut nec hominis mentem tenere quis poteſt, niſi hominis ſpiritus, qui in ipſo eſt. Unde colligitur, Spiritum ſanctum perſonam non eſſe, niſi perſonam perſonæ ineſſe volumus, & quidem haud reciprocè ſeu vice verſa, (neque enim Deus eſt in ſpiritu ſuo:) quod fieri nullo pacto poteſt.

‡ *Quò accedit quod ita*] Sanè ſi par eſt ratio Spiritus Dei ad Deum, quæ ſpiritus hominis ad hominem, nequeunt ergo Sociniani Spiritum Sanctum accidentibus annumerare, & *qualitatem* mediam facere inter potentiam Dei & operationes illius. Quis enim niſi atheus & Numinis ſecurus ſpiritum hominis merum ſtatuet accidens & qualitatibus nudis annumerabit? Imò verò hinc potiùs collegero quod cum analogia quædam ſit concipienda inter ſpiritum hominis & Dei, ut hic ſit in Deo quomodo ille eſt in homine, debeat Spiritus Sanctus eſſe quid in Deo exiſtens & ſubſtantiale; quandoquidem ſpiritus hominis eſt ſubſtantia ſpiritualis per ſe exiſtens & quæ etiam homine extincto non ſolum exiſtit ſed etiam operatur. Interea hoc effatum generale Volkelii non poteſt defendi ſi univerſaliter ſumatur: cùm ſpiritus hominis partialiter concurrat ad hominis conſtitutionem & ſit illius forma eſſentialis, quod de Spiritu Sancto reſpectu Dei dici nequit: nam in Deum ſimpliciſſimum nulla cadit compoſitio ex partibus vel integralibus, vel eſſentialibus, quæ ſunt naturarum corporearum & materialium; Nec etiam Apoſtolus vult 1. Cor. 11, 11. eodem planè modo in omnibus ſe habere Spiritum Sanctum ad Deum quo ſe habet ad hominem ſpiritus humanus, ſed tantum non magis latere Spiritum Sanctum ea quæ Dei ſunt, ut illa certò nobis queat revelare quantum noſtra ſcire intereſt, quam ſpiritum humanum latent quæ ſunt hominis. Jam autem vel pueri norunt vitioſum eſſe argumentum quod procedit à dicto ſecundum quid & limitate, ad dictum abſolutè & ſimpliciter; Et cùm omne ſimile ſit etiam diſſimile, perperam urget Volkelius ſimile Pauli, extra ipſius Apoſtoli metas & mentem, ut inde colligat quod ſicut Spiritus hominis in homine non eſt perſona ab homine ipſo diſtincta, ita Spiritus Sanctus Dei in Deo, non ſit perſona diſtincta ab ipſo Deo cujus Spiritus eſſe dicitur: Quanquam & luſus ſit hìc in voce *Dei*: Nec enim dicimus Spiritum Sanctum eſſe perſonam diſtinctam à Deo, ſi hoc nomen ſumatur οὐσιωδῶς, quo ſenſu non notat perſonam, ſed eſſentiam ſive naturam divinam, à qua ſingulæ perſonæ nonniſi ratione diſtingui poſſunt; Sed ſtatuimus Spiritum Sanctum eſſe perſonam diſtinctam à Deo Patre & Filio, licet utriuſque Spiritus ſit & appelletur: Nec enim eſt cenſendus Spiritus Dei Patris aut Filij formaliter, quomodo ſpiritus humanus eſt formaliter ſpiritus hujus vel illius perſonæ humanæ cui tribuitur; ſed uti ante dictum originaliter, quod à Patre Filioque proceſſerit ab æterno, & ſit utrique conſubſtantialis & coæternus.

Unde colligitur] Hanc collectionem eſſe vitioſam, modò demonſtratum eſt: Nec etiam jure negat Volkelius poſſe ſtatui

perſonam

perſonam perſonæ ineſſe, maximè in divinis; Filius enim dicitur eſſe in Patre & Pater in Filio, Joh XIV, 10. 11. eo quod unum ſunt Joh. X, 30. Cùm autem pari modo unum ſint Pater, Filius & Spiritus Sanctus 1. Joh. V, 7. non video qui non ſit pariliter, per eam circumince ſſionem quæ dicitur Theologis Græcis ἐμπεριχωρήσις, Spiritus Sanctus in Patre & Filio, & uterque in ipſo.

Huc accedit, quòd illud, quo baptizari quis dicitur, perſona eſſe nequit: quemadmodum nec aqua, quâ baptizamur, perſona dici poteſt. Cum autem Chriſti fideles Spiritu ſancto baptizari dicantur; (*Mat*: 3, 11. *Act*. 1, 5. 1. *Cor*. 12, 13.) parùmne liquet, Spiritum ſanctum perſonam minimè eſſe?

‡ *Huc accedit*] Fateor perſonam quidem non id eſſe quo propriè & phyſicè baptizamur, ut aquâ; ſed nihil obſtat quominus perſona ſit id quo baptizamur metaphoricè & figuratè per effuſionem ſuorum Chariſmatum in nos, quomodo dicimur *Spiritu Sancto baptizari* Matt. III, 11. Act. 1, 5. 1. Cor. XII, 13. An enim ideo negaremus Chriſtum eſſe perſonam, eò quod dicamur modò Chriſto veſtiri, modò illo cibari & nutriri, ceu pane qui de cœlo deſcendit, nec perſona dici queat id quo quis propriè & phyſicè, vel induitur ut veſte, vel nutritur ut pane? Apageſint tam inficeta deliria.

Quid, quòd eum Dei donum eſſe conſtat; (*Act*. 8, 17, 18, 20.) quod quidem perſonam divinam, id eſt, ipſum Deum appellari abſurdiſſimum eſt: cùm nemo ſui ipſius donum eſſe poſſit.

‡ *Quid quod eum*] Non repugnat Filium eſſe ſimul & Deum, & Dei donum, & ſuiipſius donatorem adeoque & donum: Is ſanè ita nobis datus eſt à Deo ut & ſeipſum dederit pro nobis, & ſeipſum nobis det in pabulum vitæ æternæ. Huc faciunt ejus verba Joh. VI, 51. *Panis quem ego dabo caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita*; Hinc dicebat Samaritanæ Joh. IV, 10. *Si noſſes donum illud Dei & quis ſit ille qui dicit tibi, Da mihi potum, tu petiiſſes ab eo & dediſſet tibi aquam vivam.* Cur non ergo pari ratione dixerit meritò Auguſtinus *lib.* 15. *de Trinit. cap*: 19. quod Spiritus Sanctus *ita datur ſicut donum Dei, ut etiam ſeipſum det ſicut Deus*? Et cùm perſona etiam humana ſeipſam dare vel vendere poſſit, non video cur perſona divina ſe pſam dare & ſuiipſius donum eſſe nequeat Adhæc, & quod præſertim hîc notandum, Spiritus Sanctus dicitur donũ non tam ſui reſpectu quam reſpectu Patris & Filii, à quibus procedit & nobis datur; prout ipſe Filius qui cæteroquin perſona eſt, etiam Patris donum eſt Joh. III, 16. Quo intuitu docent Scholaſtici æquè convenire Spiritui Sancto dici *Donum*, relativè ad Patrem & Filium, ac Filio per reſpectum ad Patrem *Imaginem* Patris appellari. Videatur Thomas 1, 1. *q*. 38. *art*. 1. & 2.

Poſtremò Spiritum ſanctum in Apoſtolos, alioſque innumeros Chriſto fidem adjungentes effuſum, & inter eos diſtributum eſſe legimus (*Act*. 2. 17, 33.

Hebr.

Hebr. 2, 4.) id quod in divinam perſonam cadere non poteſt; imo nulli prorſus perſonæ convenit. Nulla enim perſona pluribus perſonis, & longiſſimè quidem inter ſe diſtantibus, dari eodem tempore poteſt.

‡ *Poſtremo Spiritum*] At verò non magis repugnat ut perſona Spiritus Sancti figuratè *effundi* dicatur, ſuorum maximè Chariſmatum reſpectu, quam perſona Filii dicitur figuratè Pſal. LXXII, 6. deſcendere *inſtar pluviæ* ſuper ſectam herbam, & inſtar *imbrium* quibus irrigatur terra. Non lego tamen uſpiam *diſtributum*, ſive διαμεριζόμενον, dici Spiritum Sanctum inter Apoſtolus aut alios; ſed effuſus duntaxat dicitur Act. II, 17. 33. In altero vero loco Heb. II, 4. commemorantur quidem diſtributiones Spiritus Sancti & ipſius μερισμοὶ, quantum ad ipſius dona quæ ſingulis ipſe diſtribuit *uti vult* 1. Cor. XII, 11. ſed ipſe tamen διαμεριζόμενος non dicitur. Dicuntur quoque Act. II, 4 διαμεριζόμεναι linguæ illæ igneæ, quæ erant Symbola extraordinaria præſentiæ & operationis Spiritus Sancti; ſed id ad ipſummet Spiritum Sanctum trahi non debet. Eſt enim in ſe indiviſibilis & impartibilis, ita ut etiam ubi pluribus communicatur, totus communicetur, nec in partes diſtribuatur. Non poſſe vero ullam perſonam *pluribus perſonis & longiſſimè quidem inter ſe diſtantibus dari eodem tempore*, tam verum eſt de perſona finita, quam falſum de infinita, qualis eſt perſona Spiritus Sancti, cujus omnipræſentia deſcribitur graphicè Pſal. CXXXIX, 7. 8. 9. 10. Quare non magis repugnat Spiritum Sanctum, utpote immenſum & omnipræſentem, pluribus perſonis, quamvis diſtantibus a ſe mutuo, dari eodem tempore, ut corda eorum ſpecialiori modo & gratioſè inhabitet, quam Patrem & Filium in iiſdem ſanctis à ſe mutuo valde diſſitis habitare Joh. XIV, 23. aut Chriſtum nominatim præſentem ſe ſiſtere ubicunque duo vel tres fuerint congregati in nomine ſuo Matt. XVIII, 20. & ita ſe omnibus ſuis manducandum dare, ut jure dicat Joh. VI, 56. *Qui edit carnem meam & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in eo.*

Adverſarii tamen noſtri, Spiritum ſanctum divinam perſonam eſſe, duobus modis demonſtrare nituntur, nimirum tum rationi, tum ſcripturæ documentis. Primò enim hunc in modum argumentantur: Si, inquiunt, Spiritus ſanctus non eſt divina perſona, & ſic Deus creator omnium, certè creaturam eum eſſe neceſſe eſt: cùm omne, quod eſt, aut creator ſit, aut creatura. Reſpondemus igitur, hoc axioma verum non eſſe. Nam nec Dei ſapientia, juſtitia, aliaque divina attributa, perſonæ divinæ ſunt, quamvis nec creatores, nec creaturæ dici poſſint. Tametſi igitur Spiritum ſanctum nec divinam perſonam, nec creatorem eſſe contendimus, tamen creaturam enum non eſſe libentiſſimè fatemur.

‡ *Adverſarii tamen*] Volkelius non refert omnia argumenta, quibus Catholica fides de divinitate & perſonalitate Spiritus Sancti adſtrui ſolet: Sed nec ab iis quæ ſibi proponit refutanda ſatis poteſt ſe expedire. Primum hoc quod attinet, cum fatente Enjedino, ubi expendit locum 1. Cor. XII, 4. Spiritus

Digitized by Google

Sanctus non ſit *accidens*, ſed *ſubſtantia*, inde omninò aut Creator aut Creatura dici debet: Creaturam illum nemo dixerit ſanus; ergo meritò ſub hac formula adorari & invocari poteſt in Eccleſia, *Veni Creator Spiritus.* Hinc quoque opus Creationis illi meritò tribuitur Pſal. XXXIII, 6. Job. XXVI, 13. XXXIII, 4. Non evertit autem noſtrum argumentum, reſponſio adverſarii; Nam 1. in Schola Sociniana, omnia *attributa divina*, cujuſmodi ſunt *ſapientia*, *juſtitia* &c. Deo conveniunt per modum accidentium; jam autem ſupponimus Spiritum Sanctum non eſſe accidens, ſed ſubſtantiam, eamque non brutam, ſed intelligentem; quâ ratione, etiam ex perſonæ definitione quam adoptant Sociniani, quod ſit *ſubſtantia prima intelligens*, ſupra *lib.* 1. *cap.* 17. perſona debet agnoſci. 2. Aliter Scriptura loquitur de Spiritu Sancto quam de Dei juſtitia, ſapientia, vel miſericordia: De his enim loquitur ſæpè in abſtracto, ceu de attributis & proprietatibus illius, quæ ipſi conveniant ut ſuo ſubjecto, ſaltem denominationis & attributionis; & ubi de iiſdem loquitur in concreto, id facit adjectivè, ut cùm Deus ſapiens, juſtus, miſericors, dicitur: At nec unquam loquitur de Spiritu Dei in abſtracto, unde poſſet concipi per modum attributi eſſentialis: nec etiam unquam aliter loquitur de illo quàm ſubſtantivè: Quare non vult eum concipi per modum proprietatis eſſentialis Dei, ſed per modum illius ipſius ſubjecti cui proprietates divinæ conveniunt: verè enim dixeris Spiritum Dei eſſe juſtum, ſapientem, miſericordem &c. 3. Non ſic argumentamur ut fingit Volkelius, Spiritus Sanctus aut eſt Creatura aut eſt perſona Divina, ſed tantum ſic, aut eſt Creatura aut Creator; cùm nihil ſubſtantivi poſſit concipi, quod rationem medii inter hæc duo obtineat. Quin hoc etiam modo poſſet dici de juſtitia Dei v. g. alio-ve attributo divino eſſentiali, quod ſit vel Creatura, vel Creator: Etenim quam verum eſt dicere nihil eſſe in Deo quod non ſit Deus, qui eſt ipſe ſua juſtitia, ſapientia &c. tam verum eſt dicere juſtitiam Dei eſſe eſſentialiter ipſum Deum, adeoque ipſummet Creatorem. 4. Si Spiritus Sanctus nec Creator ſit, nec Creatura, debebit ſtatui, vel pars, vel accidens, vel operatio ipſius-met Creatoris: Sed nullum horum omnium poteſt concipi aut aſſeri: non erit accidens in Deo, in quem nulla cadunt accidentia; non operatio, quia per illum Pater operatur, & multæ operationes illi ipſi tribuuntur; non pars aliqua integralis aut eſſentialis, cùm Deus ex partibus non componatur. 5. Si datur ullum medium negationis extremorum inter ens creatum & increatum, erit modus aliquis entis, qui nec Creator dici poteſt, nec Creatura; quamvis modi entium ſint rebus ipſis concreati à Deo: Hoc reſpectu vulgò ſtatuitur in Scholis dari medium inter ens & nihil, nempe modos entis, qui non ſunt merum nihil, licet entia propriè dicta nequeant ſtatui. At verò Spiritus Sanctus non poteſt ſtatui merus modus; Ergo creatura cùm non ſit, creator eſt agnoſcendus, quo poſito perſonam eum fore fatetur Volkelius.

Ex Scripturis quoque ſanctis tria potiſſimùm argumentorum genera ducunt. Primum ex Spiritus ſancti ſumitur actionibus: alterum ex illis rebus, quæ ab hominibus erga illum fieri dicuntur: tertium ex illis ſcripturæ locis depromitur, in quibus Spiritus ſanctus Patri Filioque adjungitur.

Jam quod ad Spiritus ſancti actiones attinet; multas ei tribui dicunt, quæ non

Digitized by Google

non niſi perſonis conveniant: veluti cum mitti, venire, audire, loqui docere, teſtificari, oracula dare, velle, decernere, conſolari, in memoriam revocare, Chriſtum glorificare, mundum arguere, pro ſanctis poſtulare, profunda Dei ſcrutari, ut columba apparere, in vel ſuper aliquo manere, aliaque multa facere, in divinis literis dicitur. (*Joh.* 16. 7, 8, 13. & 14. 26. *Luc.* 2. 26. 1. *Cor.* 12. 11. *Act.* 15. 28. *Joh.* 14. 16. 26. 16. 4, 8. *Rom.* 8. 26. 1. *Cor.* 2. 10. *Luc.* 3. 22. *Joh.* 1. 32.)

‡ *Ex Scripturis*] Quia placuit Volkelio ita diſtribuere argumenta Orthodoxorum ex Scripturis deſumpta, haud gravatè ejus veſtigiis inſiſtemus.

Iam quod ad Spiritus] Agere & operari *ut quod*, juxta ſtilum Philoſophorum, eſt ſolum ſubſtantiæ ejuſque ſingularis; unde axioma illud indubitatæ veritatis, *Actiones ſunt ſuppoſitorum.* Imò actio, ut definitur Campanellæ, nihil aliud eſt quam *ſubſtantiæ agitatio, & virium illius veluti effluxus & executio.* Et quomodo ſolis ſubſtantiis competat, explicatum dat Iſendornius *Effat. Philoſ. cent.* 5. *effato* 62. Jam autem ut ex actionibus variis quæ tribuuntur Spiritui ſancto, colligimus neceſſariò eum eſſe ſuppoſitum aliquod, ſive ſubſtantiam ſingularem, ita ex eo quod nominatim illi conveniant actiones intelligentis naturæ, ſequitur eum eſſe perſonam, ex ea hypotheſi adverſariorum juxta quam perſona definitur, ut ante viſum, ſubſtantia ſingularis intelligens. Illæ actiones intelligentis naturæ plures commemorantur de Spiritu Sancto in Scripturis, nominatim cùm dicitur exacerbari, offendi & contriſtari peccatis hominum, Eſ. LXIII, 10. Matt. XII, 31. Epheſ. IV, 30. deducere nos in omnem veritatem, loqui quæcunque audierit, & ventura denunciare Ioh. XVI, 13. teſtari unà cum Patre & Filio 1. Ioh. V, 7. ſcrutari omnia etiam profunditates Dei 1. Cor. II, 10. conſolatorem & advocatum noſtrum agere Ioh. XVI, 7. ac interpellare pro nobis Rom. VIII, 27. 28. unum eundemque omnia agere diſtribuendo privatim ſingulis ſua chariſmata uti vult 1. Cor. XII, 11. Paſtores & Epiſcopos in Eccleſia Dei conſtituere Act. XX, 28 &c. Et ne credatur hæc omnia tribui Spiritui Sancto, *ut quo* non *ut quod*, id eſt quia Pater hæc omnia per ipſum agat, diſertè in Scripturis *alius* à Patre & Filio appellatur, & *miſſus* ab utroque adeoque ab utroque diſtinctus deſcribitur Ioh. XIV, 16. XV, 26. XVI, 17. Iam autem cùm multas ejuſmodi actiones perſonales tribui Spiritui Sancto in Scripturis non diffiteatur Adverſarius, & eò faciunt multa loca ab ipſo annotata, videamus quomodo ſe conetur expedire, & luci tam evidenti tenebras offundere.

Reſpondemus autem, in ſacris literis uſitatiſſimum eſſe, ut ea, quæ perſonis propriè conveniunt, iis adſcribantur rebus, quæ perſonæ non ſunt, cujus rei inter alia innumera illuſtre habes exemplum 1. Cor. 13. 4. & d. ubi Apoſtolus per aliquot verſiculos de charitate, tanquam de perſona aliqua loquitur, ea illi adſcribens, quæ propriè loquendo nonniſi perſonæ conveniunt.

‡ *Reſpondemus*] Agnoſcimus dari quidem proſopopœas in Sacra Scriptura, de quibus conſulendus Salomon Glaſſius *Philol. ſac. lib.* 4. *parte* 1. *cap.* 9. ſed tamen negamus in

genere per proſopopœam poſſe intelligi ea omnia perſonalia quæ Spiritui Sancto tribuuntur: Nam proſopopœæ, accuratè loquendo, ſubjectum non aliud eſſe ſolet quam res aliqua corporea, vitâ tamen vel ſenſu carens. Proſtant illius exempla Pſal. LXV, 13. XCVIII, 8. Eſ. LV, 12. Jonæ I, 4. Joh. III, 8. Ita dixit Virgilius; *Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta vocabant*; Hinc Glaſſius σωματοποιΐαν quâ Scriptura de accidentibus quibuſdam ut de hominibus loquitur, eaque corpore quodam donat, diſtinguit à προσωποποιΐα quâ res corporeæ & mutæ perſonarum officia induere videntur. Jam autem Spiritus Sanctus, nec merum *accidens* dici poteſt, cui per σωματοποιΐαν perſonalia quædam tribuantur; nec res corporea, ſed muta, & vitâ ac ſenſu carens, cui talia per proſopopœam conveniant. Adhæc cùm per hanc figuram uni alicui rei corporeæ ſenſu vel vitâ deſtitutæ, nonniſi una vel altera ad ſummũ actio vel affectio humana tribui ſoleat, ut fluminibus plaudere manibus, cœlo & terræ audire, cœlis narrare Dei gloriam &c. & de illa eadem aliàs Scriptura loquatur ſæpiùs ſimpliciter & abſque tropo, ut ex aliis locis infinitis facilè quivis poſſit intelligere eam non eſſe perſonam, & per conſequens ſi quæ perſonalia illi tribuantur alicubi, id fieri figuratè; mirum foret Scripturam, 1. non aliter loqui de Spiritu Sancto quam figuratè, cùm ſemper de ipſo ut de perſona loquatur; 2. nullam omittere actionem & affectionem perſonalem quam illi non tribuat; ſcrutandi 1. Cor. II, 10. volendi 1. Cor. XII, 11. teſtandi Joh. XV, 26. Rom. VIII, 17. 1. Joh. V, 6. loquendi Joh. XVI, 13. interpellandi pro aliis Rom. VIII, 26. veniendi ad alios Joh. XVI, 8. vocandi & mittendi Act. XIII, 24. XX, 27. diſtribuendi ſua dona 1. Cor. XII, 11. deſcendendi formâ viſibili Matt. III, 16. manendi apud alios Joh. XIV, 16. offendi & triſtitiâ ac contumeliâ affici Matt. XII, 21. Heb. X, 29. Eph. IV, 30. &c. Sanè ſi tam multa de Spiritu Sancto dicta licet per proſopopœam interpretari, quis impediet quominus aliquis æquè væcors ac Volkelius, ex Chriſto, Paulo, vel Moſe, merum phantaſma faciat, & quæ de illis dicuntur & narrantur in Scripturis ſacris figuratè ac per proſopopœam aſſeri obſtinatè pertendat? Igitur dum huc confugiunt adverſarij, circa ea quæ dicuntur de Spiritu Sancto, ſuam τῆς διανοίας ἀῤῥωστίαν evidenter produnt: Dent enim nobis vel unum exemplum earum rerum quibus cùm perſonæ non ſint tam multa perſonalia ſimul adſcribantur in Scripturis & diverſis in locis, & tum forte hoc ſuum effugium utcunque conſtabilient. Sed hic primò gratis ſupponunt Spiritum Sanctum non eſſe perſonam; cùm ex nullo Scripturæ loco id queant probare; deinde ubi urgentur per tot perſonalia ipſi paſſim tributa in Scripturis, recurrunt ad proſopopœam, aut neſcio quas figuras innominatas; cùm nec proſopopœæ, ut modò viſum, nec ſomatopœæ ſubjectum eſſe queat.

Cujus rei inter] Verùm non hic eſt proſopopœa ulla, ſed metonymia adjuncti pro ſubjecto, abſtracti pro concreto; Nam quæ de charitate ſoſè dicuntur à Paulo 1. Cor. XIII, 4. & d. ſunt intelligenda de homine charitate prædito: Deinde, talis metonymia non poteſt ſubeſſe in iis quæ de Spiritu Sancto dicuntur, cùm nec in abſtracto uſurpetur, ut charitas; nec habeat, ut illa, in homine rationẽ qualitatis aut accidentis; nec tales de ipſo loquutiones, propriè de Deo cujus eſt, poſſint intelligi; ut cùm dicitur à Deo mitti, pro nobis interpellare apud Deum, teſtari cum Patre & Filio &c. prout propriè de homine fideli charitate inſtructo dici poſſunt & intelligi debent quæ metonymicè & figuratè eo loco dicuntur de ipſa charitate.

Multa

Multas profectò actionum earum, quæ Spiritui ſancto in ſacr. literis tribuuntur, aliis quoque rebus adſcribi manifeſtè cernimus. Nam auxilium, (*Pſal.* 20.3.) redemptio, (111.9.) miſericordia, veritas, (57.4.) ira, (78. 49.) eloquium, (107.20. 147.15,18. *Eſa.* 55.11.) à Deo mitti; regnum Dei, (*Mat.*6.10. *Luc.* 17.20.) fides, (*Gal.* 3.23, 25.) dies (*Luc.* 23.29.) & hora, (*Joh.* 4.21,23.) Dei ira (*Eph.* 5.6.) venire; ſermo (*Eph.* 4. 29.) aliaque hominum facta procedere; (*Mar.* 7.15,21,23.) cœlum, terra, montes audire; (*Eſa.* 1.2.) ſanguis Chriſti, (*Heb.* 12.24.) Lex, (*Rom.* 3.19.) Scriptura loqui; (*Joh.* 7.38. 19.37. *Rom.* 4.3.) cœlum Dei gloriam enarrare, firmamentum annunciare; (*Pſal.* 19.1,3,4.) aſtra aliæque res inanimatæ Deum laudare; (*Iob.* 38.7. *Pſal.* 148.3,4.) natura (1. *Cor.* 11.14.) unctioque docere; (1. *Iob.* 2.27.) Chriſti opera, (*Iob.* 5.36.) ſanguis, aqua teſtificari; (1. Joh. 5.8.) ſpiritus ſeu ventus, (*Ioh.* 3.8.) & impetus gubernatoris velle; (*Iac.* 3.4.) manus Dei decernere; (*Act.* 4.28.) virga & baculus Dei conſolari; (*Pſal.* 23.4.) ira Dei ſuper aliquem vel aliquo manere dicitur. (*Ioh.* 3.36.) Quòd ſi quædam actiones Spiritui ſancto attribuuntur, quas alibi rebus aliis attributas vix reperias; cogitandum eſt, idem in aliis quoque rebus contingere. Percurrat quis ea, quæ de charitate à Paulo loco ſuprà citato dicuntur, & comperiet, non pauca de ea dici, quæ alibi de aliis rebus pronunciata haud temerè deprehendas.

‡ *Multas profectò*] Sed parũ juvat adverſarij cauſam hæc obſervatio: Nam 1. Nulli harum rerum, ut uni Spiritui, omnes hæ actiones tribuuntur, ſed tantum ſingulæ ſingulis. 2. Valdè abſonum eſt id ſive argumenti, ſive exceptionis genus, Multæ ſunt loquutiones figuratæ in Sacra Scriptura de aliis rebus, ergo quicquid de Spiritu Sancto legitur in Scripturis, id omne figuratè & per proſopopœam debet intelligi. 3. In exemplis tam operoſè congeſtis à Volkelio, multa ſunt quæ ad proſopopœam referri non poſſunt, quod cuivis ea propiùs attendenti facilè patet; & per conſequens eò minus faciunt ad mentem adverſarii; neque his ſigillatim vel expendendis vel explicandis debemus immorari. 4. Etſi quædam figuratè de Spiritu Sancto dicerentur, non tamen inde ſequeretur cœtera, ex quibus perſonalitas ejus colligitur, impropriè & per proſopopœam ſumi debere; Sicut nemo ſanus dixerit ἀνθρωποπαθῶς eſſe ſumenda quæcunque de Deo leguntur in Scripturis, eo quod Scripturæ de Deo nonnunquam per ἀνθρωποπάθειαν loquantur.

Quod ſi quædam actiones] Hoc non urgemus, ſed id potiſſimum, quod nulli alii rei non perſonæ tot actiones perſonales, ac uni Spiritui Sancto attributas reperire ſit; ut ex illa multitudine & conſtanti ſtylo Scripturæ, eam de Spiritu Sancto intelligendam eſſe propriè non figuratè, meritò pertendamus.

Percurrat quis ea] At verò illa quæ de charitate per metonymiam dicuntur, revera dicuntur de perſonis charitate præditis: quod alienum eſſe à loquutionibus Scripturæ de Spiritu Sancto ſuprà oſtenſum eſt.

Digitized by Google

Accedit, quòd non pauca ex iis locis, quæ actiones perſonarum proprias Spiritui ſancto adſcribunt, per proſopopœiam id fieri apertiſſimè oſtendunt. Quid enim illud eſt, quòd Spiritus ſanctus ea demum, quæ audierit, (*Ioh.* 16. 13.) Apoſtolis dicitur annunciaturus? an fortè audire, & ſic ab alio quicquam diſcere ac cognoſcere, propriè loquendo poteſt; an non manifeſtum eſt, cum inſtar legati cujuſdam induci, qui veluti in locum Chriſti ſit ſucceſſurus, & quæ ad religionem ipſius & gloriam pertinent, pleniſſimè ſit explicaturus? quia verò legatus, ſi fideliter officio fungi velit, non à ſeipſo loqui, ſed ea demum, quæ à mittente audierit, debet; ideò idem de Spiritu ſancto dicitur. Similiter igitur de aliis, quæ in eodem Chriſti ſermone Spiritui ſancto tribuuntur, ut quòd diſcipulos conſolaturus, docturus, futura iis annunciaturus, de Chriſto teſtificaturus, cum glorificaturus dicitur, judicandum eſt: quemadmodum ſanè eventus docuit. Neque enim Spiritus ſanctus
495 tanquam perſona aliqua vera, iſta omnia peregiſſe deprehenditur, ſed ut afflatus quidam cœleſtis, ſeu vis atque efficacia divina, diſcipulis Chriſti inſpirata.

‡ *Accedit quod non pauca*] Sed dato non conceſſo, *non pauca* quæ de Spiritus Sancti actionibus leguntur, *per proſopopœam* aut aliam aliquam figuram eſſe intelligenda, quis inde bonus diſputator ex particulari colliget univerſale? Non pauca per nos de Sp. S impropriè intelligantur; manebit tamē inconcuſſa veritas, ſi vel una perſonalis actio illi propriè nec figuratè tribuenda agnoſcatur. Verùm nec exemplum quod hîc adfertur ex Joh. xvi, 13. quicquam favet cauſæ Volkelianæ: Nec enim pertinet ad proſopopœam, ſed potius ad anthropopathiā, in quantum *audire* à Patre & Filio *ἀνθρωποπαθῶς* dicitur Spiritus Sanctus *ut Deus*, *quia ut Deus à Patre & Filio, à quibus procedit, accipit ſcientiam*, ut obſervat ex Auguſtino *tract.* 99. *in Ioh.* Cardinalis Toletus *annot.* 21. *in* 16. *Ioh.* *Audire illi*, inquit Auguſtinus, *ſcire eſt, ſcire vero eſſe. Quia ergo non eſt à ſemetipſo, ſed ab illo à quo procedit, à quo illi eſt eſſentia* (per communicationem) *ab illo ſcientia, ab illo igitur audientia, à quo nihil eſt aliud quam ſcientia.* Imo quæ hic dicuntur de Spiritu Sancto, illum videlicet à ſe ipſo non loquuturum, ſed eloquuturum quæ audierit, dicuntur pariter de Filio; Joh. xv, 15. *Omnia quæ audivi à Patre meo nota vobis feci*; Joh. VIII, 26. *Qui me miſit verax eſt, & ego quæ audivi ab eo hæc loquor mundo*; Joh. v, 30 *Prout audio judico*; Joh. III, 32. *Quod vidit & audivit hoc teſtatur*; Quare prout ex eo quod Chriſtus dicit ſe non loqui ex ſemetipſo, ſed ea demum proferre quæ à Patre audierat, quaſi in illius ſinu Joh. I, 18. colligimus meritò Chriſtum eſſe perſonam à Patre diſtinctam; ita diſtinctio perſonalis Spiritus Sancti à Patre & Filio, meritò inde colligitur, quod non loquatur à ſeipſo, ſed ea demum quæ audivit & accepit ab utroque. Sanè nequidem in Schola Sociniana Deus ideo deſinet eſſe perſona quod *audire* dicatur vel preces fidelium, vel ſanguinem Abelis, vel Sodomæ & Gomorrhæ clamorem; item *inquirere* in ſcelera hominum; *cognoſcere* demum Abrahami dilectionem; deſcendere ut videat & *cognoſcat* num ita ſe res habet: An igitur non erit perſona Spiritus Sanctus, quod *audire, & ſic ab alio*

quicquam

Digitized by Google

quicquam diſcere ac cognoſcere propriè loquendo non poteſt? Imo poſſet-ne *inſtar legati cujuſdam induci, qui veluti in locum Chriſti*, præſentiam ſuam ſenſibilem ſubducentis Apoſtolis, *ſit ſucceſſurus, & quæ ad religionem ipſius & gloriam pertinent pleniſſimè ſit explicaturus*, quin eo ipſo vera perſona à Chriſto diſtincta ſtatuatur? Atque huc ſpectat, quod expreſſè & *alius* à Patre & Filio, & *alius paracletus* à Chriſto, & *miſſus* ab utroque dicitur Joh. XIV, 16. XV, 26. XVI, 14. 17. Quare omninò *ſimiliter de aliis quæ in eodem Chriſti ſermone Spiritui ſancto tribuuntur, ut quod diſcipulos ſolaturus, docturus, futura iis annunciaturus* &c. *judicandum eſt*: Hæc enim cùm fecerit ceu ſupplens vices Chriſti carne abſentis, adeo ut propriè, non figuratè, diſcipulos conſolatus fuerit, docuerit, deduxerit in omnem veritatem &c. inde patet eum propriè non figuratè & mitti & alium dici à Patre & Filio, quod utique perſonale eſt. Nequivit ipſa conſolatio ſubjectiva Apoſtolorum, eorumque inſtitutio, & futurorum ab illis prædictio, & miraculorum per eos patratio, ad gloriæ Chriſti illuſtrationem & teſtificationem Evangelij, eſſe à Spiritu Sancto effectivè, quin ipſe ſtatuatur author illius conſolationis, inſtitutionis, prædictionis futurorum, ac patrationis miraculorum, atque ſic verè & propriè dicta perſona cenſeatur.

Nec enim Spiritus] Agnoſcimus in Apoſtolis afflatum illum divinum illamque ἐνέργειαν & vim entheam; Sed illius afflatus author eſt ipſa perſona Spiritus Sancti, qui ſua dona & chariſmata diſtribuit prout vult 1. Cor. XII, 11. Si enim Energumeni, Engaſtrimythæ, & quæ olim ſive Sibylla, ſive vates Delphica, Apolline replebatur, ita Dæmonis & Pythonis afflatu agitantur, ut ejus actualem & perſonalem præſentiam in ſe admittant, quanto magis afflatus ille cœleſtis & vis divina in piis perſonalem & actualem præſentiam Spiritus Sancti demonſtrabit? Et hinc factum quod in prima Pentecoſte iſtius præſentiæ perſonalis Symbola extiterint viſibilia in Apoſtolos effuſa, quominus dubitaretur ab eo eſſe vim atque efficaciam illam divinam, quam in ſeipſis experiebantur, & apud alios exerebant.

Illo verò Apoſtoli loco (*Rom.* 8. 27, 28.) quid apertius, cùm ait: *ipſum ſpiritum interpellare pro nobis gemitibus ineffabilibus: eum autem qui ſcrutatur corda, noſſe, quis ſit ſenſus Spiritus, quòd ſecundum Deum interpellet pro ſanctis.* Quid enim? num Spiritus ſanctus propriè loquendo orat, & preces ad Deum pro nobis fundit? num propriè loquendo gemit ac ſuſpirat? annon patet, idcò id ſpiritui tribui, quia is gemitus illos in piorum pectoribus excitet?

‡ *Illo verò Apoſtoli*] Non inficior gemitus illos inenarrabiles, quorum fit mentio Rom. VIII, 27, 28. per quos Spiritus interpellat pro nobis, eſſe ac dici Spiritus Sancti, non formaliter, ſed effectivè, quatenus *eos in piorum pectoribus excitat*; verumtamen illa ipſa ejus interpellatio & ἔντευξις formaliter ei eſt adſcribenda; non quod fundat ipſe preces ad Deum ſuſpirando & gemendo in gratiā noſtri, ſed quod cùm ſit *Spiritus precum*, uti dicitur Zachar. XII, 10. nobis ſuggerat & dictet preces ſalutares, & corda moveat ad ſuſpiria pia & gemitus columbinos, quos nequidem verbis ſufficientibus valemus exprimere. Nolim equidem cum Cornelio à Lapide tribuere Spiritui Sācto quod poſtulata noſtra exponat apud

Deum

Deum *in conſiſtorio S. S. Trinitatis*, aut pro nobis ad ipſum legatione fungatur, ut Gregorio Nazianzeno *orat. 2. de fi 10*, ὑπερεντυγχάνειν idem videtur eſſe quod πρεσβεύειν; Sed pertendo Spiritum Sanctum in eo ὑπερεντυγχάνειν pro nobis, quod nobis dictet noſtros libellos ſupplices, ac nos informet intus quid & quo modo precari debeamus: Quod Origenes *ad S. Rom.* illuſtrat non ineleganti ſimili, à ludimagiſtro, qui puerum plane rudem literas edocturus, ipſi prævit in literarum pronunciatione. Hæc autem talis interpellatio ejus perſonalitatem eo fortiùs adſtruit quod inde dicitur ἄλλος παράκλητος, diſtinctè ab ipſomet Chriſto, qui cæteroquin etiam noſter παράκλητος πρὸς τὸν πατέρα appellatur 1. Joh, II, 1. Etenim ſi παράκλητος diceretur tantum figuratè, quod propriè Chriſtus is ſit qui vi & efficaciâ Spiritus Sancti nos ſolatur, illaſque preces excitat quas ſuâ interceſſione pro nobis commendat apud Patrem, alius παράκλητος ab ipſo dici nõ potuiſſet. Quare ſicut Chriſtus perſonaliter eſt noſter apud Patrẽ παράκλητος, in cujus foro cauſam noſtram diſceptat & poſtulat pro nobis; nam *poſtulare*, inquit Ulpianus *l. 1. §. 1. ff. de poſt eſt deſiderium ſuum vel amici ſui in jure apud eum qui juriſdictioni præeſt exponere*; Ita perſonaliter Spiritus Sanctus debet ſtatui Patris & Filii παράκλητος apud nos, ideſt *interpres* eorum; ſiquidem apud Rabbinos vocabulum פרקליטא quod ſemper retinuit Syrus interpres in N. T. correſpondet Hebraico מליץ, quod non ſolum interceſſorem & deprecatorem pro minori erga majorem ſignificat, ut Jobi XXXIII, 23 quo ſenſu Chriſtus noſter eſt παράκλητος πρὸς τὸν πατέρα, id eſt ut Rabbini פרקליטא interpretantur apud Buxtorfium *in Lex. Talm. bonus interceſſor in hominis gratiam apud Regem*, ſed etiam quandoque ſonat interpretem majoris ad minorem, qualis erat ille quo Joſephus apud ſuos fratres utebatur Gen. XLII, 23. Quo ſenſu Spiritus Sanctus eſt Patris & Filii המליץ & παράκλητος apud nos, Joh. XIV, 16, 26. Quod ſane officium à perſonis ad perſonas nonniſi perſonale ſtatui poteſt. Sed præſertim ſi valeat diſtinctio quã proponunt quandoque ICti inter *Advocatum & Patronum*, ut hic ſit *qui cauſam agit*, ille verò *qui in conſilium advocatur*, ut monet Gothofredus *ad rub. Cod. de Advoc. divers. jud.* ita Græcum παράκλητος utrumque ſignificabit, ut Chriſti perſonæ conveniat maximè munus Patroni, *Advocat plaidant*, ceu cauſam noſtram & fideliter & vehementer & fœliciter agenti in foro Divino; Spiritui Sancto officium Advocati, *Advocat conſultant*, quod nobis detur in conſiliũ & conſiliarium aſſiduum, qui ſuggerat jugiter quæ ſunt agenda, & præcaveat ſuis præmonitionibus ac inſpirationibus ne impingamus. Quare ut qui in conſilium advocatur in aliqua lite perplexa, ſuo clienti dictat & ſuggerit libellos ſupplices judici offerendos, ita etiam in eo cenſetur Spiritus Sanctus, verus ille παράκλητος & Advocatus, ut Beza conſtanter illud per hoc interpretatur, interpellare pro nobis, dum nobis ſuggerit & ſuppeditat preces ardentes ac pias, quas ceu libellos noſtros ſupplices, per Chriſtum Patronum noſtrum Deo offeramus, & ita ſententiam abſolutoriam, ac, ut vulgò loquuntur, favorabilem apoſtillam conſequamnr.

Similiter cùm *Spiritus* dicitur *ſcrutari omnia, etiam profunda Dei* (1.Cor.2.10.) ſatis apparet, id Spiritui ſancto tribui, quod is in homine, cui ineſt, efficit, quodque adeò, propriè loquendo, non niſi illi ipſi homini competit. Quo eodem

eodem modo charitati tribuuntur ea, quæ ipſa in homine, cujus animum occupavit, efficit, quæque adeò ipſi homini charitate prædito propriè tribuenda ſunt.

1 *Similiter cùm Spiritus*] Falſiſſimum verò eſt hanc *profundorum* ſcrutationem, quæ tribuitur Spiritui Sancto 1. Cor. 11, 10. *propriè loquendo nonniſi illi homini cui ineſt* competere; adeoque non tam formaliter quam effectivè eam aſſignari Spiritui Sancto, quod is in homine efficiat ut omnia ſcrutetur, etiam profunda Dei: Etenim omnia ſcrutari, etiam profunda Dei, longè ſuperat & vires & officium hominis. *Scrutator* enim *majeſtatis opprimetur à gloria*, inquit Salomon in V.V. Prov. xxv, 27. Et cùm teſte Apoſtolo hoc loco, eodem modo ſe habeat Spiritus Dei ad ea quæ Dei ſunt perſcrutanda & cognoſcenda, quo ſe habet ſpiritus cujuſlibet hominis qui eſt in ipſo ad ejus occultiora conſilia penetranda & cognoſcenda, neceſſe eſt ſcrutationem & intimam illam cognitionem profundorum Dei, convenire Spiritui Sancto formaliter, prout ſpiritus hominis cujuſcunque propriè ac formaliter intima ſua conſilia rimatur & perſpectiſſima habet. Quid quod homo Spiritualis non poſſet aliter ſcrutari *omnia* quæ ad ſalutem ſuam ſpectant, quam ſi regatur & in omnem veritatem deducatur ab illo Spiritu Dei, cui tam convenit omnia Dei ſcrutari, penetrare & noſſe, quam convenit humano ſpiritui, qui eſt utique natura ſubſtantialis, hominis ipſius penitiſſima perſcrutari & pervidere. Huc potiſſimum facit ſcopus Apoſtoli, qui non alius eſt quam demonſtrare ſolum Spiritum Dei omniſcium & omnia ſcrutantem, poſſe nobis retegere & revelare ea quæ Deus paravit diligentibus ſe, quæ alioquin, ut habetur com. 9. nec oculus vidit, nec auris audivit, nec aſcenderunt in cor hominis. Adeoque τὸ *ſcrutari profunda Dei*, non eſt actio hominis per Spiritum Sanctum, ſed potiùs proprietas & character ipſius Spiritus Sancti; unde dignoſcitur illius ſolius eſſe nobis certò retegere ſalutis noſtræ, occulta & inacceſſa carni & ſanguini, jucundiſſima myſteria, Matt. xvi, 17. Ex his verò liquet ineptam admodum eſſe comparationem loci qui eſt præ manibus, cum eo qui de charitate exſtat 1. Cor. 13. Hîc enim eſſe metonymiam quâ abſtractum ponitur pro concreto, & quæ ſunt ſubjecti adjuncto aſſignantur, ut antea obſervatum eſt: at in præſenti textu talis metonymia non poteſt locum habere.

Intelligendum enim eſt, Spiritum ſanctum duplici ratione conſiderari, vel quatenus Dei ac Chriſti eſt, atque ab eo promanat; vel quatenus homini communicatur, atque ita in eo reſidet. Si priori modo conſideretur, aſcribuntur illi ea, quæ Deo & Chriſto propriè conveniunt, quæque is per ſpiritum ſuum efficit: quale inter alia eſt quòd dona varia hominibus pro arbitrio diſtribuat, (1. *Cor.* 12. 11.) quòd Apoſtolis olim annunciaturus eſſet futura, (*Joh.* 16. 13.) quòd paſtores in Eccleſia conſtituerit: (*Act.* 20. 28.) quanquam hoc poſtremum ad homines D. Spiritu afflatos, & ab eo, ut certos paſtores Eccleſiis præficerent, impulſos, referri poteſt. Si poſteriori modo Spiritus conſideretur, ea illi tribuuntur, quæ illius vi atque inſtinctu perficiuntur ab homine, quemadmodum paulò antè vidimus.

t *Intelligendum enim eſt*] Sed primùm neutro horum modorum proſopopœæ, quam crepant adverſarij, locus eſſe poſſet; verùm utrobique ſimplex metonymia: In priori, cauſæ inſtrumentalis pro principali; in poſteriori, adjuncti pro ſubjecto. Deinde concedo poſſe conſiderari Spiritum Sanctum, *vel quatenus Dei ac Chriſti eſt*, *vel quatenus homini communicatur* & *in eo reſidet*. Sed utroque modo perſona eſt ſtatuenda. Priori, quia ſic *procedit* à Patre & Filio, ut ſit *alius* ab utroque, & ab utroque mittatur; Poſteriori, quia ita *reſidet* in nobis ut illius Templa ſimus, quod Numinis eſt ac perſonæ, eumque contriſtari ac exacerbare non debeamus. Non negaverim Patrem & Filium ea facere per Spiritū Sanctum ad nos ſubmiſſum quæ illi quoque tribuuntur; Sed eodem modo quo ſæpiùs Pater hæc & illa per Filium operari dicitur: ne quis hîc cauſam inſtrumentalem vel miniſterialem ſibi imaginetur; Id verò perſonalitati ejus non derogat, ſed eam potiùs ſupponit & comprobat. Præſertim non video quî poſſint adverſarii uti hac exceptione circa loca quæ hîc citantur: Nam 1. Cor. XII, 11. Spiritus qui diſtribuit ſua dona *ſicuti vult*, & cujus dicuntur eſſe com. 4. *diſtinctiones donorum*, diſtinguitur & à Deo Patre cujus ſunt *diſtinctiones operationum* com. 6. & à Domino Chriſto cujus ſunt *diſtinctiones miniſteriorum* com. 5. Quare cùm Apoſtolus unicuique perſonæ appropriet quod ſuum eſt, non poteſt ſtatui Spiritus *dona varia hominibus pro arbitrio* diſtribuere, contradiſtinctè à Patre & Filio, quin perſona ab ipſis diſtincta ſtatuatur, prout agere *pro arbitrio* in donorum ſuorum diſtributione, eſt penitus perſonale. Sic Joh. XVI, 13. ille Spiritus qui *Apoſtolis olim annunciaturus eſſet futura*, ſatis luculenter diſtinguitur & à Filio quem erat glorificaturus, & à Patre qui illum miſſurus erat. Pariter Act. XX, 28. Spiritus Sanctus dicitur *Paſtores in Eccleſia* conſtituiſſe, quatenus ex illius dictamine ab Apoſtolicis viris conſtituti fuerant; quod iterum perſonale eſt, & illius qui jus habet talia deſignandi: confer ſimilem locum Apoc. XIII, 2. 4. ubi expreſſum legitur mandatum Spiritus Sancti dicentis, *Separate mihi Saulum & Barnabam ad opus ad quod eos evocavi*, ex quo fundamento dicuntur *emiſſi à Spiritu Sancto*. Et ſanè ſuam hic ἀκαταστασίαν prodit Volkelius. Neſcit enim utrum hæc Paſtorum conſtitutio ſit tribuenda Spiritui Sancto, quod ſit proprium opus Dei & Chriſti per ſuum Spiritum, an verò quod proceſſerit ab hominibus à Dei Spiritu afflatis & impulſis; Jam autem ut *Spiritus Sanctus quatenus Dei ac Chriſti eſt*, ſic eſt à Patre & à Filio, tanquam ab originis ſuæ principio, ut ſit nihilominus principium *quod* operationum ſuarum, ita etiam in quantum illæ operationes ab hominibus proficiſcuntur & exercentur *illius vi atque inſtinctu*, eſt earum principium *quo*, quia ſe habet illius vis & inſtinctus ad homines per modum formæ adjunctæ ex qua agunt & operantur; quod nihil planè deterit de illius perſonalitate. Verùm neque iſto ſparſo pulvere ſe expedit Volkelius: Nam ſemper reſtat definiendum quid omninò illud ſit, per quod ſic agunt Pater & Filius, ut ipſi tamen quod eorum eſt tribuatur, & quod ſic operatur in hominibus, ut iterum illi vindicetur quod ſub ejus inſtinctu hi operantur. Quid enim obſtat quominus perſona propriè dicta cenſeatur agens tantæ dignitatis, ut nomen & laudem conſequatur earum operationum quas & perſonæ divinæ per ipſum agunt, & illius vi atque inſtinctu peragunt pariter perſonæ humanæ?

Conſequens igitur eſt, (ut ex actionibus ducto argumento finem imponam),

Digitized by Google

nam) Spiritum ſanctum perſonam eſſe demonſtrari non poſſe; niſi fortè ut hoc inſuper addam, illam Spiritus ſancti columbinâ formâ apparitionem (*Luc.* 3. 22.) eum perſonam eſſe indicare volumus. At quis eſt inter iſta nexus? Nam etiamſi tandem columba perſona eſſet; an non id, quod perſona nequaquam eſt, atque adeò res inanimata, externam perſonæ formam referre poteſt? Sed deinde columbam perſonam non eſſe omnibus conſtat: cum perſona omnis intellectu eſſe debeat prædita: quomodo ergo ex ejus tantummodò forma ſpecieque externa colligitur, Spiritum ſanctum perſonam eſſe?

‡ *Conſequens igitur eſt*] Hoc *conſequens* inconſequens eſſe, liquet ex ſuperioribus: Argumentum verò noſtrum ex apparitione *Spiritus Sancti columbinâ formâ,* Matt. III, 16. Luc. III, 32. eo eſt firmius, quod ὑφιςάμενον & ſubſtantiale id eſſe debeat, quod apparere, deſcendere & communicari formâ viſibili dicitur: ut meritò id olim uſurpatum fuerit à Catholicis, *Abi Ariane ad Iordanem, & videbis Trinitatem.* Jam verò cùm ex iſta apparitione formâ viſibili, conſtet Spiritum Sanctum eſſe quid ſubſiſtens, eo ipſo debet eſſe perſona, ex adverſariorum definitione, quod non ſit ſubſiſtens brutum ſed intelligens. Et hinc patet quam ineptè declinet Volkelius vim hujus teli: Non enim ſic argumentamur, *Columba* eſt *perſona*, ergo Spiritus Sanctus erit perſona, quod formâ columbæ apparuit: Scimus enim columbam non eſſe perſonam; etſi neſciamus *id quod perſona nequaquam eſt, adeoque res inanimata, externam perſonæ formam*, ex uſu & ſtylo Scripturæ, aliquãdo vel aſſumere, vel *referre:* mittimus enim ingenioſa cõmenta Pictorũ ac Poetarum quibus *quidlibet fingendi ſemper fuit æqua poteſtas:* Adeo ut priores facilè aptent *perſonæ formam & figuram* iis rebus quas poſteriores per proſopopœam, ceu perſonas deſcripſerint: Sed id omninò ſcimus externâ rei ſubſtantialis formâ non apparere merum accidens; quia tunc plus foret in ſpecie quam in re: adeoque merum accidens non debet ſtatui Spiritum Sanctum qui apparuerit formâ corporeâ & viſibili.

Accedit, quòd non omnino conſtat, ſpeciem iſtam columbinam fuiſſe. Quamvis enim Lucas corporalem ſpeciem commemoret: non tamen dicit, eam columbinam fuiſſe; ſed ſpiritum in ea forma deſcendiſſe, ſicut columbam; 496.
id quod non ad explicandam formam, ſed ad modum deſcenſûs referri poteſt: præſertim cum conſentaneum ſit formam iſtam valde fuiſſe auguſtam, & divinum ac cœleſte quippiam præ ſe tuliſſe. Dicitur autem Spiritus ſanctus in forma illa deſcendiſſe, vel quòd præſentis illius efficaciæ divinæ, quâ Chriſtus cœlitùs implebatur, ſymbolum eſſet; vel quòd interveniente re aliquâ corporeâ, quanquam cœleſti, vis illa divina cum Chriſto fuerit communicata.

‡ *Accedit quod non omninò*] Sed etſi valeret εὕρημα Volkelij, nihil prodeſſet ſuæ cauſæ: cùm nobis ſatis ſit Spiritum Sanctum σωματικῷ εἴδει, *formâ corporeâ,* deſcen-

deſcendiſſe ſuper Chriſtum: Jam autẽ rem non ſubſiſtentem apparere & deſcendere formâ corporeâ, omninò improbabile eſt. Deinde huic obſervationi ſufficiet oppoſuiſſe quod habet Grotius, cujus authoritatem vix refugere poſſunt Sociniani, *ad Matt.* III, 16. *Rectè*, inquit, *an notatum eſt jampridem, ambiguum videri poſſe loquendi genus: poteſt enim intelligi aut ſpecies columbæ viſa, aut quod viſum eſt ita deſcendiſſe quomodo columbæ ſolent; Cæterùm cùm Lucas dicat disertè deſcendiſſe Spiritum* σωματικῷ εἴδει *Luc.* III, 22. *& Iuſtinus apertè exprimat columbæ ſpeciem, cùm dicit* ἐπελθόντος ἐν εἴδει περιστερᾶς πνεύματος, *nec quiſquam veterum, quod ſciam, aliter ſentiat, planè credo columbæ ſpeciem apparuiſſe, igneam forte, quomodo linguæ igneæ viſæ ſunt ſupra Apoſtolos:* φάσμα ὄρνιθος *dixit Origenes: quanquam veram fuiſſe columbam affirmat Tertullianus libro de carne Chriſti. Ignem autem eodem hoc tempore in Iordane apparuiſſe disertè prodit Iuſtinus, ex tradita haud dubiè fama. Nam & in Ebionæorum Euangelio, quod idem erat cum Nazaræorum, præter ſi qua Ebion* ὑποθέσεως χάριν *interpolavit, ita legebatur,* καὶ εὐθὺς περιέλαμψε τὸν τόπον φῶς μέγα. *Et idem reperitur in Liturgia Syrorum, in hujus hiſtoriæ narratione circa baptiſmum. Columbæ autem ſpeciem huc pertinuiſſe puto, quod is qui in Chriſto erat Spiritus, ſpeciali manſuetudinis notâ jam olim deſcriptus eſſet ab Eſaia* XLII, 1, 2, 3. *ut infra explicatur* XII. *Quò reſpicere etiam videntur Chriſti verba quæ ſunt apud Lucam* IX, 55. *Notum eſt autem proverbium* πραότερος περιστερᾶς, *ſicut &* τὸ ἀκέραιον *columbæ ſimilitudine exprimit Chriſtus infra* X, 16. *Eo autem credibilius eſt vaticinium illud Eſaiæ à Deo hic peculiariter ſpectatum, quod & vox prolata quæ ſequitur, eadem prope verba, quæ in eadem Eſaiæ pericopa extant, expreſſerit. Philo ex Hebræorum diſciplina per columbam ſignificari ait ſapientiam, non illam* φιλέρημον, *(qualis erat Baptiſtæ) ſed eam quæ ſit* ἥμερος καὶ τιθασσὸς καὶ ἀγελαῖος. *Negare tamen nolim tacitè reſpici veterem figuram columbæ quæ poſt diluvium ſigna renovati orbis ad Noam pertulit. Volatu autem ſignificari influxum divinum, notatum eſt Ioſepho Iacchai ad* IX. *Danielis.* Hæ igitur Grotij rationes ſufficiunt demonſtrando, non tantum hîc fuiſſe quid ſimile deſcenſui columbæ, ſed id quod deſcendit ſpeciem ac formam columbæ habuiſſe. Et ſi quippiam fuiſſet formâ longè auguſtius, non video cur potiùs deſcendiſſe ſtatueretur inſtar columbæ, quam inſtar alaudæ, vel milui, vel aquilæ, vel ciconiæ, aut alterius cujuſcunque alitis. Nec potuit id dici deſcendiſſe inſtar columbæ, quod avis iſtius nullam ſpeciem & formam exteriorem haberet. Nihilominus tamen id quod deſcendebat eâ formâ, *divinum ac cœleſte quippiam præ ſe tuliſſe*, vel inde patet, quod & cœli viſi ſint aperti, & iſta columba è cœlo dimiſſa ſuper Chriſtum deſcenderit & conſederit, & vox ſimul audita è cœlo, *Hic eſt filius meus* &c. At ut nolim inficiari etiam aliquid ignis & lucis tunc circumfulſiſſe Chriſtum & Baptiſtam in Jordane, ſic non putem ariolandum cum Grotio, iſtam columbam igneam fuiſſe, cùm ſufficiat eam illo ſplendore apparuiſſe quæ tribuitur columbæ ſpecioſiſſimæ Pſal. LXVIII, 14.

Dicitur autem Spiritus] At verò ſemper reſtat explicandum, quid intelligat Volkelius, nomine *præſentis illius efficaciæ divinæ quâ Chriſtus cœlitùs implebatur.* Hæc enim efficacia ſi ſit accidentalis in Chriſto, ut iſti volunt, *Symbolum* corporeum ſui habere non debuit: quia tunc fuiſſet ſignum re ſignificatâ eò excellentius & nobilius, quò ſubſtantia eſt nobilior accidente. Sin verò fuit ſubſtantialis, habeo quod volo; videlicet Spiritum Sanctum hoc Symbolo corporeo & ſubſtan-

ciali.

tiali ſignificatum, eſſe ſubſtantiam primam intelligentem, adeoque & perſonam divinam diſtinctam à Patre à quo veniebat & à Filio ad quem veniebat & mittebatur.

Vel quod interveniente] Sed ridiculum eſt fingere rem corpoream fuiſſe quaſi vehiculum cujus interuentu *vis illa divina* communicaretur Chriſto: Tum etiam non tunc demum fuit communicatus Chriſto Spiritus Sanctus, quaſi eo uſque illo caruiſſet, ſed potiùs oſtenſum & declaratum quantâ copiâ ei fuiſſet communicatus, ut pote cui non datus ſit Spiritus ad menſuram Joh. III, 34. Agnoſco quidem lubens, & illam ſubſtantiam corpoream quæ formâ viſibili inſtar columbæ apparebat & ſuper Chriſtum deſcendebat, non fuiſſe ipſum Spiritum Sanctum, ſed duntaxat Symbolum externum ac ſenſibile præſentis in Chriſto Spiritus Sancti, cujus vis & ἐνέργεια in Chriſto planè divina fuit: Verum eâ ratione non infringitur meum argumentū, quo pertendo eo ipſo Spiritum Sanctum eſſe concipiendum naturæ ſubſtantialis, quod ſubſtantiale & ſenſibile ſui Symbolum, in Baptiſmo Chriſti extare & excitare voluerit.

Jam ad ea veniendum eſt, quæ ab hominibus erga Spiritum ſanctum fieri dicuntur. Ea autem ſunt, in ipſum baptizari, (*Mat.* 28, 19.) illum blaſphemare, (*Mar.* 3, 29.) eidem reſiſtere. (*Act.* 7, 51.) Ex quibus quàm ineptè Spiritum S. perſonam eſſe colligant, hinc facilè perſpicitur, quòd & in Joannis baptiſma illi diſcipuli baptizati eſſe; (*Act.* 19, 3.) & noſtrum bonum (*Rom.* 14, 16.) doctrina, (1. *Tim.* 6, 1.) Dei ſermo, (*Tim.* 2, 5.) via veritatis, (2. *Pet.* 2, 2.) Dei tabernaculum (*Apoc.* 13, 6.) blaſphemari; & denique homines quidam ordinationi divinæ, (*Rom.* 13, 2.) veritati, & Apoſtolorum verbis (2. *Tim.* 3, 8. & 4, 15.) reſtitiſſe dicuntur, quamvis iſtorum nullum perſona ſit.

‡ *Iam ad ea veniendum*] Utique perſona eſt divina, à Patre & Filio diſtincta in cujus nomine baptizari debemus Matt. XXVIII, 19. Nec dicit Scriptura nos in Spiritum Sanctum baptizari, ſed in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti. Adeoque nihil eſt commune illi phraſi cum eo quod illi duodecim diſcipuli rogati à Paulo *in quo eſſent baptizati, dixerint in Iohannis baptiſma*, Act. XIX, 3. Quibus verbis, ut benè monet Beza, aſſerunt ſe *doctrinam, quam Iohannes annunciabat, ac baptiſmi Symbolo obſignabat, profiteri & baptiſmo adhibito amplecti.* Quantum vero ſit diſcriminis inter hæc duo, baptizari in nomen Patris Filij & Spiritus Sancti, ideſt per baptiſmum conſecrari & dicari Patri, Filio & Spiritui Sancto, unde piaculum duxiſſet Paulus quemquam in ſuum nomen baptizaſſe; & baptizari in baptiſma Johannis, ideſt eo baptiſmate tingi & initiari quod Johannes adminiſtrabat, nemo non videt; ut depuduiſſe oporteat Socinianos qui tam diverſa inter ſe audent componere. Ita cùm dicitur Spiritus Sanctus blaſphemari, Marci III, 29. idque diſtinctè à Patre & Filio, ut patet ex Matt. XII, 31, 32. eo ipſo deſignatur ceu perſona à Patre & à Filio diſtincta. Fateor equidem etiam nonnulla dici blaſphemari in Scripturis, quæ perſonæ non ſunt: quò faciunt loca citata Volkelio; Verùm illæ res ſemper dicuntur blaſphemari cum reſpectu

ad Deum ipſum: Nam noſtri boni blaſphemia Rom. XIV, 16. eſt offenſio & læſio ipſius Dei, à quo illud bonum accepimus: In doctrinæ blaſphemia 1. Tim. VI, 1. ipſe Deus doctrinæ author læditur & blaſphematur; Idem dico de blaſphemia ſermonis Tit. II, 5. & viæ veritatis 2 Pet. II, 2. Et quicquid blaſphemiarum in Dei Tabernaculum conjicitur Apoc. XIII, 6. id omne in Deum dici & jactari intelligitur: At non poteſt eo ſenſu blaſphemia in Spiritum Sanctum cenſeri conjecta in Deum; cùm blaſphemia Spiritus Sancti expreſſè diſtinguatur ab omni alia blaſphemia Dei & Chriſti. Ita denique non reſiſteretur ab improbis Spiritui Sancto, per Prophetas & Apoſtolos loquenti, Act. VII, 51. niſi Spiritus Sanctus foret perſona Divina quæ mandata ſua per Prophetas & Apoſtolos illis denunciaret. Exempla quæ profert Volkelius non juvant illius cauſam; Nam ſanè in Actis illi dicuntur à Stephano propriè reſtitiſſe Spiritui Sancto; at qui reſiſtit Magiſtratui, reſiſtit ordinationi Divinæ, ideſt metonymicè ipſi Deo, à quo Magiſtratus eſt ordinatus, Rom. XIII, 2. Ita qui *reſtitiſſe* dicuntur *veritati & Apoſtolorum verbis* 2. Tim. III, 8. & IV, 11. reſiſtebant revera & authori ipſius Veritatis & perſonis eorum per quos annunciabatur: At reſiſtere Spiritui Sancto quid eſt aliud quam reſiſtere ipſius Doctrinæ & Verbis per ſuos Miniſtros annunciatis? Metuo ſanè ne contumaciter reſtiterit Volkelius Spiritui Sancto, dum voluit divinitatem & perſonalitatem illius tã frivolis exceptionibus impugnare.

Ad extremum, ex Spiritus ſancti cum Patre Filioque conjunctione omninò effici dicunt adverſarii, illum non minùs, ac iſti, perſonam eſſe, veluti cùm idem cum illis nomen ei tribuitur, & tam in ipſum, quàm in Patrem & Filium baptizari homines jubentur, (*Matth.* 28, 19.) aut cùm in diſtributione donorum ſpiritualium explicanda, non minùs Spiritus ſancti, quàm Dei, & Domini, ſeu Chriſti, fit mentio; (1. *Cor.* 12, 4. &. d.) & denique quando cum iiſdem unum eſſe perhibetur. (1. *Iob.* 5, 7.)

‡ *Ad extremum*] Quantum ponderis hiſce argumentis inſit, amplius patebit ex refutatione eorum quæ illis mox opponet Adverſarius: Primum quod attinet ex Matt. XXVIII, 19. non dicuntur ibi tam in Spiritum Sanctum, *quam in Patrem & Filium baptizari homines*, ſed jubentur baptizari εἰς ὄνομα, in nomen, Patris, Filij & Spiritus Sancti, ideſt Patri Filio, & Spiritui Sãcto conſecrari & dicari; Verùm utitur Volkelius iſtâ fraude, ut occaſione ejus quod extat 1. Cor. X, 2. ubi dicuntur omnes Iſraelitæ εἰς τὸν Μωσῆν, pro ἐν τῷ Μωσῆ, ideſt ipſius ductu & per ipſum, baptizati fuiſſe, pertendat non ſtatim colligi Divinitatem Chriſti ex eo quod in illius nomine dicamur baptizari: Sed nunquam dicimur baptizari in Jeſum Chriſtum, aliquando verò in nomine vel nomen Jeſu Chriſti, ut Act. II, 28. XIX, 5. atque ſic illius nomine invocato Act. XXII, 16. Quantum ad locum 1. Cor. XII, 4 & ſeq. Spiritui Sancto ſic aſſignantur διαιρέσεις χαρισμάτων ſive *donorum Spiritualium* quæ ſingulis diſtribuit *prout vult*, ut Domino, ideſt Filio, διαιρέσεις διακονιῶν, ideſt Miniſteriorum in Eccleſia, & Patri, διαιρέσεις ἐνεργημάτων, ſive operationum; Quâ ratione cuique perſonæ in S. S. Trinitate aliquid peculiare appropriatur, diſtinctionis ergo; cùm aliàs Opera Trinitatis ad extra ſint indiviſa: Sed conatus hic eſt adverſarius vim noſtri argumenti enervare, ut faciliorem illius

illius cedat ſolutionem. Quanti quoque ſit faciendum teſtimonium Johannæum 1. Joh. v, 7. ſuo loco viſum fuit *ſuprà cap.* 9. ubi eum à ſtrophis & cavillis adverſariorum vindicavimus.

Nos autem primò reſpondemus, nequaquam conſequens eſſe, ut propter *nominis* mentionem, quod primò Patri & Filio, & per unius contextus occaſionem Spiritui ſancto præfigitur, mox eum perſonam eſſe conſtituamus: cùm, ut ſatis oſtenſum eſt, minimè novum ſit, & rebus per dicendi figuram tribui, quæ perſonarum ſunt propria; præſertim cum jam aliis evidentiſſimis rationibus conſtet, eum perſonam non eſſe.

† *Nos autem primò*] Imò verò hæc *nominis* mentio conjunctim cum Patre & Filio, adſtruit luculenter & divinitatem & perſonalitatem Spiritus Sancti: Illam quidem, quod is debeat eſſe naturâ Deus in cujus nomine baptizamur; Cùm nuſquam in Scripturis legatur quidpiam ſacrum & magnum legitimè fieri in *nomine* alterius quam veri Dei, 1. Sam. XVII, 45. Pſal. CXVIII, 12. CXXIV, 8. & ſexcentis in aliis in locis: Imò nonniſi de ſolo Deo reperias nomen Dei pro ipſo, ejuſque virtute, majeſtate, gloria, &c. ſupponere, ut Pſ. CXV, 1. Act. II, 21. 2. Tim. II, 19. & alibi frequentiſſimè. Hanc verò, quod ſicut Filius conjungitur hîc Patri, ut altera perſona ab ipſo, ita debuit utrique conjungi Spiritus Sanctus ut perſona diſtincta ab utroque. Neque verò hoc loco Spiritus Sanctus, poteſt per proſopopœam ea conſequi *quæ perſonarum ſunt*; cùm baptizemur æquè in *nomen* ipſius ac Patris & Filii, *nomen* verò nuſquam in Scriptura, cùm dicit quidpiam fieri in *nomen* vel *nomine* alicujus, tribuatur alij quam perſonæ veræ & propriè dictæ; Quam etiam nullæ ſint rationes, quibus voluit Hæreticus evincere Spiritum Sanctum *perſonam non eſſe*, antea viſum eſt.

Deinde minimè abſurdum eſſe, res in arduis quoque negotiis perſonis conjungi, ex multis ſcripturæ locis apparet. Nam & verbum gratiæ cum Deo in tuendis curandiſque fidelibus, (*Act.* 20, 32.) & potentia virtutis cum Domino in iiſdem corroborandis (*Epheſ.* 6, 10.) manifeſtò copulatur. Quid? cum Chriſtus ipſe in Apocalypſi (*cap.* 3, 12.) ait, *Scribam ſuper ipſum* (qui nimirum vicerit) *nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, illius novæ Hieroſolymæ, quæ deſcendit è cælo à Deo meo, & nomen meum novum*; num protinus civitas illa perſona, & quidem divina erit, quia cum Deo ac Chriſto conjungitur, & illius nomen non minùs, quàm Dei & Chriſti commemoratur?

† *Deinde minimè*] Si Spiritus Sanctus *res* eſt diſtincta à Patre & Filio, qualis quæſo res erit? Subſtantia ne, an accidens? Accidens eum eſſe non dixerit Volkelius ſi ſapiat; cùm ejus ſubjectum inhæſionis deberet eſſe vel Deus vel homo: Sed nec in Deum ſimpliciſſimæ naturæ cadit ullum accidens; nec accidens Dei ab ipſo poſſet diſtingui, ut baptizaremur in nomine Dei, Patris & Filii, & accidentis alicujus

alicujus divini; Nec poſſet quiſquam baptizari in nomine accidentis, quod vel ipſi baptiſando, vel alteri alicui ineſſet. Si ſubſtantia ſit eaque diſtincta à Patre & Filio, perſona divina eſſe debebit. Tum malè colligas ex eo quod aliquando *res, in aliis quoque negotiis, perſonis* conjunguntur, ergo hic non perſonam ſed rem conjungi Patri & Filio; Cur non enim dixeris pari ratione Patris aut Filij nomine, non perſonam ſed rem deſignari? Adhæc quando unquā res diſtinctè à perſonis ita perſonis conjungitur, ut etiam in illius rei nomen vel nomine quippiam peragi ſtatuatur?

Nam & Verbum] Locus ille Act. xx, 32. non juvat cauſam adverſarii: Nam 1. nihil obſtat quominus *Verbum gratiæ* hic loci denotet Chriſtum, qui λόγος Θεȣ̃ ſæpè apud Johannem appellatur: videtur enim cum λόγον τῆς χάριτος, ceu proximum ſubjectum intelligi, *qui potens eſt nos ſuperſtruere & dare nobis hæreditatem inter ſanctificatos omnes.* 2. Nihil hic dicitur fieri *in nomen* vel *in nomine* Dei & Verbi gratiæ ſuæ; adeoque alia eſt ratio hujus loci & illius de quo inpræſentiarū agimus. 3. Tuitio & curatio fidelium hic non tribuitur junctim cum Deo verbo Evangelico; ſed commendare fideles Deo & verbo gratiæ ſuæ, eſt eos uni Deo commendare, tuendos & curandos miniſterio & efficaciâ Verbi ſui; quod adverſarii nunquam poterunt accommodare formulæ baptiſmi de qua diſſerimus. Longè ineptior eſt locus Epheſ. vi, 10. cùm *potentia virtutis Divinæ* quâ corroboramur, ab ipſomet Deo nos corroborante diſtingui non debeat, niſi ut attributum eſſentiale à ſuo ſubjecto attributionis & prædicationis; Jam verò ita diſtingui Spiritum Sanctum à Patre & Filio nequit, vel ex mente adverſariorum, quia ſic convenientes Pater & Filius in attributo eſſentiali, coeſſentiales ſtatuentur; vel ex rei veritate, cùm aliter loquatur Scriptura de Spiritu Sancto quam de attributis iſtiuſmodi eſſentialibus; quæ & in abſtracto ut hîc de Deo prædicantur & adjectivè in concreto; quorum neutrum de Spiritu Sancto legitur.

Quid? cùm Chriſtus] Diſtinguunt Politici inter perſonam civilem, cujuſmodi eſt ipſa Reſp. tota quæ inſtar unius perſonæ conſideratur, etiam in Scripturis Jud. xx, 11. & perſonam naturalem; Civitas Dei Apoc. iii, 12. perſona dici poteſt priori ſenſu, licet non poſteriori, & ſic nomen ſuum ſpeciale conſequi. Deinde non tribuitur hîc commune aliquod nomen Deo & Civitati Dei & Chriſto, ſed cuique ſuum ſingulare aſſignatur. Inſcribitur nobis nomen Dei, ceu Patris, qui nos in ſuos filios adoptavit; nomen Eccleſiæ ſive civitatis novæ, ceu communitatis Sanctorum, ad cujus ſocietatem pertinemus; nomen Chriſti; ceu Domini & imperatoris noſtri, qui nos eſt facturus conſortes exaltationis illius ſuæ quâ nomen ſortitus eſt ſuprà omne nomen &c. Phil. ii, 9, 10. Nec etiam dicimus id omne quod nomen habet eſſe perſonam, ſed dicimus illam eſſe perſonam eamque divinam, cujus eſt idem *nomen* cum Patre & Filio, & in cujus nomen conjunctim cum Patre & Filio venimus baptizandi.

Quid mirum igitur, ſi in baptiſmi negotio, quo homines ad religionis Chri-
497. ſtianæ diſciplinam inſtituuntur, non ſolùm Patris & Filii, ſed Spiritus etiam ſancti mentio fiat, licèt is non ſit perſona? Cum enim Pater hujus religionis primus autor ultimuſque ſcopus ſit; eaque per Filium tum revelata confirmataque fuerit, tum ad finem perducatur; cum denique iſtud omne ſine Dei efficacia, quæ Spiritus ſanctus eſt, nequaquam factum fuerit vel fiat:

quando·

quandoquidem religionem Chriſtianam, Deique de ſalute noſtra conſilium, tum plenè patefieri, tum in nobis obſignari oportuit, quod utrumque per Spiritum ſanctum factum eſt, hinc fit, ut, non quòd perſona ſit Spiritus ſanctus, ſed quia unà cum Deo ejuſdemque Filio ad ſalutis noſtræ negotium convenit, cum iiſdem conjungatur.

‡ *Quid mirum igitur*] Imò verò id nobis valde mirum in Volkelio quod tam aliena huc adferat, ut ex illis tam abſurdam nectat conſequentiam. Nec ſanè quicquam eſt in his illius verbis quod vel granum ſalis contineat. Nam in commune nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti nequimus baptizari, quin Spiritus Sanctus æquè perſona ſtatuatur ac Pater & Filius; Quid quod hæc *Dei efficacia, quæ Spiritus Sanctus eſt* adverſario, nequit non eſſe communis Patri & Filio, ut omnino hic fieri oportet, quin Pater & Filius conſubſtantiales ſtatuantur? Ne dicam *Dei efficaciam* poſſe ſtatui Spiritum Sanctum, citra imminutionem aut abnegationem perſonalitatis ſuæ: Non ideo enim deſinebat Simon Magus eſſe perſona, quod à ſuis mirionibus *ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη*, *Virtus illa Dei magna*, appellaretur Act. VIII, 10. Imò perſonalia illa ſunt opera quæ hìc illi tribuit adverſarius; dum ait per ipſum *religionem Chriſtianam Deique de ſalute noſtra conſilium, tum plenè patefieri, tum in nobis obſignari.* Denique quid illud ſit conjungi Spiritum Sanctum cum Patre & Filio, *non quod perſona ſit Spiritus Sanctus*, (illud verò eſt quod non aſſeri ſimpliciter debuiſſet, verum accuratè demonſtrari) *ſed quia unà cum Deo ejuſdemque Filio ad ſalutis noſtræ negotium convenit*, fateor me non ſatis aſſequi: Quid eſt enim Spiritum Sanctum convenire *unà cum Deo ejuſdemque Filio ad ſalutis noſtræ negotium*? Immò; quid opus fuiſſet, Spiritum à Patre & Filio diſtinxiſſe, ſi is nihil ſit aliud quam efficacia Dei quæ eo ipſo eſt revera ipſe-met Deus?

Eadem cauſa eſt, cur in diſtributione donorum ſpiritualium cum Deo & Chriſto conjungatur, nempe quia Deus ac Chriſtus per ſpiritum ſuum iſta in hominibus efficit.

‡ *Eadem cauſa eſt*] Atqui ſuprà vidimus aliud tribui Deo, aliud Domino, aliud Spiritui Sancto 1. Cor. XII, 4. & ſeq. Et diſtributio donorum vendicatur huic diſtinctè à Patre & Filio, in eaque dicitur procedere *uti vult.* Sed præterea ſi *Deus ac Chriſtus per Spiritum ſuum iſta in hominibus efficit*, neceſſe eſt Patris & Filij eundem eſſe Spiritum, & eandem per illum operationem; ex quo ſaltem Patris & Filij *τὸ ὁμοούσιον* liquidò colligitur.

Locus verò, in quo cum Patre & Filio unum eſſe dicitur, & ſuſpectus eſt, & nonniſi teſtimonii unitatem continet, ut ſuprà, cùm de Trinitate divinarum perſonarum egimus, demonſtratum eſt, ubi de cæteris etiam duobus locis plura diſſeruimus. (*cap. 9. hujus lib.*)

‡ *Locus verò*] Neque *ſuſpectus* eſt locus 1. Joh. V, 7. aliis quam Lucifugis Scripturarum, cùm & Codices melioris notæ illum habeant, & diſpunctus ex aliis

fuerit

fuerit fraude Arianorum, ut monet Hieronymus; & citetur à priſcis Eccleſiæ Doctoribus, etiam ante Arriana tempora; nec tantum *teſtimonii*, ſed etiam *eſſentiæ* ac voluntatis & ſcientiæ *unitatem* continet, imò hanc per prius: cùm ideo conſentiant in teſtimonio, nec poſſint diſſentire, quod ſint unius ſcientiæ, voluntatis & naturæ. Nec dicuntur eſſe ᾽ὶς ἕν, ut de teſtibus in terra loquitur Apoſtolus, ſed ἕν: Sed videantur quæ *cap.* 9. de hoc loco fuſiùs diſputata ſunt.

Cap. XV.

De Auricularí confeſſione.

Reſpondente ad hoc & ſequens caput JOHANNE à FEERWERT, Groningano.

HActenus de iis dogmatibus egimus, quæ divinam gloriam non parùm obſcurant, & ſimul rationem ſalutis in ſac. literis explicatam tenebris involvunt: veniendum nunc eſt ad ea, quæ pietatis ſtudium labefactare queunt, atque efficere, ut ſalutis viam, quæ in vera pietate conſiſtit, vel non ingrediamur, vel in ea conſtanter non perſeveremus. Eorum autem duo ſunt genera, quædam enim ſalutis viam vehementer impediunt; quædam ſalutem penitùs auferunt. Priorum rurſus alia ſunt iſtorum præcipuè, qui è tenebris illis, quæ orbem Chriſtianum à multis jam ſeculis oppreſſerant, emergere omninò noluerunt: alia eorum præcipuè, qui ex illis aliqua ratione emerſerunt. Ex illorum numero ſunt auricularis confeſſio, & purgatorium, de quibus hoc loco agere conſtituimus.

† *Hactenus de iis*] Quam nihil obſcurationis accedat gloriæ divinæ, aut rationi ſalutis in ſacris literis explicatæ, ex iis *dogmatibus* de quibus ante actum; quàm è contrario Sociniani in illis palam Scripturæ contradicant, eamque in ſenſus perverſos detorqueant, ac ſimul arietent fidem eam Catholicam quæ baſis eſt & fundamentum noſtræ conſolationis & ſalutis, ex ſuperioribus liquet, & de cœteris videbimus ſuo loco: Porrò *auricularis Confeſſionis* & *Purgatorij* defenſionem non ſuſcipimus; quanquam non ferimus errores per alios errores impugnari, ut ſubinde fit à Volkelio, quod ſtrictim ſuis locis annotabimus.

Primò igitur, quod ad Auricularem confeſſionem attinet, dicimus, eam minimè neceſſariam eſſe, & pernicioſum quendam errorem in ſe continere. Ideò porrò eam minimè neceſſariam aſſerimus, quòd nec Apoſtolorum, nec ſubſequentium Patrum memoriâ ullum in Eccleſia uſum habuit. Vigebat enim tunc ea morum diſciplina, quam Chriſtus, & poſt hunc Apoſtoli, illius tamen nomine, fidelibus præſcripſerant, quamque divinis literis proditam eſſe videmus, de qua ſuo loco fuſius explicandum erit. (*lib.* 6. *cap.* 15.) Ex quo fit ut cauſam nullam juſtam ac legitimam fuiſſe ſtatuendum ſit, ob

quam

quam, ſanctiſſimo Chriſti inſtituto abrogato, iſtam ſuſurrationem confinxerint. Pernicioſum autem inſuper errorem eſſe hinc conſtat, quòd tum veram illam diſciplinam Eccleſiaſticam, tum ejuſdem uſum, ſeu finem, in quem inſtituta eſt, exterminat. Diſciplinam quidem ideò, quòd eam univerſæ Eccleſiæ à Chriſto traditam de manibus extorquet, atque ad certos tantùm homines, idque ſigillatim alligat.

‡ *Primò igitur*] Benè argumentatur Volkelius adverſus confeſſionem auricularem, ex eo *quod nec Apoſtolorum, nec ſubſequentium patrum memoriâ, ullum in Eccleſia uſum* habuerit: Ergo patiatur nos S.S. Trinitatis & Satisfactionis Chriſti pro nobis eo conſtantiùs fidem retinere, quo certius eſt hæc dogmata ſemper viguiſſe ab Apoſtolorum tempore ac *ſubſequentium Patrum memoria*. De diſciplina autem ipſa, ſequiùs philoſophari Socinianos, videbimus ſuo loco; Sic enim ad *univerſæ Eccleſiæ* ædificationem inſtituta eſt Clavium poteſtas à Chriſto, ut ejus tamen exercitium ad ſolos illius Miniſtros pertineat.

Uſum autem veræ diſciplinæ per iſtud commentum tolli, ex eo conſtat, quòd in cauſa eſt, ut Eccleſiam malè audire ſemper oporteat, hominibus nimirum iſto peccatorum operimento tectis, & ſubinde, iſtius occultationis, & remiſſionis, quæ ibi obtineri putatur, fiduciâ, ad flagitia redeuntibus. Unde ſimul efficitur, ut publici pudoris reprehenſioniſque apertæ exemplo ſublato, nemo à peccando deterreatur, illudque Apoſtoli, *Peccantes argue coram omnibus, ut cæteri timeant* (1. *Tim.* 5, 20.) prorſus inane caſſumque fiat. Et tamen ad hoc ſuum commentum ſtabiliendum, aliquot divinis teſtimoniis abutuntur. Primò enim ex illis Chriſti verbis, quibus Petro reliquiſque Apoſtolis regni cœlorum claves, ſive ligandi ſolvendique poteſtatem promittit, (*Matth.* 16, 19. *Joh.* 20, 23.) hujuſmodi ducunt argumentum: Ad peccata remittenda, inquiunt, autoritate Apoſtolicâ opus eſt: ſiquidem Apoſtolis ligandi ſolvendique poteſtas conceſſa eſt. Atqui autoritas iſta, inquiunt, nonniſi penes Eccleſiæ paſtores eſſe poteſt: quippe qui in ea Apoſtolis ſucceſſerint. Conſequens igitur eſſe ajunt, illis qui peccatis ſeſe obligant, ad paſtores confugiendum, ab iiſque ſcelerum veniam petendam eſſe. Hic reſpondemus, nec autoritate Apoſtolicâ, præſertim tali, quæ in certis etiamnum hominibus reſideat, ad ligandi ſolvendique officium exequendum omnino opus eſſe, nec paſtores Eccleſiarum in eadem autoritate Apoſtolis ſuccedere. Ac illud quidem ideò, quòd nullâ ratione demonſtrari poteſt, Chriſtum eo pacto hanc Apoſtolis poteſtatem feciſſe, ut ea non interveniente ligari ſolvique nemo poſſit; præſertim ita, ut neceſſe ſit eam in certis perſonis, quæ ligent ſolvantque etiamnum reſidere, nec ſufficiat ea autoritas, quæ in Apoſtolorum doctrina reſidet: cùm nec

Digitized by Google

verbis Chriſti hæc ſententia contineatur, nec ipſa rei iſtius ratio nos ita ſtatuere permittat. In Chriſti enim verbis nihil aliud cernimus, quàm eum Apoſtolis ligandi ſolvendique poteſtatem feciſſe. Res ipſa porrò docet, ad ſolutionem iſtam, id eſt, ad peccatorum condonationem adipiſcendam ſatis eſſe, Chriſto fidem adjungere, & reſipiſcere, ſeu animum ac vitam in melius mutare.
199. Hujuſmodi enim hominibus ſacræ literæ liberaliſſimè omnium peccatorum condonationem promittunt, nec ullâ re alia ad eam obtinendam eſt opus.

† *Hujuſmodi enim*] Ex parte noſtri nihil aliud requiri ad remiſſionem peccatorum præter fidem & reſipiſcentiam, certum eſt; ſed hoc non tollit, ut ſubdole vellent adverſarii, neceſſitatem Satisfactionis per Chriſtum præſtitæ.

Hoc verò alterum ideò à nobis negatur, quia Apoſtoli, ut infrà ſuo loco demonſtrabitur, (*lib.* 6. *cap.* 4.) in ligandi ſolvendique autoritate nullum revera habuerunt ſucceſſorem. Quòd enim Eccleſia etiam ligare ſolvereque dicitur, (*Matth.* 18, 11.) id non fit ejuſdem cum Apoſtolis autoritatis ſucceſſioniſvè ratione habitâ. Intelligendum quippe eſt, hoc non niſi repetendo fieri, quæ ſemel ab Apoſtolis orbi Chriſtiano patefacta, tradita, itaque ab iis ſunt confirmata, ut Eccleſia ea repetens, non ſuâ autoritate, quam ab Apoſtolis ſucceſſionis jure obtinuerit, ſed illorum ipſorum nitatur autoritate, utpote quâ dictorum Eccleſiæ veritas ac certitudo fulcitur. Adde, quòd iſtud ligandi ſolvendique munus nequaquam ad ſolos paſtores, ſed ad univerſam Eccleſiam pertinere, ibi docetur.

† *Hoc verò alterum*] Licèt non par ſit authoritas Miniſtrorum Euangelicorum cum Apoſtolorum authoritate, eos tamen ſucceſſiſſe Apoſtolis in Miniſterio Euangelii & iis quæ ad illud ſpectant, etſi non in ἐξοχῇ Apoſtolica dubitari nõ poteſt.

Adde quòd iſtud] Hoc verò falſum eſt, cùm *Eccleſia* cujus fit mentio Matt. XVIII, 18. ſit cœtus eorum qui regunt Eccleſiam & πρεσβυτέριον dicitur Paulo 1. Tim. IV, 14. & κυβερνήσεις 1. Cor. XII, 28.

Porrò ea, quæ in hac reſponſione dicta ſunt, ſimul & illud diluitur, quod ab iiſdem adverſariis aſſeritur, nemini peccata condonari poſſe, niſi ea cognita habeat Eccleſiæ paſtor. Aliter enim, inquiunt, nequaquam dijudicare poterit, an ejuſmodi ſint, quæ condonari poſſint; nec quibus conditionibus, quoque pacto, pro eorum qualitate remittenda ſint, intelliget. Unde colligi ajunt, neceſſe eſſe, ut qui peccata confitetur, is omnia paſtori enumerando percenſeat, omneſque eorum circumſtantias exponat: cùm nonniſi his illorum diverſitas, quantoque aliud alio gravius leviuſ-ve ſit, perſpicuum eſſe poſſit.

poſſit. Hanc, inquam univerſam ratiocinationem falſiſſimam eſſe, ſatis ex iis conſtat, quæ paulò ſuperiùs dicta à nobis ſunt. Quicunque enim vivâ fide in Chriſtum præditus eſt, & porrò qui verâ pœnitentiâ ductus, peccata deteſtatur, juſtitiæque ſtudium amplectitur, ac pro viribus in poſterum Deo paret, ei ad peccatorum condonationem aſſequendam nequaquam opus eſt, ut eorum qualitas ac quantitas à quopiam intelligatur; cùm quantavis fuerint, planè expianda ſint, adeò ut in aurem cuipiam ea inſuſurrare nihil neceſſe ſit.

Alter locus eſt ille ipſe, de quo nonnulla modò diximus: Si, inquit Chriſtus, *Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quicquid ligaveritis in terra, erit ligatum in cælis: & quicquid diſſolveritis in terra, ſolutum erit in cælo.* (*Matt.* 18, 17, 18.) Verùm quid hæc Chriſti verba cum auriculari confeſſione conjunctum habeant, planè non video: cùm nec de privata aliqua confeſſione peccatorum quicquam hîc dicatur, ſed de publica morum diſciplina; nec ‡ ſolis ea mandetur paſtoribus, ſed Eccleſiæ; nec denique de quibuſvis peccatis aut peccatoribus hîc ſermo ſit, ſed de iis tantùm, qui ad Eccleſiam ordine certo delati, teſtibuſque 500
convicti fuerint.

‡ *Nec ſolis ea mandetur*] Imò Eccleſiam repræſentativam hîc intelligi, modò diximus, nec totus cœtus credentium, cujus pars ſunt mulieres, iſtiuſmodi controverſiarum & diſceptationum judex idoneus eſſe poteſt.

Tertius locus eſt apud eundem Matthæum, (*Matth.* 8, 4.) ubi Chriſtus leproſum à ſe mundatum ſacerdoti ſe oſtendere jubet, donumque à Moſe imperatum afferre, in teſtimonium illis. Quo pacto autem auricularis confeſſio hinc effici queat, non apparet. Aut enim volunt, Chriſtum his verbis eam revera mandaſſe, perpetuoque Eccleſiæ ſervandam tradidiſſe; aut per allegoricam dicendi figuram, illam aliqua ratione ſignificaſſe. Atqui prius falſum eſſe, quivis per ſe cernere poteſt. Ibi enim Chriſtus uni homini præceptum tradit, ſemel tantùm præſtandum: nec confiteri eum peccata jubet, ſed ſe à lepra purgatum eſſe oſtendere, & donum offerre: nec de ſacerdote alio, quàm Levitico, (tales enim ſoli tum publicè erant conſtituti) verba facit. Cauſa autem ejus rei erat, ut miraculum teſtimonio ſacerdotis aliqua ratione comprobatum, eſſet illuſtrius; ut leproſus in populli numerum ac conſortium reciperetur, cum id alia via ac ratione fieri non poſſet; & hanc ob cauſam à Domino hæc verba addi videntur, *In teſtimonium illis*; ut denique manifeſtum eſſet, Chriſtum tunc ceremoniarum legi nihil detrahere: cum hoc ad Propheticum munus, cui tunc præerat, minimè ſpectaret: ſpectabat autem ad munus illud regium, cui poſtmodum præficiendus erat. Quid

Digitized by Google

mirum igitur, Chriſtum leproſum illum admonere ad legi obtemperandum? quidve manifeſtius eſt, quàm auricularem iſtam confeſſionem à Chriſto tunc neqnaquam fuiſſe præceptam?

‡ *Cum hoc ad Propheticum*] Cæremoniarum abrogatio pertinuit partim ad Propheticum munus, juxta quod alium cultum potuit inducere, prout ſenſim ad illius conſtitutionem, tunc præparabat variè animos auditorum ſuorum; partim ad Sacerdotale, quo figuras & typos qui de ſe præceſſerant complere debuit; partim etiam ad Regium ex quo jus habuit novis legibus nos obſtringendi: Sed Sacerdotale Chriſti munus ſicco pede tranſilit Volkelius, quod illud Sociniani confundant perperam cum Regio.

Quòd ſi eam lege adumbratam fuiſſe, Chriſtumque his verbis ad eam alluſiſſe volunt, egregiè falluntur: cum non ſolùm ſacerdotes illi legales iſtorum ſacrificulorum typum minimè geſſerint; ſed ut alibi explicuimus, (*lib.* 4. *cap.* 22.) ſummus quidem Pontifex Chriſti, ſummi pontificis noſtri, cæteri ſacerdotes, omnium Chriſtianorum, ſpirituales hoſtias Deo ſacrificantium, (2. *Pet.* 2. 5. 9. *Apoc.* 1. 6. 5. 10. 20. 6.) imaginem continuerint: verùm etiam leproſus iſte nequaquam juſſus fuerit lepram ſuam ſacerdoti oſtendere: ſed eidem ſeſe jam à lepra mundatum exhibere, ejuſque rei declarationem tantùm petere. Quod quidem tantum abeſt, ut auricularem confeſſionem ſtabiliat, ut potiùs everſionem illi afferat. Sic enim non quidem peccata, quæ lepræ contagione adumbrari volunt, ſacerdoti enumeranda, & porrò eorum remiſſio ab illo petenda, ſed peccata noſtra expiata, noſque illorum remiſſionem conſecutos jam eſſe, declarandum ei foret: quod quidem ab illorum, cum quibus diſputamus, ſententia longiſſimè abeſt.

‡ *Summus quidem*] Si fiat comparatio ſummi Pontificis in ſua ὑπεροχῇ ad alios Sacerdotes, aſſentior Volkelio: Sed ſi extra illam comparationem cœteri Sacerdotes conſiderentur, quiſque eorum in ſuo munere, ipſius Chriſti Sacerdotium repræſentavit & adumbravit.

Quartò loco illa Jacobi verba in medium proferuntur, quibus monet, ut alii aliis peccata confiteamur. (*Iac.* 3, 16.) Verùm quis non videt, hîc non eam præcipi peccatorum confeſſionem, quæ ad unius ſacerdotis aures, per-
501. ſonamque ſit alligata, ſed quæ communiter mutuoque ab illis fiat, quorum alii alios dicto factove læſerunt, vel, ſi ita placet, qui peccatorum quorundam conſcientiâ urgentur, pœnamve eorum jam ſentiunt, à qua liberari cuperent; quam liberationem faciliùs impetrabunt, ſi peccata illa ſua aliis aperuerint, &, ut ſe precibus apud Deum ea in parte juvent, eoſdem rogaverint.

CAP.

Digitized by Google

Cap. XVI.

De Purgatorio.

JAm ut de purgatorio ſermonem inſtituamus, operæ pretium eſt, omnium primò, quid de eo ſentiant adverſarii, animadvertere. Ita ergo ea de re loquitur is, qui præcipuus religionis Pontificiæ hac ætate propugnator habetur: (*Bellarm.*) *Purgatorium vocatur locus quidam, in quo, tanquam in carcere poſt hanc vitam purgantur animæ, quæ in hac non plenè purgatæ fuerunt, ut nimirum ſic purgatæ in cælum ingredi valeant, quo nihil intrabit coinquinatum.* Quod quidem commentum alii ante nos pluribus argumentis confutârunt: nos duabus rationibus hoc loco contenti erimus. Prior eſt, quòd animæ ſeu ſpiritus hominum poſt mortem, ut ut incorruptibiles ſint, nihilominus tamen, ut alibi explicatum eſt, (*lib.* 3. *cap.* 11.) & inferiùs, cùm de invocatione Sanctorum defunctorum agemus, (*h. lib. c.* 25.) pleniùs confirmabitur, propriè loquendo non vivunt, nec porrò actiones, quæ nonniſi actu ipſo viventibus conveniunt, obire poſſunt: quare nec poſt mortem per afflictiones aliquas, ut illi volunt, purgantur, nec poſtmodum cœleſtibus gaudiis, antequam corpore aliquo induantur, perfruuntur.

‡ *Prior eſt quod*] Iſtam impietatem Socinianam ſufficienter refutavi ſuprà ſub finẽ *cap.* 11. *lib.* 3. Adeoque hæc prior Volkelii ratio contra Purgatorium multo nocentiorẽ errorẽ continet quam eſt ipſum Purgatorii commentum. Anima rationalis eſt ſubſtantia cogitans, ut acutè oſtenſum à Carteſio, adeoque extra corpus exiſtere non poteſt quin etiam cogitet, intelligat & operetur: Quod ſi anima humana à corpore ſeparata *propriè* non vivit, neceſſe eſt eã penitùs annihilatã ac extinctã eſſe & omninò deſiiſſe: Id verò dicere eſt Sadducæiſmum profiteri; contradicere toti Scripturæ Matt. x, 28. xxii, 32. Luc. xvi, 22, 23. xxiii, 43. Act. vii, 60. 2. Cor. v, 1. Phil 1, 23. Apoc. vi, 9, 10. xiv, 13. & ſanam Philoſophiam omnem pedibus conculcare: cùm hæc veritas ipſiſmet Ethnicis perſuaſa fuerit *Animam remanere poſt animal*, & Poeta dixerit, *Sunt aliquid manes lethum non omnia finit.* Optimè quoque dixit Irenæus *lib.* 2. *contra hær. cap.* 62. *Pleniſſimè Dominus docuit non ſolum perſeverare animas, ſed & meminiſſe operum quæ egerunt hic & à quibus ceſſaverunt, in ea enarratione quæ inſcribitur de Divite & Lazaro.* &c. Quare nec dubium quin poſt hominis mortẽ, ſive poſt quam illæ ex hoc tabernaculo emigrarint, recipiantur in loca vel tormentorum vel gaudii, in quibus bonis optimè, malis peſſimè eſt. *Sic enim & Lazarus in ſinu Abrahæ refrigerium conſecutus, contra dives in tormento ignis conſtitutus, alternas malorum & bonorum vices æmulâ retributione compenſat*, inquit Tertullianus *de Idol. cap.* 13. Cæterùm dicam hic cum authore *Hypognoſticôn* inter opera Auguſtini *lib.* 5. *Primum locum fides Catholicorum Divinâ au-*

thoritate

thoritate regnum credit eſſe cœlorum; ſecundum gehennam, ubi omnis apoſtata vel à Chriſti fide alienus æterna ſupplicia experietur; tertium penitùs ignoramus, imò nec eſſe, in Scripturis Sanctis invenimus. Nec video cur potiùs negentur animæ ſeparatæ vivere & actiones ſibi proprias obire quam Angeli, cùm & ipſæ ſint naturæ ſpirituales ac intelligentes, quarum etiam actiones pleraſque inorganicas in nobis experimur. Illas verò non antè *cœleſtibus gaudiis perfrui quam corpore aliquo induantur*, cùm audacter ſtatuit Volkelius, primò ſupponit animas *corpore* quidem *aliquo*, non tamen hoc noſtro, induendas in reſurrectione; quod etiam Scripturæ adverſatur, quæ reſurrectionem hujus carnis vult expectari Job xix 25 Deinde temerè & fallò ſtatuit eas excludi regno cœlorum & gaudiis cœleſtibus, ante reſurrectionem; cùm latroni Chriſtus promiſerit quod illo ipſo die in Paradiſo ſecū futurus eſſet, Luc. xxiii, 43.

Poſterior ratio hæc eſt, quòd ea ſit divini ſpiritus conſuetudo; ut quæ ſaluti noſtræ vehementer conducunt, nec tamen per noſmetipſos cognoſci queunt, ſed divinâ patefactione egent, ea non ſolùm clariſſimis verbis explanet, ſed ſedulò etiam hominum animis inculcet: ex quorum numero purgatorium omninò eſſet, ſi quicquam cum vero conjunctum haberet. Nam eo ignorato, nec viam in cœlum ſatis noſſemus, nec nobis ipſis in futurum ita, ut par eſſet, proſpicere, nec iis, qui in purgatorio ſunt conſtituti, debitum charitatis officium præſtare, & ſic eos ex tam infelici ſtatu eripere poſſemus; cum tamen qui in illo ſunt conſtituti, viventium ſuffragiis, ut iſtorum fert opinio, liberari ex eo poſſint. Quoniam autem in omnibus divinis voluminibus, non modò clarè ea res explicata non eſt, ſed, ut poſtmodum videbimus, ne una quidem hac de re litera extat; parumnè liquet, planè commentitium iſtud purgatorium eſſe? Et tamen iſti, ut ſuum hunc errorem ſtabiliant,
302. multa ſanctarum literarum teſtimonia ad hoc commentum flectere torquereque non verentur. Quod quidem quàm illis proſperè ſuccedat, videndum tandem eſt.

Ex Vetere igitur Teſtamento decem potiſſimùm adducunt locos. Primus 2. Machab. 12. hunc in modum extat: *Sancta & pia eſt cogitatio pro mortuis exorare, ut peccatis ſolvantur.* (2. *Mach.* 12, 46.) Reſpondemus primùm, Machabæorum libros, qui in Hebræo canone non habentur & de quibus nullum certum extat teſtimonium, eos à viro divino ſcriptos eſſe, in Canonicis ſcriptis habendos minimè eſſe; ideoque nullum fidei dogma illorum autoritate conſtitui poſſe. Quid, quòd ipſe librorum iſtorum autor ſatis indicat, ſe divini ſpiritus afflatu eos minimè conſcripſiſſe; utpote qui apertiſſimè ſtyli veniam deprecatur, & fieri poſſe indicat, ut minùs dignè, quàm hiſtoriæ conveniat, ſcripſerit: qua excuſatione opus non habet, qui Spiritus ſancti afflatu ſcribit. At, inquiunt idem & Paulo Apoſtolo contigiſſe, qui quantumvis divini ſpiritus impulſu ſcripſerit, ſermonis tamen imperitiam excuſet. Atqui Paulus ſermonis imperitiam nequaquam excuſat: tantùm abeſt,

abeſt, ut indicet, fieri poſſe, ut non ſatis convenienter rei, quam tractabat, loquutus fuerit: imò hujus contrarium ſatis apertè affirmat 1. Cor. 2. 14. ſed tantùm illis occurrit, qui in ipſo humanæ eloquentiæ tumorem requirebant, quo ſeſe uti noluiſſe ipſe ingenuè fatetur: quippe qui ad Euangelizandum miſſus eſſet, non in ſapientia ſermonis, ne evacuaretur crux Chriſti, nevè fides noſtra in humana ſapientia eſſet, ſed in virtute Dei. (1. *Cor.* 1. 17. & *cap.* 2. 4, 5.) Deinde etiamſi maximè Canonici libri hi, ex quibus argumentum petitur, eſſent; conſecutio tamen peſſimè conſtituta foret. Poſſet enim fieri, ut quiſpiam pro mortuis oraret, &, ſi modò alioquin id Dei voluntati contrarium non ſtatuatur, precibus ſuis peccatorum condonationem illis impetraret, nec tamen, hoc ut fieret, illum neceſſe eſſet purgatorium exiſtere. Abſolutio enim à peccatis perfecta, ſecundùm novi Fœderis rationem, revera nihil aliud eſt, quàm è morte liberatio, & vitæ immortalis donatio. Hanc autem non ante noviſſimum illum diem, ſed tum, cùm Chriſtus ex cœleſti illo tabernaculo egreſſus fuerit, per ipſummet homines aſſecuturos eſſe, planiſſimè conſtat. Huc accedit, quòd ex ipſo illo Autore ſatis perſpicuè patet, nequaquàm de purgatorio eum tunc cogitâſſe, ſed de reſurrectione mortuorum, eoque reſpectu aſſeruiſſe, pium eſſe pro mortuis ſupplicare, quia hac ratione effici queat, ut mortui à peccatis penitùs abſoluti, ad reſurrectionem habeant aditum, vel nullâ poſtquam in vitam redierint, pœnâ afficiantur. Sic enim paulo antè eodem in loco ſcriptum legimus: *Et facta collatione duodecim millia drachmarum argenti miſit* (Judas) *Hieroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè & religioſè de reſurrectione cogitans.* At quid hoc ad purgatorium? Imò, ſi Judas, cum eo Autor iſte de purgatorio cogitâſſet, & ideo ille pro mortuis offerri juſſiſſet, hic verò orare pro iis ſanctum piumque eſſe judicâſſet, quia id ad animas eorum è purgatorio liberandas faciat, id quod ante reſurrectionem fieri ſoleat, fierique omnino poſſit; quid id, quæſo, cùm reſurrectione conjunctum haberet? an quis ex facto illo rectè concluderet, eum de reſurrectione benè & religioſè cogitaſſe? Certè vel ex hoc ipſo loco patet, ſententiam illam de purgatorio vanam eſſe. Ex eo enim colligitur, Judam, quia pro mortuis orari voluerit, ideo de reſurrectione cogitâſſe. At ſi ſententia de purgatorio vera eſſet, conſecutio nulla foret: ſatis enim eſſet, illum de animabus ex purgatorio liberandis, & ſic, ut in cœlum quam primùm irent, juvandis cogitâſſe, ſive ſequutura eſſet reſurrectio, ſive minùs. 503.

Poſſet enim fieri] Impetrari alicui poſt mortem remiſſionem peccatorum, quam in vita non obtinuerit, abſurdum eſt. Verè enim & benè dictum à Cypriano, *contra Demetr. Quando hinc exceſſum fuerit nullus jam locus pœnitentiæ eſt, nullus ſatisfactionis*

Digitized by Google

tisfactionis effectus. Et quocunque arbor ceciderit, ſive ad auſtrum, ſive ad aquilonem, ibi erit Eccl. 11, 3. Et cui non fuerit condonatum in hoc ſæculo, ei nec in futuro condonabitur.

Abſolutio enim] Ridiculè effectus cum cauſa confunditur; Nam vita æterna eſt conſequens ac fructus remiſſionis illius peccatorũ, quam in via obtinemus per fidem in Chriſtum & ſerium reſipiſcentiæ ſtudium. Quamvis non ſimus plenè liberandi ex peccati inhabitantis vinculis niſi per mortem, quâ liberamur ex hoc corpore mortis; nec abſolutè expediendi ex ipſa morte, quæ ſtipendium eſt peccati, ante reſurrectionem carnis, quâ ejus imperium plenè excutietur.

Hanc autem nos] Fateor reſpectu *totius* homines non aſſequuturos vitam immortalem ante reſurrectionem ex mortuis; ſed id non impedit quominus reſpectu partis ſuæ primariæ, animæ ſcilicet à corpore divulſæ, cùm moriuntur in Domino quietis æternæ ſedes & gloriam cœleſtem conſequantur; quod ſuprà ſatis liquidò fuit demonſtratum.

Huc accedit] Aliò ſpectavit Judæ factum, nempe ad expiationem & luſtrationem ſuorum caſtrorum ex illorum mortuorum peccato & ſacrilegio pollutorum; aliò judicium de hoc facto ipſius hiſtorici, qui Sadducæis infenſus, illud voluit trahere in reſurrectionis futuræ argumentum.

Alter locus eſt apud Tobiam: (*Tob.* 4, 12.) *panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Hic locus, præterquam quòd non minùs, quàm prior, ex libro apocrypho eſt depromptus, quid ad purgatorium conſtituendum momenti, adferat, non video: cum ij ipſi qui eo utuntur, minimè diffiteantur, panem vinumque ſuum ſuper ſepulturam juſti conſtituere, cumque juſtis, non autem cum peccatoribus, comedere bibereque, nihil aliud eſſe, quàm juſtum mortuum ſepulturâ, quemadmodum ipſe Tobias feciſſe ſcribitur, afficere, conviviumque inſtituere, & ad illud non facinoroſos, ſed juſtos invitare. At, inquiunt, homines invitandi, ſunt homines pauperes, qui acceptâ iſtâ eleemoſynâ, orent pro anima defuncti. Hoc verò illorum ſomnium eſt; quippe qnod nec ex iſto loco, ullo pacto elici, nec aliis ſcripturæ teſtimoniis comprobari poſſit. Adde quòd etiamſi pro mortuo jurè quiſpiam ſupplicare poſſet, hinc tamen, purgatorium iſtud eſſe, ineptiſſimè colligeretur: cum hoc nulla purgatorii ratione habita fieri poſſe, ſuperiori in loco oſtenderimus.

† *Adde quod, etiamſi*] Ritum precandi pro mortuis retinuerunt Græci, eum quidem ſuperſtitioſum, nec probandum, etſi Purgatorium non admittant.

Tertius locus eſt 1. Reg. ult. (*v.* 13.) ubi habitatores Jabes Galaad auditâ morte Saulis ſeptem dies jejunâſſe dicuntur. & 2. Reg. 1. (*v.* 12.) Davidem fleviſſe, & jejunâſſe uſque ad veſperam, ſuper Saul, & ſuper Jonathan, & ſuper populum Domini, & ſuper domum Iſraël, ſcriptum legimus. Verùm quàm ineptè hinc purgatorium colligatur, inde facilè conſtat, quòd

non

Digitized by Google

non ſolum nulla ejus iſto in loco fit mentio, ſed etiam ea fletus jejuniique iſtius cauſa in eodem verborum contextu allata eſt, quæ nullum cum purgatorio habet nexum. Apertiſſimè enim ibidem Spiritus divinus, ideo Davidem fleviſſe ac jejunaſſe dicit, quòd illi gladio cecidiſſent. id quod & adverſarii concedunt, dicentes, hæc facta fuiſſe in ſignum doloris & triſtitiæ. Et quidem omnino ſic ſeſe rem habere, unuſquiſque facilè intelliget, qui Davidis verba, quibus caſum iſtum lamentatur, diligenter conſideraverit; utpote quibus nullæ preces, ſed meræ querelæ contineantur. Sed ajunt, credibile eſſe, hoc præcipuè factum eſse ad juvandas animas defunctorum. Quod quidem tametſi à vero alienum eſt, eo tamen confirmari poſſe arbitrantur; quòd irrationabile ſit, in ſignum doloris ſeptem dies jejunare. Quid autem ſi tanto dolore quiſpiam oppreſſus ſit, ut etiam diutiùs mortem alicujus lugeat? Jejunium porrò luctus teſtandi cauſâ inſtitui conſueviſſe, homines rerum divinarum periti, probè norunt. Ergòne irrationabiliter, ut adverſariorum verbis utar, fecerunt Iſraelitæ, qui Moſen demortuum triginta dies planxerint? (*Deut.* 34, 8.) Quòd ſi id animæ illius ex purgatorio liberandæ cauſâ factum eſſe volunt, non ſolùm id ponent, quod in diſquiſitione poſitum eſt; ſed nullam etiam rationem reddere poterunt, cui Iſraelitæ diutiùs Moſis, quàm Saulis mortem luxerint, niſi fortè Moſen pluribus graavioribusque peccatis obſtrictum fuiſſe dicant, quàm Saulem, & proinde longiori luctu ad eum liberandum opus fuiſſe; quod quidem quàm abſurdum ſit, omnes intelligunt. Neque verò magis conjectura illa adverſariorum juvatur eo, quòd David jejunâſſe & orâſſe legitur pro filio ſuo infantulo, dum ægrotaret, (2. *Reg.* 12.) poſtea verò, quàm audivit, eum eſſe mortuum, jejunare deſiiſſe: quo facto oſtenderit, ſe jejunare ſolitum, ut aliquid à Deo impetraret. Quid enim? an quia legimus, Davidem aliquando non niſi eam ob cauſam jejunâſſe, ut aliquid à Deo impetraret; ideo quoties jejunavit, id, ut quippiam à Deo impetraret, feciſſe cenſendus eſt? quis apertum hìc ſophiſma non cernit? Sed quærere licet ex adverſariis, cur David deſierit orare pro infantulo defuncto, ſi animæ defunctorum non minùs, quàm homines viventes, piorum precibus juvari poſſunt ac debent, ut hoc pacto tantò citiùs ex ſtatu infeliciori in feliciorem, h. e. in ipſum cœlum, ut perennibus ibi gaudiis fruantur, tranſeant. 504.

Quartus locus ex Davidis Pſalmis depromptus eſt: *Domine*, inquit, *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* (*Pſal.* 6. 9. & 38. 1.) Ex quo loco, Auguſtini aliorumque ſecuti autoritatem, purgatorium colligunt, affirmantes, *in furore argui à Deo*, eſſe in æternum damnari: *in ira* autem *corripi*, eſſe ſeverè poſt hanc vitam puniri, ad correctionem tamen & emendationem. Verùm non multùm nobis hìc laborandum eſt, ut hoc, 505.

Digitized by Google

ſi ita appellare licet, argumentum diſſolvamus. Meram enim hanc eſſe conjecturam, nullo fundamento nixam, tum quilibet intelligens homo facilè animadvertit, tum ii ipſi, qui eam afferunt, indicant, dum hæc verba variè explicari poſſe fatentur. Quod vel ſolum ſatis eſt ad argumentatiunculam iſtam contemnendam. Adde, quòd David in neutro iſtorum Pſalmorum de pœna poſt mortem ſibi irroganda verba facit: ſed utrobique de pœna, quam jam tum ſentiebat, loquitur, Deum orans, ut eam à ſe auferat, nec adeò ſeverè ſecum agat, ut penitus conſumatur, quemadmodum Pſalmi inſpecti unumquemque docebunt. Neque verò ibi aliud eſt, *in furore argui*, & *in ira corripi*; ſed idem diverſis vocibus Hebræorum more, qui in Pſalmis inprimis elucet, repetitur.

Quintus locus Pſalmo 66. (*v.* 12.) continetur: *tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Ex quo, Ambroſii autoritate nixi, tum purgatorium concludunt, tum baptiſmum. Sed ſeipſos convellunt, dum fatentur, hunc locum varios habere ſenſus: ut facilè appareat, nihil nobis de argumenti iſtius ſolutione laborandum eſſe. Placet tamen, ut iſtorum hominum ineptias oſtendamus, pauca hoc in loco dicere. Conſtat igitur, hìc homines vivos, & ſic nullam mortem, nullum purgatorium paſſos, Dei laudes concinere, eique gratias agere, qui ingentem malorum molem à cervicibus illorum depulerit. Per ignem enim & aquam, maxima mala & pericula graviſſima intelligit divinus vates: cùm nihil ſit, quod celeriùs hominem extinguat, quàm vel aquarum inundatio, vel rapidum ignis incendium. Vidit hoc & Auguſtinus, qui locum iſtum explicans, nullum cogitavit purgatorium, ſed de fideſium tentationibus vatem verba facere ſtatuit. Et mirum eſt, homines iſtos, qui ex verbis illis ignem purgatorium poſt mortem elicuerunt, non elicuiſſe etiam aquam aliquam poſt mortem purgatoriam; cùm nulla ſit cauſa, cur, ſi ignis ille, ſit ignis, quo animæ poſt mortem purgentur, aqua etiam illa non ſit aqua ejuſmodi, quâ animæ poſt mortem eluantur, præſertim cùm igni in Prophetæ verbis poſtponatur. Præterea ſi aqua illa baptiſmum deſignat, cur illi non minùs, quàm igni, opponitur refrigerium ſeu refocillatio?

Sextus locus apud Eſaiam hunc in modum legitur: (*Eſa.* 4. 4.) *Purgabit Dominus ſordes filiorum & filiarum Sion, & ſanguinem mundabit de medio eorum, ſpiritu judicii & combuſtionis.* Quæ verba Auguſtinum ad pœnam
506. purgatorii referre aſſerunt. Sed adverſarios minimè latet, autoritatem ratione deſtitutam nihil valere. Manifeſtum autem eſt, Prophetam de illis verba facere, qui Hieroſolymis & in Sion, ex clade paulò antè ibidem memorata reſidui, & porrò vivi futuri erant, de quorum medio Deus ſeſe ſor-

des, ſanguinemque purgaturum, id eſt, homicidia ſanguiniſque profuſionem ardentiſſimo judicio ſuo exterminaturum prædicit. Neque verò ſanguis ille ſeu homicidia, peccata ſunt venialia. At his ſolis expurgandis volunt iſti purgatorium ignem eſſe deſtinatum: confer cum hoc Prophetæ loco cap. 1. 26, 26, 31.

Similiter & de ſeptimo loco judicandum eſt, qui apud Malachiam (*Malach.* 3. 3.) his verbis comprehenſus eſt: *Et ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia.* Nam præterquam quòd ipſi adverſarii fatentur, hîc de eorum purgatione agi, qui ſunt in vivis; ipſa verborum complexio indicat, nequaquam de igne propriè ſic dicto ſermonem haberi, ſed de metaphorico, ſenſumque eſſe: Deum Levitas, per quos myſticè Chriſtiani homines, qui divino cultui inſtar Levitarum penitùs ſunt conſecrati, poſſunt intelligi, haud aliter ab omni ſcelerum contagione expiaturum, atque igni aurum argentumque purgatur, ut nimirum ad ſacrificandum Deo, id eſt, ad eum ritè colendum apti ſint. Minimè enim ad hanc rem appoſiti tunc erant, cùm adhuc in ſcelerum turpitudine verſarentur. Hanc autem verbis iſtis ſententiam contineri, ex iis patet, quæ mox vates ſubjungit: *Et erunt offerentes Iehovæ oblationem in juſtitia.* Id quod de cultu divino, quem in hac vita Deo præſtare debeant Levitæ iſti, intelligendum eſſe, quivis facilè videt. Plura de hoc loco diximus ſuprà de Cœna Domini agentes. (*lib.* 4. *cap.* 22.)

Octavum locum illa Eſaiæ verba obtinent, (*Eſa.* 9, 18.) *Succenſa eſt quaſi ignis impietas, vepres & ſpinas vorabit.* Atqui hoc loco non purgatorium aliquod deſcribit Vates, ſed ſupplicium divinum populo Iſraelitico in hac vita ob impietatem infligendum, quod eum ſit conſumturum, & ab infimis ad ſupremos uſque progreſſurum, non ſecùs ac ignis ſuccenſus vepres ſpinaſque exurere, & hinc ad denſiora ſylvarum loca progrediens, proceras arbores corripere, omnemque tandem ſylvam depaſci ſolet: id quod cuilibet locum iſtum non oſcitanter legenti facilè patebit; aut certè quilibet ea ibi commemorari animadvertet, quæ in vivos tantùm, nequaquam autem in mortuos convenire poſſunt.

Nonus locus apud Michæam extat: (*Mich.* 7, 8.) *ne læteris*, inquit, *inimica mea: conſurgam cum ſedeo in tenebris Dominus lux mea. Iram Domini portabo, quoniam peccavi, donec cauſam meam judicet, & faciat judicium meum. Educet me in lucem, & videbo juſtitiam ejus.* Hîc certè mirari ſatis non poſſum, quo pacto Pontificiis, ex verbis iſtis purgatorium extruere, in mentem venerit; cùm nihil ſit apertius, quàm divinum vatem introducere 507.

populum Dei adhuc viventem, peccata caſumque ſuum, in quem inciderat, ſeu vaſtitatem ac deſolationem terræ, lugentem, & interim de Dei miſericordia atque clementia plurimum ſibi pollicentem, eaque de cauſa hoſtes, alioſque invidos monentem, ne ob ſuum illum caſum exultent: quia brevi iterum ſit erigendus à Deo, & in meliorem ſtatum transferendus.

Decimo loco illa Zachariæ verba ponuntur: (*Zach.* 9, 11.) *Tu autem*, inquit, *in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Verùm non minùs abſurdè hinc, quàm ex aliis ſcripturæ locis, purgatorium conſtituitur. Aut enim hæc propriè à Vate dici volumus, aut figuratè. Si propriè dicuntur, quid, quæſo, lacus aquâ carens, momenti habet ad purgatorium conſtituendum? Si autem per quandam dicendi figuram proferuntur, ut omninò fieri ſtatuendum eſt; multò certè minus ad hoc commentum ſtabiliendum ponderis habebunt. Qua de cauſa nec Hieronymus, nec Auguſtinus, in quorum autoritate iſti plurimum ponunt, auſus eſt hoc loco ad purgatorii fabulam abuti: cùm ille per lacum iſtum ſupplicium intelligat æternum: hic verò humanæ miſeriæ ſiccam profunditatem, ubi non ſunt fluenta juſtitiæ, ſed ſterilitatis lutum. Non dubium autem eſt, quin vates liberationem populi è Babylonica captivitate ſermone perſequatur, & interim ſpiritualem divini populi liberationem, quæ reſurrectione vitâque æternâ continetur, Spiritus ſancti impulſu adumbraverit.

Sed jam tempus eſt, ut eos locos excutiamus, qui ex Novo Teſtamento ad purgatorium probandum atque firmandum adducuntur. Sunt autem numero undecim potiſſimùm.

Primus illis Chriſti verbis continetur: *Quiſquis blaſphemaverit Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* (*Matth.* 12. 13.) Hinc, inquiunt, ſancti patres colligunt, quædam peccata remitti in futuro ſeculo. Id quod nos, ſi modò conſtanter & ſecundùm ſcripturæ ſenſum dicatur, facilè conceſſerimus. Sed quid hoc ad purgatorium? cùm in eo peccata, ſi iſtorum opinio vera eſt, puniantur, non remittantur. Puniri enim peccata, eademque remitti, contraria ſunt. Adde, quòd purgatorium ejuſmodi, quale illi confinxerunt, futuro ſeculo ſecundùm ſcripturæ conſuetudinem accepto, adſcribi nequeat. Futurum enim ſeculum, niſi ſimpliciter
508. ſignificet ætatem futuram, quo pacto centuriam annorum ſecuturam, reſpectu hujus, in qua nos vivimus, futurum ſeculum poſſis appellare; non ſignificat tempus poſt unius cujuſque hominis mortem ſecuturum, ſed id, quod poſt univerſæ hujus vitæ animalis finem ſecuturum eſt, cujus initium adventus Chriſti ſecum adferet. At purgatorium jam extare, & homines ſtatim poſt mortem ſuam in illud transferri, ipſumque purgatorium in Chriſti ad-

Digitized by Google

ſti adventu ceſſaturum, iſti contendunt. Remiſſio autem illa, quæ hominibus in futuro ſeculo continget, eſt à morte, quæ propria peccati pœna eſt, liberatio, & immortalis vitæ donatio, quæ hominibus piis continget, cùm è mortuis reſuſcitabuntur, & ſpiritus eorum incorruptibilibus corporibus induentur, id quod in ipſa ſtatim reſurrectione fiet. Mortui enim, ut Paulus ait, (*2. Cor.* 15. 32.) reſurgent incorruptibiles: cæteri autem, nempe viventes, immutabuntur, id quod illis reſurrectionis erit loco. Ex quo patet vanitas argumenti, quo hoc loco ad purgatorium extruendum utuntur: Peccata illa, inquiunt, quæ in futuro ſeculo remittuntur, vel remittuntur in cœlo, vel in inferno, vel in tertio aliquo loco ſeu ſtatu animarum. At non in cœlo, nec in inferno. Ergo in tertio aliquo loco, nempe in purgatorio. Quid enim? an in purgatorio animæ ſeu ſpiritus piorum, immortalitate donantur, ſeu corporibus incorruptibilibus induuntur, & ſic ipſi homines pii à morte perpetua liberantur? haudquaquam. Quòd ſi alibi id fit, alibi etiam illis contingit peccatorum remiſſio, quam in reſuſcitatione ſitam eſſe docuimus. Si dixerint, pœnam quidem tnnc remitti, non autem culpam, ſeipſos jugulabunt. Sic enim conſequens erit, nullum eſſe purgatorium, in quo pœnæ peccatorum ſolvantur. Aliter enim, quomodo pœna illis poſtmodum remitti dicetur, qui jam purgatoriis ignibus injecti, ſatis illam perſolverunt? Ad culpæ remiſſionem hîc confugere nequeunt: cùm pœna tolli nequeat, culpâ nondum condonatâ: ſiquidem condonatio culpæ, ut jam cum illis loquamur, remiſſionis pœnæ ſit cauſa; & ipſi Pontificii velint, culpæ remiſſionem iis, qui ignes purgatorios experiantur, dum adhuc in vivis ſunt contingere. Quid ergo hic locus ad purgatorium probandum facit? & cur non potiùs ſacræ ſcripturæ tenorem ſequuti, hunc Chriſti verborum ſenſum agnoſcimus, ut eos, qui in Spiritum ſanctum blaſphemi ſunt, & temporariis hujus vitæ pœnis, & ſempiternis ſuppliciis vindicandos eſſe intelligamus?

‡ *Remiſſio autem illa*] Imò erit ſolemnis & publica confirmatio per adjudicationem ad gloriam in conſpectu impiorum, illius ipſius remiſſionis quam jam ante obtinuerint in hac vita ex fide in meritum Chriſti. Proviſionali quæ nunc eſt ſententiæ tunc in die judicii ſuccedet ſolemnis atque definitiva. Nam ut *reſurrectio* glorioſa appelletur remiſſio peccatorum neque hæc ante illam obtineatur, à ſtylo Scripturæ eſt omninò alienum.

Secundus locus apud Paulum eſt, qui ad Corinthios ſcribens ita loquitur: *ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* (1. *Cor.* 3. 15.) Atqui Apoſtolus, haud quaquam iis in verbis aſſerit, ignem ibi verum fore, & hominem illum de quo loquitur, per ignem tranſiturum: Sed tantùm perinde 509.
fore ac ſi per ignem, & ut vulgo loqui ſolemus, ex incendio evaſiſſet: quia

nimirum

nimirum quemadmodum paulò ante dixerat, opus ejus in quo conſtruendo multum deſudaverat, & ex quo præmium apud Deum ſperaverat, igni probationis, (de eo enim ibi loqui Apoſtolum fatentur adverſarii) exuretur & in fumum abibit, ac nullum ipſi homini fructum ac præmium afferet. Quare ipſe nihil ſecum auferet, ſed nudus interitum vix effugiet, ut illis contingere ſolet qui per ignem vel ex incendio effugiunt. Itaque nos facilè concedimus id, quod volunt adverſarii, in ultimis his verbis non eundem intelligi ignem qui antea fuerat intellectus, cùm dixit Apoſtolus, igni uniuscujuſque opus probatum iri: poteſt enim in ultimis verbis ignis vulgaris intelligi, cùm ſimilitudine tantùm ab eo petita utatur Apoſtolus: licet ob mentionem prioris illius ignis & exactionis operum, in hujus mentionem inciderit, & ſimilitudine hac uſus fuerit. Mirum autem eſt, cum iidem adverſarii omninò contendant Apoſtolum ſuperiùs dicere voluiſſe, diem ultimi judicij manifeſtaturam unius cujuſque opus; eos id, quod conſequens iſtius manifeſtationis eſt, nempe damnum, ſeu ut ipſi volunt, pœnam illius hominis cujus opus arſerit, quam in tranſitu per ignem conſtituunt, ad ignem purgatorium referre, quem tamen in ultima die non amplius extiturum eſſe dicunt: Manifeſtatio enim illa per operum explorationem fiet: Exploratio autem illa cauſa eſt antecedens, illìc quidem mercedis, hìc vero damni, aut, ſi ita placet, pœnæ. Quod ſi ergo manifeſtatio illa in ultimo demùm judicio fiet, quomodo pœna quæ illius conſequens eſt in purgatorio ante judicii diem infligetur? Quanquam non dicit Paulus, ut iſti urgent, illi homini præter operis mercediſque ſperatæ jacturam, aliam adhuc pœnam à Deo eſſe infligendam. Rationes quæ ab illis pro ſententia iſta afferuntur nullius ſunt momenti: Primum ajunt hominem iſtum dici ζημιοῦσθαι, hoc autem eſſe mulctari ac pœnas dare: Atqui ζημιοῦσθαι etſi nonnunquam ſignificet mulctari ac pœnas dare, non rarò tamen ſimpliciter eſt jacturam facere ſeu dam-
510. num ac detrimentum pati; quemadmodum hoc ipſo Pauli loco reddidit vulgata interpretatio quæ apud ipſos ſummam obtinet authoritatem: Exemplum ejus ſignificationis habes apud eundem Apoſtolum Phil. 3. (*ỳ. 7. 8.*) ubi etiam ζημία unde ζημιοῦσθαι ſimpliciter jacturam aut detrimentum ſignificat, quemadmodum & alibi in novo Teſtamento. (*Act.* 27, 10. 21.) Quod ſi mulctandi verbo reddere placet, intelligendum erit, mulctæ inſtar eſſe jacturam operis & mercedis ſperatæ fruſtrationem. Mulctam enim illam non ſignificare pœnam aliquam ipſi homini ſeu perſonæ ipſius infligendam, ſed tale quippiam quod extra illius perſonam cernatur, manifeſtè indicant Pauli verba, qui ita loquitur: *Si cujus opus arſerit detrimentum* [quidem] *patietur*, ſeu mavis, *mulctabitur; ipſe autem ſervabitur*: Quod ſi mulcta illa, quemadmo-

quemadmodum adverſariorum ſententia poſtulat, æquè in ipſa illius hominis perſona cerneretur, ac ſalus, cujus in poſterioribus verbis fit mentio, non rectè poſtquam dixiſſet eum mulctatum iri, ſubjunxiſſet, *ipſe autem* ſeruabitur. Sic enim, ſi iſtam adverſariorum ſententiam ſequaris, loqui cenſebitur Apoſtolus; Si cujus opus arſerit, ipſemet, præter operis jacturam, pœnâ afficietur, ipſe autem ſervabitur: quæ oratio quam ſit inconcinna & Apoſtolo indigna nemo non videt. At ſi ita verba accipias ac ſi dixiſſet Apoſtolus; Si cujus opus arſerit, operis quidem ac laboris in id impenſi jacturam faciet, ſperatâque mercede fruſtrabitur, ſed ipſe nihilominus ſeruabitur; Sic omnia erunt apta ac concinna. Deinde ajunt Apoſtolum in ultimis loci verbis uti ſimilitudine tranſeuntis per ignem, quæ ſignificet pœnam & dolorem; Qui enim, inquiunt, tranſiret per ignem ſine ulla læſione, non diceretur tranſire per ignem quaſi per ignem, ſed quaſi per flores: At primum non dicit Apoſtolus hominem eum tranſiturum per ignem quaſi per ignem, ſed eum ſalvum fore, verum ita quaſi per ignem: Quantum autem hæc ab illis differant quivis facilè perſpicit; Illa enim quibus utuntur adverſarii, ſignificant eum hominem revera tranſiturum per ignem; at Apoſtoli verba id nequaquam poſtulant, ſed modum tantum quo homo iſtiuſmodi ſalvus fiat, ſimilitudine declarant; ab eo petitâ qui per ignem, rebus omnibus igni conſumptis, evaſerit. Deinde ſi quis omninò urgeat læſionem ac dolorem aliquem iſtis Apoſtoli verbis ſignificari, non erit tamen neceſſe ſtatuere veram aliquam pœnam homini illi à Deo inflictum iri: ſufficere enim ad illam læſionem poteſt dolor, ac pudoris, ſeu mavis ignominiæ, nota quam ignis ille, quo opus ipſius exuretur, ipſi inuret, etiamſi ipſe-met cæteroqui ſalvus ſit evaſurus. Denique ajunt Apoſtolum opponere tranſitum per ignem, mercedi; Mercedem autem illam ſignificare aliquid præter ipſum bonum opus, & præter læticiam quam id ex ſe adferat: Unde concludunt etiam detrimentum ac tranſitum per ignem eſſe aliquam pœnam præter jacturam operum & confuſionem quam ea ex ſe afferat: Non dicere Apoſtolum, hominem iſtum tranſiturum 511.
per ignem, antea oſtendimus. Sed eſto, nunc ita opponatur tranſitus per ignem mercedi, quemadmodum detrimentum eidem opponitur; Annon jactura operis quæ in mercedis denegatione revera conſiſtit, & tranſitus per ignem qui jacturam iſtiuſmodi afferat, mercedi rectè opponitur. Neque enim in eo ſimpliciter jactura illa conſiſtet, quod opus ſit arſurum; Sed in eo quod arſionis conſequens eſt, nempe quod homo iſte operæ ſuæ pretium ac laboris præmium ſit perditurus. Nam alioquin, ut in ſimilitudine ab Apoſtolo uſurpata perſiſtamus, poſſet opus alicujus ardere & igne penitùs conſumi; nec tamen is qui id fabricatus eſt, jacturam illius facere; quia nimirum id illi

Digitized by Google

abundè compenſetur; id quod hîc nequaquam fiet. Itaque jure dicitur, hujuſmodi hominem veluti per ignem ſalvum fore, vel, ut ſupra diximus, veluti ex incendio vix nudum evaſurum.

Sed jam ad tertium locum veniamus qui 1. Cor. 15. extat: *Quid facient*, inquit Apoſtolus, *qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgent, ut quid baptizantur pro illis?* (1. *Cor.* 15. 29.) Hîc adverſarii ut Purgatorium ſuum conſtituant, baptizandi verbo baptiſmum lachrymarum & pœnitentiæ intelligendum eſſe ajunt, qui ſuſcipiatur orando, jejunando, beneficentiam exercendo, proque mortuis ſeſe affligendo.

At verò iſtud argumentum multis modis vitioſum eſt. Primò enim baptizandi verbum eo pacto quo iſti volunt uſurpatum nullibi apud Sacros authores reperitur. Tametſi enim Chriſtus ſe ſuoſque Apoſtolos afflictionis baptiſmo baptizandos eſſe dicit: (*Marc.* 10. 31. 39.) tamen cùm non ſolum non de ſpontaneis, ſed aliunde illatis calamitatibus Chriſtum eo in loco verba facere conſtet, iiſque tantis ut quiſpiam iis immergatur & quoad carnem penitùs obruatur; verùm etiam precum beneficientiæque ſtudium baptiſmi nomine comprehendi, nec ulla ratio ſuadeat, nec ullum divinum teſtimonium comprobet; quis non videt quam inane id ſit commentum? Deinde ſi maxime baptizandi verbo id quod iſti volunt alicubi ſignificaretur, quod quidem nos pernegamus, tamen cùm plures habeat ſignificatus, ideoque ambiguum ſit, inepta fuerit conſequentia iſta, quidam baptizantur pro mortuis, ergo hoc fit orando, jejunando, benigneque cum pauperibus agendo; cùm alio modo pro illis baptizari poſſint. Præterea etiamſi baptizari hoc in loco nihil aliud deſignaret, quam quod illi aſſerunt, nihil tamen hinc ad
512. Purgatorium ſtabiliendum concludi poſſet; cùm, ut ſupra diximus, pro mortuis aliquid fieri queat, quamvis in nullo Purgatorio exiſtentibus. Et ſanè, ſi, ut è Purgatorio mortuorum animæ in cœlum evolarent, id homines illi feciſſent, Apoſtolus inde haudquaquam potuiſſet colligere, eos futuram reſurrectionem credere. Potuiſſent equidem id quod feciſſent facere, etiamſi nullam reſurrectionem poſt illam è Purgatorio liberationem ſequuturam credidiſſent. Perperam autem ij cum quibus nobis res eſt, unà cum aliis quibuſdam ſententiis, & hanc rejiciunt; nimirum fuiſſe quoſdam qui pro mortuis fidelibus, qui fortè ſine baptiſmo deceſſerant, ne id eorum ſaluti quicquam obſtaret, aquâ baptizarentur. Baptizandi quippe verbum abſolutè à Paulo iſto loco poſitum eſt, nec ullo conſtat argumento à proprietate vocis recedendum eſſe, & de alio præterquam aquæ baptiſmo orationem haberi. Non dubium autem eſt, quin qui hoc fecerunt in magno errore verſati fuerint: Et hanc quidem ob rem non tam illorum factum quam animus

animus à Paulo ſpectatur, cui propoſitum erat oſtendere iſtos quantumvis ipſo facto non leviter errantes, animo tamen menteque multò firmiùs mortuorum reſurrectionem comprehendiſſe quam Corinthios quoſdam; apud quos cum ſine dubio illi, propter inſignis cujuſdam pietatis aut ſapientię opinionem, plurimùm authoritate valerent, idcirco Apoſtolus illud ab eorum facto argumentum ducit, apud Corinthios ſaltem non parum valiturum: Hujuſmodi argumenta πρὸς ἄνθρωπον, *ad hominem*, dicere ſolent viri docti: quia etſi non per ſe atque adeo nec apud omnes valent, valent tamen apud eos cum quibus res eſt: quo pacto adverſarios ex propriis eorum opinionibus, licet falſis, convincere ſolemus. Atqui, inquiunt, inſinuaſſet ſaltem Apoſtolus, ſententiam iſtam errore implicatam eſſe, ne errandi occaſionem daret. Reſpondemus Apoſtolum id quantum inſtituti ipſius ratio, reſque ipſa poſtulabat, eo ipſo inſinuaſſe, quod in tertia tantum perſona de iis loquatur, & quidem ita ut ſe ab illis manifeſtò ſejungat. Nam poſtea ſtatim ſubjicit, *Quid etiam nos periclitamur qualibet horâ?* At ſi id erroneum non judicaſſet, ſed potius pium aliiſque ſalutare, cur ſeipſum non incluſiſſet? an non ille vel primus fuiſſet, vel inter primos qui idem factitaret? cùm nemo majori pietate ac charitate eſſet præditus, nemo magis in fidelium ſalutem incumberet. Quod autem apertiùs eum errorem non reprehenderit, partim illa fuit cauſa, quod ut ex ipſa ſermonis complexione ſatis perſpicuum eſt, ipſius conſilium eſſet ſine ulla orationis interruptione, continuataque verborum ſerie, ea percenſere quibus ad reſurrectionem mortuorum demonſtrandum opus eſſet; partim quod error iſte ejuſmodi eſſet qui nec fidem Chriſto habendam everteret, nec eos de ſalutis æternæ poſſeſſione dejiceret. Errandi verò 513.
materiam hominibus eo ipſo ſubtractam fuiſſe conſtat, quod non modò nullum apparet indicium quo ei factum iſtud probatum fuiſſe admoneamur, quamvis præclaram illorum de reſurrectione ſententiam ei mirum in modum placuiſſe ſtatuendum ſit; verùm etiam non obſcurum in contrariam partem extat judicium, quemadmodum oſtenſum eſt.

21 *Perperam autem ij*] Variæ ſolent iſtius loci 1. Cor. xv, 29. proferri interpretationes, quas inter & hæc eſt quam propugnat Volkelius: cui præluxit Scaliger, *in notis* ad hunc locum, excudi ſolitis ad finem nonnullorum exemplarium N. T. Græci, allatâ etiam authoritate Tertulliani *lib. 4. contra Marcionem*, cui ſententiæ alii quoque ex veteribus adſtipulantur. Quid ſi ὑπὲρ τῶν νεκρῶν baptizari dicerentur, qui vel in cœmiteriis & ſepulchretis ſuper mortuis baptizabantur, ut ſic ſuam cum illis communionem & ſpem reſurrectionis communem teſtarentur; vel tingebantur Clinici, qui jam conclamati erant & pro mortuis habebantur, quem baptiſmum moribundi non ſuſcepiſſent niſi de alia & meliori vita poſt hanc cogitaſſent: Quid quod potuerit Paulus reſpexiſſe ad mortuorum

lotiones, quarum exemplum proſtat Act. IX, 37. quæ in cura tamque honeſta & ſolicita cadaveris, ſpem tacitam reſurrectionis futuræ teſtari videbantur: Imò non deſunt qui hoc dictum Pauli intelligunt de Baptiſmo omnium Chriſtianōrum; qui cenſentur ὑπὲρ τῶν νεκρῶν baptizari, quod baptizentur in communionem mortis & reſurrectionis Chriſti Rom. VI, 3. Coloſſ. II, 12.

Quartum locum illa Chriſti apud Matthæum (*Matt.* 5. 22.) verba continent; *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio: qui dixerit fratri ſuo racha, reus erit concilio; qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Auguſtini autoritate probare nituntur, tum omnia iſta tria animarum pœnas deſignare, tum ea inter ſe diſtingui, ita ut priora duo pœnas temporarias complectantur, ſolum autem tertium ſempiternum ſupplicium nobis ob oculos ponat. Hinc conſequens eſſe aſſerunt, poſt hanc vitam hominum animas pœnis temporariis affici, & porrò eſſe Purgatorium. Verùm non ſolùm nihil nos ad iſtum modum verba Chriſti interpretari cogit, ſed etiam falſiſſimam ex illis conſequentiam confectam eſſe conſtat. Ac prius quidem inde patet quod planè veriſimile eſt, ut idem quodammodo homicidii facinus, quod hîc Chriſtus oratione perſequitur, variè committi ſolet, ita & unius ejuſdemque generis ſupplicium, ſceleri iſti conſtitutum non uno modo efferri. Alludere quippe Dominus ad ea voluit, quæ tunc inter Judæos vigebant, vel alioqui vulgò nota erant, ut ſermonem ſuum ad illorum captum accommodaret. Vigebat autem tunc judicii adminiſtratio; vigebat conſeſſus ſeniorum populi; vigebat denique facinoroſorum hominum interemptio, quæ in valle Hinnon, ſeu filiorum Hinnon, fieri ſolebat; vel ſaltem vulgò nota erat crudeliſſima illa liberorum quæ in iſta valle olim viguerat combuſtio, quam Chriſtus gehennæ ignem nominat; qua de re ſuo loco fuſiùs à nobis explicatum eſt. (*lib.* 4. *cap.* 14.) Jam quod ad poſterius, nimirum conſequentiæ falſitatem, attinet, dicimus ſi maximè duæ priores pœnæ temporariæ eſſent, nequaquam tamen hinc effici eas hominibus poſt mortem demum irrogandas eſſe, cùm in hac vita ſumi de illis poſſint. Nec eſt quod hîc de divinis ſuppliciis orationem haberi quiſpiam objiciat; cùm ea in hac etiam vita locum habeant. Solet quippe Deus etiam in præſenti ſæculorum ætate varias de peccatoribus pœnas expetere.

‡ *Nec eſt quod*] Et divina hîc judicia intelliguntur & ea etiam quæ poſt mortem inferuntur; in quibus diverſos eſſe gradus, correſpondentes per analogiam illis ſuppliciorum forenſiū & inter homines gradibus, ad quos reſpicit Chriſtus, eſt certiſſimum: Nam decollatio potiſſimum exercebatur per judicium XXIII. Virorum; vivi comburium ex magni Synedrij ſententia; ſed quale deſcribitur à Judæis multo lenius eo quo in valle Hinnon parentes crudeles ſuos filios Molocho offerebant. Itàque cùm Judæi ſolam pœnam decollationis homicidio aſſignarent, ac ſi ſolo homicidio actuali & externo peccaretur in Dei Legem, Chriſtus oſtendit longè graviorum

Digitized by Google

viorum pœnarum reatum contrahi corā Deo, vel ſolo iracundiæ motu in fratrem, aut verbis in ipſum contumelioſis, quam ipſi cædi actuali vulgò adſcribebant: cùm vel ſolius iræ motus violentus & injuſtus mereatur coram Deo pœnam capitalem, & ei analogam quam in foro ordinario ipſe homicida ſuſtinebat.

Quintus locus eſt apud eundem Matthæum, ubi Chriſtus, (*Matt.* 5. 25.) *Eſto conſentiens*, inquit, *adverſario tuo citò, dum es cum eo in via, ne fortè tradat te adverſarius judici, & judex miniſtro, & mittaris in carcerem; Amen* 514.
dico tibi non exibis inde donec reddas noviſſimum quadrantem. Hîc verò adverſarii in Purgatorio ſuo conſtituendo multum deſudant atque elaborant, ut nimirum quæ ſit iſta via, quis adverſarius, quis judex, quis tortor, quis carcer & quadrans explicent; ſatis interim ſuam rerum divinarum imperitiam prodentes. Tota enim hæc Chriſti oratio allegorica eſt, adeoque nequaquam requiritur ut res quæ cum altera confertur, per omnia ei reſpondeat; cùm ſatis ſit in ea parte quandam eſſe utriuſque convenientiam, de qua potiſſimum agitur, quamque ſibi author tanquam ſcopum præfixam habet. Agitur autem hic de periculo quod iliis imminet qui fratrem offenſum reconciliare negligunt. Cujus periculi exaggerandi causâ Chriſtus omnia iſta percenſendo enumerat. Sed jam videamus quâ ratione teſtimonium iſtud ad Purgatorium adhibeatur. Dicunt igitur adverſarii illis verbis, *Non exibis in le donec ultimum quadrantem perſolvas*, purgatorios ignes demonſtrari. Apertiſſimum enim eſſe ajunt, Chriſtum hic de eo ſupplicii genere loqui quod temporarium eſt, & à quo tandem ſatisfactione confectâ, quiſpiam liberari poſſit. Nos verò & conſequentiam iſtam repudiamus, & hanc Chriſti verborum explicationem divinæ veritati repugnare conſtanter aſſeveramus; ac illud quidem duas ob cauſas. Primò enim particula *donec* non ſemper eam vim habet ut certum rei alicujus finem terminumque declaret. Sæpenumerò enim verba in quibus particula iſta ponitur, perinde accipienda ſunt ac ſi diceretur *nunquam*, cùm nimirum res quæ exprimitur impoſſibilitatem quandam continet; ſive impoſſibilitas iſta vera ſit, ſive vera eſſe videatur; veluti cum Jobus (*Hiob.* 14. 12.) dicit hominem poſtquam occubuerit, non reſurrecturum *donec atteratur cælum*, ideſt hominem, ut tunc putabatur, nunquam reſurrecturum. In qua quidem ſententia ipſum etiam Jobum fuiſſe, ex eo conſtat, quod ligna eâ re homini præponit, hunc in modum loquens; (*v.* 7.) *Lignum habet ſpem; ſi præciſum fuerit rurſum vireſcit, & rami ejus pullulant; Si ſenuerit in terra radix ejus & in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quaſi cum primùm plantatus eſt: homo verò cùm mortuus fuerit & nudatus atque conſumptus, ubi quæſo eſt?* Conſtat igitur, ſi Jobi mentem ſpectes, locutionem

Digitized by Google

illam *donec atteratur cœlum*, idem deſignare quod *nunquam*: licet interea divinus Spiritus ſenſum myſticum, quo & deſtructio cœli & reſurrectio hominis prædicitur, ſub iſtis verbis occultarit. Videbatur nempe tunc ut & hodie multis videtur, cœlum nunquam deſtruendum eſſe. Eodem modo & de illis Chriſti verbis judicandum videtur; (*Matt. 5. 18.*) *Donec tranſeat cœlum & terra*,
515. *ra, jota unum, aut unus apex non tranſibit à lege donec omnia fiant*, h. e. nunquam quicquam tranſibit à Lege uſquedum omnia fiant. Quemadmodum autem in negativis enunciationibus, verba illa in quibus eſt particula *donec*, idem ſignificant quod *nunquam*, ita in affirmativis enunciationibus idem ſignificant quod perpetuò vel æternum; ut cùm dicit David de Chriſti regno vaticinans, (*Pſal. 72. 7.*) *Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna*, id eſt perpetuò ſeu in æternum. Sed accommodatiſſimus inſtituto noſtro locus eſt apud eundem Matthæum cap. 18. (v. 24.) ubi Chriſtus itidem, ut in loco controverſo, utitur ſimilitudine ſolutionis debiti. Ait enim Chriſtus Dominum illius ſervi qui conſervo noluerit remittere centum denarios, ſed eum in carcerem conjici curaverit, tradidiſſe illum tortoribus, *donec redderet omne quod ipſi debebat*. Atqui debitum illud eſt decem millium talentorum & ſignificat omnia peccata quæ in Deum commiſimus; quæ non niſi æterno ſupplicio exſolvi poſſunt. Quare ſenſus eſt eum hominem perpetuò in tortorum manu fore, ſeu æternum ſupplicium luiturum; quod idem de loco controverſo ſtatuendum eſſe, paulò poſt meliùs intelligetur.

‡ *Veluti cum Iobus*.] Fallitur hæreticus dum ex hoc loco Job. XIV, 12. colligit Jobi tempore non creditam fuiſſe reſurrectionem mortuorum: Nec enim hic dicitur mortuos *nunquam* reſurrecturos abſolutè, ſed nunquam reſurrecturos naturaliter ad munia & labores hujus vitæ. Quo facit ſimile quod habetur com. 7. Oſtendit enim non eventurum homini mortuo, quod arbori, quæ excisa ſuccreſcit denuò viribus naturæ, & irrigata vires reſumit. Optimè enim notat Mercerus *ad hunc locum*, quod *Iob juxta naturam de homine loquitur*. Sic Jobi VII, 10. diſertè dicitur hominem mortuum non reverſurum ultra ad domum ſuam, *ut ſcilicet rem familiarem & ſolita negotia adminiſtret & procuret*, inquit Doctiſſimus Mercerus. Alias cùm loco quem citat Volkelius, mors *ſomni* nomine exprimatur, tacitè relinquitur cogitandum ab eo excitatum iri homines ſupernaturaliter ad vitam cœleſtem & æternam; prout hic occultari *ſenſum myſticum quo & deſtructio cœli & reſurrectio hominis prædicitur*, aſſerit hæreticus, ſuammet deſerens ſententiam. Et certiſſimâ illius reſurrectionis glorioſæ fiduciâ præ ſe fert Jobus ipſe Job. XIX, 25.

Altera cauſa, cur argumenti iſtius conſecutionem minimè admittamus eſt, quod ſi maximè Chriſtus hoc in loco de temporariis ſuppliciis orationem haberet, non efficeretur tamen continuò purgatorium aliquem ignem eſſe, quo homines poſt mortem torqueantur. Potuiſſet quippe Dominus de illis pœnis

nis loqui, quæ juſtiſſimo Dei judicio in hoc ſæculo iis irrogari ſoleant, qui eos quos offenderunt reconciliare negligunt. Chriſtus ſanè cito, dum quidem in via ſumus, id eſt dum Dei judicio jam jam imminente non opprimimur, nos cum inimico in gratiam redire jubet.

Jam tandem videndum nobis eſt quâ ratione explicatio iſtius loci ab adverſariis excogitata, divinæ veritati repugnet. Conſtat igitur fratrem offendere, deque illius animo ſibi reconciliando minimè laborare, facinus eſſe non temporario tantum, ſed ſempiterno etiam ſupplicio vindicandum. Si enim fratri, à quo offenſi ſumus, non ignoſcere peccatum eſt ejuſmodi quod cœleſti patrimonio homines excludet, cùm Chriſtus eo ſeſe obſtringentibus peccata remiſſum iri neget, (*Matt*. 6. 18. 18. 35.) quid tandem de illo exiſtimandum nobis eſt, qui cùm ipſe fratrem læſerit, de eo ſibi reconciliando nullam curam ſuſcipit? Hinc colligitur eos qui hîc à Chriſto temporarias tantummodo, nempe purgatorias pœnas, illis qui cum fratre offenſo in gratiam non redierunt, conſtitui aſſerunt, divinam veritatem apertè oppugnare. 516. Quæ quidem res quo planiùs appareat operæpretium eſt noſtram de hoc loco ſententiam paucis exponere. Intelligimus igitur Chriſtum his verbis nos cohortari, ut ſi fratrem offendimus, id quam primum agamus ut in gratiam cum eo reſtituamur, aliis tum profanis negotiis, tum ipſis etiam actionibus quibus religio divinique cultus ratio continetur, quæque differre ullo modo licet, interim poſthabitis atque in aliud tempus rejectis. Neque enim fas eſt arbitrari, ullum cultum Deo gratum acceptumque eſſe, quantavis religione ei adhibitum, niſi priùs frater injuriâ à nobis affectus reconcilietur, vel ſaltem ſi id ſtatim reipsâ præſtari nequeat, id nos cùm primùm queamus facturos decernamus. Quod quidem quo magis nobis Dominus perſuadeat, ſimilitudine utitur ductâ à creditore ſuum debitorem in judicium vocante: Quæ ſimilitudo hanc continet ſententiam; Si contingat ut debitor cum creditore jam viam ad judicem ingrediatur, certè debitor peſſimè ſuis rationibus conſulit, niſi aut ſtatim debitum ſolvat, aut tolerabili quadam ratione cum creditore tranſigat. Fiet enim cæteroquin ut creditor eum apud judicem accuſet convincatque, judex autem eum damnatum in cuſtodiam tradendum curet, ex qua nequaquam emittatur, dum rem debitam perſolvat. Eodem igitur pacto evenire neceſſe eſt, ſi quis cum fratre offenſo in gratiam minimè redire curat, dum tempus habet, id eſt antequam Dei judicio opprimatur, damneturque: quod ſi fiat, nihil ei de pœna remittetur, ſed univerſam exſolvere cogetur, quæ cùm ſit æterna nunquam ab ea liberabitur. Verùm quia Chriſtus ſimilitudine utitur à debitis propriè dictis petitâ; quæ ut ut à debitore non ſemper ſolvantur, ſolvi

tamen

tamen ſæpè poſſunt, ac ſolent, ideo utitur voce *donec*, quæ cum res cui adjungitur eſt extitura, certum deſignat terminum; ſi verò exiſtere nequeat, eum perpetuò removet. Non eſt autem mirum hac in parte claudicare ſimilitudinem; cùm id etiam eatenus fiat quatenus dicitur adverſarius, qui hic eſt frater offenſus, nos traditurus judici. Neque enim ſtatuendum eſt fratrem offenſum verè proprieque de illo à quo offenſus eſt puniendo laboraturum; Is namque frater, ſi modò verè frater eſt, nunquam hoc facere ne per ſomnium quidem cogitabit. Quia tamen qui fratrem à ſeſe violatum nullâ ratione placare curat, pœnas omninò daturus eſt, ideoque is qui læſus erat, in cauſa quantumvis per accidens eſt ut hic ſupplicio afficiatur, evenit ut per quandam dicendi figuram Chriſtus perinde rem iſtam expoſuerit quaſi frater offenſus alterum judici traditurus ſit. Quo pacto & ſanguis Abelis clamaſſe ad Deum, (*Gen.* 4. 10.) & (*Apoc.* 6. 9, 10.) animæ propter Dei ſermonem occiſorum itidem clamâſſe, & vindictam de iis, à quibus
517. occiſi fuerant, expetiiſſe leguntur; quia nimirum in cauſſa eſſent, cur Deus, illîc quidem Cainum, hîc verò parricidas piorum hominum punire vellet.

Quod quò rectiùs intelligatur, jam ſextum ſcripturæ locum excutiamus, qui apud Lucam his verbis exprimitur. (*Luc.* 16. 9.) *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ubi per eandem dicendi figuram illi, quibus benefacimus, in æterna tabernacula nos recepturi dicuntur, non quòd illi verè proprieque id perficiant; ſed quia, dum à nobis beneficiis afficiuntur, cauſa quodammodo exiſtunt, noſtri in æternam vitam recipiendi. Unde ſimul efficitur, locum iſtum ad purgatorium conſtituendum ineptiſſimè proferri; quod exſculpi hinc non poſſet, etiamſi poſt mortem demum preces pro hominibus beneficiis funderentur, quæ illis ad felicitatem æternam prodeſſent.

† *Quod exſculpi*] Cui tamen uſui futuræ eſſent illæ preces, ego percipere non poſſum: Sed nec illæ ullis ſdiculis ex loco Luc. xvi, 9. poſſunt extundi.

Septimus locus ex latronis illius verbis ſumitur: (*Luc.* 23. 42.) *Memento mei*, inquit, *cùm veneris in regnum tuum.* Hic primò animadvertendum eſt, ex græco, non *in regnum tuum*, ſed *in regno tuo*, legendum eſſe. Sed deinde quid hic locus ad purgatorium? An ſi nullum ſit purgatorium, non poteſt ejus Chriſtus in regno ſuo veniens meminiſſe, hoc eſt benefacere, eumque ex morte ereptum vitâ ſempiternâ donare? Et etiamſi tandem legeretur, *cùm veneris in regnum tuum*, idque de eo tempore intelligeretur, quo Chriſtus regnum in cœlis adeptus eſt: ſatis tamen latronis illius Chriſtus meminit, cùm, ut omnium fidelium ac piorum, ita latronis quoque illius

ſpiritum

ſpiritum in manus curamque ſuam ſuſcepit, eum aliquando ipſi redditurus, & immortali corpore circumdaturus.

‡ *Septimus locus*] Circa hunc locum Luc. XXIII, 42. fruſtrà ſe fatigant Sociniani, diſputando an legendum ſit *in regno tuo*, an verò *in regnum tuum*: Favet quidem textus Græcus priori lectioni, ſed poſteriorem retinent Vulgatus, Boderianus & Tremellius in Syro, Eraſmus, Caſtalio, Beza; Nec dubium, quin particula ἐν ſæpè pro εἰς uſurpetur, ut viceverſâ & pro ſubjecta materia poſſit ſignificare *motum ad locum*, ſive terminum gloriæ & regni, ad quem Chriſtus crucifixus erat ſtatim perventurus, non verò adjunctum ultimi ipſius adventus, in quo apparebit coruſcus majeſtate & gloriâ. Nec aliter poteſt ſumi locus Matt. XVI, 28. ubi terminus ad quem neceſſariò intelligitur. Proſtant exempla iſtius uſurpationis τοῦ ἐν pro τῷ εἰς Luc. I, 17. VII, 17. I. Theſſ. IV, 7. I. Ioh. IV, 9. *Ex profanis*, inquit Salomon Glaſſius, *Philolog. Sac. Xenoph.* ἔλθοι ἐν ἑλλάδι, *pro* εἰς ἑλλάδα, *veniret in Græciam*; *Hom.* κάππεσον ἐν λήμνῳ, *decidi in Lemnum.*

Nuſpiam etiam dicitur Chriſtus ultimi ſui adventus die venturus *in regno*; Sed tantum in gloria & majeſtate; Verùmtamen neque hac obſervatione obtinebit adverſarius quod vult. Nam eſto; Optaverit demum latro propitium habere Chriſtum, cùm Rex glorioſus venturus eſt ad judicium univerſi; Nihil tamen obſtat, quominus Chriſtus ipſi promiſerit amplius quam petebat, eumque tanto ſecuriorem præſtiterit reſpectu ultimi judicii, quanto expreſſior erat hæc promiſſio ipſum hoc illo ipſo die ſecum futurum in Paradiſo.

Et etiamſi tandem] Non tantum promiſit Chriſtus latroni ſe ipſius *ſpiritum in manus curamque ſuam* ſuſcepiſſe, *eum aliquando ipſi redditurus*, *& immortali corpore circumdaturus*: Sed illi promiſit expreſsè quod illo die ſecum futurus eſſet in Paradiſo, non corporis utique reſpectu, ſed ſpiritus & animæ, quomodo Paulus cupiebat diſſolvi & eſſe cum Chriſto Phil. I, 21.

Octavus locus à Bellarmino ex Apoſtolorum Actis his verbis adducitur: *quem* (ſ. Chriſtum) *Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri eum ab illis.* (*Act.* 2. 24.) Quid autem hæc verba ad purgatorium momenti habeant, planè non intelligo. Quòd ſi de eo locus hic accipiendus eſt, ſequetur, ipſum Chriſtum purgatorii pœnas tuliſſe; de eo enim ſolo hîc ſermo eſt. Illud autem quàm ſit abſurdum, ipſi quoque purgatorii ignis patroni facilè vident. Sed quidnam, quæſo, eſt, quod de purgatorio ſermonem hîc eſſe ſuadeat? Primùm in græcis codicibus non *inferni*, ſed *mortis* fit mentio. Deinde etiamſi inferni mentio fieret, ut quidem tum ex Syriaca, tum ex vulgata editione planum facere nituntur, nihil tamen id ad rem propoſitam faceret: cùm hîc non de inferno, ſed de purgatorio agatur. Inferni autem vocabulum apud divinos autores plærumque non niſi ſta- 518
tum mortuorum deſignat, licèt is inſtar loci cujuſdam ſubterranei, in quem homines per mortem deſcendant, conſideretur, & in ſacris literis depinga-

Digitized by Google

tur: ſtatum verò mortuorum cum purgatorio nihil conjunctum habere, tum res ipſa oſtendit: cùm is nihil aliud ſit, quàm hominem, qui antea erat, jam non exiſtere ampliùs, ita nimirum, ut nulla ejus pars reliqua ſit, quæ actu ipſo vivat, & vel agat quippiam, vel patiatur: tum ex eo etiam facilè conſtat, quòd vel ſanctiſſimi homines in mortis ſtatu ſunt; (unde etiam in infernum dicuntur deſcendere, cùm moriuntur aut ei appropinquare, cùm morti ſunt vicini aut ab illo liberari, cum ab hâc liberantur; (*Gen.* 37, 35: 42. 38: 44. 29. *Job.* 14. 13: 17. 13 16. *Pſal.* 6. 6: 16. 10: 18. 6: 49. 16: 86. 13: 88. 4: 94. 17: 140. 7. *Eſa.* 38. 10. 18. *Dan.* 3. 88.) & tam diu futuri ſunt, donec Chriſtus infernum unà cum morte in lacum ignitum conjiciat, (*Apoc.* 20. 14.) h. e. mortem ipſam, & porrò etiam hunc ejus ſtatum deſtruat atque aboleat, & ſic homines pios in illo collocatos eripiat.

† *Nihil aliud ſit*] Hominem mortuum *non exiſtere amplius* lubenter concedimus, ſi de perſona & toto compoſito agatur: At firmiſſimè negamus illius hominis mortui non exiſtentiam *ita* ſumendam eſſe, *ut nulla ejus pars reliqua ſit, quæ actu ipſo vivat, & vel agat quippiam vel patiatur*; cùm contrarium & Parabola Lazari ac epulonis, & votum Pauli, & promiſſio facta latroni, & generatim univerſa Scriptura, luculenter teſtetur. Abſurdè verò ex reſurrectione carnis & mortis deſtructione, promiſſa Apoc. xx, 14. vellet adverſarius deſtructionem ac interitum animæ rationalis extra corpus colligere, cùm è contrario reſurrectio futura carnis, animæ immortalitatem, & per prius, præſupponat. Porrò etiam quamvis vox *Scheol* interdum ſumatur pro ſtatu mortis, inde non ſequitur nullum eſſe locum, *in quem homines per mortem deſcendant*, cùm & deſcendant in terram ſive ſepulchrum, corpore tenus, & impiorum animæ in locum tormentorum detrudantur. Nec locus Apoc. xx, 14. meram ſtatus illius abolitionem reſpectu piorum denotat, ſed etiam illius continuationem cum tormentis æternis, reſpectu impiorum.

Jam quòd adverſarii ex his verbis, *ſolutis doloribus inferni*, purgatorium elicere conantur, in eo fruſtra ſunt. Etenim dolores mortis hoc loco nihil aliud ſunt, quàm mors violenta, ſeu mors ea, quam dolores ac cruciatus intolerabiles attulerant, per metonymiam cauſæ efficientis. Quare Deum ſolviſſe dolores mortis, nihil aliud eſt, quàm eum, qui morte illa attinebatur, nempe Chriſtum, ab ea liberaſſe. Occaſionem autem iſti locutioni præbuit locus Pſalm. 116. & Græca ejus interpretatio. Ibi enim David Chriſti typis, atque adeò Chriſtus ipſe, in Davidis perſona de ſe ait, ſi Hebræa potiùs verba, quàm Græcam verſionem inſpicias: *Circumdederunt me funes mortis*: & iterum: *Funes inferni* (vel *ſepulchri*) *circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* ubi Græca interpretatio pro voce *funium*, poſuit ὠδῖνας ſeu *dolores*, propter vocis Hebrææ ambiguitatem, quæ & funes & dolores ſignificat:

Digitized by Google

ficat: & quia utraque ſignificatio rei, de qua agitur, convenit, ac licèt prior illa concinniorem reddat metaphoram, nihilominus tamen poſterior diſtinctiùs explicat genus mortis, quod Chriſtus ſuſtinuit; ideo Petrus, vel potiùs Lucas, verba ejus græcè deſcribens, Græcam interpretationem ſequutus eſt: præſertim quia fieri facilè poteſt, ut Spiritus ſanctus ſub ambiguitate vocis Hebrææ, quâ in Pſalmis eſt uſus, utramque ſignificationem complecti voluerit. Sed quicquid ſit, illud apud omnes in confeſſo eſt, Chriſtum paſſionem ſuam ita in cruce conſummâſſe, ut poſt mortem nullos ampliùs dolores ſuſtineret. Quare non de dolore aliquo, quem poſt mortem antequam reſurgeret, ſuſtinuerit, hoc loco ſermo eſt: multò autem minùs de purgatorio.

Nonum teſtimonium ex illis Joannis Baptiſtæ verbis petunt, (*Mat.* 3. 11.) *Ipſe vos baptizabit ſpiritu & igne.* Ubi adverſarii, Hieronymi, Baſilii, Gregorii Nazianzeni autoritate confirmare inſtituunt, hoc in loco tum de baptiſmate ſpiritûs, qui in hac vita fidelibus contingat, tum de baptiſmo ignis, quo in puagatorio tingantur homines, verba fieri. Verùm cùm virorum iſtorum autoritas nullâ nitatur ratione, ſola inficiatione repelli poteſt. Diximus autem ſuprà alicubi, (*cap.* 12.) particulam *&* eo loco non res diverſas copulandi, ſed, quod in ſacris literis creberrimè accidit, explicandi, ſeu mavis, diverſas ejuſdem rei deſcriptiones aut nomina conjungendi, vim habere; quo pacto crebrò in ſacris literis, ut alii quoque animadverterunt, dicitur, *Deus & Pater*, (*Eph.* 1, 3.) quod nonnulli interpretes ita verterunt, *Deus id eſt, Pater*, poſſeſque eodem ſenſu reddere, *Deus qui eſt Pater.* Sic Paulus ait, (*Tit.* III, 19.) Deum nos ſervaſſe *per lavacrum regenerationis & renovationis*, (ſeu mavis *renovationem*) *Spiritus ſancti*: ſic Petrus in Actis: (*c.* 10. 38.) Deum unxiſſe Jeſum *ſpiritu & virtute*: quibus in locis res eadem diverſis modis deſcribitur. Idem autem etiam in loco controverſo fieri, illud eſt argumento, quòd Marcus & Joannes Apoſtolus ignis mentionem omittant, (*Marc.* 1. 8. *Ioh.* 1. 33.) Baptiſtæ verba referentes, non omiſſuri, ſi rem à ſpiritu ſancto prorſus diverſam ſignificaret; aliàs enim dimidiam tantùm verborum Baptiſtæ ſententiam referrent. Addita autem eſt Ignis appellatio, ad Spiritus ſancti proprietatem quandam, ſeu mavis proprietates, ante oculos ponendas, ut ſimul etiam tantò elegantiùs aquæ, quâ Joannes baptizabat, tanquam rei humili ac terrenæ opponeretur. Proprietates autem illæ ſunt, quòd vim habeat animos hominum incendendi, colluſtrandi, repurgandi. has enim vires ignis, ſed in aliis rebus habet. Id quod Chriſtus, hanc Joannis, ſuamque ipſius promiſſionem reipsâ præſtans, ſignificare voluit, dum ſub ignis ſpecie Apoſtolos Spiritu ſancto baptizavit, ut ex Actis conſtat. Qua- 519.

Digitized by Google

re ipſe rei eventus docet, Joanni hæc verba facienti nullius purgatorii in mentem veniſſe, eumque non de pœna aliqua, ſed de ſingulariſſimo Dei beneficio, nec de re, quæ poſt mortem demum obventura hominibus eſſet, ſed quæ in hac vita iis contingere deberet, orationem habuiſſe. Factum enim hoc eſſe ſtatim poſt Chriſti in cœlos aſcenſum, idque in die pentecoſtes, ut & ipſe Chriſtus paulò antè ea Baptiſtæ verba repetens, futurum prædixerat, (*vid. Act.* 1,33. *& cap.* 2,3.) adeò in promptu eſt, ut res diſputatione non indigeat.

Decimus locus ex illo Petri pronunciato depromptus eſt: (1. *Pet.* 3,18, 12.) *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu: per quem ſpiritibus, qui erant in carcere, veniens prædicavit, olim immorigeris.* Hîc adverſarii Petrum aſſerere ajunt, Chriſti animam ad inferni carcerem deſcen-
520. diſſe, ſpiritibuſque, id eſt, animabus in purgatorio exiſtentibus, prædicâſſe. Atqui longè ſecùs ſe res habet. Tantum enim abeſt, ut hæc ſententia Petri verbis contineatur, ut ne conſequentiæ quidem vi ex illis elici poſſit. Nam nec purgatorium hîc aliquod eſſe, nec ad illud Chriſti animam ſpiritibus prædicatum deſcendiſſe, ſcriptum legimus. Quòd ſi hoc illis verbis ſignificari dicant, quibus aſſeritur, Chriſtum in ſpiritu veniſſe vel abiiſſe, & ſpiritibus in carcere prædicâſſe; reſpondemus, ipſam ſermonis complexionem ſatis indicare, ſpiritus illius, in quo Chriſtus venerit, nomine, non Chriſti animam, ſed admirandam Dei virtutem, quâ Chriſtus & à mortuis excitatus, & ſimul etiam impletus fuit, intelligendam eſſe. In hoc enim eodem ſpiritu, quo vivificatus fuit, quem ſuprà (*cap.* 11.) Dei virtutem atque efficaciam eſſe docuimus, dicit Apoſtolus, eum veniſſe, & prædicâſſe ſpiritibus in carcere. Ex quo illud etiam intelligitur, non de ejuſmodi re hîc eſſe ſermonem, quam Chriſti anima, antequam is à mortuis reſuſcitaretur, ſed quam ipſe Chriſtus à mortuis divinâ virtute excitatus, perfecerit: nempe quòd virtute illa, quâ tum pleniſſimè inſtructus fuit, non fuerit uſus, ut quidem poterat, ad ulciſcendos hoſtes ac parricidas ſuos, qui extrema meriti, veluti in carcere quodam, tanquam iræ divinæ captivi, ad ſupplicium aſſervabantur: ſed potiùs, quòd ſumma erga eos uſus lenitate ac clementiâ, ultrò, non expectatâ eorum reſipiſcentiâ, & ad ſe converſione, ad eos, vi ſpiritus, quo fuit præditus, abierit, iiſque Euangelium prædicârit, & ſic peccatorum omnium remiſſionem, ac ſuppliciorum jam jam illis imminentium condonationem, modò reſipiſcerent, obtulerit; non quidem in ſua ipſius perſona, ſed per Apoſtolos, quos ſpiritu ac virtute ſua implevit, & legatos ſuos effecit: quo pacto Paulus in ea epiſtola, quam ad Epheſios ſcripſit (*Eph.* 2. 17.) ait, Chriſtum inimicitiis, quibus Judæi ab Ethnicis diſſidebant, per

crucem

Digitized by Google

crucem abolitis, *veniſſe & annunciaſſe pacem*, *tum iis*, *qui longè*, h.e. Ethnicis, *tum iis*, *qui propè*, nempe Judæis: licèt omnibus ſit notiſſimum, Chriſtum ipſum ad Gentes nunquam abiviſſe, iiſve pacem ſempiternamque felicitatem annunciâſſe; ſed per Apoſtolos ſuos, atque inprimis per Paulum ipſum, id præſtitiſſe. Quemadmodum autem paulò poſt Petrus *Octo animas* dicit pro octo hominibus, quod & alibi in ſcriptura eſt uſitatiſſimum: ita etiam homines, de quibus ſermo eſt, in verbis controverſis *ſpiritus* à potiore ſui parte, nempe animo ſeu mente, denominavit: propterea quòd veriſſimæ pacis beatæque immortalitatis annunciatio, ad mentem illorum dirigebatur, eâque percipienda erat.

‡ *Ex quo illud etiam*] Fateor illud quo dicitur Chriſtus *vivificatus Spiritu* 1. Pet. III, 18. 19. *Chriſti animam* non denotare: Sed denotat ejus Spiritum æternamque divinitatem, juxta quam olim profectus, miniſterio Noæ, curavit primi mundi incolas ad reſipiſcentiam invitari. Nec enim agitur hic de eo quod *Chriſtus à mortuis divinâ virtute excitatus perfecerit*, ſed de eo quod diu ante ſuam in carne nativitatem & apparitionem, per Noam juſtitiæ præconem ejuſque miniſterio præſtiterat. Nec enim dubium quin Spiritu Chriſti fuerit Noah inſtructus ad ſuum præconium, prout *Spiritus Chriſti* appellatur ab eodem Apoſtolo ille ipſe Spiritus Propheticus quo Vates antiqui ſub V. T. agebantur 1. Pet. I, 11. Et abſurdiſſimè ſtatueretur Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem profectus euangelizatum illis Spiritibus ἐν φυλακῇ qui tempore Noę rebelles & increduli extiterunt. Nam textus non agit de pręconio Chriſti ad *hoſtes & parricidas ſuos*, ſed ad immorigeros illos Spiritus qui tempore Noæ extiterunt; & nunc carceri æterno mancipati, pœnas luunt ſuæ ἀπειθείας. Id verò eſt ridiculum, & quod hoſtes Chriſti quo tempore in ipſum & ipſius membra ſæviebant, Volkelius dicit tamen fuiſſe *in cuſtodia*, vel *in carcere*, & quod hos in carne viventes & contra Chriſtum ſævientes *Spiritus* tamen pertendit appellari: Nam *anima* quidem Synecdochicè dicitur aliquando de tota perſona humana in Scripturis; *Spiritus* verò nunquam.

Atqui, inquient, Petrus hic eos ſpiritus nominat, qui tempore Noæ fuerunt. 521.
Reſpondemus autem, illos egregiè falli: cum potiùs Petrus ea, quæ Noæ tempore geſta fuerunt, arcamque ab illo extructam, exempli cauſâ hoc in loco commemoret, & typum cum antitypo conferat, quò res, quam agebat, pateret illuſtriùs, id quod ex v. 21. apertiſſimum eſt. Unde colligitur, poſt verba illa, *olim immorigeris*, ſubaudiendum eſſe adverbium ſimilitudinis, more hebraico, cujus in literis non pauca à viris doctis obſervantur exempla, (*vid. inter alia Pſal.* 3.4: 11.1: 22.14: 98.18. *Hoſ.* 7.5. *Nah.* 3. 13. *Heb.* 1.7. 2. *Pet.* 3.4.) omiſſum, nimirum hoc pacto, *ſicut cùm ſemel expectaret Dei lenitas in diebus Noæ, cùm apparabatur arca.* Et ſanè mirum eſſet, Chriſtum nominatim ſpiritibus, qui in diluvio perierant, prædicâſſe: cùm ii ob ſuam impietatem & contumaciam æternùm perierint, nec venia-

Digitized by Google

ſium tantùm peccatorum, quæ ſola iſti in purgatorio lui exiſtimant, ſed mortalium rei fuerint nec reſipuerint. Unde Petrus in Epiſtola poſteriore de iis loquens, (*c.* 2. 5.) mundo impiorum diluvium ait eſſe inductum. Atqui animas hominum ejuſmodi non in purgatorio, ſed in inferno eſſe adverſarii aſſerunt, & inde liberari negant. Ut taceam, animabus corpore ſolutis prædicari non poſſe; nec ſi poſſet, ulla, ut id fieret, ratio ſuaderet, ut in ſequentis loci examinatione docebitur.

‡ *Atqui inquiunt*] Hæc eſt nequitia Volkeliana, quâ ſtudet tenebras offundere dicto Petri, quod & æternæ Divinitatis Chriſti, & immortalitatis animæ, luculentum continet teſtimonium. Nam *nominat* Apoſtolus illos homines ad quos Chriſtus olim profectus fuit Miniſterio Noæ, πνεύματα ſive *ſpiritus*, reſpectu ejus quod cùm ſcriberet ex illis ſupererat. Eorum enim ſpiritus immorigeri, ab illo ſuæ inobedientiæ ac rebellionis tempore & propter eam, carceri infernali mancipati permanſerunt. Sanè illis dicitur prædicatum qui *olim* fuerunt immorigeri: at illud πότε, *olim*, non ſpectare poteſt eos quibus Apoſtolorum miniſterio euangelizatum fuit: Tum iſti quibus prædicatum dicit Petrus, dicuntur immorigeri fuiſſe ὅτε, *quando*, expectabat Dei lenitas in diebus Noæ: Nec dubium quin illud ὅτε referatur ad prius πότε, & ſit explicativum illius: Et hîc velle inſerere, poſt immorigeris, *adverbium ſimilitudinis*, nihil aliud eſt quam textui ſacro vim inferre, eique adjicere per iſtos homines de ſuo quod libitum eſt. Iſti etiam inſertioni & ſuppletioni, apertè reluctantur apud Apoſtolum, illæ particulæ correlativæ πότε & ὅτε, quarum poſterior prioris explicationem continet. Fateor illam particulam, *ſicut*, poſſe ſubintelligi, ubi metaphorica de ſubjecto præſenti intervenit loquutio: Sic enim Pſal. III, 4. dicitur *Iehova clypeus* circa Davidem fuiſſe, ideſt *ſicut* clypeus; & dicitur animæ Davidis ab ipſius hoſtibus Pſal. XI, 1. *emigra è monte veſtro avicula*, ideſt evola hinc velociſſimè ſicut avicula ſolet; & dilatant contra Chriſtum os ſuum *leo rapiens & rugiens*, ideſt ejus inimici *inſtar leonis rapientis & rugientis* Pſal. XXII, 14. Et dicitur Pſal. LXVIII, 18. *Dominus cum illis eſſe, Sinai in Sanctuario*, ideſt cujuſmodi olim ſe in Sinai patefecit. In Hoſea VII, 5. nihil video quod valde huc faciat, cùm ibi videatur agi de iis qui *utre vini*, ideſt plenis poculis, quæ aliis propinabant, eos morbo afficiebant. Nahumi verò III, 13 cùm dicitur, *Ecce populus tuus fœminæ*, ſignificatur populus imbellis & effœminatus: Sic Heb 1, 7. *facit Deus ventū angelos ſuos & ignis flammam ſuos miniſtros*, ideſt æquè celeres & promptos in exequendis ſuis mandatis ac ventus eſt & flamma ignis: quamvis aliàs Miniſtris & Angelis Dei poſſint acconſeri ipſi-met venti & ignes, quibus ad ſua judicia exercenda ſubinde utitur: At 2. Pet. III, 4. nihil eſt quod huc pertrahi queat. Quam autem hæc omnia exempla à Volkelio citata parum ipſum juvent, res ipſa loquitur: Nam ubi per metaphoram aliquid de ſubjecto prædicatur, faciles damus, notam ſimilitudinis eſſe vel intelligendam, vel ſupplendam; At in loco Petrino de quo agimus nihil occurrit metaphorici ex quo talis nota debeat colligi, ſed narratio eſt ſimpliciter hiſtorica, quâ explicatur quinam ſint illi ſpiritus ἐν φυλακῇ, quibus olim ſit prædicatum; ii nempe qui fuerunt immorigeri *cùm expectaret Dei lenitas in diebus Noæ*, &c. *Mirum* equidem foret Chriſtum jam

in carne

Digitized by Google

in carne exhibitum ac poſt ſuam paſſionem iſtis *prædicâſſe* in neſcio quo Purgatorio conſtitutis, ob rationes hîc allatas; ſed mirum non foret eos olim Chriſtum Spiritu ſuo, quo Noham inſtruebat, ad reſipiſcentiam evocaſſe; & poſtea propter ſuam inobedientiam æterno illi carceri mancipaſſe.

Vndecimus locus apud eundem Petrum extat, (1. *Pet.* 4. 6.) qui *ideò & mortuis Euangelium prædicatum fuiſſe* ait, *ut judicarentur quidem ſecundum homines, carne: viverent autem ſpiritu ſecundum Deum* Quo in loco nequaquam adeò inconſideratos nos eſſe decet, ut ea dicentem faciamus Apoſtolum, quæ nullo pacto fieri poſſunt, nimirum mortuis, quàm diu mortui ſunt, illorum-ve animabus, Euangelicam diſciplinam propoſitam fuiſſe: cùm, ut ſuprà demonſtravimus, hominum animæ poſt mortem perſonæ aliquæ nequaquaquam ſint, quæ actu ipſo vivant & intelligant, & porrò etiam Euangelium audire, ac fidem ei adjungere queant. Quamquam etiamſi daremus, eas poſt mortem hominum vivere; abſurdum nihilominus cenſeri deberet, iis Euangelium annunciari. Quorſum enim id fieret? an fortè ut reſipiſcant? quid? an purgatorius ille ignis eos non ſatis admonet? vel an poſſunt etiam non reſipiſcere, ſi modò ulla ibi reſipiſcentia locum habet? Adde, quòd nullo pacto oſtendi queat, quomodo ex eo, quòd animabus in purgatorio igne exiſtentibus Euangelium fuerit prædicatum, conſequi poſſit, mortuos judicari ſecundùm homines carne: quis enim hujus cum illo nexus? quod vinculum? Atqui Petrus hunc illius finem ex parte conſtituit. Præterea, nullus hoc pacto nexus inter hæc & ſuperioris verſiculi verba oſtendi poteſt: cùm tamen hic iſtorum afferatur ratio, ut docet particula *enim*, quâ verba hæc cum 522.
illis connectuntur. Quare alius omnino ſenſus, qui & rationi, & ſcopo Apoſtoli ſit conſentaneus, quærendus eſt.

‡ *Vndecimus locus*] Circa hunc locum 1. Pet. IV, 6. nihil habemus quod deſideremus in Volkelio, niſi in eo quod dum benè ſtatuit mortuis phyſicè ac in ſenſu compoſito non poſſe dici nunciatum Euangeliũ, quia ut benè monet Cyprianus ante nobis citatus, *poſtquam hinc exceſſum fuerit nullus eſt pœnitentiæ locus, nullus ſatisfactionis effectus*, peſſimè ex Sadducæa & Epicurea ſua Theologia, negat animas actu vivere & intelligere poſt mortem: Non ſunt equidem illæ *perſonæ* humanæ, ſed ſunt tamen perſonarum humanarum pars potior, quæ à corpore revulſæ ſuarum functionum intellectualium capaces ſunt.

Poteſt autem vox *mortuorum*, duobus modis accipi, nempe vel propriè, vel impropriè. Propriè pro iis, qui tunc, cùm iis Euangelium prædicaretur, in vivis quidem erant, ſed cùm Petrus iſta ſcriberet, è vivis exceſſerant; quo pacto olim Noëmi dixit, (*Rut.* 1. 9.) nurus ſuas feciſſe miſericordiam *cum mortuis*, & ſecum, hoc eſt, benignè egiſſe cum maritis ſuis, cùm viverent, ſed

ſed qui tunc, cùm ita loqueretur Noëmi, mortui erant. Impropriè pro iis, qui ſpiritualiter ſunt mortui, ſeu mortui in peccatis: quo pacto Chriſtus dixit: (*Mat.* 8, 22.) *ſine, mortui ſepeliant ſuos mortuos*; ſpiritualiter nimirum mortui, ſepeliant verè mortuos, & Paulus ait, (1. *Tim.* 5, 6.) viduam in delitiis agentem, vivam eſſe *mortuam*. *Iudicari* autem *ſecundum homines carne*, (*vid.* ℣. 3. 4.) duo videtur comprehendere, nempe damnationem hominum impiorum, Chriſtianos propterea blaſphemantium, quòd non ampliùs ſuis cupiditatibus vivant, nec ad eandem luxuriæ confuſionem ſecum concurrant, unà cum ejus rei cauſsâ, nempe quòd Chriſtiani homines carne jam paſſi (ut v. 1. indicatur) h. e. ratione appetitûs carnalis mortui fuerint, ac porrò peccare, hominumque cupiditatibus ſeſe accommodare deſierint. Opponitur enim hoc verbum *judicandi* verbo *vivendi*. *Vivere* verò *ſecundum Deum ſpiritu*, (*v.* 2.) eſt ſpiritualem vitam agere, & divinæ voluntati ac judicio eam penitus approbare, quod ut faceremus, ſuprà monuit Apoſtolus. Quare vel hoc dicere voluit Apoſtolus: Neque eſt, quod putetis, me novi aliquid vobis imponere. Nam non vobis tantùm, ſed etiam iis, qui jam mortui ſunt, atque adeò ab ipſo Chriſtianæ religionis initio, Euangelium ideo prædicatum eſt, ut carnis ratione mortui, hominum quidem judicio damnentur, ſed interea ſecundùm Dei voluntatem viventes, ejus ſe judicio penitùs approbent: vel: Etiam hominibus peſſimis, & peccato penitus immerſis, quales imprimis ſunt Ethnici, eum in finem prædicatum eſt Euangelium, ut judicentur quidem &c. quod quid ſit, jam dictum eſt.

‡ *Poteſt autem vox*] Prior interpretatio, quâ ſignificatur Euangelium prædicatum fuiſſe *mortuis* cùm viverent, ſimplicior eſt & meliùs convenit menti Apoſtoli, ac iis quæ dixerat 1. Pet. 1, 11, 19. 20. Sed cùm illi mortui fuerint ante Chriſtum in carne exhibitum, hinc ſequitur etiam ante Chriſti incarnati tempora aliquod Euangelij præconium viguiſſe.

Et hæc ferè ſunt divina teſtimonia, quibus purgatorium adſtrui ſolet. Afferuntur præterea rationes quædam, ſed adeò frivolæ, ut eas memorare pigeat, nedum in illis refutandis tempus fruſtra conterere, & lectori nauſeam afferre ſit animus. Eam tamen, quæ omnium firmiſſima eſſe videtur, refellere haud ſanè gravabimur. Hujus enim futilitate ante omnium oculos conſtitutâ, reliquæ ſuâ ſponte corruant neceſſe eſt. Dicunt igitur, Joannem aſſerere, (*Apoc.* 21. *ult.*) in cœlum nihil immundum intrare: cùm verò &
523. ſanctiſſimi homines interdum prolabantur, ſæpiſſimeque eveniat, ut celeriùs opinione, lucis hujus uſuram amittant, ideoque de peccatis illis per pœnitentiam eluendis, nullam ſuſcipere poſſint cogitationem, neceſſe eſſe ajunt iſti,

ut an-

Digitized by Google

ut antequam in cœlum recipiantur, purgatorias pœnas luant. Reſpondemus autem, nequaquam ex perpetuo ſcripturæ ſanctæ tenore illos ſpitualiter immundos (nam de his ſermo eſt) exiſtimandos eſſe, qui interdum vel per ignorantiam, vel incogitantiam, vel fragilitatem à recto vitæ curſu deflectunt: interim tamen vivâ fide confirmati, perpetuò ſeſe in rectè agendi ſtudio exercent, ita quidem, ut nec peccati conſuetudine teneantur, nec enorme aliquod facinus, quod in hominem vero Dei timore præditum non cadit, in ſe admittant; ſed contrà omnium virtutum Chriſtianarum habitu ſint ornati, eamque pietatem ad extremum uſque ſpiritum retineant: quales ſunt illi omnes, quibus cœleſtis vitæ hæreditas eſt promiſſa. Hos enim Deus, pro incredibili ſua clementia atque benignitate, perinde juſtos mundoſque reputat, quaſi nullo peccato obſtricti ſint, ſemperque ſine ulla prolapſione ex illius lege vitam compoſuerint, adeò ut, licet repentina morte extinguantur, nequaquam tamen igne aliquo purgatorio ad ſeſe purgandos indigeant. Quo fit, ut non hos, ſed illos, Joannes immundos nominet, cœleſtique urbe excludendos aſſerat, qui aut peccatorum, licèt non enormium, conſuetudine implicati, vel perpetuò, vel plerumque in iis verſantur, aut enormia in ſe aliqua flagitia admittnnt, quod facilè apparet ex cap. ſeq. ubi locus iſte aliquâ ratione explicatur. Ita enim ibi loquitur ſpiritus ſanctus: *Beati, qui faciunt mandata ejus, ut ſit poteſtas eorum ſuper lignum vitæ, & portis ingrediantur in urbem: foris autem canes & venefici, & homicidæ, & idololatræ, & omnis qui amat ac facit mendacium.* Confer etiam cum his verba cap. 21. 8.

Hos enim Deus] Quia videlicet illas immunditiæ nativæ reliquias condonat miſericorditer, & hos habet pro juſtis ex Chriſti merito & in illius ſanguine. Ambiguè autem ad minimum pii & fideles hæredes futuri regni cœlorum, tales deſcribuntur qui *nec peccati conſuetudine teneantur, nec enorme aliquod facinus, quod in hominem vero Dei timore præditum non cadit, in ſe admittant*: Nam ſi peccati conſuetudinem appellet Volkelius peccatum regnans, ultrò largior nullum fidelem & juſtificatum in ſanguine Chriſti, illâ teneri: Sed, etſi peccati regno & imperio abſoluto non ſubſit ampliùs verus fidelis, tamen dubium non eſt quin *per ignorantiam, vel incogitantiam, vel fragilitatem*, ita quandoque deflectat *à recto vitæ curſu*, ut *enormia aliqua flagitia* admittat: Quod Davidis, Salomonis, Petri, aliorum, exemplis facilè poſſet demonſtrari. Sed ita debuit Volkelius loqui, ut ſuo Phariſaiſmo inſerviret: etſi difficile ipſi foret oſtendere, 1. Peccatum non eſſe grave coram Deo, & cujus per conſequens ſtipendium ſit mors, quocunque modo deflectere *à recto vitæ curſu* qui Lege Dei nobis præſcribitur. 2. Qui poſſet ab hoc recto curſu unquam deflectere, is qui ornatus foret *omnium virtutum Chriſtianarum habitu*. 3. Prolapſiones quotidianas fidelium, non ſonare peccati aliquam conſuetudinem, aut conciliari poſſe cum perfecto omnium virtutum Chriſtianarum habitu: Utinam didiciſſent Sociniani ex Auguſtino omnem noſtram juſtitiam in hac vita potiùs in peccatorum remiſſione quam in virtutum perfectione ſitam eſſe.

CAP. XVII.

De aliis quibuſdam dogmatibus, & primùm de Prædeſtinatione.

Reſpondente NICOLAO RHODIO, Helvetio-Bernate.

VIdendum jam tandem nobis eſt, quo pacto hoſtis noſter illis potiſſimùm impoſuerit, qui nugatoria dogmata, hactenus à nobis excuſſa, propter ſummam eorum futilitatem rident atque contemnunt, & tum horum, tum aliorum errorum causâ Pontificiæ religioni ultimum vale dixerunt. Animadvertendum autem eſt, errores, quibus nihilominus & iſti implicati ſunt,
524. quinque potiſſimùm numero eſſe. Primus falſam divinæ prædeſtinationis explicationem continet. Alter ſervum hominis arbitrium conſtituit. Tertius homines etiam renatos peccati conſuetudine teneri ſtatuit. Quartus in ſuadendo Chriſti merito ſatisfactioneque, quam Deo pro nobis exſolverit, occupatur. Quintus denique quorundam Chriſti præceptorum depravatione continetur.

‡ *Videndum jam*] Ut verò veri Proteſtantes *ultimum vale* dixerunt erroribus iſtis quæ *nugatoria* vocas, ſic in æternum renunciarunt veſtris teterrimis hæreſibus, quas nunquam ſunt admiſſuri: *Medium tenuere beati*, & *Medio tutiſſimus ibis*.

Animadvertendum] Mirum eſt quod inter Proteſtantium errores, non numeret Volkelius dogma S. S. Trinitatis, Satisfactionis Chriſti, Reſurrectionis carnis &c. Nam quantum ad enumerationem hic factam in *quarto* capite conſentiunt unanimiter Pontificii & Proteſtantes; *tertium*, valde ambiguè proponitur: *quintum* calumnioſè; & in *primo* & *ſecundo* cica *Prædeſtinationem* & *liberum arbitrium* habent Proteſtantes ſibi adſtipulantes eos è communione Romana, qui Janſeniſtæ in illa vulgò audiunt.

Ut igitur primo loco prædeſtinationis dogma examinemus; intelligendum eſt, ejus hanc eſſe ſummam, ut ſtatuatur, Deum à ſempiternis temporibus, de univerſis ac ſingulis hominibus nominatim, immutabili decreto conſtituiſſe, ut alii ſempiterna ſubirent ſupplicia, alii verò ad immortalem vitam deducerentur, idque nulla habita ratione illorum vel probitatis, vel improbitatis, ſed quia illi ita placuerit. Hoc autem nihil cum vero conjunctum habere inde conſtat, quòd Chriſtus, qui divinæ voluntatis locupletiſſimus interpres fuit, omnibus, ſine ullo diſcrimine, vitæ beatæ poſſeſſionem detulit.

‡ *Idque nullâ habitâ*] Hæc eſt mera calumnia, non verò Reformatorum doctrina, juxta quam ex toto genere *humano ex primæva integritate in peccatum & exitium*

& exitium ſuâ culpa prolapſo, quoſdam elegit ab æterno, aliis nec meliores nec digniores, ad ſalutem æternam per Chriſtum mediatorem obtinendam, vi ejuſdem electionis fide in Chriſtum donandos, ſanctificandos &c. relictis cœteris *in communi miſeria in quam ſe ſuâ culpâ præcipitarunt*: quod luculenter patet ex Synodi Dordracenæ decretis, in *cap. primo Doctrinæ*, §. 7. & 15. Nemo poſitus fuit ad iram, ut *ſempiterna ſupplicia* ſubeat, niſi qui jam eſſet peccator in Adamo, jure illis ſuppliciis puniendus ex reatu & merito *improbitatis* ſuæ; Nemo quoque eſt poſitus ad ſalutem per Chriſtum, qui ex eodem decreto per *probitatis* tramitem *ad vitam immortalem* non deducatur. Id demum beneplacito Dei ſtatuimus adſcribendum, quod cùm eſſent omnes in communi perditionis maſſa, non poſſit alia ratio reddi cur hunc potius quam illum elegerit, aut cur iſtum potius quam hunc præterierit, cùm iſte ex peccato æquè reprobabilis eſſet.

Hoc autem nihil] Sanè nec omnibus Chriſtus morte ſuâ vitam acquiſivit, cùm pro ovibus ſuis animam ſuam poſuerit, & populum ſuum venerit ſervatum a ſuis peccatis; Nec etiam omnibus & ſingulis annunciatur ſemper & ubique Evangelium gratiæ; Nec *omnibus ſine ullo diſcrimine* Chriſtus *vitæ beatæ poſſeſſionem detulit*, ſed ſolis credentibus & reſipiſcentibus: Jam autem credere & reſipiſcere non eſt indiſcriminatim omnium 2. Theſſ. III, 2. ſed duntaxat electorum Dei, Tit. I, 1. Act. XIII, 48. Phil. I, 29.

Adde, quòd hæc ſententia magnam vim habet ad religionis ſtudium prorſus exterminandum. Si enim vera eſt, ſequitur, ſempiternâ neceſſitate definitum eſſe, ut alii pietatem colant, alii ſceleribus ſeſe aſtringant: cùm ut quiſpiam ſalutem aſſequatur, ab eave excludatur, neceſſe ſit, eum vel virtuti ſtudere, vel flagitiorum contagione ſeſe polluere. Ex quo fit, ut, ſi ita ſeſe res habet, nihil ſit, cur ullum in pietate ac religione ſtudium ponamus. Quorſum enim attinet in illis rebus elaborare, quæ vel abſque ulla opera curaque noſtra evenire neceſſe eſt, vel utut maximè laboremus, fieri nequaquam poſſunt? & porrò hac ſententia retenta, quo pacto religio in terrarum orbe conſtabit?

‡ *Adde, quod hæc*] Quinimò Scriptura ſæpè argumenta ducit ab electione noſtra, cùm nos ad pietatis & virtutis ſtudium adhortatur; vide Eph. I, 4. I. Theſſ. V, 8. 9. 2. Pet. I, 10. Ut autem neceſſe eſt ſervari electos, quos Deus decrevit ab æterno adducere ad ſalutem, quia oves ſuas nemo ex ejus manibus poterit eripere, & impoſſibile eſt electos ſeduci totaliter & finaliter, ut ipſe docet Chriſtus Matt. XXIV. 24. ita neceſſum eſt electos eoſdem traduci ſuo tempore ad fidem & *pietatem*, ceu media à Deo conſtituta, per quæ ſalutem ſunt adepturi. Neceſſe quoque eſt eos labi in varia peccata, quos Deus juſto ſuo judicio relinquit in maſſa corruptionis & privat illâ gratiâ indebitâ, abſque cujus ſubſidio non poſſunt nec volunt emergere ex ſua perditione. Sed hæc neceſſitas infallibilitatis eventus, non impedit quominus electi liberè & ſponte ſtudeant pietati, idque officii ſui eſſe intelligant quo alacriter etiam defunguntur, & libertimè ac ultrò reprobi ſe præcipitēt in peccata, ut fabri ſint ſui infortunij. Quod ſi illa neceſſitas eventus quæ à Dei decreto arceſſitur *magnam vim ad religionis ſtudium prorſus ex-*

Digitized by Google

ſus exterminandum, habere ſtatuatur, pari ratione debebit negari Deum præſciviſſe hunc crediturum, illum non; liquidè poſitâ Dei præſcientiâ de aliquo eventu futuro, neceſſe ſit id ipſum in tẽpore evenire quod eventurum præſcivit Deus ab æterno. Hoc cùm viderent Sociniani, ipſam Dei præſcientiam rerum ab arbitrio humano pendentium, auſi ſunt abnegare, & ſic dum hominem liberum ſtudent facere, ipſi-met evadunt Sacrilegi.

Ex quo fit] Nihil minus ſequitur ex iſta neceſſitate, quam quod ſomniat Volkelius. Neceſſe enim eſt electos multum *ſtudii* ponere *in pietate & religione*, eo ipſo quod ad id ſunt electi: Nec enim vel ſalus ad quam electi ſunt illis eſt obventura *abſque ulla opera curaque* eorum; nec acre ſtudium Pietatis, quod debet præcurrere eorum-ſaluti, & abſque quo non ſervarentur, poteſt illis ineſſe abſque ulla eorum opera & cura. Neceſſe eſt quoque eos qui ſunt προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρῖμα Jud. com. 4. incidere in peccata ex quorum merito illud judicium debent ſubire; Verùm neque illa neceſſitas ullam vim infert eorum voluntati, neque efficit ut *nequaquam* ſervari poſſint *ut ut maximè* laborent: Sed tantum ponit eos & *nequaquam* ſervatum iri, & *nequaquam* laboraturos eique rei incubituros ut ſerventur: Nam qui *maximè* in id laborant, ut piè vivant & ſerventur, ij eo ipſo electi ſunt & ſalutem conſequentur Matt. v, 6.

Verùm hæc abſurditas aliam gignit intolerabiliorem, utpote in ipſum omnium rerum moderatorem redundantem. Deum enim juſtiſſimum opinio iſta ſummæ injuſtitiæ, candidiſſimum funeſtiſſimæ fraudis, ſapientiſſimum inſignis ſtultitiæ, rectiſſimum denique atque optimum magnæ pravitatis atque malitiæ inſimulat. Cum enim, ut iſtorum fert opinio, Deus quoſdam homines ſempiterno deſignaverit exitio, exitium autem nonniſi hominum ſcelera atque peccata conſequatur; nonne manifeſtum eſt, Deum ipſum, homines ad æternam perniciem deſtinando, ſimul quoque ad flagitia concipienda eoſdem deſignaſſe? Quo quidem poſito atque conſtituto, an non injuſtiſſimus exiſtimandus ille eſt, qui ob peccata illos damnat, æterniſque addicit ſuppliciis, à quibus ea vitari nullo pacto potuerunt?

‡ *Verùm hæc abſurditas*] Hæ ſunt atroces in veritatem blaſphemiæ, quæ paullò propiùs conſideratæ, ſuapte concidunt.

Cùm enim ut iſtorum] Neminem Deus *deſignavit exitio* niſi peccatorem & ex ipſius malis meritis; adeoque quam verum eſt *exitium* conſequi demũ *hominum ſcelera atque peccata*, tam certum eſt & hęc ſcelera præcurrere neceſſariò illi exitio, & homines illi exitio non eſſe deſignatos, niſi ex horum ſcelerum ultrò & ſponte commiſſorum reatu ac merito. Quapropter cùm hæc *deſignatio* (utamur cum Volkelio illâ voce) jam peccata illa & ſcelera præſupponat efficienter futura, non ex deſtinatione Dei, ſed ex liberrima hominum à Deo defectione; quis non videt ἀνακολουθίαν hujus argumenti, quod vel ruſtici noſtri Hollandi facillimè ſolvant?

Quo quidem poſito] Quaſi verò ille ſit injuſtus judex qui hominem obæratum ob non diſpuncta ſua debita conjiciat in carcerem; quod ſuâ culpâ ſolvendo non ſit: Eſto quod ait Volkelius, non potuiſſe à reprobis *peccata ea vitari* ob quæ meritò damnan-

Digitized by Google

damnantur, an inde Deus injuſtitiæ arguetur? Neutiquam. Quia, primò noluerunt iſti peccata iſta vitare, ſed è contrario liberrimè & plenis quod ajunt velis illa commiſerunt; ſecundò, quod ea non potuerint vitare, culpa fuit penes eos, eo quod iſtam potentiam vitandi peccata & benè agendi, ſuo vitio voluntario amiſerunt, ut qui factus eſt non ſolvendo, quia æs alienum quod contraxerat decoxit in luſtris & popinis.

An præterea non fraudulentiſſimus ſimulator ille habendus eſt, qui omnes ad pietatis ſtudium ſempiternamque felicitatem clarisſimis verbis vocare non dubitat, interim verò ne ipſius monitis aures præbere, ſalutiſque compotes 525.
fieri poſſint, à ſempiterno tempore conſtituit?

‡ *An præterea non fraudulentiſſimus*] Verùm neque hæc vocatio eſt ita univerſalis, ut ſupponit Volkelius, cùm præteritis ſæculis Deus ſiverit gentes ſuis ipſarum viis incedere Act. XIV, 16. atque ſtatuta ſua diutiſſimè uni propulo Iſraelitico revelaverit Pſal. CXLVII, 19. 20. Neque Deus excidit jure exigendi à Creatura id quod ſibi debet obſequii, etſi hæc, ſuâ uti modò dictum eſt culpâ, impotentiam illud præſtandi contraxerit: Non utique perimit debitum inſolvabilitas debitoris. Nec deſinunt eſſe ſeria Dei mandata, norma noſtri officii, etſi illis noſtræ vires non commenſurentur: Quod itaque etiam non electi, & quos Deus decrevit in maſſa perditionis relinquere, *ad pietatis ſtudium*, additâ promiſſione ſempiternæ fœlicitatis, nomine & juſſu De invitantur, pertinet ad voluntatem Dei ſeriò valdè præcipientem ſingulis quod eſt officii ipſorum, etiam additâ valde ſeriâ promiſſione ſummæ remunerationis: Sed quod tamen non decrevit illis dare gratiam indebitam iſtius officii præſtandi, & ita præmium ei propoſitum conſequendi, pertinet ad voluntatem ejus decernentem, juxta quam nemini debitor vel reliquator Rom. XI, 35. ipſi ſemper licet de ſuo facere quod lubet Matt. XX, 15. Ut nec debeant gloriari qui hanc gratiam acceperunt, cùm eam non eſſent meriti, nec queri quibus denegatur, cùm non ſolum ipſis non deberetur, ſed meriti inſuper eſſent eam non conſequi: Quod enim nequeunt *aures* Deo præcipienti *præbere*, adeoque promiſſæ *ſalutis compotes fieri*, non debet adſcribi Dei decreto, ſed eorum ultroneæ & malitioſæ corruptioni, per quam in illam benè agendi impotentiam inciderunt, à qua nec vellent liberari; cùm liberrimè & valdè voluntariè detrectent parere Deo vocanti, & ejus voci auſcultare.

An porrò non ſtultiſſimus is meritò dicitur, qui fieri non poſſe optimè novit, ut, qui ad ſcelus ſempiternumque ſupplicium deſtinati ſunt, virtutis ſtudium amplectantur, immortalitatemque conſequantur; & tamen de illis cœleſti lumine illuſtrandis, & ad virtutem traducendis, inque cœleſti ſede collocandis, vehementer aut laborat, aut ſaltem laborare videri expetit?

‡ *An porrò non ſtultiſſimus*] Imò verò annon nequiſſimi & impudentiſſimi homines Sociniani, qui fingunt Deum neſcire num homines ſint ipſi obſecuturi, cùm ſua mandata apud eos curat promulgari? Nec ſanè uſpiam dicitur *vehementer laborare*, ut etiam illi *cœleſti lumine* illuſtrentur, quos tamen non decrevit eo

perfundere. Falſum quoque eſt, nec quiſpiam noſtrum id dixerit, homines eſſe deſtinatos *ad ſcelus*: cùm nonniſi ſceleſtos Deus ad *ſempiternum ſupplicium* deſtinaverit. Neque tamen alienum eſt à Dei ſapientia eos invitare extrinſecè ad obſequium, quos ipſe novit ita obfirmatos & corruptos, ut nec velint nec poſſint obedire, deſtituti ſcilicet eo lumine gratiæ, ſine quo nemo poteſt ipſi mandanti parere. Exemplo nobis fit ipſe Pharao, quem Deus iteratis mandatis & variis miraculis pulſari jubet ut dimittat ſuum populum, etſi præſciret & prædixiſſet Moſi illum animum obfirmaturum nec obſequuturum ſuæ voci: imò hæc ipſa mandata & ſigna, occulto ſuo judicio eò Deus dirigeret, ut & Pharaonem redderent inexcuſabilem, & ei magis magiſque obdurando inſervirent Rom. ix, 17. Sed in Schola Sociniana non licebit creditori, niſi ſultiſſimus habeatur, mali nominis debitorem appellare, eo quod novit eum decoctorem factum, nec velle nec poſſe perſolvere: attamen poteſt vir ſapiens malum quod novit nomen appellare, ut talem decoctorem debiti convincat, & detineat ſub reatu debendi, aut etiam ſubjiciat pœnæ quam tales decoctores incurrunt.

An denique non ipſâ malitiâ atque pravitate deterior is eſt, qui, ut homines ſcelera exitio ſempiterno digna patrarent, ſempiterno decreto definivit? Nihilominus tamen iſti, ad funeſtiſſimum hunc errorem ſtabiliendum, ſacris teſtimoniis abuti non verentur; quæ quidem nos, ordinis ſervandi causâ, in quatuor claſſes diſtribuemus: quarum prima illa ſcripturæ continet teſtimonia, quæ prædeſtinationis divinique conſilii aliquam faciunt mentionem: altera illos locos habet, qui de ſcriptis in libro vitæ commemorant: tertia in iis occupatur ſententiis, quæ de divina agunt electione: quarta denique eos complectitur locos, in quibus verbum Vocandi habetur.

† *An denique non ipſâ.*] Ita cùm nequeunt iſti homines veritatem impugnare, confugiunt ad calumnias & mendacia, finguntque ſibi monſtra quæ debellent. Nemini enim Orthodoxorum, hoc crudum effatum excidit, Deum *ut homines ſcelera exitio ſempiterno digna patrarent, ſempiterno decreto* definiviſſe: Definivit equidem Deus ab æterno permittere illa hominum peccata quibus æternum ſibi parant exitium, eo quod nihil eveniat in tempore, quod Deus non prævidenit eventurum: nihil verò eventurum præſciverit, niſi in æterno & immobili ſuo conſilio, quo decrevit illud ipſum vel efficere, ſi bonum ſit, vel ſinere fieri, ſi malum: *Nec enim ſineret bonus fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet benè*, inquit Auguſtinus *Enchir. cap.* 100. *Nec dubitandum eſt Deum facere benè, etiam ſinendo fieri quæcunque malè: Non enim hoc niſi juſto judicio ſinit, & profectò bonum eſt omne quod juſtum eſt: Quamvis ergo ea quæ mala ſunt in quantum mala ſunt, non ſint bona, tamen ut non ſolum bona ſed etiam ſint & mala bonum eſt: Nam niſi eſſet hoc bonum, ut eſſent & mala, nunquam ſinerentur fieri ab omnipotente bono*, inquit idem Hipponenſis Præſul *ibidem cap.* 96. Ecquid atrocius poteſt concipi crimine Judæ, Judæorum, Herodis, Pontii Pilati, & cœterorum adverſariorum Chriſti, quo illum tradiderunt, irriſerunt & ſuffixerunt crucianter latrones? Credet-ne Socinianus hæc fortuitò contigiſſe? At verò iſtos omnes in eo feciſſe *quæcunque manus & conſilium Dei priùs definierant ut fierent*, docent expreſsè

Apo-

Digitized by Google

Apoſtoli Act. IV, 28. Eant ergo Sociniani & ſuo more cavillentur Deum ab Apoſtolis *ipſâ malitiâ atque pravitate deteriorem* conſtitui, quod, *ſempiterno* utique *decreto*, prædefiniverit ea omnia ſcelera in Chriſtum dilectiſſimum ſuum Filium futura & eventura, quibus & iſti impii exitium ſempiternum ſibi compararunt, & ipſe ſapientiſſimâ ſuâ providentiâ, quâ potuit ſaluberrimum alexipharmacum ex iſtis venenis parare, opus noſtræ Redemptionis mèrito ſui Filii complevit. Verùm cum impia Socini ſoboles ad Sadducæiſmum & Epicureiſmum apertè tranſeat, mirari non debemus ejus ſacrileges voces in Dei providentiam, quod illam nequeat conciliare cum abſoluta independentia humani arbitrii.

Nihilominus tamen] Funeſtiſſimus eſt error & execranda impietas iſtorum hominum, quos non pudet tam inſolenter in æternam & ſapientiſſimam Dei providentiam incurrere, eique clavum ad quem ſedet in regimine univerſi, de manu extorquere. Quantum ad ordinem quem ſibi proponit Volkelius ſervare in hac ſua ἀνασκευῇ, cùm methodus ſit arbitraria, ei hac in parte non obloquemur; Videamus ergo quomodo hic ſe conetur expedire

Prima Claſſis.

In primæ igitur claſſis objectionibus diluendis ita verſabimur, ut priùs illos locos, qui prædeſtinationis explicitam, tum eos, qui implicitam continent, aut certè continere videntur mentionem, juſtis ponderibus examinemus. Loci porrò expreſsè prædeſtinationem commemorantes, duo potiſſimùm ſunt: quorum primus in ea, quæ ad Romanos ſcripta eſt, epiſtola habetur, (*Rom.* 8. 29, 30.) ubi Apoſtolus Deum, quos præſcivit, etiam ad filii ſui ſimilitudinem prædeſtinâſſe affirmat. Unde facilè colligi poſſe ajunt, non omnes, ſed certas hominum perſonas nominatim ad immortalitatem ab æterno immutabiliter deſignatas eſſe.

‡ *In primæ igitur*] Equidem multo plura loca ſunt quæ *prædeſtinationis* vel *explicitam* vel *implicitam continent mentionem*, quam hic voluit Volkelius expendere: Sed ei convincendo hæc ipſa ſufficient: Saltem ex eo quod nullam Prædeſtinationem videtur admittere, apparet ejus impietas: cùm de re ipſa conveniat utrimque inter reliquos Chriſtianos, licet de modo rei diſceptare ſoleant.

Quorũ primus eſt] Verba Apoſtoli Rom. VIII, 29. 30. Ita habent. *Quos præſcivit etiã prædeſtinavit conformandos imagini filii ſui, ut is ſit primogenitus inter multos fratres; Quos verò prædeſtinavit eos etiam vocavit, & quos vocavit eos etiam juſtificavit, quos autem juſtificavit eos etiam glorificavit.* Auguſtinus verò, ad hanc Pauli armillam reſpiciens, ita loquitur *de Prædeſt. Sanct. cap.* 17. *Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem eâ prædeſtinatione in qua Deus ſua futura facta præſcivit; Electi ſunt autem de mundo, eâ vocatione quâ Deus id quod prædeſtinavit implevit: Quos autem prædeſtinavit ipſos & vocavit, illâ ſcilicet vocatione ſecundum propoſitum: Non ergo alios, ſed quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit; Nec alios, ſed quos ita vocavit ipſos & juſtificavit: Nec alios, ſed quos prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, ipſos & glorificavit, illo utique fine qui non habet finem.* Igitur quos Deus præſcivit ac prædilexit ceu ſuos,

illos

illos nominatim per media convenientia Redemptionis, Vocationis, Juſtificationis, Sanctificationis, præordinavit & prædeſtinavit ad gloriam. Hic enim agi de certis perſonis, qualiſcunque eorum ſit præſcientia & prædeſtinatio, res ipſa loquitur.

Reſpondemus autem, locum iſtum nihil minùs continere, quàm certarum perſonarum ſeu individuorum ad ſempiternam vitam deſignationem ab æterno factam, in qua nulla pietatis ipſorum hominum, tanquam conditionis cujuſdam, habita fuerit ratio: cùm Paulus non de certis perſonis nominatim, ſed generatim de omnibus, quos Deus præſciverat,* id eſt, antea approbaverat, ſermonem inſtituerit, eoſque non alios eſſe ſignificet, præter illos, qui Deum diligunt, (ỳ. 28.) id eſt, Euangelii doctrinam amplexi, illi ſeſe audientes præbent. Hos enim ſecundùm Dei propoſitum vocatos eſſe ait. Propoſitum quippe Dei in hoc conſtitutum eſt, ut homines ſalutarem veritatem
526. ſibi annunciatam amplectantur, ex eâque vitam inſtituant. Quare qui auditam Chriſti diſciplinam ſanam factis ipſis ſequuntur, ſecundùm iſtud Dei propoſitum vocati eſſe dicuntur.

* *Reſpondemus autē*] Neque nos dicimus talem hîc certarum perſonarum deſignationem ad vitam æternam intelligi, *in qua nulla pietatis ipſorum hominum, tanquam conditionis cujuſdam, habita fuerit ratio:* Siquidem ipſe Apoſtolus eos dicit prædeſtinatos fuiſſe ad conformitatem cum Chriſto; quæ non in cruce tantum, ſed etiam in ſanctitate & pietate ſita eſt; adeoque hæc pietatis conditio omninò ex decreto præcurrit ipſi vitæ æternæ ad quam ſumus deſignati, licet non præcurrat ipſi deſignationi gratuitæ ad vitam æternam ex ſerio pietatis ſtudio & conformitate cum Chriſto adeundam. Deinde opponit hîc quæ eſſent componenda: Nam ita agit Apoſtolus *generatim de omnibus quos Deus præſciverat*, ut eo ipſo *de certis perſonis nominatim* ſit intelligendus: cùm omnes illos quos præſcivit, & ſigillatim cognoſcat 2. Tim. 11, 19. & prædeſtinaverit ad gloriam. Nec rectè τὸ *præſcire* Dei, interpretatur Volkelius per illius *approbare*; Nam etſi hoc Dei prænoſſe, ſit illius *prædiligere*, tamen nequit eſſe hæc prædilectio approbationis & complacentiæ, ſed benevolentiæ tantum: Aliàs deberet hæc Dei dilectio; niti noſtro erga eum amore, cùm hunc ſolùm Deus queat in nobis approbare; Sic autem non foret prædilectio, quâ Deus nos prior diligeret, ſed poſtdilectio, quâ ſe amantes ipſe redamaret amore approbationis & complacentiæ. Neque dicit Apoſtolus eos qui Deum diligunt, eos eſſe quos præſcivit, quaſi hæc eorum dilectio præcurrerit illi Dei prænotioni, prædilectioni & prædeſtinationi; ſed è contrario iſtum Dei amorem in piis, arceſſit ab eorum prænotione & prædeſtinatione; cùm illos demum com. 28. ſtatuat Deum diligere, quos Deus ipſe vocavit ſecundum ſuum propoſitum, & ita vocando ad ſui notitiam & dilectionem traduxit. Opponit enim vocationem κατὰ πρόθεσιν, vocationi illi generali, quæ non fluit ex electione ad ſalutem, & de qua dixit Chriſtus in Euangelio, *Multi vocati, pauci electi.* Quod ſi enim *Propoſitum* Dei, id eſſet quod fingit Adverſarius, deberent omnes ex illo vocati, ſive obſequantur, ſive

Digitized by Google

ſive renuant venire, diligere Deum; quod ipſimet experientiæ & rationi adverſatur. Agit itaque Apoſtolus, non de Dei propoſito indefinito & generali quo *homines ad ſalutarem veritatem* amplectendam invitantur; Nam qui ex illo generali propoſito vocantur, non ſtatim amplectuntur ſalutarem veritatem, vel Dei amore incenduntur; Et cùm πρόθεσις, ſive propoſitum, denotet tenax & firmum mentis conſilium liberâ voluntate ſuſceptum, unde Suidæ ſunt ſynonyma, πρόθεσις, προαίρεσις, βουλὴ, γνώμη, non poteſt Dei tribui, quin denotet tale illius decretum & conſilium quod ſuum effectum indubitatò conſequatur, juxta locum Eſ. XLVI, 10. Nec alia procuIdubio illa πρόθεσις, juxta quā qui vocati ſunt Deum diligunt, quam quæ appellatur Rom. IX, 11. ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ Θεοῦ πρόθεσις, & quam omninò manere & ſuum eventum conſequi docet ibidem Apoſtolus. Eodem ſenſu ſumitur Eph. I, 11, III, 11. 2. Tim. I, 9. Quod ſi hæc eſſet Dei πρόθεσις quam fingit Volkelius, dum ait *propoſitum Dei in hoc conſtitutum eſſe, ut homines ſalutarem veritatem ſibi annunciatam amplectantur, ex eaque vitam inſtituant*, tum ſanè nec foret πρόθεσις κατ' ἐκλογὴν, cùm electio non ſit omnium, & in plurimis ſuo propoſito Deus excideret, cùm multi nec veritatem ſibi annunciatam amplectantur, neque ex ea vitam inſtituant. Denique cùm etiam vocentur ad Chriſtum plurimi qui ejus *diſciplinam factis* non *ſequuntur*, illi utique *ſecundum propoſitum* vocati non cenſeri poſſunt, juxta Adverſarii confeſſionem, & tamen omninò tales deberent eſſe ex illius principiis.

Hos omnes Deum jam olim & præſciviſſe ſeu approbâſſe, & ad filii ſui conformitatem deſtinâſſe, & deinceps, ut conſilium ac decretum iſtud ſuum ad exitum perduceret, per Euangelii prædicationem ad ſempiternam vitam vocâſſe, & porrò etiam, cùm ex ſua parte id fecerint, quod ab illis requiritur, nempe Deum dilexerint. juſtificâſſe ac glorificaſſe, h.e. Deum eos vocare, juſtificare, ac glorificare ſolere, ſeu certò aliquando glorificaturum eſſe. Præterita enim iſta tria pro præſentibus, quodvis tempus indefinitè ſignificantibus, ponuntur.

‡ *Hos omnes*] Verùm hîc primùm velim Adverſarium dicere, an *hos omnes* Deus *nominatim* præſciverit? Si neget; eos igitur *omnes* à Deo præſcitos negabit: Si affirmet; fatebitur ergo hanc præſcientiam & prædeſtinationem *de certis perſonis nominatim* debere intelligi, contra quam paullò ante negabat. Secundò non capio, qui hos omnes, *qui auditam Chriſti diſciplinam ſanam factis ipſis ſequuntur*, dixeris cum Volkelio vocatos *ſecundum Dei propoſitum*, ſiquidem hæc eorum obedientia, vocationem Dei non præcedit, ſed ſubſequitur. Abſurdè enim ſtatuas Deum *eos vocare, juſtificare ac glorificare*, qui jam vocati, *auditam Chriſti diſciplinam ſanam factis ſequuntur.* Tertiò ſi dicas eos ſtatui vocatos ſecundum Dei propoſitum quos Deus præſciverat obſequuturos & ſe dilecturos, non ſolum debebis duplicem igitur vocationem admittere, unam ſecundum propoſitum eorum quos Deus prævidit obſequuturos; & alteram quæ non ſit ſecundum propoſitum cùm multi vocentur qui Deo vocanti non obſequuntur; ſed etiam tibi incumbet probandum, & quid adjiciat ex parte Dei vocatio ſecundum propoſitum,

tum, vocationi generaliori quæ non eſt ſecundum propoſitum, & unde præſciat Deus illos *quos jam olim* præſcivit & approbavit, obſequuturos & ſe dilecturos fuiſſe: cùm nobis Deum eos præſciviſſe in antecedenti ſuo decreto & conſilio, quo conſtituit illos non alios adducere ad obedientiam & vitam, & juxta te nequiverit id præſciri à Deo priuſquam eveniret; ſiquidem pependerit ex mero hominum arbitrio, cujus ea eſt indoles, juxta Socinianos, ut nequeat Deus præſcire quonam ſit ſeipſum determinaturum.

Senſus porrò univerſi illius loci hoc argumento contineri poteſt: Quoſcunque Deus antea approbavit, illis omnia, etiam afflictiones, cedunt in bonum. Atqui Deus omnes, qui ipſum diligunt, antea approbavit. Ergo iſtis omnibus omnia, etiam afflictiones, cedunt in bonum. Cujus quidem argumenti aſſumtio priùs probatur, idque hac ratione: quia ii, qui Deum diligunt, ſecundùm ipſius propoſitum ſunt vocati. At quicunque ſecundùm Dei propoſitum vocati ſunt, eoſdem etiam Deus antea approbavit.

‡ *Senſus porrò*] Hæc non eſt argumentatio Pauli, cujus præſcire non eſt approbare, ut ante viſum: Sed probaturus omnia cooperari in bonum iis qui Deum diligunt, adeoque nihil ipſis nociturum, illius rei certitudinem arceſſit ab æterna & immota Dei prædeſtinatione, hoc argumento; Omnia cooperantur in bonum iis quos Deus præſcivit, prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit & tandem glorificaturus eſt: At tales ſunt ii qui ipſum diligunt, qui eo ipſo ſunt vocati ſecundum ipſius propoſitum; Ergo iſtis omnia cooperantur in bonum. In argumentatione verò Volkeliana, primi ſyllogiſmi concluſio non eſt ea quam ſibi propoſuerat probandam Apoſtolus; cùm antea nullam fecerit mentionem vel prænotionis, vel multo minus approbationis divinæ: Nec agebatur de iis quos Deus approbat, ſed de iis eorumque privilegio qui ipſum diligunt. In poſteriori autem ſyllogiſmo, ut probetur aſſumptio prioris, aliter paullò foret procedendum; nempe hoc modo; Omnes qui *ſecundum Dei propoſitum vocati* ſunt, Deus prædilexit & prædeſtinavit ad conformitatem cum Chriſto & æternam gloriam; At omnes qui Deum diligunt, vocati ſunt ſecundum Dei propoſitum; Ergo omnes qui Deum diligunt Deus prædilexit & prædeſtinavit ad conformitatem cum Chriſto & gloriam æternam. Ut *approbationis* Volkelianæ, nullum extet veſtigium apud Paulum. Non quod negem Deum approbare eos qui ſe diligunt, ſed nego dilectionem Dei in piis, præcurrere eorum divinæ prædilectioni & prædeſtinationi ad conformitatem cum Chriſto; ideſt revera ad eam dilectionem quâ Deum redamant & meritò proſequuntur.

Propoſitionem autem veriſſimam eſſe eo oſtenditur, quòd Deus omnes à ſe ſe antea approbatos ad id deſignavit, ut filio ipſius, qui eorum ſalutis anteſignanus eſt, in ſempiterna felicitate ſimiles eſſent. Qui verò tales ſunt, iis non poſſunt non omnia, etiam ipſæ afflictiones, in bonum ſeu ad ſalutem cedere.

‡ *Propoſitionem*] Sed 1. illa propoſitio non præceſſerat in Paulo; Nec mens illi fuit probare, omnia cooperari in bonum, iis quos ante Deus approbavit, ſed

ſed omnia ceſſura in bonum Deum diligentibus, eo quod ſint vocati ſecundum propoſitum illius; quæ vocatio efficax fluit & manat ab eorum prædeſtinatione æterna & immutabili ad gloriam: 2. Falſo ſupponitur per eos quos Deus *præſcivit*, intelligi *omnes antea à ſe approbatos*, idque intuitu pietatis, & dilectionis illius quâ in Deum feruntur: Nam eos quos præſcivit, prædeſtinavit etiam ad conformitatem cum Chriſto; quæ conformitas complectitur quoque vitæ ſanctitatem, pietatem & amorem erga Deum, crucis tolerantiam &c. Quare non poteſt concipi Deus jam antecedenter approbaſſe in hominibus ſui dilectionem quâ ferebant, ſi ſtatuatur eos ex illa approbatione præfiniviſſe & prædeſtinaſſe ad ſe diligendum: Sic enim eadem hominum dilectio ſimul foret cauſa & effectus iſtius prædeſtinationis. 3. Non tantum deſignati ſunt iſti ut *ſimiles* evadant Chriſto *in ſempiterna fœlicitate*, ſed ut ei ſimiles evadant in ſanctitate, juſtitia, humilitate, patientia, Dei dilectione & ſimilibus virtutibus; pro ut Eph. 1, 4. dicimur electi in Chriſto ante jactum mundi fundamentum, ut eſſemus ſancti & inculpati in conſpectu ejus cum charitate. 4. Etſi largiremur Volkelio quod hîc ſomniat, non tamen inde ſequeretur quod ſibi imaginatur, hanc Dei præfinitionem ſive prædeſtinationem, non eſſe *certarum perſonarum ſeu individuorum ad ſempiternam vitam deſignationem ab æterno factam*; Cùm enim Dei præſcire, quod perperam facit approbativũ, certas ac definitas perſonas ſpectet ab æterno menti divinæ obverſatas, & in æternum tandem cum ipſo regnaturas: Nec enim illi qui Deum diligunt, & quibus *omnia, etiam ipſæ afflictiones*, cedunt in bonum, & quos præſcivit & prædeſtinavit conformandos imagini Filii ſui, quoſque conſequenter vocat ſecundum ſuum propoſitum, juſtificat, & glorificat, ſunt Deo individua vaga, ipſi ignota; ſed ſunt certæ & determinatæ perſonæ, quarum numerum & nomina perſpectiſſima habet.

Alter locus, qui apud eundem Paulum legitur, (*Epheſ.* 1, 5.) huic perquàm ſimilis eſt, in quo homines Chriſtianos à Deo in filiorum adoptionem deſtinatos eſſe ait. Utrobique enim de Chriſtianis hominibus generatim, non de certis individuis agitur; nec de prædeſtinatione ejuſmodi, quæ nullam ex parte hominum requirat conditionem, ſed quæ fidei, ac proinde pietatis, quæ illius anima quædam eſt, conditione, nobis Chriſtus adoptionem in Dei filios, qua in re ſempiterna noſtra felicitas continetur, obtulit. Ait autem Apoſtolus, Deum nos prædeſtinaſſe ad adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum. Quare quâ conditione nobis eam adoptionem obtulit Chriſtus, eadem etiam Deus olim deſtinavit.

1 *Alter locus*] Sed debuiſſet Volkelius hunc locum pleniùs referre: Is ergo ita habet, Eph 1, 3. 4. 5. 6. *Benedictus eſto Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali, in cœlis in Chriſto; ſicut elegit nos in ipſo ante jactum mundi fundamentum, ut ſimus ſancti & inculpati in conſpectu ejus cum charitate: Qui prædeſtinavit nos quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſeſe benevolo affectu voluntatis ſuæ ad laudẽ glorioſæ ſuæ gratiæ; quâ nos gratis ſibi acceptos effecit in illo dilecto.* Omnes hujus textus circumſtantiæ oſtendunt 1. Prædeſtinationem hîc inculcari certam, fixam, immotam: 2. Eam eſſe certarum nominatim

minatim perſonarum: 3. Factam eſſe non ex prævisione fidei, vel operum, ſed ad fidem, opera & ſalutem. Quod ergo nugatur Volkelius hîc agi *de Chriſtianis hominibus generatim, non de certis individuis*, eſt longè abſurdiſſimum: quia & Chriſtiani genuini univerſim ſumpti conſtant tamen *certis individuis* Deo optimè notis; & falſum eſt in Chriſtianos *generatim* hæc elogia cadere; cùm inter eos multi ſint hypocritæ & reprobi, quibus dicetur in die decretorio, *Non novi vos* Matt. VII, 23. Adhæc verum Chriſtianum fieri, eligi & vocari ad fidem & ſanctitatem, pertinet utique ad ſingularem & ſpiritualem benedictionem in Chriſto: omnis autem hæc benedictio arceſſitur à Paulo ab electione & prædeſtinatione Divina. Tum veri Chriſtiani omnes ſunt utique Dei filii per adoptionem in Chriſto, ut liquet ex Joh. I, 12. Quare nequeunt dici prædeſtinati *à Deo in filiorum adoptionem*, cùm eſſent jam Chriſtiani & filii Dei, ſed ut tales eſſent. Id equidem largimur Volkelio *adoptionem in Dei filios* offerri & obtineri demum *ſub conditione fidei ac proinde pietatis*: Sed negamus hanc conditionem præcurrere illi æternæ & liberrimæ prædeſtinationi divinæ, quâ Deus nos ab æterno elegit in Chriſto, per fidem adoptandos: Nam quos deſtinavit *in filiorum adoptionem*, illis quoque deſtinavit fidem & pietatem, ex illa ipſa gratia indebita, quâ eos ſibi gratos & acceptos effecit in Chriſto. Ideo dicit Apoſtolus eos eſſe electos ante jacta mundi fundamenta, non ex prævisa eorũ ſanctitate & pietate, ſed ad ipſam pietatẽ & ſanctitatem. Igitur, quicquid contra recalcitret Volkelius, de *Prædeſtinatione* eiuſmodi hîc agitur, *quæ nullam ex parte hominum requirit conditionem*, ex qua dubia ſuſpendatur; licet ſit ad eam fœlicitatem & gloriam, quæ citra conditionem fidei & pietatis non aditur nec obtinetur; Sed prædeſtinationem ipſam non procedere ex antecedanea, nedum dubia quadam conditione, in hominibus, his rationibus evincitur: 1. Procedit ex mero Dei beneplacito & ea indebita gratia quâ nos ſibi facit acceptos in Chriſto; non ergo ex prævisa noſtra vel fide vel pietate. 2. Ex ea fluit quod ſimus accepti Deo, & in Dei filios adoptati: adeoque quod credamus & pietati ſtudeamus; non ergo ipſa fluit ex noſtra fide & pietate; niſi ſtultè ſtatuatur idem eſſe cauſam & effectum ſuiipſius. 3. Ab illa manant omnes benedictiones ſpirituales quas in Chriſto conſequimur: atqui inter has ſuus locus debetur fidei & pietati. 4. Electi & prædeſtinati ſumus ab æterno, ut ſancti & inculpati eſſemus coram Deo cum charitate; non ergo quia jam tales eramus. At, inquit hæreticus, *quâ conditione nobis eam adoptionem obtulit Chriſtus, eadem etiam Deus olim deſtinavit*. Reſpondeo Deum nobis olim & ab æterno deſtinaſſe eam adoptionem obtinendã eâ conditione quâ nobis offertur in Euangelio, ſed eam tamen deſtinationem ex illa conditione non proceſſiſſe. Præcurrit iſta conditio adoptioni gratuitæ ad quam Deus nos deſtinavit; ſed non præcurrit ipſi prædeſtinationi æternæ, quâ nobis hæc adoptio ſub hac conditione & illo modo obtinenda, ex liberrimo Dei beneplacito fuit deſtinata: Nã conditio hæc adoptionis talis eſt ut eâ poſitâ vel ſuppoſitâ, conditionatum ipſum neceſſariò ponatur: ubi eſt vera fides in Chriſtum, ibi eſt adoptio in Dei filium Joh. I, 12. Si igitur ex conditione fidei veræ in Chriſtum proceſſiſſet æterna noſtra prædeſtinatio in adoptionem filiorum Dei, neceſſariò iſta prædeſtinatio in adoptionem filiorum Dei, pependiſſet ex hac ipſa adoptione; & ſic dicendus eſſet Deus prædeſtinaſſe eos homines ad beneficium iſtius adoptionis conſequendum, quos jam præſupponebat illud eſſe conſequutos: Quo abſurdo nihil abſurdius dici poteſt.

Locorum

Digitized by Google

Locorum porrò, quæ implicatam hujus rei mentionem contineant, aut continere videantur, primus eſt ille Petri, (1. *Petr.* 2, 8.) qui quoſdam ad verbo Chriſti offendendum poſitos eſſe affirmat. Atqui his verbis Petri adverſariorum errorem minimè ſtabiliri poſſe, inde perſpicuum eſt, quòd hoc illis contingere ibidem teſtificatur, qui nec credunt, nec ſeſe divinis monitis obedientes præbent; ideoque contumacis animi ſui pervicaciâ promerentur, 527. ut illis ſit Chriſtus lapis offenſionis. Quandoquidem Deus omnes, Chriſtum ipſiuſque doctrinam repudiantes, ad id deſignavit, ut hoc lapide offendantur atque conterantur: quemadmodum è contrario de ei fidem habentibus, ne pudefiant, decretum eſt. Antecedentia enim Petri verba docent, aliud eſſe offendere ad verbum, aliud inobedientem eſſe, & hoc præcedere, illud conſequi, ſeu hoc illius cauſam eſſe.

1 *Locorum porrò*] Apoſtolus hoc loco 1. Pet. II, 8. meminit eorum qui *impingunt ad ſermonem, non aſſentientes ei, ad quod etiam conſtituti fuerant.* In eo loquitur juxta ſtylum ordinarium Scripturæ: Nec enim ſolùm Chriſtus dicitur poſitus caſui & reſurrectioni multorum in Iſraële & in ſignum cui contradicatur Luc. II, 34. ſed etiam commemorantur nonnulli compacti ad dedecus & ad interitum Rom. IX, 21. 22. & conſtituti ad iram, non ut veri fideles, ad ſalutem obtinendam per Chriſtum 1. Theſſ. v, 9. imò & præſcripti ad hanc condemnationem Jud. com. 4. Ad locum autem Petri, perperam excipit Volkelius *hoc illis contingere* demum, *qui nec credunt, nec ſeſe divinis monitis obedientes præbent.* Nam hæc eorum incredulitas & nova contumacia, non eſt cauſa cur ſint poſiti ad *offendendum verbo Chriſti*; Sed eſt conſequens illius divinæ juſtiſſimæque deſtinationis. Petro utique ſynonyma ſunt *impingere ad ſermonem & ei non aſſentiri.* Hæc verò idem omninò ſignificant, quod non credere, nec ſeſe divinis monitis obedientes præbere; Quare qui ad id ſunt divinitùs poſiti & conſtituti, ut impingant ad ſermonem nec ei aſſentiantur, ad id etiam poſiti & conſtituti ſunt, ut nec credant ſermoni, nec ſeſe divinis monitis obedientes præbeant. Non nego quidem iſtos *contumacis animi ſui pervicaciâ* promeritos eſſe *ut illis ſit Chriſtus lapis offenſionis*; Sed nego illam προσκοπὴν & ἀπείθειαν, in qua formaliter Chriſtus ipſis abit in lapidem offenſionis, eſſe cauſam meritoriã illius ut occulti ita juſti judicij, quo ad hoc poſiti ſunt: cùm illi horrendæ pœnæ commerendæ ſuffecerit nativa eorum contumacia & originalis corruptio; quâ non ſolum non erant meriti gratiam ex qua crederent & obedirent, ſed etiam meriti erant relinqui ſibi & illi ſuæ obſtinatæ corruptioni, ut ad Chriſti Sermonem impingendo, & inſtar cœci ad ſuum baculum impingentis, auxilia ſibi propoſita in impedimenta mutando, illam priorem habitualem & connatam contumaciam, ulterioris & acquiſitæ adjectione adaugendo, debitas illi pœnas tandem referrent.

Quandoquidem] Quaſi verò hæc duo ſint diſtincta, *Chriſtum ipſiuſque doctrinam repudiare, & ad ſermonem ipſius impingere*: Qui igitur ad hoc ſunt poſiti, etiam ad illud conſtituti cenſendi ſunt. Ut autem in eo Volkelius eadem perperam diſtinguit, ſic duo diſtincta alia vitioſè confundit: Nam aliud eſt Chriſtum lapidem eſſe offenſionis alicui, ad ſermonem ejus impingenti, aliud eſt Chriſtum eum

conterere qui ad ſe & ſermonem ſuum impegerit: Nam conteri hoc lapide eſt merè pœnale, in illum & illius ſermonē impingere, eſt etiam culpabile: quare hæc duo pro eodem ſumi non debent; Igitur oppoſita ſunt juxta Petrum *conteri* hoc lapide, & ex illo *non pudefieri*; Similiter opponuntur *credere* in illum lapidem, & ad illum illiuſque ſermonem *impingere*; ac prout nonnulli ſunt ad illam προσκοπὴν poſiti juſto Dei judicio, quo ab illo lapide in quem impegerint tandem conterantur; ita ſunt nonnulli ex Dei gratia indebita ad id conſtituti, ut credant in hunc lapidem pretioſum, & inde ſpem eam ſalutis concipiant quæ non pudefacit.

Antecedentia enim] Nihil minus: Nam Petrus unum explicat per aliud: Et idem omninò illi eſt non aſſentiri ſermoni Chriſti, & ad eum impingere: Imò ſi quæ prioritas vel poſterioritas inter hæc duo veniret expendenda, ut Petrus προσκοπὴν nominat ante ἀπείθειαν, poſſet dici ideo homines non aſſentiri Euangelio quia ex illo offenduntur, eſtque illis vel ſcandalum vel ſtultitia. Ut meritò dicere poſſis non ideo nonnullos impingere in ſermonem Chriſti quod ſint increduli, ſed ideo manere incredulos quòd impingant, & ſiniſtrâ ſumant quod dextrâ dabatur. Quanquam revera hæc duo proponat Petrus exegeticè, unum explicaturus per aliud, non verò opponat ut cauſam & effectum.

Huc pertinent & illa Lucæ verba, quibus omnes ad vitam æternam ordinatos crediſſe aſſerit. (*Act.* 13, 48.) Videtur enim hinc effici poſſe, ideò multos Euangelicæ diſciplinæ aſſenſum minimè præbere, quòd ad ſalutem ſempiternam eo, quem ſuprà expoſuimus, modo non ſint deſtinati; alios autem ei fidem adjungere, quia ad vitam æternam eo pacto ſint à Deo ordinati. Atqui præterquam quòd iſti homines non dicuntur *præordinati*, ſed ſimpliciter *ordinati* ad vitam æternam, ita ut non ſit neceſſe, id de decreto aliquo æterno, vel ante eos natos facto accipere, non dicitur etiam, eos *à Deo* fuiſſe ordinatos, ſed ſimpliciter, ordinatos; id quod perinde poteſt accipi, ac ſi dictum fuiſſet, eos ad vitam æternam aptos ac diſpoſitos fuiſſe, nempe quia probi fuerint animi, ac proinde ad fidem in Chriſtum, quâ vita æterna obtinetur, apti: quo pacto ſignificabitur, etiamſi non omnes illi Ethnici, qui Apoſtolorum doctrinam audierant, ei crediderint, crediſſe tamen eos omnes, qui animi fuerint probi.

‡ *Huc pertinet*] Ineſt & huic loco Act. XIII, 48. ſuum pondus, eo quod ex Gentilibus Euangelii auditoribus crediſſe dicuntur *quotquot erant ordinati ad vitam æternam*; prout & fides ipſa *fides Electorum Dei* dicitur Tit. 1, 1. & alias in Dei electionem gratuitam rejicitur, ut Joh. VIII, 37. Utraque autem exceptio Volkelii hîc abſurda eſt: Nam cùm ordinati jam eſſent ad vitam æternam priuſquā crederent, eo ipſo ad illam *præordinati* dici debent: ut etiam habet V. V. & revera loquutio eſt præteriti temporis, ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι: Ut mirer Doctiſſimum cætera Schmidium *ad hunc locum* ex Franzio, & Quiſtorpium, ſcrupuloſè obſervare, quod non dicantur προτεταγμένοι, ſed τεταγμένοι: Verùm

rùm boni illi viri, voluerunt ſuorum ſententiæ de fide prævîſa velificari; quod hic locus ſit illis ſudes in oculis: Multo ſanius Petrus LintrenſisDuacenus Theologus, juxta Eſtium ſuum & ex illo, *ad hunc loc.* Obſervat enim hos *ideo credidiſſe quia ad vitam erant à Deo præordinati*, & præordinationem eſſe *de rebus quæ nondum ſunt*; ſed ordinationem dici *& de rebus priuſquam ſint, & de rebus jam exiſtentibus.* Ideo ſanè Chryſoſtomus iſtos τεταγμένους εἰς ζωὴν αἰώνιον vocat ἀφωρισμένες τῷ Θεῷ, *hom.* 30. *in Acta*; & Eraſmus, ita hunc locum in ſua paraphraſi reddidit; *Crediderunt ex gentibus, non quidem omnes, ſed quotquot divina miſericordia deſtinaverat ad vitam æternam, ad quam nemo pertingit niſi à Deo vocatus & electus.* Neque ſanè iſti potuerunt ordinati eſſe ad vitam æternam, quin à Deo ad id fuerint ordinati, adeoque & ab æterno, juxta id quod extat Act. xv, 28. *Nota ſunt Deo ob ævo omnia opera ſua.* Quod enim vult Volkelius eos dici ordinatos ſive *diſpoſitos* ad vitam æternam, *quia probi fuerint animi, ac proinde ad fidem in Chriſtum quâ vita æterna obtinetur apti*, planè abſurdum eſt; cùm vox illa quæ eſt in textu originali ſonet ordinationem ab extra, prout in certos ordines diſponuntur milites à ſuo ductore ad pugnandum, non verò aptitudinem ſubjectivam & ab intra; imò ipſum *ordinandi* vocabulum Latinum non alio ſenſu ſumitur quam quo dicimus. Et abſurdè fingas in Gentilibus aptitudinem & diſpoſitionem intrinſecam fuiſſe ad fidem Jeſu Chriſti; cùm è contrario Paulus multis in locis doceat eos fuiſſe moribus corruptiſſimos, in profundas tenebras demerſos, & in ſuis peccatis mortuos, cùm primùm ad Chriſtum ſunt vocati & donati fide ſalvificâ 1. Cor. VI, 9. 10. 11. Eph. II, 1. 2. 4. 5. 12. V, 8. Uno verbo non poteſt concipi gloſſa violentior & alienior à textu quam τὰς τεταγμένες εἰς ζωὴν αἰώνιον interpretari homines *qui animi fuerint probi.* Ne dicam animi probitatem fruſtra hos hæreticos ſomniare in hominibus nondum credentibus, cùm fide demum purificentur corda noſtra Act. xv, 9. nihilque puritatis vel probitatis feriæ poſſit concipi, ubi deeſt fides, eo quod quicquid fit ſine fide peccatũ ſit Rom. XIV, 23.

Quòd ſi omninò contendas, perſonam hîc aliquam ſubaudiendam eſſe, à qua iſti fuerint ordinati, nil prohibet, quominus intelligatur, eos à ſeipſis ordinatos fuiſſe atque diſpoſitos. Nam paſſiva, Hebræorum præſertim more, cujus exempla multa annotantur à viris doctis, ſæpè reciprocam habent ſignificationem; id quod in hujus ipſius, quo Lucas utitur, verbi compoſitis manifeſtum eſt. Etenim ὑποτάττεσθαι etiam tum cùm ſecundùm Grammaticam omninò paſſivum eſt, ſignificat ſeſe ſubjicere, ſeu obtemperare alteri, cujus rei complura occurrunt exempla in ſac: literis; (*Rom.* 10. 3. 1. *Cor.* 15. 28. *loco poſteriori. Heb.* 12. 9. *Iac.* 4. 7. 1. *Pet.* 5. 5.) ἀντιτάττεσθαι ſeipſum opponere, ſeu reſiſtere. ſic ταπεινοῦσθαι in iiſdem ſacris literis eſt ſeſe humiliare: (*Jac.* 4. 10. 1. *Pet.* 5. 6.) & paulò antè eodem Actorum loco στρεφόμεθα, eſt, *convertimus nos.* (*Act.* 13. 46.) Hoc ſi admittatur, egregia erit inter Ethnicos, qui crediderunt, & Judæos incredulos, quorum antea facta fuit mentio, antitheſis. De his enim dictum fuerat, quòd indignos judicârint ſeipſos vitâ æternâ: de illis autem dictum intelligetur, quòd ſeipſos ordinarint ad vitam æternam.

Quod

† *Quod ſi omninò*] Id longè remotius à rei veritate: Si enim iſti dicantur ordinati à ſeipſis ad vitam æternam, tum ſanè non à Dei gratia, ſed ab ipſo homine, ſalutis & vitæ initium erit arceſſendum; & Apoſtolo petenti 1. Cor. IV, 7. *Quis te ab aliis diſcernit?* in promptu erit cuique reſpondere, Ego meipſum diſcerno; nam ſum faber meæ fortunæ, & priuſquam ſalutaris Dei gratia mihi affulſiſſet præconio Euangelii, jam meipſum diſpoſueram & ordinaveram ad vitam æternam: Hæc quidem reſponderentur optimè ex Alcorano Socini, peſſimè verò ex Euangelio Chriſti.

Nam paſſiva] Hæc omnis Grammaticatio hîc eſt inutilis: cùm ubi de loco Græco agitur, non ſit quærendus Hebraiſmus, & nullus locorum ab adverſario citatorum, faveat ejus imaginationi. Falſum eſt ac contradictoriū τὸ ὑποτάττεσθαι, *etiam tùm cùm ſecundum Grammaticam omninò paſſivum eſt*, habere ſignificationem activam, ac idem eſſe quod *ſeſe ſubjicere*; Sanè nemo eſt interpretum Latinorū qui illud οὐκ ὑπετάγησαν, Rom. X, 3. aliter reddiderit quàm paſſivè; Vulgata verſio, *non ſunt ſubjecti*; Eraſmus & Beza, *non fuerint ſubjecti*; Caſtalio, *non ſubjiciuntur*; Schmidius, *non fuerunt ſubditi*; Aliàs non diffiteor ſenſum quod attit, ideo iſtos non ſubjectos fuiſſe juſtitiæ Dei, quod ſe illi non ſubjecerint, nec ſubjicere aut ſubjici voluerint; Verùm hæc æquipollentia, non inde debet arceſſi quod verbum paſſivum habeat ſignificationem activam, ſed potiùs ex neceſſitate materiæ, eo quod iſtorum culpâ & vitioſâ voluntate factum eſt quod ſubjecti non fuerint, unde omninò ſequitur quod ſe ſubjicere noluerint. Igitur ubi ὑποταγὴ debet eſſe voluntaria, τὸ ὑποτάττεσθαι etſi Grammaticè paſſivum ſit, & paſſivè reddi debeat, tamen poteſt æquipollere τοῦ *ſeſe ſubjicere*; aliàs non; ut videre eſt Luc. X, 17. 20. Rom. VIII, 7. Jam quod ad prius teſtimonium reſponſum eſt, inſeruit cœteris intelligendis: Nam 1. Cor. XV, 28. in prima parte pericopæ ὅταν ὑποταγῇ αὐτῷ τὰ πάντα, ſenſum Volkelij non poteſt obtinere, quia multa, ut dæmonia, ſubjicienda ſunt Chriſto, quæ tamen ſeſe illi ſubjicere dici nequeunt; In ſecunda verò parte, ubi additur Filium ſubjiciendum tandem ei qui illi ſubjecerit omnia, dici quidem poteſt etiam Filium ſeſe ultrò ſubjecturum Patri, ſed tamen non ideo abit paſſivum in activum, eo quod in illo hoc quoque, ubi ſubjectio eſt voluntaria, quodammodo præſupponatur. Hoc ſenſu ſubjicimur Deo Heb. XII, 9. Jac. IV, 7. & juniores ſenioribus, atque Chriſtiani ſibi mutuò, ſubjici monentur, 1. Pet. V, 5. quia hæc ὑποταγὴ paſſiva & actualis eſt terminus ad quem ſuâ tum obedientiâ erga Deū, tum humilitate erga proximū, contendere reſpectivè debemus. Quantum ad verbum ἀντιτάττεσθαι, cum medium ſit non paſſivū, & nuſquam vel in N. T. vel apud bonos authores paſſivè uſurpetur, fruſtra huc adferretur: Ideo non auſus eſt Volkelius, ulla loca in quibus vox illa occurrit proferre: Legitur autem Act. XVIII, 6. Rom. XIII, 2. Jac. IV, 6. V, 6. 1. Pet. V, 5. Ne hic urgeam Canonem Grammaticorum, juxta quem præteritis, aoriſtis ac futuris verbi medii, activa ſignificatio competit, etſi quaſdam exceptiones adferat Diligentiſſ. Paſor *Gramm. Sacræ N. T. lib.* 1. *cap.* 19. Quantum ad vocem ταπεινοῦσθαι Jac. IV, 10. 1. Pet. V, 6. nulla ſubeſt ratio cur paſſivè non debeat ſumi, licet humiliari hoc ſenſu nemo queat, quin incumbat ſerio humilitatis ſtudio. Denique quoad verbum στρεφόμεθα Act. XIII, 46. cùm illius converſionis paſſivæ ipſimet Apoſtoli fuerint ſibi activum principium, poteſt quidem reddi *convertimus nos*, ſed tamen nihil obſtat, quominus habito reſpectu non tam ad eorum conſilium & propoſitum

Digitized by Google

ſtum ſic agendi, quam ad illius effectum, executionem & terminum, paſſiva ſignificatio retineatur, *Convertimur*, ut etiam redditur à Schmidio. Neque hæc à nobis eo fine diſputantur, ut negemus ullam dari enallagem verbi paſſivi pro activo in N. T. cùm illius enallages haud pauca notaverit exempla Georgius Paſor *loco cit.* Sed quò conſtet loca à Volkelio citata, nullo modo favere ipſius cauſæ. Quod ſi illud ἦσαν τεταγμένοι, ſumi deberet activè, non paſſivè, & abſurda foret loquutio, & idem eſſet quod *ordinaverant*, in ſenſu abſoluto, prout illud Act. XX, 13. οὕτω ἦν διατεταγμένος, ideſt, *ita ordinaverat, mandarat, conſtituerat.* Aliàs oporteret fingere verbum τάττω ſignificare in activo *ordino meipſum*, quod nemo ſomniaverit; Nam ut aliud eſt ταπεινόω, aliud ἐμαυτὸν ταπεινόω, Matt. XVIII, 4. XXIII, 12. 2. Cor. XI, 7. adeo ut illud nunquam pro iſto uſurpetur, ſic aliud eſt τάττω ſimpliciter, aliud ἐμαυτὸν τάττω, de quo vide 1. Cor. XVI, 15. ut prius nequeat pro hoc poſteriori uſurpari. Verùm quid pluribus? cùm huic loco, de quo controvertimur, planè parallellum habeamus Rom. XIII, 1. unde liquet hanc omnem τάξιν & ordinationem à Deo eſſe arceſſendam.

Hoc ſi admittatur] Igitur dubitat ipſe Volkelius hoc eſſe admittendum: Et licet non admittatur, manebit tamen *egregia* hæc *antithesis*; ut & illi crediſſe dicantur ex ſpeciali & indebita gratia, quod ordinati fuerint à Deo ad vitam æternam, non verò *quod ſeipſos* ad eam *ordinarint*, atque ſic ſe ipſos diſcreverint, contra quã fieri negat Apoſtolus 1. Cor. IV, 7. & iſti occalluiſſe ſuâ culpâ, ut pote qui *indignos judicarint ſeipſos vitâ æternâ*; ita ut nec illi habeant de quo glorientur, nec hi de quo querantur.

Denique etiamſi intelligendum eſſet, eos à Deo fuiſſe ad vitam æternam ordinatos, non ſequeretur tamen, eos, nulla habita ratione illorum probita- 528.
tis, ac ſine ulla conditione in poſterum præſtanda, fuiſſe ad vitam æternam deſignatos, cæteros autem nullo prorſus pacto ad eandem ordinatos cenſeri debere, ac proinde nullo modo credere ac ſalutem obtinere potuiſſe: ſed tantùm intelligendum eſſet, priores illos propter animi probitatem peculiari ac perfectiori quadam ratione fuiſſe à Deo ad vitam æternam deſignatos, idque ſub ea conditione, quam Euangelium ubique inculcat, nempe fidei per charitatem efficacis: cæteros autem, quia eâ probitate caruerint, eo pacto ad vitam æternam deſignatos non fuiſſe: licet interea, ut & ipſi probi fierent, & porrò fidem amplexi, ſalvi fierent, Deus cuperet, ac per ipſam Euangelii prædicationem curaret.

‡ *Denique etiam ſi*] Hîc videtur hæreticus manus dare, quia revera nihil dicit quo ſe tueatur: Ordinatos enim fuiſſe iſtos ad vitam *ſine ulla conditione in poſterum præſtanda*, nemo noſtrum eſt qui dicat: Sed tantum negamus ullam conditionem *probitatis*, fidei, novæ vitæ, præſupponi in eorum illa deſignatione & ordinatione ad vitam; quia illa ipſa conditio probitatis & fidei, manat ex illa ordinatione, & in *poſterum præſtanda* certò intelligitur, cùm poteſtativa non ſit, aut in arbitrio hominum poſita. Et ſiquidem illi demum crediderunt qui erant ordinati ad vitam æternam, inde ſequitur *cæteros*, qui nunquam crediderunt,

nullo pacto ad eandem ordinatos cenſeri debere; quia aliàs etiam credituri fuiſſent: Nam dari duplicem ordinationem ad vitam æternam, aliam peculiarem ac perfectiorem, eorum quo ſunt credituri, & ex qua credituri ſint, aliam minus perfectam cœterorum, adeoque etiam eorum qui ſe indignos judicant vitâ æternâ, nullâ ratione concipi & fingi poteſt. Quod ſi etiam illi qui non ſunt ordinati ad vitam æternam, nihilominus poſſent *credere ac ſalutem obtinere*, fruſtrà arceſſeretur converſio, fides & ſalus iſtorum, ab eorum ordinatione ad vitam æternam; cùm nulla in re illos diſtinxiſſet ab aliis. Abſurdè verò ſtatueris iſtos fuiſſe à Deo *propter animi probitatem*, peculiari quadam ratione ad vitam æternam deſignatos; cùm nec explices in quo conſiſtat ſpecialis illa deſignatio, aut quid operetur; & fingas probitatem hominum eſſe cauſam illius deſignationis, quæ cùm præcurrerit iſtorum fidei, iſti quoque probitati eorundem præcurrere debuit; quia, ut jam ante monitum, nulla eſt animi probitas quæ non fluat ex fide, quâ demum corda noſtra purificari, Scriptura teſtatur. Cœteris verò qui non ſunt à Deo ordinati ad vitam, Deus quidem præcipit ut *probi* fiant & *fidem* amplectantur, additâ ſalutis promiſſione quam curat *per ipſam Euangelii prædicationem* illis inſinuari; Sed hæc ſunt voluntatis præcipientis, quâ exigit ab iſtis hominibus quod ſibi debent, non verò ordinantis & decernentis, de qua hîc diſputamus: Impropriè autem dicitur Deus *cupere* iſtorum non electorum probitatem, fidem, & ex fide ſalutem: Niſi τὸ *cupere* per ſeriò præcipere interpreteris: cùm aliàs in Deum non cadant inefficaces velleitates, & inania deſideria, quæ ipſum miſerè crucient, dum vehementer cupit id ipſum evenire, quod videt per hominum malitiam nunquam eventurum, ad quod etiam nolit illud conferre, quo evenit in aliis, nempe efficacem hanc ordinationem ad vitam æternam. Uno verbo, cùm nemo ſit intrinſecè & ſubjectivè diſpoſitus ad vitam niſi qui jam credat, fruſtra fingas, jam in anteceſſum eos diſpoſitos fuiſſe ad vitam æternam, adeoque credidiſſe quibus divinitùs datum fuit ut crederent; ſic enim tam oporteret eos credidiſſe, antequam crederent, quam verum foret eos jam ante fidem Evangelio adhibitam, per fidem diſpoſitos fuiſſe ad vitam æternam.

Illa quoque Chriſti verba, quibus, diverſis in locis, tum alias oves, (*Joh.* 10. 16.) intellige inter gentes extraneas, tum magnum Corinthi populum (*Act.* 18. 10.) ſeſe habere aſſerit, omnino aliquod divini decreti indicium continere videntur, quo Deus homines quoſdam jam olim nominatim, citra conſiderationem animi ipſorum aut factorum, ad fidem, ac porrò ad ſalutem ſempiternam immutabiliter deſignaverit; alioquin enim non videtur apparere, quomodo iſti homines, quos Chriſtus intelligit, tunc, cum nondum in ipſum crederent, vel oves ipſius, vel populus nominari potuerint. Verùm ejuſmodi Dei decreto, quale ab adverſariis conſtituitur, ad eam rem nequaquam fuit opus. Potuerunt enim homines illi oves Chriſti, aut populus ipſius ideò appellari, quia ob animi probitatem apti eſſent ut ipſius diſcipuli ac populus evaderent; quod ut reipſa fieret, ipſemet curaturus eſſet, aut jam curaret; & licèt iſti homines nondum ipſum agnoviſſent tamen ip-

ſius,

Digitized by Google

ſius, tanquam paſtoris & animarum epiſcopi curæ, jam eſſent à Patre commiſſi, ut eos in ovile, ſeu eccleſiam ſuam convocaret, eos paſceret, & ſempiternâ tandem vitâ donaret.

‡ *Illa quoque*] Cùm vim iſtorum duorum locorum ſatis ipſe Adverſarius explicet, non eſt quod ei ulteriùs urgendæ impræſentiarum inſiſtam: Videamus tantum quâ ratione Volkelius poſſit pertendere *oves* Chriſti dici potuiſſe Joh. x, 16. aut illius *populum* Act. xviii, 10. homines *nondum* in ipſum credentes, citra reſpectum ad liberrimam Dei prædeſtinationem; cùm revera antequam fidem ſuam adjunxiſſent Chriſto, nequiverint aliunde ſtatui vel oves vel populus illius: Sic dicti, non utique reſpectu illius quod tunc erant, Idola colentes & demerſi in omnes Ethnicorum corruptiones, ſed reſpectu ejus quod erant futuri, juxta immutabile Dei decretum, per vocationem Euangelicam.

Potuerunt enim] Sed illa quam hic fingit *aptitudo*, eſt inanis chimæra, quæ Scripturarum authoritate deſtituitur, nec juvat cauſam Adverſarii: Fruſtra enim quæras in ullo eam *animi probitatem*, per quam aptus ſit ut evadat diſcipulus Chriſti, priuſquam ab ipſomet Chriſto illuminetur & vocetur; *Abſit ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus; abſit autem ut ſit juſtus verè, niſi vivat ex fide*; inquit Auguſtinus *contra Iul. lib. 4. cap 3.* Nam teſte Paulo Rom. xiv, 23 quod non eſt ex fide peccatũ eſt, & ſine fide impoſſibile eſt placere Deo Heb. xi, 6. Imò tota Scriptura deſcribit omnes homines ita corruptos & depravatos, ita proclives ad omne malum, & ineptos ad omne bonum, ita naturâ filios iræ & in peccatis ſuis mortuos, donec voce Chriſti ad hoc veternũ excutiendum excitentur, ut oporteat eum delirare qui in Gentilibus, obvolutis denſiſſimis tenebris, & quales nominatim graphicè deſcribuntur Eph. iv, 17. 18. *animi probitatem* ſomniet Deo gratam, & aptitudinem ſubjectivam ad fidem Chriſti. Tum aptitudo quædam remota ad hoc ut homines fiant & oves Chriſti, & populus illius, non poteſt illis hoc nomen *ovium* Chriſti aut *populi* ipſius conciliare: An quis unquam ſanæ mentis truncum ficulnum & inutile lignum, ſcamnum dixerit, vel Deum ſive Idolum, eo quod pro fabri lubitu alterutrum fieri poſſit? Tyrii & Sidonii minus videntur inepti fuiſſe ad Chriſti diſcipulatum quam Chorazinitæ & Bethſaiditæ aliique Galilæi Matt. xi, 21. 22. 23. Nec tamen ideo uſpiam Chriſtus Tyrios & Sidonios vel ſuas oves appellat, vel accenſet ſuo populo.

Et licet iſti homines] Optimè hæc dicuntur ad noſtram mentem; Nam qui ideo *oves* & *populus* Chriſti dicuntur, antequam *ipſum agnoviſſent*, adeoque & in ipſum credidiſſent, quod *ipſius tanquam Paſtoris & animarum Epiſcopi curæ jam eſſent à Patre commiſſi, ut eos in ovile ſeu Eccleſiam ſuam convocaret, eos paſceret, & ſempiternâ tandem vitâ donaret*, illos oportet datos fuiſſe Filio à Patre redimendos, vocandos, fide donandos, adducendos ad vitam æternam. At ſic datum fuiſſe Chriſto, quid aliud eſt quam gratis, & non ex fidei, probitatis-ve, ceu antecedentis conditionis, præviſione, ordinatum & prædeſtinatum fuiſſe ad vitam æternam? Unde etiam Chriſtus tam ſæpè facit mentionẽ eorum quos ſibi dederat Pater, & quorum redimendorum & ſeruandorum ſpecialem curam habuit; Joh. vi, 37. 39. xvii, 2. 6. 7. 8. 9. 11. 24.

Non haberi autem in iſta ovium appellatione rationem iſtiuſmodi decreti di-

vini, quale illi volunt, ſatis ex eo patet, quòd Chriſtus Judæis objicit, quòd non ſint ex ovibus ipſius (*Ioh.* 10. 26.) iiſque id eum in finem exprobrat, ut appareat, eos ſuâ culpâ in ipſum non credere. At ſi homines ideo Chriſti oves dicerentur, quia ejuſmodi de illis Dei decretum factum eſſet, id potiùs ad excuſandos homines pertineret, utpote qui per divinum decretum Chriſti oves fieri, inque ipſum credere non poſſent; tantum abeſt, ut id ullam ipſorum culpam oſtenderet. Quòd ſi ob animi probitatem alii oves Chriſti eſſe, alii ob improbitatem non eſſe dicuntur, rectiſſimè id illis Chriſti objicit atque exprobrat.

‡ *Non haberi autem*] Chriſtum hoc loco Joh. x, 26. non *objicit* Judæis per modum culpæ, quod non ſint ex ſuis ovibus; ſed per modum pœnæ & juſtitiam eos judicii, unde fiat quod in ipſũ non credant: Quæ incredulitas ita conſequebatur eorum non electionem, ut nihilominus meritò culpanda & vituperanda veniret; tum quia erat voluntaria & malitioſa; tum quia illius ſuæ non electionis, quam hæc incredulitas conſequebatur, culpa penes eos eſſet; eo certiùs quod reprobatio quorumlibet; ſi abſolutè conſideretur, ſit actus Juſtitiæ divinæ, hoc pacto hominum commune peccatum optimo jure punientis.

At ſi homines ideo] Jam ad hanc inſtantiam ſatis reſponſum eſt: Quod nonnulli aſſerantur ex tali decreto eſſe *Chriſti oves*, eſt argumentum gratiæ & miſericordiæ indebitæ; Quod alii ex eodem decreto oves Chriſti eſſe negentur, eſt indicium iræ & pœnitionis debitæ: Unde fit ut nec illi habeant quod glorientur; ſiquidem ex indebita gratia oves facti ſunt, cùm cœteris nō eſſent meliores; nec iſti quod querantur, cùm non ſolum nihil habuerint ex quo jure deberet in ovile Chriſti traduci, ſed etiam meritò & ratione ſui peccati ab illo excluſi ſint. Nec ideo ſunt excuſandi in ſuis peccatis quod *Chriſti oves fieri* non potuerint: Nam eorum reprobatio, ſive diſpunctio ex numero ovium Chriſti, in eorum peccato fundatur; Etenim non eſt penes homines ſe facere oves Chriſti; ſed merum eſt Dei beneficium quod tales ab æterno ex ſingulari Dei miſericordia facti ſint. Ejus autem quod *credere non poſſunt*, cauſa quidem negativa & deficiens eſt eorum non electio; prout abſentia Solis eſt cauſa deficiens noctis & tenebrarum in aere, quia ſi præſens eſſet in noſtro horizonte, luce & die frueremur; & ſic Chriſto dicebatur à Martha Joh. xi, 21 *Domine ſi fuiſſes hic frater meus non fuiſſet mortuus*; Sed cauſa incredulitatis ipſius poſitiva & efficiens, eſt eorum obdurata quidem & invincibilis, ſed nihilominus ultronea & planè voluntaria, perverſitas & corruptio, ut morbus Lazari, fuit cauſa poſitiva & efficiens mortis ipſius. Quare illa impotentia credendi, cùm ſit malitioſa & culpabilis, licet per vires humanas invincibilis & inſanabilis, nullam juſtam poteſt ſuppeditare excuſationem hominibus incredulis, per quam extra noxam & culpam omnem reponantur.

Quod ſi ob animi] Animi probitas eſt character & nota unde dignoſcuntur à poſteriori oves Chriſti, non verò id quo homines à priori oves Chriſti conſtituuntur. Hanc enim animi probitatem, quâ quis ſubducitur communi illi & nativæ corruptioni, cui omnes aliàs ſunt obnoxii, nemo habet vel habere poteſt, niſi ex indebita gratia & electione merè gratuita

gratuita. Improbitas verò animi, vel eſt originalis & omnibus communis, vel hanc ſubſequitur ceu actualis: Ex priori & propter eam quidam *rectiſſimè* excluduntur ab ovili Chriſti, ut ejus *oves* non ſint vel fiant; Ex poſteriori, eos non eſſe oves Chriſti intelligitur: Jam autem, ut habito reſpectu ad priorem *rectiſſimè id Chriſtus objicit atque exprobrat* incredulis quod non ſint oves ſuæ, ita poſteriorem illis jure exprobrat & objicit, tam ut conſequens reprobationis ſuæ juſtæ, quam ut vitium turpe & juſtâ reprehenſione digniſſimum.

Comprobat hanc ſententiam collatio hujus loci cum aliis apud eundem Jo- 529
annem extantibus, in quibus Chriſtus ſimiliter, ut in iſto, rationes affert, cur homines, & nominatim Judæi, vel credant, vel non credant Euangelio. Ita autem ea de re loquitur inter alia Chriſtus ſuprà cap. 3. (*v.* 19. 20. 21.) *Hoc eſt judicium* (h. e. judicii, ſeu damnationis ac ſupplicii cauſa) *quòd lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim mala ipſorum opera. Omnis enim qui mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ne arguantur opera ipſius: qui autem facit veritatem* (h. e. ſincerè rectèque agit) *venit ad lucem, ut manifeſtentur ipſius opera, quia* (vel *quòd*) *in Deo ſunt* (vel *ſint*) *facta.* & cap. 7. (*v.* 17.) *Si quis velit voluntatem ipſius* (h. e. ejus, qui miſit me) *facere, cognoſcet de doctrina, utrùm ex Deo ſit, aut* (ſeu *an verò*) *à me ipſo loquar.* & cap. 8. (*v.* 47.) *Qui eſt ex Deo, verba Dei audit,* (h. e. is demum verba Dei audit:) *propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Docuimus autem alibi (*lib.* 4. *c.* 1.) *eſſe ex Deo*, ſignificare Dei voluntatem velle facere, & ſic animo probo eſſe, earumque rerum, quæ Deo placent, ſtudio teneri. Quare cum Chriſtus cap. 10. ait, Judæos ideò vocem illius non audire, h. e. eam pro vera non agnoſcere, ſeu fidem ei non adhibere, quia ex ovibus ipſius non ſint, ſignificat, ideo id fieri, quia animi probitate non ſint præditi, adeoque nec apti, qui ipſius fiant diſcipuli, & ab eo ad ſempiternam vitam paſcantur. Unde facilè apparet, cur ex adverſo homines etiam ii, qui in ipſum nondum credunt, oves, aut, quod eòdem recidit, populus ipſius dicantur.

‡ *Comprobat hanc*] Nihil minus hic probat Volkelius quam quod probandum ſuſceperat: Vult enim probare quosdam dici *oves* & *populum* Chriſti, antecedenter ad eorum vocationem & fidem, eo quod ex animi probitate *apti eſſent ut ipſius diſcipuli ac populus evaderent.* Quid verò eò inſerviat locus Johannis III, 19. 20. 21. nemo eſt qui videre poſſit. Quis enim negat ideo homines meritò damnari, quod luce apparente magis diligant tenebras quam lucem: hanc refugientes, eo quod mala ſunt ſua opera, ut dicitur catinum aut lapidem lydium refugere moneta adulterina, eo quod illum nequeat ſuſtinere: Eſt enim hæc regula generalis quod is odit lucem qui male agit, eamque amat è contrario qui agit ſincerè rectèque, ſibi benè conſcius; juxta illud Poetæ, *Nil conſcire ſibi nullâ palleſcere culpâ, Hic murus aheneus eſto.* An tamen inde ſequetur quemquam *facere veritatem*, ſive opera

Deo grata antecedenter ad ſui colluſtrationem eâ luce quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, & quâ ſepoſitâ aut negatâ in tenebris manſurus fuiſſet? Omnes utique priuſquam illâ luce colluſtrentur ſunt corrupti & depravati: Sed qui eâ ſic afficiuntur ut ſtudeant operibus lucis, eâ ſummopere delectantur: ii verò quibus eſt Sol brumalis, & in quibus nihil exerit efficaciæ ad opera meliora, eam, ut ut ſeſe undique ingerat, oderunt & averſantur, non ſecus ac veſpertiliones & bubones lumen Solis. Nihilo plus præſidii eſt in loco Joh. VII, 17. cùm ſenſus ſit eum qui feriò fidei ac pietati ſtuduerit, cognitionem experimentalem conſequuturum veritatis Euangelicæ, & magis magiſque in illa confirmatum iri. Quempiam autem fingere qui *velit voluntatem* Dei facere, priuſquam credat & Dei gratiâ ſalvificâ donetur, eſt toti Scripturæ refragari. Nam Deus eſt qui ſuâ gratiâ in nobis operatur & velle & perficere Phil. II, 13. Aliàs enim nec volentis eſt, nec currentis, ſed miſerentis Dei Rom. IX, 16. Et nemo eſt qui queat antecedenter ad fidem aut velle aut operari quicquam verè boni & Deo grati, cùm quicquid fit ſine fide peccatum ſit Rom. XIV, 23. Æquè parum juvat cauſam Volkelianam locus tertius Joh. VIII, 47. cùm potius eam ſubruat: Quamvis enim nollent Sociniani admittere Auguſtini & Gregorii ſententiam, illius *tract.* 42. *in Ioh.* hujus *hom.* 18. *in Euangelia*, juxta quam illa Chriſti verba de electis & reprobis ſumenda forent, adeo ut illorum fides à Dei electione tanquam à cauſa efficiente & conſequentis derivetur, horum incredulitas in eorum reprobationem, ceu illius cauſam conſequentiæ rejiciatur; Saltem eſſe ex Deo, eſt Dei eſſe filium, actum ejus Spiritu & ab ipſo regenitum, juxta loca quæ extant Rom. VIII, 14. & I. Joh. IV, 6. At nemo eo ſenſu eſt ex Deo, vel priuſquam credat Joh. I, 12. cùm naturâ ſimus filii iræ Epheſ. II, 3. vel aliunde quam ex Dei æterna, gratuita & liberrima electione Rom. VIII, 29. Eph. I, 5.

Quare cum Chriſtus] Nulla hic eſt ſequela niſi in læſa imaginatione Volkelii: Cùm mihi ſatis ſit illud *ideo* Joh. X, 26. notare duntaxat cauſam conſequentiæ: non quod iſtorum reprobatio fuerit cauſa efficiens ſuæ incredulitatis, ſed quod incredulitas hęc, ut-ut voluntaria & malitioſa, fuerit conſequens neceſſarium ſuæ reprobationis; cùm aliàs fuiſſent credituri, ſi fuiſſent ex ovibus Chriſti, id eſt præordinati & prædeſtinati ad vitam æternam Act. XIII, 48. Hinc Toletus *annot.* 16. *in* 10. *Ioh.* ita loquitur; *Auguſtinus tract.* 48. *has oves de quarum numero iſtos incredulos Chriſtus eſſe negat, interpretatur electos, & eos qui æternam ſalutem conſecuturi ſunt, quos Prædeſtinatos appellamus, de quibus dicitur Act.* 13. *Crediderunt quotquot prædeſtinati erant ad vitam æternam, &* 2. *Tim.* 2. *Omnia ſuſtineo propter electos. Erit igitur ſuperiorum verborum ſenſus; Non creditis, quia non eſtis de numero eorum qui æternam ſunt ſalutem conſecuturi, qui electi & oves meæ ſunt.* Et hanc ſententiam ipſe Toletus adoptat, eo quod Deus *neminem* excludat *à numero ovium & electorum Chriſti niſi culpâ ipſius hominis: Quando igitur dicit,* Vos non eſtis de ovibus meis, *culpa & malitia eorum ſignificatur, propter quam Deus reprobavit eos; & hac ratione ſententia Auguſtini omni ex parte vera & legitima permanet*: Neque ibi redditur ratio, ut ſomniat Volkelius, cur Judæi non ſint ex ovibus Chriſti, ſed id inde ſupponitur & & colligitur quod non faciant illa quæ ſunt ovium Chriſti, id eſt vocem ipſius non audiant: Non ideo nō ſunt oves illius quod non ſint *apti qui illius fiant diſcipuli*, ſed ideo è contrario non ſunt apti ad hanc diſciplinā, quia non ſunt oves illius.

Ac prout

Digitized by Google

Ac prout hæc ineptitudo non efficit illos non oves, ſed potiùs inde ſequitur quod oves non ſunt, quamvis non citra ſuam culpam, quia excludi ex ovium numero eſt actus juſtitiæ divinæ, quæ ſupponit culpam hominis; ſic non ideo alii ſunt oves quod fuerint es ſeſe apti qui Chriſti fierent diſcipuli, ſed hanc aptitudinem inde conſequuntur quod per indebitam gratiam ex lupis oves facti ſunt.

Teſtimonium quoque illud Pauli, quo de Eſavo rejiciendo, Jacobo verò eligendo, antequam naſcerentur, bonoque vel malo opere perfungerentur, prænunciatum fuiſſe confirmat, (*Rom.* 9. 11.) magnam vim ad iſtam adverſariorum prædeſtinationem ſtabiliendam habere videtur. Nos verò egregiè iſtos falli dicimus. Primò enim, ſi theſin à Paulo ſuperiùs conſtitutam ſpectes, ad quam comprobandum etiam hoc Jacobi & Eſavi exemplum adfertur, animadvertes eum longè aliud ex hoc Jacobi & Eſavi exemplo concludere, quàm iſtam prædeſtinationem. Quandoquidem hanc theſin confirmandam, contraque Judæos defendendam ſuſceperat, quòd Deus in eligendis hominibus, aut pro veris Abrahami filiis reputandis, non ſpectet carnalem ex Abrahamo, ſed ſpiritualem propagationem, quæ ex divinis promiſſis pendet; qua de cauſa illi, qui ſic naſcuntur, filii promiſſionis ibidem nominantur. Atqui cum concluſionem argumenti ad theſin confirmandam adhibiti, eandem cum theſi eſſe debere, nemo ignoret; quomodo, quæſo, admirabilem iſtam prædeſtinationem, præter Apoſtoli mentem at- 530.
que ſententiam, hinc colligemus, quæ nec eadem eſt cum theſi propoſita, nec ex ea conſequitur?

‡ *Teſtimonium quoque*] Plurimum ineſſe ponderis huic teſtimonio de Jacobo & Eſavo Rom. IX, 11. tota textus ſeries ſatis indicat: Nec quicquam ſolidi profert adverſarius in contrarium, etſi hîc ſe verboſiſſimum præſtet, & plurimum excitet fumi, quo obtundat lucem Veritatis: & facilè patebit ex ſequentibus nos non *egregiè falli*, ut ait, ſed ipſum ſtrenuè errare & fallere.

Primò enim ſi theſin] Sed præterea quod hallucinatur egregiè Volkelius, in theſi Paulina indaganda, multæ veritates poſſunt adferri in alicujus theſeôs confirmationem, quæ aliud contineant quam quod ipſâ theſi primâ proponebatur.

Quando-quidem] Imò id confirmandum Apoſtolus ſuſceperat, non evacuari vel excidere promiſſiones & privilegia gentis Iſraeliticæ, eo quod non pertineant ad filios ſecundum carnem, ſed ad filios ſecundum Spiritum, quos Deus ex ſuo beneplacito cœteris rejectis elegit & prædeſtinavit, ad ſalutem; quò faciunt exempla Iſaaci & Iſmaelis, Iacobi & Eſavi, quæ ad id urget Apoſtolus.

Atqui cùm concluſionem] Eò apprimè facere hæc exempla, ſatis innuit ipſe Paulus com. 11. & 12. cùm ait dictum fuiſſe majorem ſerviturum minori, ex hujus dilectione & illius odio, ut præſtitutum Dei quod eſt ſecundum ipſius electionem, non ex operibus ſed ex vocante, firmum maneret. Quid enim expreſſius ad iſtam prędeſtinationem quam propugnamus?

An

An verò parùm liquet, Apoſtolum hunc in modum argumentari velle: Si Deus in hominum electione carnalem ex Abrahamo ſpectaret generationem, certè non minus Eſavum elegiſſet, quàm Jacobum, imò fortaſſe magis: cum is non modò Abrahamo prognatus fuerit, ut Jacobus, ſed inſuper primogenitus extiterit. Atqui contrà factum eſſe videmus; cum Eſavo Jacobus præpoſitus fuerit. Conſequens igitur eſt, Deum carnalis generationis in hominibus eligendis rationem non habuiſſe. Quæ quidem hujus argumenti concluſio, quantum ab adverſariorum prædeſtinatione diſtet, quis non videt?

† *An verò parum liquet*] Quod ſi juxta argumenti iſtius concluſionem, electio Dei non procedit ſecundum prærogativas carnis & mundi, oportet igitur eam agnoſcere & liberrimam & merè gratuitam ac omninò indebitam; Quàvis Volkelius hîc tribuat Apoſtolo argumentum quod ipſius non eſt: Nec enim ſuſceperat probandum, quod *Deus in hominum electione carnalem ex Abrahamo generationem* non ſpectaverit; ſiquidem nondum illi ſermo fuerat de *hominũ electione*, ſed de promiſſionum divinarum firmitate, quas ratas pertendebat in vero Iſraele com. 6. Unde duplices facit Iſraelitas, quorum alii ſint filii *carnis*, alii filii *Dei* vel *promiſſionis* com. 8. Diſcrimen verò hoc conſtituturus inter filios Abrahami, illud arceſſit à liberrima Dei electione & prædeſtinatione, quæ diſtinxit inter Iſmaelem & Iſaacum, Eſavum & Iacobum.

Et quidem ut magis adhuc liqueat, hoc, non verò id, quod adverſarii volunt, ſibi Apoſtolum velle, operæ pretium eſt videre, cur Paulus dixerit, id à Deo Rebeccæ dictum fuiſſe, *nondum natis pueris, cùm nondum quicquam boni aut mali feciſſent*. Dici igitur poteſt, ideò id à Paulo fuiſſe commemoratum, non ut theſin aliquam iis confirmaret, ſed tantùm ut ſuam illam, quam vidimus, argumentationem contra Judæorum ſuperbiam muniret atque defenderet, & tacitæ eorum objectioni reſponderet, quæ quidem hujuſmodi eſſe videtur: Negamus, Paule, ideò Eſavum præ Jacobo neglectum fuiſſe, quòd Deus nullum ad carnalem ex Abrahamo propagationem habuerit reſpectum, ſed id eam ob cauſam factum eſſe dicimus, quòd Eſavus malus, Jacobus verò bonus fuit. Reſpondet Paulus, id à vero longè abeſſe: quandoquidem hoc ita fore, Rebeccæ, etiam antequam naſcerentur, boni-que vel mali aliquid facerent, prædictum fuit, ita ut nulla meriti, ſive hujus, ſive illius, habita fuerit ratio. Unde apparet, id, quod Paulus ſibi confirmandum propoſuerat, (*v.* 8.) ratum fixumque permanere, nimirum non filios carnis, ſed ut antea dictum eſt, ſpiritus, vel promiſſionis, in Abrahami poſteris numerandos eſſe.

‡ *Et quidem & magis*] Illi homines, ut Sabini, ſomniant quod volunt: Cur enim id non pertinebit ad *theſim* Apoſtoli confirmandam, quod Adverſario fatente inſervit

Digitized by Google

ſervit ejus argumentationi muniendæ & defendendæ? Quanquam hæc fruſtra adferuntur; cùm hæc Pauli obſervatio de *nondum natis pueris*, faciat ad liberrimam Dei electionem adſtruendam, quæ ita diſtinguit inter filios carnales & ſpirituales Abrahami, ut horum demum non illorum reſpectu promiſſiones Dei ratæ intelligantur. Interea nobis & bonæ cauſæ gratulamur, quod Volkelius agnoſcat in liberrimum Dei beneplacitum rejiciendum eſſe, quod Eſavus præ Jacobo neglectus fuit, non verò id ideo eveniſſe, *quod Eſavus malus, Iacobus verò bonus fuit*: ſiquidem in eo, *nulla meriti, ſive hujus, ſive illius, habita fuerit ratio*. Nam quod Jacob fuit admiſſus ad promiſſiones obtinendas, Eſavus non, quid aliud eſt quam illum electum, hunc verò reprobatum fuiſſe? Præſertim cùm hi duo ex uno concubitu prognati, ita ſe habuerint, ut neuter debuerit potius eſſet filius promiſſionis quam alter, niſi ita diſcriminare viſum Deo fuiſſet ex liberrimæ ſuæ prædeſtinationis decreto.

Hìc verò, eſto ſanè, inquies, noluerit Paulus theſin propoſitam his verbis confirmare, ſed tacitæ tantummodo objectioni occurrere: cum tamen interim Deum, quid de utroque Iſaaci filio futurum eſſet, nulla operum utriuſque habita ratione, decreviſſe affirmat, quid prohibet, quominùs nos, nulla Paulini propoſiti habita ratione, iſtam prædeſtinationem noſtram hinc colligamus? Reſpondemus igitur, prædeſtinationem iſtam cum hoc de Eſavo atque Jacobo decreto nec ejuſdem generis eſſe, nec eandem prorſus utriuſque rationem eſſe: quandoquidem illa ſempiterno Dei de hominibus vel immortalitate donandis, vel exitio devovendis, ac ſupplicio ſempiterno addicendis, continetur conſilio: hoc verò non niſi temporariam reſpicit benignitatem, quam interdum, nulla meritorum habita ratione, aliis tribuit, ab aliis verò removet. Etenim Eſavo quidem beneficium denegatum, nullum verò ſupplicium irrogatum eſt: quorum illud ei quoque citra injuriam contingere poteſt, qui nullo ſeſe ſcelere aſtrinxit; hoc verò nequaquam. Verba enim illa, *Eſavum odio habui*, non hanc continent ſententiam, ut Eſavum damnatum, ſed, ut Jacobo minùs amatum fuiſſe, intelligendum ſit, quemadmodum ex ſimilibus locis (*Luc.* 14. 26. *Mat.* 10. 37.) intelligi poteſt. in prædeſtinationis autem, quemadmodum diximus, negotio, longè ſecùs ſe res habet, cùm qui reprobantur, pœnâ inſuper affici dicantur. 531.

‡ *Hic verò, eſto*] Vidit Volkelius illam ipſam ἔνςασιν quam modò proponebamus; Sed dum hîc conatur ſe ab illa extricare, magis magiſque ſe intricat, eaque reſpondet quæ aquam ipſi hærere luculenter demonſtrant.

Reſpondemus igitur] Hæc reſponſio multis laborat nævis: Nam 1. ſupponit falsò odium Eſavi & dilectionem Jacobi ſolam *temporariam benignitatem* reſpicere; cùm Jacob abſque ullo ſuo merito, ex mera & indebita Dei dilectione, fuerit conſtitutus hæres benedictionis & promiſſionum factarum Patribus, quæ eo ipſo ſpirituales fuerunt quod fuerint de Meſſia naſcituro ex ipſis, & ſalute per eum

Digitized by Google

eum obtinenda; Eſavus verò pariliter odio fuerit habitus, adeoque ceu vas iræ ad interitum coagmentatus, ex liberrimo Dei beneplacito, etſi altero nequior aut pejor non fuerit. 2. Falſò ſupponit, odium Dei in Eſavum, ſolam ſonare negationem beneficii temporalis; cùm odium Dei ſit conſtans illius voluntas puniendi peccatorem, & illum propter ſuum peccatum exterminandi. Ac ſicut dilectio Dei, Jacobo benedictionem conciliavit non temporalem tantum, ſed etiam ſpiritualem & æternam, ſic odium Dei Eſavum ſubjecit omnimodæ maledictioni, maximè verò ſpirituali & æternæ. Et ne dicam de pœnis quæ hominem ſcortatorem & profanum, uti hic dicitur Paulo Heb. XII, 16. manſerunt poſt hanc vitam, non video quî grande graveque non fuerit illi *ſupplicium* in hac vita, quod jure ſuæ primogenituræ exciderit, & à Dei fœdere illiuſque promiſſionibus excluſiſſimus permanſerit. Nec eſt quod hîc ſe ſolicitũ præbeat Volkelius de Eſavo ſubducẽdo *ſempiterno* ſupplicio; ſiquidem Sociniani cenſent nullum tale eſſe metuendum; utpote quibus, ut Sadducæis olim, ſaltem malorum reſpectu, mors eſt ultima linea rerum, & lethum omnia finit. 3. Falſò ſupponit nos tale odium Eſavi Deo adſcribere, quod *nullo* illius *ſcelere* niteretur: Licet enim Eſavus comparatè ad Jacobum non fuerit dignior odio Dei, quam ille; ſi tamen abſolutè & in ſe conſideretur, etiam ab utero matris erat odio Dei digniſſimus, ex originaria labe in qua conceptus, fotus & natus erat; Gen. VI, 5. VIII, 21. Pſal. LI, 7. LVIII, 4. Ioh. III, 6. Rom. V, 12. 1. Cor. XV, 22. Eph. II, 3. 4. Supponit itidem falſò, quod verba illa *Eſavum odio habui*, duntaxat ſignificent eum *Iacobo minus amatum fuiſſe*. Et ſane ut noluiſſem Joh. Dallæum, dum ſtuduit patrocinari ſuæ univerſali gratiæ hanc ineptam & ſtolidam hujus dicti interpretationem adoptaſſe, *Apol. ſuæ* falsò inſcriptæ *pro Synodis, pag.* 368. ita nihil poſſit dici inſipidius, vel magis alienum ab uſu Scripturæ. Videantur modò quæ Crellius ipſe *lib. 1. harum Inſt. Volkelian. cap.* 30. diſſerit de Dei odio, & illa ſufficient iis refutandis quæ hîc à Volkelio ingeruntur: Ibi autem dicitur *Amori directè* opponi *odium*, odiſſe Dei eſſe ipſius averſari & abominari, nihil eum *per ſe* abominari *præter peccatum* & *propter peccatum ipſos peccati authores*: & varia loca Scripturæ citantur ad illud Dei odium ſpectantia, in quorum nullo, odium pro amore diminuto ſumitur. Et quâ ratione fingitur odiſſe Dei eſſe minus amare, poſſet viciſſim ſtatui ipſius amare eſſe minus odiſſe. Nec dubium quin eodem ſenſu Deus dicatur odiſſe Eſavum & dilexiſſe Iacobum, quo dicitur dilexiſſe juſtitiam & odiſſe improbitatem, Pſal. XLV, 8. Iam autem is meritò relegaretur ad Anticyras qui odium improbitatis in Deo interpretaretur amorem diminutum. Et ſanè odium quod tribuitur Deo ἀνθρωποπαθῶς, ſed θεοπρεπῶς debet intelligi, complectitur rei exoſæ abominationem, ac ſonat ut averſionem peccati in Deo, ita conſtantem de illo puniendo, & exoſo propter illud peccatore ſeverè plectendo, voluntatem: Quo ſenſu dicitur odiſſe omnes operantes iniquitatem Pſal. V, 7. & anima ejus odiſſe impium ac diligentem iniquitatem Pſal. XI, 5. & nullus mihi unquam dabitur locus Scripturæ, in quo odium Dei minorem tantum ſonet dilectionem, non verò illam abominationem & averſionem quâ Deus ex natura ſua & neceſſariò fertur in peccatum: Nec enim unquam odiſſe legitur perſonas niſi ſub intuitu peccati; peccatum verò odit abſolutè & odio naturali, illudque non poteſt non penitùs averſari. Fruſtra verò conatur Volkelius ſuam παρ[illegible]ιαν adſtruere ex *ſimilibus locis*, nempe Luc. XIV, 26. & Matt. X, 37. Nam 1. neutro horum

horum locorum agitur de Deo vel Dei odio, ſed de odio humano; quare hæc loca ſimilia dici non poſſunt: 2. Luc. XIV, 26. odium non ſumitur affectivè, quomodo Deus dicitur Eſavum odio habuiſſe; nuſquam enim Chriſtus præcepit ἀϛοργίαν aut animi alienationem ab iis quos ex lege Dei & naturæ colere & amare tenemur; Sed ubi vult propter ſe odio haberi parentes, liberos, uxorem, fratres, ſorores, ſemetipſum, odium ſumit per metonymiam effectus pro eorum neglectu & contemptu, ei haud abſimili quē præ nobis ferimus illorum quos odimus; quo nempe caſu nos abducerent quocunque modo à cruce, fide & obedientia Domini. Itaque parentes & liberos odiſſe propter Chriſtum, eſt duntaxat eos Chriſto poſt habere, adeoque juxta locum alterum Matt. x, 27. minus illos quam Chriſtum diligere. At non ſolum Eſavus eſt poſthabitus Jacobo, & præ illo neglectus; ſed revera Deus illum eſt averſatus, ex peccati, in quo conceptus & natus erat, intuitu, eumque mulctavit primogeniturâ & benedictione, ac ſibi relictum, à fœderis ſui communione ſecluſit. Quod ſi dixeris odium Dei abſolutè ſumptum niti peccato creaturæ, Eſavum autem nihil dum feciſſe boni vel mali, cùm Deus illum odio habuiſſe dicitur, facilis erit reſponſio; eum quidem nihil dum feciſſe mali actualis, ex cujus intuitu dignior fuerit iſto odio quam Jacobus, ſed tamen, ut jam ante inſinuavi, fuiſſe originaliter peccatorem, & ex illa nativa corruptione digniſſimum quem Deus averſaretur & haberet odio; prout Jacob in eadem maſſa corruptionis nihil habebat ex cujus intuitu præferretur Eſavo; quò totam illam Dei dilectionem, ſoli liberrimo & indebito ejus favori adſcriberet: Igitur nec habuit Eſavus quod quereretur de odio, cujus dignus erat; nec Jacobus quod gloriaretur de amore, cujus in ſe erat quoque indignus: Nec dubiū quin hoc odium, ut ex peccato Eſavi ortum, ad ipſius quoque pœnam per juſtam reprobationem ordinaretur.

At, inquies, cum Paulum hoc in loco de electione atque reprobatione, ſempiternæ ſalutis reſpectu, diſputare palàm ſit, conſequens omnino eſt, ut hujus rei typus ſaltem, ſive adumbratio quædam hoc exemplo contineatur, niſi Paulum fruſtrà hac exceptione uſum eſſe volumus. Nos verò & de electione reprobationeque Paulum verba facere, & Eſavum cum Jacobo, utriuſque typum quendam fuiſſe, libentiſſimè confitemur: verùm inde ea, quæ colliguntur, effici planè negamus. Cum enim Pauli verba, de utroque nondum nato, deque nullo ab illis nec bono, nec malo opere facto, ita queant accipi, ut non niſi ad tacitam objectionem diluendam ſpectent; parumnè liquet, inde concludi non poſſe, in hoc Eſavum cum Jacobo ſempiternæ beatitatis exitiique rationem adumbrâſſe, quòd nullo operum reſpectu huic ille prælatus fuit: ſed in illo, quod ſibi Apoſtolus confirmandum propoſuerat; quatenus nimirum Deus in Iacobo eligendo, Eſavo verò poſthabendo, non carnalem ſecutus eſt naſcendi rationem, ſed voluntatis ſuæ arbitrium. Hac enim ratione ſalutem noſtram Chriſti operâ illum moderari compertiſſimum eſt, dum nimirum in nobis ad ſupremam felicitatem perducendis, nequ[illegible]uam

 [illegible]uibus

quibus quis ſecundùm carnis conditionem parentibus natus ſit, conſiderat, ſed an ea ratione ex Abrahamo principium ducat, quæ cum ipſius voluntate maximè congruit, nimirum per fidem Chriſto adjunctam.

‡ *At inquies, cùm*] Benè eſt quod ultrò id fatetur Volkelius, quod hic urgemus; Hoc enim quid aliud eſt quam ipſam fateri prædeſtinationem quam tuemur, & quæ *electione* ac *reprobatione* conſtat?

Cùm enim Pauli verba] Sanè ſi hæc ad *electionis & reprobationis typum* ſaltem ſpectant, (quamquam nos pertendimus, etiam in his gemellis exemplum utriuſque certò proſtare) non tam *ad tacitam* quam ſibi imaginantur Sociniani, *objectionem diluendam*, ſpectare poſſunt, quam ad doctrinam ipſam Pauli, hoc ſive exemplo, ſive typo, illuſtrandā & comprobandam: Et diſertè monet Paulus nihil fuiſſe iſtiuſmodi diſcriminis, ex cujus intuitu, vel Jacob præferri vel Eſavus poſtponi debuerit: cùm nec ille Eſavum ullâ virtute vel morali vel Theologicâ præcelleret, neque hic iſtum ullo perſonali vitio: Sed ambo in maſſa communi corruptionis jacerent, ex qua ille fuit electus per dilectionem mērè gratuitam, hic in illa relictus per juſtiſſimum odium. Et ſi Iacob ex mero voluntatis Divinæ arbitrio fuit *prælatus* Eſavo, ut fatetur adverſarius, id non potuit fieri ex ullo *operum reſpectu*, quibus eum præcelluerit: ut è contrario ſi hæc prælatio Iacobi ejus fide & ſpirituali prognatione *ex Abrahamo* nixa fuiſſet, utique nō fuiſſent in pari ſtatu & conditione conſiderati, quando alter aſſumptus, alter rejectus eſt. Nec eſt mēs Apoſtoli docere quod ex fide in Chriſtum, quâ Abrahami ſumus filii, eligamur ad ſalutem; ſed oſtendere è contrario nos fieri fideles & ſemen ſpirituale Abrahami, ex indebita illius gratia & electione gratuita: cùm totum hoc diſcrimen inter filios ſpirituales & carnales faciat liberrima Dei prædeſtinatio, cujus ſpecimen luculentum fuit editum in Iacobo & Eſavo, priuſquam feciſſent quicquam boni vel mali, ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις μένῃ.

Sed jam concedamus, verba illa, *cum nondum nati eſſent, aut aliquid boni malive egiſſent*, non tantùm ab objectionem tacitam diluendam, ſed ad quippiam à theſi ſuperiùs poſita diverſum comprobandum, ab Apoſtolo fuiſſe prolata, ac porrò ea etiam in re Eſavum & Iacobum exitii ac ſalutis noſtræ rationem adumbrâſſe: non ſequeretur tamen, de ſingulis hominibus nominatim, antequam naſcerentur, & quippiam boni malive agerent, conſtitutum
532. fuiſſe, hos quidem in æternum ſervandos, illos autem perdendos eſſe, nedum immutabiliter, ac ſine ulla in poſterum conditione. Etenim Eſavus & Jacobus non gerunt imaginem ſingulorum hominum, ſeu inviduorum aliquorum, præſertim ſimpliciter, & abſque certis qualitatibus, quarum Deus in ſalute aut exitio eorum decernendo rationem habeat, conſideratorum; ſed typum exhibent duorum populorum, atque, ut ita dicam, nationum, Eſavus quidem hominum infidelium, quà tales ſunt, atqte inprimis Iudæorum, de carnali præ gentibus prærogativa glorianttium, & operibus ſuis fidentium; Iacobus autem fidelium, ut ut ſecundùm carnem viliorum, (plerique enim

ex

ex Gentibus extraneis erant orti) & , ſi præcedentem eorum vitam ſpectes, Iudæis de juſtitiæ operùmve bonorum laude non parum concedentium. Sic Iſaacus univerſam Chriſtianorum, ſeu ſpiritualium Abrahami filiorum typum geſſit: Iſmaël Iudæorum, qui ſecundùm carnem tantùm Abrahami erant filii: id quod paulò antè hoc cap. indicarât Paulus, (*Rom.* 9. 7, 8, 9.) ſed clariſſimè explicuit in Epiſt. ad Gal. cap. 4. (*Gal.* 4. 22. *& d. inprimis v.* 28. *ſeqq.*)

Sed jam concedamus] Id non conceſſioni Volkelianæ debemus, ſed extorſioni quæ fit vi & fidiculis Veritatis. Id enim eſt in propatulo.

Non ſequetur tamen] Quidni de ſingulis, vel exoſis ac reprobatis juſto judicio, vel electis & dilectis ex indebita gratia, idem quod de his duobus ſtatuetur?

Etenim Eſavus] Verùm neque ſic hæreticus elabetur. Nam cùm *ſingulorum hominum* alii ſint hæredes benedictionis & gratiæ, alii ſubſint maledictioni ac ſervituti ſpirituali, hoc diſcrimen debet facere, ut in iſtis gemellis duobus, ſolum Dei propoſitum, quod eſt ſecundum electionem. Et cùm iſti duo fuerint conſiderati in hoc perpoſito, *ſimpliciter & abſque certis qualitatibus*, ex quibus alter altero vel dignior, vel indignior cenſeretur, (aliàs fatemur, eos in maſſa peccati jacuiſſe, & hoc reſpectu peſſimè qualificatos fuiſſe) non eſt cur de cœteris omnibus aliud cogitemus.

Sed typum exhibent] Etiam per nos licebit Volkelio hos dicere typum *duorum populorum*, electorum ſcilicet & reproborum: non tamen in ſenſu formali infidelium & fidelium, quà jam talium; ſed ad ſummum *quà tales* exstiturorum, conſequenter ad eorum reſpectivè electionem & reprobationem. Etenim, nondum erat Iacob fidelis, vel Eſavus infidelis, imo neuter quicquam adhuc fecerat boni vel mali, cùm Deus dilexit Iacobum & Eſavum odio habuit; ideſt illum elegit, hunc præteriit & reprobavit; unde factum quod ille ſuo tempore ad fœdus & fidem eſt aſſumptus, hic verò fuit excluſus à fœdere, mulctatus ſuâ primogeniturâ, & relictus in ſua nativa corruptione, ad quam incredulitas ultrò ſequitur.

Sic Iſaacus] Verùm tota hujus typi ratio in diverſitate morum & actuum, venit conſideranda conſequenter ad Dei liberrimam prædeſtinationem: Iſaacus ſatus aliàs eodem patre quo Iſmael, ad Dei fœdus, promiſſiones & gratiam, fuit deſtinatus & liberaliter aſſumptus, ex indebita dilectione, & antequam naſceretur; Iſmael juxta liberrimum itidem Dei propoſitum ab iſtis beneficiis excluſus. Quanquam hìc confundat Volkelius duo loca planè diverſa: Nam Rom. IX, 7. 8. 9. proponuntur Iſaac & Iſmael in exemplum & typum prædeſtinationis æternæ, & ex parte Dei omninò liberrimæ; ſiquidem cum hoc utroque confert ibi Apoſtolus Iacobum & Eſavum, & quod de illis jam Oraculo Dei ſancitum fuerat cùm nihil dum boni feciſſent vel mali, cujus intuitu debuerit Deus alterum præferre alterũ poſt ponere. Sed Gal. IV, 22. & ſeqq. proponuntur allegoricè in typum duplicis fœderis, Legalis & Euangelici: Et quod dicimur com. 28. filii promiſſionis ſicut Iſaac, id etiam in merum Dei beneplacitum omninò rejici debet, cùm naturâ filii iræ eſſemus Eph. II, 3. adde 1. Cor. IV, 7.

Ita autem rem ſe habere, facilè animadvertere quivis ex eo poteſt, quòd in

Digitized by Google

verbis illis, *major ſerviet minori*, itemque iſtis, *Jacobum dilexi, Eſavum verò odio habui*, non ipſæ Eſavi & Iacobi perſonæ, ſed eorum poſteri, Idumæi nimirum & Iſraëlitæ intelligantur, ſeu mavis, Eſavus & Iacobus ratione poſterorum, qui ex ipſis eſſent orituri. Indicat id partim res ipſa, partim ea ſcripturæ loca, unde verba illa citantur. Nam quod ad rem ipſam attinet, Eſavus ipſe nunquam Jacobo fratri ſuo ſervivit, imò hic illum tanquam potentiorem aliquando metuere, & coram eo ſe demittere, eumque muneribus placare coactus eſt, & dominum ſuum appellavit: (*Gen.* 32. 17. *& d.* 33. 1. *& d.*) ſed Idumæi poſteri Eſavi, ſervierunt Iſraëlitis tempore Davidis & Salomonis, (2. *Sam.* 8. 14.) ſervituri etiam diutius, niſi ſe Salomon falſorum Deorum cultu contaminaſſet. (1. *Reg.* 11. 14. *& d.*)

† *Ita autem rem ſe habere*] Sed primò etſi illud, *Major ſerviet minori*, non ſpectaret ad perſonas Eſavi & Jacobi, ſed demum ad eorum poſteros, inde tamen non ſequeretur id non pependiſſe ex perſonali eorum, vel amore, vel odio. Deinde falſum eſt id non ſpectare ullo modo perſonas eorum. Nam revera Eſavus perſonaliter ſervivit Iacobo, ſaltem de jure, cùm primogeniturâ, quæ dominium aliquod ſecum trahebat in reliquam familiam, iſti ceſſit; unde etiam ipſe Eſavus ſe bis à Iacobo, ceu potentiori, devictum & ſupplantatum lamentabatur Gen. XXVII, 36.

Eſavus ipſe nunquam] Id falſum eſſe modò viſum; neque hæc ſervitus inſuper fuit tam de corporali intelligenda, quam de ſpirituali, juxta quam Eſavus ceu reprobus, impius & profanus, omninò fuit inferior, adeoque ſuo ſenſu ſubditus Iacobo, electo, Dei dilecto, pio & fideli. Talium enim omnia eſſe dicit Apoſtolus 1. Cor. III, 21. 22. Nec deſinebat eſſe Iacobus de jure dominus Eſavi, ex titulo ſuæ primogenituræ & benedictionis paternæ, maximè in ſenſu ſpirituali; in cujus rei τεκμήριον, Iacobus prævaluit in illa lucta quæ deſcribitur Gen. XXXII, 28. licet juxta carnem eum metuere, & illum ſibi conciliare ſtuderet, Gen. XXXII, 17. & XXXIII, 1. & ſeqq. Non deſinebat Iſaac eſſe de jure omni dominus Iſmaelis, etſi qui natus erat ex ancilla de facto perſequeretur illum qui natus erat ex libera Gal. IV, 29.

Sed Idumæi poſteri] Poſitio unius non eſt negatio alterius: Etſi ad perbreve tempus Idumæi fuerint carnaliter ſubjecti Iſraelitis, etiam conſequenter ad Oraculum Rebeccæ factum, id non impedit quominus ſpiritualiter ipſe Eſavus profanus, licet natu major; perſonaliter multis paraſangis inferior fuerit Iacobo & ei de jure ſubditus.

Quòd verò ad ſcripturæ loca attinet, unde verba illa deprompſit Apoſtolus, ita loquitur Deus, oraculum Rebeccæ reddens: (*Gen.* 25, 23.) *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex utero tuo dividentur, populuſque populum ſuperabit, & major ſerviet minori.* Ubi vides manifeſtè, de populi unius ſupra alterum dominio agi. In loco autem Malachiæ, (*Mal.* 1. 2. *& d.*) ad hoc ipſum oraculum, & quæ ejus vi conſequuta ſunt, reſpicitur; nec alium in finem verba iſta de amore

Digitized by Google

amore erga Jacobum, odio verò in Eſavum, proferuntur, quàm ut oſtendatur, Deum Iſraëlitas magis, quam Idumæos dilexiſſe, quemadmodum unicuique locum inſpicienti patebit.

‡ *Quod verò ad*] Agitur quidem de *populi unius ſupra alterum dominio* Gen. xxv, 23. Sed ut in eorum altero electi, in altero reprobi ſignificantur, ſic hæc unius in alterum prælatio pependit ex liberrima Dei prædeſtinatione, quæ ſe exeruit in Iacobi electione ex indebita Dei gratia, & Eſavi odio ex debita juſtitia; eò enim conſcendit Propheta Mal. 1, 2. tanti diſcriminis inter horum poſteros cauſam indagaturus. Odium verò hoc eſſe abſolutum, non merè comparativum, antea demonſtravimus; Aliàs æque dici poſſet Deum paullò minus odiſſe Iacobum quam Eſavum, ac fingeretur eum paullo minus Eſavum amaſſe quam Iacobum.

Quare ex eo Dei decreto, quod de Eſavo & Iacobo factum eſt, colligi non
debet, de ſingulis hominibus nominatim, antequam naſcerentur, & quicquam
ſive boni ſive mali patrarent, præſertim immutabiliter, ‡ ac ſine ulla condi- 533.
tione decretum eſſe, eos aut ſalvos fore, aut æternùm perituros: ſed tantùm
concludendum eſt, de tota fidelium natione, ſeu ſpirituali Abrahami poſteritate generatim conſiderata, longè antè à Deo conſtitutum eſſe, eos juſtificationem ac felicitatem ſempiternam aſſequuturos: de infidelium autem natione decretum eſſe, eos æternum perituros; in eoque decreto nullam fuiſſe habitam rationem, vel carnalis propagationis, vel operum, quo alii alios antecelluerint.

‡ *Quare ex eo*] Imò verò cùm hoc Dei decretum *de Eſavo & Iacobo factum ſit antequam naſcerentur & quicquam ſive boni ſive mali feciſſent*, nulla ratio ſubeſt cur idem *de ſingulis hominibus nominatim* non ſtatuatur; ut dicatur Deus ab æterno alios dilexiſſe, & ex gratuita dilectione elegiſſe ad ſalutem, alios verò peccatores in Adamo, odiſſe & abdicaſſe: Nec potuit aliter id fieri quam *immutabiliter ac ſine ulla conditione* dubia & incerta; cùm & decreta Dei conditionata ſuo loco refutaverimus, *lib.* 1. *cap* 32. & ipſa Dei natura conſtans & immutabilis hanc ſuorum decretorum conſtantiam & immutabilitatem importet; juxta quam, quod ei ſemel placuit poſtea diſplicere non poteſt; eò magis quòd nihil ei poſſit novi & inopinati ac non ante perſpecti evenire, unde debeat ſumere conſilium in arena, & rationes ſuas aliter quàm antea ſubducere. Quæ autem hîc de *tota fidelium natione*, & de *infidelium natione* altera, philoſophatur Volkelius, ſunt abſurda multifariàm: 1. Quia utramque nationem opponit ſingulis hominibus: cùm tamen ex ſingulis nominatim hominibus hæ duæ nationes diſtinctæ colligi & coaleſcere intelligantur ac debeant. 2. Quia ſupponit Deum duo feciſſe decreta de utraque hac natione in communi & in idea, cùm neſciverit quinam nominatim ad utramque eſſent ſpectaturi: quod Deo non uno modo contumelioſum & injurioſum eſt. 3. Quia illa tota fidelium natio, talis nequit eſſe, niſi ex ſpeciali & indebito Dei beneficio; eo quod fides non ſit omnium 2. Theſſ. 3. 2.

ſed

ſed ſingulare & gratuitum Dei donum Eph. II, 8. quod ſolis electis obtingit Act. XIII, 48. Tit. I, I. Concipiamus ergo totum genus humanum, ut ſuis certis & definitis nominatim individuis conſtat, diſtributum in has duas nationes, quarum alia ſit fidelium & ſervandorum, alia infidelium & damnandorum; ſanè quod illa facta ſit fidelium natio, indebitæ Dei gratiæ adſcribendum eſt ab iis omnibus qui fidem in Chriſtum Dei beneficiis & donis gratuitis nolent ſubducere; Quod verò hæc evaſerit natio infidelium, juſtæ Dei averſioni & deſertioni eſt tribuendum; ut in illa Iacobum dilexiſſe Deus ſit ſtatuendus, in hac verò Eſavum odio habuiſſe: Et non capio qui dicat Volkelius in *decreto* illo de *tota fidelium natione* ſervanda, & *infidelium* damnanda, *nullam* ex ſua hypotheſi *habitam eſſe rationem, vel carnalis propagationis, vel operum quo* (forte *quibus*) *alii alios antecelluerint.* Nam ſanè in illa fidelium natione ſervanda, habetur ratio fidei & operũ quibus antecellunt infideles: Sed ejus decreti ex quo iſti nominatim facti ſunt fideles, illi verò in ſua infidelitate relicti, nulla ratio reddi poteſt extra liberrimum Dei beneplacitum, juxta quod Iacobum dilexit & Eſavum odio habuit.

Interim tamen per hoc Dei decretum unicuique licet, poſtquam ei Euangelium annunciatum eſt, fidelium, vel infidelium nationi ſe aggregare, & ſic juſtificationem aſſequi, vel non aſſequi. Neque enim in hoc capite id quæritur, cur hi credant, illi non item; id quod perinde fuiſſet, ac ſi (ut in exemplis ab ipſo Apoſtolo allatis perſiſtamus) quæſiſſet, cur hic Iſaacus fuerit, ille Iſmaël: aut cur hic Jacobus, ille verò Eſavus; cùm quærendum eſſet, cur Iſaacus & Iacobus electi, Iſmael & Eſavus præ illis repudiati à Deo fuerint: Sed id quæritur, cur ii, qui non credunt, ac nominatim Iudæi, juſtificationem non aſſequantur, imò etiam indurentur, & ad grave ſupplicium, quo Dei potentia illuſtretur, aſſerventur, etiamſi ex Abrahamo & Iſraële ſecundùm carnem ſint nati, ac præterea bonorum operum ſtudio antecelluerint aliquando eos, qui fidem ſunt amplexi: contrà autem fideles, ac nominatim Gentes, ex quibus ii magnam partem conſtabant, juſtificentur, etiamſi nec ex Patriarchis illis ſecundùm carnem ſint propagati, nec juſtitiæ aliquando ſtuduerint.

I *Interim tamen*] Sed ita ſupponitur illud decretum eſſe non de ſingulis conſtituentibus totam fidelium vel infidelium nationem; ſed de utraque natione in idea & in ſigno rationis, antequam ullus ſit fidelis, vel infidelis: quod planè abſonum: cùm nequeat decerni juſtificatio & ſalus toti fidelium nationi, quin fideles jã eſſe intelligantur: Et quando dicit hæreticus per *hoc Dei decretum*, quale fingit, *unicuique licere fidelium vel infidelium nationi ſe aggregare*, non ſolum falsò & abſurdè ſuſpendit fidem cujuſque ex ſuo arbitrio, ſed hoc inſuper inſinuat alienum à ratione, quod nonobſtante Dei decreto de fidelium tota natione ſervanda, infidelium damnanda, potuiſſet tamen evenire ut nulla daretur natio vel fidelium quæ ſervaretur, vel infidelium, quæ in æternum damnaretur.

Neque enim in hoc] Imò verò id omninò quæritur: cùm quæratur, qui fiat

quod alii promiſſionum fœderis ſint conſortes ex fide, alii verò occalleant & inde excludantur. Et longè aliud eſt quærere *cur hic Iſaacus fuerit ille Iſmael, aut cur hic Iacobus ille verò Eſavus*, quam quærere cur Iacobus & Iſaacus crediderint, Eſau & Iſmael non: Et dum fatetur adverſarius revera hìc quærendum fuiſſe *cur Iſaacus & Iacobus electi, Iſmael & Eſavus præ illis repudiati à Deo fuerint*, ad nos redit invitus; quia hoc ipſum quærere, eſt inquirere quî factum quod Iſaacus & Iacobus ad fidem ſint electi, & eâ in tempore donati, alii non: quod totum in liberrimam Dei electionem rejicit Apoſtolus.

Sed id quæritur] Igitur juxta Volkelium, non *id quæritur*, quod modò eſſe *quærendum* ſtatuebat: quod abſurdum eſt. Et τὸ κείμενον hìc conſtituit, non amplius de perſonis, quibus ſalus obtingit vel non; de quibus tamen ſolis agit Apoſtolus; ſed potiùs de conditionibus à Deo poſitis ad ſalutem obtinendam; Quaſi velit probare Apoſtolus non per *opera* quemquam eſſe ſervandum, ſed per *fidem*; licet hanc theſim ſatis ſuperque antea diſcuſſerit. At tota ſeries ſermonis Apoſtolici oſtendit aliò ipſum ſpectare, nec inquirere quî fiat quod ſerventur Gentiles fideles, pereant Iudæi increduli, licet ex poſteritate Abrahæ, *& bonorum operum ſtudio antecelluerint aliquando eos qui fidem ſunt amplexi*; ſed quî fiat quod illi fide donentur ad ſalutē, iſti quibus τὰ πρωτεῖα juxta carnem competere videbantur, à fide & ſalute excludantur. Id verò refundit in Dei electionem: Nec tribuitur tamen Iudæis juxta carnem quod ſomniat Volkelius, illos *bonorum operum ſtudio* cœteris antecelluiſſe; imò hoc faceret contra mentem Apoſtoli in Iacobo & Eſavo, de quibus antequam quicquam boni vel mali feciſſent dictum fuerat majorem ſerviturum minori.

Patet res ſatis clarè vel ex concluſione totius illius diſputationis, quæ habetur verſic. 30. & ſeqq. ubi ita ait Apoſtolus: *Quid ergo dicemus? quod Gentes, quæ non perſequebantur juſtitiam, aſſequutæ ſint juſtitiam, juſtitiam autem eam quæ eſt ex fide. Iſrael autem perſequens legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non pervenerit. Cur? quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis.* Ubi non quæritur, cur Gentes crediderint, Judæi non crediderint: ſed cur illæ juſtificationem fuerint aſſequutæ, hæ non item; nec reſpondetur, quia Gentes illæ ad ſalutem æternam nominatim atque immutabiliter fuerint prædeſtinatæ à Deo, Judæi verò prædeſtinati ad eam rem non fuerint, quemadmodum adverſariorum de hoc capite ſententia poſtularet: ſed quia illæ crediderunt, hi non crediderunt. In tota autem hac diſputatione pro conceſſo ſumitur, id quod tribus primis hujus epiſtolæ capitibus abundè probatum eſt, neminem eſſe, qui operibus ſuis juſtificationem mereatur, quique nihil unquam peccaverit. Inde enim ſequitur, Deum pro ſuo arbitrio, tanquam Dominum abſolutum, jure conſtituere potuiſſe, ut credentes tantum juſtificentur, non 534.
credentes autem, qualeſcunque alioqui ſint, damnentur, ac indurentur, relictâ interim eâ unicuique libertate, ut vel huic, vel illi hominum generi ſeſe aggreget; præſertim tunc, cum primùm ei Euangelium annunciatur,

Rrr ipſeque

Digitized by Google

ipſeque nondum contumaciâ ſuâ commeritus eſt, ut à Deo aliqua ratione induretur, atque ad ſupplicium aſſervetur.

† *Patet res ſatis*] Quaſi verò quærere *cur Gentes juſtificationem* ex fide *ſint aſſequutæ,* Judæi non, non ſit idem ac quærere qui factũ quod *gentes crediderint, Iudæi non crediderint.* Nam ita comparatum eſt cum juſtitia fidei, ſive juſtificatione unica & vera coram Deo, quæ eſt ex fide non ex operibus legis, ut nec illa ſine fide, nec fides ſine illa haberi queat: neque adeò poſſit quæri cur huic vel illi obtingat juſtificatio ex fide potius quam iſti, quin unà quæratur, cur hic vel ille potius quam iſte crediderit. Et totum hoc diſcrimen inter Gentes credentes & juſtitiam fidei obtinentes ac Judæos incredulos ac ſectantes operum juſtitiam, arceſſitur, juxta Apoſtolum, à liberrimo Dei amore & juſto odio, ideſt revera ab ipſius æterna prædeſtinatione.

In tota autem] Quid tum? Hoc ita ſupponitur, ut ſimul quæratur & definiatur ab Apoſtolo, qui fit quod cùm una ſit ratio juſtitiæ & ſalutis conſequendæ, nempe fides in Chriſtum, nemoque poſſit juſtificari ex ſuis operibus, ut ante probatum, non omnes juſtitiam fidei conſequantur; Docet id oriri ex liberrima Dei prædeſtinatione quâ fit ut illi ſolum juſtificentur ex fide quos Deus ex ſpeciali & ſingulari amore, prædeſtinavit ad gloriam: Nam quod inſinuaverat breviùs Rom. VIII, 29. 30. exponit dilucidiùs & fuſiùs toto hoc capite.

Inde enim ſequitur] Imò *inde ſequitur,* & hoc intendebat Apoſtolus, quod cùm nemo ex operibus legis juſtificari poſſit ac ſubduci maledictioni æternæ, opus nobis ſit redemptione quæ eſt in Chriſto Jeſu, per fidem admittendâ; quam fidem iſti demum conſequuntur cœlitùs qui ſunt ordinati ad vitam æternam. Nec fides eſt conſtituta à Deo in conditionem ſalutis illius quæ eſt in Chriſto, obtinendæ, *pro* mero *ſuo arbitrio* & quatenus eſt *Dominus abſolutus*; Sed eo quod ſalus per modum promiſſionis gratuitæ nobis oblata, revera nequeat aliter percipi, quam ſi fides debita verbis promittentis adhibeatur. Et quam ea ratio ſalutis quæ obtinet in Euangelio non procedat ex mero Dei dominio abſoluto, duo evidenter demonſtrant; Primum eſt quod hæc ſalus promiſſa & fide acceptanda, fundetur in Chriſti ſanguine & ſatisfactione pro nobis: quo reſpectu etiam procedit ſuo modo ex Dei juſtitia Rom. III, 24. 24. 26. Alterum eſt quod ſi hic actus eſſet meri dominii, potuiſſet Deus non adjicere conditionem pœnitentiæ, quæ fidei individua comes eſt: Atqui non licuiſſe Deo per ſuam juſtitiam, impœnitentes ad regnum cœlorum admittere, fatentur Sociniani: Quod ſi ergo pœnitentia requiritur ad ſalutem non ex mero Dei dominio, aliàs poſſet etiam conferri ſalus impœnitentibus, ſi ita Deo libuiſſet, ſed ex ipſius intrinſeca rectitudine & ſanctitate, non eſt quod ex mero illius dominio arceſſatur conditio fidei; ſiquidem abſque fide nulla poteſt eſſe reſipiſcentia, quæ tamen eſt conditio ad ſalutem non meri arbitrii, ſed etiam ex parte Dei abſolutæ neceſſitatis.

Relictâ interim] Certum quidem eſt proponi indiſcriminatim in Dei Verbo ſalutem credentibus, damnationem incredulis; Sed cùm fides ipſa non ſit omnium 2. Theſſ. III, 2. neque ex nobis Eph. II, 8. aut noſtrarum virium, non ſimpliciter relinquitur unicuique hæc libertas, *ut vel huic vel illi hominum generi ſe aggreget*, futurus faber ſuæ fortunæ; ac ſi Deus interea penderet animi & expectaret incertus quo nam ſinguli hac in parte eſſent ſe determinaturi Verùm prout novit ab æterno qui ſui ſint, ſic

illis

illis confert ex amore indebito fidem & pœnitentiã in tempore; quâ juſtè denegatâ reprobis, illi ex ſua propria militia animum obfirmant, & ſibi theſauriſant iram in diem iræ, ut loquitur Apoſtolus.

Præſertim tunc] Hæc ipſa limitatio evertit dogma craſſorum iſtorum Pelagianorum: juxta quos hæc libertas credendi Euangelio, in iis ſaltem non eſt admittendâ qui *contumaciâ ſuâ* commeriti ſunt ut à Deo indurentur atque ad ſupplicium aſſeruentur.

Præterea & hoc objiciunt adverſarii, Chriſtum nimirum affirmare, quibuſdam hominibus regnum Patris ſui à mundi conſtitutione paratum fuiſſe, (*Mat.* 25, 34.) idque ad prædeſtinationis, qua de agitur, conſtitutionem plurimum valere aſſerunt. At quomodo ex eo loco elici poteſt ejuſmodi Dei decretum, quo certis quibuſdam hominibus nominatim regnum cœleſte, nulla habita ratione operum ab ipſis præſtandorum, deſtinarit? An non clariſſimè patet, Chriſtum eo in loco iſtius ſuæ aſſertionis hanc afferre cauſam, quòd nimirum ſibi eſurienti, ſitienti, peregrinanti, nudo, ægrotanti denique atque captivo, opem atque auxilium tuliſſent? ut facilè appareat, nihil aliud eum aſſerere, quàm omnibus, qui hæc ſimiliaque in illum, h. e. in ipſius fideles, conferunt beneficia, regnum illud deſtinatum eſſe; & porrò, quia illi juſti, quos eo pacto alloquuturus dicitur, iſta præſtiterint, ideo illis regni illius hæreditatem à condito mundo eſſe paratam. Cum verò omnibus hanc Chriſto beneficentiam præſtare liberum ſit; nonne apertiſſimum eſt, nequaquam tunc nominatim de unoquoque, ſed potiùs generatim de omnibus, qui tales ſeſe præbuerint, divinum iſtud decretum factum eſſe?

1. *Præterea & hoc*] Plurimum quoque valet hoc argumentum ex Matt. XXV, 34. Nec enim Chriſtus arceſſit hanc præparationem à bonis operibus, ſed è contrario non obſcurè innuit bona opera ex illa præparatione fluxiſſe. Captioſũ verò eſt quod urget Volkelius, *regnum cœleſte*, de quo hîc agitur, non eſſe *certis quibuſdam hominibus nominatim* decretum, *nullâ habitâ ratione operum ab ipſis præſtandorum*: Nam ipſe non audet penitus inficiari, hoc regnum paratũ fuiſſe *certis quibuſdam hominibus nominatim*, à conſtitutione mundi: Nos verò ita negamus præcurriſſe huic decreto rationem operum ab ipſis præſtandorum, adeoque illa opera fuiſſe cauſam Deum moventem & impellentem ad tale decretum, ut tamen ſtatuamus ex eodem decreto illa opera ex fide manantia, præcurſura fuiſſe & præcurrere debuiſſe, poſſeſſioni rei decretæ, nempe regni cœleſtis: Etenim ex mero ſuo beneplacito, cùm non eſſemus cœteris meliores, Deus decrevit nobis regnum cœleſte, obtinendum ex merito & fide Chriſti Redemptoris, & adeundum per bona opera; quæ *ſunt via ad regnum* licet *non cauſa regnandi*, ut à Bernardo dictum eſt. Neque id regnum fuit *deſtinatum* in genere ſive *generatim iis omnibus* qui hæc & ſimilia in Chriſtum eſſent facturi, & eo ipſo futuri *fideles*, aut ſe tales demonſtraturi, Deo neſciente determinatè, quinam *nominatim* illi futuri eſſent;

Digitized by Google

eſſent; Sed fuit ex indebita gratia iis nominatim deſtinatum & à condito mundo paratum, quos Deus elegit ad hæreditatem cœleſtem ex fide in Chriſtũ&bonorũ operũ ſtudio obtinendã & adeundã. Quod verò Hæreticus *omnibus banc beneficentiam Chriſto præſtare liberum* facit, pertinet ad alium horum Neopelagianorum errorem de libero arbitrio; de quo poſtea ſpecialibus erit agendum.

Adducitur etiam ad hunc errorem ſtabiliendum Judæ Iſcariotæ, tum ſceleſtum illud in Dominum Jeſum nefariumque factum, tum quod ex eo conſecutum fuit, exitium, ad quorum utrumque deſignatus fuerit: cum Chriſtus apud Joannem eum periiſſe dicat, ut, quod ſcriptum erat, impleretur (*Ioh.* 13. 18. 17. 12.) Reſpondemus autem primùm, hoc Judæ tum facinus, tum ſupplicium ſingulare quiddam continere, & porrò ad communem generalemque ſalutis humanæ rationem, quam in hac diſputatione perſequimur, nihil pertinere. Quia enim præter alia innumera, hoc quoque ſummæ patientiæ ſpecimen Deus in Chriſto elucere, nobiſque in exemplum proponere voluit, ut etiam à domeſticis, quos ſingularibus beneficiis affecerat, injurioſè fraudulenterque tractari ſuſtineret, (*Ioh.* 13. 18.) noſque ad idem injuriæ genus, quod acerbiſſimum eſſe ſolet, ferendum incitaremur; nequaquam mirum cuipiam videri debet, illum, hac ſingulariſſima ratione impulſum, multò antè decreviſſe, ut hoc aliquando eveniret, idque ideò in
535. Davidis perſona, cui idem contigerat, (*Pſal.* 41, 10.) adumbrâſſe. Deinde nequaquam exiſtimandum eſt, eum jam olim Judam nominatim, idque ſine ulla conditione, ad eam rem deſignâſſe: ſed potiùs generatim conſtituiſſe, ſuo tempore eum hominem ad hoc facinus deligere, qui & ſcelere ſuo eam pœnam commereretur, & porrò ad id, quod parabatur, aptiſſimus eſſet; quales quidem ſemper extituros eſſe prævidere pro ſua ſapientia facillimè potuit. Dignus autem eâ pœnâ, & ad facinus iſtud valde accommodatus fuit is, qui avarus eſſet, & ad pecuniam etiam contra fas juſque colligendam ſua ſtudia conferret. Qualis cum Judas iſte fuerit, quippe quem & furem, & (cum nulla ad hoc peccatum egeſtate incitaretur) avaritiæ deditum fuiſſe videmus, (*Ioh.* 12. 6. *Mat.* 26. 16.) parumne liquet, eum meritò ad eam rem adhibitum fuiſſe, & ſic debitas ſuo ſceleri pœnas luiſſe? Avaritiâ autem ac pecuniæ cupiditate eum ad tam horrendum facinus incitatum fuiſſe, vel ex illis ipſius verbis conſtat: *quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam.*

t *Adducitur etiam*] Quantum urgeat Adverſarios, argumentum pro reprobatione quorundam à Judâ proditore deſumptum, qui eo periit quod eſſet filius perditionis Joh. XVII, 12. idque ex prævio Dei decreto in Scripturis enunciato Joh. XIII, 18. liquet ex prima reſponſione Volkelii: juxta quam non debet hoc exemplum *ſingulare* trahi ad communitatem reproborum. Etenim licet ſingularia

gularia quædam hîc intervenerint, quæ etiã ad *patientiam* Chriſti & calamitatũ m quas pro nobis ſuſtinuit acerbitatẽ magis commendandam ac intendendam faciebant, tamen hæc ſingularia conſequebantur ejus reprobationẽ, ex qua juxta cum aliis omnibus reprobis, filius erat perditionis. Sed altera reſponſio eſt longè abſurdior; juxta quam caſu potiùs factũ eſt quam Dei conſilio quod hic Judas nominatim *ad eam rem* adhibitus fuerit, ad quam ab æterno Deus eum *nominatim* non deſignarat. Quod ſi ergo, nec ille, nec quiſquam alius, (quod ex libertate arbitrii potuiſſet evenire,) illo ipſo tempore quo opus erat, *ſcelere ſuo eam pœnam* commeritus fuiſſet, debuiſſet Deus ſuo fine excidere, & totum opus noſtræ Redemptionis per Chriſtum ſufflaminari; ut interdum ſiſtitur grandis machina bellica, ex unius paxilli defectu: Nec Deus potuit ex hypotheſi ordinaria Adverſariorum *generatim* prævidere, nedum conſtituiſſe ab æterno, *ſemper extituros* ad illam rem aptiſſimos, etſi neſciverit hunc Judam *nominatim* tum extiturum & talem futurum; Nam quâ ratione id non potuit ſpeciatim de Juda certò pernoſſe, nequivit pariliter de cœteris, in quorum arbitrio fuit, etiam omnibus poſitis ad agendum prærequiſitis, ſe horſum vel illorſum determinare: Unde quicquid pendet ex arbitrio hominis, juxta hos Doctores, pertinet etiam reſpectu Dei ad futura contingentia quorum non eſt determinata veritas: Verum enimverò cùm omnis Dei prævisio rei aliquando futuræ, fundetur in ejus decreto antecedenti vel effectivo vel permiſſivo, ex quo ejus certa & determinata futuritio pendet, certum eſt Deum ab æterno & determinatè prævidiſſe non ſolum *generatim*, ſed etiam ſpeciatim & nominatim, quinam eſſent *ſcelere ſuo eam pœnam* commerituri, & quos juſto ſuo judicio ad voluntatis ſuæ executionem per eorum ſcelera eſſet adhibiturus; quia novit diſtinctè & determinatè quo uſque decreverit reprobos ſingulos in peccato ſuo relictos, ſibi permittere, & tradere ſuis cupiditatibus ad ea patranda quę non cõveniunt Rom. 1, 24. Ac prout ab æterno ſunt illi nota omnia opera ſua Act. xv, 18. ita nominatim ab æterno decrevit ac cõſtituit quomodo opus noſtræ Redemptionis eſſet proceſſurum morte ſui Filii, & quomodo & per quos nominatim illa omnia eſſent eventura; prout conceptis verbis dicuntur Herodes & Pilatus cum Gentilibus & Judæis conſpiraſſe contra Chriſtum ad facienda *quæcunque* manus & conſilium Dei, ideſt conſilium ejus potens, prædeſtinaverant & decreverant futura Act. iv, 28. Fuit quidem Judæ avaritia cauſa quæ intus eum movit ad Chriſti proditionem; Sed nec in eam avaritiam, radicem omnium malorum, incidit, niſi Deo juſtè permittente; & ex illa permiſſione, vitioſum illum affectum ordinante in bonum finem circa paſſionem ſui Filii; prout etiam venenis utuntur Medici ad alexipharmaca conficienda, & hirudinibus ad ſanitatem procurandam ſuorum ægrorum.

Simile quiddam & illud argumentum continere, ſimilique reſponſione infringendum videtur, quo adverſarii noſtri iſtud prædeſtinationis dogma conſtituere nituntur, quòd nimirum ſingulari Dei decreto conſtitutum fuerit, ut Jeſus Nazarenus, & multis à gente Judaica malis, & tandem truculentiſſima morte afficeretur; & nihilominus ob id ipſum eadem Judæorum natio graviſſimo ſupplicio punita fuerit. Occurrimus enim primùm, & perinde iſtud ſingulare quiddam eſſe aſſerimus, ut illud, quod de Juda paulò antè

vidimus. Deinde non ita abſolutè, & abſque ulla prorſus conditione id à Deo decretum fuit, ſed quatenus prævidit, id quod vel ex perpetua ferè illius populi conſuetudine æſtimari facilè poterat, gentem eam dignam fore, quæ ad rem tam indignam perpetrandam adhiberetur, & quia illi nihilominus ſponte ſua tantum ſcelus perpetraverant, jurè tam graviter à Deo fuerunt puniti. Quanquam antequam pœna infligeretur, remiſſio tanti facinoris, ut & cæterorum omnium, parricidis illis oblata fuit, ita ut ſupplicium commeritum, ſi reſipiſcere voluiſſent, adhuc potuiſſent effugere.

‡ *Simile quiddam*] Certè quemadmodum omnes circumſtantiæ mortis Chriſti, quoad tempus, modum, perſonas ita fuerũt à Deo prædefinitæ, ut nihilominus qui eum crucifixerunt, id ultrò fecerint & in graviſſima Latiſſimaque culpa fuerint; ſic etiam dubium non eſt quin Providentia Dei æterna conſtituerit ab æterno vel effectivè vel permiſſivè de omnibus iis quæ eveniunt in tempore, citra vel læſionem arbitrii humani, vel excuſabilitatem peccantium ex illo.

Occurrimus enim] Sed quid obſtat quominus obtineat in ſingulis, quod in hoc ſingulari neceſſariò agnoſcendum?

Deinde non ita abſolutè] Niſi *abſolutè* id fuiſſet decretum, pependiſſet in incerto mortis Chriſti futuritio & noſtra per illam redemtio: Nec tamen id ita *abſolutè*, peremptoriè & infallibiliter fuit decretum, quin ſupponeret ab æterno præviam *conditionem* corruptionis & malitiæ, in quam iſti certò erant lapſuri, Deo ſic permittente occulto & juſto ſuo judicio: Etenim illam Deus *prævidit*, non στοχαστικῶς & conjecturaliter, ut vult hæreticus, ſed certò, determinatè & infallibiliter; in ſuo æterno decreto de tali corruptione permittenda, & iis ſceleſtis ſibi relinquendis, & in ea naturali perverſitate quam omnes in Adamo ſuâ culpâ contraxerant. Nihil enim Deus prævidet futurum, niſi conſequenter ad ſuum decretum. Huc facit quod Paulus obſervat dictum à Deo de Pharaone Rom. IX, 17.

Quanquam antequam] Cùm illa oblatio ex parte Dei ordinaretur ad eorum reproborum inexcuſabilitatem, & illorum culpam aggravandam, (ut eò ſpectabant Phaaronis reſpectu mandata ad illum facta, & miracula edita in Ægypto,) ex hypotheſi decreti divini, de illis puniendis & plectendis, evenire non potuit ut reſipiſcerent & ſupplicium commeritum effugerent. Ne dicam tria eſſe in quibus hic errant hæretici: Primò quod ſupponunt in arbitrio hominis peccatoris eſſe fidem, reſipiſcentiam, converſionem ad Deum; quæ è contrario ſingulari, efficaci, & indebitæ illius gratiæ debet adſcribi: Secundò quod fingunt dari in Deo decreta mutabilia, revocabilia, adeoque & in incertum pendentia; in quo Sapientiæ, Potentiæ, Conſtantiæ ac Immutabilitati divinæ, palam reluctantur: Tertiò quod confundant Dei voluntatem præcipientem cum decernente, & à Dei mandatis quibus jubent peccatores reſipiſcere ſub promiſſione veniæ, colligunt vel decreta conditionata in Deo, vel vires & facultates ſuperſtites in hominibus ad ea præſtanda quæ mandantur, abſque ullo ulteriori auxilio gratiæ: cùm tamen talia Dei mandata, quibus adjuncta eſt promiſſio remiſſionis peccatorũ & ſalutis æternæ, ſint quidem officii noſtri norma, non tamen menſura virium noſtrarum.

Agen

Digitized by Google

Secunda Claſſis.

Agendum nunc nobis eſt de illis locis, quibus hominum quorundam no-
mina in libro vitæ ſcripta eſſe legitur, præſertim cum alicubi addatur, fa-
ctum id eſſe à condirio mundo, (*Phil.* 4, 3. *Apoc.* 11, 8. 17, 8. 21, 27.) id
quod iſtam de unoquoque nominatim factam prædeſtinationem vehementer
videtur confirmare. Operæ pretium igitur eſt oſtendere, teſtimonia illa ni-
hil prorſus habere, quo iſta prædeſtinationis opinio defendi poſſit. Id autem 539.
vel ex eo apparet, quòd apud omnes rerum divinarum peritos, eoſque ipſos,
cum quibus diſputamus, in confeſſo ſit, locutiones iſtas, Regnum videli-
cet Dei cuipiam deſignatum, aliquem in vitæ libro ſcriptum eſſe, eandem
vim habere. Ut igitur, quemadmodum paulò antè demonſtratum eſt, non
nominatim unicuique, ſed generatim omnibus, qui pietatem culturi ſint,
divini regni poſſeſſio à condito mundo deſtinata eſt: quæ tum demum certis
hominibus nominatim deſtinatur, cùm ii pietatem reipſa colunt: ita nec
nominatim quiſquam à condito mundo in libro vitæ ſcriptus cenſeri debet,
ſed generatim omnes, qui ſempiternæ felicitatis viam ingreſſi, ac Chriſti
veſtigia perſequuti fuerint: poſtea demum nominatim inſcribendi, cùm
jam certi homines extiterint, qui veſtigia Chriſti ſequantur. Neque enim
nominum inſcriptorum mentio, nominatim factam deſtinationem ſtabilire
poteſt: cùm nihil ſit apertius, quàm locutionem iſtam metaphoricam eſſe,
ab iis nimirum deſumtam, qui illorum nomina in librum aliquem referunt,
de quibus quippiam cogitant atque decernunt. Cum porrò Deus omnibus,
qui Chriſto ſeſe obedientes præbent, vitam ſempiternam decreverit; rectè
eorum nomina in libro vitæ ſcripta dicuntur, etiamſi nomina eorum propria
nondum eſſent certa ac definita. Satis enim eſt, qualitatem quandam, quâ
ii omnes definirentur, fuiſſe certam, quæ in metaphorica hac loquendi ra-
tione proprio nomini reſpondet. Jam verò Chriſto parere in uniuſcujuſque
ſitum eſt arbitrio, cui Euangelium annunciatum fuerit. Quid eſt igitur,
quòd idem de ſcriptione in libro vitæ non judicemus? Adde, quòd ne tum
quidem, cum aliquis nominatim in libro vitæ ſcriptus cenſeri debet, abſ-
que ulla conditione, ac prorſus immutabiliter vitæ æternæ ſit deſtinatus,
quamdiu adhuc vivit, & nondum penitus omnique ex parte vicit. Quan-
doquidem ſatis apertè indicat divinus ſpiritus, nomen alicujus ex libro vitæ
deleri poſſe, nempe ſi à pietate diſcedat. Vide Apocal. 3. 5. 22. 19. item-
que Exod. 32. 33. & Pſal. 69. 29.

‡ *Agendum nunc novis*] Cùm hæc loca Phil. IV, 3. Apoc. XI, 8. XVII, 8. XXI, 27. quibus adde Apoc. III, 5. XIII, 1. XX, 12. 15. item Luc. X, 20. ſatis ſeipſa urgeant,

urgeant, non eſt quod in illis ſpeciatim recitandis & penſiculatiùs conſiderandis immorer.

Id autem vel ex eo] Hæc ſynonyma eſſe fateor; Sed eo ipſo debet eſſe *nominatim* deſtinata *divini regni poſſeſſio* iis quos Deus elegit, quod eorum *nomina* dicantur ſcripta in libro vitæ. Nec enim liber vitæ hoc ſenſu aliud continet quam eorum catalogum qui vitam ſunt conſequuturi. Et abſurdiſſimè fingas eos *generatim* inſcriptos *à condito mundo*, de quibus tamen Deus *nominatim* neſciverit qui & quales futuri eſſent, & quorum nihilominus *nomina* iſti libro inſcripta tam expreſſè dicuntur. Et debent iſti homines tragelaphos ſibi fingere, qui pro uno libro vitæ, cujus meminit Scriptura, duos cogitent; alium quidem ſcriptum *à condito mundo*, qui *generatim* & in maſſa complectatur *omnes qui ſempiternæ fœlicitatis viam ingreſſi, ac Chriſti veſtigia perſequuti fuerint*; ac ſi nemo talis certò & determinatè futurus fuerit, imò potuerit fieri ex hypotheſi Volkeliana, ut nemo unquam talis exiſteret: alium verò multo recentioris editionis, in quo *nominatim* ii inſcribantur poſt re nata, quibus jam lubet hanc viam ingredi, & ſequi Chriſti veſtigia.

Neque enim nominum] Quam ridiculum eſt fingere *nomina* inſcripta non *nominatim*, tam verum quidem eſt hanc *locutionem* eſſe *metaphoricam*, ſed eâ metaphorâ quæ comprobat quod volumus. Nam quicunque eorum *nomina* referunt in librum, *de quibus quippiam cogitant atque decernunt*, cogitant de illis nominatim, ceu de individuis ſignatis, non verò tanquam de individuis vagis, & in idea. Ut qui dixerit *eorum nomina rectè dici in libro vitæ ſcripta*, quorum tamen *nomina propria nondum ſint certa ac definita*, ſit revera oppoſitum in appoſito poſiturus, & quod evidenter eſt contradictorium affirmaturus. Et longè aliud eſt *qualitatem* ſpecificam ac communem aſſignare, ſub qua homines queant vitam & ſalutem conſequi, (quoniam hæc qualitatis aſſignatio, ad omnes & univerſos, nemine excepto, ſi illam adhibuerint qualitatem debuerit ſpectare,) quam nomina quorundam, cœteris ſecluſis, libro vitæ inſcribere. Hæc enim ſcriptio ad perſonas ipſas ſpectat, non ad qualitates in idea ſub quibus homines indefinitè poſſent ſalutem obtinere. Ne dicam quam ingratè & quam Pelagianè hîc ſtatuatur à Volkelio quod *Chriſto parere in uniuſcujuſque ſitum ſit arbitrio, cui Euangelium annunciatum fuerit*: Sic enim fides & obedientia non eſſet ex Deo ſed ex nobis, & fruſtra dixiſſet Apoſtolus Rom. IX, 16. non eſſe volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.

Adde quod ne tum] Nemo eſt nominatim *in libro vitæ ſcriptus*, abſque *ulla conditione* quæ præcurrat ipſi vitæ obtinendæ & adeundæ: Nam qui deſtinat ad finem deſtinat etiam ad media eò ducentia; Sed tamen nulla eſt conditio quæ ipſimet huic inſcriptioni præcurrat, & ex qua, ceu dubia & poteſtativa, ſuſpendatur. Quare dubium non eſt quin hæc inſcriptio ſit abſoluta, immutabilis & irrevocabilis: Ut Deus hic queat illud Pilati multo potiori jure uſurpare, *Quod ſcripſi ſcripſi*: Inde dicuntur electorum nomina ſcripta in cœlo Luc X, 23. Nullam ſanè liber vitæ lituram admittere poteſt, cùm id Dei ſummæ ſapientiæ repugnet, ac ſi aliquid ei ex improviſo eveniret propter quod deberet à priori ſuo conſilio reſilire; & conſtantiæ ejus adverſetur, juxta quam quod ſemel ei placuit poſtea diſplicere non poteſt. Et ſanè perabſurdè dixeris eorum nomina ſcripta ſtatui in libro vitæ ab orbe condito, imò ab æterno, quod tum demum *prorſus immutabiliter* vitæ æternæ ſint *deſtinati* poſtquam vicerunt & ſub ipſa morte ac per eam ad immortalitatem tranſierunt. Nequaquam

Digitized by Google

quaquam autem ex locis ab Adverſario citatis poteſt colligi *nomen alicujus ex libro vitæ deleri poſſe, nempe ſi à pietate diſcedat*: Nam primùm hæc conditio eſt impoſſibilis, adeoque pro nulla haberi debet: ideo enim nemo verè pius *à pietate* unquam finaliter & totaliter diſcedere poteſt, quod ejus nomen ſcriptum ſit in libro vitæ; unde dicuntur electi ſeduci non poſſe Matt. XXIV, 24. imò non poſſe peccare peccato quod eſt ad mortem 1 Joh. III, 9. eo quod cuſtodiantur virtute Dei per fidem, ad ſalutem paratam revelari præſtituto tempore 1 Pet. I, 5. ſintque dona Dei & ipſius vocatio quæ eſt ſecundum præſtitutum ἀμεταμέλητα Rom. XI, 29. Sanè Apoc. III, 4. non dicitur quiſpiam delendus è libro vitæ, ſed è contrario fideli & pio promittitur nomen ipſius nunquam inde deletum iri; quod certò & immutabiliter ſit electus ad vitam æternam. Adhæc ſicubi Deus impio minatur talem deletionem, ut Apoc. XXII, 19. ea non intelligitur poſitiva, quaſi priùs nomen ipſius libro vitæ inſcriptum fuerit, ſed merè negativa, quod nunquam in eo ſcriptum fuerit: uti liquet evidenter ex Pſ. LXIX, 29. cujus hæc ſunt verba, *Deleantur de libro vitæ & cum juſtis non conſcribantur*: ut deleri de libro vitæ, ſit ei non inſcriptum eſſe, & porrò tractari & puniri quomodo ſunt puniendi & tractandi omnes illi qui ſcripti in libro vitæ non inveniuntur, projiciendi nempe in ſtagnum *ignis* & ex ſuperna civitate excludendi Apoc. XX, 15. XXI, 27. Motus heroicus charitatis Moſaicæ Exod. XXXII, 33. huc nihil facit; tum quia ibi fit mentio, *libri* Dei in genere, non expreſſe *libri vitæ*; ut potuerit Moſes non tam ſui reprobationem & damnationem æternam exoptare pro incolumitate Iſraelitarum, quam vel ſuam mortem temporalem, vel celebritatis & famæ interitum apud poſteros; prout R. Salomon de libro Legis hunc locum interpretatur, quaſi Moſes voluerit ut è tota Lege nomen ipſius deleretur, nullaque ejus mentio & memoria extaret apud poſteros; tum potiſſimum quia id optat & vovet Moſes per exceſſum charitatis, non tanquam rem poſſibilem, ſed quam lubenti animo præferret interitui totius illius gentis, ſi per impoſſibile quiret evenire; nam & ſimile fuit votum Pauli Rom. IX, 5. Nec Deus ſuo reſponſo ad Moſem, rem adſtruit ceu poſſibilem, ſed ut Moſis votum fuerat conditionatum, ſi per impoſſibile id poſſet fieri, ita Deus reſpondet ſub eadem tacita conditione, quod ſi id fieri poſſet, tamen Moſes non foret delendus, obſtante non modò conſtantiâ ſed etiam juſtitiâ divinâ, quæ ſi quis delendus veniret, non pateretur eum deleri qui foret ut Moſes extra noxam; cùm hac pœnâ, ſi unquam veniret infligenda, demum plectendus eſſet qui foret reus gravioris contumaciæ, à qua ſuo Spiritu ſolet ſuos electos præſervare.

Tertia Claſſis.

Sed jam ad illa ſcripturæ teſtimonia veniendum eſt, quæ divinam nobis electionem ob oculos ponunt; propterea quòd iſtam prædeſtinationem haud leviter fulcire putantur. Verùm ſi rem ipſam juſtis ponderibus examines, nihil tale deprehendas. Nemo enim reipſâ à Deo electus dicitur, niſi conſenſus ipſius, aut factum aliquod, à libera ipſius voluntate profectum, acceſſerit; adeò ut electio iſta ex abſoluta ſolius Dei voluntate ac decreto non 537.
pendeat, nec ad effectum, niſi nobis ita volentibus, perducatur.

 2 *Sed jam*

1 *Sed jam ad ipſa*] Satis fuit Volkelio hoc argumentum in genere protuliſſe, nullis citatis teſtimoniis quibus illud firmatur; quod deſperaret ſe poſſe ad illa reſpondere.

Nemo enim ipſa] Id falſum eſt: Quia 1. appellatur electio gratiæ, ſive gratuita, Rom. XI, 6. At non erit gratia ullo modo, niſi gratuita fuerit omni modo: non foret autem merè gratuita, ſi ex noſtro vel conſenſu vel alio aliquo bono facto voluntario procederet. 2. Facta fuit ex mundo, id eſt cùm jaceremus in ipſa mundi corruptione Joh. XV, 19. Ergo cùm nihil boni habebamus cujus intuitu cœteris præferremur. 3. Non minùs hoc pacto cenſeremur eligere Deum noſtrâ obedientiâ, vel noſtro aſſenſu, quam eligi ab ipſo, contra quam dicit Chriſtus Johan. XV, 16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi & conſtitui vos ut abeuntes fructum feratis &c.* 4. Facta eſt electio noſtra *ante jacta mundi fundamenta*, & ab æterno Eph. 1, 4. Quare ut priuſquam eſſemus, ſic priuſquam vel *conſenſus* noſter, vel *factum aliquod à libera* noſtra *voluntate profectum*, acceſſiſſet. 5. Facta eſt *ut eſſemus Sancti & inculpati coram ipſo in charitate*, ibid. Adeoque non ex ullo actu noſtro ex quo jam ſancti vel inchoatè vel perfectè dici poſſemus. 6. Ex eodem Apoſtolo ibid. 5. electio ad ſalutem & prædeſtinatio æterna ſunt ſynonyma; Hæc autem & præcedit noſtram vocationem & fidem, omniaque noſtra bona opera Rom. VIII, 29. & procedit ex maſſa communi peccati, Rom. IX, 11. 16. 21. Imò cùm prædeſtinatio juxta Paulum *ex abſoluta ſolius Dei voluntate & decreto pendeat*, ut palam docet Apoſtolus locis citatis, idem omninò de electione æterna eſt ſtatuendum. Nec obſtat quod hæc electio æterna *ad effectum, niſi nobis ita volentibus, non perducatur.* Nam electos quidem ſuos juxta immutabile ſuum propoſitum, Deus deducit ad ſalutem æternam, non utique nolentes, ſed volentes; verùm hoc ipſum quod volunt, fluit ex illius electione Phil. II, 13. non verò illi præcurrit Rom. IX, 16.

Nam licèt ipſum Eligendi verbum per ſe non poſtulet, ut is, qui eligitur, aliquid in ſe habeat, quod in eo non reperiatur, qui non eligitur: ſacræ literæ tamen neminem Electum dicere ſolent, (de ea loquimur electione, quæ ad illius, qui eligitur, ſalutem ſpectet) niſi in eo quippiam reperiatur, quod in iis non extet, qui non eliguntur. Id verò eſt, vel aſſenſus veritati Euangelicæ adhibitus, vel præter aſſenſum pietas ad Euangelii normam exacta. Duplex enim potiſſimùm eſt electio ea, de qua loquimur: infirmior, & firmior. Illa omnibus illis tribuitur, qui Euangelio aſſentiuntur: hæc verò illis tantùm, qui vitam ex Euangelii præſcripto componunt. Et de priore quidem electione, qui omnibus iis competit, qui Euangelio aſſentiuntur Paulus in prioris Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes cap. 1. (ỳ. 4.) hunc in modum loquitur: *Scitis, fratres dilecti, veſtram à Deo electionem: quia Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed in veritate & ſpiritu ſancto.* A quibus verbis minimè diſſident ea, quæ poſterioris ad eoſdem epiſtolæ cap. 2. (ỳ. 13. 14.) hunc in modum ſcribit: *Elegit vos Deus ab initio in ſalutem, in ſanctifi-*

in ſanctificatione ſpiritûs, & in fide veritatis, ad quod vocavit vos per Euangelium noſtrum. Eandem illius vocis ſignificationem habes etiam in priores ad Corinthios Epiſtola cap. 1. (ꝟ. 27. 28.) quemadmodum dicemus inferiùs, ubi de Vocandi verbo diſſeremus. Sed & Petrus de ea loquitur, dum omnes, ad quos ſcribit, initio prioris epiſtolæ Electos vocat; (1 *Petr.* 1. 1.) alibi verò monet, (2 *Petr.* 1, 10.) ut electionem & vocationem ſuam firmam efficere ſtudeant, & quidem, ut ſuperiora ejus loci verba oſtendunt, per bona opera, ut expreſſè etiam legitur in vulgata editione, cui græca quædam exemplaria adſtipulantur. Firmam autem ſeu ratam eam vult effici ex noſtra parte, ſeu eatenus, quatenus ei conditio quædam à nobis præſtanda adjuncta eſt, quâ non præſtitâ, in irritum cadit, ſeu bonum illud, ad quod electi dicimur, nobis reipſâ non adfert, neque adeò ad finem ſuum pervenit. Cæteroquin, quatenus ea ex ſolius Dei voluntate pendet, ea ſemper rata ac firma eſt: cùm Deus nequaquam ſit inconſtans ac mutabilis, quem beneficiorum ſuorum aut decretorum in hominum bonum factorum pœniteat. Quare illud tantùm reſtat, ut electio, quemadmodum diximus, ex noſtra quoque parte rata fiat, & ſic ad finem perducatur, eumque nobis afferat fructum, ad quem ſpectat.

† *Nam licet ipſum eligendi*] Hæc falſo & perperam dicuntur, cùm è contrario Scriptura in eo liberrimum Dei beneplacitum adſtruat, quod Electio & Reprobatio procedit apud ipſum ex eadem maſſa; & pari loco & conditione fuerunt Jacob & Eſau, cùm dictum eſt majorem minori ſerviturum. Et tantum abeſt ut *vel aſſenſus veritati Euangelicæ adhibitus, vel præter aſſenſum pietas ad Euangelii normam exacta*, ſit conditio prærequiſita in eligendo, ut è contrario ſint fructus & effectus in electis ſuæ gratuitæ electionis.

Duplex enim] Iſti homines vident geminos Soles in meridie: Vocatio quidem duplex ſtatui poteſt; alia merè externa, alia efficax & interna; Electio non: niſi quando vocabulum hoc pro ipſa vocatione uſurpatur per metonymiam cauſæ & antecedentis pro effectu & conſequenti; quod rarius eſt. Nec video cur de alia electione quam æterna & merè gratuita ad ſalutem, debeat ſumi locus 1 Theſ. 1, 4 Cùm hanc electionem æternam fidelium Theſſalonicenſium (quorum fidem, charitatem, perſeverantiam, pietatem, commate præcedenti laudaverat Apoſtolus,) noſſet ipſe noſſentque ſecum Sylvanus & Timotheus à poſteriori, ex eorum alacri & efficaci converſione ad fidem Chriſti. Hoc reſpectu hæc non diſſident ab iis quæ extant 2 Theſſ. 11, 13. 14. ubi dicuntur fuiſſe electi *ab initio*, id eſt initio viarum Dei, de quo Prov. VIII, 22. ad ſalutem, in ſanctificatione Spiritus & fide veritatis, id eſt ad eam ſalutem æternam quæ in his ſita eſt & per hæc obtinetur; Iſta verò præcurrunt ſaluti ad quam Deus nos elegit ab æterno, non tamen ipſi gratuitæ electioni ad ſalutem: Et ne putemus hanc electionem factam ἀπ' ἀρχῆς, adeoque πρὸ καταβολῆς κόσμου Epheſ. 1, 4. ſumi

pro vocatione facta in tempore, obſervari debet Apoſtolum conceptis verbis vocationem in tempore diſtinguere ab electione æterna, cùm eos dicit vocatos per Euangelium, ad hoc ipſum ad quod fuerant electi ab æterno. Dictum 1 Corinth. I, 27. 28. ſuo loco reſervabitur: Neque neceſſum eſt 1 Petr. 1, 1. 2. *Electionem* ſumi pro vocatione ſive ſecretione facta in tempore ad nomen & fidem Chriſti; cùm ibi fideles electi dicantur *κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ πατρὸς in Sanctificatione Spiritus*, &c. quibus verbis electionis illius æternæ, quæ facta fuit juxta Dei *πρόγνωσιν*, ut Rom. VIII, 22. finis & ſcopus exprimitur. Quantum ad alterum locum ex 2 Pet. 1, 10. non ſolum ibi electio à vocatione liquidò diſtinguitur, ſed etiã utraque firmanda dicitur ab Apoſtolo, non utique abſolutè & in ſe, (quaſi non ſtaret firmum Dei fundamentum 2 Tim. II, 19. aut hæc vocatio quæ procedit *κατὰ πρόθεσιν* Rom. VIII, 28. non pertineret ad Dei dona quæ ſunt *ἀμεταμέλητα* Rom. XI, 29.) ſed nobis ipſis, ut quantum habent in ſe certitudinis objectivæ, ex Dei immutabilitate & conſtantia, tantum certitudinis ſubjectivæ concipiamus de utraque; dum ſtudio bonorum operum vacantes inde nos colligimus præditos adoptionis Spiritu, quem Deus ſuis electis confert ubi eos in tempore vocat & traducit ad communionem ſui Filii: Neque vocationem & electionem *μᾶλλον βεβαίαν* facere, eſt eam habere vel facere *ratam*, ut nugatur Volkelius; ſed tantum illius certitudinem magis magiſque firmare in cordibus noſtris: Quid quod textus originalis non tantum notat *firmam*, ſed etiam *compertam* facere noſtram electionem & vocationem, id eſt illius certitudinem & veritatem, nobis & aliis ſtudio bonorum operum comprobare: Ad quam ſententiam accedit & ipſe Jeſuita Lorinus *ad eum loc.* Quæ igitur hîc ſomniat Volkelius de conditione à nobis præſtanda ut in ſe *rata* ſit, alias caſura *in irritum*, nullo modo ſunt admittenda: Siquidem ſtat inconcuſſum Dei conſilium Eſ. XLVI, 10. nec pendet in incerto ex dubia conditione, cujus executio commiſſa & relicta ſit fluctuanti hominum arbitrio.

Ex quibus facilè intelligitur, quid de firmiore illa, quam ita appellavimus, electione ſtatuendum ſit; nempe eam nihil eſſe aliud, quàm hominis, non modò veritati Euangelicæ aſſenſum præbentis, verùm etiam ſe-
538. cundùm eandem uiventis, à reliqua hominum multitudine ſegregationem à Deo factam, atque ad regnum cœleſte deſtinationem. Et quia hæc electio priore illa, ut res ipſa oſtendit, multò eſt perfectior; inde fit, ut nonnunquam ii ſoli, qui eà ratione ſelecti à Deo ſunt, Electi in ſacris literis dicantur; cæteri verò, qui imperfectiori tantùm ratione electi ſunt, hoc eſt qui veritati tantùm aſſenſum adhibuerunt, interim tamen ſecundùm illius præſcriptum vitam ac facta ſua non compoſuerunt, ab Electis diſtinguantur, & Vocati tantummodo appellentur. Id quod illa nuptiarum parabola (*Mat.* 22.) clariſſimè ante oculos noſtros conſtituit. Hominem enim, qui in nuptiis quidem comparuiſſe, nec tamen veſte nuptiali indutus fuiſſe dicitur, quique eorum omnium imaginem gerit, qui divinæ vocationi aſſenſum præbentes,

Digitized by Google

tes, ei ſeſe obedientes minimè præſtant, Vocatum quidem dici, Electum autem nequaquam, ex his verbis (v. 13. 14.) colligitur, *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Vocatus enim ideo dicitur, quia ad nuptias comparuerat, hoc eſt Euangelicam doctrinam receperat, ſeque eo pacto Eccleſiæ aggregaverat: ſed electus non dicitur, quia veſtem nuptialem, ſeu pietatem, felicitate illa, ad quam vocatus erat, dignam, non attulerat.

‡ Ex *quibus facile*] Hæc ſunt figmenta cerebrina quæ nullo fundamento ex Scripturis nituntur; Nam Electio, ut opponitur vocationi, ſonat conſilium æternum ac firmum de iis qui Electi dicuntur efficaciter vocandis & inſtruendis omnibus neceſſariis ad ſalutem adeundam & obtinendam, inter quæ ſunt pietas, ſtudium bonorum operum &c. Vocatio verò, ut ab electione diſtinguitur, alia eſt ſecundum Dei propoſitum, fluens à prædeſtinatione & electione æterna, & ejus executioni ſubſerviens, quam efficacem vocamus, eſtque adæquata electioni; alia externa duntaxat & inefficax, latiùs patens electione, & de qua illud Chriſti eſt intelligendum, *Multi vocati pauci electi.* Patet quod dicimus ex hac ipſa parabola nuptiarum, quam profert Adverſarius: Nec enim illa Chriſti ſententia reſpicit tantum eum, *qui in nuptiis quidem comparuiſſe nec tamen veſte nuptiali indutus fuiſſe dicitur,* ſed etiam eos qui invitati ad nuptias comparere noluerant: Et quamvis iſte *imaginem* quandam geſſerit omnium eorum qui profeſſione externâ ſeſe adjungunt Eccleſiæ, tamen non ſuſtinuit imaginem eorum, qui *vocati tantummodo*, non verò electi ſunt; ſiquidem ad horum externè vocatorum cenſum pertinent quoque illi, qui vocati præconio Euangelii, attamen nequidem externâ profeſſione accedunt ad Eccleſiam; quos *imperfectioni aliquâ ratione electos* dici poſſe, neſcio quâ ratione ſibi perſuadebit Adverſarius. Fateor inſuper eum qui comparuerat abſque veſte nuptiali, vocatum quidem dici, non tam, ut vetur Volkelius, à ſua præpoſtera comparitione, quam ab invitatione ipſi inſinuatâ per Miniſtros Regis, illius nomine; (quo ſenſu etiam, Vocatis accenſentur non electi, qui invitati penitùs venire renuerant;) electum verò negari quia veſte nuptiali fuit deſtitutus, id eſt eâ fide, charitate & ſanctificatione, ſine qua nemo videbit Deum: Non quod hæc veſtis faciat electum à priori, ſed quod eum indicet & demonſtret à poſteriori. Cùm autem ad illam veſtem nuptialem pertineat potiſſimum vera fides, hinc apparet iſtum, eo ipſo non aſſenſum fuiſſe Euangelio verâ fide, quod hac veſte nuptiali eſſet deſtitutus.

Ex his omnibus perſpicuum eſt id, quod ab initio diximus, nempe hoc electionis divinæ negotium omninò poſtulare, ut in eo, qui eligitur, aliquid inſit, quo à reliquis omnibus ſejungatur, & proinde ut id poſſideat, quod in reliquis deſideratur, ſive infirmam ſpectes electionem, ſive firmam: & ad infirmam quidem requiri aſſenſum divinæ diſciplinæ adhibitum, ſine quo nemo electus dicitur: ad firmam verò, obedientiâ Euangelio debitâ

opus eſſe, quippe à qua electionis illius firmitas pendet. Unde porrò conſequitur, electionem etiam penes nos ex aliqua parte eſſe, & non ita à Deo procurari, ut interim nulla noſtra opera eam ad rem accedat.

‡ *Ex his omnibus*] Nihil minus demonſtraſſe Volkelium, quam quod ſuſceperat probandum, hactenus vidimus: Ut plenè ridicula ſit diſtinctio electionis in *firmam & infirmam*; cùm electio æterna, ex parte Dei & rei, ita ſit firma, ut neget ideo Chriſtus electos totaliter & finaliter ſeduci poſſe Matth XXIV, 24. Porrò cùm nullus aſſenſus *divinæ diſciplinæ adhibitus* requiratur ad homines conſtituendos in ordine eorum vocatorum qui multi ſunt oppoſitè ad electos qui pauci eſſe dicuntur, ut liquet exemplo eorum qui venire ad nuptias noluerunt, non video quomodo qualiſcunque iſtiuſmodi aſſenſus requiratur ad infirmiorem Adverſarii electionem conſtituendam; ſiquidem hæc ejus infirmior electio correſpondet ejuſmodi vocationi quæ multorum eſt, cum electio ſit paucorum.

Unde porrò conſequitur] Id ex ſupradictis non liquet, niſi in quantum ex falſis præmiſſis falſa concluſio ſequitur Sanè disertè negat Chriſtus noſtram electionem penes nos eſſe ulla ex parte, dum ſtatuit, ut ante viſum, quod nos ipſum non elegerimus, ſed ipſe nos: Et ſiquidem nihil boni habemus vel agimus niſi dependenter ab electione noſtra, non poſſumus illam ſuſpendere ab eo quod agimus.

Atqui, inquies, ante mundi ædificationem tantum abeſſe, ut aliquid tale in nobis fuerit, ut ne ipſi quidem tunc extiterimus: & tamen, nos jam tum electos fuiſſe, Apoſtolum affirmare, (*Eph.* 1.4.) Verùm animadvertendum eſt, Apoſtolum nequaquam ibi de ipſo electionis actu, ſed de eligendi divino conſilio, verba facere: quo pacto & Deum homines Chriſtianos unà cum Chriſto in cœlis collocaſſe, (*Eph.* 2 5.6.) & gratiam ante ſecula nobis dediſſe, (2 *Tim.* 1.9.) idem Paulus aſſerit.

‡ *Atqui, inques,*] Hæc eſt iterum inepta & ἄγραφος diſtinctio inter electionem & conſilium eligendi: tum quia Apoſtolus Epheſ. 1, 4. dicit nos electos fuiſſe ante jacta mundi fundamenta, quod ad actualem electionem pertinet; tum quia electio, ubi pro vocatione non ſumitur, nihil aliud ſonat quam conſtans & immutabile Dei conſilium, non utique nos eligendi, ſed nos, ceu à ſe electos illo ſuo conſilio ad ſalutē, ſervandi in tempore. Nec juvant Adverſarii cauſam, loca quę profert ex Eph. II, 5.6. & 2 Tim. 1, 9. Nam priori, non denotatur aliquod conſilium quod pręceſſerit jacta mundi fundamenta, ſed actualis noſtra & omnium electorum collocatio in cœlis cum & in Chriſto capite noſtro, qui jam eo conceſſit nobis paraturus locum, Johan. XIV, 2. Adde quod extat Heb. VI, 19.20. Poſteriori, actualis quoque donatio poteſt intelligi, non ſolum dandi conſilium. Nihil enim obſtat quominus nobis certò futuris ſuo tempore Deus ab æterno dederit hanc gratiam, quemadmodum aliquis condens ſuum teſtamentum, hæredem aut legatarium ſcribit, poſthumum, qui nondum eſt in rerum natura. Deinde non

ſequitur,

ſequitur, Donatio gratiæ non fit actu cuiquam niſi in tempore, ergo electio actualis eorum quibus hanc gratiam Deus dat in tempore non facta eſt nec potuit fieri ab æterno.

Quanquam id, quod de electionis conſilio diximus, non ita accipiendum eſt, quaſi Deus ante conditum mundum certos quoſdam homines nominatim, cœteris pro arbitrio ſuo præteritis, ad ſempiternam vitam eligere conſtituerit; ſed quòd homines ſub certa conditione ad vitam ſempiternam vo- 539?
care decreverit; quam conditionem quia non omnes amplectuntur, ideo illos, qui eam aliqua ſaltem ratione amplectuntur, dicitur elegiſſe, ſeu eligere decreviſſe. Proprie ergo decretum illud nihil aliud fuit, quàm decretum homines ad ſempiternam vitam ſub certa conditione vocandi; ex eventu autem vocatio illa hominum electio evaſit. Reliquum igitur eſt, nequaquam Deo aſſignandum eſſe, quod pauci admodum inter electos referuntur: cùm eum omnium ſaluti conſultum velle, hinc ſatis perſpicuum ſit, quod per Euangelicæ diſciplinæ divulgationem omnibus benignitatem atque clementiam ſuam offert. Quo fit, ut hominum peſtis atque interitus ad ipſorummet contumaciam animique pervicaciam revocandus ſit.

t *Quanquam id quod*] Scilicet Electio Volkeniana non eſt electio; licet electio debeat eſſe *nominatim* certorum hominum, cum cœterorum præteritione: Et niſi talis foret, non dicerentur electorum *nomina ſcripta* in cœlo & in libro vitæ Agni mactati ab origine mundi. Et ſanè ſi nihil aliud decreverit Deus quam *homines* in genere *ſub certa conditione ad vitam ſempiternam vocare*, tum, neque illud ipſum decretum, neque illius executio, Electio dici poteſt; quia electio non eſt omnium; qui enim omnia vel omnes ſumit, is non eligit; hoc verò decretum vocandi, & hæc ipſa vocatio, ex hypotheſi Adverſariorum eſt omnium & ſingulorum. Ne dicam hîc Volkelium tribuere Deo decretum vocandi conditionatum, quod cùm ſuſpendatur ex incerta & dubii eventus conditione, adeo ut juxta horum doctrinam, nequidem ipſi Deo conſtet quinam hanc conditionem ſint præſtituri, & qui non, eo ipſo decretum eſſe nequit: cùm ſint decreta Dei ejus conſtitutiones ab æterno, de ſingulis certò & indubitatò ſuo tempore futuris: Imo hoc decreto conditionato æquè dici poſſet Deus *homines ſub certa conditione* ad inferos deſtinaſſe, ac elegiſſe ad vitam æternam. Et quî quæſo dicatur Deus *elegiſſe ſeu eligere decreviſſe* illos qui *conditionem* hanc *aliquâ ſaltem ratione amplectuntur*, cùm ipſi incertum fuerit an ulli eam eſſent amplexuri? Et cùm faciat Volkelius electionem duplicem, *infirmam & firmam*, quâ quæſo ratione; aut quo ex Scripturis argumento, poteſt utramque arceſſere ex generali illo & indifferenti decreto de hominibus *ſub certa conditione ad vitam ſempiternam* evocandis? Imò quid abſurdius quam fingere electionem dici factam ab æterno, quoniam *vocatio* illa, quæ ex æterno omnes vocandi decreto proceſſit, quorundam reſpectu & *ex eventu electio evaſit*? Fallitur ergo & fallit hæreticus, cùm negat *Deo aſſignandum eſſe quod pauci admodum inter electos referuntur*; ſiquidem omninò Deo

nò Deo aſſignanda eſt electio liberrima & miſericors, eorum omnium qui electi ſtatuuntur: Nec eſt quod inde colligat Deum *omnium* & ſingulorum ſalutem *velle, quod per Euangelicæ diſciplinæ divulgationem omnibus benignitatem atque clementiam ſuam offert*: Nam 1. hæc oblatio externa pertinet ad voluntatem Dei præcipientem, ex qua colligi nequit quid ſit illius voluntatis decretivæ circa ſalutem ſingulorũ. 2. Hæc oblatio non eſt univerſalis reſpectu omnium & ſingulorum; cùm multi populi priventur & ab ævo privati fuerint luce Euangelicâ. 3. Quam verum eſt Deum velle ſalutem omnium, voce illâ ſumptâ de generibus ſingulorum, non de ſingulis generum, ut cùm dicitur Spiritus Dei effundendus fuiſſe in omnem carnem Joel. II, 28. Act. II, 17. & Chriſtus ſanaſſe omnem morbum Matth. VIII, 16. tam oportuit oblationem hanc fieri promiſcuam & communem, quo admitteretur ab iis qui pertinent ad Electionem Dei, & ſic crederent quotquot ordinati ſunt ad vitam æternam Act. XIII, 48. 4. Deum non intendere ſalutem eorum ſingulorum quibus obtingit extrinſeca hæc oblatio præconio Euangelii, ſed potiùs ex occulto judicio eorum inexcuſabilitatem, liquet evidenter ex Eſai. VI, 9. Matth. XIII, 14. Marc. IV, 12. Lucæ VIII, 10. Johan. XII, 40. Actor. XXVIII, 26. Rom. XI, 8. Et ſanè negari nequit occulto Dei eoque juſtiſſimo judicio Chriſtum poſitum non ſolum in reſurrectionem, ſed etiam in caſum multorum in Iſraele Luc II, 34. Euangeliumque ipſum ejuſque fragrantiam, tam eſſe odorem mortis in mortem pereuntibus, quam cedit in odorem vivificum credentibus & electis 2 Cor. II, 15. 16. Nec tamen id obſtat quominus *hominum peſtis atque interitus ad ipſorummet contumaciam animique pervicaciam revocandus ſit.* Nam ut neminem Deus eligit merentem, cùm electio procedat ex indebita gratia, ita neminem præterit immerentem, cùm reprobatio procedat ex ira & Juſtitia, & hominem conſideret in nativa ſua corruptione, ex qua poſtea contumaciter & pervicaciter perſtat in peccato, & voci Euangelicæ, ſi eam audire contingat, detrectat obedire.

Quarta Claſſis.

Jam tandem illos locos videamus, in quibus verbum *vocandi* habetur: quos quidem adverſariorum opinioni nihil quicquam ſuffragi, argumento eſt, quòd inter vocationem atque infirmam electionem, nihil intereſt. Id quod illa Pauli verba luculenter teſtificantur, quibus vocationem cum electione confundens, Corinthios hoc pacto alloquitur: (1 Cor. 1. 25.) *Videtis vocationem veſtram, fratres, quòd non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut ſapientes confundat: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, deſtruat &c.* Ut igitur infirma electio, quam à vocatione nihil quicquam differre dicimus, citra hominis aſſenſum conſtare non poteſt: ita & vocatio nonniſi ad illos referri ſolet, qui divino verbo aſſentiuntur; ita ut ii, qui ei non aſſentiuntur, ſi vel millies illud auribus uſurpent, τῶν κλητῶν ſeu vocatorum numero excludantur.

Digitized by Google

tur. Eam ob rem Paulus ibidem (v. 23. 24.) Vocatos, tam Judæos, quàm Græcos, illis Judæis atque Græcis opponit, quibus Chriſtus crucifixus offenſioni ſtultitiæque fuit, & porrò eos in vocatis minimè numerat, quamvis illis idem Chriſtus fuerit prædicatus.

‡ *Iam tandem*] Hanc hypotheſim ridiculam, & ineptam diſtinctionem electionis firmæ & infirmæ, ſuprà retudimus: Paulus verò 1 Cor. 1, 26. non confundit *vocationem cum electione*, ut fingit Volkelius, ſed ex vocatione Corinthiorum, & eorum conditione qui apud ipſos ad communionem & Eccleſiam Chriſti evocati & traducti fuerant, vult colligi Electionem Dei eſſe merè gratuitam, nec procedere ex prævifis quibuſdam conditionibus perſonalibus, per quas fuerint nonnulli potiùs eligibiles quam alii. Neque ideo Vocatio, de qua Paulus, infirmam electionem notat, quod ſit eorum *qui divino verbo aſſentiuntur*: cùm è contrario ipſe hic aſſenſus ſupponat ejuſmodi vocatorum præcedentem electionem firmiſſimam, & quod facta ſit κατὰ πρόθεσιν Rom. VIII, 28. Et cùm juxta Dei verbum alia ſit vocatio quæ latiùs patet electione, eſtque etiam eorum qui vel nullo modo obediunt Euangelio vocanti, vel non obediunt uti par eſt, quo ſenſu dicuntur *multi vocati pauci electi*; alia quæ ipſi electioni adæquatur, & ad ipſius executionem ſpectat, quæ eorum demum eſt, qui per fidem & reſipiſcentiam *divino verbo aſſentiuntur*; perperam quæ de vocatis poſteriori ſenſu dicuntur, confunduntur à Volkelio, cum iis quæ de vocatis ſenſu priori monuerat Chriſtus in Euangelio. Itaque ut τῶν κλητῶν *ſeu vocatorum numero* poſteriori ſenſu excluduntur omnes, qui non aſſentiuntur Dei verbo, etſi *vel millies illud auribus uſurpent*, & de talibus vocatis agit hîc Apoſtolus; ita priori ſenſu vocatis & invitatis ad nuptias etiam illi ſunt accenſendi, qui vel abſolutè renuunt venire, vel non veniunt uti par eſt, neque verbo Divino ita aſſentiuntur ut reſipiſcant ſeriò & credant ad ſalutem.

Hîc, eſto, inquies, habeat ſanè Vocationis nomen eandem vim, quam Electionis: interim tamen, cum electionem in hominis poteſtate ſitam non eſſe, ſatis ibidem Apoſtolus doceat, non ad hominis arbitrium, ſed ad Dei, qui paucos ſapientes, potentes, nobiles elegerit, conſilium eam revocando, quod fuit, ut ſapientes, ut fortes, ut nobiles pudore afficeret; conſequens eſt, ut idem de vocatione ſentiendum nobis ſit. Hîc reſpondemus, Paulum nequaquam electionem ad iſtiuſmodi Dei conſilium revocare, quo ſimpliciter 540.
& abſque ulla conditione paucos ſapientes, nobiles, atque potentes eligere conſtituerit: ſed potiùs ipſo electionis eventu oſtendere, viam, quâ Deus homines ſervare decrevit, ejuſmodi eſſe, ut pauci ſapientes, nobiles, atque potentes eam agnoſcere, ac ingredi velint. Via quippe ea ac ratio homines ad ſempiternam felicitatem deducendi, quam diſciplina Euangelica oſtendit, in omnis generis pietate, atque inprimis in vera animi demiſſione, rerum

Digitized by Google

hujus mundi omnium deſpicientia & contemtu, omnium denique afflictionum ac contumeliarum patientia conſiſtit, quas virtutes quia homines carnali ſapientiâ, potentiâ ac nobilitate nixi, plerumque refugiunt; ideò diſciplinæ Euangelicæ, quæ ejuſmodi ad cœlum viam oſtendit, fidem non adhibent, ac proinde non eliguntur: ii verò, qui præ illis ſtulti, infirmi, ignobiles, & propè nulli ſunt, faciliùs virtutes illas, & porrò etiam diſciplinam Euangelicam, quæ in iis iter ad ſupremam felicitatem conſtituit, amplectuntur, ac proinde eliguntur. Inter alias autem cauſas, cur ejuſmodi viam ad ſalutem in Euangelio proponi vellet, quæ non tam ſapientibus, potentibus, nobilibus, quàm ſecundùm carnem ſtultis, infirmis, & ignobilibus eſſet accommodata, hanc etiam fuiſſe docet Paulus, ut ſapientum iſtorum, potentum, ac nobilium faſtum reprimeret; oſtenderetque, apud ſe nihil carnalia iſta bona, quibus illi tantopere ſuperbiant, & propter quæ omnia ſibi deberi exiſtiment, valere, itaque fieret, ut nulla caro coram eo gloriari poſſet, & dotes iſtas ſuas jactare: ſed omnes in iis tantùm bonis gloriarentur, quæ Deus per Chriſtum in eos contulit, eaque ſoli ipſius benignitati imputarent. Quare nihil eſt, quòd quis ex hoc loco concludat, iſtam paucitatem electorum ex numero hominum ſapientium, potentium, ac nobilium, voluntati ac conſilio Dei ſimpliciter atque abſolutè adſcribendum eſſe: ſed multò magis illorum hominum contumaciæ, quâ fit, ut ſeſe divinæ voluntati in Euangelio revelatæ accommodare ac ſubmittere nolint.

‡ *Hic, eſto, inquies*] Hæc inſtantia, non noſtra eſt, ſed Volkeliana: Nec enim ſtatuimus nomen vocationis *κατὰ πρόθεσιν*, de qua Paulus hoc loco, *eandem vim* habere ac nomen electionis; ſed tantum vocationem illam, quæ *citra hominis aſſenſum* non conſtat, (quem tamen Deus ex ſua electione operatur, Philip. I I, 13.) & in qua vocati *divino verbo* uti par eſt *aſſentiuntur*, coadæquari electioni æternæ, & ex illa fluere ac procedere, uti liquet ex Rom. V I I I, 28. 29. 30. Hanc verò electionem fieri citra ullum ullarum in eligendis bonarum qualitatum intuitum, ex illius executione colligit Apoſtolus. Interea tamen neque ab hac ſua inſtantia ſatis ſe expedit hæreticus.

Hic reſpondemus] Hæc reſponſio multis nævis laborat. Nam I. Apoſtolus non agit de *electionis eventu*, qui dubius ſit & incertus, ſed de illius natura & executione, ita ut illa per hanc innoteſcat: Etenim quoniam Corinthiis ex ſuamet vocatione conſtabat paucos inter ſe reperiri ſapientes, potentes, nobiles ſecundum carnem, vult eos à poſteriori colligere quale ſit Dei conſilium, qualis Dei electio æterna, quæ ſcilicet eſt ſtultorum, infirmiorum, contemptibilium ſecundum mundum, ut *nulla caro glorietur in conſpectu Dei*, quemadmodum habetur ℣. 29. à cujus citatione ſibi cavit Adverſarius. 2. Non agit Apoſtolus de via *quâ Deus homines ſervare decrevit*, ſed de perſonis quas decrevit ſervare; neque vult oſtendere, *viam quâ Deus homines ſervare decrevit, ejuſmodi eſſe, ut*

Digitized by Google

pauci ſapientes, atque potentes, eam agnoſcere ac ingredi velint; ſed potiùs qui fiat quod tam paucos ſapientes, nobiles, atque potentes, Deus in iſtam viam deduxerit. 3. Cùm ea ſit ratio hujus viæ, quam dicit Volkelius, vel hinc patet falſum eſſe quod paullò ante ſtatuebat, Deum *omnium* & ſingulorum *ſaluti conſultum velle*; ſiquidem eam propoſuit ad ſalutem viam, quæ talis eſt *ut pauci ſapientes, nobiles atque potentes eam agnoſcere, ac ingredi velint.* 4. Non reddit Apoſtolus rationem cur non eligantur à Deo ſapientes, potentes & nobiles, ſed tantum quì fiat, quod tam pauci ſint potentes, nobiles & ſapientes inter ſuos electos, ne vidilicet ſui electi ex ejuſmodi prærogativis gloriarentur, & in illas ſuam electionem, & non in meram Dei gratiam, rejicerent. 5. Si iſtæ prærogativæ tales eſſent quæ naturâ ſuâ pugnarent cum ea *via ad ſempiternam felicitatem, quam Euangelica diſciplina oſtendit*, nulli omninò tales eligi potuiſſent: Sed cùm nonnullos etiam iſtius ordinis Deus ad ſuam Eccleſiam evocaverit, licet numero pauciores, oſtendit ſe etiam in illo ordine ſuos habere electos quos ſervet, & poſſe ex quovis ligno ſuos ſibi facere Mercurios. 6. Nec ideo potiùs Deus eos elegit, *qui præ illis ſtulti, infirmi, ignobiles & prope nulli ſunt*, quod tales *faciliùs diſciplinam Euangelicam amplectantur, ac proinde eligantur*; Sic enim ſtultitia & ignobilitas & infirmitas, eſſet cauſa movens electionis; unde ſtatuendus eſſet Deus omnes ſtultos & ignobiles & infirmos elegiſſe ad ſalutem; & ſequeretur inſuper nullum omninò ſapientem, nobilem, potentem eligi & ſervari potuiſſe. Adhæc cùm ignobiles, & infirmi, ſint æquè ac cœteri, deſtituti omnibus viribus ad bonum ſalutare, non eſt fingendum dari in illis majorem quam in cœteris diſpoſitionem ad officia virtutis & pietatis, ex cujus intuitu fuerint cœteris prælati & potiùs quam illi electi ad ſalutem. Ne dicam Deum, ex cujus diſpenſatione, illa quoque externa procedunt, Sapientia, Potentia, Nobilitas, poſſe ea ab illis auferre quibus forent impedimento ad ſalutem, aut nihilominus eorum animos ad illas virtutes inflectere, ſi illorum ſaluti ex ſuo decreto omninò conſultum vellet.

Inter alias autem] Hic Apoſtolus non reddit cauſam, uti modò dictum, cur Deus *ejuſmodi viam ad ſalutem in Euangelio proponi* voluerit, ſed quî factum quod tam paucos Deus traduxerit in illam viam, qui eſſent ſapientes, potentes, ac nobiles: Non certè ad horum *faſtum* reprimendum; Id enim dici nequit, vel vocatorum, vel non vocatorum ex illo ordine, reſpectu: Non priorum utique; Quî enim vellet Deus eorum reprimere faſtum, qui jam ex mente Volkelii illum depoſuerant, hanc viâ ingrediendo? Non etiam poſteriorum; Nam eorum potiùs faſtus intenditur, ubi ſe conferunt ad fideles & pios, quos ideo habent contemptui, quod comparatè ad ſe ſint ignobiles, invalidi & fatui. Verùm ideo Deus, tam paucos nobiles, potentes, ſapientes, traduxit ad communionem Chriſti, plurimos verò ordinis alterius, ut nemo ex ſuis prærogativis ſe putet electum, ſed omnes glorientur in Domino, & ſuam electionem ac ſalutem *ſoli ipſius benignitati* imputent. Vide planè ſimilem locum & ſcopum Jac. 11, 5.

Quare nihil eſt] Hæc concluſio benè procedit, eo quod cùm nobilitas & ignobilitas per ſe nihil conferant ad ſalutē, voluerit Deus majorem numerum eligere ignobilium quam nobilium, quo magis ſummā ſuam in eo libertatem demonſtraret, & præriperet anſam hominibus gloriandi de ulla ſua prærogativa perſonali: Neque eorum ſapientum, potentum, nobilium

qui non eligantur præteritio ac reprobatio, illorum ſapientiæ aut nobilitati, tanquam cauſæ meritoriæ eſt adſcribenda; ſed comparatè ad alios, qui nec meliores erant, aut potentiores, aut ſapientiores, ſoli Dei beneplacito; Sic tamen ut fundetur illorum reprobatio in eorum corruptione & peccato, & ſuæ *contumaciæ* debeant quod non ſerventur.

Ex iis, quæ hactenus diximus, etiam illud falſum eſſe colligitur, quòd
Dei prædeſtinationem, electionem, atque vocationem per noſmetipſos irri-
tam fieri poſſe negant. Cum enim, ut demonſtravimus, iſta omnia condi-
tionem certam ſibi annexam habeant, & ſic ex parte in hominum aſſenſu
obedientiaque conſtituta ſint; nonne manifeſtiſſimum eſt, his ceſſantibus,
ipſam quoque prædeſtinationem, electionem, ac vocationem deficere, &
effectum in nobis haudquaquam ſortiri? Poſſe autem homines aſſenſum di-
541. vinis vocibus antea præbitum abjicere, à fide atque obedientia diſcedere, &
ſic officium prodere, apertiſſimum eſt.

‡ *Ex iis quæ*] Scilicet homo erit potentior Deo, & illius conſilia irritabit pro lubitu. Et quæ hîc de conditione annexa, quæ pendeat ex arbitrio humano, ingeruntur, ſuo loco ſatis refutata fuerunt.

Poſſe autem homines] Imo cùm cuſtodiantur virtute Dei per fidem, ut ſuprà ex Petro audivimus, ſitque fides & obedientia eorum, ex illis Dei donis quæ ſunt ἀμεταμέλητα, & certo ſit Deus perfecturus bonum opus quod cœpit in ſuis, nemoque poſſit oves Chriſti ex illius manibus eripere, non eſt quod de Sanctorum & Electorum infallibili perſeverantia unquam dubitemus. Equidem ſi homines in ſe & ſuarum virium naturalium reſpectu conſiderentur, non ſolum poſſunt deficere, ſed etiam non poſſunt proficere; at ſi conſiderentur Dei immutabilitas, promiſſionum divinarum infallibilitas, jugis Chriſti interceſſio pro ſuis, incorruptibilitas ſeminis quo regenerantur, conditio fidei quæ eos præſtat certos ſuæ ſalutis, de eorum perſeverantia dubitare non licet.

Quorſum enim pertinerent tot virorum divinorum adhortationes, quibus homines jam divinæ veritatis lumine colluſtratos, ad fidei pietatiſque conſtantiam inflammant? Ut enim alia multa reticeam, quæ noſtri in officio retinendi cauſâ ſcripſerunt Apoſtoli; quid, quæſo, opus erat, (*Rom.* 11. 20. & *d.*) lugendum illum populi Iſraelitici caſum, ſummamque, in quam incredulitate ſua inciderant, calamitatem nobis ob oculos ponere, tantaque ſollicitudine cavere, ne ſimili modo fidem frangentes, ex Dei gratia excideremus, ſi fieri nullo modo poteſt, ut is, qui ſemel divinam veritatem, virtutiſque ſtudium amplexus eſt, aliquando ad ſcelus revertatur, & fidem ſuſceptam abjiciat? Quid quòd Petrus Apoſtolus, ut vidimus, Chriſti fideles ſedulò admonet, ut electionem vocationemque ſuam, in pietatis ſtudio

ſeſe

ſeſe exercendo, firmam efficiant. Id quod neutiquam faceret, ſi electio vocatioque noſtra irrita fieri non poſſet. Huc pertinent & illa ſcripturæ teſtimonia ſuperiùs à nobis adducta, (*Exod.* 33. 33. *Pſal.* 69. 29. *Apocal.* 3. 5. 22, 19.) quibus eorum, qui officium deſerunt, nomina de libro vitæ deletum iri ſignificatur.

‡ *Quorſum enim*] Per illas ipſas adhortationes Deus ſuorum perſeverantiam operatur.

Ut enim alia multa] Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum: Igitur hoc exemplo ad eam perſeverantiam Deus per Apoſtolum ſuos hortatur, quam tamen eâ ratione in ipſis efficit, Phil. 1 1, 13. Sic etenim vox Dei imperativa fit operativa, juxta votum veteris Eccleſiæ, *Fac quod jubes, & jube quod vis.* Quoniam perſeverantia debet eſſe hominis, ſubjectivè, elicitè & formaliter, Deus homines ad illam adhortatur, ſub pœnis & præmiis, quod cùm ſint animalia rationalia, non aliter deducantur ad officium: Sed cùm ſimul ſit ipſius Dei elicitivè & efficienter, per talia media eam in ſuis operatur: ut ſimul & perſeverantiæ, tanquam ſuæ formaliter, propoſitum præmium conſequantur, & de illa tanquam originaliter divinæ, Deo gratias agant juges & perpetuas.

Quid quod Petrus] Jam ad hanc ratiunculam reſponſum: Quod faciendum tanquam ex officio nobis præſcribit Scriptura, illud ipſum à Deo per humiles preces debemus petere tanquam ſingulare ipſius beneficium. Præceptiones & adhortationes divinæ oſtendunt quid debeamus, ſuntque nobis officii noſtri norma & regula: Sed non demonſtrant quid poſſimus, nec ſunt menſura noſtrarum virium. Et fruſtra illis pulſaret Deus mentem noſtram, niſi unà corda flecteret in obſequium, & id ipſum quod mandat in nobis efficeret.

Huc pertinent] Sed cùm ad illa Scripturæ teſtimonia ſuprà reſponderimus, non eſt cur hanc crambem nobis reponat hæreticus.

Hîc verò, ſi ita res habet, inquies, fruſtrà Chriſtus ſuos lætari juſſit, (*Luc.* 10. 20.) quòd eorum nomina in libro vitæ inſcripta eſſent. Atqui nihil hac conſecutione ineptius cogitari poteſt: cum certiſſimam ſalutis viam ingreſſum eſſe, in eoque verſari ſtatu, in quo poſſis conſtanter perſeverare, & ſi perſeveres, ſempiternam felicitatem omninò ſis conſequuturus, ſatis magnam homini incredibilis lætitiæ cauſam afferat. Videt namque homo talis, & quaſi oculis cernit, ſi modò ſibi ipſi de eſſe noluerit, ſempiternam felicitatem in ſua jam poſitam eſſe manu; præſertim cum Deus auxilium, quo ad conſtantiam in fide ac pietate opus eſt, omnibus liberaliſſimè promiſerit. Quid enim? an fruſtrà is gaudio perfundi exiſtimandus eſt, qui ex ſummis miſeriis emergens, in ampliſſima fortuna conſtituitur, quamvis per ſtulticiam ſupinamque negligentiam ſtatum illum ſuum amittere poſſit? Cuſtodem illum carceris, (*Act.* 16. 34.) unà cum omni familia ſua, vehementiſſimmè gaviſum fuiſſe, quòd fidelis factus eſſet, ex divinis literis acce-

Digitized by Google

pimus, licèt nequaquam credibile ſit, eum arbitratum eſſe, ſe fidem illam deſerere nequaquam poſſe, id quod ipſa ratio ſtatim refellit.

‡ *Hìc verò*] At heus tu, Volkeli, neutiquam ſolvis hunc nodum ex Luc. x, 20. Nam ſcriptum nomen habere in cœlo, non importat tamen facultatem perſeverandi ſi volueris, ſed infallibitatem perſeverantiæ, & ſalutis obtinendæ certitudinem, ſonat. Diſcipulis enim veritatis gaudium eſſe non debet, niſi de eo bono quod commune cum omnibus bonis habent, & in quo finem lætitiæ non habent, ut docet etiam Gregorius *lib.* 9. *epiſt*. 58. Quæ ſcribuntur in terra delentur facilè: ſed manent ſcripta, nullamque admittunt lituram, quæ ſcripta ſunt in cœlo.

Videt namque] At quæ cauſa lætitiæ, quæ illius firmitas eſſe poteſt, ſi de illa re læteris quæ tenui pendeat filo, ideſt ex arbitrio humano, quo nihil labilius, nihil infirmius, nihil inconſtantius concipi poteſt? Et quod hìc jactat Volkelius Dei *auxilium* nullum eſt; ſiquidem in hac Pelagiana Schola gratia Dei non præficitur ſed ſubjicitur hominis voluntati. Tum demum poteſt lætari fidelis de *ampliſſima* illa *fortuna* in qua conſtitutus eſt, cùm certus eſt ex promiſſione Dei gratuita & liberali, ſibi præſtò fore illud auxilium, ſine quo ſtare non poſſet ad momentum, & quo ac cujus vi omnino ſit ſuſtentandus ne labatur. Et ſi meminerit Adverſarius ſolidum demum eſſe illud gaudium, quod nemo nobis eripere queat, nec poſſit in riſum Sardonium abire, non negabit inamiſſibilia eſſe bona fidelium, de quibus gaudent ſolidum gaudium.

Cuſtodem illum carceris] Imo verò hæc eſt indoles veræ fidei, ut qui eâ donatur ſciat & ſentiat ſe verè credere, adeoque ſe vitam æternam credentibus promiſſam adepturum; quod cùm citra perſeverantiam finalem nequeat fieri, neceſſe eſt ipſam fidem vel eminenter, vel etiam formaliter, inferre fiduciam ſuæ inamiſſibilitatis: ut nullâ ratione veniat dubitandum num Commentarienſis iſte Act. XVI, 34. *fidelis factus*, crediderit ſe ſervatum iri per fidem, adeoque Dei gratiâ & beneficio in ea fide cuſtodiendum ad finem uſque, quod Deus ab operibus manuum ſuarum non deſiſtat Pſal. CXXXVIII, 8 & quod incœpit in ſuis bonum opus perficiat uſque ad diem Jeſu Chriſti Phil. I, 6.

Atqui Chriſtum ipſum aſſerere, inquiunt, electos perire non poſſe, quia dixerit apud Matthæum, ſurrecturos Pſeudochriſtos & Pſeudoprophetas, & edituros ſigna magna & miracula, *ita ut ſeducant, ſi poſſibile, etiam electos.* (*Matth.* 24. 24.) Cùm enim ait, *ſi poſſibile*, indicare, inquiunt, id eſſe impoſſibile. Sed dum ita concludunt, pro conceſſo ſumunt, ſubaudien-
541. dum iſtic eſſe verbum *eſſet*; cùm poſſit etiam ſubaudiri *ſit* vel *fuerit*, & quidem rectiùs, ut paulò pòſt docebitur; quod ſi fiat, non tantùm inde non concludetur, Chriſtum omnino aſſerere, id eſſe impoſſibile; ſed concludi rectè poterit, eum in dubio aliqua ratione relinquere, utrùm id futurum ſit poſſibile, nec-ne; & indicare, electos, ſi officium ſuum facere velint, & ſe adverſus iſtorum hominum fraudes munire, efficere poſſe, ut in irritum cadant

cadant omnes malè feriatorum hominum conatus, quos ad eos ſeducendos ſint adhibituri.

† *Atqui Chriſtum ipſum*] Hic locus Matth. XXIV, 24. ſudes eſt in oculis adverſariorum; Nam illa paticula *εἰ δυνατὸν*, oſtendit id ipſum evenire non poſſe: cùm nequeat fieri ut creata vis ſeductorum, Creatoris decreto, beneplacito ac viribus protegentibus, prævaleat; ſic tamen, ut ſi per impoſſibile, electi ſuæ prudentiæ & ſuis propriis viribus relinquerentur, fallendi omninò & ſeducendi forent. Unde rectiſſimè Auguſtinus de *corrept. & grat. cap. 7. Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus: Sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus; ſed nemo eorum perit, quia nullâ re vincitur Deus.* Et Chriſtus ipſe de ſuis ovibus profitetur quod nemo eas rapiet de ſua manu Joh. X, 28. Fruſtra autem ait Volkelius non eſſe neceſſariò *ſubaudiendum* hìc verbum *eſſet*, ſed potiùs & *rectiùs*, verbum *ſit* vel *fuerit*. Nam primò non video quid ruſpetur diſcriminis, inter has phraſes, *ſi poſſibile eſſet*, & *ſi poſſibile fuerit*, & prout habet V. V. *ſi fieri poteſt*. Secundò Caſtalio, cujus verſioni multum tribuunt Sociniani, necnon Piſcator, Tremellius in Syri verſione, & Schmidius Wittebergenſis Doctiſſimus interpres, habent, *ſi fieri poſſet*; quod plane idem eſt, ac *ſi poſſibile eſſet*. Ita Marollius Abbas communionis Rom. in verſ. ſua Gallica N. T. imitatus noſtros Genevenſes habet *ſ'il eſtoit poſſible*. Ita Italus *ſe foſſe poſſibile*. Ideo Strabus ad hunc locum ita annotat, *ſi fieri poteſt, ideſt ſi aliquo modo fieri poſſet, ut Dei præfinitio mutaretur.* Tertiò ſi cum Eraſmo, Beza, & aliis nonnullis, reddas *ſi poſſibile ſit*, res omninò eodem redibit: Sic enim ſemper ſignificatur ea horum prodigiorum vis, & in illis erroris efficacia, ut & ipſos electos in errorem eſſet inducenda, ſi id poſſibile ſit aut fuerit. Ideo Gregorius *in Catena Thomæ, Si fieri, poteſt*, inquit, *ſubjungitur, quod fieri non poteſt ut in errorem electi capiantur*: & Origines multo vetuſtior *tract. 30. in Matth. Exaggerationis ſermo eſt, dicens, Si poſſibile eſt: Non enim pronunciavit, neque dixit, ut in errorem mittantur electi: Sed oſtendere vult quoniam frequenter valde perſuaſorii ſunt ſermones hæreticorum, & commovere potentes etiam eos qui ſapientes audiunt.* Non eſt ergo quod fingat adverſarius Chriſtum *in dubio aliqua ratione relinquere, utrum id futurum ſit poſſibile, nec-ne*: Nam dum Chriſtus indubitanter affirmat, magnam fore efficaciam erroris in prodigiis ſeductorum, quâ etiam ipſi electi abducerentur à tramite fidei & virtutis, ſiquidem id foret poſſibile, eo ipſo negat incunctanter poſſibilem eſſe eorum ſeductionem. Neque illud *ſi* eſt dubitantis, ſed fortiùs aſſeverantis; Et niſi id impoſſibile Chriſtus ſtatuiſſet, fruſtra hanc formulam adhibuiſſet. Perinde enim facit deſcripturus efficaciam erroris ejuſque noxietatem, ac vulgo ſolemus commendaturi alicujus remedii παγχρήστου vim & utilitatem; Dicimus enim illud ita eſſe ſalutare, ut non ſolum ægros ſanare & morti eripere, verum etiã, ſi poſſibile foret, ipſos mortuos vivificare, queat. Adhæc abſurdè finxeris Chriſtum hic στοχαστικῶς & dubitanter loqui, ubi ſuam omniſcientiam tam luculenter explicat in rerum indubiò futurarum diſerta prædictione. Quinimò ut ad malitiam temporum futurorum deſcribendam pertinet omne illud vaticinium de ſeductoribus tam vafris & noxiis oriturus; ita facit ad præmuniendam firmandamque ſuorum fidem quod docet iſtud vi-

rus,

rus, utut in ſe nocentiſſimum, ipſis tamen propter electionis ſuæ firmitatem & Dei cuſtodiam, neque nociturum neque nocere poſſe. Neque etiam vult Chriſtus *indicare*, ut ſomniat hæreticus *electos, ſi officium ſuum facere velint, & ſe adverſus iſtorum hominum fraudes munire, efficere poſſe ut in irritum cadant omnes malè feriatorum hominum conatus, quos ad eos ſeducendos ſint adhibituri.* Nam primùm eâ ratione Chriſtus nihil dixiſſet de electis quod in communi de omnibus hominibus ſub iſta hypotheſi dici non poſſet; Nemo enim eſt, ſi officium ſuum facere vellet, & ſe adverſus ſeductorum fraudes munire, qui eorum conatus non eluderet. Et ſecundò non agit Chriſtus de viribus quæ inſint electis, ad retundendam illam efficaciam erroris, ſed potiùs de viribus quæ inſint iſtis fraudibus ſeductricibus, ad omnium ϖαραλιθείαν, adeoque & ipſorummet electorum, ſiquidem poſſet irritum fieri Dei conſilium & auxilium, de & in illis præſervandis & ſervandis.

Solent enim verba illa, *ſi poſſibile*, tunc uſurpari, cùm de re ejuſmodi loquimur, quam, utut multum coneris, fortaſſe tamen perficere nequeas; quia ea non ſit penitus in tua poteſtate, & difficultatem aliquam ſecum conjunctam habeat, vel impedimentum aliquod appareat, quod tuo conatui obſtare facilè poſſit: licèt interea nequaquam pro conceſſo ſumatur, rem eam eſſe impoſſibilem. Exemplis res fiet manifeſtior. Lucas in Actis ita loquitur de Paulo cap. 20. (ỳ. 16.) *Properabat, ſi poſſibile eſſet ipſi, ut die Pentecoſtes veniret Hieroſolymam* Ubi certè nequaquam ſumitur pro conceſſo, Paulo fuiſſe impoſſibile, ut ad diem dictum Hieroſolymam veniret: alioqui cur properaſſet, ut eo die ibi eſſet? ſed tantùm ſignificatur, fieri potuiſſe, ut, licèt feſtinaret, temporis tamen brevitate excluderetur, aut aliud aliquid interveniret, quominus ad eum diem metam ſibi præfixam attingeret. Relinquunt ergo verba iſta in incerto, utrùm id fieri poſſit, nec ne, ſed ita, ut ex facto Pauli appareat, viſam illi potiùs rem, ſi modò celeritate uteretur, poſſibilem. Similiter ipſe Paulus loquitur Rom. 12. (ỳ. 18.) *Si poſſibile, quantum ex* (vel *in*) *vobis, cum omnibus hominibus pacem colite*, quid? num putamus Paulum dicere voluiſſe, id eſſe impoſſibile? Ea certè ratione non modò nos ad eam rem non fuiſſet adhortatus, ſed etiam à conatu abſterruiſſet. Quid enim coneris ea, quæ fieri nequeunt? Hoc ergo tantùm ſignificare voluit, fieri nonnunquam, ut ob aliorum hominum improbitatem, utut omnia coneris, non poſſis tamen cum illis pacem reipſa colere: quo tempore ſufficit, nos pro virili noſtra id, quod ad pacem ac concordiam pertinet, agere, ſeu noſtra ex parte pacem colere.

‡ *Solent enim verba*] Equidem ubi agitur de iis quæ homines vel moliuntur, vel conantur, illa formula, non ſemper abſolutam impoſſibilitatem ſonat, ſed tantum aliquam difficultatem aut incertitudinem eventus ex hominum infirmorum ac futuri neſciorum parte. Verùm alia eſt ratio loci qui eſt præ manibus:

Digitized by Google

nibus: ubi non agitur de impoſſibili ſecundum, quid, ſed de impoſſibili abſoluto, quod arceſſitur ab electione divina, quæ nullis ſeductorum artibus irritari & fruſtrari queat. Adeoque aliena ſunt quæ huc proferuntur à Volkelio ex Actor. xx, 16. & Rom. xii, 18. Nam priori non dicitur εἰ δυνατὸν, abſolutè; ſed limitatè εἰ δυνατὸν ἦν αὐτῷ, ſi poſſibile ipſi eſſet: Nam utut ſtudioſè feſtinaret Paulus in iſtâ profectione, multa tamen, poterant evenire ipſi improviſa & inexpectata, quæ illum remorarentur. At Chriſtus dicit ſimpliciter εἰ δυνατὸν, nec tam reſpicit conſilium & conatus ſeductorum, quaſi ſpeciatim intendentium ſubverſionem electorum, quos ſoli Deo notos eſſe certum eſt, quam vim & efficaciam iſtius ſeductionis, quæ poſſet etiam ipſos electos in malam rem abducere, niſi eorum reſpectu, per electionis ſuæ firmitatem & immutabilitatem retunderetur. Quin parum ſui memorem ſe hic præſtat Volkelius. Nam antea negabat in dicto Chriſti, ſubaudiendum verbum illud eſſet: Hic verò ceu parallelum profert Lucæ textum in quo illud verbum διαῤῥήξειν exprimitur: ut ſi ille ex hoc ſit intelligendus, omninò debeat in illo iſtud verbum ſubaudiri. Poſteriori itidem, Paulus Apoſtolus illud εἰ δυνατὸν reſtringit ad ſtudium & conatum piorum, per verba ſubſequentia, τὸ ἐξ ὑμῶν, quantum ad vos, & quouſque in vobis ſitum eſt. Ut ſatis agnoſcat, nunquam eundem fieri poſſe per hominum improbitatem & corruptionem ſæculi, ut piis liceat pacem cum omnibus colere & ſervare; Interea tamen teneri pios, quantum id patitur bonæ conſcientiæ ſtudium & zelus veritatis ac Dei gloria, ita paci & concordiæ litare, ut diſſidiorum, contentionum & bellorum culpa in ipſis non reſideat. Nec poſſet illud τὸ ἐξ ὑμῶν, vel τὸ ἐξ αὐτῶν, nempe Electorum, ſuppleri in Chriſti ſententia, quin evaderet abſurdiſſima: ac ſi Dominus diceret, Prodibunt Pſeudo-chriſti & Pſeudo-prophetæ, qui edent ſigna & prodigia tanta ut & illis ſeduci queamini, ô Electi, ſaltem quantum in vobis erit; Si verò idipſum velis referre ad conatum ſeducentium, fruſtra fueris: Nam eorum conatus in irritum caſuros per & propter electionem, à Chriſto aſſeritur. Ideo in Clementis *Conſtitutionibus*, *libr. 6. cap.* 18. ita habetur; *Dabunt ſigna in cœlo, ut ſi fieri poſſit, etiam electi decipiantur, quorum fraude liberabit nos Deus per Ieſum Chriſtum.* Et notum ex Auguſtino, oraculum Apollinis, qui ſciſcitanti quomodo uxorem à Chriſtianiſmo poſſet avellere, reſpondit faciliùs aut flumini rapido literas inſcripturum, aut per aera volaturum. Si qui ergo abripiuntur per ſeductores, illi eo ipſo oſtendunt ſe non fuiſſe ex electorum numero: Stella cadens, non ſtella fuit, ſed cometa; ac ut ſcitè Boethius, *Qui cecidit ſtabili non erat ille gradu*; Quod graphicè docemur 1 Johan. 11, 19.

Chriſtum autem in verbis controverſis nequaquam aſſerere, impoſſibile eſſe electos ſeduci, inde liquet, quòd & ab initio iſtius ſui ſermonis (ỷ. 5. 6.) diſcipulos ſuos monet, ut videant, ne quis ipſos ſeducat. Multos enim venturos in ipſius nomine, dicentes, ego ſum Chriſtus: & proximè ante verba controverſa eoſdem monuit, (ỷ. 23.) ut, ſi quis illis dixerit, hîc aut illic eſſe Chriſtum, ne crederent. Quorſum enim opus erat monitione

aut cautione iſta, ſi fieri non poterat, ut ſeducerentur, idque ipſos Chri-
543. ſtus in ſequentibus ſtatim verbis docere volebat? Erant enim illi, cum quibus Chriſtus loquebatur, eorumque ſimiles, haud dubiè electi, &, ſi adverſæ ſententiæ patronis credimus, omnes Chriſtiani tenentur credere, ſe ex iſtorum electorum eſſe numero.

† *Chriſtum autem*] Deberem totum Auguſtini librum *de correptione & gratia* deſcribere, ſi deberem fuſè huic cavillo, jam ſatis ante retuſo, reſpondere. Nam certum eſt monitiones & cautiones hîc commemoratas, indicinas eſſe officii noſtri; verba verò de quibus diſputamus, ad firmitatem beneficii divini ſpectare. *Monitione* & *cautione iſtâ*, erudiuntur fideles de periculi magnitudine & imbecillitate propriâ; Sed aliâ Chriſti aſſeveratione fiunt ſecuri de Dei auxilio, ac de conſilii divini firmitate edocentur. Qui verò hæc inter ſe committere ſtudebit, ſimilis erit cœco qui impingit ad ſuum baculum, & adjumenta fidei in nocumenta mutabit. Prætereo calumniam & cavillationem Volkelii, quod juxta ſuos adverſarios, *Omnes Chriſtiani tenentur credere ſe ex iſtorum electorum eſſe numero.* Nam juxta nos ii demum è Chriſtianis id credere tenentur, qui ſibi ſuæ veræ ac ſinceræ vivæque fidei benè conſcii ſunt, & ſentiunt Spiritum Adoptionis in cordibus ſuis clamantem *Abba Pater*, & unà conteſtantem cum ſuo Spiritu ſe eſſe Dei filios. Verùm ex ſententia Volkeliana ſuperiùs explicata omnes Chriſtiani tenentur credere ſe eſſe ex Electorum numero, eorum ſaltem qui ad primam & infirmiorem electionem pertinere finguntur.

Adde, quòd in verbis controverſis ratio redditur præcedentis monitionis, nempe ne credant dicentibus, Chriſtum hîc, aut illic eſſe. An verò hæc ejus rei ratio eſt, quia ſurrecturi ſint ejuſmodi homines, qui tanta ſint patraturi miracula, ut etiam electos, ſi id fieri poſſet, ſeducturi eſſent: verùm id fieri non poſſe? haudquaquam: ſed ſi ita verba Chriſti accipias, ac ſi dictum eſſet, iſtos tanta edituros miracula, ut non tantùm alios, ſed ipſos etiam electos, in quorum numero Apoſtoli eſſent, ſeducant, ſi id fieri poſſit, hoc eſt ſi electi illi ſibi cavere, & adverſus præſtigias veteratorum iſtorum animum munire neglexerint; omnia rectiſſimè cohærebunt.

† *Adde quod*] Falſum eſt *reddi in verbis controverſis rationem præcedentis monitionis, nempe ne credant dicentibus, Chriſtum hîc aut illîc eſſe.* Sed in illis explicatur quanta ſit futura efficacia erroris, quæ & ipſos corruptura eſſet electos, ſi quidem id poſſet evenire, nec vim veneni retunderet Dei conſilium & auxilium. Adhæc illud, *ſi id fieri poſſit*, vitioſè ita παραφράζει Volkelius, *ſi electi illi ſibi cavere & adverſus præſtigias veteratorum iſtorum, animum munire neglexerint*; cùm illud εἰ δυνατὸν, non ſpectet ſtudia & conatus oppoſitos electorum, quanquam & illi ſub Dei auxilio & ductu certò interveniant, quibus fit ut corvos deludant hiantes; ſed potiùs conatus ſeducentium & efficaciam ſeductionis, quæ prævalere nequeat adverſus Dei electos; quò faciunt & alia Scripturæ loca, nominatim Matth. XVI, 18. & Rom. VIII, 33, 34. & ſeqq.

Digitized by Google

Sed concedamus nunc, Chriſtum diſertis verbis dixiſſe, electos ſeduci non poſſe: non erit id tamen ſimpliciter ac ſine ulla conditione, quæ tacitè in his verbis comprehendatur, & ipſo electorum nomine indicetur, accipiendum; ſed intelligendum, ſeduci eos non poſſe, ſi, ut quidem electos facere omnninò conſentaneum eſt, ſaluti ſuæ advigilaverint, & precibus aſſiduè ad Deum fuſis diligenter ſibi à perditorum hominum fraudibus caverint. Idem de eo exiſtimandum eſt, cùm ii, cum quibus nobis hîc res eſt, urgent, Electos perire non poſſe. Id enim non aliter eſt admittendum, quàm ut ſtatuatur, eos perire non poſſe, ſi in Electorum officio perſiſtant, cujuſque rei gratiâ electi ſint, cogitationem nunquam dimittant, id eſt, ut Petrus explicat, (2 *Pet.* 1. 11.) in rectè vivendi ratione ſeſe exercentes, electionem ſuam firmam ratamque faciant, aut facere pergant. Hac enim lege atque conditione eos minimè caſuros, ſed ampliſſimum in Chriſti regnum aditum ſibi comparaturos, idem Apoſtolus affirmat. Quod idem & de Chriſti ovibus judicandum eſt, quas ipſe non perituras, nec ex ſuis Patriſque manibus eripi poſſe aſſerit. (*Ioh.* 10. 27.) Dum enim oves Chriſti ſeſe præſtiterint, ſemper eas à ſempiterno interitu, ipſo protegente atque conſervante, tutas fore certum eſt. Quo pacto contrà etiam dicitur, *eos, qui in carne ſunt, Deo placere non poſſe*, (*Rom.* 8. 2.) nempe quàm diu in tali ſtatu perſeverant. At ſi carnis imperium excutiant, & ſecundùm ſpiritum vivant, id quod omnes veri Chriſtiani faciunt, Deo placere poſſunt. Animadvertendum nempe eſt, non eatenus aſſerere Chriſtum, oves ſuas non perituras, quatenus fieri nequeat, ut eæ ſponte ſua oves ipſius eſſe deſinant, & vel hircorum, vel luporum naturam, quam aliquando exuerant, aſſumant: ſed quatenus fieri non poteſt, ut, dum ovium naturam retinent, & paſtorem ſuum non 544.
deſerunt, illis quiſquam ſalutem eripiat, eaſvè ex paſtoris ſui manu extorqueat. Chriſtus enim dicti ſui rationem reddens, non negat, eas in hircos aut lupos mutari, aut ab ipſo profugere poſſe: ſed eas ſibi à nemine vi extorqueri poſſe aſſerit.

‡ *Sed concedamus*] Benè eſt quod tandem ad ſe redit Volkelius, & largitur quod nequit retinere: Quam verò hîc conditionem fingit, ſi illam poteſtativam ſtatuat & eventus dubii ac ſuſpenſi ex libero hominis arbitrio, non poſſumus admittere. Sed ſtatuimus iſtius conditionis præſtationem revera *ipſo electorum nomine* indicari; cùm non poſſit aliàs evenire, quam ut electi, quà tales & quia tales, eouſque *ſaluti ſuæ advigilent & precibus aſſiduè ad Deum fuſis, ſibi à perditorum hominum fraudibus* caveant, ut nequeant totaliter & finaliter ſeduci. Dicat Volkelius *electos perire non poſſe, ſi in electorum officio perſiſtant*, addam ego, ab iſto officio nunquam totaliter defecturos, ſed in illo certò & infallibiliter ac finaliter perſtituros, quod teſte Chriſto impoſſibile ſit illos ſeduci & perire.

Digitized by Google

De loco 2 Petr. 1, 11. dictum eſt ſuprà. Certitudo & firmitas ſubjectiva Electionis reſpectu noſtri, non debet confundi cum illius certitudine & firmitate objectiva & reſpectu ſui: Hæc enim nec intenditur nec remittitur, & manet ſemper invariabilis & inconcuſſa 2 Timoth. 11, 19. Quanquam id officii quod Petrus nobis præſcribit certò quoque præſtatur ab electis, Deo in illis operante & velle & perficere. Frigida verò eſt adverſarii exceptio ad dictum Chriſti Joh. x, 27. Ut enim noſmet ipſos oves non fecimus ex lupis, aut hœdis, ſed Deus, ita noſtra cuſtodia per Chriſtum non à nobis pendet, ſed ab ipſo; qui ita ſuas oves cuſtodit, ut contineat eas in ovili, nec illas ullo modo ſibi eripi, adeoque ſe ſubducere ſuæ curæ & cuſtodiæ, patiatur: Et abſurdè dicas eas cuſtoditum iri *dum oves Chriſti ſeſe præſtiterint*, cùm hæc ipſa cuſtodia in eo ſita ſit ut ſe oves præſtent, & maneant in ovili. Quare diſtinctio illa ſenſus compoſiti & diviſi, quæ omninò venit adhibenda ad locum Rom. VIII, 2. citatum ab Adverſario, huc nequit applicari. Etenim eo ipſo quod *fieri non poteſt* ut pereant, aut *illis quiſquam ſalutem eripiat, eaſve ex paſtoris ſui manu extorqueat*, fieri nequit *ut ſponte ſuâ oves ipſius eſſe deſinant, & vel hircorum vel luporum naturam, quam aliquando exuerant, aſſumant*; Nec enim poſſunt ſuâ ſponte deficere à Chriſto, niſi ad id perſuadeantur à diabolo & mundo: Si verò mundus & diabolus id eis perſuaderent, tum eas eriperent Chriſto, & ex paſtoris ſui manu illas extorquerent. Uno verbo hæc Chriſti cuſtodia eas certo præmunit contra id per quod poſſent perire ipſique eripi ac extorqueri; Atqui nihil aliud eſt per quod poſſint perire, quam ſeductio mundi & diaboli; quâ fieret ut ex ovibus in hircos & lupos ſponte ſuâ abirent & à Chriſto profugerent. Ergo hac Chriſti cuſtodiâ contra talem ſeductionem certò præmuniuntur. Nam ut loquitur Auguſtinus *de corr. & gr. cap. 12.* Deus *eis non ſolum dat adjutorium quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle, ut quoniam non perſeverabunt niſi & poſſint & velint, perſeverandi eis poſſibilitas & voluntas, divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint quia ſic volunt, ideo ſic velint, quia Deus operatur ut velint: Inter tot & tantas tentationes, infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent. Subventum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma, non deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur.* Plura poſſem addere, ſed ſtudeo, in his potiſſimum capitibus, brevitati: Saltem qui Paulinæ & Auguſtinianæ Prædeſtinationi adverſantur, ſive in communione Romana, ſive inter Proteſtantes, hic videre debent quâ ratione ſe à Syncretiſmo cum Socinianis, apertis Pelagianis, liberent.

Cap. XVIII.

De Libero Hominis Arbitrio.

Reſpondente CAROLO DE FAUQUEMBERGES, *Depenſi Gallo.*

JAm ut de ſervo, quemadmodum adverſarii loquuntur, arbitrio dicamus; animadvertendum, eam illius ſecundùm ipſos rationem eſſe, ut nequaquam

quam in ipſius hominis poteſtate eſſe cenſeant, in Chriſtum credere, & voluntatem ſuam ad mandatis ejus parendum flectere atque componere, etiamſi ei doctrina Euangelica proponatur, & argumentis, quibus eam confirmatam eſſe novimus, comprobetur. Quâ quidem ſententiâ admiſſâ, omne pietatis ſtudium, omnem juſtitiæ honeſtatiſque cultum extingui neceſſe eſt.

‡ *Iam ut de ſervo*] Servum dici poſſe ac debere hominis ſub peccato arbitrium, Scriptura liquido docet, Johan. VIII, 34. Rom. VI. 16. 2 Petr. II, 19. Et multis aliis in locis illam ipſam credendi in Chriſtum & benè agendi potentiam, abrogat homini animali; Gen. VI, 5. VIII, 24 Jer. XVII, 3. Matth. VII, 18. Rom. VIII, 7. 1 Corinth. II, 14. 2 Cor. III, 5. Hinc eandem ſervitutem propugnat non uno loco Auguſtinus, nominatim *Enchir. cap.* 30. Unde *libr.* 1. *retract. cap* 9. ita loquitur; *Voluntas ipſa niſi Dei gratiâ liberetur, à ſervitute quia facta eſt ſerva peccati, & ut vitia ſuperet adjuvetur, rectè pieque vivi à mortalibus non poteſt.*

Etiamſi ei doctrina] Quia videlicet externæ inſtitutioni debet accedere interna gratiæ illuminatio & regeneratio, abſque quâ præconium externum fruſtra erit: Nec enim ſufficit ſementem eſſe bonam, niſi in honeſto & ſincero corde recipiatur: Nec prodeſt cuiquam auditus ſermo, niſi fide contemperetur apud illos qui audiunt, Hebr. IV, 2. Fidei autem Spiritus eſt fidem excitare in mentibus auditorum & eorum corda aperire ut credant Euangelio, Act. XVI, 14. Sed ingrata Pelagii proles, quę homines dum facit liberos reddit ſacrilegos, Gratiæ neceſſitatem ejuſque diſcriminantem efficaciam non vult agnoſcere.

Quâ quidem ſententia] Atqui id falsò dici, ex ſequentibus apparebit; & fusè docet Auguſtinus paſſim, nominatim verò toto opere *de correp. & gratia.*

Quod ne fiat, primò demonſtrabimus, nequaquam hominis voluntatem ita adſtrictam eſſe, quin poſſit velle aut nolle aliquid facere, in rebus ad religionem ſalutemque æternam ſpectantibus, & porrò etiam, ubi Euangelicam doctrinam auribus perceperit, reipſa credere, ac Dei præceptis, ipſius ope accedente, parere. Deinde ea, quibus hæc divina veritas oppugnatur, quantum in nobis eſt, propulſabimus.

‡ *Quod ne fiat*] Hic ſanè ſtatus quæſtionis ſub ſole proponitur. Nam primò adverſarii theſis ut jacet vera eſt, non ita *adſtrictam* eſſe hominis voluntatem, quin poſſit, *ubi Euangelicam doctrinam auribus perceperit, reipſâ credere, ac Dei præceptis, ipſius ope accedente, parere.* Si enim acceſſerit doctrinæ externo præconio, internum gratiæ auxilium, non ſolum poterit credere homo, ſed reipſâ credet; quia Deo *volenti ſalvum facere, nullum hominum reſiſtit arbitrium*, ut loquitur Auguſtinus. Secundo videtur adverſarius Dei opem exigere quidem ad obedientiam præſtandam Dei præceptis, non tamen ad ipſam fidem; licet neque hæc ſit ex nobis, ſed ſpeciale Dei donum Eph II, 8. Tertiò certum eſt hominem quidem poſſe *velle aut nolle aliquid facere in rebus ad*

religionem ſalutemque æternam ſpectantibus; ſed antecedenter ad præconium Euangelii, & Dei opem, quicquid poteſt in eo genere velle, malum eſt; quicquid poteſt nolle, bonum & ſalutare. Neque abrogamus voluntati humanæ libertatem à coactione, dum negamus eam eſſe liberam à ſervitute. Nam ut loquitur Auguſtinus *Enchir. cap.* 30. *Liberaliter ſervit qui domini ſui voluntatem libenter facit; ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſervus eſt; unde ad juſtè faciendum liber non erit, niſi à peccato liberatus, juſtitiæ cœperit eſſe ſervus.* Sed de his fuſiùs erit agendum in hujuſce diſputationis decurſu: Sufficiat hìc quæri, An homo animalis, per peccatum corruptus & depravatus, citra Dei gratiam illuminantem, convertentem & determinantem ad credendum & benè agendum, poſſit ex ſeſe Euangelio credere, vel aliquid facere quod verè bonum ſit & ſalutare? Affirmant Pelagiani veteres & novi, quos inter Sociniani familiam ducunt; negant Catholici & Orthodoxi.

Ut igitur hominis voluntatem, etiam in rebus ad ſalutem pertinentibus liberam eſſe confirmemus, illud diligenter conſiderandum eſt, quod inter omnes conſtat, Deum nempe in ipſa hominis creatione eam illi dediſſe voluntatem, quâ liberè quippiam vel eligere approbareque, vel fugere atque improbare poſſet. Cùm igitur nulla planè ratio ſuadeat, hominem poſtea voluntatis ſuæ libertatem amiſiſſe; quinimò jam inde à mundi primordio Deum & rectè agendi voluntatem, & vitæ innocentiam ab hominibus exegiſſe, animique contumaciam ſuppliciis mactâſſe conſtet; quorſum attinet, rem tam claram, tamque manifeſtam, magno cum pietatis detrimento impugnare? Quid, quæſo, cauſæ fuit, cur Deo Abrahami v. g. animus, quem ad filium ſacrificandum applicaverat, tantopere probaretur, *(Gen.* 22.) nefarium contrà Balaami de Iſraëlis maledicendo conſilium vehementer diſpliceret, (*Num.* 22. & 24. 13.) niſi quòd tam hic, quàm ille, cùm aliter voluntatem regere poſſet, maluit tamen vel in hanc, vel in illam partem eam inclinare? quorum neutrum ullum haberet locum, ſi neceſſitate quadam immutabili hominum voluntates adſtrictæ eſſent.

‡ *Ut igitur homines*] Voluntatem hominis ſemper *liberam* eſſe à coactione, ultrò confitemur: Nam qui cogitur non cenſetur velle, ſed nolle; Sed negamus, eam poſt peccatum eſſe liberam à ſervitute; ac pertendimus hominem illâ libertate & facultate ad ἀπωλῆρὸν excidiſſe ſuo peccato, quo & tenebris denſiſſimis mens ejus fuit immerſa ac obvoluta, & voluntas pravis ac vitioſis cupiditatibus ſic mancipata, ut donec gratiæ medicinalis & liberatricis auxilio hiſce vinculis exſolvatur, non aliò feratur aut ferri poſſit quam ad malum: juxta id quod benè definitum eſt Concilii Arauſicani 11. *cap.* 22. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem atque juſtitiam, ab illo fonte eſt quem debemus ſitire in deſerto, ut ex eo quibuſdam quaſi guttis irrorati, non deficiamus in via.*

Deum nempe in] At verò, *Libero arbitrio malè*

malè utens homo & ſe perdidit, & ipſum; Sicut enim qui ſe occidit utique vivendo, ſe occidendo non vivit, nec ſeipſum poteſt reſuſcitare cùm occiderit, ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amiſſum eſt liberum arbitrium. A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. Petri certè Apoſtoli eſt iſta ſententia, quæ cùm vera ſit, qualis quæſo poteſt ſervi addicti eſſe libertas, niſi quando eum peccare delectat? Verba ſunt Auguſtini *Enchir. cap.* 30. Itaque cùm homo peccando in Deum, juxta ipſius comminationem in omnimodam mortem inciderit Gen. II, 17. eo ipſo factus eſt carnis & peccati vile mancipium, adeo ut omne figmentum ac cogitationes cordis ipſius, tantummodo malum ſint omni tempore Gen. VI, 5. VIII, 21.

Quinimò jam inde] Non excidit creditor ſuo jure, cui debitor ſua culpâ factus ſit non ſolvendo. Hæc oſtendunt quid debeant homines, non quid poſſint.

Quid quæſo,] Probata eſt Deo heroica Abrahami obedientia, ſed cujus Patriarcha Deo ipſi debitor fuit: proceſſit enim ex fide Hebr. XI, 17. Hanc autem Patriarchæ fidem Dei donum ſpeciale fuiſſe, quis dubitat? Improbatum eſt nefarium Balaami conſilium, quod eò traheretur ſuâ αἰσχροκερδίᾳ, & in ſe turpe eſſet ac vitioſum, 2 Petr. II, 14. Maluit Abrahā obedire Deo præcipienti, quam obſequium ei denegare; ſed id maluit Dei ipſius ope accedente, abſque qua obedire nequiviſſet. Maluit Balaam ſuo inſiſtere improbo conſilio, quam Deo obſequi; quia eò trahebatur voluntariæ ſuæ nequitiæ vinculis, quæ ſi dempta fuiſſent, per gratiæ indebitæ auxilium, aliorſum ſe convertiſſet. Et quæ hîc de *neceſſitate quadam immutabili* ingerit adverſarius, ſunt omninò captioſa: Nec enim omnis neceſſitas pugnat cum libertate voluntatis, ſed ſolum ea quæ *coactionis* dicitur; quam nec in Abrahamo, nec in Balaamo, admittimus: Aliàs notum multa certo ſenſu neceſſariò fieri quæ tamen fiunt ſpontè & liberrimè. Deus qui neceſſariò bonus eſt, non deſinit eſſe agens liberrimum: Non poſſunt Angeli & beati non amare Deum & illi alacriter obſequi: Id tamen cum ſumma animi lubentiâ & liberrimè faciunt: Etſi dæmones nihil aliud poſſint quam malè agere, per id tamen non deſinunt id agere ultrò, voluntariè & liberè.

Quam verò aliam ob cauſam Judaicam nationem rejectam excœcatamque eſſe putabimus, quàm quòd Chriſtum fide non fuit complexa? Hoc autem quo jure fieri potuit, ſi Chriſto fidem adhibere atque obtemperare in illorum poteſtate non fuit? quo pacto illa Chriſti pronunciata conſtabunt, quibus animi contumaciam Judæis exprobrat, & eos propriâ ſuâ culpâ perire oſtendit: *quoties volui tuos congregare natos, quomodo gallina ſuos pullos ſub alas congregat, & noluiſtis?* (*Matth.* 23. 27.) Et illud: *Vos non vultis ad me venire ut vitam habeatis.* (*Joh.* 5. 40.) Itaque confitendum neceſſariò eſt, liberam eſſe uniuſcujuſque voluntatem.

I *Quam verò aliam*] Licet hoc non fuerit *in illorum poteſtate*, fuit tamen ex eorum officio, ob cujus neglectum, jure meritò rejecti ſunt. Locus Matt. XXIII, 37. nihil facit ad rhombum. Obſtitiſſe quantum potuerunt primores Jeroſolymorum, ne cives gregarii, ſub alas Chriſti ſe reciperent, certum eſt; Certum tamen, eos omnes

Digitized by Google

eos omnes congregatos fuiſſe ad Chriſtum, invitis aliis, quos Pater eò traxit, atque crediſſe quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Nec ſequitur, Noluerunt increduli Judæi Chriſto obſequi, ergo fuit in eorum poteſtate credere & obedire. Non ſtatim is qui non vult aliquid, poteſt ferri in oppoſitum: Deus non vult mentiri, & tamen, teſte Apoſtolo, mentiri non poteſt, Heb. vi, 18. Noluit Chriſtus peccare in Deum, aut crucem ſubterfugere; Nemo tamen Chriſtianus dixerit id eum potuiſſe aut velle aut facere. Certè qui manent increduli, nolunt converti: & quod id nolint, meritò plectuntur, cùm voluiſſe debuiſſent. Velle tamen converti nequiverant citra Dei gratiam efficacem, & operantem in ipſis tum velle tum perficere. Uno verbo à debere ad poſſe non procedit argumentū. Quâ ratione etiam reſpondetur teſtimonio alteri ex Johan. v, 40. Quotquot non veniunt nolunt venire; & quia nolunt, cùm velle deberent, jure puniuntur: Imò quotquot veniunt venire volunt; ſed quod velint debent acceptum ferre Deo, eos convertenti & trahenti, juxta id quod dicit ipſe Chriſtus, neminem poſſe venire ad ſe niſi Pater traxerit eum Joh. v 1, 44. Sed quoniam Sociniani pluris faciunt in his rebus Ariſtotelem quam Paulum vel Chriſtum, audiant quæſo ipſum Ariſtotelem ita loquentem *lib. 3. Eth. ad Nicom. cap 7. Si quis ſciens eas res agat, quibus evadit injuſtus, ſponte ſua profectò efficiatur injuſtus: Neque ſi velit tamen eſſe deſinat injuſtus & juſtus ſit: Nam ne æger quidem ſanus & validus ſit cùm voluerit, etiamſi ſponte ſuâ ægrotet, quippe qui & incontinenter vivat, & medicorum præceptum conſiliumque aſpernetur. Tunc igitur ei integrum erat in morbum non incidere; at poſteaquam ſeſe effudit ac projecit, id jam deſiit eſſe integrum. Quemadmodum nec is qui lapidem miſit, retrahere eum jam poteſt; Erat tamen in ejus poteſtate lapidem in manum ſumere ac jacere: Principium enim enim in ipſo eſt. Sic & injuſto ac intemperanti homini ab initio licebat talibus non eſſe; Idcirco ſua voluntate tales ſunt; poſtea quam verò tales facti ſunt, non poſſunt non eſſe.* Quidni idipſum Ethnici Philoſophi appareat homini integro & lapſo, ut hic jam non poſſit in genere morum, id quod alter poterat, licet ad idē teneatur?

Voluit quippe Deus virtuti vitioque, præmio ac, pœnæ locum relinquere: voluit nos habere, quod illi ſemper ſacrificaremus, nimirum voluntatem animumque liberum, inque noſtra poteſtate poſitum. Neque enim illis delectatur victimis, quæ ſemper in ejus manu ſunt atque fuerunt: ſed illud demum Deo acceptiſſimum ſacrificium eſt, quod, in noſtro arbitrio poſitum cum ſit, & ideo à nobis fieri & non fieri poſſit, voluntaria tamen animi inductione ipſi facimus. Hoc enim illud eſt, quod ipſe Deus de ſacris ſibi olim confectis hunc in modum loquitur: (*Pſal.* 50. 10) *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſylvarum, & quadrupedes, quæ in mille montibus paſcuntur. Cognovi omnia volatilia montium, & beſtiæ campeſtres mecum ſunt. Si eſuriero, non dicam tibi. Meus eſt orbis terræ & plenitudo ejus. Nunquid manducabo carnes taurorum? aut ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua*, &c. id eſt, ut præclarè Flaminius interpretatur, vitæ curſum piè ſanctèque inſtitue.

Voluit

Digitized by Google

† *Voluit quippe Deus*] Præmia & pœnæ ſupponunt voluntariò & ſponte fieri id quod vel præmium refert, vel pœnam; ſed non probant arbitrium noſtrum in natura corrupta eſſe ἀμφιῤῥεπὴς ad utrumque. Sacrificandum eſſe Deo *animum liberum*, ideſt ſpontaneum, liquet ex Pſ. cx, 3. Sed animum illum mundum & purum, ac verè liberum & firmum, debet ipſe nobis indere, Pſ. LI, 12. Quò ſpectat illius promiſſio Ezech. XXXVI, 26. 27. Non erit nobis animus liber quem Deo offeramus, priuſquam nos liberaverit Filius & aſſeruerit in libertatem filiorum Dei, Joh. VIII, 36. Animus autem verè liber, poteſt dici *in noſtra poteſtate* poſitus, ſi τὸ ἐφ' ἡμῖν, idem ſit quod τὸ ἑκούσιον, ſpontaneum, non invitum aut coactum; non verò ſi τὸ ἐφ' ἡμῖν idem ſonet, ac id quod penes nos eſt, & intra ſphæram activitatis noſtræ naturalis. Quam verò abſona ſit inductio loci qui extat Pſal. L, 10. res ipſa clamat; Nec enim Deus hic ſua noſtris opponit: cùm etiam vituli & hirci, quos reſpuit, noſtri quoque ſint; *Non accipiam*, inquit, *de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos*: confer Mich. VI, 6. 7. & viceverſa, ſuum etiam ſit ultroneum & promptum pietatis & ſanctitatis quo ferimur ſtudium; *Quid enim habes quod non acceperis?* 1 Cor. IV, 7. Sed opponit hîc Deus λογικὴν noſtram λατρείαν, uti dicitur Rom. XII, 1. & ſui cultum in Spiritu & veritate, ſacrificiis illis carnalibus & typicis; ut etiam eadem oppoſitio proſtat Pſal. LI, 18. 19. Nec video quâ fronte aut conſcientiâ Flaminium huc adduxit Volkelius. Nec enim ea habet Flaminius, quæ hîc ipſi tribuuntur, & ea habet quæ diximus: Nam ad verba *Si eſuriero*, ita loquitur; *Repudiatis ſacrificiis antiquis ritum, ſacrificandi novum & Chriſtianæ religionis proprium introducit; Deum enim laudare, ideſt infinitam ejus bonitatem in omnibus rebus prædicare, ei ſemper gratias agere, & quicquid cogitamus, loquimur, agimus, ad ejus gloriam dirigere, hoc eſt dignum ſacrificium Chriſtiano; Itaque Paulus in epiſt. ad Heb. ſcripta nos monet, ut per Chriſtum immolemus hoſtiam laudis ſemper Deo.* Et ad verba iſta, *Et redde Altiſſimo vota tua*, annotat; *Et ſolve (inquit) Deo quæ voviſti; Vovemus autem omnes qui veram pietatatem profitemur, nos gloriam Dei rebus omnibus antelaturos, & ſanctiſſimum ejus Numen piè ſanctéque veneraturos.* Et ad illa verba, *Et invoca me*, iſta habet; *Sacrifica inquit hoc modo, & Deo perſolve quod debes, & in rebus adverſis me præſentem & propitium ſenties.*

Unde efficitur, cum hoc laudis ſacrificium, illis, quæ Dei jam ſunt, opponatur, id ejuſmodi eſſe, quod non Dei, ſed noſtrum cenſeri debeat: non quòd ulla res ſit, quam Deus ſumma poteſtate non complectatur: ſed quòd is, ordinaria ratione voluntatem noſtram, ex qua vitæ pietas & proficiſcitur, & æſtimatur, in noſtro arbitrio ſitam eſſe voluit; licet interim externum ipſius actum vel promovere, vel impedire, vel permittere pro arbitrio ſoleat. Ex quo etiam illud conſequitur, Deum voluiſſe, ut homines ipſius voluntati ſeſe opponere poſſent, licèt interim id unicè cupiat ac deſideret, ut ſeſe ad virtutis ſtudium, non ad ſcelera applicent: nempe quia ea demùm illi probatur obedientia, quam nulla vi coacti illi perſolvimus.

‡ *Unde efficitur*] De iſta ψευδωνύμῳ oppoſitione modò dictum. Loquutio quoque eſt abſurda, quâ dicitur *voluntatem noſtram in noſtro arbitrio ſitam eſſe*; Perinde enim eſt ac ſi diceretur, voluntatem noſtram in noſtrâ voluntate collocari. Quod ſi quis velit diſtinguere arbitrium à voluntate, ut diſtinguitur facultas cognoſcens ab appetente, quam verum eſt nos id omne velle ſive appetere quod arbitramur & judicamus hîc & nunc volendum, appetendum & proſequendum eſſe, id nihil faciet ad cauſam adverſarii. Agnoſcimus enim ultrò Deum voluiſſe hominem eſſe agens liberum, ἐκ προαιρέσεως & ἑκούσιον, & penes illum eſſe dominium ſuarum actionum, non quidem ſupremum & independens, ſed dominio divino ſubordinatum, eique per omnia obnoxium, non ſolū quoad externos arbitrii humani actus, qui imperati dici poſſunt, ut fingit Volkelius, ſed etiam quoad illius actus internos, quos elicitos appellant; Hos enim Providentię ac Regimini Numinis velle ſubducere, quid aliud foret quam hominem facere Ens independens, ut in agendo ſic etiam in eſſendo? Nam quale quodcunque eſt in operando tale debet ſtatui in eſſendo, ut agnoſcunt Philoſophi: Iſti verò impietati reclamat tota Scriptura, quæ actiones liberas, ipſaque hominum corda, ſubjicit Providentiæ divinæ, Prov. XXI, 1. Jer. X, 23. Neque eâ ratione quicquam decedit libertati ſive incoactioni arbitrii creati; Nam Auguſtino teſte *lib. 7. de C.D. cap. 30.* Deus *omnia quæ creavit ſic adminiſtrat, ut ipſa ſuos etiam exercere & agere proprios motus ſinat.* Fateor quidem Deum hominem ſic creaſſe bonum & juſtum, ut nihilominus peccare & deficere poſſet; Sed nec poſſe peccare perfectio eſt creaturæ rationalis & intelligentis, verùm potius quadam illius imperfectio; ſiquidem Angeli & beati in culmine perfectionis conſtituti, peccare & deficere amplius non poſſunt; Nec creaturæ peccantes fiunt eo ipſo independentes, ita ut earum voluntates ſubducantur Dei regimini & providentiæ divinæ. Seriò quidem percipit & mandat creaturis obſequium ſuæ Legi debitum, ceu rem ſibi gratam & acceptam (quod cum unicè *cupere* & *deſiderare* dici a Volkelio catenus ferimus, quatenus hæc eo vocabula, ſic ἀνθρωποπαθῶς de Numine uſurpentur, ut θεοπρεπῶς intelligantur; cùm Deo tribui propriè nequeant velleitates inefficaces & deſideria fruſtratoria) ſed interea tamen quæ ſecùs fiunt à creaturis, non fiunt nec eveniunt ipſo planè invito: Id eleganter dictum ab Auguſtino *Enchir. cap.* 100. *Quantum ad ipſos* (peccatores ſcil. Angelos & homines) *quod Deus noluit fecerunt; quantum verò ad omnipotentiam Dei nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipſo quod contra Dei voluntatem fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas ejus. Propterea namque magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem, quia non fieret, niſi fineret; nec utique nolens ſinit, ſed volens: Nec fineret bonus fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet benè.* Porro dum hîc à Volkelio commemoratur ea *obedientia quam nullâ vi coacti Deo perſolvimus*, aſtruitur id ipſum quod volumus, arbitrii libertatem in ſola incoactione agentis ex proæreſi ſitam eſſe.

' Atqui, inquient adverſarii, ſi ita ſe res habet, multum de Dei gubernatione, quæ in mundo regendo cernitur, detrahetur: ſiquidem maxima

iſtius

iſtius gubernationis pars, in hominum voluntate conſtituta ſit oportet. Reſpondemus autem, internum voluntatis noſtræ actum, quem ſolum ordinariè in noſtra poteſtate Deus collocavit, in mundi gubernatione nullum habere momentum, ſed externum ejus effectum, qui in ſolius Dei poteſtate ſitus ita eſt, ut nihil, niſi aut Deo decernente juvanteque, aut permittente fieri queat. Quo fit, ut liberum arbitrium eòuſque vim ſuam porrigat, ut Deo nunc juvante, nunc permittente tantùm, homo non ſolùm de re quapiam peragenda cogitationem ſuſcipere, ſed etiam exitu eam complere poſſit. Quinimò quod ad bonas actiones attinet, ordinariè Deus eas à nobis perfici vult, quamvis id ſæpiſſimè abſque ipſius auxilio fieri non poſſit. Unde efficitur, cum Deus præclara facta nobis imperet, malefactaque ſupplicus vindicet, in nobis ea, quâ dictum eſt, ratione ſitum eſſe, ut in fidei ſanctitatiſque ſtudio verſemur. Neque enim exiſtimandum eſt, Deum auxilium ſuum ulli homini, ſuppliciter ad ipſum accedenti, denegaturum eſſe. Quòd ſi quis divino auxilio deſtitutus, illius præceptis non obtemperaverit; is ſibi ipſi culpam aſſignet, & ſic nullam peccati excuſationem habeat neceſſe eſt: propterea quòd aut Dei opem ſeriò non imploraverit, aut, quæ Deus illi ad pietatem colendam ſuppeditavit, adjumenta, noluerit amplecti, ac porrò ſuo ipſius vitio pereat. Hoc autem malum nonniſi ab ipſius improbitate fluere credendum eſt. Hac enim fit, ut voluntatem ſuam ad ea non accommodet, quæ Deo probantur: quod ſi facceret, dubium nullum eſſet, quin ea perficiendi omnem viam rationemque tentaret, &, quod conſequens eſt, ad divinam opem nunquam non confugeret, & ſic eâ circumſeptus, facilè & rerum divinarum ſcientiam conſequeretur, & in Dei ſtudio totam mentem defigeret, ut alibi à nobis demonſtratum eſt.

546.

‡ *Atqui, inquient*] Revera iſti homines ſubducunt gubernationi divinæ voluntates humanas, quas tamen Scriptura paſſim illi ſubjicit, Prov. xx1,1. Jer. x,23. Diſtinctio autem adverſarii, inter actum voluntatis noſtræ *internum* & *externum*, eſt planè aliena ab hoc propoſito, neque ſoluit nodum: Qui enim dixerit illum, *in mundi gubernatione nullum habere momentum*, is primò ſtatuet, hominem in volendo, & ſeipſum huc illucve determinando, per actus voluntatis ſuæ internos & *elicitos*, eſſe independentem à Deo in agendo; quod non modò abſurdũ eſt, ſed etiam impium: Nam quale quodque eſt in agendo, ut ante dictum, tale quoque eſt in eſſendo. Deinde cùm actus iſte internus ſit principiũ actuũ externorũ, quos *imperatos* vulgò appellant, eo majoris momenti debet eſſe in mundi gubernatione, quod pro illius varietate, neceſſe eſt iſtos variare, quos gubernationi divinæ vix ipſe Epicurus auſit ſubtrahere. Adhæc quemadmodum actus externus eſt etiam in noſtra poteſtate ſubordinatè ad Deum, cùm etiam ille actus pertineat ad ea quæ ſunt ἐφ' ἡμῖν, ita neceſſe eſt actum internum eſſe quoque eodem modo in po-

teſtate Dei. Ut regula debeat eſſe generalis, reſpectu actuum utriuſque ordinis, *& nihil niſi aut Deo decernente juvanteque, aut permittente* (non permiſſione otioſâ ſed multifariam efficaci) *fieri queat.* Et quamvis non efficiat Deus id quod permittit fieri, nihil tamen permittit tantùm fieri, niſi 1. quod malum eſt & vitiosum; 2. quod ſe permiſſurum decrevit; nec enim ſinit mala fieri nolens, ſed volens, ut ſcitè dictum ab Auguſtino; 3. ad quod non concurrat in genere entis, ex regula Pauli Act. XVII, 28. 4. quod non regat ad bonum finem, Geneſ. XLV, 8. L, 20. Sed quantum *ad bonas actiones,* de quibus hic potiſſimum diſputamus, nullæ earum fiunt, niſi Deo decernente, operante & adjuvante, 1 Cor. XII, 6. Philip. II, 13. maximè cùm ex nobiſmet & abſque ipſo nihil poſſimus 2 Cor. III, 5. Johan. XV, 5. Perficiuntur quidem illæ à nobis, quatenus earum ſumus principium *quod*, ut loquimur in Scholis; ſed tamen fluunt ex Dei gratiâ, quâ ſumus quicquid ſumus, & per illam fiunt ceu per principium *quo*; Ut hic non debuerit Hæreticus uti adverbio *ſæpiſſimè,* quaſi partiturus laudem boni quod facimus inter Dei auxilium & vires arbitrii humani, ſed *ſemper* dixiſſe. Nec repugnat Deum aliquid velle præceptivè à nobis fieri, ut habet rationem officii præſtandi ac debiti, & decretivè illud in nobis promovere ac operari per gratiæ indebitæ efficax auxilium; ut meritò Veteres hac formulâ in ſuis precibus uſi legantur, *Fac quod jubes & jube quod vis.* Et perabſurde cum Volkelio, ex Dei mandatis, ſuffultis comminationibus & promiſſis, quæ ſunt officii noſtri norma, feceris in natura corrupta menſuram virium noſtrarum. Meritò Deus *maleſacta* hominum *ſuppliciis vindicat*, quia debebant feciſſe bona quæ imperabat, & ab officio debito ac præſcripto ultrò & ſponte ſuâ defecerunt: Sed inde non ſequitur penes eos fuiſſe, citra gratiæ divinæ efficax auxilium, ad *præclara* illa *facta*, quæ ceu debita imperaverat, procedere. Fateor *exiſtimandum* non eſſe *Deum auxilium ſuum, ulli homini ſuppliciter ad ipſum accedenti*, unquam *denegaturum*: Sed unà ſtatui debet mortalium neminem *ſuppliciter* ad Deum accedere poſſe, niſi per ſpeciale Dei auxilium præditus fuerit illo *Spiritu gratiæ & deprecationum* cujus meminit Propheta, Zachar. XII, 10. cùm ipſi *quod oremus ut oportet non noverimus* Rom. VIII, 26. Igitur, ut omnis mali culpa, quod benè monet Volkelius hoc loco, homini eſt adſcribenda, per voluntatis ſuæ corruptionem & nativam improbitatem, nec ea facienti nec facere volenti quę ſi faceret ulteriùs à Deo promoveretur; ſic è contrario omnis boni laus & gloria in Dei gratiam merè gratuitâ & indebitam eſt transſcribenda.

Duplici porrò ratione Deus hominum conatibus opitulatur: quarum altera externa eſt, & vel in minando, vel in promittendo conſiſtit: quanquam in promiſſis major vis eſt homines Dei ſtudio inflammandi. Altera verò internum auxilium eſt, quod tunc nobis Deus affert, cum vel promiſſa nobis facta ac externis documentis confirmata, animis noſtris divina virtute penitùs inſculpit, vel pleniori voluntatis ſuæ notitiâ nos inſtruit.

1 *Duplici porrò*] Externum illud auxilium, nec ſemper præſtò eſt omnibus & ſingulis, nec quicquam ſalutare operari poteſt abſque interno: Hoc verò perperam Volkelius cum Pelagio collocat in ſola mentis illuminatione theoretica quæ

quæ inſtar habitus poiëtici ſubſit directioni voluntatis; cùm debeat eſſe illuminatio practica, & efficax quæ voluntatem purget, corrigat, erigat & determinet; prout ea eſt voluntatis indoles in genere entis, cùm ſit ὄρεξις νοερὰ, ſive appetitus intellectivus & rationalis, ut ſequatur judicium ultimum rationis practicæ & ab eo determinetur. Mitto collationem quam hîc inſtituit Volkelius inter minas & promiſſiones, cùm Deus utraſque ſoleat adhibere tam in Lege quam in Euangelio, & homo corruptus faciliùs ducatur formidine pœnæ, quam ſpe præmii, aut virtutis amore.

Jam ut adverſariorum argumenta ponderemus; intelligendum eſt, eos, qui huic veritati obſiſtunt, duplicem hominis ſtatum conſiderare, in quorum altero ante miſerrimum illum Adæ caſum fuerit; in alterum verò poſt eundem lapſum inciderit. Ajunt igitur, hominem dum in priore poſitus eſſet ſtatu, voluntate fuiſſe liberrima: ſimul ac verò illo dejectus fuit, arbitrii libertatem, præſertim in rebus ad religionem & pietatem pertinentibus, 547.
amiſiſſe. Quod quidem quàm verè ab illis dicatur, partim ex iis conſtare poteſt, quæ hactenus diſputavimus: partim ex illis, quæ poſtea dicturi ſumus, intelligetur. Primò igitur dicimus, non ſolùm nihil eſſe, cur, cùm homo ante lapſum liberam voluntatem habuerit, eandem poſt lapſum minimè habeat; ſed inſuper cauſam eſſe, cur etiamnum hominum conſilia, cogitationes, animorumque inductiones, liberas exiſtere planè ſtatuatur. Ac illud quidem ideò, quòd ipſa rei natura nequaquam poſtulabat, ut hominis peccatum liberæ voluntatis privatione mulctaretur: cùm aliam illi Deus pœnam irrogare potuerit, ut & feciſſe eum apertiſſimè conſtat. Neque enim hanc rem in illis ſuppliciis, quibus Deus primum hominis peccatum ulturum ſeſe dicit, numerari, ullamvè ejus mentionem fieri videmus. (*Vid. Geneſ.* 3, 16. 17. 18. 19. Hoc verò poſterius ideò fatendum eſt, quòd nihil à Dei juſtitia magis abhorret, quàm hominis voluntatem ita impedire atque alligare, ut minimè in nobis ſitum ſit, cogitare atque moliri, quæ bona cumque virtute conjuncta ſunt. Cùm enim, ut ſuprà diximus, Deum illos, qui cum juſtitia minimè vivunt, omnino etiamnùm punire, & aliquando ſempiterni interitus ſupplicio puniturum eſſe compertiſſimum ſit; nonne qui opinionem iſtam defendunt, & peccati autorem, & injuſtiſſimum eum faciunt, qui cum hominis voluntatem tantâ neceſſitate devinctam eſſe voluerit, nihilominus tamen, quia verbo illius audiens non ſit, ſuppliciis eum mactare non dubitet.

† *Iam ut adverſariorum*] Duplicem illum ſtatum naturæ humanæ, integræ & corruptæ, eſſe diſtinguendum, nec ipſe adverſarius auſit diffiteri. Suo lapſu Adamum ſibi & nobis plurima amiſiſſe bona, mala multa contraxiſſe, in confeſſo eſt apud omnes. Per ipſum quidem non amiſimus liberum arbitriũ in genere entis,

ſive eam facultatem naturalem, agendi ἐκ προαιρέσεως, & volendi ac appetendi, ἑκουσίως & incoactè, quicquid volumus, & volendum atque appetendum judicamus; Sed cùm ſervi facti ſimus peccati, & mancipati illi morti ſpirituali ac univerſali corruptioni, cujus meminit ſacra Scriptura, ut alibi ſic nominatim Eph. II, 1. 2. 3. IV, 18. 19. eo ipſo amiſimus facultatem in genere moris benè volendi, & ea vel cogitandi vel faciendi, quæ ſint Deo grata & accepta. Igitur pugnat hæreticus cum ſua umbra, dum pertendit hominem *liberam voluntatem* habere; Id enim concedimus ultrò de libertate à coactione & neceſſitate phyſica; negamus ſolùm de libertate à ſervitute, quo demum reſpectu ſervum ſtatuimus arbitrium humanum, donec per gratiam Dei medicinalem à peccati ſui ſervitute liberatum fuerit, nobis in filiorum Dei libertatem aſſertis. Spontaneitatem agnoſcimus & incoactionem in hominum conſiliis & cogitationibus & inductionibus: Sed id non impedit quominus eorum *conſilia, cogitationes & inductiones*, vanitati & peccato maneant certò mancipatæ ex corruptione quam contraximus in Adamo, quâ fit ut homo animalis nec percipere queat ea quæ ſunt Dei, imò neque velit neque poſſit ſe illius legi & voluntati ſubjicere. Equidem *ipſa rei natura nequaquam poſtulabat, ut hominis peccatum liberæ voluntatis privatione mulctaretur*; ſi libertas intelligatur à coactione; cùm homo debuerit manſiſſe agens ſpontaneum & ἑκούσιον, & qui ſemper liberè & incoactè velit, quicquid *vult*. Sed cùm omnigenam mortem Deus denunciaverit hominis peccato Gen. II, 17. debuit quoque & eam incurriſſe, ceu neceſſarium conſequens ſuæ culpæ, ex qua omnibus viribus omnique ſenſu & motu ad bonum deſtituitur. Et dum provocat Volkelius ad locum Geneſ. III, 16. 17. 18. 19. deberet ſcire quod ſpecialia ibi commemorata non derogent generali illi aſſerto Gen. II, 17. quo meritò nitimur. Argumentum illius *à Dei juſtitia* deſumptum, eſt planè frivolum: Nec enim Deus propriè immiſit homini eam impotentiam benè volendi & agendi, ſed illam homo contraxit ſuo vitio, ut cùm quis ſuâ ebrietate contrahit eam & cerebri turbationem & nervorum imbecillitatem, per quam nec ſtare, nec rectus incedere, poteſt. Nec ſi Deus juſto ſuo judicio permiſit *hominis voluntatem tanta neceſſitate* malè agendi *devinctam eſſe*, debet ideo vel *peccati autor* cenſeri, cùm hæc impotentia hominem ipſum habeat autorem & is ſuo jumento, ut ajunt, hoc malum ſibi adduxerit, de quo præmonitus à Deo fuerat, & quod præcavere poterat, perſtando in ſuo officio; vel injuſtitiæ argui, puniendo peccata impiorum: cùm ea ultrò & ſponte ſuâ commiſerint, & ita non potuerint non peccare ut nec doluerint quod non poſſent, nec voluerint id poſſe, & ſummâ animi lubentiâ peccare voluerint. Dæmonas eâ eſſe conditione, ut nihil boni poſſint agere aut velle, non inficiabuntur credo Sociniani, adverſus Chriſtum Joh. VIII, 44. An Deus ergo vel peccati autor, vel injuſtiſſimus ab illis ſtatuetur, quod cum Dæmonum *voluntatem tanta neceſſitate* corruptionis & malè agendi *devinctam eſſe* noverit & ſuo quoque ſenſu *voluerit*, dum voluit eorum lapſum irreparabilem permittere, *nihilominus tamen*, eos propter mala quæ faciunt, æternis *ſuppliciis* addicere & *mactare non dubitet*?

Verùm cum, qui hominis libertatem oppugnant, ii firmiſſima ſeſe erroris ſui argumenta habere putent, ſingula diligenter excutienda ſunt. Eorum

autem

Digitized by Google

autem duo ſunt genera: quædam enim ex falſiſſimis deducuntur pirincipiis: quædam ex veris quidem ſumuntur, non tamen rectè intellectis. In primo genere illud potiſſimùm eſt, quod ex peccato, ut vocant, originali depromitur: de quo ita diſputant, ut crimen à primo parente conceptum in ſobolem derivatum eſſe defendant, ejuſque contagione, tum omnes humanas vires corruptas ac depravatas, tum potiſſimùm voluntatis libertatem deſtructam eſſe aſſerant. Quod quidem dogma ut tantò meliùs excutiamus, omnium primò videndum eſt, quo pacto ab iſtis peccatum originale definiatur. Cùm verò magna in loci hujus tractatione doctorum hominum varietas diſſenſioque ſit, quam hoc loco ingredi, & longum & infiniti negotii eſſet; idcirco illud tantummodo arripiendum videtur, in quo omnes ferè conſentiunt, atque inprimis ii, qui liberam homini poſt lapſum voluntatem adimunt, nimirum orignale peccatum eſſe cupiditatem quandam malam, ſeu ad peccandum proclivitatem, ex illo Adami lapſu in omnem ipſius poſteritatem naturali propagatione tranſmiſſam. Unde colligitur, hîc ſimul ſtatui, niſi Adamus peccâſſet, totam ipſius poſteritatem à peccandi proclivitate liberam exrituram fuiſſe: eodem porrò peccato hominis voluntatem ita alligatam eſſe, ut non niſi mala deſiderare, decernere, ac facere, niſi divina aliqua occultaque virtute in contrarium flectatur, poſſit. Quæ omnia nos pernegamus, utpote & ſanæ mentis rationi, & divinæ ſcripturæ contraria. 148

‡ *Verùm cum.*] Prolixus iſte circuitus non erat neceſſarius. Mirum non eſt ſi Pelagii nepotes, paria cum illo inſaniant, & toti ſint in illa nativa corruptione, impugnanda, quæ omnibus Chriſtianis peccatum originale nuncupatur. Nec tamen ſtatuimus eâ ratione *voluntatis libertatem* à coactione, *deſtructam, eſſe*, ſed duntaxat voluntatem evaſiſſe ſervam peccati, eique penitùs eſſe mancipatam, donec per gratiam Chriſti liberetur & ad benè volendum & agendum inflectatur. Quamvis autem in Chriſtianorum Scholis variæ ſoleant tractari quæſtiones de peccato originali, poſſumus tamen acquieſcere in hac Volkelii deſcriptione, quantum ad illam labem naturalem quæ ex Adamo in omnes ejus poſteros per generationem derivatur. Ex qua non quidem ſequitur, ut fingit Volkelius, quod *niſi Adamus peccaſſet, tota ipſius poſteritas* à peccandi proclivitate & periculo immunis fuiſſet futura; Nec enim arbitramur Adami filios ipſo ſtante, melioris futuros conditionis quam ipſum; adeoque non futuros fuiſſe exemptos à labendi periculo; Sed inde ſequitur Adamo, ceu totius ſtirpis origine, peccante, totam ejus ſobolem peccatricem propagandam fuiſſe. In illa autem originali labe impugnanda vitioſè procedit hæreticus, primam argumentorum phalangem à *ratione* ducendo; cùm debuiſſet potius & primùm à *Scriptura* argumentari. Sequamur tamen eum quà ducit, & ejus rancida Sophiſmata excutiamus.

Rationi;

Rationi: quia planè à recto ejus judicio alienum eſt, unum peccandi actum tantam vim habere, ut totam hominis naturam, & ſic etiam hominis voluntatem deſtruere poſſit: cum ne unius Adami quidem naturam corrumpere potuerit. Nam alioqui, ſi ſinguli peccandi actus tantam vim haberent, cùm, ex iſtorum hominum ſententia, Adamum poſt iſtud tempus, per tot annorum centurias, infinities peccâſſe neceſſe ſit, ne veſtigium quidem ullum virium humanarum manſiſſet in eo reliquum: quanto autem minus in ipſius poſteris, qui longa ſerie eum ſecuti, numerum iſtum peccatorum infinitis aliis auxerunt. Certè nos ab Adamo, utut in peccatum illud primum jam lapſo, tantum diſtaremus, quantum à cœlo terra, & ne milleſimam quidem eorum partem, quæ Adamus jam lapſus præſtare potuit, nos hodie præſtare poſſemus. Quod ſi dicas, peccatum Adami per ſe quidem hanc vim non habuiſſe, ſed hanc ei pœnam à Deo ob peccatum iſtud inflictum fuiſſe; id jam paulò antè refutavimus.

‡ *Rationi: quia*] Primùm obſervari velim non ſpectari hîc deſtructionem aliquam phyſicam naturæ aut voluntatis humanæ in genere entis; ſed naturæ & voluntatis corruptionem moralem, per quam homines *naturâ filii iræ* evaſerint, ut loquitur Paulus Eph. II, 3. Deinde falſiſſimum eſt uno peccandi actu totam naturam intelligentem corrumpi & depravari non poſſe. Qualecunque fuerit primum dæmonis peccatum, uno illo actu corruptiſſimus & depravatiſſimus, etiam immedicabiliter evaſit. Deprehenſi ſunt nonnunquam homines, qui per unum actum ſævitiæ & crudelitatis immanioris eum habitum feritatis pluſquam belluinæ contraxerunt quem nunquam poſtea exuerunt. Et cùm poſſit homo uno actu intemperantiæ totam corporis ſui εὐεξίαν ſubvertere, & morbum inſanabilem contrahere, non video quî non potuerit uno peccaminoſo actu, juſtitiam & ſanctitatem originalem quam conſequutus fuerat in imagine Dei penitùs extinguere; Nam prout imago Principis numo impreſſa deletur & inducitur, ſi affricetur terræ, ita non potuit non deleri imago Dei in homine, cùm cœleſti tramite relicto animum ad terreſtria appulit. Certè ſi quem canis rabidus momorderit, eum faciet pariliter lymphaticum & rabidum: Sic morſus primus homo à Satana ejus virus imis hauſit medullis, eique evaſit ſimillimus. Nihil autem in eo evenit homini, quod illi Deus non prædixiſſet, dicendo Gen. II, 17. *Quo die comederis, morte morieris.* Sic enim in Deum peccando non tantum mortis corporeæ & æternæ reatum contraxit, verùm etiam excidit illâ vitâ ſpirituali quæ ex imagine Dei fluebat, & in mortem eam ſpiritualem incidit, per quam ineptus ad omne bonum evaſit. Non ſolum id docet Scriptura Eccl. VII, 31. Rom. V, 12. & alibi, ſed etiam ipſimet Judæi agnoverunt, quod ex tractatu Menaſſis Ben Iſrael *de Fragilitate humana* in promptu poſſet demonſtrari. Jam autem æquum eſt ex lege ordinaria generationis, juxta quam quodlibet ſibi ſimile procreat, ut Adam habitualem illam corruptionem, quam ſuo peccato contraxit propaget ad poſteros, quomodo æthiops æthiopem gignit, leproſum leproſus. Et quod ſunt in nonnullis familiis morbi quidam hæreditarii, id ipſum eſt in omnibus

Digitized by Google

omnibus Adami poſteris ab ipſo naturaliter derivatis, illa habitualis corruptio, quam Judæi appellant יצר הרע *Iatſar harang*; quo de nomine videantur Buxtorfius in *Lex. Thalmud. ad Verbum* יצר & Galatinus, *libr.* 6. *de Arc. Verit. Cath. cap.* 5. & 6. Ille autem habitus vitioſus, eouſque corrupit homines, ut ex illo fonte manent omnia peccata quæ ab ipſis committuntur. Igitur falſò ſupponit Volkelius, illum actum peccaminoſum primorum parentum, quo in mortem omnẽ inciderunt, *ne unius quidem Adami naturam corrumpere* potuiſſe. Falſò ſupponit corruptionem Adami ad nos traduci nequiviſſe; cum rami radicis indolem, & malla primitiarum ſuarum naturam imitentur. Falſò ſupponit aliquas vires benè volendi & benè agendi, ſuperfuiſſe in Adamo poſt ſuum lapſum, quas debuerit magis atterere per ſubſequentia peccata: Nam inde infinita illius & poſterorum ſuorum peccata ſunt ſubſequuta, quod primo ſuo lapſu omnes vires benè agendi ſibi & ſuis amiſerit. Falſò ſupponit nos debere eſſe factos longè deteriores Adamo, quod tã multa alia peccata illius vitio adjiciamus: Nam præterea quod non omninò abſurdè dixit Poëta,

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem;

peccata noſtra actualia ſunt perſonalia & individuorum, quæ nihil agunt in ipſam ſpeciem; ſed illius tranſgreſſio fuit ſuo ſenſu naturalis, quatenus totius naturæ ſcaturiginem in ipſo vitiavit; unde dicitur genuiſſe filium ad ſui imaginem, non verò ad imaginem Dei, quam in ſe induxerat ſibi & nobis omnibus ſuo peccato. Nec eſt opus dicere *peccatum Adami per ſe quidem hanc vim non habuiſſe, ſed hanc ei pœnam à Deo ob peccatum iſtud inflictum fuiſſe*. Nam primò certum eſt hanc vim habuiſſe peccatum Adami, ut deleret ac induceret Dei imaginem, ſive juſtitiam originalem cum qua conditus fuerat, eumque ſubjiceret morti non minus ſpirituali, quæ hanc impotentiam benè agendi ſonat ac complectitur, quam corporali & æternæ. Deinde licet hæc impotentia poſſit pœnalitatis nomine exprimi, quo vocabulo interdum utuntur Scholaſtici, tamen non tam habet rationem pœnæ propriè dictæ & à Deo inflictæ, cum ipſa ſit in ſe vitioſa & culpabilis, quam effectus, ſequelæ & conſequentis neceſſarii ipſius peccati, quod cùm hominem de ſtatu primævæ ſuæ integritatis & concreatæ juſtitiæ dejecerit, eo ipſo illum omnigenæ corruptioni, qualis paſſim proponitur in Scripturis, ſubjecit, & peccato penitùs mancipavit.

Scripturæ verò ſententia iſta adverſatur: quia non ſolùm nuſquam literis prodita eſt, ſed etiam ea ibi ſcripta leguntur, quæ illam penitus convellunt. Non minùs enim, verbi cauſâ, Abel, quàm Cain, ex Adamo natus erat: nec tamen peccatum paternum ei ingeneratum fuit, ut nimirum & naturam & voluntatem ipſius à divinis præſcriptionibus averteret: quinimò ob pietatis ſtudium, juſtum eum appellatum fuiſſe legimus. (*Matth.* 23. 35. 1 *Ioh.* 3. 12.) Similiter & Enochus tam ex Adamo originem duxerat, quàm cæteri omnes: nec tamen naturam doluntatemque ſcelere contaminatam eum habuiſſe inde perſpicitur, quòd vropter ſingulariſſimam pietatis præſtantiam in cœlum tranſlatus eſt. Eodem modo & de Noacho aliiſque quàm plurimis judicandum eſt. (*Gen.* 5. 22. 25. 6. 9. *Hebr.* 11. 4. & *d.*)

‡ *Scripturæ verò*] Falſo dicit Volkelius *nuſquam literis* proditam eſſe quam defendimus ſententiam de peccato originali, quo *nihil eſt ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum ſecretius*, ut loquitur Auguſtinus *de mor. Eccl. Cathol. cap.* 22. cùm ea luculentiſſimè proſtet Gen. VI, 5. VIII, 21. Job. XIV, 4. Pſal. LI, 7. Joh. III, 6. Rom. V, 12. 14. 1 Cor. XV, 22. Eph. II, 3. 5. Quâ de re nos alibi fusè diſſeruimus, tum *Antitirini* noſtri *tom.* 1. *Cont.* XI. tum in *Diſput.* noſtrarum *Sylloge parte* 1. *pag* 644. *& ſeqq.* ubi extat *Diſputatio de peccati originalis exiſtentia & natura.* Eſſe verò in Scripturis, quæ hanc veritatem *penitùs convellant*, faciliùs dixerint quam demonſtraverint Sociniani. Et ſunt planè inepta ad hanc rem exempla Volkelii. Ex generationis primævæ vitio, æquales erant Caino, Abel & Enochus: ſed diſpares ei evaſerunt per indebitæ regenerationis gratiam; nihil enim habuerunt quod non accepiſſent 1 Corinth. IV, 7. Et Paulus Hebr. XI, 4. & ſequentibus, pietatem & juſta eorum opera non rejicit in vires illorum naturales, ſed in ipſorum fidem, quam non eſſe ex nobis, ſed ex Deo, docet Epheſ. II, 8. In Caino aliiſque reprobis contemplabantur quales ipſimet eſſent à natura; In ſe ipſis verò patefaciebant quales evaſiſſent ex gratia, ut nullum argumentum ineptius potuerit proferri à Volkelio.

Adde, quòd, ſi humana natura unius hominis caſu ita corrupta eſt, ut non poſſint homines non peccare; Deum, utpote omniſcium, hoc latere nequaquam potuit. Atqui hoc illum ignorâſſe, (modò ignorari id rectè
549. dicitur, quod planè non exiſtit) ex compluribus ipſius factis clariſſimè patet. Nam ut alia plurima, quæ rei à nobis affirmatæ evidentiſſima continent argumenta, reticeam, parùmne apertum illud eſt, quòd univerſo hominum generi propter ſcelera eluvionem immiſit? Neque enim ullo pacto Deus, qui ipſa juſtitia & bonitas eſt, pœnam, præſertim tam gravem, toti hominum generi inflixiſſet, ſi flagitia concipere illis innatum eſſe animadvertiſſet. Accedit, quòd cùm homines omni flagitiorum genere coopertos eſſe videret, tanquam ſi novum admirabiléque illi quippiam accidiſſet, ita ſeſe hominem creâſſe indoluit, ut ex his Moſis verbis intelligitur: (*Geneſ.* 6, 5. 6: 8, 21.) *Videns autem Dominus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore: pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra*, &c.

‡ *Adde quòd*,] Non potuit ſanè latere Deum omniſcium quam corruptionem & miſeriam homo contraxerit illâ ſuâ ultroneâ culpâ, quæ etiam non citra illius permiſſionem evenit: Id verò Deum *ignorâſſe* nullis argumentis poteſt demonſtrari. Et miror homines qui ſibi tam arguti videntur, tam ridiculè argumentari, ut hic fit à Volkelio: Diluvium enim immiſit Deus toti humano generi tanto juſtiùs, quanto magis perſpecta illi fuit ejus corruptio, juxta quam *flagitia concipere illis innatum eſſe animadvertiſſet.* Quod luculenter docent illa ipſa verba quæ citat Adverſarius ex Gen. VI, 5. & VIII, 21. Nec enim tantum noverat Deus omnem cogitationem cordis hominum intentam eſſe ad malum omni tempore,

Digitized by Google

tempore, ſed etiam talem eſſe ab eorum pueritia, quia ſcilicet quod ex carne natum eſt caro eſt, nec quiſquam poteſt ex immundo mundũ educere. Dolor verò & pœnitentia quę à Moſe Deo tribuuntur, per ἀνθρωποπάθειαν, debent intelligi θεοπρεπῶς; Non quod aliquid hic ipſi ex improviſo contigerit, ſed quod voluerit nova facere & hominibus infligere juſtam peccatorum quæ commiſerant ipſiſmet inexpectatam pœnam, citra novitatem voluntatis & conſilii.

Hîc verò adverſarii contradicendi ſtudio abrepti, vel hoc ipſo Moſis teſtimonio abundè confirmari dicent, Adami peccatum ita in ipſius ſobolem transfuſum fuiſſe, ut non niſi malum meditari poſſet. Reſpondemus autem, tantum abeſſe, ut hic locus adverſariorum opinioni ulla ex parte ſuffragetur, ut vix quicquam afferri poſſit, quod plus ad eam prorſus evertendam habeat momenti. Non ſolùm enim hîc hominum generi malitiam innatam eſſe minimè dicitur; ſed etiam Deus, tum per Noachum, ut ab ea malitia homines deſiſterent, admonuit: tum quia illius monita fuerunt aſpernati, diluvio eos perdidit. Quorum illud temerarium, hoc injuſtum fuiſſet, ſi hominibus id innatum fuiſſet: cùm nequaquam fas ſit, aliquem ob id ſupplicio afficere, quò ea non præſtet, quæ præſtari ab illo minimè poſſunt: ſed eum pœnas dare, qui cùm quppiam ex divina præſcriptione exequi valeat, nolit tamen, imò Dei juſſa contumaciter repudiet, id demum juſtitiæ conſentaneum eſt. Senſus ergo Moſis verborum eſt, homines illos, non quidem ſuâ naturâ, ſed voluntariâ animorum inductione, ſemper ad malè agendum propenſos fuiſſe, ideóque propriâ ſuâ culpâ dilu ii pœnam ſibi accerſiviſſe, quam omninò vitâſſent, ſi perinde, ut Noachus, pietatis ſtudioſi fuiſſent, vel ſaltem ab eo moniti reſipiſcere atque ad frugem redire voluiſſent.

† *Hîc verò adverſarii*] Omnis hæc reſponſio eſt abſurda. Nam primùm *hominum generi malitiam innatam eſſe*, perſpicuè docet Moſes, cùm dicit quod *omni tempore*, & ab hominis *pueritia*, *omne figmentum ac cogitationes cordis ejus* ſint: *tantummodo malum*. Deinde admonitiones per Noachum factæ probant quid fuerit officii iſtorum, ſed non oſtendunt quid potuerint: Etiam poteſt conveniri malum nomen, & qui non eſt ſolvendo quod debet jure merito plectitur: Qui non poteſt in ære, luat in corpore. Tertiò non eſt magis injuſtum homines puniri etiam ob innatam corruptionem, quam occidi lupum recens natum ob innatam rapacitatem, licet nullam adhuc ovem rapuerit, aut ſerpentem recens excluſum ob virus inſitum, licet illud nondum ſpa ſerit. Quartò nec injuſtum eſt eum *ſupplicio afficere quod ea non præſtet, quæ ab ipſo præſtari non poſſunt*, ſi ea præſtare debeat ex lege & officio, & impotentiam illa præſtandi ſuo vitio contraxerit. Quotidie puniuntur decoctores qui non ſunt ſolvendo, quod in illam inſolvabilitatem ſuâ culpâ inciderint. Meritò olim Romæ illi Equites puniebantur quod adverſus hoſtes pugnatũ non prodirent, licet pugnare non poſſent utroque pollice truncati, quia hanc truncationem ſibi malitioſè intulerant ne pugnarent. Qui

 juſto

juſto Dei judicio, cum Pharaone, indurantur, nequeunt in eo ſtatu præſtare quæ mandantur; An tamen ideo eorum contumaciæ impunè eſſe debet? Adhæc non videretur convenire rationi, ut iplecteretur qui vellet obedire & omni ope eo conniteretur, cùm tamen non poſſet; Sed hîc alia eſt ratio: Ita enim non poſſunt homines corrupti Deo obedire, ut ſimul nolint, & eorum contumacia ſit pertinax & ſummopere voluntaria: Non itaque tantum puniendus, qui valet *exequi* quod præcipitur, ſed non vult; verùm etiam omnis qui non vult, cùm velle debeat, etſi non valeat ſuâ culpâ, & eum habitum malè agendi contraxerit, quem non magis ex ſe queat exuere, quam ſuam cutem nigram æthiops aut pardus ſuas maculas; quo ſimili utitur Propheta Jer. x i i i, 23. In ſenſu autem verborum Moſis, qualem proponit Volkelius, opponuntur quæ erant componenda: Nec enim repugnat homines *ſuâ naturâ* eſſe filios iræ, ut loquitur Paulus Eph. i i, 3. & ſimul *voluntariâ animorum inductione ſemper ad malè agendum propenſos eſſe*: Nam ſi ea vis eſt habituum vitioſorum longâ aſſuetudine contractorum ut quaſi in propriam naturam abeant, quam licet expellas furcâ ſemper uſque recurrit, etſi qui agunt ex iſtiuſmodi habitibus, agant *ex voluntariâ valdè animorum* ſuorum *inductione*, cur non idem multo magis ſtatuamus de habitu connato labis originalis, qui in ſingulos Adami poſteros lege generationis derivatur? Verùm quidem eſt primi mundi accolas, *propriâ ſuâ culpâ diluvii pœnam ſibi accerſiviſſe, quam omninò vitaſſent, ſi perinde ut Noachus ſtudioſi pietatis fuiſſent, vel ſaltem ab eo moniti reſipiſcere atque ad frugem redire voluiſſent.* Sed 1. τὸ *Si*, nihil ponit vel in eſſe, vel in poſſe illorum. 2. Impotentia benè agendi ad propriam eorum culpam pertinuit, & fuit voluntaria antecedenter in Adamo, in quo omnes peccarunt Rom. v, 12. ſubjectivè in eorum mente & voluntate quam ligabat, & conſequenter in omnibus ſuis malis actionibus, quas ita liberè voluerunt ut vel ferri vel poſſe ferri in oppoſitum noluerint. 3. Noachi pietas, non in proprias illius vires, ſed in Dei ſingularem gratiam, ex qua fide præditus fuit, eſt rejicienda Hebr. x i, 7. Quin nec alios ad reſipiſcentiam invitaſſet niſi fuiſſet præditus Spiritu Chriſti 1 Petr. i i i, 19..20.

Huic ſimile & illud eſt, quod apud eundem Moſen dicatur, (*Gen. 8. 21.*) *figmentum cordis humani malum eſſe ab adoleſcentia ſua.* Nam primùm de eadem malitia hîc ſermo eſt, de qua in loco præcedente, à nobis jam excuſſo. Ibi autem non de innata hominibus malitia, ſed de voluntaria ſermonem eſſe docuimus, in quam homines ab adoleſcentia, (non, ut multi volunt, ab infantia) ſponte ſua ruant præcipites. Adde, quòd eo loco non dicitur figmentum cordis humani malum *eſt* ab adoleſcentia, ut vulgò legitur. Neque
550. enim in Hebræo verbum eſt expreſſum; &, ſi loci ſententiam ſpectes, ſubaudiendum potiùs eſt verbum *ſit*: nec verba hæc ita ſunt à præcedentibus divellenda, ut utraque per ſe ſententiam integram abſolvant; ſed ita inter ſe connectenda, ut una quædam ex iis conſtituatur ſententia, hoc nimirum pacto: *Non addam maledicere ampliùs terræ propter hominem, quia figmentum cordis hominis malum* [ſit] *ab adoleſcentia.* Quaſi dicat: etiamſi contingat, ut denuo eò

Digitized by Google

nuo eò progrediatur hominum malitia, quò antea progreſſa fuit, ut nimirum ab ipſa adoleſcentia, peſſima quæque cogitent ac moliantur: non tamen ea tantam apud me vim habebit, ut illius cauſâ terræ maledicam, omnemque viventem animam, ut nunc feci, interimam. Nam alioqui, ſi, ut vulgò ſolent, locum legamus & interpretemur, ſtatuendum erit, Deum eâ ipſâ re permotum fuiſſe ad eluvionem orbi terrarum non ampliùs immittendam, quâ paulò antè permotus fuerat ad eam immitendam: quo nil cogitari poteſt abſurdius.

. ‡ *Huic ſimile.*] Quaſi verò, id quod omnibus hominibus ineſt ab eorum *pueritia*, juxta verba Moſis Gen. VIII, 21. eis innatum ſtatui non debeat; aut ſit legitima adverſarii oppoſitio, inter malitiam innatam & voluntariam, cùm & illa quoque voluntaria ſit. Fruſtra autem vult hîc Volkelius diſtinguere inter *adoleſcentiam* & *infantiam*: Nam Caſtalio ipſe reddit *à pueris.* Junius *à pueritia* ipſius: & quamvis Græcorum νεότης & Latinorum *juventus* vel *adoleſcentia*, videatur potiſſimum ad ephebos ſpectare, tamen Hebræum נער *Nognar*, & נעורים *Negnurim*, ſæpè ſumitur pro ipſa pueritia & infantia, ut videre eſt Thren. III, 27. Jer. XXII, 30. & alibi. Quidquod ab infamet adoleſcentia homines non eſſent corrupti niſi jam à pueris, ſemina malitiæ ſibi innata habuiſſent? Et qui *adoleſcentiæ* vocabulum hîc putarunt retinendum, hac moti ſunt ratione quam ex Ambroſio habet Cornelius à Lapide *ad h. l.* quod nempe *ex illa ætate creſcit malitia: nam diligentia & ſtudium peccandi incipit à juventute: ut puer quaſi infirmus peccet, juvenis tanquam improbus, qui ſtudioſe cupiat peccatum committere & in criminibus glorietur.* Ridiculè verò & contra omnium interpretum fidem, vellet Volkelius induci verbum *eſt*, ne loquatur Deus de conditione ordinaria hominum, ſed de ea nequitia ad quam forte poſſent redire inſtar eorum qui diluvio perierunt. Nam etſi profiteretur Deus ſe non amplius maledicturum terræ ob eam cauſam propter quam primum orbem perdidit diluvio, & eo quod figmentum cordis hominis malum *ſit* ab ipſius pueritia & teneris unguiculis, hinc tamen non ſequeretur Deum in dubio conſtituere num ea cauſa ſit porrò extitura nec-ne; ſed è contrario ſtatueret quod etſi eadem corruptio innata permaneat, eademque cauſa duret & continuet, non ſit tamen eadem pœnâ illam vindicaturus, nec illa cauſa talem effectum habitura. Atqui ſic *ſtatuendum* non eſt, ut imaginatur Volkelius, *Deum eâ ipſâ re permotum fuiſſe, ad eluvionem orbi terrarum non amplius immittendam; quâ paulo ante permotus fuerat ad eam immittendam*; Nam ſemper perinde erit ac ſi diceret Deus, mihi ſtat ſententia conſtans nullum amplius diluvium toti terræ immittendi ad homines delendos, etſi eorum tanta ſit corruptio, ut omne figmentum cordis eorum ſit tantummodo malum ab ipſa pueritia, ac omni tempore. Quamvis nec ita abſurdum foret ſtatuere eâdem corruptione innatâ generis humani permoveri Deum ad deinceps parcendum terræ, quâ prius permotus fuerat ad diluvium immittendum; ut cùm parentes à corripiendis filiis immorigeris deſiſtunt, quod eos videant iremendabiles & inſanabiles. Extat ſimilis locus Eſ. I, 5. *Super quo percutiamini vos ultra?* quem interpretes ita explicant; Quorſum amplius percutiam vos? cùm omne plaga-

Digitized by Google

rum genus hactenus in vos immiſerim, & quaſi meam hoplothecam exhauſerim, & tamen ita maneatis obſtinati, ut nulla expectanda veſtri emendatio veniat.

Quid autem, inquient, illud eſt, quòd apud Jobum ſcriptum legitur, hominem abominabilem, inutilem, ſeu fœtidum eſſe, imbibereque iniquitatem, ut aquas? Item: hominem eſſe impurum in conſpectu Dei; quia ejus fundamentum ſit è pulvere, & ipſe res ſit frivola & fragilis; & tanquam putredo quædam. (*Iob.* 4. 17. *& d.* *&* 14. 4. *&* 15. 14. 15. 16. *&* 25. 4. *& d.*) Hinc enim omnino effici videtur, hominum naturam depravatam ac corruptam, ejuſque rei originem ad illud Adami peccatum referendam eſſe. Atqui conſecutio iſta peſſimè conſtituta eſt. Etenim ut nunc concedamus, iſta omnia propriè accipienda eſſe; quid, quæſo, aliud ſignificare poſſunt, quàm iſta, quæ commemorantur, ab hominibus fieri? quod quidem ad rem, quam adverſarii parant, nihil quicquam pertinet: cùm non ſimpliciter aliquid tale ab hominibus fieri, ſed neceſſariò ac planè naturaliter, non liberâ hominum voluntate fieri; neque hoc tantùm, verùm ex Adami peccato id profluere, demonſtrandum fuerit. Sed deinde, illud omninò figuratè intelligendum eſt, & vel hyperbolicè, vel ſaltem non prorſus univerſè dictum cenſeri debet, hominem iniquitatem aquæ inſtar bibere. (*c.* 15. 16.) Talem enim ipſum Jobum non fuiſſe, ex iis ſatis conſtat, quæ is de ſe toto cap. 31. narrat. Conſtat inſuper, tum eodem in loco, tum in aliis duobus, à nobis è cap. 4. & 25. (*cap.* 4. 17. 18. *cap.* 25. 4. 5.) citatis, non ſolùm hominibus, ſed angelis etiam, itemque cœlis ac ſtellis impuritatis contagionem expreſſè aſſignari, quos tam originali peccato contaminatos eſſe nemo dixerit. Intelligendum autem eſt, hîc comparationem quandam hominum cum Deo fieri ad quem reſpectu habito, homo immundus dicitur; utpote ex materia viliſſima abjectiſſimâque formatus: (*videl. d.*
551. *cap.* 25. 5.) quod idem de verbis cap. 14. ſtatuendum eſt. Denique animadvertendum, ſi locum cap. 14. excipias, verba illa omnia, non Jobi eſſe, ſed amicorum ejus, qui cauſæ non planè juſtæ defenſionem ſuſceperant, & toti in illo erant, ut Jobo integritatem ac juſtitiam illius detraherent, eumque ob peccata ſua affligi oſtenderent, id quod cum vero non congruebat.

1 *Quid autem, inquient*] Primò non hic proponuntur palmariæ rationes ex Jobo deſumi ſolitæ pro exiſtentia peccati originalis. Eò enim facit locus Job. XIV, 5. *Quis edat mundum ex immundo? ne unus quidem,* planè quomodo dictum à Chriſto Joh. III, 6. *Quod natum eſt ex carne caro eſt.* Item Job. XV, 14. *Quid eſt mortalis ut mundus ſit? & ut juſtus ſit qui natus eſt muliere?* Necnon Job. XXV, 4. *Quid purus eſſet natus muliere?* qui videlicet debet dicere cum Davide

Davide Pſal. L I, 7. *Ecce in iniquitate formatus ſum, & in peccato fovit me mater mea.* Deinde & quæ hîc ex Jobo citantur ſatis inſinuant quanta ſit hominum corruptio; imò & quam ea ſit ipſis connata patet ex eo quod dicitur homo *abominabilis & fœtidus imbibens ut aquam iniquitatem* Job. X V, 16. ideſt juxta Doctiſſimum Mercerum, *qui totus vitiis eſt imbutus, & pravitatem imbibit, ut aquam ſitiens : Tout confit en meſchanceté.* Hic ſanè non tantum quidem actus peccaminoſi hominibus objiciuntur, ſed tam univerſalis depravatio, ex qua omnis generis vitia copioſiſſimè pullulent. Neque iſta fieri ab hominibus inſinuantur, niſi per aliquam totius ſuæ conditionis depravationem univerſalem; quæ & ſuo ſenſu eſt *naturalis*; non quod ſit à Deo authore naturæ, ſed quod nobis adhæreat ab ipſis incunabulis, & per generationem naturalem ex Adamo peccatore & corrupto ad ſingulos propagetur; & etiam eatenus neceſſaria, quatenus nequit mala arbor proferre bonos fructus: Quanquam non ideo deſinunt malæ actiones, ex illa nativa & neceſſaria corruptione manantes, *liberâ hominum voluntate fieri*, cùm neque *naturale* quo ſenſu explicuimus, neque *neceſſarium*, pugnet cum voluntatis libertate: ut liquet ipſiſſimet Dei exemplo, ne hic Angelos & Beatos vocem ad partes. Dum verò dicitur apud Jobum, non poſſe mundum ex immundo educi, aut juſtum eſſe natum ex muliere, ſatis apertè docetur jure & vi natalium noſtrorum *ex Adamo* iſtam labem nobis adhæreſcere. Neſcit autem quo ſe vertat Volkelius dum prætendit *figuratè* intelligendum, & vel *hyperbolicè* vel *ſaltem non prorſus univerſè ſtatuendum hominem iniquitatem aquæ inſtar bibere.* Figuratam enim hîc admitto loquutionem, ſed hyperbolicam nego; cùm ſit ſimpliciter metaphorica, vel à terra arida, quæ avide imbibit pluviam; vel ab hominibus valde ſitientibus, qui cum aviditate & delectatione ſumma bibunt obviam aquam; vel etiam à piſcibus, qui veſcuntur in aquis, & illas ſorbere ſunt aſſueti: Quocunque autem te vertas in hac metaphora, reperies in homine innatam propenſionem ad peccandum, & ſummam in malè agendo delectationem. Nec ideo non eſt univerſalis hæc loquutio, inſtar ejus quæ extat Pſal. X I V, 3. & Rom. I I I, 10. 11. 12 quod *ipſum Iobum* talem non fuiſſe conſtet ex Scriptura: Nam cùm talis eſſet à natura, quod ipſemet de ſe ſatis profitetur Job. I X, 2. 19. 20. 28. 29. 30. 31. alius extitit per gratiam, non tam juxta Legis *ἀκριβοδίκαιον* quam juxta *ἐπιείκειαν* Euangelicam. Nec obeſt veritati, quod apud Jobum *non ſolum hominibus, ſed angelis etiam, itemque cœlis ac ac ſtellis impuritatis contagio* aſſignatur; Nam illa impuritas angelorum & cœlorum *comparativè* tantum debet intelligi ad ſummam Dei puritatem, neque *privativa* cenſeri debet rectitudinis debitæ ineſſe, ſed tantum *negativa* ſummæ illius & Creaturis indebitæ perfectionis quæ in ſolo Deo reperitur: Sed quantum ad hominis impuritatem, certum eſt eam ibi proponi & abſolutam, & privativam illius rectitudinis quæ ab ipſo requiritur, & abſque qua in Dei rigido judicio nequeat conſiſtere Pſal. C X L I I I, 2. Ridiculè verò recurrit Volkelius ad materiæ ex qua formatus eſt homo vilitatem & abjectionem, ut inde *immundus* ſtatuatur Job. X X V, 5. cum ipſa materiæ conditio, niſi forte in Manetis Schola, nihil habeat immunditiei moralis; & illa immundities hominis arceſſatur apud Jobum ex impuritate natalium ſuorum, & quod *ex muliere* natus ſit, ac morti per peccatum obnoxius. Fruſtra quoque

recurrit

recurrit Volkelius ad authoritatem dictorum ab amicis Jobi, quaſi ea non forent Canonica: Nam primò agnoſcit ipſe paria dici à Jobo cap. 14. Deinde etſi amici Jobi peccarent in hypotheſi & circa perſonam ipſius, quæ tamen dicebant vera erant legaliter & theticè, ut aliàs fuſiùs demonſtravi.

Hîc verò ad illa Davidis verba confugient: *Ecce in iniquitate conceptus ſum, & in peccato caleſecit me mater mea.* (*Pſal.* 51. 7.) Verùm ne hinc quidem peccatum originale conſtitui poteſt. Vel enim hæc propriè à Davide, vel figuratè dici volumus. Si propriè intelligenda ſunt, quo jure ad omnes refertur id, quod David ſibi ſoli tribuit? quid etiam cauſæ eſt, cur id ad primum hominis peccatum ſit referendum: cùm David tantummodo dicat, ſe à matre ſua in peccatis fuiſſe calefactum? ſi verò per aliquam dicendi figuram prolata ſunt, quo pacto, quæſo, hinc peccatum originale concludi poteſt? cùm iſto loquendi genere uti ſoleat ſcriptura ad exaggerandam hominis alicujus malitiam atque impietatem, cui ita ſit immerſus, ut ei videatur innata, cujus rei exempla habes Pſal. 58. 4. Eſa. 48. 8. & 49. 1. & Joan. 9. 34. Simili loquendi modo in re contraria utitur de ſe Jobus, cùm inquit, *Ab infantia mea crevit mecum miſeratio: & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum.* (*c.* 31. 13.) Licèt autem hæc verba alii aliter ex Hebræo legant: nihilominus illi quoque Jobum ita loquentem faciunt: *& ab utero matris deduxi eam,* ſcil. viduam. quod ſine hyperbola quadam nequaquam intelligi poteſt: niſi fortè etiam originalem quandam miſerationem & benignitatem erga viduas hinc placet exſculpere. Similiter & ipſe David de fiducia, quam in Deo repoſuerit, loquitur Pſal. 22. 10. 11. Quanquam non eſt reticendum, verba Davidis controverſa ita poſſe accipi, ut proclivitatem potiùs ad peccandum, quàm ipſum peccatum ſuum exaggeret, & ſic gravitatem facti ſui aliquo modo minuat atque excuſet. quaſi dixiſſet: non mirum eſt, me in flagitium hoc incidiſſe: cum plærumque tanta ſit hominum ad ſcelera proclivitas, ut in illis concepti natique eſſe videantur.

‡ *Hic verò ad illa*] Et revera hic locus Pſal. LI, 7. expreſſè ſpectat corruptionem originalem. Figurati hîc nihil eſt: Et quod *propriè* de ſe David dictum voluit hoc reſpectu, ad omnes debet extendi, cùm pari modo omnes concipiantur & naſcantur. Neque *iſto loquendi genere* uteretur ſubinde Scriptura, *ad exaggerandam hominis alicujus malitiam & impietatem*, niſi revera ei foret *innata*. Quò etiam faciunt ſatis palam loca quæ hîc citantur ex Pſal. LVIII, 4. Eſ. XLVIII, 8. Joh. IX, 34. (nam locus Eſa. XLIX, 1. huc non ſpectat) quamvis potiùs notent terminum à quo (reſpectu temporis) iſtius improbitatis, quam modum per quem, ut apud Davidem, ea propagata fuerit. Nec debet objici locus Jobi XXXI, 18. planè alius. Nam phraſis eſt omninò diverſa: aliud enim eſt conceptum fuiſſe in iniquitate & calefactum à matre ſua in peccato, quod dicit David, non exaggerans

Digitized by Google

exaggerans tantum tempus à quo fuerit addictus peccato, ſed explicans quoque modu per quem illi corruptioni obnoxius factus ſit; aliud verò quod dicit Job, ſecum ab infantia creviſſe pupillum, & ab utero matris ſuæ viduam ſe deduxiſſe; ideſt ſe à teneris unguiculis, & ut loquitur Paulus 2 Tim. III, 15. ἀπὸ βρέφυς, ad opera charitatis & miſericordiæ erga viduas & pupillos, fuiſſe exercitatum & inſtitutum. Nec enim dicit Job quod *miſeratio* creverit ſecum ab *infantia*, ſed quod *ab adoleſcentia ſua* pupillus ſecum *creverit* & adoleverit *tanquam apud patrem*, & quod *ab utero matris ſuæ*, ideſt à prima infantia & quam primum ex utero prodierat, (vide ſimilem expreſſionem Pſal. XXII, 11.) deduxerit *illam*, ſupple viduam, & ſpecialem curam ejus habuerit. Et cùm fateatur Volkelius textum originalem ſibi non favere, (addo nec Græcum, cujus mentem ita Latinè expreſſit illius interpres, *Quod ſi & buccellam meam comedi ſolus & pupulo non communicavi, quoniam à juventute mea enutriebam ut pater, & de ventre matris meæ dux eis fui.*) oportuit illum domi non fuiſſe, textus originalis corruptelam apud Jobi Interpretem vulgatum, conferendo cum Davidis dicto, de cujus verbis & ſenſu omnes conſentiunt. Quin ſi *miſerationis* hìc fieret mentio, hocque vocabulum in textu eſſet ſupplendum, in ea tamen ſe conceptum a matre & in utero fotum Job non diceret: Verùm hæc deberet eſſe illius mens, prout Tigurinus expreſſit; *A primis annis educavit me [benignitas] velut parens, & quam primùm editus ſum in lucem, eam mihi vitæ magiſtram conſtitui.* De loco Davidis Pſal. XXII, 10. 11. modò dixi; nihil etiam habet quod faveat errori Volkeliano: cùm ibi tantum profiteatur ſe a Deo eductum ex utero, quo ſecuriùs ageret ad ubera matris ſuæ; & Dei providentiæ ac curæ commiſſum fuiſſe, ex vulua & inde ab utero, ideſt quam primùm natus eſt; ut hìc nihil dicat quod ſibi *innatum* videatur. Quantum ad aliud Volkelii effugium, illud per ſe concidit: Nec enim vult David minuere atque excuſare ſuum peccatum, ut fingit hæreticus, ſed potiùs illud exaggerare, ab illa innata ſui depravatione ex qua fluxerat: Et hæc *ad ſcelera proclivitas*, in qua ſe conceptum profitetur David, ipſi adhæreſcens à prima ſui origine, quid aliud eſt quam illa nativa & habitualis corruptio, per quam inepti ſumus ad omne bonum & proclives ad omne malum? Ita ſcilicet eò redeunt adverſarii vel inviti, quod ſummopere, ex mero contradicendi ſtudio, fugiebant. Nam quæ illa proclivitas ad peccandum, proculdubio peccaminoſa & vitioſa, quæ ſingulis ineſt ab utero, & in omnibus ſe prodit ſimul ac nati ſunt, cùm non ſit à Deo autore naturæ, in naturæ corruptionem & depravationem per peccatum omninò rejici debet; neque poteſt cum ἰσοῤῥοπίᾳ arbitrii Socinianorum, & abſoluta indifferentia ad bonum & malum, conſiſtere.

Hactenus vidimus, quo pacto adverſarii, ex falſo principio humani arbitrii ſervitutem conſtituere nixi fuerint: ſequitur, ut videamus, quomodo idem facere conentur ex principiis veris illis quidem, non tamen rectè perceptis. Principia verò iſta illis continentur ſacrarum literarum teſtimoniis, quæ ita ſalutis noſtræ rationem aut Deo adſcribere, aut nobis adimere videntur, ut nihil ea in re libertatis nobis relinquant. Ea porrò teſtimonia, quæ de Deo

552. imprimis loquuntur, in duo duo genera diſtribui poſſunt. Alia enim de divinis decretis, alia de divinis factis loquuntur. Ac de prioribus quidem quid ſtatuendum ſit, ſatis ex iis intelligi poteſt, quæ de divina prædeſtinatione diximus. Ad ea autem argumenta, quæ ex divinis factis ſumuntur, quod attinet; ejus generis ſunt iſta, quòd Deus hominum corda tangere, aperire, nos convertere, cordibus ſuam voluntatem inſculpere, cor novum dare, fidem donare, efficereque ut velimus & perficiamus, dicitur. Item, quòd noſtra ſufficientia ex Deo eſſe aſſeritur. Cum quo conjungi poteſt ille Apoſtoli locus, ubi, ne ſuperbè gloriemur, nos monet, quaſi quæ poſſidemus, ea ex nobis, non autem ex Dei benignitate profecta ſint. Item, quòd Deum, cujus velit miſereri, quem item velit, indurare, cumque homine, veluti figulus cum luto, agere pro arbitratu ſuo poſſe, divina oracula teſtificantur. Quibus adde, quòd Deus quibuſdam cor ad intelligendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum non dediſſe ſcribitur. Quæ ſingula ordine ponderanda nobis ſunt, atque oſtendendum, ex illis haudquaquam conſequi, hominem libero voluntatis arbitrio carere, vel ſaltem in rebus ad ſalutem pertinentibus hominem nihil liberè agere.

‡ *Hactenus vidimus*] Et nos hactenus principii noſtri veritatem adſtruximus: & divinæ Prædeſtinationis genuinam doctrinam cap. præced. repoſuimus in arce. Nunc videndum an fœliciùs & faciliùs ſe expediet hæreticus ex iis argumentis quæ nunc ſibi ſolvenda ſumit: & quibus non utimur probaturi *hominem libero voluntatis arbitrio carere*, quod illi in genere entis & prout ſonat facultatem agendi quod lubet præeunte conſilio & judicio, ultrò concedimus; aut etiam *ſaltem in rebus ad ſalutem pertinentibus hominem nihil liberè agere*, cùm & *liberè* agat ubi credit excitatus & adjutus Dei gratiâ, & *liberrimè* ac ultrò & incoactè tamdiu maneat incredulus, quamdiu non redditur volens ex nolente; Sed ut probemus liberum hominis arbitrium non ferri & determinari liberè ad ullum ſalutare bonum, niſi per gratiam Chriſti medicinalem & liberatricem, à ſervitute peccati, cui mancipatum eſt & valde liberaliter ſeruit, expediatur & liberetur.

Primò igitur perperam ex illis locis dogma iſtud colligitur, in quibus Deus cor hominis tangere aperireque perhibetur. Neque enim ita eum hoc facere intelligendum eſt, ut vim quandam illis afferat: cùm hoc ſatis fieri tunc credendum ſit, quando perſuaſionum vi ac dulcedine quadam, aliiſvè rebus externis, hominum proborum & ſequacium mentes ad ea flectit allicitque, quæ ipſi probantur.

‡ *Primò igitur*] Fatemur id non fieri per ullam *vim* coactivam, quam Deus hominibus *afferat*, & quâ inviti cogerentur: Sed fit efficaciſſimâ illuminatione & perſuaſione ſuaviſſimâ, quâ determinantur ac *flectuntur* ad ea volenda quæ

Deo

Digitized by Google

Deo *probantur*, & ex nolentibus fiunt volentes. Si ergo de *perſuaſionum vi ac dulcedine quadam* ſanè intelligatur quod dicit Volkelius, nec ad meram ſuaſionem moralem, quæ animum relinquat in æquilibrio, revocetur, nos in eo ſibi adſtipulantes habebit. Statuimus enim illam gratiæ divinæ operationem, nihil aliud eſſe quam ſuaviſſimam perſuaſionem, cujus motum facilius ſentiunt pii quam illius modum queunt explicare. Hujus perſuaſionis reſpectu dicuntur fideles πειϑέντες Hebr. XI, 13. imò ipſa πίστις à πεπεῖσμαι *perſuadeor* ſuam originem habet. Adde loca quæ extant Geneſ. IX, 27. Jer. XX, 7. Oſeæ II, 14. Suadet quidem Dei Miniſter, extrinſecè proponendo rationes plauſibiles hujus faciendi aut illius declinandi; Sed perſuadet Deus, cum eam explicat in mentem hominis efficaciam, eam luminis ſuaviſſimi copiam illi affundit, ut liberè quidem, ſed tamen infallibiliter & inſuperabiliter ſequatur; quod *tractionis* nomine exprimitur in Scriptura. Cantic. I, 4. Joh. VI, 44. 45. Verùm valde ambiguè loquitur ubi dicit *perſuaſionum vi ac dulcedine quadam aliis ve rebus externis* flecti & allici homines ad Dei obſequium: Sic enim videtur perſuaſionem divinam non agnoſcere internam, qualis deſcribitur à Paulo 2 Cor IV, 6. ſed rebus externis eam accenſere; quo abſurdo nihil abſurdius; Si quæ enim externa media Deus adhibet in hominibus ſuadendis ad officium præſtandum, illa fruſtra forent niſi adjiceret gratiam internam, per quam ſalutarem eventum & omnem ſuam efficaciam conſequuntur. Fruſtra aliàs Paulus plantat & rigat Apollos, niſi Deus dederit incrementum, 1 Corinth. III, 5. 6. 7. 8. Deus itaque eſt qui ſuo Spiritu, ſuo lumine, ſuâ gratiâ, hominum *mentes ad ea flectit allicitque quæ ipſi probantur*, in ipſis ἐνεργῶν & velle & perficere Phil. II, 13 Sed ridiculè id reſtringit Volkelius ad *hominum proborum & ſequacium mentes*, cùm illâ ſuâ efficaci perſuaſione Deus ex improbis faciat probos, ex perverſis ſequaces, obedientes ac volentes ex rebellibus: Nam aufert illis cor lapideum & indit carneum Ezech. XXXVI, 26 ſuamque legem eorum menti & cordi inſcribit quò ſe cognoſcant & ſibi obediant Jer XXXI. 32. 33. 34. Sed ad particularia veniamus.

Eorum enim, verbi gratiâ, Deus cor tetigiſſe dicitur, qui Samuelis oratione commoti, Saulum regem comitabantur. (1 *Sam.* 10. 26.) Interim tamen in eorum fuiſſe poteſtate, illum vel comitari, vel non comitari, inde conſtat, quod cùm in eum finem oratio illa haberetur, ut omnes ad regi honorem habendum perdúcerentur, non tamen apud omnes locum habuit. Cujus rei cauſam divinus Spiritus ibidem, non ad Deum, ſed ad hominum illorum pertinaciam refert. Dicit enim, eos fuiſſe filios Belial, id eſt, homines improbos, omniaque ſalutaria monita contumaciter reſpuentes. Unde facilè colligitur, illos, qui eum ſecuti fuerunt fuiſſe homines probos, atque inde eſſe factum, ut horum cor Deus tetigerit ac commoverit, illorum verò non item, licet eorum etiam corda tangere ac commovere voluerit.

‡ *Eorum enim*] Aures quidem horum quorum fit mentio 1 Sam. x, 26. tetigerat Samuelis oratio, quâ ſuadere ſtudebat Saulum pro rege divinitùs conſtituto eſſe admittendum; Sed Deus inſuper corda & animos eorum tetigit qui perſuaſi fuerunt: nec alii fuerunt perſuaſi, quam illi quorum Deus corda tetigerat; Sunt enim ut & regum ſic & cœterorum hominum corda in Dei manu, ut rivi aquarum, eaque inclinat quocunque vult Proverb. x x i, 1. Nec fuit ſinpliciter in eorum, quorum fit mentio hîc loci, *poteſtate* Saulum *vel comitari vel non comitari.* Nam poſitâ hac Dei perſuaſione & operatione in eorum mentibus, ac, ut loquimur, in ſenſu compoſito, non potuerunt eum non comitari; Eâ enim fuit illius vis & dulcedo, ut obſequi debuerint, licet id lubentiſſimè fecerint: Eâdem verò Dei perſuaſione ſepoſitâ, nihil operata fuiſſet oratio Samuelis, prout revera hoc ſemen ſterile manſit cœterorum reſpectu; quia cùm eſſent *filii Belial*, ideſt *homines improbi*, tales remanſerunt, & *omnia ſalutaria monita* Samuelis contemſerunt; id utique non facturi, ſed una cum cœteris regem deducturi, ſi eorum pariliter corda tangere Deo libuiſſet. Uno verbo quod cœteri obſequuti ſint monitis Samuelis, Deo eorum tangenti corda fuit tribuendum; quod illi occaluerint, propriæ eorum perverſitati & væcordiæ, quam Deus corrigere & in melius emendare non tenebatur: Et iſtorum hominum πρῶτον ψεῦδος perpetuum eſt, quod omnis boni laus non debeat adſcribi Dei gratiæ, ſed hominis arbitrio, eo quod omnis mali culpa in eorum arbitrium, nunquam in Deum, ſit rejicienda; Quam appoſite ad Oſeæ dictum πολυθρύλλητον xiii, 9. prout ſaltem extat in V. V, Lectoris Chriſtiano eſto judicium.

Similiter & de Lydia judicandum, cujus cor Deum aperuiſſe, Lucas teſtificatur. (*Act.* 16. 14.) Neque enim quicquam eſt, quod ſtatuere cogat,
553. id per vim quandam internam atque occultam, cui Lydia reſiſtere non poſſet, factum eſſe. Non injuriâ enim dici poteſt, id factum eſſe vi orationis Paulinæ, quam Dominus ori ejus indiderat, quæ fœminæ huic adeò probæ, & Deum, ut Lucas ibidem teſtatur, colenti, ſtatim aliquid eximium, imò divinum ac cœleſte ſpirare viſa ſit, ita ut digniſſimam judicaret, cui animum penitus adverteret, & quàm diligentiſſimè attenderet, eique porrò aſſentiretur.

‡ *Similiter & de Lydia*] Locus iſte Act. xvi, 14. magis ad rem de qua agimus quam præcedens, eſt valde expreſſus, unuſque ex iis quibus jam olim Auguſtinus & Proſper gratiam Dei adverſus Pelagianos defenderunt, & probarunt fidem eſſe ſpeciale Dei donum, ita ut homo efficaciter à Deo moveatur ad iis actu aſſentiendum quæ nobis revelat in Verbo ſuo, & ſine quo dono nemo ſit qui credere queat ad ſalutem Euangelio Chriſti. Nec ipſe Lorinus Jeſuita *ad h. l.* ut obſervat *ibid.* Petrus Lintrenſis Duacenſis Theologus, diffitetur hic agi de gratia efficaci, ut in Schola ſuorum à ſuffiicienti diſtinguitur. Volkelius autem potiùs ſubdolè declinat quam ſolidè retundit pondus hujus teli: Negat quidem *id per vim quandam internam atque occultam, cui Lydia reſiſtere non poſſet, factum eſſe*: Sed negat tantum, negationis verò rationem & cauſam profert nullam; imò negat

negat contra evidentem rationem. Si enim per *vim* intelligat coactionem violentam, fruſtra eſt, cùm nec eam hic admittamus: Sin ejuſmodi potentem efficaciam gratiæ divinæ, mentem & adyta cordis Lydiæ reſerantem, ut quâ data portâ ultrò & lubentiſſimè lucem ſalutiferam Euangelii admitteret, tota ſeries textus eam admitti & agnoſci poſtulat: cùm verbum *aperiendi*, & clauſuram præcedentem ſignet, & actum ejuſmodi qui ſuum indubitatum effectum habeat; prout pariliter Chriſtus Luc xx, 45. dicitur aperuiſſe diſcipulorum mentem, prius hebetem, & *ἀνοητὸν καὶ βραδεῖα τῇ καρδίᾳ τοῦ πιστεύειν* ibid. com. 25 ut intelligerent Scripturas. Neque poteſt fingi potuiſſe Lydiam illi apertioni ſuæ cordis reſiſtere, tum quia ad illam purè paſſivè ſe habebat, tum quia Deus erat qui aperiebat ejus cor & cui volenti ſalvum facere nullum reſiſtit hominis arbitrium: Si Lydia reſiſtere illi apertioni potuiſſet, potuiſſet clauſum tenere, non tantum quod Deus aperiri præcipiebat, ſed etiam quod ipſe potenti ſuâ manu aperiebat, eaque clavi Davidis efficaciſſimâ quâ claudente nemo aperit, aut aperiente nemo claudit, Apoc. III, 7.

Fruſtra autem conjectat hæreticus *id factum eſſe vi orationis Paulinæ, quam Dominus ori ejus indiderat*; Nam ut non negem orationem Paulinam hic habuiſſe rationem medii & inſtrumenti externi, quo Deus utebatur ad Lydiæ converſionem, tamen disertè Lucas diſtinguit operationem Dei efficacem & internam circa cor Lydiæ, ab oratione Pauli externa, quam auribus duntaxat ſuis pia illa mulier hauriebat, ideſt reverà opus Dei ab opere ſui miniſtri. Dicitur enim Dominus aperuiſſe cor illius ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo; Non magis utique admiſſura quæ Paulus dicebat quam multi alii, etiam Judaico more ut ipſa Deum colentes, & eo Sabbatho convenientes ad ſuam proſeucham communem prope fluvium. Eſto oratio Pauli Lydiæ *ſtatim aliquid eximium, imò divinum ac cœleſte ſpirare viſa ſit, ita ut digniſſimam judicaret cui animum penitùs adverteret & quam diligentiſſimè attenderet, eique porrò aſſentiretur*; Saltem hoc illius de oratione Pauli judicium tale fuit, ut nec illi poſſet refragari, & Deo ad ita judicandum mentem ejus reſeranti & internè illuminanti fuerit adſcribendum.

Neque eſt, quod dicas, inde ſequuturum, Dominum omnium iſtarum, quæ ſimul aderant, & Paulum loquentem audiebant, fœminarum cor aperuiſſe: quia ea orationis Paulinæ vis non minùs ad cœteras, quàm ad Lydiam permovendam pertinuerit: cùm tamen nonniſi de Lydia legamus, Dominum ejus cor aperuiſſe. Animadvertendum enim eſt, nos apertionem illam cordis ita orationi Paulinæ, quæ ipſius Chriſti per eum loquentis erat, adſcribere, uut interim probitatem animi, quâ Lydia præ cæteris imbuta erat, haudquaquam excludamus. Hanc enim in cauſa eſſe, cur homines doctrinam Chriſti amplectantur, tum alibi tum ſuperiori capite docuimus. Nec fruſtra Lucas, dicturus, Lydiæ cor fuiſſe à Domino apertum; hæc verba præmiſit, eam fuiſſe fœminam, quæ Deum coleret; id quod de cœteris non teſtatur. Quare non mirum eſt, hujus cor fuiſſe apertum à Domino, de cœteris id non dici.

Digitized by Google

‡ *Neque eſt quod dicas*] Sed toto cœlo hîc aberrat Volkelius: Nec enim Lydia ideo dicitur σεβομένη τὸν Θεὸν quod præ aliis Pauli auditoribus eò loci convenientibus ut Deo ſupplicarent ritu ſuo, pietate excelleret, ſed quod & Philippis, ubi hæc contigerunt peregrina eſſet, ut pote Thyatirenſis origine, & quod Thyatirenus, nec Judaicæ ſtirpis, ut reliqui fortè qui eo Sabbatho ad preces convenerant, nihilominus eſſet ſaltem proſelyta domicilii, & eatenus unius veri & ſupremi Dei cultui addicta. Quâ obſervatione Spiritus Sanctus viſus eſt libertatem electionis divinæ eò amplius commendare, quod ex omnibus tunc auditoribus Pauli, ad Judaica ſacra & Dei unius cultum eodem loco congregatis, hæc una extera, nec Judæa origine, ad Euangelii fidem traducta ſit, reliquis occaleſcentibus; planè quomodo ex decem leproſis ſanatis à Chriſto ſolus Samaritanus ad officium traductus notatur in Euangelio Luc. XVII, 17. 18. 19. Nec dubitem ideo Lydiæ hujus ceu proſelytæ mentionem fieri, quomodo Chriſtus dicit Lucæ IV, 25 26. 27. *Multæ viduæ erant diebus Eliæ in Iſraele quando clauſum fuit cœlum ad tres annos & ſex menſes, adeo ut fuerit fames magna per totam regionem; & ad nullam illarum miſſus eſt Elias; Sed Sareptam urbem Sidoniæ ad mulierem viduam; & multi leproſi erant in Iſraele ſub Elizæo Propheta: & nullus eorum purificatus eſt, ſed Naamanus Syrus*: Et ſanè tralatitium eſt Lucæ in Actis, proſelytos, ſive è Gentilibus converſos ad Judaiſmum, hoc epitheto τῶν σεβομένων inſignire: Nam disertè diſtinguuntur à Judæis σεβόμενοι προσηλύτοι Act. XIII, 43. ſive priori vocabulo proſelyti *domicilii*, qualis & Cornelius centurio videtur fuiſſe cœterà incircumciſus, & poſteriori proſelyti *juſtitiæ* denotentur, ſive unum ſit epitheton alterius; & ibid. com. 50. dicuntur Judæi extimulaſſe mulieres σεβομένας, id eſt gentiles natione, ſed abductas per Judæos à Gentiliſmo, & ad cultum unius veri Dei traductas, ad perſecutionem contra Paulum excitandam. Igitur, quod hic notatur de iſta muliere non tam ſpectat propriè ad ipſam cœteris præferendam, quam ad eam infra cœteros, externa quod ſpectat, deprimendam, magiſque ſingularem Dei gratiam erga illam commendandam, quod & Philippenſium reſpectu peregrina, & Judæorum, ad quos ſermo Pauli habitus fuerat, proſelyta & ſtirpe Ethnica eſſet. Igitur concidunt hac ratione quæcunque hîc de pietate Lydiæ, cujus intuitu prælata fuerit cœteris, narrat Volkelius, cùm aliàs apud Deum non ſit acceptio perſonarum, nec fides cuiquam obtingat potius quam alteri ex ipſius meritis de *congruo* vel de *condigno*, ſed ex mera & indebita gratia Dei qui facit de ſuo quod lubet, Matth. XX, 15. Adde loca Matth. XI, 25. 1 Cor. I, 27. 28.

Sed etiamſi tandem Chriſtus in fœmina hac religioſa ad fidem perducenda, eo præſertim loco, ubi nomen ipſius nondum fuerat auditum, nec ullum fidei exemplum extabat, miraculoſa quadam virtute fuiſſet uſus, & occulta vi animum ejus commoviſſet, ut Paulino ſermoni attenderet; non ſequeretur tamen, tantam illam vim fuiſſe, ut Lydia illi nulla ratione reſiſtere poſſet, nec aliter facere, quin doctrinæ Chriſti fidem adhiberet; multò minùs, tantam fuiſſe, ut fidem ſemel receptam abjicere nullo pacto poſſet: nec

Digitized by Google

nec protinus hoc exemplum ad omnes, quotquot in Chriſtum credunt, eſſet trahendum, ſed pro extraordinario habendum.

1 *Sed etiamſi tandem*] Scilicet vi veritatis cogitur adverſarius hîc agnoſcere efficaciam ſpecialem, quâ Dominus hanc mulierem ad fidem traduxit, & *occultâ vi animum ejus commovit ut Paulino ſermoni attenderet*: Dum verò negat *tantam illam vim fuiſſe, ut Lydia illi nullâ ratione reſiſtere poſſet, nec aliter facere quin doctrinæ Chriſti fidem adhiberet*, contra Solem loquitur: Fingere enim poſſe reſiſti Deo ubi etiam *miraculoſâ quadam virtute* utitur, & illuminat, movet ac determinat animum hominis ad auſcultandum & aſſentiendum Euangelio, quid aliud eſt quam ipſam Dei omnipotentiam, quæ ſe in miraculoſa virtute exerit, hominis arbitrio ſubjicere? Perinde ac ſi fingas Lazarum à Chriſto evocatum è ſepulchro & miraculoſâ virtute ſuſcitatum ex mortuis, potuiſſe Chriſto ſe vivificanti reſiſtere & nihilo-ſecius, ipſoque invito, ſub imperio mortis remanere. Viſus eſt quoque Volkelius abſurditatem hujus ſui ſubterfugii obſervaſſe; Quare aliò confugit & movet aliam controverſiam de perſeverantia, num videlicet tanta ea fuerit efficacia gratiæ Chriſti in Lydia, ut etiam *fidem ſemel receptam abjicere nullo pacto poſſet*. Sed & hoc inde liquet evidenter quod fides ſalvifica pertineat ad dona Dei quæ ſunt ἀμεταμέλητα Rom. XI, 29. ſit ſemel tradita Sanctis Judæ ℣. 3. ſolorum ſit Dei electorum Tit. I, 1. Joh. VIII, 37. Act. XIII, 48. quos totaliter & finaliter ſeduci ſit impoſſibile Matth. XXIV, 24. ac ita cuſtodiantur fideles Dei virtute 1 Petr. I, 5. & Chriſti interceſſione ac curâ Joh. XVII, 20.21. ut fides eorum non deficiat Luc. XXII, 32. Adde alia loca Joh. III, 16. Rom. VIII, 39. 1 Joh. III, 9. Dum porrò negat Volkelius *hoc exemplum ad omnes quotquot in Chriſtum credunt* eſſe *trahendum*, & illud pertendit *pro extraordinario habendum*, revera neſcit quid dicat: cùm hîc Deus egerit & juxta N. F. promiſſiones Jer. XXXI, 33. & per media ordinaria, nempe per prædicationem Euangelii, quod eſt ipſius virtus ad ſalutem omni credenti Rom. I, 16. nihilque extraordinarii, miraculoſi & ſingularis hîc contigerit, ut in converſione Pauli, Cornelii, & nonnullorum aliorum quorum meminit Scriptura: Id ſolùm ſpeciale hîc fuit, quod ſicut Deus videns exoſam eſſe Leam aperuit ejus uterum ut conciperet & pareret Gen. XXIX, 31. ita hujus Lydiæ quæ inter cœteros auditores Pauli contemptibilior erat quod & Thyatirenſis eſſet non Philippenſis, (nam Thyatirorum urbes, τῶν Μυσῶν ἐσχάτη vulgò dicebatur, quoniam ejus cives plerique omnes abjecti & viles cenſerentur, ut eſt apud Strabonem *lib.* 13.) & proſelyta atque Ethnicæ ſtirpis non Judaicæ, Deus aperuit cor ut Chriſtum conciperet & crederet Euangelio.

Ex iis, quæ de duobus illis ſcripturæ locis diximus, facilè poteſt intelligi, quid de iis teſtimoniis ſit ſentiendum, quibus, Deum nos convertere, ſuas leges hominum animis inſcribere, eiſque cor, ut ipſum nôrint, aut cor novum dare, docemur. (*Jer.* 31. 18. 33. *Hebr.* 8. 10. 11. 16. *Jer.* 24. 7. *Ezech.* 11. 19, 20; 36. 26.) nempe illud nequaquam violenter nobiſque invitis fieri. Hinc enim ipſimet homines ſeſe ad Deum convertere; ſibi cor novum

Digitized by Google

novum ac ſpiritum novum facere , &, quod eodem recidit, ſeipſos lavare ac mundare jubentur , (*Ierem.* 8. 11 : 24. 7. *Ezech.* 18. 30. *& ſeqq.* 19. 27, 30, 31 : 33. 8. *& d. Eſa.* 1. 16. ſed intelligitur , Deum beneficiorum , aut etiam promiſſorum, quorum certiſſima extent documenta ,
554. magnitudine, homines commoturum , ut ſe ad ipſum convertant, legum ipſius obſervantes reddantur, & animum alium induant. Neque enim ſignificatur, Deum id omninò ac neceſſariò in hominibus effecturum , quod verba ſonant : ſed Deum nihil eorum omiſſurum , quæ ad id efficiendum, libertate voluntatis noſtræ ſalvâ , pertineant.

t *Ex iis quæ de*] Quantum ſit præſidii pro veritate his in locis quæ ſibi objicit adverſarius , res ipſa loquitur : cum inde pateat & Deum efficere in nobis quæ jubet , & ita agere in mentes hominum, ut eas & illuminet in veri cognitione, & determinet ad proſecutionem boni : Fateor quidem Deum nos convertere Jer. XXXI , 18 ſuam legem indere menti noſtræ & cordi noſtro eam inſcribere Jer. XXXI, 33. cor nobis indere ad ſe cognoſcendum Jer. XXIV, 7. cor novum & ſpiritum novum ponere in medio noſtri & remoto corde lapideo indere nobis cor carneum & efficere ut in ſtatutis ſuis ambulemus Ezech. XI , 19. 20. XXXVI , 26. 27. citra violentiam & coactionem; adeoque *illud*, ut loquar cum Volkelio , *nequaquam violenter nobiſque invitis fieri* : Sed tamen hæ loqutiones tam expreſſæ , oſtendunt id fieri à Deo ut ſuaviſſimè ita etiam efficaciſſimè , non quò inviti credamus & convertimur , ſed quò infallibiliter ac certiſſimè velimus & credere & converti , mente & voluntate noſtrâ eo potentiſſimè inflexâ. Neque obeſt iſti veritati quod etiam jubeantur *ipſi-met homines ſeſe ad Deum convertere* Jer. XVIII. 11. Ezech. XXXIII , 8. *ſibi cor novum facere* Ezech. XVIII , 30 *& quod eodem recidit ſeipſos lavare ac mundare* Eſa. I , 16. & ſeqq. Nam iſta oſtendunt quid ſit noſtri officii , non quid ſit virium noſtrarum ; priora verò , quid ſit gratiæ & beneficii Dei in ſuos , apud quos vox ipſius imperativa abit in operativam , ut illi tanto ſecuriùs dicamus , *Fac quod jubes & jube quod vis*. Nec inficior ſic intelligi *Deum beneficiorum aut etiam promiſſorum, quorum certiſſima extent documenta magnitudine homines commoveret, ut ſe ad ipſum convertant, legum ipſius obſervantes reddantur , & animum alium induant* ; Sed tamen contendo talem hic ad iſta commotionē deſignari, accedente ad externum Verbi ſui præconium, internâ, ſuavi, ac potenti illuminatione & operatione Spir. Sancti, quâ actu convertantur , & novo corde ac novo donentur animo, atque planè in alios homines abeant. Et omnes pudentiæ limites excedit Volkelius dum ore improbo , audet negare *Deum id omninò ac neceſſariò effecturum quod verba ſonant* . Niſi enim id ipſe hæc omninò ac infallibiliter efficeret , quid opus fuiſſet Jeremiæ dicere ei *Converte me ut convertar* Jer. XXXI , 18. aut Davidi, *Animum mundum crea mihi , Deus , & ſpiritum firmum renova intra me* Pſ. LI, 12 Si quidem jam antea Deus utriuſque reſpectu externa media quod attinet videbitur præſtitiſſe quod ſuum erat , ut non debuerint Prophetæ ab ipſo petere quod ſui erat arbitrii , ſi ingratis hiſce cucullis fides adhibeatur : Itaque ut certum eſt hæc *omninò ac neceſſariò* , ſive infallibiliter , efficere Deum in ſuis , juxta promiſſiones tam expreſſas , *libertate tamen voluntatis noſtræ ſalvâ* , (nec enim nos, ad

nos ad id cogit invitos, ſed ex nolentibus facit volentes, efficitque ut quæ noſtri ſunt officii velimus & faciamus ultrò & liberè) ita certiſſimum eſt Deum in ejuſmodi operatione efficaci ſuæ gratiæ, rem non relinquere in ſuſpenſo, nec eventum ſuſpendere ex putri paxillo arbitrii noſtri, ſed perficere bonum opus quod ſemel incœpit Phil. I, 6. nec ab opere ſuarum manuum deſiſtere Pſal. CXXXVIII, 24.

† Eodem etiam modo Deus efficit, ut velimus & perficiamus; (*Phil.* 2. 13.) efficit id, inquam, beneficiorum magnitudine, & promiſſionum tum certitudine, tum ſummâ præſtantiâ atque amplitudine, non quidem ut velle poſſimus, (facultas enim volendi nobis ineſt naturaliter) ſed ut reipſâ velimus, ac porrò opere ipſo id, quod ad ſalutem noſtram pertinet, compleamus. Non agi autem eo loco de ejuſmodi Dei efficacia, cui homines reſiſtere nequeant, ex eo liquidiſſimò apparet, quòd Paulus iſtic monet, (ỳ. 12.) ut ſalutem noſtram cum timore & tremore operemur; & in verbis controverſis ejus cohortationis rationem affert. At ſi Deus ſine libero voluntatis noſtræ aſſenſu, ſtudioque noſtro, id in nobis efficit, quid iſta cohortatione, quid timore ac tremore eſt opus?

† *Eodem etiam modo*] Ineſt & huic loco Phil. II, 12. 13. grande pondus adverſus Pelagianum dogma, cùm & hic ſua vis inſit illi participio ὁ ἐνεργῶν, quo ſignificatur Deum operari in nobis & velle & perficere efficaciter & cum infallibili effectu. Quomodo autem Deus id efficiat & operetur, noſtrum non eſt temerè definire; Nec res ſuccederet, niſi *ad beneficiorum* promiſſorum *magnitudinem*, *& promiſſionum tum certitudinem*, *tum ſummam præſtantiam atque amplitudinem*, ut externè proponitur miniſterio hominum, adjiceret vim internam Spiritus Sancti, mentem noſtram illuminantis in iſtorum perceptione, noſque pleniſſimè perſuadentis de horum omnium certitudine & veritate, atque ſic voluntates noſtras ad hæc amplectenda determinantis & inflectentis. Plurimum autem pro me facit quod dicat Volkelius Deum efficere, *non quidem ut velle poſſimus*, (*facultas enim volendi nobis ineſt naturaliter*). *ſed ut reipſâ velimus, ac porrò opere ipſo, id quod ad ſalutem noſtram pertinet compleamus*: Nam ſane qui efficit non tam *ut velle poſſimus*, quam ut *reipſâ velimus*, voluntatem noſtram eò inflectit & determinat. Quod autem garrit hæreticus Deum non efficere *ut velle poſſimus*, eo quod *facultas volendi* nobis *naturaliter* inſit, cum grano ſalis ſumi debet: Si enim facultas volendi hic ſumatur tantum in genere entis, pro eo appetitu intellectuali, quo homo naturaliter prædıtus eſt ad proſecutionem boni cogniti & fugam mali, ultrò concefferim facultatem volendi genericam jam ſupponi in homine, neutiquam in illo poni prædicatione Euangelii. At ſi hæc facultas volendi ſumatur in genere moris, de inſita quadam nobis virtute naturali quâ ex nobis & citra Dei illuminationem, gratiam, auxilium, poſſimus credere & converti, eam omnino nobis naturaliter ineſſe pernegamus, nixi ad id variis Scripturæ teſtimoniis, nominatim Rom. VIII, 7. I Corinth.

Digitized by Google

rinth. II, 14. 2 Cor. III, 5. Interea videant Remonſtrantes & alii, quibus volupe hactenus fuit in his quæſtionibus cum Socinianorum juvenca triturare, quomodo poſſint cum his ſuis fraterculis redire in gratiam: Nam illi profitentur Deum ſingulis per gratiam ſufficientem dare ut poſſint velle, (quod ergo non habent à natura,) ſed ipſum velle eſſe à nobis: Hi verò τὸ poſſe velle, nolunt debere Deo, ſed videntur ei acceptum ferre ipſum velle. Cùm tamen in eo genere amplius ſit poſſe velle, quàm velle, non video cur Deus efficiendo in nobis ut reipſâ velimus, non cenſeatur per prius ordine naturæ, efficere ut poſſimus velle, ſiquidem ad volendum aut cogitandum ex nobis quicquam boni, penitùs inepti ſumus. Ut-ut ſit, nequit dici Deus efficere *ut reipſâ velimus*, quin id operetur irreſiſtibiliter; Si enim *ejuſmodi Dei efficacia* hîc non intelligeretur, cui, dum ſe exerit, *homines reſiſtere nequeant*, non poſſet dici efficere *ut reipſâ velimus*, ſed tantùm ut poſſimus velle, ipſo eventu vel effectu penes noſtrum arbitrium remanente: Quin ſi Deo efficienti *ut reipſâ velimus*, poſſemus reſiſtere, ſimul poſſemus reipſâ & velle & nolle: quod ſuâ abſurditate ſe refutat. Nec juvant cauſam adverſarii verba præcedentia com. 12. *Operamini veſtram ſalutem cum timore & tremore*; Nam his verbis Apoſtolus vult ut in rebus & ſtudio ſalutis ac perſeverantiæ procedamus μετὰ φόβου καὶ τρόμου, ideſt revera cum ſumma animi humilitate reverentia & demiſſione erga Deum; cujus jam exemplum propoſuerat luculentum in Chriſto Servatore: Nam illâ phraſi ſignificari humilitatem & reverentiam erga Deum & animi demiſſionem, parallella oſtendunt loca Pſal. II, II. I Cor. II, 3. 2 Cor. VII, 15. Eph. VI, 6. Humilitatis autem & reverentiæ ſummæ erga Deum in iis quæ ad noſtram ſalutem ſpectant, hæc primaria redditur ratio ab Apoſtolo, quod non ſimus fabri noſtræ fortunæ, ſed quoad ſalutis ingreſſum, progreſſum, exitum, omnia ſint ex Deo, à quo accepimus quicquid habemus, & qui revera operatur ac efficit in nobis pro gratuita ſua benevolentia & velle & perficere. Quare tantum abeſt ut illa Pauli cohortatio,quicquam delibet de gratiæ divinæ efficaci operatione, ut è contrario illa *in verbis controverſis ejus ratio* proferatur, quæ hanc efficaciam ſummoperè commendat, ac ſimul monet non eſſe quod eam cohortationem ſumamus in materiam ſupercilii, ac ſi noſtrarum virium foret obſervatio illius: Equidem non ſervamur *ſine libero voluntatis noſtræ aſſenſu, ſtudioque noſtro*; ſed illum voluntatis noſtræ liberum aſſenſum, illud ſtudium noſtrum, Deus in nobis efficit ac operatur. Quod ſi Deus efficeret *ut reipſa velimus*, accedente eò libero voluntatis noſtræ aſſenſu, tum illud velle non tam Dei foret quam noſtri, & revera per prius vellemus, quam Deus cenſeretur efficere ut velimus: Tum hic iſte liber voluntatis noſtræ aſſenſus, ſe habet vel conſequenter, vel concomitanter, vel antecedenter, ad hanc Dei in nobis ἐνέργειαν quâ efficit *ut reipſâ velimus*. At non ſe habet ad illam antecedenter; quia Deus id cenſeretur efficere quod jam haberemus, quod abſurdum eſt; non etiam concomitanter, quia non poſſumus tum cenſeri ipſi-met velle cùm Deus efficit ut velimus; Ergo ſupereſt ut prius ſtatuatur: Neque *iſtâ cohortatione*,*timore* item illo ac *tremore eſt opus* ut Deus efficiat in nobis ut reipſâ velimus: Sed quia Deus id efficit, ideo iſtâ cohortatione, iſto timore ac tremore opus eſt,ut nihil nobis ſuperbè arrogemus, ac nihil de viribus noſtris præſumamus, ſed ſalutis noſtræ opus in ſolidum Deo

Digitized by Google

Deq adſcribamus, illi accinentes cum Davide, *Non nobis Domine, non nobis* Pſal. cxv, 1. ac dicentes cum Paulo, magno illo Gratiæ præcone, *Gratiâ Dei ſum id quod ſum*; Item, *Non ego ſed gratia Dei quæ mecum eſt* 1 Cor. xv, 10.

Eodem porrò modo & trahi à ſummo illo Patre dicimur, *(Ioh. 6. 44. &c.)* propterea quòd is nihil non agit, ut nos ad Chriſto confidendum adducat. Id autem eum, cœleſtem nobis diſciplinam tradendo, efficere, ipſe Chriſtus in eodem ſermonis contextu his verbis confirmat: *ſcriptum eſt*, inquit, *in vatibus: eruntque omnes divinitùs docti. Quiſquis ergo ex patre audivit, ac didicit, is ad me venit.* Quæ quidem verba ſatis indicant, Deum docendo, & voluntatem ſuam omnibus per Chriſtum proponendo, id agere, ut nos ad Chriſtum pertrahat: non omnes tamen reipſa pertrahi, ſed eos tantùm, qui facilem Deo docenti aurem præbeant, & ab eo erudiri ſe patiantur: quod quidem omnes faciunt, qui probi ſunt animi, & ad virtutem compoſiti.

‡ *Eodem porrò modo*] Abſurdè hanc tractionem commemoratam Joh. vi, 44. ad ſolam inſtitutionem externam conatur Volkelius reſtringere: Nam ſanè debet opus Dei multo longiùs patere in hac tractione, ſi *nihil non agit ut nos ad Chriſto confidendum adducat.* Itaque non tantum externè *cœleſtem nobis diſciplinam* tradit, ſed etiam internè & potenter in mentibus noſtris operatur, ut ab ipſo edocti veniamus: Adeo ut non poſſit non venire ad Chriſtum qui *ex Patre audivit ac didicit.* Omnes autem qui extrinſecè audiunt Euangelium à Patre audire & diſcere, ac ita eſſe edoctos à Deo, falſum eſt; Cùm id demum quadret in eos qui intrinſecè à Deo illuminantur, & quorum corda aperit & mentes ut in verbo ſuo erudiantur plenè, & ita illi obſequantur: Nec requiritur ad illam θεοδιδαξίαν ut per prius homines ſint *probi animi & ad virtutem compoſiti*, cùm illa ex improbis probos faciat, & vitioſos ac corruptos componat ad virtutem: Quam enim nec *probi* antea fuerint *animi*, nec *ad virtutem* jam *compoſiti*, qui olim traducebantur ad fidem Chriſti, tota Scriptura luculenter docet, 1 Cor. vi, 11. Eph. ii, 3. iv, 14. 17. Tit. iii, 3. 4. & alibi paſſim.

Jam quò fides Dei donum appellatur, (*Eph.* 2. 8. *Phil.* 1. 29.) id nequaquam oſtendit, hominem in ea vel amplectenda, vel repudianda, voluntatis ſuæ arbitrio ac libertate non uti. Ideò enim Dei donum dici meretur, quia ea nobis abſque ullo noſtro merito, ſolâ Dei benignitate, per Euangelii prædicationem oblata eſt, ſeu occaſio eam amplectendi data, non verò, quia ea nobis invitis aut otioſis inſerta fuerit. Patet id ex eo Apoſtoli loco, qui in Epiſtola ad Philippenſes ſcripta extat, (*Phil.* 1. 29.) ubi hunc in modum loquitur; *donatum eſt vobis pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis; ſed ut etiam pro illo patiamini.* Hinc enim intelligitur, eadem ratione Philippenſibus, ut pro Chriſto adverſa paterentur, donatum à Deo

Digitized by Google

555. fuiſſe, quâ, ut illi fidem haberent donatum fuerat. Atqui ita illis, afflictionibus divexari datum erat, ut ejus rei divinitùs offerrentur occaſiones: Ergo eodem modo de fidei donatione judicandum eſt.

† *Jam quod fides*] Benè eſt quod agnoſcat Volkelius fidem *Dei donum* eſſe ex Eph. 11, 8. Phil. 1, 29. Neque negamus hominem *voluntatis ſuæ arbitrio & libertate uti in ea amplectenda, vel repudianda.* Cùm enim hoc donum Deus, non offert tantum extrinſecè, ſed actu confert per Spiritum fidei, homo liberrimè & alacriter illud ſuſcipit & amplectitur. Neque tamen tunc poteſt illud recuſare; quia ſimul non poteſt recuſare & admittere: At ubi Deus illud offert tantum extrinſecè, non additâ efficaci gratiâ internâ quâ illud actu conferat, ut ex tali oblatione externa ſola non poteſt homo illud amplecti, ita tunc ultrò & liberè valde id ipſum reſpuit: ut ſive in amplectendo, ſive in repudiando cœleſti hoc munere, homo *voluntatis ſuæ arbitrio & libertate* utatur. Sed in eo longè fallitur hæreticus, quod ideo ſtatuat fidem *Dei donum dici* quod *occaſio eam amplectendi* nobis ſit *data* prædicatione Euangelii, quâ *abſque ullo noſtro merito, ſolâ Dei benignitate oblata eſt.* Ita enim non tam fides ipſa, quam duntaxat occaſio externa credendi, Dei donum dici deberet, quod abſurdum; nec ſolùm credentes deberent dici fide à Deo donati, ſed etiam non credentes, quod etiam his *abſque ullo* ſuo *meritò, ſolâ Dei benignitate per Euangelii prædicationem* fides *oblata ſit, ſeu occaſio eam amplectendi data.* At verò fidem eſſe Dei donum etiam in incredulis, & hos non minus quam credentes fide donatos eſſe, quis dicet ſanæ mentis? Itaque iis demum fides eſt Dei donum, quibus divinitùs & excluſivè ad alios, datum eſt ut actu credant, cœteris occalleſcentibus: id autem non fit tantum per externam prædicationem Euangelii quæ communis eſt & promiſcua; ſic enim fides foret omnium, contra ſententiam Pauli 2 Theſſ. 111, 2. Sed per illi ſuperadditam ſpecialem illuminationem & operationem Spiritus Sancti, fidem in cordibus ſuorum accendentis. Nec tamen indè colligas illam *nobis invitis aut otioſis* inſeri: cum nemini detur quem idem ille Spiritus ex nolente volentem non faciat, ac ita determinet ad fructus pœnitentiæ convenientes & opera novæ vitæ. Et ſanè, ut non negem *eadem ratione Philippenſibus ut pro Chriſto adverſa paterrentur, quâ ut illi fidem haberent, donatum fuiſſe*, ita id nihil facit ad cauſam Volkelii: Nam non ideo tantum illis datum fuerat pati pro Chriſto, quod illis *ejus rei divinitùs offerrentur occaſiones*, verùm quod illis occaſionibus ita ſubminiſtratis Dei providentiâ, ut ſimul mundus & Satan earum cauſæ extiterint, (quo ſaltem reſpéctu Volkeliana comparatio debet claudicare) Deus eorum pectora armaverit piâ illâ & ſanctâ generoſitate & patientiâ, quâ calamitates illas fortiter, intrepidè & inconcuſſè ſuſtinuerunt; plurimis ad illius ventilabri ſuccuſſionem, ceu paleis levioris fidei, ut cum Tertulliano loquar, avolantibus, & tentationis tempore turpiter deficientibus.

Jam quòd Apoſtolus noſtram ſufficientiam ex Deo eſſe, noſque, qui aliquid per nos ipſos cogitemus, minimè eſſe idoneos aſſerit; (2 Cor. 3: 4.) item quòd Corinthios admonet, ne illis glorientur, quæ aliunde habent; (1 Cor. 4: 7.).

Digitized by Google

(1 *Cor.* 4. 7.) id nimirum ad rem nihil quicquam pertinet, cum neque hîc, nec illic, de fide Euangelio adhibenda, aut obedientia Deo præſtanda agatur: ſed in illo quidem loco, de rebus ad munus Apoſtolicum pertinentibus, qualis erat Corinthiorum ad fidem converſio: in hoc verò, de ſpiritus ſancti donis aliiſve chariſmatis, & eorum effectis, quæ nonnullis Corinthiorum magnos fecerant ſpiritus.

† *Iam quod Apoſtolus*] Eſt etiam in utroque hoc loco 2 Cor. III, 4. 5. & 1 Corinth. IV, 7. magnum pro veritate præſidium, quod per ſimplicem illum ἰκφαυλισμὸν Volkelius non ſubvertit. Nam eſto; agatur in priori *de rebus ad munus Apoſtolicum pertinentibus*, in poſteriori de Spiritus Sancti donis; utrobique tamen ſententia eſt generalis, quæ etiam ad fidem quæ Euangelio adhibetur poteſt & debet applicari. Si enim ex nobis minimè idonei ſumus qui aliquid per nos ipſos cogitemus circa res ad prædicationem Euangelii ſpectantes, ſed omnis noſtra ſufficientia eo reſpectu ex Deo eſt, quanto magis debet eſſe à Deo omnis noſtra ſufficientia & idoneitas circa ipſam fidem quæ Euangelio eſt adhibenda? Si circa cœtera Spiritus Sancti dona, illud obtinet, *Quis te diſcriminat ab alio*, & *quid habes quod non acceperis*, quanto magis obtinebit circa ipſam fidem, quæ inter dona & chariſmata præcipua Spiritus Sancti debet annumerari & de facto annumeratur 1 Corinth. XII, 9? Quod ſi circa alia dona & chariſmata Spiritus Sancti, nemo poteſt dicere *Ego me ipſum diſcerno ab aliis*, cùm nihil habeat in eo genere quod non ſit gratis à Deo conſecutus, quanto minus poterit quiſpiam id dicere de ipſa fide, per quam diſcernitur ab alio non credente, ſiquidem ſeriò agnoſcat fidem illam non eſſe ex ſe, ſed eſſe donum Dei Eph. II, 8. à quo ſibi gratis datum ſit credere in Chriſtum?

Sed etiamſi tandem in utroque loco de fide & obedientia Deo præſtanda ſermo eſſet; non ſequeretur tamen, in noſtro arbitrio non eſſe poſitum, ut, poſtquam Euangelium nobis annunciatum, & argumentis variis confirmatum eſt, vel credamus, vel non credamus, & Deo parere aut velimus aut nolimus. Ad id enim, ut fides ac obedientia, earumque rerum voluntas, non ex nobis ſed ex Deo eſſe dicatur, ſatis eſt, nos non ultrò, ac nemine monente, ſed nonniſi Deo auctore, qui occaſiones nobis, licèt eo beneficio indignis, præbuerit, variiſque nos incitamentis ad id impulerit, ea de re cogitationem ſuſcepiſſe, & animum ac voluntatem noſtram ad eam rem applicuiſſe. Adde, quòd in priori loco vox *aliquid* ex ſacrarum literarum Novi fœderis conſuetudine, non ſimpliciter quippiam qualecunque tandem illud ſit, ſed quippiam eximium magnique momenti denotet, vel ſaltem denotare poſſit. (*Vid.* 1 *Cor.* 3. 7. *cap.* 10. 19. *Gal.* 6. 3. *Act.* 5. 36.)

† *Sed etiamſi tandem*] Agnoſcit ergo ſuæ cauſæ non prodeſſe. Nec plus eſt Volkelius hoc primum ſuum effugium, præſidii in illo ſecundo. Si enim *poſtquam*

Euangelium nobis annunciatum eſt promiſcuè, *in noſtro arbitrio* poſitum ſit credere & Deo parere, citra ullum aliud auxilium internum ſuæ gratiæ, quod nos diſcernat ab aliis, tum ſanè erimus idonei per nos ipſos ad credendum, neque illud quod paruerimus & crediderimus, erit ita acceptum ferendum Deo, quin de illo gloriari poſſimus. Neque *ut fides obedientia non ex nobis ſed ex Deo eſſe dicatur*, ſufficit Deum nobis *occaſiones* credendi ſuo verbo ſuppeditare, cùm illa occaſionum externa ſubminiſtratio ſit promiſcua iis qui credunt & iis qui manent increduli; ſed oportet amplius *animum ac voluntatem noſtram*, ad fidem & obedientiam divinitùs ſic inflecti, ut eventus ipſe infallibiliter ſequatur: Nam citra talem Dei operationem internam, illuminantem & flexanimam, nunquam poſſemus *ea de re cogitationem* ſuſcipere, multò minus *animum ac voluntatem noſtram ad eam rem* applicare, ut ſatis apertè docet Paulus tum locis hîc agitatis, tum 1 Cor. 11, 14.

Adde quod] Hæc obſervatio nihil facit ad rem: cùm etiam ipſa fides & converſio ad Deum, ſit *quippiam eximium, magnique momenti*, ut pote cum inde pendeat noſtra ſalus.

Veniendum nunc eſt ad illum locum, ubi Deum, cujus velit, miſereri, quem contrà velit, indurare dicitur. (*Rom.* 9. 15. 18.) Unde ſimiliter colligi ſolet hominem omni credendi, vel non credendi & Deo obtemperandi, vel non obtemperandi, libertate deſtitui. Sed quomodo hoc inde ſequatur, non apparet: cum potiùs neceſſe ſit ſtatuere, libertatem hominum præcedere debere, ut partim miſericordiæ illi, de qua ſermo eſt, partim indurationi ſit locus. Neque enim ſtatuendum eſt, Deum hominum ita miſereri, ut miſerationis hujus effectum iis penitùs præſtet, niſi illi benignitatem ipſius ſponte amplexi fuerint: tantum abeſt, ut eos, nullâ eorum culpâ præcedente, induret. Induratio enim pœna eſt, & quidem gravis. Pœna autem quævis, antecedentem hominis culpam, & gravis quidem gravem poſtulat. Culpa verò ſine voluntatis libertate nulla eſt. Pharao certè, ex cujus exem-
556. plo Apoſtolus id, quod de induratione pronunçiat, infert, graviſſimis ſceleribus iſtam indurationis pœnam commeruerat. Quare etiamſi tandem miſericordia illa, ejuſve in homine effectus, & contraria ei induratio, nullum in poſterum libertati voluntatis noſtræ locum relinqueret: non ſequeretur tamen, idem de tempore miſerationem aut indurationem antecedente ſtatuendum eſſe: imò contrarium potiùs omninò eſſet intelligendum.

‡ *Veniendum nunc eſt ad*] Hic quoque locus Rom. ix, 15. 18. ſudes eſt in Pelagianorum noſtrorum oculis; Nam quia Deus miſeretur cujus vult, etiam donat fide & convertit ad ſe eum cujus miſereri decrevit, occalleſcentibus aliis. Nec ſi peccatum aliquod liberè commiſſum ab homine, præcedere debet ejus indurationem, (quia eſt actus juſtitiæ divinæ, qui culpam ſupponit, quod ultrò largimur,) inde benè colligas ergo præcedere debere aliquod bonum opus liberè peractum ab homine, quo Deus ad miſericordiam in ipſum inflectatur. Nam

Digitized by Google

Nam actus juſtitiæ ſupponit peccatum, ſed miſeriam actus miſericordiæ, & nihil præterea. Nec ſibi hac in parte conſtat Volkelius: vult quidem homines amplecti *ſponte* benignitatem Dei, ut *miſerationis* divinæ *effectum* conſequantur: Sed vix audet dicere quod tam debeat miſerationem divinam præcedere à parte noſtri libera illius ſuſceptio, quam præceſſit culpa aliqua indurationem impii. Nam culpa illa & tempore prior eſt induratione impii, & eam meretur: Sed ſuſceptio ſpontanea miſerationis divinæ, non eſt tempore prior illâ miſeratione, nec eam demereri poteſt: ut eâ obſervatione concidat tota illa quam inſtituit Volkelius miſerationis & indurationis collatio. Quod verò hic dicit, culpam *ſine voluntatis libertate* nullam eſſe, non eſt univerſaliter verum; cùm etiam peccemus ex ignorantia ac ſubreptione; & Paulus teſtetur ſe facere malum quod nollet, Roman. VII. 19. 20.

Quòd ſi Pauli ſcopum attendas, animadvertes, eum non alium in finem iſta dicere, quàm ut oſtendat, Deum pro voluntatis ſuæ arbitrio, illis, qui Chriſto fidem adhibent, beatam immortalitatem tum polliceri, tum reipſa largiri: qui verò ſecus fecerint, illos cujuſcunque tandem ſint nationis, quæcunque cœteroquin ipſorum opera, debitis ſuppliciis vindicare, & eos induratos, ad grave ſupplicium, ut olim Pharaonem, aſſervare. Hanc autem verbis Pauli ſententiam contineri, cuilibet totum illud caput, præſertim autem ea, quæ ſub ejus finem ſcripta ſunt, non oſcitanter legenti clariſſimè patebit. Sed præterea ne induratio quidem, quatenus à Deo proficiſcitur, generatim loquendo, libertatem voluntatis penitus tollit, ſed tantùm vehementer impedit, quominùs homines reſipiſcant; non ita tamen, ut prorſus impoſſibile ſit, per illa impedimenta ac difficultates eluctari, & vincula, quibus homines quodammodo conſtricti tunc tenentur, perrumpere; quemadmodum colligi poteſt ex iis, quæ de hominibus induratis in hac ipſa Pauli diſputatione leguntur. vid. v. 22. hujus cap. 9. & cap. 11. 13, 14. (quem locum confer cum v. 19, cap. præced.) & v. 23. Multò autem minùs miſericordia illa divina homini libertatem adimit in incredulitatem incidendi, & à gratia deficiendi. vide inter alia innumera hujus rei teſtimonia cap. 11. v. 20, 21, 22.

‡ *Quod ſi Pauli*] Hęc obſervatio de Pauli ſcopo eſt ἀπροσδιόνυσος. Nec enim Paulus hic opponit credentes incredulis; ſed opponit actum miſerendi eorum qui nihil tale erant commeriti, cùm eſſent undique miſeri, & indigni conſequenter illâ benignitate divinâ, actui indurandi eos qui id benè erant commeriti, ſic tamen ut eorum potuerit Deus pariliter miſereri, ſi ita ipſi libuiſſet: Nam licet hæc induratio abſolutè conſiderata ſit actus juſtitiæ, eſt tamen comparativè conſiderata actus etiam beneplaciti & libertatis; cùm ex omnibus æquè malè de ſe meritis per peccatum, & in pari demerſis ex illo miſeria, aliorum quidem miſereatur, alios verò induret. Nec ſanè aliud ſibi velle Apoſtolum toto eo capite;

Digitized by Google

capite, quicquid ſomniet Volkelius, facile ei pateſcet, qui totum illud caput, præſertim verò quæ de Jacobo & Eſauo dicuntur, attentè & ſine præjudicio legerit: Et niſi id dixeris, debebis ſtatuere non tam Deum miſereri ejus cujus vult, quam illum hominum qui voluerit miſericordiam ejus conſequuturum, etſi non ſit vel *volentis* vel currentis, ſed miſerentis Dei Rom. I x, 16. Manet ergo id inconcuſſum quod ſicut non poteſt ille non amplecti Dei miſerationes in Chriſto, licet id faciat liberrimè & libentiſſimè, cujus Deus vult miſereri, (aliàs enim non fieret quod ipſe vult, & contra quam ſcitè dictum ab Auguſtino, Deo volenti ſervare aliquod hominis reſiſteret arbitrium,) ita etiam non poſſit niſi peccare & averſari ac reſpuere Dei miſericordiam & gratiam, licet id faciat ultrò & ſponte is quem Deus juſto ſuo judicio induravit, ne videns videat, audiens audiat, & corde intelligens ac credens convertatur & vivat. Id verò eſt planè paradoxum & implicat contradictionem, quod ſtatuit Volkelius nequidem indurationem penitùs tollere, non dicam *libertatem voluntatis*, (cùm voluntas in indurato maneat ſemper incoacta & libera) ſed facultatem in homine ex ſeſe reſipiſcendi, & eluctandi propriis ſuis viribus, ex horrendo illo Dei judicio; Si enim id poſſet evenire, poſſet Deus etiam in hoc ſuo judicio excidere ſuo fine: Nam cùm talem induratum, *ad grave ſupplicium, ut olim Pharaonem*, aſſeruet, tum homo induratus, ſe ſubduceret, contra Dei mentem & intentionem, illi ſupplicio ad quod aſſervabatur, & juſtitiæ ac ſeveritatis divinæ carceres inviolabiles effringeret. Adhæc dum fatetur Volkelius *vehementer* impediri per indurationem divinam, illam quam propugnat imaginariam *libertatem voluntatis*, ſive potiùs indifferentiam ad oppoſita & facultatem reſipiſcendi, ex innatis ſibi viribus, eo ipſo fatetur, non ſemper præſto eſſe ſingulis facultatem & facilitatem ſe ad Deum convertendi, & impedimenta ipſis divino judicio per & propter peccatum injecta, quæ impediunt *quo minus reſipiſcant*, æquè facilè propriis ſuis viribus abrumpendi, ac Samſon ſuis, vincula Philiſtæorum inſtar ſtuppæ abrumpebat. Neque ex illa collatione locorum ad quam provocat adverſarius, poteſt exſculpi quod fingit, nequidem fidiculis; ut in illa expendenda nolim diu immorari: Sufficiat quod de perſonis ſingulis agatur Rom. I x, 22. ſed de populo in communi Rom. x, 19. x I, 13. 14. 23. adeo ut abſurde colligas poſſe aliquem perſonaliter induratum reſipiſcere, eo quod urgenda ſit imò expectanda reſipiſcentia multorum ex illo populo qui communiter occalluiſſe dicitur: præſertim cùm conſtet ex Rom. x I, 25. indurationem Iſraelis nonniſi *pro parte* eveniſſe. Ut verò non poteſt evenire ut reſipiſcat is quem Deus juſto ſuo judicio indurat, ita non poteſt fieri, ut pereat & deficiat is cujus Deus vult & decrevit miſereri, quia Deus ſuo conſilio & propoſito nequit excidere: Et cùm ex miſericordia Dei alicui actu præſtita juxta iſtud illius miſerendi propoſitum, fluat perſeverantiæ donum & cuſtodia illa potens per fidem cujus meminit Apoſtolus 1 Pet. I, 5. certum eſt miſericordiam divinam impedire quominus *in incredulitatem* incidat *& à gratia* deficiat is qui eam conſecutus eſt; non quod invitus remaneat in fide, aut quod ſepoſitâ hac miſericordiâ, ac, ut loquuntur in Scholis, in ſenſu diviſo, non poſſet ultrò & ſuâ ſponte deficere; ſiquidem illa ſepoſitâ nihil aliud poſſit quam deficere; ſed quod Deus conſtanter miſereatur ejus cujus ſemel voluit miſereri, in ipſo efficiat ut velit perſeverare

Digitized by Google

perſeverare & actu perſeveret, & in eo compleat opus fidei potenter, uſque ad diem Chriſti, Philipp. 1, 6. Pſalm. CXXXVIII, 8. Teſtimonium ad quod provocat adverſarius in contrarium Rom. XI, 20. 21. 22. reſpicit in communi populum Gentilem, non perſonas ſingulares credentium ex illo; ut ſcilicet metuat eaſdem vices quas populus Judæus, in cujus locum fuit inſertus, expertus eſt. Tum etiam hæc eſt comminatio quæ homines pios excitat ad ſanctam ſollicitudinem & vigilantiam, non verò prædictio eventus iſtiuſmodi futuri: Et quod poſſet evenire per imbecillitatem humanam ſibi vel relictam vel confidentem, non evenit nec poteſt evenire, per divinam miſericordiam, quæ eam gerit ſuorum curam, ut impediat quominus plantati & radicati in Chriſto unquam revellantur.

Ex iis autem, quæ de mente ac ſcopo iſtorum Pauli verborum diximus, facilè etiam illa intelligentur, quæ apud eundem Apoſtolum de figulo ejuſque figmento ſubjunguntur, (ỳ. 21.) quorum quidem hæc eſt ſumma: ut figulo ex eadem maſſa unum vas honeſtum, alterum turpe effingere liberum eſt: ita multò magis in Dei poteſtate conſiſtit, ſalutarem ſuam gratiam in illos conferre qui ipſi confidunt, cujuſcunque tandem loci ordiniſque ſint; & eandem ab illis, qui fide ipſum complecti nolunt, removere, eoſque indurare. Non enim exiſtimandum eſt, Paulum hoc loco ad hominum creationem reſpectum habere, ut dicat, Deum quoſdam ad interitum, quoſdam verò ad ſempiternam felicitatem perfruendam condidiſſe; nec maſſa materiam deſignat, ex qua homo formatus ſit: ſed univerſum genus humanum ſignificat, iis jam moribus præditum, ut damnari jurè poſſet. Locus certè Hieremiæ, (*Jer.* 18. 6. *& ſeqq.*) ex quo hæc verba aliquomodo deprompſit Apoſtolus, apertè docet, maſſam illam, non materiam hominum formandorum, nec homines ſimpliciter conſideratos, ſed certis jam moribus præditos ſignificare, ob quos Deus vel præmio, vel pœnâ eos afficere decreverit ac pronunciaverit; quos ſi mutent, Deus quoque ſe pro arbitrio ac poteſtate ſua, decretum de illis ſuum mutaturum, & ſic homines ipſos ratione ſtatûs ac conditionis refícturum eſſe affirmat. Quare vas in honorem fingere, non eſt, aliquem ad fidem ac pietatem, præſertim citra liberum ipſius conſenſum, perducere, ſed ei, ſi crediderit ac piè vixerit, gloriam ſempiternam deſtinare: contrà etiam vas ad dedecus, ſeu turpem uſum fingere, non eſt aliquem incredulum impiumve efficere, nedum citra liberum ejus conſenſum; ſed eum, ſi incredulus ac contumax fuerit, ad interitum, ignominiamque ſempiternam deſignare. Id nempe indicare voluit Apoſtolus, etiamſi nulla foret cauſa, ob quam ii, qui in Chriſtum credunt, præferendi eſſent iis, qui credere nolunt: nempe quia hi illis ob natalium prærogativam, ac factorum antecedentium præſtantiam, videantur æquandi: Deo tamen pro 557.

arbitrio ſuo ac liberrima poteſtate licuiſſe iis tantùm, qui credunt, gloriam ſempiternum deſtinare: eos verò, qui credere nolunt, æterno ſupplicio & ignominiæ addicere, & ne eam pœnam effugere facilè queant eos indurare.

† *Ex iis autem*] Hæc eſt inſignis παρερμήνεια loci Paulini Rom. IX, 12. Nam apud Paulum *ex eadem maſſa* fiunt vaſa duûm generum: At juxta Volkelium, hæc diſparia vaſa, ex diſpari maſſa cenſebuntur fieri; Vaſa quidem ad decus ex maſſa eorum qui Deo *confidunt*; Vaſa verò alia, ex maſſa incredulorum. Quâ enim ratione poſſunt iſti duo hominum ordines tam diſpares, ad eandem maſſam referri? Haud gravatè concedo, Paulum hoc loco *ad hominum creationem* non reſpicere, *ſed univerſum genus humanum* ſignificare *iis jam moribus præditum ut damnari jure poſſet*; etſi dubitare poſſim an eò faciat locus Jer. XVIII, 6. & ſ. licet eodem ſimili Jeremias utatur cum Apoſtolo: Nam Propheta agit de refectione vaſis fracti, Paulus de diſtinctorum vaſorum adornatione ex eodem lutó. Sed quicquid de eo ſit, fateor apud Paulum non agi de maſſa creationis, ſed de maſſa corruptionis; Verùm hinc adſtruo quod volo, videlicet quod cùm omnes homines in eadem maſſa communis corruptionis jacerent, iiſque omnes præditi eſſent moribus ut damnari jure poſſent, Deus quoſdam illorum ex indebita Gratia voluerit facere vaſa gloriæ, alios ex juſta veveritate vaſa iræ: ut nec hi haberent quod quererentur, cùm id benè ſint meriti per illam corruptionem in cujus maſſa jacent; nec illi quod glorientur, cùm ex mera gratia ſuæ corruptioni & miſeriæ ſint ſubducti. Itaque hæc maſſa non ſignificat quidem *materiam hominum formandorum, nec homines ſimpliciter conſideratos*, ſed tamen cùm ſit maſſa communis, non ſignificat homines diſparibus *moribus præditos ob quos, illos præmio, hos pœnâ afficere decreverit; quos, ſi mutent, Deus quoque ſe pro arbitrio ac poteſtate ſua decretum de illis ſuum mutaturum, & ſic homines ipſos ratione ſtatus ac conditionis refecturum.* Ubi obiter obſerva quam abſurdè fingant hæretici Deum mutare ſua decreta & conſilia, prout homines ſuum mutant inſtitutum, ut plus poſſint facere mutationis in Deo ejuſque conſiliis hominum conſilia, quam Dei conſilia in hominum inſtitutis & conſiliis. Saltem, ut quod hic fingit Volkelius reperiatur apud Paulum opus foret novo teleſcopio, cujus ſubſidio id etiam videatur quod nuſquam eſt. Quod enim ait *vas in honorem fingere, non eſſe aliquem ad fidem ac pietatem perducere, ſed ei ſi crediderit ac piè vixerit gloriam ſempiternam deſtinare*, eſt falſiſſimum: tum quia is qui credit & piè vivit, non eſt ejuſdem maſſæ cum eo qui coagmentatur ad dedecus, ſed jam illi ſe ſubduxit ſuâ pietate & fide; tum maximè quia facere vas ad decus eſt illud καταρτίζειν & προετοιμάζειν, coaptare & in anteceſſum præparare, ad gloriam: nam utroque hoc vocabulo utitur Apoſtolus: illa verò præparatio quæ fit ad gloriam nonniſi in fidei & ſanctificationis gratia ſita eſt. Ideo Auguſtino *cap. 14. de bono perſeverant.* prędeſtinatio deſcribitur *præſcientia & præparatio beneficiorum quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur.* Neque dicimus quem divinitùs præparari per fidem & pietatem ad gloriam *citra liberum ipſius conſenſum*, ſed tantum pertendimus hunc illius liberum conſenſum debere refundi in Dei gratiam, & facere partem iſtius ſuæ præparationis favorabilis & miſericordis ad gloriam,

Digitized by Google

riam. Nec ideo non præparat Deus vas miſericordiæ ad gloriam, hominem fide & pietate donando, eo quod *Vas ad dedecus fingere, non eſt aliquem incredulum impiumque efficere.* Nam cùm uterque in eadem corruptionis maſſa jaceat, ex illo non poteſt fieri vas ad decus præparatum ad gloriam, quin eximatur illi maſſæ per indebitam gratiam, adeoque donetur à Deo fide & pietate: At ut hic coagmentetur ad dedecus & iram, ſufficit illum relinqui in eadem maſſa, in qua quamdiu hæret non alius eſſe poteſt quam incredulus & impius ac irâ digniſſimus, etſi talis ſit & maneat per *liberum conſenſum* corruptæ ſuæ voluntatis. Quæ ergo hîc de mente Apoſtoli garrit Volkelius, planè ſunt aliena. Quis enim mediocriter verſatus in Dei verbo, neſcit certiſſimam & indubitatam eſſe cauſam *ob quam ii qui Chriſtum credunt præferendi* ſunt iis *qui credere nolunt*? Annon diſertiora ſunt ad id verba Euangeliſtæ Johan. 1 1, 18. 36. quam ut à quoquam queant in dubium revocari? Neque ſanè in eo recurrendum fuiſſet à Paulo ad Dei *arbitrium & liberrimam poteſtatem*; cùm id omne fundetur in æquiſſima ejus juſtitia, juxta quam iis *tantum qui credunt* gloria ſempiterna deſtinatur, ii verò qui increduli & impii malunt permanere, *æterno ſupplicio* addicuntur. Vide Rom. 1, 18. 32. 2 Theſſ. 1, 6. 7. Si id enim ſit liberrimæ Dei poteſtatis & meri ſui arbitrii, pari ratione poſſet eos qui credunt & piè vivunt æterno ſupplicio addicere, obſtinatos verò incredulos & impœnitentes, nihilominus donare æternâ gloriâ. Quod ſuâ abſurditate ſe refutat. Quid ergo? Apoſtolus in eo liberrimam Dei poteſtatem deprædicat, quod ex omnibus hominibus in maſſa corrupta jacentibus, quoſdam per indebitam gratiam, voluerit præparare ad gloriam certò obtinendam, alios verò per juſtum judicium, in illa corruptione relinquere & coagmentare ad interitum. Nam cur hos potiùs quam illos ad gloriam præparare, cur iſtos potiùs quam alios ad interitum coagmentare voluerit, cùm neque hi meliores aut ſanctiores eſſent cœteris, neque iſti aliis corruptiores aut deteriores, illud demum eſt quod in ipſius beneplacitum & liberrimam poteſtatem juxta Apoſtolum refundi debet.

Sequitur, ut illum ſcripturæ locum examinemus, (*Deut.* 29. 4) ubi legimus, non dediſſe Deum hominibus cor ad intelligendum, & oculos ad videndum, atque aures aut audiendum. Ex eo autem humani arbitrii ſervitutem coucludi minimè poſſe hinc perſpicitur, quòd, ut verborum contextus indicat, nequaquam ita Deus non dediſſe cor ad intelligendum, oculos ad videndum, aures denique ad audiendum, à Moſe dicitur, ut dare noluerit, aut quantum in ipſo erat, non dederit. Si enim ad illius conſilium, & rerum quas eum finem præſtitit, vim reſpicias, omninò dare illum voluiſſe comperies: cùm Moſes ibidem populo Iſraëlitico voluntariam animi ſtupiditatem ac cœcitatem, atque adeo contumaciam objiciat; quippe qui innumeris Dei tum miraculis, tum beneficiis invitatus, nequaquam tamen cor ad intelligendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum applicare voluerit. Opera enim tam ſtupenda in ipſorum oculis edendo, eoſque infinitis muneribus cumulando, id efficere Deus voluit, hoc eſt,

Digitized by Google

animos illorum ad conſiderandam ipſius potentiam ac providentiam exuſcitare ſtudioſiſſimè curavit. Reipſa tamen illis cor, oculos, aureſve ejuſmodi
558. non dediſſe rectiſſimè à Moſe dicitur: cùm, niſi ſit, qui accipiat, dari ipſo effectu nihil poſſit. Atque etiam Paulus (2 *Tim.* 2. 25.) hoc pacto verbum *dandi* omninò uſurpare videtur, cùm inquit: *ſi quando Deus det illis pœnitentiam*, id eſt, ſi quando jam omnibus oblatam reſipiſcendi occaſionem arripiant, & ſic reipſa illis Deus pœnitentiam donet.

‡ *Sequitur ut illum*] Hic quoque locus Deut XXIX, 4. ſatis oſtendit, ita mancipatum eſſe peccato hominis arbitrium, ut donec per Dei gratiam liberetur, nihil boni ex ſe vel cogitare vel facere valeat: Siquidem quamdiu non dederat Iſraelitis *cor ad intelligendum, & oculos ad videndum, atque aures ad audiendum*, ideſt revera quamdiu non circumciderat eorum corda, juxta promiſſionem quæ extat Deut. XXX, 6. nullius bonæ frugis capaces erant. Confer loca parallela Eſa. VI, 9. 10. Ezech. XXXI, 26. Matth. XIII, 9. 11. 13. Quod verò dicit Volkelius *nequaquam* Deum *ita non dediſſe cor ad intelligendum* &c. *ut dare noluerit, aut quantum in ipſo erat non dederit*, eò abſurdius eſt, quod inde ſequatur Deum quantum in ſe erat id jam antea dediſſe Iſraelitis, quod Moſes negat illis hactenus à Deo datum & indultum fuiſſe. Jam autem certum eſt noluiſſe Deum id illis dare quod eouſque non conceſſerat neque dederat, adeoque & juſtam illius ſuæ voluntatis cauſam ac rationem habuiſſe. Et præterea quod ex iis quæ narrat Volkelius colligi non poteſt Deum iſta *omninò dare voluiſſe*, non hìc diſſerimus de eo quod Deus facturus fuiſſet, quo caſu Iſraelitæ meliùs fuiſſent uſi ſuis beneficiis, ſed de eo quod conceptis verbis Moſes negat ab illo factum fuiſſe. Exprobrat quidem *Moſes ibidem populo Iſraelitico voluntariam animi ſtupiditatem ac cœcitatem*. Sed unà agnoſcit in ſolius Dei manu fuiſſe eam ſanare & auferre, quod juſto ſuo judicio eouſque non fecerit, quoniam ſe beneficio illo interno indignos præſtiterant, frequenti illâ contumaciâ, quam adverſus media externa pergebant exerere. Quamvis igitur ex natura rei, *opera tam ſtupenda* quæ Deus in ipſorum oculis edebat, & beneficia infinita quibus illos cumulabat, debuiſſent *animos illorum ad conſiderandam ipſius potentiam ac providentiam exuſcitare*, tamen non dici poteſt ſimpliciter hoc ipſum Deum in illis operibus & beneficiis externis intendiſſe, & pro ſcopo ſibi propoſito habuiſſe; quippe qui his mediis externis tamdiu non adjecit auxilium internum gratiæ, ſine quo illa omnia externa ei rei ſufficere non poterant. Ridiculus autem in eo eſt Volkelius cùm ait optimè Deum cenſeri *illis cor, oculos aures-ve ejuſmodi non dediſſe, cùm niſi ſit qui accipiat dari ipſo effectu nihil poſſit.* Quid enim abſurdius quam fingere Deum id eouſque non dediſſe Iſraelitis, quod liberali & effuſiſſimâ manu à ſe oblatum & obtruſum illi acceptare & admittere noluerint! Eo ſanè caſu non dicendus eſſet Deus eouſque id non dediſſe, ſed dicendus eſſet populus ingratus & contumax, eouſque recuſaſſe, reſpuiſſe, recipere & admittere noluiſſe, id quod Deus ex ſua parte non offerebat tantum, ſed dabat quantum poterat dare. Præterea non eſt verum univerſaliter, nihil poſſe dari cum effectu, niſi ſit qui accipiat: Nam etiam pater condens teſtamentum, dat poſthumo ſuo naſcituro hæreditatem

Digitized by Google

tem integram aut illius definitam portionem. Tum etſi id axioma poſſet concedi circa beneficia quæ liberè & ultrò ſunt admittenda, tamen extendi nequit ad ea quæ verſantur circa ipſius voluntatis inclinationem ac determinationem, &, ſi fas ſit ita loqui, ipſammet acceptationem oblati beneficii: Nec enim præexiſtit acceptio & admiſſio beneficii illius donationi actuali, cùm in eo ſita eſt donatio ut acceptionem & admiſſionem oblati beneficii operetur. Quod verò fingit Volkelius hoc ſuo abſurdo ſenſu ſumi verbum *dandi* 2 Tim. II, 25. falſum eſt. Dat enim Deus pœnitentiam hominibus, non cùm illi, *omnibus oblatam reſipiſcendi occaſionem arripiunt*, ſed cùm eorum animos & mentes inflectit ad ſalutaris pœnitentiæ, officia, & conterit oſſa quæ poſtea exhilaret & lætificet; Ita dicitur Deus dediſſe Gentibus pœnitentiam ad vitam Actor. XI, 18. non tantum oblatâ illis reſipiſcendi occaſione, quam nunquam arrepturi fuiſſent abſque ipſius gratia, ſed etiam cordibus eorum permotis & determinatis ad eam reſipiſcentiam ſalutarem cujus nunquam eos pœniteret.

Reſtat, ut de illis ſcripturæ locis nonnihil dicamus, qui ipſis hominibus apertè videntur adimere omnia, quæ ad fidem, pietatem, ſalutemque pertinent, ita ut nullam iis in rebus homini libertatem relictam eſſe ſtatuendum ſit. Ii verò ſunt, in quibus dicitur, non eſſe hominis viam ejus; (*Ier.* 10. 23.) non omnium eſſe fidem; (2 *Theſſ.* 3. 2.) non eſſe volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. (*Rom.* 9. 16.) Ut ergo verba Hieremiæ, quibus non eſſe hominis viam ejus aſſerit, excutiamus, intelligendum eſt, ea ad propoſitam quæſtionem nihil quicquam pertinere, cùm eo in loco nequaquam de ea hominis via ſermo ſit, quæ ad mores ipſius pertineat, & probitatis aut improbitatis, virtutis aut vitii ratione contineatur; nec de conſiliis, cogitationibus, ac voluntatibus humanis; ſed de conſiliorum actionumque humanarum eventibus, quos Deus in ſua poteſtate collocatos eſſe voluit, quemadmodum ſuperiùs monuimus, unde vulgò etiam dicitur, hominem proponere, Deum diſponere.

‡ *Reſtat ut de illis*] Neque hæc loca producimus ſimpliciter eo fine quem fingit adverſarius; neque omnem *iis in rebus homini libertatem relictam* eſſe negamus: Nihil certè is *adimit* homini, qui omnis boni quod homo facit, laudem Deo adſcribit: Nihil etiam detrahit hominis libertati in iis *quæ ad fidem, pietatem, ſalutemque pertinent* qui ſtatuit Gratiæ deberi divinæ, quod homo ultrò, ſponte & liberè quæ ſunt fidei & pietatis ſectetur. Sed de ſingulis agendum ordine. Prior locus Jer. X, 23. non tam facilè nobis excutitur ut putat adverſarius: Nam licet non agat ſpeciatim *de ea via hominis quæ ad mores ipſius pertineat*, agit tamen generatim *de conſiliis, cogitationibus, & voluntatibus humanis*, quæ ita ſubſunt potenti Providentiæ Dei, ut eas immutet & inflectat quocunque ipſi lubuerit. Et putat Oecolampadius *ad illum locum*, Prophetam ſpectare quod evenit Nebucadnetzari, cui mens quidem fuerat *perdere Moabitas & Ammonitas*; ſed *in itinere conſtitutus quia rebelles audivit Iſraelitas, mutatus eſt* ejus

ejus animus à Deo; ut proficiſceretur primò contra Ieruſalem. Quare ipſemet Cornelius à Lapide ſtatuit ex hoc loco conſtare liberum hominis arbitrium *Dei ope indigere & à Deo dirigi Deique providentiæ ſubjacere*, & monet Franciſcum Suarezium aliosque Scholaſticos, ſic hoc dictum Prophetæ exponere, *Non eſt hominis via ejus, ideſt opera gratiæ quæ ſunt ad viam æternam, non ſunt in hominis poteſtate, ſine Dei inſpiratione & auxilio* &c. Neque ſoli Neoterici id viderunt in textu Jeremiæ, ſed etiam Veteres; inter quos Hieronymus *libr. 3. ad Hierem. hoc loco* ita loquitur; *Erubeſcant novi prædicatores qui ajunt unumquemque ſuo arbitrio regi, cùm & hic Propheta dicat, Non eſt hominis via ejus, & David in Lyrico canat carmine, A Domino greſſus hominis diriguntur* &c. Quod verò ait Volkelius hîc agi tantum *de conſiliorum actionumque humanarum eventibus, quos Deus in ſua poteſtate collocatos eſſe voluit*, defendi non poteſt; quia ita ſunt iſti eventus in Dei poteſtate, rei quæ evenit reſpectu, ut etiam illi ſubſint quod ad modum quo evenit: Evenit autem plerumque per eò inclinatas & determinatas, contra quam primitùs putaſſent, hominum cogitationes, deliberationes & voluntates: Atque eo ſenſu verum eſt quod *vulgò dicitur, hominem proponere Deum diſponere*, cùm conſilia dirigat & inflectat quò ipſi beneplacitum eſt, adeo ut nec hominum conſilia, nec eorum eventus, quocunque alea ceciderit, ſive juxta hæc ipſorum conſilia ſive ſecus, ſubduci poſſint illius Providentiæ & regimini: Et ſanè *via hominis*, non tantum notat eventus conſiliorum humanorum, ſed etiam ipſamet hominis conſilia, juxta quæ huic vel illi viæ inſiſtere conſtituit.

Porrò quòd Paulus dicit, (2 *Theſſ.* 3. 2.) non omnium eſſe fidem, id nullam vim habet ad voluntatis libertatem tollendam: cùm ipſa verba ita ſimpliciter, uti ſonant, accipi queant, ut nimirum ſignificent, non omnes, qui fidei ſtudium profitentur, fide revera præditos eſſe: quod genus hominum, cùm Euangelii curſum vehementer impediat, ideo Deo ſupplicandum eſſe monet, ut ab illis liberemur. Ex eo verò, quòd non omnes fidem revera habeant, nequaquam conſequitur, id ea de cauſa factum eſſe, quia eam amplecti, & animum ad eam appellere non potuerint. Sufficit enim, eos id facere noluiſſe. Sed demus, aliquid ampliùs iſtis verbis ſignificari, nempe non omnes ad fidem eſſe aptos atque habiles, vel etiam, ſi ita placet, non omnes credere poſſe: non ſequetur tamen, id propria ipſorum voluntate ac culpâ non eſſe factum, eoſque eâ facultate, de qua loquimur, ſemper caruiſſe: imò ne illud quidem inde conſequitur, nullâ prorſus ratione fieri jam ampliùs poſſe, ut fidem amplectantur: ſed tantùm, eos ob improbitatem animi fidei veræ eſſe incapaces, ita ut illâ durante, hanc amplecti nequeant, etiamſi interim non ſit prorſus impoſſibile, ut illam animi improbitatem aliquando deponant, & ſic fidei capaces reddantur. Sic Chriſtus Phariſæis dicit: (*Matth.* 12. 34.) *quomodo poteſtis bona loqui, cùm mali ſitis?* &
559. alibi Judæis: (*Ioh.* 5. 44.) *quomodo poteſtis credere, cum gloriam alii ab aliis accipiatis?*

Digitized by Google

piatis? non quòd ii malitiam aut gloriæ humanæ amorem deponere, & ſic bona loqui, aut in ipſum credere nequeant: ſed quòd durante illâ malitiâ aut ambitione, facere iſta non poſſin Unde tacitè monentur, ut illam animorum peſtem deponant, ac porrò bona loquantur, aut in Chriſtum credant.

‡ *Porrò quòd Paulus*] Fateor hunc alterum locum 2 Theſſ. III, 2. *nullam vim* habere *ad voluntatis libertatem tollendam*; cùm nec eam velimus ſublatam vel motam ſuo loco, ſi uti decet in ſola incoactione agentis ultrò & ex proæreſi collocetur: Sed tamen hîc docet Apoſtolus ideo fidem non eſſe omnium, quod non ſit omnibus datum credere, ſed iis demum, cùm ſit fides electorum Dei Tit. I, I. qui ſunt præordinati ad vitam æternam Actor. XIII, 48. Adde loca Matth. XIII, II. Joh. VI, 44. Eph. II, 8. Phil. I, 29. Nec tam videtur agere Apoſtolus de iis *qui fidei ſtudium profitentur*, cùm tamen *fide re vera* præditi non ſint, quam de iis qui fidei & Euangelii curſum ſuâ ἀπιςίᾳ ſtudent remorari: quod eo minus mirandum eſt, quod re vera fides ſit ſpeciale gratiæ donum, quod non omnibus obtingit. Sed primò non verum eſt quod ait Volkelius hypocritas illos hîc notari, qui verâ fide deſtituti in illius profeſſione externa *Euangelii curſum vehementer* impediunt, ut *ideo Deo ſupplicandum* ſit *ut ab illis liberemur.* Id ſanè vix quiſquam ſibi perſuadebit, qui intelliget, nec tales vehementer retardare curſum Euangelii, qui ſtudium fidei præ ſe ferunt, cùm hi potiùs ſint tamdiu pro nobis quamdiu non ſunt contra nos, & etiam per iſtos εἴτε προφάσει εἴτε ἀληθείᾳ Chriſtus annuncietur Philip. I, 18. nec poſſe ſperari in hoc mundo ut Eccleſia penitùs liberetur ab iis qui fide carentes illius tamen ſtudium aliquod externum præ ſe ferunt. Deinde hoc dato, quod ſupponit adverſarius, tamen manet inconcuſſum ideo fidem non eſſe omnium, quod ſit Dei donum ſpeciale merè gratuitum, & cujus nemini debitor eſt, ut minus mirum ſit illud diſtribui & conferri quibus vult. Etſi enim incredulitatis eorum qui non credunt audito Euangelio, cauſa poſitiva ſit ipſorummet perverſa voluntas, quâ noluerunt fidem adjungere Dei Verbo, id tamen non impedit quo minus ejuſdem incredulitatis cauſa negativa, ſit carentia & defectus Gratiæ indebitæ, ſine cujus operatione & efficaciâ credere nequiverunt, & quâ poſitâ deſiiſſent eſſe increduli: Ut meritò de illa carentia Gratiæ denegatæ iis qui pereunt, idem dici queat quantum ad illorum obſtinatam incredulitatem, quod de Chriſti abſentia dicebat Martha Lazari ſoror Joh. XI, 21. *Domine ſi hîc fuiſſes meus frater mortuus non fuiſſet.* Fateor iſtos noluiſſe *fidem* amplecti; ſed eos ideo id potuiſſe nego: Nec enim repugnat homines id ipſum nolle, quod ſimul non poſſunt & eorum vires longè ſuperat: Quod homo vino captus nolit redire domum, ſed malit in luto volutari, aut ſtertere in caupona, non probat illum eo in ſtatu eſſe ut domum redire poſſit, cùm neque pes neque caput officio ſuo defungantur. Et cùm fateatur Volkelius *aliquid amplius iſtis verbis ſignificari, nempe non omnes ad fidem eſſe aptos atque habiles, vel etiam non omnes credere poſſe*, redit invitus ad nos, ſtatuendo *id propriâ ipſorum voluntate & culpâ eſſe factum*: Siquidem & nos dicimus impotentiam & ineptitudinem ad credendum, quæ ineſt omnibus,

omnibus, & remanet in iis quos Deo non lubet illuminare & convertere, eſſe culpabilem & voluntariæ culpæ illorum tribui oportere. Neque dicimus *nullâ prorſus ratione fieri poſſe ut fidem amplectantur*, cùm Deus poſſit illos per ſuam indebitam gratiam ad fidem evocare & traducere; ſed tantum eos in illo ſtatu, & donec Deo libuerit illam *improbitatem animi* eorum corrigere & auferre ſuæ Gratiæ efficaci auxilio, ita *fidei veræ eſſe incapaces*, ut illam *amplecti nequeant*, deſtituti in ſe & ex ſe omnibus viribus ad has ſupernaturales operationes requiſitis. Atque hanc ipſam impotentiam credendi & benè agendi, conceptis verbis notat Chriſtus in Phariſæis & Judæis, locis Volkelio citatis ex Matth. XII, 34. Joh. V, 44. quam ſic attribuit eorum *malitiæ* & *gloriæ humanæ* ſtudio, ut nullo modo innuet, poſſe illos hanc malitiam aut animi motionem propriis ſuis viribus ac ſuopte motu *deponere* & abjicere; etſi ad id faciendum *tacitè* invitentur: Nam tales admonitiones vel tacitæ vel expreſſæ, non oſtendunt quid homines ex ſeſe poſſint, ſed tantum quid ex officii præſcripto facere teneantur.

Ille verò ejuſdem Apoſtoli locus, (*Rom.* 9. 16.) *Non eſt volentis*, *neque currentis*, *ſed miſerentis Dei*, tantum abeſt, ut libertatem voluntatis humanæ tollat, ut etiam ſtabiliat. Significant enim verba iſta, poſſe hominem velle ac currere; ſed ex ea voluntate ac curſu ſalutis noſtræ rationem verè ac propriè, ſeu mavis, primò non pendere, verùm ex Dei miſericordia. Niſi enim Deus hominis miſereretur, eique ſalutem deſtinaret aut offerret, etiamſi is maximè vellet ac curreret, ſalutem tamen non conſequeretur: cùm nulla hominis opera rem tantam mereri queant; id quod ad alia etiam Dei beneficia extendi poteſt.

‡ *Ille verò ejuſdem*] Ad hunc ultimum locum Pauli Rom. IX, 16. parum appoſitè reſpondet Volkelius. Nec enim ſupponit Apoſtolus eſſe qui velint & qui currant priuſquam Deus miſereatur: ſed è contrario ſtatuit prævenire Deum ſua miſericordiâ noſtros conatus noſtraſque voluntates, quia ipſe in nobis operatur & velle & perficere Phil. II, 13. Atque hanc ſuam aſſertionem colligit Apoſtolus ex eo quod Deus miſereatur cujus vult, & quem vult induret; id enim ipſe ex Moſe propoſuerat Rom. IX, 15. Non ergo ſtabilit Apoſtolus arbitrii vires, ſed potiùs eas evertit: ut pote quæ nullæ ſint ad negotium ſalutis, quod ex Dei miſericordia unicè ſuſpenditur: Quare non *ſignificant verba iſta*, ut ſtatuit Volkelius, *poſſe hominem velle ac currere*, antecedenter ad Dei miſericordiam, ſed potiùs ex hac fluere id omne quod vult & currit. Aliàs ſi miſericordia Dei illi præviæ voluntati prævioque curſui accederet, eoipſo miſericordia eſſe deſineret, quia nec planè gratuita foret, nec omninò indebita, nec abſolutè libera, ſed jam provocata excitataque hominis curſu & voluntate. Quin ſi hæc voluntas illeque curſus præcederet Dei miſericordiam, tum ſanè *ex ea voluntate ac curſu*, *ſalutis noſtræ ratio*, *verè ac propriè*, *ſeu mavis*, *primò* penderet, non verò *ex Dei miſericordia*; quod tamen ceu abſonum reſpuit & ipſe abominari videtur Volkelius. Equidem haud gravatè largior quod *niſi Deus hominis miſereretur*, *eique ſalutem deſtinaret aut offerret*, *etiamſi is* (ſi id per impoſſibile fieret,) *maximè vellet ac curreret*,

Digitized by Google

ſeret, *ſalutem tamen non conſequeretur*, *cùm nulla hominis opera rem tantam mereri queant*, de condigno: Sed ex illa veritate hypothetica nemo ſanus collegerit *poſſe* igitur *hominem* antecedenter ad Dei miſericordiam & gratiam, (quo in ſtatu omnibus viribus eſt deſtitutus, inops conſilii, mortuus in ſuis peccatis, & ineptus ad quicquam boni ex ſe ipſo cogitandum) *velle ac currere.*

Unde intelligitur, non de ea voluntate ac curſu hominis Apoſtolum loqui, quâ quis officium Deo debitum præſtare, & fidem pietatemque amplecti ac colere velit: ſed quâ quis juſtificationem ac ſalutem, aut etiam alia beneficia à Deo conſequi cupiat: eamque voluntatem ac curſum per ſeipſum, atque à promiſſionibus ex divina miſericordia manantibus ſejunctam hîc conſiderare. Nam alioqui, poſtquam Deus ex ſingulari miſericordia ſalutem homini ſub certa conditione obtulit, eique ad tantum bonum aditum patefecit, jam porrò aliqua ratione etiam currentis ac volentis eſt, modò quis ex Dei præſcripto velit ac currat, in eoque ſecundùm Dei miſericordiam, ſalutis ratio conſiſtit. Unde Paulus ipſemet, ut coronam illam adipiſceretur, ſtrenuè in pietatis ſtudio cucurrit, & alios currere juſſit, quod alibi quoque divinus ſpiritus monet. (1 *Corinth.* 9. 24. & *d. Phil.* 2. 12, 14. 2 *Tim.* 4. 7, 8. *Hebr.* 12. 1, 2.)

‡ *Unde intelligitur*] Quid hic Volkelius dicat intelligi, video; ſed quid in eo ſibi velit, non item. Hic enim malè opponit quæ mihi videntur inter ſe amicè admodum conſpirare, imò planè eadem eſſe, videlicet voluntatem illam *quâ quis officium Deo debitum præſtare & fidem pietatemque amplecti ac colere velit*, & eam, *quâ quis juſtificationem ac ſalutem, aut etiam alia beneficia à Deo conſequi cupiat*; cùm & prior voluntas hanc poſteriorem neceſſariò ſupponat, & hæc poſterior ſi ſeria ſit, priorem unà ſecum trahat & excitet. Hanc verò poſteriorem voluntatem, cum ei annexo curſu, *à promiſſionibus ex divina miſericordia ſejunctam hic conſiderari*, quaſi ſejunctim ab illis poſſit exiſtere, fingere poteſt adverſarius, probare & demonſtrare non poterit in æternum: Siquidem quod ipſe non diffiteri planè videtur, omnis talis voluntas & curſus, Dei miſericordiam non præcedit, ſed ſubſequitur. Verùm quam abſurdè omnem illam miſericordiam quæ & *velle & currere noſtrum* antecedit, conſtituit iſte homo in externa & conditionata oblatione ſalutis, quaſi nihil amplius operetur, & noſtri ſit arbitrii, oblatum beneficium admittere aut reſpuere, quod pernegamus, tam ipſi largior etiam fidelem ſub ductu miſericordiæ divinæ *velle ac currere*, & eo reſpectu eſſe quoque ſuo modo volentis & currentis, (ſi nempe *quis ex Dei præſcripto velit ac currat*,) at non oppoſitè vel antecedenter ad Dei miſericordiam, ſed conſequenter & ſubordinatè ad illam; quò faciunt loca hic adverſario citata de curſu ad coronam, per metaphoram ex Agoniſticis Græcorum deſumptam, quæ tamen ultra mentem & ſcopum Spiritus Sancti urgeri non debet. Aliàs enim non ſatis eſt Deum *ad tantum bonum*, *aditum nobis*

 pateſacere,

Digitized by Google

patefacere, & aperto ſtudio nos tubâ Euangelii à carceribus ad metam & coronam evocare, niſi inſuper & voluntatem indat currendi, & vires ſuppeditare dignetur ad currendum; atque ut loquitur Eccleſia Cant. 1, 4. trahat nos ut curramus poſt ipſum.

Cap. XIX.

In quo quæritur, an homines regeniti peccati conſuetudine teneantur.

Respondente

REINOLDO PAULI,

Dantiſcano.

SEd jam videamus, quàm vera illa ſententia ſit, quâ homines etiam ſanctiſſimos peccati conſuetudine teneri ſtatuitur. Adducuntur autem duo potiſſimùm ſcripturæ ſacræ teſtimonia ad eam comprobandam: quorum alterum eſt apud Johannem, alterum apud Paulum extat.

1 *Sed jam videamus*] Lemma hujus capitis fraudulenter contextum eſt ad ſtatum Controverſiæ occultandum, quod in limine noluerit Volkelius ſuam ἀναμαρτησίαν Pelagianam prodere. Nec enim quæritur an *homines regeniti* ſubſint dominio peccati, aut peccent peccato quod eſt ad mortem. Id enim etiam negant firmiter Orthodoxi, freti loco 1 Joh. 3 1, 9. Sed tantum an eouſque nativa & habitualis corruptio remaneat etiam in regenitis, quamdiu à Domino peregrinantur, ut & quandoque incidant ex infirmitate in lapſus graviores, quemadmodum Davidi, Petro ac aliis evenit, & ſint obnoxii peccatis *quotidianæ incurſionis*, uti Tertulliano appellantur, ac id eo quotidie debeant dicere *Dimitte nobis debita noſtra*, non *tantum humiliter* ſed etiam *veraciter*, ut contra Pelagianos definivit Concilium quod vulgò Meleviranum dicitur, *Can.* 7. *&* 8. Hic meritò contra Phariſaiſmum & craſſum Pelagianiſmum Socinianorum affirmativam defendimus; neque tamen putamus id debere ſimpliciter dici *conſuetudinem* peccandi vel peccati: Nam primùm conſuetudo peccati ſupponit habitum dominantem & confirmatum: deinde conſuetudo debet eſſe continuata, nec interrupta vel impugnata, per actus contrarios: Sed horum neutrum obtinet in regenitis reſpectu peccati. Non prius; quia procedunt quidem eorum peccata ex habituali ipſorum corruptione: Ille tamen habitus non dominatur in ipſis, ſed è contrario per ſtudium Sanctificationis paulatim debilitatur & minuitur, donec cum morte penitùs exuatur: Non poſterius; quia non ſemper, uſque & uſque, peccant & malè agunt regeniti, verùm plurima bona præſtant opera, delectantur lege Dei quoad hominem interiorem, & enervatâ quantum poſſunt lege membrorum, quæ adverſatur legi mentis ſuæ,

Digitized by Google

ſuæ, ſtudent juſtitiæ & ſanctificationi abſque qua nemo videbit Deum. Igitur ita ſtatuimus neminem dari fidelium & regenitorum qui non peccet & impingat in pluribus, ut etiam eos *peccati conſuetudine* teneri neutiquam ſtatuamus: Quare ad has lineas tota hæc diſputatio eſt revocanda.

Adducuntur quidem] Non nitimur tantum his duobus locis quæ examinanda ſibi ſumit Volkelius, ſed pluribus aliis, ut clauſulâ orationis Dominicæ quotidie recitandâ Matth. VI, 12. dicto Jacobi quod in multis impingamus omnes Jac. III, 2. axiomate generali Salomonis neminem eſſe qui non peccet 1 Reg. VIII, 46. confeſſione communi omnium fidelium agnoſcentium omnes ſuas juſtitias eſſe inſtar panniculi abjectiſſimi Eſa. LXIV, 6. & denique conſtanti experientiâ omnium hominum & ſæculorum. Sed illa duo loca ex quibus conatur ſe extricare Adverſarius, propiùs expendamus.

Ac Joannes quidem ſic ſic loquitur: *Si dixerimus, nos peccatum non habere,*
ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. (1 *Ioh.* 1. 1.) Atqui aliud eſt, pec-
catum habere; aliud, peccati conſuetudine teneri. Illud enim, peccato- 560.
rum, utut multò antè perpetratorum, reum eſſe declarat: hoc verò,
etiamnum in ſceleribus verſari ſignificat. Ac prius quidem veriſſimum eſſe,
primò ex ipſo verborum contextu patet: cùm Joannes, paucis interjectis,
eandem rem luculentioribus verbis exprimens dicat: (ỳ. 10.) *Si dixerimus,*
nos non peccâſſe, mendacem facimus ipſum, & ſermo ejus non eſt in nobis. Non ait,
ſi dixerimus, nos *non peccare*, ſed ſi dixerimus, nos *non peccâſſe.*

‡ *Ac Iohannes quidem*] Hic locus 1 Joh. 1, 8. ſudes eſt in oculis noſtrorum Pelagianorum & perfectiſtarum, qui illam ipſam ἀναμαρτησίαν ſolent propugnare, quam Hieronymus olim impugnabat tam cordatè *in epiſt. ad Cteſiph.* Plures autem poſſent proferri etiam ex veteribus qui hac in parte nobis aſſentiuntur. Unicus ſufficiat Auguſtinus ut multis aliis locis ſic nominatim *ep. 95.* quæ eſt ad Innocentium 1. Epiſcopum Romanum. *Nobis*, inquit, *ſufficit quod nullus in Eccleſia Dei fidelium reperitur in quolibet profectu, excellentia atque juſtitia, qui ſibi audeat dicere non neceſſaria meſſe precationem orationis dominicæ, Dimitte nobis debita noſtra, & dicat ſe non habere peccatum, ne ſeipſum decipiat & vita in eo non ſit.* Sed huic Soli lucem aliunde fœnerari nihil attinet; cùm textus ſit planus & perſpicuè doceat neminem eſſe fidelium & regenitorum in hac vita qui poſſit unquam gloriari ſe carere omni peccato & vitio. Nec declinat Volkelius hoc telum ſuis argutiis. Fateor quidem quod *aliud ſit peccatum habere, aliud peccati conſuetudine teneri*, cùm prius ſit etiam regenitorum, non verò poſterius: Sed nego, quod is dicatur habere peccatum, qui inpræſentiarum quidem vivat abſque peccato, ſed tamen *peccatorum ut-ut multò ante perpetratorum* reus ſit: Nam peccatum habere in præſenti idem eſt quod peccare. Peccare autem in præſenti dicitur, non qui manet adhuc in reatu peccati alicujus diu ante perpetrati, ſed qui actualiter legem Dei violat & deflectit ab illius ecclyptica & tramite. Etenim qui in præſenti non peccat, is utique vivit piè, ſanctè, & omninò convenien-

ter legi Dei: Nemo autem ita vivit qui non ſit conſequutus remiſſionem peccatorum ſuorum præcedentium; Sed peccatorum jam remiſſorum reatum manere qui dixerit, is naturam remiſſionis peccatorum penitùs neſciverit. Habere itaque peccatum hîc loci eſt primùm transgreſſorem eſſe Legis divinæ, facto, dicto, concupito, omiſſione boni præſcripti aut commiſſione mali prohibiti, vel quoad ſubſtantiam operis, vel quoad modum operandi. Deinde eſt habere in ſe legem, fomitem & fontem peccati, in nativa illa corruptione quam omnes in ſe ſentire & agnoſcere debent. Utroque autem hoc reſpectu vel ſanctiſſimi & perfectiſſimi, ſi Dei verbum, ſi ſuam conſcientiam, ſi ſeipſos audiant, debent agnoſcere & confiteri ſe habere peccatum, nec ſe quærere extra hanc regulam perpetuæ, neceſſariæ & indubiæ veritatis. Nec facit pro interpretatione Volkelii quod extat apud Johannem ibid. ℣. 10. *Si dixerimus nos nos peccâſſe, mendacem ipſum facimus.* Nulla enim fingi poteſt ratio cur potiùs verſum 8. per 10. interpretemur de præterito, quam 10. per 8. de præſenti: Et utrumque debet retineri: Prius dicitur in præſenti; ut tanto magis conſtet opus nobis eſſe adhortatione Apoſtolicâ ℣. 7. ad ambulandum in luce, atque ſic exuenda opera tenebrarum, quæ obrepunt quotidie: Poſterius in præterito, per reſpectum ad illam confeſſionem peccatorum faciendam, ad quam nos invitat Apoſtolus ℣. 9. Quia confeſſio nequit eſſe niſi peccatorum jam priùs admiſſorum: Nec deberet ſæpiùs & quotidie repeti illa confeſſio, niſi relaberemur quotidie in nova peccata. Quare *ex ipſo verborum contextu, patet* Volkelium in hoc ſuo commento ἀῤῥωστίᾳ τῆς διανοίας evidenti laboraſſe.

Deinde & aliis in locis, locutione iſta nonniſi hanc, quam diximus, rem explicari, manifeſtum eſt. Sic Chriſtus apud eundem Johannem in Euangelica hiſtoria de Phariſæis loquens: *Si cæci eſſetis*, inquit, *non haberetis peccatum: nunc autem dicitis, videmus, itaque peccatum veſtrum manet.* (*Ioh.* 9. 41.) Ubi non id dicere vult Chriſtus, ſi cæci illi eſſent, eos non peccaturos, ſed peccati reos non futuros, utpote qui aliquam peccati ſui excuſationem eſſent habituri: nunc autem eos peccati reatu teneri. In quam ſententiam & illa verba Chriſtus protulit: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent peccati ſui.* (*Ioh.* 15. 22.) Quo in loco apertiſſimè *peccati ſui excuſationem habere*, & *habere peccatum*, inter ſe opponuntur. Cùm igitur peccati ſui excuſationem habere, haudquaquam ſignificet, non peccare, ſed peccati reum non eſſe; conſequens omninò eſt, peccatum habere, non eſſe peccare, ſed peccati reum eſſe. Quid quòd ibidem paucis interjectis Chriſtus (℣. 24.) hunc in modum loquitur: *Si non feciſſem opera in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Quis autem dixerit, illos, ſi Chriſtus admiranda illa opera non patrâſſet, peccaturos non fuiſſe? Id rectè dicitur, eos aliqua ſaltem ratione excuſabiles futuros, & pœnæ non penitùs obſtrictos, ſi Chriſtus opera illa non patrâſſet, quæ

hominum

Digitized by Google

hominum illorum contumaciam arguerent, ut pote qui illis convicti, Deum tamen ac Chriſtum agnoſcere, eique obtemperare noluerint.

† *Deinde & aliis in locis*] In his locis adducendis ex Joh. IX, 41. & XV, 22. aberrat Volkelius toto cœlo, dum opponit hæc duo tanquam diverſa, *peccare* & *peccati reum eſſe*: Nam quicunque peccat eo ipſo reus eſt peccati, & qui reus eſt peccati, peccâſſe cenſendus eſt. Et quamvis iſte reatus ſit ordine naturæ peccato ipſo poſterior, tamen ſimul ſunt tempore: ut dicere hominem reum peccati, non neceſſariò ſignificet peccatum multo ante perpetratum fuiſſe. Igitur hæc duo loca quæ citat adverſarius oſtendunt quidem hanc phraſim *habere peccatum*, idem etiam ſonare ac eſſe reum peccati; ſed non probant reatum iſtum eſſe duntaxat peccatorum *multo ante perpetratorum*, non verò continuatorum in dies. Imò verò cùm dicit Chriſtus *ſi cæci eſſetis peccatum non haberetis: nunc autem dicitis quia videmus peccatum veſtrum manet*, perinde eſt ac ſi diceret, Si cæcitatem veſtram ſpiritualem agnoſceretis, deſineretis eſſe increduli & obſtinati adverſus me; nunc verò cùm turgeatis opinione veſtræ propriæ ſapientiæ, perſeveratis ideo in veſtra incredulitate & perfidia: Atque ita tribuit illis Chriſtus reatum peccati non præteriti & qui jamdiu actu tranſierit, ſed perſeverantis & continuantis indies, ut revera, & etiam Volkeliano ſenſu, peccati conſuetudo iſtis à Chriſto tribuatur. Hìc itaque mihi videntur enotanda verba Eraſmi in *paraphraſi hujus loci. Ieſus ad hanc tam invidioſam pariter & arrogantem interrogationem* (quâ ſcilicet Pharifæi petierant, *Num & nos cæci ſumus*:) *ſic reſpondet ut oſtendat eos qui ſibi viderentur admodum oculati, pluſquam cæcos eſſe: non enim corpore ſed animo cæcos eſſe; & hoc inſanabilius eſſe cæcos quod ſibi viderentur oculati. Si verè, inquit, eſſetis cæci, ac mentis inſcitiam agnoſceretis, daretur venia ſimplicitati: nunc verò quùm revera cæci ſitis, & tamen arrogatis vobis apud populum eruditionis laudem, inſanabiliter eſtis cæci. Quemadmodum hic cæcus, quoniam agnovit vitium corporis, aſſequutus eſt lucem: vos quùm excæcati cupiditatibus carnis veſtræ, ſponte veſtrâ cæci ſitis, ſanari non poteſtis, ſed perſeveratis in peccato incredulitatis*, &c. Igitur contra quam ſibi Volkelius imaginatur revera *id dicere vult Chriſtus, ſi cæci illi eſſent eos non peccaturos*, id eſt perſeveraturos in illa ſua obfirmata incredulitate cujus conſuetudinem retinebant. Nec plus ineſt ponderis alteri loco, ubi dicit Chriſtus, *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent peccati ſui.* Hìc enim non notatur tantum reatus peccati præteriti, ſed continuatio & obfirmatio in incredulitate, quâ factum ut in Chriſtum coram poſitum & probatum non ſolum non crederent, ſed ipſum quoque odio haberent & perſequerentur. Cui incredulitati & nequitiæ continuatæ nullam quirent excuſationem prætexere dicendo neſciebamus, cùm tantâ luce Chriſti præſentis & prædicantis colluſtrarentur. Itaque hìc *habere peccatum* non eſt tantùm teneri reatu graviſſimæ culpæ, ſed in ipſa quoque obſtinatè & inexcuſabiliter continuare & permanere. Et eodem facit Eraſmiana *paraphraſis. Si non veniſſem ipſe, qui ſum Filius, & quo nemo major mitti poterat, ſi non fuiſſem eis loquutus omnia quæ poterant illos ad meliorem revocare mentem, ſi non feciſſent ea quæ vel ſaxea corda poterant ad credendum* *impellere*,

impellere, levius certè perirent, nimirum ab hoc incredulitatis crimine liberi, cujus acceſſio magnam ſarcinam addet eorum exitios. Nunc autem cùm nihil à me ſit omiſſum, quo ſervari poterant, cùm ipſi pertinacibus odiis pugnarint adverſus eum qui ſalutem gratuitam offert, non habent quo purgent incredulitatem ſuam. Et ſanè non ſimpliciter opponitur à Chriſto *peccati ſui excuſationem habere*, & *habere peccatum*, ut tetur Volkelius. Hæc enim non tam ſunt oppoſita, quam diverſa. Excuſabilitas enim qualiſcunque, ſi non à toto, ſaltem à tanto, cujuſmodi ea eſt quæ hîc commemoratur, nec culpam tollit, nec reatum, etſi minuat utcunque & illam & hunc: Neque cenſetur ullam admiſiſſe culpam vel ullum reatum contraxiſſe, qui abſolutè excuſatur à peccato. Cum itaque excuſatio à peccato, non minus culpam reſpiciat quam reatum, imò ad illam priùs ſpectet quam ad iſtum, qui excuſationem habet peccati, tam cenſetur nec peccare nec peccaſſe, quam non eſſe reum peccati. Adeoque etiamſi in illis verbis com. 24. *Si non feciſſem opera in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, non ſignificetur eos ſimpliciter & abſolutè *peccaturos* non fuiſſe, ſignificatur tamen eos non ita graviter peccaturos fuiſſe: Sed per accidens id inſerviebat eorum culpæ aggravandæ & conſequenter eorum reatui intendendo, quod ex rei natura iſtiuſmodi culpæ continuationem & augmentum impedire debuiſſet. Et cùm juxta ipſummet Volkelium, nonniſi *aliquâ ſaltem ratione* iſti *excuſabiles* fuiſſent, hoc debet intelligi ſecundum quid; non quod abſolutè non fuiſſent peccaturi, ſed quod tam gravis culpa eorum futura non fuiſſet; non etiam quod *pœnæ non penitùs* obſtricti fuiſſent, ſed quod tam gravem pœnam non fuiſſent commerituri. Vide Luc. XII, 47.

Jam ut illud ponderemus teſtimonium, quod (*Rom.* 7. 14, 15.) apud Paulum reperitur; intelligendum eſt, adverſarios in ea ſententia eſſe, ut putent, eundem Apoſtolum de ſeipſo jam renato aſſerere, ſe carnalem, ſub peccato venundatum eſſe, non bonum, quod velit, ſed malum, quod non velit, facere. Animadvertendum autem eſt, Paulum hæc verba de ſeipſo, quatenus nimirum regeneratus erat, nequaquam feciſſe: ſed, ut ipſe docet contextus, per proſopopœjam quandam, ipſi non inuſitatam, depingere ſtatum conditionemque hominis ſub Lege exiſtentis. Contulerat enim (℣. 5, & 6.) inter ſe Apoſtolus ſtatum illorum, qui ſub Lege vivunt, cum ſtatu eorum, qui ſub Chriſto, ut horum præ illis felicitatem oſtenderet. Eandem igitur rem ampliùs declaraturus, priorem illius comparationis partem verſ. 5. expreſſam, hoc eſt ſtatum eorum miſerabilem, qui ſub Lege adhuc vivunt, hoc capite deinceps in ſua perſona depingit: poſtea initio cap. ſeq. incipit alteram collationis illius partem, verſ. 6. hujus 7. cap. expreſſam, h. e. felicitatem eorum, qui ſub Chriſto vivunt, in eadem perſona ſua depingere.

‡ *Iam ut illud*] Eò tota redit quæſtio an Paulus Rom. VII, 14. 15. loquatur de ſeipſo jam renato, nec-ne. Negarunt olim Pelagiani, negant hodie cum Socinianis Pelagianorum reliquiæ: Sed meritò affirmant Orhodoxi, cum Auguſtino *lib.* 1. *Retractat. cap.* 23. & *lib* 6. *contra Iul. cap.* 11. *ubi ait hanc eſſe expoſitionem S. Hilarii, Nazianzeni, Ambroſii* (refero id verbis Cornelii à Lapide *in hunc locum*) & *cæterorum Eccleſiæ Sanctorum & notorum Doctorum. Sic quoque explicant S. Gregorius lib.* 19. *Moralium, cap.* 5. *S. Hieron. lib.* 2. *contra Pelag. Anſelmus, Primaſius, Thomas, Pererius, Adamus & alii*, ad quos & ipſe Cornelius accedit. Fundamenta iſtius veritatis propoſuimus *Syſtem. noſtri loco* XII. §. 51. & *ſeqq.* Non diffiteor Apoſtolum ab initio capitis agere de lege & ſtatu eorum qui illi quomodocunque ſubſunt; ſed nego, ideo illũ agere de homine ſimpliciter irregenito; cùm v. 4. 5. 6. agat ex profeſſo de noſtra liberatione per Chriſtum & traductione ad libertatem filiorum Dei, eaque occaſione uſque ad verſ. 13. de natura & uſu legis diſſerat, etiam in regenitis, quibus adhuc inſunt reliquiæ ſuæ corruptionis; inde à verſ. 13. tranſeundo ad luctam ſpiritualem, cui ſunt adhuc obnoxii, quod ſuo exemplo ſuaue experientiâ explicat & comprobat. Quare quam abſurdum eſt hic *proſopopœam* imaginari, cùm proſopopœa ſit ea Rhetorices figura quâ res corporeæ & ratione aut etiam ſenſu deſtitutæ introducuntur edere actiones rationales, & quaſi ſubire vices perſonarum intelligentium, tam infirmum eſt argumentum Adverſarii, deſumptum ab hac ſua analyſi imaginaria, juxta quam affingit Paulo ſua ſomnia, ut pueri nolis ſonantibus quæ ipſi apud ſe cogitant vel cantillant. Nec enim initium cap. 8. debet repeti à verſ. 6. cap. 7. ſed potiùs ab hujus verſu ultimo, cum quo optimè cohæret, & cohærere oſtendit particula illativa, οὖν, per quam collligit privilegium piorum qui in illa lucta mente ſerviunt Legi Dei, adeoque ducuntur ejus Spiritu: & quod licet gemant ſub reliquiis ſuæ infirmitatis, nulli tamen amplius condemnationi ſint obnoxii. Niſi malis illationem illam quâ orditur Paulus cap. 8. ſpectare doctrinam univerſalem de gratuita noſtri Juſtificatione per fidem Chriſti, quam fusè explicavit cum illius conſectariis & adjunctis cap. 3. 4. 5. 6. & 7.

Hinc eſt, quòd in verbis cap. 7. v. 7. & ſequentibus apertiſſimè homini iſti, cujus perſonam ſuſtinet, tribuit, quæ in hominem renatum nequaquam conveniunt, quæque ipſemet alibi, atque in hac inprimis epiſtola, tum paulò ſuperiùs, tum inferiùs, ab homine Chriſtiano, ſeque adeò ipſo longiſſimè removet, quale præter cætera, quæ antea commemoravimus, eſt, peccatum in aliquo operari omnem concupiſcentiam, in eo revixiſſe, illumque occidiſſe. Hæc enim à Chriſtiano longiſſimè abeſſe, inde conſtat, quòd idem Paulus alibi aſſerit, eum carnem cum libidinibus & cupiditatibus crucifixiſſe; (*Gal.* 5. 24.) peccatnm in corpore ipſius mortali non regnare, eive dominari; (*Rom.* 6. 12. *ibid.* ℣. 14. ℣. 2. 11.) item, cum peccato mortuum, & veterem hominem (id eſt, vitam anteactam) eſſe crucifixum, & corpus peccati, id eſt, ipſum peccatum, eſſe deſtructum; (v. 6.)

(ẏ.6.) item, eum non exiſtere in carne, (*Rom.* 8. 9.) à peccatoque liberatum eſſe: (*cap.* 6. 18, 22.) item, & eum non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum ambulare. (*cap.* 8. 1, 4, 12, 13.)

‡ *Hinc eſt quod in verbis*] At verò quæ hoc capite dicuntur *in hominem renatum nequaquam* convenire, jure meritoque negamus; quia argutatur Adverſarius à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Nec enim homo Paulinus deſcribitur abſolutè carnalis & venundatus ſub peccato; ſed tantum ſecundum quid, pro ea parte quæ nondum erat regenita, & quantum ad eam legem memororum quæ pugnabat cum mente ſua, & comparatè ad δικαίωμα & rigorem legis, quæ *ſpiritualis* cùm ſit detegit & exaggerat peccata, & conſummatiſſimam exigit obedientiam, noſtroſque defectus nobis ponit ob oculos. Nam quamvis id ita ſe haberet ab una parte, ab altera tamen nolebat bonum facere, malum facere nolebat, delectabatur lege Dei quoad interiorem hominem &c. Hæc ſanè non ſunt hominis irregeniti, ut nec illius eſt gemere ſub pondere ſuæ corruptionis & liberationem exoptare. In irregenito enim peccatum eſt quaſi in ſuo elemento: adeoque ibi non gravitat, ut loquuntur Philoſophi. Unde etiam dicunt Rabbini peccatum eſſe homini impio inſtar levis paleæ, ſed pio & probo inſtar montis graviſſimi. Itaque cùm fideles conſiderantur reſpectu nativæ ſuæ conditionis, & quantum ad illius remanentes reliquias, dubium non eſt quin *peccatum* inhabitans operetur in ipſis *omnem* illam cui adhuc ſubſunt *concupiſcentiam*, ideſt omne genus actualium deſideriorum vitioſorum, quibus tamen reſiſtunt quantum poſſunt, & quos per legem mentis reprimere ac ſupprimere ſtudent. Nec dubium etiam quin fideles quòque & regeniti, conſequantur cognitionem peccati per Legem, & ſuo modo peccatum per eam reviviſcat in illis, ideſt eouſque vim ſuam explicet, ut tum ſe conferendo ad legem Dei, ſe mortuos ſentiant, & planè ineptos qui per legem ſervari poſſint. Hæc tamen non impediunt quominus ea omnia quæ congeruntur à Volkelio, fidelibus conveniant, ſi conſiderentur in ſenſu compoſito quà regeniti & fideles, & ubi denominatio fit à nobiliori parte. Verùm cùm tales non ſint niſi inchoatè & ex parte, (aliàs non eſſent obnoxii illi luctæ carnis & Spiritus quam in ſe experiebatur & deſcribebat Apoſtolus, & cui omnes pii ſunt expoſiti Galat. v, 16. 17.) id non impedit quominus & alia planè oppoſita de ipſis queant prædicari, ſenſu ſaltem diminuto & limitato, ut factum ab Apoſtolo.

Quid, quòd homo à Paulo introductus de ſumma ſua miſeria conquerens, liberatorem quærit, inquiens, *quis me liberabit à corpore mortis hujus*, (*Rom.* 7. 24.) id eſt ab hac ipſa morte? Chriſtianus verò homo, ut teſtis eſt idem Paulus, (*Rom.* 8. 2.) jam à Lege peccati & mortis liberatus eſt.

‡ *Quid, quòd homo*] Imo hoc ipſum nobis argumento eſt iſtum hominem Paulinum agi Spiritu Dei, nec irregenitum dici poſſe: Irregenitus enim lethargiâ ſpirituali laborans nullo ducitur ſenſu ſuæ miſeriæ, tantum abeſt ut liberatorem

ſatorem optet. Neque hîc optat Paulus liberari *ab hac ipſa morte*, ut habet gloſſa Volkeliana, ſed vel à corpore peccati inhabitantis noſq; morti ſubjicientis, cujus reliquias ſe circumferre ægerrimè ferebat; vel à corpore hoc mortali, eo quod ex illis peccati inhabitantis reliquiis non poſſit homo pius liberari ante ſuum obitum: Nativa enim corruptio nos ſubit cum noſtri generatione, ergo debet exui cum noſtri corruptione: Eſt namq; ſimilis induſio inter noſtras veſtes, quod primum induitur & ultimum exuitur. Eſt quidem fidelis jam liberatus à lege peccati mortis Rom VIII, 2. quoad illius dominium, at non penitùs quoad illius inhabitationem.

Nec obſtat, quòd Apoſtolus vocabulo *Ego* ubique utitur: cum, ut diximus, illi inuſitatum non ſit, ut ſub ſua perſona alios intelligat, quemadmodum ex his locis perſpicuum eſt, Rom. 3. 7. 1 Corinth. 6. 12. & 10. 23, 29, 30. & 13. 2. Gal. 2. 5. 18.

† *Nec obſtat*] Quamvis Apoſtolus etiam *alios* quandoque ſub vocabulo *Ego intelligat*, non eſt tamen veroſimile, voluiſſe ipſum unquam eos *ſub ſua perſona* deſcribi, ex quorum nihilominus ordine ipſe vel non eſſet, vel non cenſeri poſſet: Quod videre eſt in omnibus locis congeſtis à Volkelio, ut etiam patet primo obtutu; Quare in illis expendendis, tempus terere foret ſuperfluum.

Nec illud opponi meritò poteſt, quòd homo à Paulus introductus dicit, (*Rom.* 7. 25.) ſe divinæ legi mente ſervire: cùm hoc nihil aliud ſit, quàm divinam legem mente animoque approbare; quod etiam ab illo fieri poteſt, qui per ſpiritum Chriſti non eſt renatus, ſed adhuc ſub Lege vivit.

† *Nec illud opponi*] Atqui *legi mente ſervire*, non eſt tantum legem *approbare* ceu juſtam, ſed omni ſtudio & conatu ſe illi ſubjicere. Etſi enim irregenitus cogatur approbare legis poſtulatum, lege tamen minimè delectatur κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον Rom. VII, 22. qui homo interior idem eſt Apoſtolo quod renatorum novus homo, 2 Corinth. IV, 15. Eph. III, 16.

Quòd ſi dicas, hominem carnalem ſive animalem non intelligere ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſpiritualem autem omnia dijudicare; ex eoque conſequi, iſtum hominem, de quo Paulus loquitur, ſpiritualem nihilominus fuiſſe, ac proinde regenitum; quippe qui legem divinam & intellexerit, & comprobaverit: id nil eſt aliud, quàm clariſſima Pauli verba oppugnare: cùm apertè homo iſte, quamvis videat, Legem eſſe ſpiritualem, id eſt, ſpiritualia præcipere, ſeipſum tamen carnalem eſſe affirmet, & porrò ſpiritualem eſſet neget. (*Rom.* 7. 14.) Animadvertendum autem eſt, aliud eſſe 562
animalem, aliud carnalem eſſe; ſiquidem Corinthii jam animales eſſe deſierant,

rant, carnales tamen ab Apoſtolo appellantur, (1 *Cor.* 3, 4.) & ſatis apertè ſpirituales eſſe negantur. Unde facilè apparet, non protinus eum ſpiritualem evaſiſſe, qui animalis eſſe deſierit: cùm poſſit adhuc carnalis eſſe. Carnalis autem ſpiritualis nondum eſt, ac proinde nondum verè renatus. Itaque etiamſi is, de quo Paulus loquitur, ea quæ ſunt ſpiritûs Dei intelligeret, & ſic non ampliùs animalis eſſet; non protinus tamen ſequeretur, eum ſpiritualem renatumque eſſe. Deinde aliud etiam eſt, Legem Dei mente percipere, aliud ea, quæ ſunt ſpiritûs Dei, id eſt, quæ per Chriſti diſciplinam nobis patefacta ſunt atque confirmata, tenere. Cum enim Lex Dei per Moſen tradita, humanam rationem non videatur ſuperare, ideoque etiam ab animali homine, id eſt, naturali intelligentiâ nixo, intelligi poſſit: contrà verò diviniſſima novi Fœderis promiſſa, & ratio eadem obtinendi, ab humana intelligentia longè ſint remota; fieri non poteſt, ut qui animalis eſt, ea mente comprehendat.

‡ *Quod ſi dicas*] Quam ægrè ſe expediat Volkelius ex hac difficultate, ſatis produnt ipſius verba. Non potuit homo Paulinus ſe vocare abſolutè *carnalem*, ſed tantum limitatè & ſecundum quid, ut ante obſervatum: ſiquidem non tantũ intelligebat & approbabat Legem Dei, ſed etiam ei mente & animo illi ſerviebat, & eâ delectabatur quod ad hominem interiorem: quorum neutrum eſt hominis merè carnalis & animalis, ſed jam ſpiritualis & renati. Nihilque magis ridiculum poteſt excogitari, quam quod aſſerit hæreticus, *aliud eſſe animalem, aliud carnalem eſſe*: cùm fateatur utrumque opponi ſpirituali: Argumentum à Corinthiis ex 1 Cor. III, 3. 4. eſt frivolum, cùm non dicantur *carnales* abſolutè, ſed limitatè & certo reſpectu, quomodo etiam *animales* erant; Hic autem defectus, qui carnem adhuc ſapiebat, non obſtabat quo minus ſpirituales eſſent ex parte & ſpiritu Dei donati, & ipſius gratiâ renati in ſpem vitæ æternæ, ut patet ex 1 Corinth. I, 4. 5. 6. 7. 8. 9. 11, 12. 13. Igitur cùm ait Apoſtolus 1 Cor. III, 1. ſe eos non potuiſſe compellare tanquam ſpirituales, ſed tanquam carnales & infantes in Chriſto, debet intelligi comparatè, quod nondum ad eum ſpiritualitatis gradum conſcendiſſent, qui omnem carnalitatem & animalitatem abſorbuiſſet: Ideo eos vocat carnales & infantes in Chriſto; quod reſpectu Chriſti adhuc eſſent infantes, necdum adulti; adeoque ſimiles infantibus, qui licet ſint animalia rationalia, ſenſui tamen magis obſequuntur quam rationi: Sic illi magis animalitate & carne quam ſpiritu regebantur, licet Chriſto quidem jam inſiti, ſed tamen adhuc valde teneri & infirmi. Porrò fateor lubens aliud quidem eſſe *Legem Dei mente percipere*, ſi de mera perceptione theoretica officiorum per legem exactorum agatur, *aliud ea quæ ſunt ſpiritûs Dei tenere*: Sed nego aliâ virtute fieri quam ſpiritûs Dei, ut quis vel mente ſerviat Legi Dei, vel illâ quoad hominem interiorem delectetur.

Quòd

Quòd ſi quis urgeat, Paulum, (*Rom.* 7.25.) poſtquam infirmitatem ſuam lamentatus fuiſſet, Deo gratias agere per Jeſum Chriſtum, hocque nonniſi in hominem Chriſtianum convenire; & ſic conſequens eſſe dicat, hoc in loco Paulum omninò de ſeipſo, quatenus Chriſtianus renatuſque fuit, orationem habuiſſe: reſpondemus, conſecutionem iſtam ideò malè conſtitutam eſſe, quòd hæc gratiarum actio in parentheſi includi poteſt, atque adeò debet: propterea quòd nec cum antecedentibus, nec cum conſequentibus verbis quicquam commune habet. Nullum enim beneficium Dei commemorat, ſed potiùs de miſeria ſua fuerat conqueſtus; quam querimoniam etiam ſequentibus, perſequitur, in quibus, utut ſe mente Legi divinæ ſervire, ideſt, eam approbare dicat; fatetur tamen, ſe carne ſervire legi peccati, atque adeò id, quod peccatum præcipiat, carne exequi.

‡ *Quod ſi quis urgeat*] Hæc verba Pauli, parentheſi eſſe includenda, ut nullam habeant connexionem cum tota ſerie ſermonis Paulini, eſt commentum ridiculum, quod ſuâ abſurditate ſe refutat. Et ſanè cùm optet liberari à peccato inhabitante, ſub cujus pondere adhuc gemebat, agnoſcit eo ipſo ſe ab ipſius dominio & tyrannide jam eſſe liberatum; adeoque tanto æquiori fert animo has reliquias mali, quibuſcum conflictabatur, quanto certiorem inde expectabat liberationem ſuo tempore conſequendam: in cujus ſpem excitatus gratias agit Deo per Chriſtum, tum propter præcedentia beneficia, tum propter ea quæ adhuc ſubſequutura erant. Igitur gratis aſſumit Volkelius *nullum beneficium Dei* hic commemorari ab Apoſtolo, *ſed* eum *potiùs de miſeria ſua* queri. Quaſi reputans in ſua miſeria quod adhuc aderat, non ſimul memor fuerit ejus quod aberat, & quod ſub illis reliquiis miſeriæ cum quibus conflictabatur, delectabatur tamen lege Dei quoad hominem interiorem, & volebat bonum, ac malum nolebat, licet nec illud ita plenè faceret quin aliorſum pondere carnis traheretur, nec iſtud ſic averſaretur, quin ſubinde in illud incideret. Numquid hæc addita ſpei & fiduciæ liberationis plenariæ quam anhelabat, ſufficientem materiam gratiarum actionis illi ſuppeditabant? Quod ſi Vulgatæ Verſioni, cui tantum ſolent deferre Sociniani, inſiſteretur; multo minùs locus foret huic imaginariæ parentheſi. Illa enim hanc pericopam non expreſſit ceu votivam, ſed ceu affirmativam, ac ſi non ſcriptum eſſet *Gratias ago Deo*, vel *Gratia Deo*, ſed, ut etiam quidam codices Græci habent χάρις τῷ Θεῷ, *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum*: Quomodo quoq; plures Veterum hunc locum legiſſe in comperto eſt. Hoc enim ſenſu profiteretur Apoſtolus, quod eſt ſolius hominis Chriſtiani & regeniti, Gratiam Dei per Jeſum Chriſtum ſe liberaturum ex iſto corpore mortis. Ut Paulus ſibi gemebundo quærenti, quis nam ſe liberaturus eſſet ex hoc corpore mortis, reſpondeat, id facturam Dei gratiam per Jeſum Chriſtum.

Intelligendum autem eſt, eam ob cauſam Apoſtolum iſtam gratiarum actionem interpoſuiſſe, ne quiſpiam illum ex hominum legalium, de qui-

Digitized by Google

bus tot verba fecerat, numero eſſe ſuſpicaretur; utque ſignificaret, quantopere gaudeat, ſe ab iſta miſeria, quam ſermone explicabat, jam liberatum eſſe; id quod cap. ſeq. initio luculenter oſtendit. (*conf. inprimis ỳ. 2. cap. 8. cum ỳ. 24, & 25, cap. 7.*)

‡ *Intelligendum autem eſt*] Hoc commentum eſt ridiculum; cùm nec Paulus ſub ſua perſona hìc loquens ſe quæſierit extra, nec ullus ſit *hominum legalium*, ideſt gratiâ Dei in Chriſto deſtitutorum, & ſub maledictione Legis conſtitutorum, cui ea poſſent convenire quæ hìc ſibi tribuit Apoſtolus: qui ſanè parum prudenter hoc carmen Euchariſticum hìc inſeruiſſet, oſtenſurus ea nullatenus ad ſe ſpectare, quæ tamen tam prolixè ſibi in prima perſona tribuerat; cùm & in eadem ſua perſona, inmediatè poſt iſtam gratiarum actionem, totum hunc diſcurſum concludat iis verbis quæ nonniſi in hominem renatum cadunt: Jam autem antea demonſtravimus quomodo gauderet Apoſtolus, ſe ex illa miſeria, ſub cujus reliquiis gemebat, pro parte majori, ideſt tyrannide & dominio peccati, liberatum eſſe per Chriſti gratiam, *quod cap. ſeq. luculenter oſtendit*, & porrò liberatum iri ejuſdem beneficio & virtute.

Cap. XX.

De Merito Chriſti.

Respondente

JOHANNE SACHSIO,

Anhaltino.

563. HOc in loco de illo quoque errore nobis agendum eſt, quo Chriſto ejuſmodi affinguntur merita, quibus Deo juſticiæque ejus pro nobis loco-ve noſtro ſatisfecerit. Hæc enim ſententia, ut & reliquæ à nobis hucuſque ponderatæ, magnam per ſe vim habet, ad homines non ſolùm ſecuros lentoſque in officio reddendos, verùm etiam in omnia ſcelerum genera impellendos.

‡ *Hoc in loco*] Deus compeſcat hæc ora blaſphema, quibus fœtet doctrina Gratiæ & Redemptionis per Chriſtum, quod eam ſentiant incompatibilem cum opinione propriæ ſuæ juſtitiæ, quam faſtu Phariſaico ſtudent conſtabilire. Et dum urgent hanc doctrinam Euangelicam iſto incommodo, quod *magnam per ſe vim habeat ad homines non ſolum ſecuros lentoſque in officio reddendos, verum etiam in omnium ſcelerum genera impellendos*, non vident paria jam olim homines profanos & crucis Chriſti inimicos, genuinos ſuos Patriarchas, objeciſſe doctrinæ Paulinæ Rom. VI, 1. Quam autem hæc doctrina *per ſe* eò non faciat, etſi fortè eò trahatur per accidens à nonnullis, optima quæque, harpyarum inſtar, ſuo contactu corrumpentibus, nocumenta ex adjumentis facientibus, &

quod

quod dextrâ dabatur ſumentibus ſiniſtrâ, oſtendit univerſa Scriptura, quæ ex doctrina noſtræ redemptionis per Chriſtum, remiſſionis omnium noſtrorum peccatorum in ipſius ſanguine, juſtificationis noſtræ gratuitæ ejus obedientiâ & merito, varias colligit adhortationes ad ſtudium pietatis & ſanctificationis ſine qua Deum nemo videbit. Vide Rom. VI, 1.2.3.4. VIII, 1. 1 Corinth. VI, 20. Tit. II, 11.12.13. 1 Petr. IV, 1. &c.

Ut igitur errorem hunc repellamus, primò intelligendum eſt, nec meriti vocabulum, cùm de Chriſti factis ſermo eſt, uſquam apud divinos ſcriptores reperiri, nec quicquam ab illis dici, quod rem verbo iſto notatam aut exprimat, aut aliqua ſaltem ratione demonſtret: contrà autem, quæ huic ſententiæ planè repugnent, atque adeò eam evertant, ea facilè inveniri poſſunt. Loquimur enim hoc in loco de merito vero proprieque ſic dicto, cujus tum ea natura eſt, ut rem, quam quiſpiam meretur omni ex parte adæquet, minimeque ab ea ſuperetur, tum ea vis, ut is, qui promeretur, ad rem illam, quam promerendi cauſâ ſuſcepit, nullo cœteroquin jure nullaque Lege adſtringatur. Niſi enim labor præmio adæquatus fuerit, certè hoc illi non ex merito, ſed ex gratia tribuetur: quemadmodum etiam, niſi quis merè voluntaria inductione nullaque lege jam ante obſtrictus, quicquam faciat, is non mereri aliquid verè proprieque loquendo, niſi fortè ipſius innocentiæ laudem, atque impunitatem, quæ ad ipſum tota ſpectet, ſed debitum officium perſolvere dicendus eſt.

‡ *Ut igitur errorem*] Nolumus hic ingredi quæſtionem non neceſſariam de Chriſti merito, an illud *abſolutum* fuerit, an *ex pacto*: de qua quæſtione diſputat Chamierus *Panſtratiæ ſuæ tom.* 3. *lib.* 9. *cap.* 1. *& ſeqq.* Ego ſane ſtatuerim, proportionem, condignitatem & æquivalentiam aliquam intercedere inter Chriſti meritum infiniti valoris, & vitam æternam quam illius vi ſumus conſecuturi; ſed pactum intervenire debuiſſe ut hoc meritum noſtrum fieret, noſtræque cederet ſaluti. Sanè præſtitit in eo Chriſtus pro nobis id ad quod non tenebatur, nec auſimus dicere eum ſervum fuiſſe inutilem, ut homines præſtitis etiam omnibus ad quæ tenebantur debent ſe ſervos inutiles confiteri Luc. XVII, 10. Chriſti meritum pro ſuis negari nequit, cùm illi tam apertè militet Scriptura, maximè Actor. XX, 28. Epheſ. I, 14. 1 Theſſ. V, 9. Hebr. IX, 12. Etenim apud bonos Authores *περιποιεῖσθαι* eſt *emereri* & *acquirere*, *περιποίησις meritum*, ſive acquiſitio de ſuo; Id notat, in Græcis authoribus optimè verſatus, Schmidius in *notis* ſuis *ad verſum* 13. *cap.* 3. 1 *ad Tim.* Et abſurdi ſint qui petant vocem *Meriti*, *cùm de Chriſti factis ſermo eſt*, ſibi oſtendi in Scriptura: Qui enim poſſet vox Latina, reperiri in codicibus Scripturæ Græcis & Hebraicis? Abſurdum eſt de verbis contendere, ubi de re conſtat. Nobis ſatis eſt ea dici à Divinis ſcriptoribus, quæ *rem verbo iſto notatam* & exprimunt ſic ſatis, & evidenti *ratione* demonſtrant. Certè qui nos ſibi acquiſivit ſuo ſanguine, & noſtram ſuis laboribus & perpeſſionibus redem-

Digitized by Google

redemptionem æternam confecit, nactus & conſequutus eſt, is non minus debet dici meritus nobis noſtram ſalutem, quã Jacob, ex contractu inito cum Labane, ſeptennio ſui ſervitii, meritus eſt nuptias Rachelis, eamque ſibi acquiſivit & comparavit. Et fruſtra foret comparatio quam Paulus inſtituit inter tranſgreſſionem Adami primi & obedientiam ſecundi, niſi hæc, ſaltem ex Dei pacto, æquè cenſeretur meritoria ſalutis & vitæ, ac illa fuit meritoria condemnationis & mortis. Eſſe autem *quæ huic ſententiæ noſtræ planè repugnent, atque adeo eam evertant*, faciliùs dixerit quam probaverit Hæreticus.

Loquimur autem] Jam autem duæ illæ conditiones concurrunt in obedientia Chriſti pro nobis. Cùm enim ſit infiniti valoris, præmium quod nobis meretur *omni ex parte adæquat.* Nec ullâ *lege* tenebatur Dei Filius aſſumere noſtram naturam & in ea fieri obediens Patri uſque ad mortem crucis pro noſtra redemtione. Hinc profitetur Joh. XVII, 19. quod ſeipſum ſanctificet non pro ſe, ſed pro nobis. Et mira eſt ratio Socinianorum hac in parte. Tribuunt ſubinde exaltationem & gloriam Chriſti ejus obedientiæ & morti, ut illa hujus ſit præmium, hæc conſequenter meritum illius: quo jure nunc non diſputo: Sed quanto potiori jure dixeris, quod vita æterna, quam confidimus nos per Chriſtum conſequuturos, ſit præmium obedientiæ & paſſionis ſuæ pro nobis præſtitæ & ſuſceptæ, adeoque hanc illius meritum non immeritò ſtatui?

His ita conſtitutis, videndum eſt, an ullum proprium Chriſti meritum conſtitui poſſit. Hoc autem quò rectiùs à nobis fiat, intelligendum eſt, adverſarios noſtros duplex illius meritum excogitâſſe. Primò enim aſſerunt, Chriſtum & legem illam, & omnia alia, quæ nos præſtare debebamus, noſtro loco pleniſſimè conſervaſſe, eaque ratione tum ſibi ſupremam gloriam, tum nobis vitam æternam commeruiſſe. Deinde ajunt, eum cruenta morte ſua, debita, quibus Deo obſtricti eramus, cumulatè perſolviſſe. Licèt autem utrumque, tum meriti, tum ſatisfactionis nomine inſigniant: nihilominus tamen interdum, diſcriminis cauſſâ, illud prius meritum, hoc poſterius ſatisfactionem, ſtrictiùs utroque nomine accepto, indigitant.

‡ *His ita conſtitutis*] Si qui ut ſuos conceptus accuratiùs, ſuo judicio, explicent, diſtinguere videntur inter *meritum* & *ſatisfactionem* Chriſti, illi tamen nihil aliud ſibi velle videntur, quam pleniſſimam obedientiam Chriſti bono & loco noſtro ſuſceptam uſque ad mortem, mortem autem crucis, fuiſſe & meritoriam & ſatisfactoriam ſimul, adeo ut & Chriſti meritum ſit ſatisfactorium, & meritoria ſatisfactio Chriſti; Quâ ratione non aſſentimur iis qui ſtatuunt Chriſtum ſuâ obedientiâ non tantum *nobis vitam æternam*, ſed etiam *ſibi ſupremam gloriam* meritum eſſe; Nec enim pro ſe, ſed pro nobis ſeipſum ſanctificavit, & poſito quod inter meritum Chriſti & illius ſatisfactionem nihil ſit diſcriminis propriè dicti, ut revera ſtatuendum eſt, quam abſurdè ſtatueris Chriſtum ſatisfeciſſe pro ſeipſo, quippe cùm nihil deberet, tam abſurdè ſtatuas, eum ſibi ſuâ obedientiâ meritum eſſe exaltationem & gloriam.

Ut

Ut igitur de priore aſſertione primùm agamus; facilè ex iis, quæ paulò antè diximus, intelligitur, eam à vero alienam eſſe. Manifeſtè enim ex iis evincitur, Chriſtum, propriè loquendo, nec ſibi ipſi gloriam iſtam, nec nobis ſempiternam felicitatem meruiſſe. Sibi ipſi ideò, quòd omnia, quæ fecit, quæ ſubiit paſſuſque eſt, præmio, quod tulit, adæquari non poſſunt; nec ea illius fuit conditio, ut, quæ ſuſcipiebat, nullâ lege obligatus faceret. Nam cùm homo eſſet natus, & quidem ſub Lege, ut Paulus affirmat, (*Gal.* 4. 4.) Legi eum naturâ ſubjectum, & ut Dei mandatis obtemperaret, obſtrictum fuiſſe conſtat. Jam verò quicquid Chriſtus unquam præſtitit, ex 564
divino Patris imperio eum præſtitiſſe conſtat: cùm eum non ut ſuam, ſed ut Patris voluntatem faceret, de cœlo deſcendiſſe, (*Joh.* 6. 38.) & uſque ad crucis mortem Patri obtemperâſſe (*Phil.* 2. 8.) legamus.

‡ *Ut igitur de priore*] Nihil hactenus dictum quod obſit veritati.

Propriè loquendo] Hæc loquutio eſt ambigua. Si enim per meritum *propriè* dictum intelligat Volkelius illud quod abſolutum aliis dicitur, & tale ſtatuitur ſepoſito pacto, paucos ſibi reperiet adverſantes: cùm ſit quæſtio in ſe parum utilis, ſiquidem omnes conſentiunt, hîc pactum interceſſiſſe: Sin verò intelligat meritum iis duabus conditionibus conſtans quas ante propoſuit, nihil obſtat quominus *propriè* meritoria ſtatuatur obedientia Chriſti pro nobis, cùm in illa iſtæ conditiones reperiantur.

Sibi ipſi ideo] Rationes modò propoſuimus propter quas nequeat Chriſtus dici *ſibi ipſi gloriam* eam meritus quâ fruitur. Etenim non pro ſe ſed pro nobis illi ſe obedientiæ ſubjecit; Nec debuit vi ſuæ obedientiæ mereri illam exaltationem & gloriam quæ ipſi ex dignitate ſuæ perſonæ debebatur, & quam ideo repetit Joh. xvii, 5. Quæ verò hîc adfertur ratio à Volkelio etiam admitti utcunque poteſt: cùm potuerit quidem obedientia Chriſti, merito, valore & perfectione, adæquari glorificationi hominum, at non gloriæ & majeſtati ipſiuſmet Chriſti, quæ ſimpliciter & abſolutè eſt infinita. In prioribus tamen noſtris rationibus tutiùs acquievero.

Nec eâ illius fuit] Factus quidem eſt ut homo ita obnoxius legi propter nos Gal. iv, 4. Sed tamen ultrò hanc ſubjectionem ſuſcepit, ad quam aliàs, Patri ſuo coæternus & coëſſentialis, non tenebatur. Fuerit quà homo *Legi naturâ* ſubjectus, tamen ſponte ſuâ factus eſt homo, non ſibi utique ſed nobis, adeóque non ſui ſed noſtri gratiâ Legi factus eſt obnoxius.

Iam verò quicquid] Equidem quæcunque fecit & paſſus eſt Chriſtus, fecit & paſſus eſt *ex divino Patris imperio*; quod faciunt loca hîc adverſario citata: Sed illud imperium, fuit primò œconomicum non abſolutum, cùm & Chriſtus ipſe ſeipſum exinaniverit Phil. ii, 6. 7. & animam ſuam à ſeipſo poſuerit Johan. x, 18. Deinde ponit quidem aliquod *pactum* vel *quaſi* cum Filio initum à Patre, de tali præmio ſequuturo; ſed non tollit, imò potiùs ſtabilit, meritum ipſius, cùm eo præmio ſepoſito, illi mandato non futurus obnoxius fuiſſet.

Adde

Adde quòd, ſi maximè Chriſtus nullo Legis vinculo adſtrictus fuiſſet: nequaquam tamen unica illius Legis conſervatio, quantumvis pleniſſima, quam Deo præſtitit, univerſorum hominum loco fieri potuiſſet: ſic enim, quot ſunt homines, tot opus fuiſſet divinæ Legis conſervationibus: & porrò una Legis conſervatio, quam Chriſtus executus eſt, nequaquam univerſorum ſingulorumque hominum cenſeri poteſt.

‡ *Adde quòd, ſi*] Hæc ratio eſt ridicula: Nam quod fit ab aliquo nomine omnium, id ita cenſetur factum ac ſi ſinguli id præſtitiſſent. Si civitas miſerit delegatum qui ſuo nomine juret aliquid, illius delegati juramentum eo habetur loco ac ſi ſinguli cives capitatim illud præſtitiſſent. Ac ſicut hîc non opus eſt tot juramentis per delegatũ præſtandis quot ſunt cives quorum nomine jurat, ita non fuit opus tot diſtinctis Legis obſervationibus per Chriſtum quot erant electi ſuâ obedientiâ ſervandi; cùm non minus plures, eo ſolo obediente ipſorũ nomine, potuerint juſtificari per illius obedientiam, ac plures, imò omnes, Adamo ſolo transgrediente, in quo cenſebantur, condemnationi & morti facti ſunt obnoxii. Diſertior autem eſt Apoſtolus Paulus in eam ſententiam, quam ut negari poſſit. Videatur Rom. v, 12. 19. 1 Cor. xv, 22. Ac prout integrum τὸ δωδεκάφυλον Iſraëlitarum cenſebatur ſubire ſanctuarium & comparere coram Deo in perſona ſummi Sacerdotis, qui duodecim tribuum nomina geſtabat in humeris & pectore ſuo, ita nulla ſubeſt ratio, cur non cenſeatur factum à ſingulis electis, quod eorum nomine à ſummo ipſorum Sacerdote, ipſorum quoq; perſonas ſuſtinente, factum & præſtitum eſt: dicente maximè Apoſtolo, quod uno pro omnibus moriente, omnes mortui cenſendi ſunt, 2 Cor. v, 14.

Neque eſt, quòd quiſpiam exiſtimet, ſummam Chriſti perſonæ excellentiam, tantam ad ejus obedientiam attuliſſe acceſſionem, ut non tantùm Chriſto ipſi ſufficeret, ſed etiam vices expleret obedientiæ illius, quam ſinguli homines Deo debebant, nec tamen præſtiterant. Nulla enim ratio ſuadet, eum, qui vel digniſſimus ſit omnium, legi, quâ tenetur, parendo, plus facere eo, qui tenuiſſimâ fortunâ cum ſit, æquè tamen ac ille, eadem lege vitæ ſtatum componit. Quicquid ille hac in parte præſtat, in eo ſuum unius officium explet, non alienum.

‡ *Neque eſt quod*] Ut non ſibi Chriſtus factus eſt homo & obnoxius Legi, ſed nobis, ita nobis non ſibi & ſui cauſa debuit obedire Legi, ut nos redimeret à maledictione illius, Gal. iv, 4. 5. Quod ipſe ſatis inſinuat Joh. xvii, 19. Quare tanto certiùs ejus pleniſſima obedientia uſque ad mortem crucis, pro nobis præſtita, nobis omnibus juſtificandis poteſt ſufficere, quanto plus accedit illi dignitatis & valoris ex infinita perſonæ Chriſti excellentia & dignitate. *Nulla equidem ratio ſuadet, eum qui vel digniſſimus ſit omnium, legi quâ tenetur parendo, plus facere eo, qui tenuiſſimâ fortunâ cùm ſit, æquè tamen ac ille eadem lege ſtatum componit,*

Digitized by Google

ponit. At verò ſi aliquis ſummæ dignitatis, qui priùs lege non tenebatur, ultrò ſe ſubjiciat legi in gratiam tenuiorum, quos non minus legi impares, quam lege obſtrictos conſtabat, dubium non eſt quin in officio tali præſtito in iſtorum gratiam, ab illo ſummæ excellentiæ & dignitatis fidejuſſore, multum accedat illi præſtationi ex illius dignitate. In ordine quidem ad ſolutionem pecuniariam, in qua mera proportio Arithmetica ſervatur, nihil accedit nummorum valori ex dignitate perſolventis: At in genere vel officiorum præſtandorum in gratiam alterius, vel pœnarum pro aliis ſuſtinendarum, ubi proportio Geometrica conſiderari debet, dubium non eſt quin dignitas perſonæ ſe ad illa officia demittentis, vel ad illas pœnas ſubjicientis pro aliis, multum addat eorum pretio & valori: quod ſatis inſinuabat Dux Albanus, tyrannus quondam Belgii, qui dicebat ſe pluris facere vel unius ſalmonis caput quam viginti mille ranarum. *

Licet interim haudquaquam negemus, imò ultrò fateamur, ac contendamus, Chriſtum ſummo noſtro bono Legi divinæ paruiſſe, &, quicquid ipſi à Patre mandatum fuit, expleviſſe. Ea enim, quæ Chriſtus ex divino mandato præſtitit, cauſæ juſtificationis ac ſempiternæ ſalutis noſtræ extiterunt. qua de re ſuperioribus libris explicatum eſt.

‡ *Licet interim*] Primùm non *noſtro* tantum *bono*, ſed etiam noſtro loco, Chriſtum Legi divinæ paruiſſe, eſt certiſſimum, ex ipſiuſmet dicto Joh. XVII, 19. aliiſque teſtimoniis ante citatis. Deinde hîc turpiter ſibi contradicit Volkelius: Si enim *ſummo noſtro bono Legi divinæ* paruit Chriſtus, non potuit eâ teneri ſicut reliqui homines; cùm alterius bono & utilitati ac debitis diſpungendis nequeat inſervire, quod quis ſua propria nomina diſpungat apud communem creditorem: cùm eouſque quiſque portare debeat ſuū onus. Nec potuerunt *ea quæ Chriſtus ex divino mandato præſtitit cauſæ juſtificationis ac ſempiternæ ſalutis noſtræ* exiſtere, quin illa loco noſtro præſtita fuerint, & ſic à nobis in ipſo præſtita cenſenda ſint. Sed cum hîc nos remittat Volkelius ad ea quæ explicavit *ſuperioribus libris*, nos quoque benignum Lectorem ad ea quæ ibi illi repoſita ſunt meritò amandamus.

Cap. XXI.

De Imputatione Juſtitiæ Chriſti.

Respondente
JOHANNE BRAGELETIO,
Hanoviensi.

Ex hoc ſimul & illa adverſariorum opinio falſitatis convincitur, quâ juſtitiam Chriſti nobis ita imputari ſtatuunt, ut ea nobis licet injuſtiſſimis à Deo applicetur, & non ſecùs, ac ſi nos ipſi eam præſtitiſſemus, attribuatur, ac noſtra eſſe cenſeatur, utpote quæ noſtro loco fuerit à Chriſto præſtita.

Digitized by Google

præſtita. Si enim Chriſtus noſtro loco Legem non conſervavit, quemadmodum oſtendimus; parúmne liquet, illius juſtitiam nobis nequaquam ita imputari poſſe, ut noſtra eſſe cenſeatur? Verùm operæ pretium eſt, iſta paulò fuſiùs diſputare, hancque ſententiam à vero alieniſſimam eſſe, luculentiſſimè docere. Duobus igitur potiſſimùm modis hoc oſtendi poteſt.

‡ *Ex hoc ſimul.*] Ut ei qui non eſt ſolvendo imputatur in ſolutum quod ab ipſius fidejuſſore vel expromiſſore pro ipſo præſtitum eſt, ita hominibus in ſe miſeris peccatoribus, adeoque *injuſtiſſimis*, à Deo applicatur & imputatur obedientia & ſatisfactio Chriſti ad coronam, prout illi noſtra peccata fuerunt imputata ad pœnam 2 Cor. V, 21. Et ſanè cùm non tantum bono noſtro ſed etiam *noſtro loco* Chriſtus obedientem ſe præſtiterit Patri & Legi uſque ad mortem crucis, (videatur præter ea quæ ante citata ſunt dictum Paulinum Rom. VIII, 3. 4.) *parum-ne liquet*, ut ſua verba reddam Volkelio, *illius juſtitiam nobis ita imputari poſſe* ac debere, *ut noſtra eſſe cenſeatur?* Sed expendamus ea quibus in contrarium nititur Adverſarius, & videamus num *duobus modis oſtendi* poſſit, *hanc ſententiam* noſtram *à vero* aberrare.

Primò enim nullibi apud ſacros autores, ſive literas ſyllabaſque, ſive rem ſententiamque ipſam ſpectes, id ſcriptum extat: cum tamen nequaquam
565. credibile ſit, divinum ſpiritum rem tantam prætermiſſurum fuiſſe, ſi quicquam cum vero conjunctum haberet. Deinde quia ſententia, iſta ſacris literis repugnat.

‡ *Primo enim nullibi*] Argumentum prius eſt negativum, & cui ipſemet Volkelius mox refragabitur, dum conabitur reſpondere iis Scripturæ locis, quibus hæc veritas adſtruitur. Poſterioris firmamenta quæ ipſe profert merè ſunt ficulnea, adeoque facilè evertuntur. Sed agamus primò κατασκευαϛικῶς, & Orthodoxiæ noſtræ fundamenta contra ſuperbos hos Juſtitiarios vindicemus, quo noſtra ἀνασκευὴ poſtea facilior evadat.

Prius facilè conſtabit, ſi ea ſacræ ſcripturæ loca excuſſerimus, quæ ad eam ſententiam ſtabiliendam ab illius patronis citari ſolent. Duplex autem teſtimoniorum genus in medium iſti afferunt: quorum alterum expreſſam iſtius imputationis mentionem continere videtur: alterum verò ejuſmodi eſſe putatur, ex quo ea colligi facilè poſſit. Ac in primo quidem genere illa ſunt, quibus vel fides nobis ad juſtitiam, vel juſtitia imputari, vel non imputari nobis peccata dicuntur. (*Rom.* 4. 3, 5, 8, 11, 22. 2 *Cor.* 5. 19.)

‡ *Ac in primo*] Hic Adverſarius contraxit in unum plura argumenta, ut eorum vis minùs appareat. At copiæ hæ paullò fuſiùs explicatæ, terrori erunt mendacio,

Digitized by Google

mendacio, & cogent illius patronos terga dare & canere receptui. Ante omnia id obſervandum, quod Paulus locis hic citatis ex Rom. IV, 3.5.8.11.22. & 2 Corinth. V, 19. agat de noſtra juſtificatione coram Deo; ſit verò juſtificatio actus judiciarius & forenſis, in quo nequit eſſe locus *acceptilationi*, quæ dicitur Juriſconſultis ſolutio imaginaria: Nam acceptilatio, procedit per actum merè voluntarium creditoris, admittentis in ſolutum quod reverà ſolutum non eſt: adeoque nequit abire in actum judiciarium; cùm nullus judex poſſit creditori debitum ſuum repetenti acceptilationem imperare, aut debitorem ab obligatione debiti legitimi citra ſolutionem abſoluere. Deinde ſynonyma ſunt Paulo in negotio juſtificationis, fidem nobis imputari ad juſtitiam, juſtitiam nobis imputari ſine operibus, nobis non imputari peccata, peccata nobis remitti, & nos ex fide juſtificari. His ſuppoſitis facilè oſtendimus juſtificationem noſtram procedere apud Deum ex imputata nobis juſtitia & obedientia Chriſti quam præſtitit ceu vas & ſponſor noſter loco noſtro. Nam primò, vel ipſe actus credendi propriè nobis imputatur in juſtitiam, id eſt pro abſoluta illa juſtitia acceptatur à Deo ad quam ex lege tenebamur, vel fides ideo juſtificat & imputatur ad juſtitiam, quod Chriſtum induat, in ejus obedientia recumbat, illius juſtitiâ nitatur apud Deum: Prius dici non poteſt; tum quia juſtificatio fidei excludit omnia opera adeoque & ipſum opus fidei, quà opus eſt; tum maximè quia eo caſu procederet noſtra juſtificatio per meram acceptilationem, ac ita deſineret eſſe actus judicialis & forenſis: Quare omnino poſterius eſt ſtatuendum; prout ſunt *ἰσοδυναμοῦντα* juſtificari fide, juſtificari Chriſti obedientiâ & ſanguine, & fidem imputari ad juſtitiam. Quo maximè facit locus Phil. III, 9. ubi vult Apoſtolus reperiri in Chriſto, *non habens ſuam juſtitiam quæ eſt ex Lege, ſed eam quæ eſt per fidem Chriſti, eam ſcilicet juſtitiam Dei quæ eſt per fidem.* Adeoque cùm dicitur fides imputari ad juſtitiam, fides ſumitur metonymicè pro Chriſto fide ſalvificâ apprehenſo, prout nobis factus eſt à Patre ſapientia, *juſtitia*, ſanctificatio & redemptio 1 Cor. I, 30. Quo reſpectu appellatur Jehova *juſtitia* noſtra Jerem. XXIII, 6. & erat juſtitiam ſæculorum adducturus Dan. IX, 24. Præterea Apoſtolus non tantum dicit Rom. IV, 6. Deum imputare homini peccatori juſtitiam, ſed illi *imputare juſtitiam ſine operibus*, quod hîc bellè diſſimulavit Volkelius: Etenim Deus juſtificando hominem peccatorem, eum reputando juſtum, illi imputando juſtitiam, debet illi imputare aut ſuam juſtitiam ipſi ſubjectivè inhærentem, aut juſtitiam Chriſti: tertium enim hîc dari nequit. Sed prius non poteſt ſtatui, tum quia hæc eſt juſtificatio impii Rom. IV, 5. tum quia imputatur illi juſtitia ſine ſuis operibus. Alterum igitur neceſſariò eſt ſtatuendum. Adhæc, eo ipſo quod hæc ſunt ſynonyma Apoſtolo, imputare fidem ad juſtitiam, juſtitiam imputare ſine operibus, non imputare peccata, & eadem remittere, idem valebit fidem imputare ad juſtitiam, ac peccata remittere; Ut verò hæc nobis remittuntur ex obedientia, morte, merito & ſatisfactione Chriſti, quæ nobis imputatur ad coronam ut illi peccata noſtra, nobis non imputanda, fuerunt imputata ad pœnam 2 Cor. V, 19 20 21. illa imputari ad juſtitiam, cenſeri debet, quatenus Chriſtus quem fide apprehendimus, factus eſt legi obnoxius, imò & maledictio pro nobis, ut nos redimeret à legis maledictione Gal. IV, 4. III, 13. quò ſic *δικαίωμα* ſive jus & poſtulatum legis in nobis

nobis impleretur Rom. VIII, 3. & remiſſionem peccatorum conſequeremur fide in ipſum, in eo abſoluti & juſtificati ab iis omnibus à quibus per legem Moſis abſolui non potuimus Act. XIII, 39. Sed audiamus quid hîc nobis reponat adverſarius.

Verùm quis non videt, aliud eſſe *Chriſti* juſtitiam nobis imputari, aliud verò imputari nobis juſtitiam ſimpliciter, vel fidem ad juſtitiam, vel, quod idem eſt, non imputari nobis peccata? cùm his locutionibus, nequaquam ſignificetur, alienam juſtitiam ſeu ſanctitatem nobis imputari, ſed fidem quam Deo per Chriſtum adjungimus, nobis juſtitiæ loco duci, hoc eſt Deum ob eam fidem, quam in ipſo collocamus, pro ſua benignitate ita nobiſcum agere, ac ſi juſti eſſemus, nec ullum unquam ſupplicium fuiſſemus commeriti: quod nihil aliud eſt, quàm peccata nobis propterea, quòd Chriſto, & per hunc Deo confidimus, ex Dei benignitate condonari. Idem enim Paulo eſſe, remitti iniquitates, peccata tegi, & peccatum non imputari, quod imputari juſtitiam ſine operibus, facilè cuilibet conſtabit, quartum epiſtolæ ad Romanos caput ſtudioſè legenti. Quæ quidem quid cum alienæ juſtitiæ ſanctitatiſque imputatione conjunctum habeant, non intelligimus. Idem ex Abrahami etiam exemplo intelligitur, cui juſtitiam imputatam eſſe, idque propter fidem, quam Deo adhibuerat, ſcriptum legimus. Atqui non aliena juſtitia Abrahamo imputata, ſed propter fidem ita cum ipſo actum fuit, ac planè juſtus atque innocens fuiſſet. Eàdem igitur ratione & nobis juſtitiam imputari, ex illis Pauli verbis conſtat; *non eſt autem ſcriptum propter ipſum ſolum, quòd imputatum ei fuerit; ſed etiam propter nos, quibus futurum eſt ut imputetur, qui credimus in eum, qui excitavit Jeſum Dominum noſtrum à mortuis.* (*d. l. Rom.* 4. 23, 23.) Ubi ſanè nulla alienæ juſtitiæ cuipiam imputandæ fit mentio; ſed hoc tantùm dicitur: quemadmodum Abraham propter fidem, quam Dei verbis adjunxerat, juſtus reputatus eſt, ſeu ita cum illo actum eſt, quemadmodum cum juſto agere convenit: ita & nobis fidem, quam inde hauſimus, quòd Deus Filium ſuum à mortuis excitavit, juſtitiæ duci, ſeu in cauſa eſſe, ut Deus nobiſcum, tanquam cum juſtis. (*Rom.* 10. 9, 10.)

‡ *Verùm quis non videt*] Jam antea hunc hiatum obſtruximus, ac ſatis oſtendimus, *imputari nobis juſtitiam, ſimpliciter, vel fidem ad juſtitiam,* non *aliud eſſe* quam *Chriſti* fide apprehenſi *juſtitiam nobis imputari,* ad præmium & coronam, ut illi noſtra peccata fuerunt imputata ad expiationem & pœnam. Hîc tamen multa veniunt obſervanda: Primò ægrè fert Volkelius *alienam juſtitiam ſeu ſanctitatem nobis imputari.* Sed nec id magis mirum, quam aliena peccata fuiſſe Chriſto imputata ut in ipſo punirentur: Nec poteſt ſimpliciter improbari quod à B. Bernardo eleganter dictum eſt *ep.* 190. contra P. Abælardum, ex parte Socinianorum prodromum, quamvis ipſe ſatisfactionem Chriſti agnoviſſe videatur: *Aſſignata*

Aſſignata eſt homini aliena juſtitia, qui caruit ſuâ. Homo ſiquidem qui debuit, homo qui ſolvit: Nam ſi unus, inquit, pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, ut videlicet Satisfactio unius omnibus imputetur; ſicut omnium peccata ille unus portavit, nec alter jam inveniatur qui forefecit alter qui ſatisfecit: quia caput & corpus unus eſt Chriſtus. Unde patet nonniſi impropriè hanc juſtitiam & ſatisfactionem Chriſti noſtri reſpectu dici *alienam*: Nam hactenus ita eſt *phyſicè* aliena, quatenus à Chriſto perſonaliter diſtinguimur, ut myſticè & moraliter ſit noſtra, quia ipſius membra reſpectivè ſumus: ut meritò adjiciat Bernardus hæc verba; *Satisfecit ergo caput pro membris, Chriſtus pro viſceribus ſuis.* Deinde ut agnoſcimus has omnes phraſes idem ſonare quoad rē ac gratuitam peccatorum remiſſionem in ſanguine Chriſti, adeoq; *idem Paulo eſſe remitti iniquitates, peccata tegi, & peccatum non imputari, quod imputari juſtitiam ſine operibus*, imò & fide juſtificari, atque fidem ad juſtitiam imputari, ita pertendimus eo ipſo ſignificari vel ſupponi illam juſtitiæ & ſatisfactionis Chriſti imputationem quam hìc propugnamus: cùm non aliunde gratuita remiſſio peccatorum obtineri vel ſtabiliri poſſit. Tertiò phraſes hic adhibet hæreticus quæ nuſquam extant in Scripturis: Dicimur quidem ſæpiùs juſtificari *fide, ex fide, per fidem*: nunquam verò dicimur juſtificari *ob* fidem, vel *propter* eam. Et ſi obtineat dogma Volkelii, *fidem quam Deo per Chriſtum adjungimus nobis juſtitiæ loco duci*, inde ſequetur ipſam fidem acceptari & admitti à Deo, loco perfectioris juſtitiæ: quæ *acceptilatio* repugnat naturæ noſtræ juſtificationis, quæ & actus forenſis ac judiciarius debet ſtatui, ut ante dictum, in quo nullus eſt acceptilationi locus, & omnia noſtra opera penitùs excludit. Neque ulla aliàs ſubeſſet ratio cur non æquè Iſraelitæ juſtificati olim fuiſſent, fidem adjungendo Deo per Moſem, ac volunt Sociniani nos juſtificari hodie adjungendo Deo fidem per Chriſtum, ſi propter ipſam fidem Deo adjunctam, & ex illius vel acceptilatione vel merito, remiſſionem peccatorum conſequimur. Equidem tum juſtificamur cùm Deus *pro ſua benignitate ita nobiſcum agit ac ſi juſti eſſemus, nec ullum unquam ſupplicium fuiſſemus commeriti*; Sed cur ſic nobiſcum agat non eſt noſtra fides, illius-ve dignitas vel meritum, ſed Chriſti juſtitia & ſatisfactio, quæ nobis ceu noſtra imputatur ab eo, & quam fide apprehendimus. Quantum ad *Abrahami* exemplum falſum eſt illum aut quemquam alium, *propter fidem* juſtificatum fuiſſe; Nec fidei ad juſtitiam imputatio in Abrahamo aliud ſonat quam in nobis omnibus; nempe remiſſionem peccatorum & juſtificationem gratuitam ex fide, Chriſti meritum & ſatisfactionem in juſtititiam coram Deo apprehendente; prout & Abraham & Patres omnes nonniſi Chriſti beneficio & merito fideque in illud ſervati ſunt; Joh. VIII, 56. Act. IV, 12. XV, 11. 1 Cor. X, 4. Hebr. XIII, 8. Apoc. XIII, 8. Illud quoque eſt alienum à ſtylo Scripturæ, vel nos *fidem* noſtram *inde* hauſiſſe *quod Deus Filium ſuum à mortuis excitavit* Rom. X, 9. 10. cùm inde non hauriamus noſtram fidem, ſed fides noſtra circa id occupetur; vel illam fidem *nobis juſtitiæ duci*, cùm tunc nobis juſtitia non imputaretur ſine operibus, quod ſtatuit Apoſtolus; ſiquidem ipſa fides *in cauſa eſſet, ut Deus nobiſcum tanquam cum juſtis agat.* Neque eſſet id Dei judicium cum veritate, ſi ageret nobiſcum ut *cum juſtis*, nullâ tamen ſuppoſitâ juſtitiâ cujus intuitu nos juſtos haberet, & nobis noſtra peccata condonaret,

derivando, ut ſic ejus obedientiâ juſti conſtituantur multi: quod quam ſit *cum ipſius Chriſti juſtitiæ* ac obedientiæ perfe-*ctæ imputatione conjunctum*, nemo eſt qui non videat.

Debere autem omninò illa Pauli verba ita ut diximus, accipi, ex eo perſpicuum eſt, quòd in eadem verborum complexione, eodem prorſus pacto, idem Chriſtus, & ſapientia, & ſanctificatio ſeu ſanctitas, & redemptio nobis à Deo factus fuiſſe dicitur. Quod quidem nequaquam ita accipiendum eſſe, ut nobis ſtultis, profanis, & mortis æternæ ac corruptionis ſervis interim manentibus, Chriſti ſapientia, ſanctitas & redemptio imputetur, ipſi etiam adverſarii facilè conceſſerint, ſineque ulla dubitatione, ſi modò quippiam ſapiunt, unà nobiſcum, ita Chriſtum & ſapientiam, & ſanctificationem, & redemptionem nobis factum fuiſſe ſtatuent, ut eum nobis ſapientiæ, ſanctitatis, & redemptionis ſeu liberationis cauſam extitiſſe, Deumque ejus operâ nos ſapientes, ſanctoſque effeciſſe, & aliquando à morte cœteriſque malis omnibus, quibus nunc ſubjecti ſumus, liberaturum eſſe ſtatuant. Quid igitur cauſæ eſt, quin eadem planè ratione illum & juſtitiam nobis factum eſſe intelligamus?

† *Debere autem omninò*] Atqui ſic, Volkeli, magis adſtringis nodum, tantum abeſt ut eum ſolvas. Ut enim Chriſtus nobis cauſa extitit ſapientiæ, ſanctificationis & redemptionis ſuo merito ſuaque obedientiâ & cruce, nobis acquirendo ſapientiam, ſanctificationem & redemptionem æternam, ita etiam ſuo merito ſuaque obedientiâ & morte, nobis cauſa extitit Juſtitiæ ſive potius Juſtificationis apud Deum, non efficiendo & producendo in nobis juſtitiam aliquam ſubjectivam & inhærentem; id non conveniret naturæ noſtræ juſtificationis, quam ſenſu forenſi eſſe intellIgendam ſæpiùs diximus: ſed nobis obtinendo ut reputemur in ſe juſti apud Deum, cùm tales non ſimus in nobis ipſis, adeoque juſtificemur, & à reatu omnium noſtrorum peccatorum abſolvamur. Atqui hoc non conſequimur niſi admiſſâ apud Deum ejus ſatisfactione pro nobis, & ſic obediētiâ ejus nobis imputatâ ad juſtitiam. Sed neque verum eſt ſimpliciter eodem planè modo Chriſtum nobis factum ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem & redemptionem. Hæc quidem quatuor beneficia in ipſo & per ipſum conſequimur, & manant ab eodem fonte meriti & mortis ipſius: Sed illa tamen aliter & aliter nobis obtingunt per Chriſtum: Nam factus eſt nobis Sapientia quà Propheta, Juſtitia quà Sacerdos, Sanctificatio & Redemptio quà Rex, qui nos tandem plenè vindicabit in libertatem. Fit nobis Sapientia, nos docendo Verbo & Spiritu ſuo; Sanctificatio, nos regenerando & revocando in meliorem vitam per Spiritum ſuum; Redemptio nos ſuſcitando à mortuis; Sed fit nobis Juſtitia, cùm odoratâ obedientiæ & ſatisfactionis ſuæ veſte nos amicit, ut ſub illa juſti pronunciemur, & paternam benedictionem conſequamur. Nec planè & quoad rei ſummam abludit à vero Bernardus *ſerm. 22. in Cant. Chriſtus*

factus

factus eſt nobis Sapientia in prædicatione, Juſtitia in abſolutione: Sanctificatio in converſatione, quam habuit cum peccatoribus; Redemptio in paſſione quam ſuſtinuit. Hinc ipſimet Doctores Communionis Romanæ, qui aliàs imputationem juſtitiæ Chriſti nolunt admittere, ut vehementiùs propugnent ſuam propriam & inhærentem juſtitiam, in re ipſa tamen ad nos redeunt circa ſenſum hujus loci. Neque pigebit huc referre verba Cornelii à Lapide illum explicantis: Ea ſic habent; *Dico ergo ex can. 21. cum Chryſ. Theophyl. Anſelmo, Ambroſ. S. Thoma, ſenſus hujus loci hic eſt, Chriſtus factus eſt nobis auctor & cauſa veræ & Chriſtianæ ſapientiæ, redemptionis, ſanctitatis & juſtitiæ: Primò ſatisfactoriè & meritoriè. Idque maximè hîc ſpectat Apoſtolus, quia Chriſtus pro debito humano, juſtiſſimo ſanguinis ſui pretio ſatisfecit & meruit nobis juſtitiam ſapientiam & ſanctitatem; adeoque factus eſt nobis juſtitia, quia juſtitia ideſt ſatisfactio Chriſti noſtra eſt, ac ſi nos Deo ſatisfeciſſemus.* Id autem fit per imputationem, nec aliter; ut mirum ſit eos impugnare adverſus nos imputationem juſtitiæ Chriſti, qui revera eam propugnant & conſtabiliunt, admittendo imputationem ſatisfactionis Chriſti; cùm & ipſis & nobis ſatisfactio & juſtitia Chriſti idem ſint; Et quod addit Cornelius eodem pertinet: *Unde*, inquit, *ut Theologi docent, in juſtificatione per Sacramenta, quaſi priùs naturâ. Chriſti Satisfactio nobis applicatur*, (applicari autem nobis aliter nequit, quam per imputationem) *ut deinde poſteriùs naturâ propter eam remittantur peccata & gratia infundatur.*

Alterum teſtimonium illâ Chriſti cum Adamo collatione, à Paulo in Epiſtola ad Romanos (*Rom.* 5. 18. 19.) inſtitutâ, continetur, cujus quidem hanc vim eſſe adverſarii affirmant: quemadmodum ea de cauſa homines ob Adami peccatum inobedientiamque damnati mortuique ſunt, quia illis peccatum inobedientiaque Adami fuit imputata: ita per Chriſti juſtitiam obedientiamque ideò abſolvuntur & vivunt, quia illis ea juſtitia obedientiaque imputetur. Nos verò pernegamus, Adami peccatum illius poſteris imputari: cùm id nullo nec rationis, nec ſcripturæ divinæ præſidio confirmari poſſit. Quòd enim illa verba adducunt, *in quo omnes peccaverunt*, nihil ad rem iſtam
567. conficiendam momenti habet: cùm verba Græca, ἐφ' ᾧ, non ſolùm poſſint, ſed etiam debeant, *quatenus*, ut Eraſmus fecit, (v. 12.) vel *eò quòd*, converti. Ac illud quidem inde patet, quòd idem Paulus alibi quoque, vel iiſdem, vel ſimilibus vocibus cum eadem ſignificatione utatur. Infrà enim hac eadem epiſtola cap. 8. (v. 3.) ita ſcribit: *quod enim impoſſibile erat Legis*, *quatenus*, vel *eò quòd* (Græcè eſt ἐν ᾧ) *per carnem debilitabatur*, & in altera ad Corinthios: (2 *Cor.* 5. 4.) *nam & qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus gravati*, *eò quòd*, vel *quatenus* (Complurenſis editio habet ἐφ' ᾧ) *nolumus expoliari.* Similiter divinus Auctor ad Hebr. loquitur: (*Heb.* 2. 11.) *nam eò quòd*, vel *quatenus* (Gr. ἐν ᾧ) *perpeſſus eſt ipſe*, nempe Chriſtus. Debere autem verba iſta eo, quo diximus, modo hoc in loco accipi, ipſa verborum ſtructura convincit,

convincit, utpote quæ inepta, aut nulla planè eſſet, ſi iſtæ duæ voces *in quo*, ita eſſent accipiendæ, ut ad Hominis vocabulum ſuperiùs commemoratum referrentur.

† *Alterum teſtimonium*] Tota illa comparatio quam Paulus Rom. v, 18. 19. inſtituit inter Adamum primum & ſecundum, cui concinit & alter locus 1 Corinth. xv, 22. plurimùm facit ad hanc quæſtionem: Nam ſicut Adamus prior non ſibi tantum peccavit, ſed nobis omnibus qui in ipſo cenſebamur, ita Chriſtus alter Adam non ſibi, ſed nobis, quorum perſonas ſuſtinebat, perfectè obedivit legi & ſatisfecit juſtitiæ divinæ: Ut æquè conveniat nobis imputari ad juſtitiam & abſolutionem, obedientiam Chriſti, ac tranſgreſſio Adami potuit nobis imputari ad reatum & condemnationem. Neque poteſt Volkelius aliter ſe hinc extricare quam negando nos in Adamo peccaſſe, aut Adami peccatum poſteris ſuis ad reatum imputari. Quem errorem cum cœteris Socinianorum adoptavit ex profeſſo contra me Stephanus Curcellæus Antitrinitarius, in *Quaternione Diſſertationum ſuarum*, *Diſſ.* 2. Verùm facile eſt ſubvertere, quicquid hîc moliuntur Adverſarii. Nam ſanè multa ſunt quæ comprobant particulam illam ἐφ' ᾧ, non cauſaliter, pro *quatenus* vel *eo quod* ut jam olim contra Auguſtinum, voluit Julianus Pelagianorum anteſignanus, ſed ſubjectivè eſſe ſumendam de ipſo homine primo, in quo cœteri omnes ab ipſo naturaliter propagati peccaverint, & ita facti fuerint morti obnoxii, quomodo Levi in lumbis Abrahæ decimatus dicitur Hebr. vii, 9. 10. per ejuſmodi fictionem juris, ut ICti loquuntur, quæ effectum realiſſimum habet: Etenim ipſa V. V. cui plurimum deferunt Sociniani, non reddidit *quatenus*, vel *eò quod*, ſed *in quo*. Tum Græci quoque interpretes nonnulli, ut nominatim Chryſoſtomus & Theophylactus, periti utique linguæ Græcæ, illud intellexerunt, non cauſaliter, ſed ſubjectivè. Et quamvis illud ἐφ' ᾧ aliquando ſumatur pro particula cauſali apud Græcos, tamen id rariſſimum eſt in ſcriptis N. T. ut vix aliud occurrat exemplum quam Phil. iii, 12. & ſubjectivè plerumque ſumitur, ut videre eſt Marc. ii, 4. Luc. v, 25. xi, 22. Rom. vi, 21. Phil. iv, 10. 1 Theſſ. iii, 7. & aliis in locis, ubi τὸ ἐπὶ cum dativo, ſive abſoluto, ſive relativo, ita debet uſurpari. Vide Matth. iv, 4. xiii, 14. xviii, 5. xxiv, 47. Marc. vi, 39. xiii, 6. 29. Luc. ii, 20. Act. ix, 33. xxvi, 6. Rom. ix, 33. x, 11. xi, 12. xv, 12. 2 Cor. i, 4. 1 Tim. i, 16. Heb. ix, 17. 26 Jac. v, 7. 1 Joh. iii, 3. Apoc. vi, 2. 4. &c. Et Schmidius nuperus & Doctiſſimus interpres N. T. ita annotat ad Rom. v, 12. ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, *in quo omnes [homines] peccarunt; nempe in uno illo homine Adamo. Nam* ἐπὶ *pro* ἐν *ſæpè uſurpatur. Heſiodus* ἔργ. μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον. *Modus in omnibus rebus optimus eſt. Pindarus Olymp.* ἐπ' ἄλλοισιν ἄλλοι μεγάλοι. *Alii in aliis excellunt. Sic Matth.* xviii, 5. *Rom.* iv, 18. v, 2. *Phil.* i, 3. *&c. Atque ab hoc reatu nemo hominum ſeſe eximere poteſt, ut qui hoc auſit blaſphemus fiat* 1 *Iohan.* i, 10. Unius Eraſmi authoritas quam objicit Volkelius, non debet hîc neceſſariò prævalere: Nam Syrus interpres habet בה, quod Boderianus interpretatur *in eo*; Nec videtur ratio neceſſaria aut ſufficiens ſubeſſe cur illud

Digitized by Google

ᾧ non ſit relativum illius ἑνὸς ἀνθρώπου cujus meminit Apoſtolus in principio iſtius verſiculi. Sed præſertim nobis militat antitheſis utriuſque Adami, quam ex profeſſo Paulus proſequitur; Ut enim in ſecundo eſt Juſtitia, Vita, Salus omnium credentium, ita in primo eſt peccatum, reatus, mors & perditio omnium ſuorum 1 Cor. XV, 22. Nec habet quicquam ſolidi Volkelius quod opponat. Primùm enim nullum profert locum N. T. ubi illud ἐφ' ᾧ ſumatur cauſaliter: & unicum tantum me reperire, (præter hunc controverſum) jam ſuprà monui. Deinde adfert nonnulla loca in quibus ἐν ᾧ abſolute & cauſaliter uſurpatur, ut Rom. VIII, 3. 2 Cor. V, 4. Hebr. II, 18 Sed 1. ex tribus illis locis ſolus prior favet adverſario: Nam in ſecundo, eſt ἐπειδὴ, juxta plurima exemplaria, non ἐφ' ᾧ: In tertio verò, nulla ſubeſt ratio, cur magis aut potiùs ſumatur cauſaliter, quam ſubjectivè: cùm etiam in eo quod Chriſtus paſſus eſt & victor evaſit, oſtenderit ſe poſſe ſubvenire iis qui tentantur: prout V. quoque V. non reddidit hunc locum *ex eo*, ſed *in eo*. 2. In eo adverſus ſe facit, quod ſynonyma ſtatuat ἐφ' ᾧ & ἐν ᾧ, unde magis aſtruitur noſtrorum interpretatio. Si enim illud ἐν ᾧ propriè & verbo ad verbum reddatur, idem erit ac *in quo*, ut plerique reddiderunt. Jam verò ut Latinum *in quo* idem ſit ac *quatenus* vel *eo quod*, nullo quod ſciam exemplo comprobari poteſt. Tertio ratiunculas adfert quibus ſuum *quatenus* ſtudet comprobare, quæ quam futiles ſint facilè oſtendemus.

Primò enim, ſi dictio *quo* tanquam relativum ad vocem Hominis reſpiceret, omninò proximè, nullaque oratione interjectâ, illi adjuncta fuiſſet. Hoc autem modo poſita, quo eam collocatam videmus, ut ad vocem *Hominis* referatur, nullius linguæ uſus patitur. Quòd ſi particula *quo* ad hominem ſuprà nominatum reſpectum haberet, non *in quo*, ſed *in eo*, Apoſtolus dixiſſet. Quid, quòd non præpoſitione ἐπὶ, ſed ἐν, uſus Apoſtolus fuiſſet, ſi ita, ut iſti volunt, res ſeſe haberet. Neque enim, cùm aliquid in aliqua re vel perſona, aut per eam, factum fuiſſe ſignificatur, dici ſolet ἐπ' αὐτῷ, ſed potiùs ἐν αὐτῷ, id fuiſſe factum. Quod animadvertentes viri quidam docti, contenderunt ἐπὶ pro ἐν eſſe poſitum: quod jurè illis, ſine ratione, imò cum manifeſta quadam principii, ut loquuntur, petitione affirmantibus, negatur. Quare, non quia peccatum Adami illis imputatum ſit, mortem in omnes pertranſiiſſe dicitur; ſed quia vel quatenus omnes peccaverint.

‡ *Primo enim, ſi dictio*] Prima hæc ratio eſt abſurda, cùm non ſemper debeat correlato ſuo relativum pronomen immediatè conjungi, ſed poſſit repeti quaſi ἀπὸ τοῦ κοινοῦ: Id ſi exemplis in omnibus linguis ſuſciperem demonſtrandum, viderer mihi digitum in Solem intendere. Saltem Salomon Glaſſius *Philol. ſacræ lib.* 3. *tract.* 2. *Can.* 10. id multis exemplis ita comprobat, ut debeat

beat

beat Volkelius cum nova ſua Theologia novam fabricari Grammaticam, dum luci tam apertæ ſe opponit. Nec ideo debuiſſet Paulus potiùs dixiſſe ἐν αὐτῷ quam ἐφ' ᾧ vel ἐν ᾧ, cùm Heb. IX, 4. illud ἐν ᾗ, quod *ibi* habetur, non ad proximum τῆς κιβωτȣ̃ ſed ad remotius τῆς σκηνῆς, juxta pleroſque interpretes pertineat: & cùm ipſe Volkelius paulò antea loca nonnulla contulerit cum noſtro ἐφ' ᾧ quæ habent ἐν ᾧ, annon debuit ebrius fuiſſe ſtatuendo quod *non præpoſitione* ἐπὶ *ſed* ἐν, *uſus Apoſtolus fuiſſet, ſi res ſe haberet* ut volumus? Et τὸ ἐπὶ ſumi pro ἐν, antea monuimus, ut diſcrimen quod ruſpatur hæreticus inter ἐπ' αὐτῷ & ἐν αὐτῷ, ad horum hominum conſuetam ſimul & ineptam vitilitigationem pertineat. Quod ſi, Volkeli, ἐπὶ pro ἐν hic non ponatur, ut imperterritè aſſeris id fieri non poſſe; cur ergo antea ſynonyma feciſti ἐφ' ᾧ & ἐν ᾧ? Certè mendacem oportet eſſe memorem. Neque hæc à nobis contenduntur quod putemus plurimum eſſe ſitum in iſta verſione hujus particulæ: Nam etiamſi ſumeretur pro *quatenus*, res omninò eodem rediret, ut etiam noſtri Doctiſſimi Belgæ interpretes ſummo jure obſervarunt. Oportet enim omnes qui moriuntur in Adamo peccaſſe, ſiquidem per ipſum unum, peccatum in mundum introjit & per peccatum mors, quæ ita per ipſum pervaſit in omnes, eo quod peccarunt; licet aliàs etiam ad eos pertingat qui non peccarunt ad ſimilitudinem peccati Adami, id eſt actualiter: Nec poſſet per ipſum mors in omnes pervaſiſſe, eo quod omnes peccaverint, niſi eo peccante per quem morti facti ſunt obnoxii, peccaſſe & ipſi omnes cenſeantur. Nam ad quos pœna peccati Adamici pertinet, nempe mors, ad eos illius culpa ſpectare debet; cùm homines tam graviter puniri ex peccato nullo modo ſuo, alienum ſit à Dei bonitate & juſtitia: Igitur toto cœlo errat Volkelius, cùm ait non ideo *mortem in omnes pertranſiiſſe*, quod *peccatum Adami illis ſit imputatum*, *ſed quia vel quatenus omnes peccaverint*. Quæ enim foret ratio Paulina ſi ſtatueretur, per peccatum Adami mortem in omnes tranſiiſſe, quia omnes peccarunt, niſi peccatum Adami ex quo omnes morti ſubjiciuntur, omnium eſſet & cenſeretur?

Adde etiam, hinc patere, de proprio &, ut loquuntur, actuali ipſorum hominum peccato, non verò de imputatione peccati alieni iſtic verba fieri, quòd Apoſtolus dictum iſtud ſuum declaraturus ac confirmaturus, ſtatim ſubjicit, *Nam uſque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputatur non exiſtente Lege.* Quivis enim cernit, de peccato actuali, adverſùs quod lex Moſaica lata eſt, quodque ipſi Adami poſteri perpetrârunt, ſermonem eſſe. Quare cum de imputatione peccati Adami non loquatur Apoſtolus, nec de juſtitia Chriſti nobis imputata inde quicquam colligi poteſt.

† *Adde etiam hinc*] Hæc alia obſervatio eſt planè nulla: Nam hinc quidem patet peccatum illud ex cujus reatu in omnes mors pertranſiit, eſſe quodque certo ſenſu proprium eorum & actuale peccatum; ſed non patet, quod eorum proprium & actuale non inde cenſeatur, quod in Adami lumbis, ipſoque ceu ori-

ginis ſuæ fonte, & qui in ſua perſona omnes ſuos poſteros naturaliter à ſe propagandos continebat, actualiter peccaſint, æquè ac Levi actualiter decimatus eſt in lumbis Abrahæ, per eam juris fictionē, uti loquuntur Juriſconſulti, quæ habet realiſſimum effectum: Ita non agitur hic *de imputatione peccati* ſimpliciter & abſolutè *alieni*; quæ non quadraret juſtitiæ divinæ, ſed de ejus peccati imputatione, quod revera eorum eſt quibus imputatur; Neque favent imaginationi Volkelianæ verba Apoſtoli hîc citata ex Rom. v, 13. Siquidem peccatum quod dicitur fuiſſe in mundo *uſque ad legem*, non ſolùm notat peccatum actuale, ſed etiam originale: agit enim Apoſtolus de eo peccato, quod etiam tum Deus morte vindicabat: Morti autem, quæ ſtipendium eſt peccati, erant quoque obnoxii infantes, nullius tamen peccati actualis rei contra Legem.

568. Quod quò rectiùs intelligatur, addenda eſt altera pars collationis, à Paulo brevitatis cauſâ prætermiſſa; ut tota comparatio hoc modo conſtituatur: ſicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, eò quòd, vel quatenus omnes peccaverunt: ſic per unum hominem obedientia in mundum intravit, & per obedientiam vita, & ita in omnes homines vita pertranſiit, eò quòd, vel quatenus omnes obediverunt. Undè apparet, in altero hoc collationis membro veram, atque ab hominibus ipſis præſtandam obedientiam, ex Pauli mente intelligendam eſſe. Animadvertendum autem eſt, ſi in poſteriore collationis parte de univerſo hominum genere ſermonem inſtitutum eſſe volumus, potiùs *quatenus*, quàm *quia*, ſive *eò quòd*, ponendum fuiſſe: cùm nequaquam totum genus hominum, nemine prorſus excepto, Deo obediat: ſi verò de omnibus, qui ex Chriſto nati ſunt verba fieri credimus, dictiones *eò quòd* ſine ulla dubitatione retinendæ ſunt.

‡ *Quod quo rectiùs*] Tota hæc collatio nobis non obeſt, ſed adſtruit potiùs ſententiam noſtram: Nam hic opponitur Adamo Chriſtus; peccato quod ille introduxit in mundum, & quod omnes ſuos pervaſit quia in ipſo peccarunt, obedientia & juſtitia Chriſti, quæ in ipſo ceu capite ſuo, omnium eſt ſuorum; morti quæ eſt ſtipendium peccati Adamici, vita quæ eſt præmiū obedientiæ & juſtitiæ Chriſti; ac ſicut mors illa omnes Adamicos pervaſit, quia in Adamo peccarunt, ſive *eo quod* ipſo peccante cæteri in ipſo peccaſſe cenſentur, ita vita quæ fluit ex obedientia & juſtitia Chriſti pertinet ad omnes qui Chriſti ſunt, eo quod in illo obediviſſe cenſentur. Etenim Paulum non opponere peccato omnium in Adamo, *obedientiam* perſonalem ſingulorum & *præſtandam* ab ipſis, ſed ipſiuſmet Chriſti, Adami ſecundi, obedientiam pro illis præſtitam, luce meridianâ clarius patet ex com. 18. & 19. ubi *unius obedientia pro multis* opponitur *unius* tranſgreſſioni, quâ multi morti & condemnationi obnoxii facti ſunt.

Animadvertendum autem] Hæc animadverſio eſt abſurda, *cùm nequaquam totum genus hominum, nemine prorſus excepto, Deo obediat*; nec imputetur

toti generi humano obedientia & juſtitia Chriſti, ſed iis demum omnibus qui ſui ſunt, ut prior Adam omnibus ſuis peccaſſe intelligitur.

Atqui, inquiet quiſpiam, imputationem tum peccati ab Adamo, commiſſi, tum Chriſti obedientiæ, ex hoc Pauli loco apertiſſimè colligi, quòd poſtmodum Apoſtolus luculentiſſimè dicit, *ut unius delicto multi conſtituti ſunt peccatores, ſic unius obedientiâ multos juſtos conſtitutos fuiſſe.* Hoc autem, inquiunt iſti, nonniſi per imputationem, illinc quidem peccati ab Adamo commiſſi, hinc verò obedientiæ à Chriſto præſtitæ fieri potuit. Sed nos hoc pernegamus: cùm præter confictam iſtam imputationem, longè veriorem locutionis iſtius cauſam res ipſa nobis ſuppeditet; nimirum ideò ob Adami delictum omnes conſtitui peccatores, ideſt, morti æternæ obnoxios, quia ex illo ſint nati, ideoque in eodem cum illo ſtatu poſiti: haud aliter ac illos, qui ex patre, ſceleris cujuſdam cauſâ in ſervitutem tradito, prognati ſunt, eandem conditionem ſubire neceſſe eſt, non quòd ſcelus paternum illis imputetur, ſed quia ita fert ipſius genituræ vis atque natura. Quod idem & de illis ſentiendum eſt, qui ex Chriſto per obedientiæ imitationem ſunt geniti. Nam ut Chriſtus, ſpiritualis noſter pater, obedientiam vitæ ſempiternæ poſſeſſionem adeptus eſt: ita ab ipſo per fidem atque obedientiam nati, eundem divinum ſtatum aſſequentur, non quidem imputationis, ſed ſpiritualis generationis ratione habitâ.

† *Atqui, inquiet quiſpiam*] Quam non elabatur Volkelius ex hac inſtantia, res ipſa loquitur. Si enim quæratur quomodo dicantur multi *conſtituti peccatores* ex unius delicto, non poteſt alia ratio aſſignari quam quod illud unius delictum, cenſeatur eſſe multorum illorum qui Adamo delinquente in ipſo peccaſſe cenſendi ſunt: Cùm omnes in Adamo dicuntur conſtituti peccatores, eo ipſo dicuntur habere coram Deo reatum mortis æternæ: prout ipſe adverſarius *peccatores* interpretatur, *morti æternæ obnoxios.* Hic reatus autem, ſive obligatio ad pœnam, culpam ſupponit, prout à culpa denominamur *peccatores.* Hæc verò culpa cùm in unius delicto ſita ſit, debet neceſſariò hoc delictum, jure omnium cenſeri apud Deum. Neque negamus ideo omnes ex delicto Adami conſtitui peccatores, *quia ex illo ſint nati:* ſiquidem præterea quod per generationem traducit ad ſingulos ſuos poſteros nativam illam & originariam corruptionem quam contraxit ſuâ culpâ, tanto juſtiùs illius tranſgreſſio noſtra cenſetur, quod naſcituri eramus & nati ſumus ex ipſo, & quod ſtirps primæva noſtræ originis cùm eſſet, non ſibi ſolum peccaverit ſed omnibus nobis. Nec poſſunt omnes apud Deum juſtum *in eodem cum illo ſtatu eſſe poſiti,* quin ſint interpretativè rei ſui ſceleris; quandoquidem aliàs filius iniquitatem patris ferre non poteſt. Neque tam agit Paulus de ſtatu calamitoſo & miſero in quem Adamus ſuos omnes præcipitavit, quam de ipſo crimine & reatu, ex quo di-

ſertè *peccatores* ſtatuantur. Certè qui naſcuntur ſervi eo ex patre qui propter crimen læſæ majeſtatis *in ſervitutem* traditus eſt, ſunt quidem de facto ſervi, ſed tamen dici non poſſunt per patris ſui delictum conſtituti rei læſæ majeſtatis, ut per unius Adami delictum omnes *peccatores* facti dicantur. Et cùm in eum centum veniant etiam infantes recens nati, qui imitatæ transgreſſionis Adamicæ rei non ſunt, nec eſſe poſſunt, ſupereſt ut peccatores facti ſint ex illius delicto, non imitatione, ſed partim imputatione, partim etiã propagatione per generationẽ. Præterea ſi ſuæ ſint ſtultitiis Volkelio conſtet ratio, debebit ſtatuere 1 contra ſua principia, neceſſariò omnem hominem eſſe peccatorem, *quia ita fert ipſius geniturae vis ac natura.* 2. Omnes fieri peccatores *per imitationem* transgreſſionis Adami, ut fingit omnes fieri juſtos in Chriſto per *obedientiæ imitationem*: At præterea quod Paulus nullam facit iſtius imitationis mentionem, deſinerent eſſe peccatores in Adamo, aut juſti in Chriſto, omnes infantes, qui neutrius imitationis capaces ſunt. 3 Non dicit Paulus nos per unius obedientiam fieri obedientes, illam imitando, ſed nos per illius unius obedientiam juſtificari ad vitam, id eſt remiſſionem gratuitam & indebitam conſequi omnium peccatorum noſtrorum: Ideò opponit unius lapſui & παραπτώματι, non tantum unius obedientiã, ſed unius χάρισμα & χάριν & δώρημα & δωρεὰν τῆς δικαιοσύνης, ✝. 15. 16. 17. & ✝. 16. reatui ex uno εἰς κατάκριμα, id quod gratificatur Deus reſpectu multorum peccatorum εἰς δικαίωμα; quod nequit ſumi de juſtitia inhærente, ſed de juſtificatione in ſenſu forenſi, quâ multorum peccatorum remiſſionem conſequimur per obedientiam unius. Ac prout nequit eſſe omnium κατάκριμα & condemnatio δι' ἑνὸς παραπτώματος, per unicum Adami peccatum, quin hoc peccatum omnium cenſeatur ✝. 18. ita nequit cedere unius obedientia omnium fidelium juſtificationi indebitæ & gratuitæ, quin illo uno Chriſto obediente pro ipſis, ipſi omnes obedivisſe ſtatuantur: ut uno moriente pro omnibus, omnes mortui cenſentur 2Cor. v, 14. Quod ſi formaliter & ſubjectivè juſti conſtitueremur coram Deo ad juſtificationem vitæ per obedientiam noſtram & juſtitiam inhærentem, tum nec juſtificatio foret remiſſio peccatorum, ſed virtutum perfectio, & juſtificaremur noſtris operibus, non verò ſolâ fide in Chriſtum, ut conſtanter docet Apoſtolus. Non diffiteor tamen quod ſicut præter reatum ex primo peccato Adami noſtro omnium nomine commiſſo, jureque nobis imputato quod in illo cenſeremur, ut Levi in lumbis Abrahæ, etiam per generationem naturalem trahimus ab ipſo inhærentem & nativam corruptionem, *quia ita fert ipſius geniture vis & natura*, ut quod natum eſt ex carne caro ſit Joh III, 6. & generet quodque ſibi ſimile; ita etiam præter obedientiam Chriſti nobis imputatam ad juſtificationem, quod eam loco noſtro præſtiterit, factus peccatum pro nobis ut nos eſſemus juſtitia, ab eodem trahamus beneficio noſtræ regenerationis initia novæ vitæ Spiritualis ad obediendum Deo; Sed de hac obedientia inchoata, quæ eſt ſanctificationis, non vult hic agere Apoſtolus; tum quia agit ex profeſſo de illa noſtra juſtificatione per obedientiam unius, quæ condemnationi ex unius peccato opponitur, adeoque ſenſu forenſi uſurpatur, tum quia hæc noſtra inchoata obedientia, juſtitia quâ juſtificamur & ſubducimur

mur

Digitized by Google

mur còndemnationi apud Deum nullo modo cenſeri poteſt, quod ſit nimis ad id manca & imperfecta; & tunc deberemus ex noſtris operibus juſtificari, quo abſurdo in Paulina doctrina nihil abſurdius dari poteſt.

Sequitur ut ſententiam iſtam cum divinis literis pugnare demonſtremus. Conſtat igitur, ſanctiſſima Dei oracula à nobis exigere, ut ſancti atque ab omni impuritatis labe immunes ſimus, omnemque deponamus malitiam atque impietatem, ſi in beatæ immortalitatis poſſeſſione collocari velimus. (1 *Petr.* 1. 15, 16. 3. 10, 11. 2 *Petr.* 3. 11, 14. *Hebr.* 12. 14.) At ſi Chriſtus noſtro loco juſtus ac ſanctus fuit, eaque juſtitia nobis imputatur, quemadmodum quidem neceſſe eſt, ſi noſtro loco fuit præſtita; ipſorum ſanctitate nequaquam erit opus; nec quicquam prohibebit, quominùs, etiamſi in peccatis perſeveremus, regni tamen cœleſtis hæreditatem adeamus, contra apertiſſima Apoſtoli verba, qui ita in Epiſtola ad Galatas, (*Gal.* 5. 21.) numeratis non paucis operum carnalium generibus, ſubjicit: *De quibus prædico vobis, quemadmodum etiam prædixi, quod qui talia patrant, regnum Dei non ſint hæreditate accepturi*: & ad Corinthios: (1. *Cor.* 6. 9, 10.) *Neque fornicarii, neque idololatræ, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei ſunt poſſeſſuri.* 569.

‡ *Sequitur ut ſententiam*]. Videamus igitur num futurus ſit hæreticus dextrâ fœlicior, quam ſiniſtrâ. Verùm hæc prima ejus ratio nauci eſt. Nec enim ideo juſtificatio noſtra & remiſſio peccatorum quam conſequimur à Deo per Chriſtum innititur ipſius ſatisfactione & morte, quod teneamur ſtudere ſanctificationi abſque qua nemo videbit Deum, & ſtudio atque exercitio bonorum operum, & gratum animum adverſus Soſpitatorem profiteri, & viam eam inſiſtere quâ itur in cœlum: Sunt enim nobis bona opera abſolutè neceſſaria ad ſalutem, non quidem efficiendam aut promerendam, ſed tamen adeundam, prout Bernardus ea dixit viam eſſe ad regnum, non cauſam regnandi. Abſit à nobis ut cenſeamus quemquam poſſe pervenire in regnum cœlorum, ſi inſtiterit viam carnis & peccati quæ ducit ad inferos. Et ut illi mutant gratiam Dei in diſſolutionem, qui volunt manere in peccatis ut abundet gratia, quorum ſanè condemnatio juſta eſt, Rom. VI, 1. 15. ita illi ſe præſtant indignos Dei gratiâ & redemptione quæ eſt in Chriſto, qui ab officiis pietatis & ſanctificationis quæ omnibus incumbunt, volunt argutari ad rejectionem meriti & ſatisfactionis Chriſti: Et quæ duo amiciſſimè conſpirant & individuè debent cohærere inter ſe committunt, ac ſi unius ex illis poſitio deberet eſſe remotio alterius. Quam iſta oppoſitio pugnet cum mente conſtanti ſacræ Scripturæ, vel inde liquet, quod illa plerumq; arceſſat adhortationes graves ad ſanctificationem & bona opera ex redemptione quæ eſt in Chriſto & noſtra per ipſum juſtificatione gratuita: Quod ita in propatulo eſt, ut probatione non egeat. Videatur nominatim Tit. II, 11. 12. 13. 14. 1 Cor. VI, 20. Imò ex ipſis locis quæ hîc protulit adverſarius idem evidenter quiret demonſtrari.

Adde,

Digitized by Google

Adde, quòd apertè Joannes, ut ab hujusmodi errore nobis caveamus, monet, dum ait: (1 *Ioh.* 3, 7.) *Filioli, nemo decipiat vos, qui facit juſtitiam juſtus eſt, ſicut & ille* (Chriſtus) *juſtus eſt*; quaſi dicat, ne vobis perſuaderi patiamini, aliâ ratione quempiam juſtum apud Deum evadere poſſe, quàm ſi juſtitiam factis ipſis colat, eaque in parte Chriſto ſit ſimilis, qui eo pacto juſtus evaſit, & juſtitiæ præmio potitus eſt: non quòd quiſquam Chriſto ea in re par evadere poſſit; ſed quòd eum hac in parte imitari, & veſtigia ejus ſequi, pro virili ſua unuſquiſque debeat, ut ita meritò ei ſimilis dici queat.

‡ *Adde quod apertè*] Iſte locus Johannis 1. III, 7. noſtræ non obeſt ſententiæ. Nec enim mens illius eſt nos juſtificari apud Deum noſtris operibus, contra quam docet tota Scriptura, ſed neminem poſſe ſtatui juſtificatum apud Deum, & juſtum eſſe in Chriſto, qui non unà det operam juſtitiæ & ſanctitati, & arborem probet ac demonſtret ab illius fructibus. Igitur imitatio Chriſti in operibus juſtis & ſanctis, non eò ſpectat juxta mentem Johannis, ut per illam imitationem juſtificemur apud Deum, ſed tantum ut per illam nos juſtificatos & ablutos ſanguine Chriſti comprobemus & conteſtemur. Vide parilem ferè ſententiam Jac. II, 18.

Quòd ſi dicant illi, ſuam ſententiam ejuſmodi ſanctimoniam non tantùm non excludere, verùm etiam poſtulare: quia juſtitia illa Chriſti non niſi fide nobis applicari, & ſic noſtra fieri queat: fides autem neceſſariò ex ſe pariat ejuſmodi ſanctitatem; in eo bis falluntur. Primò, quia, ſi Chriſtus noſtro loco Deo paruit, & ſic pietatis noſtræ defectum juſtitiæ ſuæ exuberantiâ implevit, nullâ aliâ applicatione præter eam, quam res ipſa ſecum fert, eſt opus. Quemadmodum enim, cùm pro aliquo reipſa ſolutum eſt debitum, nil opus eſt, ut eam ſolutionem debitor ſibi applicet, ſi à debito eo liberari velit: quia is, cui ſolutum eſt, acceptâ ab altero ſolutione, jam non poteſt ab eo debitum illud jurè exigere: ſic cum Deo pietatis officia à Chriſto fuerint loco noſtro præſtita ac perſoluta, non poteſt is eadem à nobis ipſis exigere, ſed ipſius juſtitiæ & æquitatis vi impellitur, ad Chriſti juſtitiam nobis applicandam, & nos ab eadem obedientia præſtanda liberos pronunciandos.

‡ *Quod ſi dicant illi*] Harum objectiuncularum neutra valet: Non prior utique quæ hîc proponitur, tum quia Deus non vult nos fieri participes meriti & ſatisfactionis ac juſtitiæ Chriſti, niſi verâ fide ſuſcipiamus promiſſiones Evangelicas quæ in Chriſto *Ita* & *Amen* factæ ſunt, adeoque rem ibi oblatam & promiſſam ceu noſtram & ad nos ſpectantem cum vera fiducia apprehendamus & nobis applicemus; Nec enim poteſt quippiam noſtrum fieri, niſi præſtitâ conditione

ſub

ſub qua promittitur & offertur: tum quia non poteſt cuiquam in ſolutum imputari, id quod pro ipſo alter præſtiterit, niſi id ipſe velit, admittat & acceptet: ſiquidem invito beneficium non datur; & ubi Mævius debitor diceret Sejo creditori, nolle ſibi in ſolutum imputari quod Titius ipſi perſolverit, Sejus deberet Titio reſtituere quod ſolverat, & ſolutionem ab ipſo Mævio exigere: & præſertim ſi ſatisfactio præſtita pro alio ſit non tantũ exſolutiva, ſed etiã reconciliativa, (ut omninò ea eſt quam Chriſtus præſtitit pro nobis) neceſſe eſt conſenſum & acceptationem atque applicationem primarii debitoris, ut ei proſit, eò intervenire. Præterea etiam Deus *acceptâ* à Chriſto *ſolutione* pro nobis, non vult *debitum illud* à nobis amplius *exigere*. Nec enim exigit à nobis *pietatis* & obedientiæ *officia*, quomodo ea præſtitit Chriſtus pro nobis, nempe ut ſatisfiat exactè ſuæ Legi & Juſtitiæ, & ut vi ac merito illorum officiorum vitam æternam conſequamur: Et longè aliud eſt Deum exigere à nobis officia novæ vitæ, ut gratitudinem noſtram ipſi approbemus, ex gratuita noſtri redemptione & juſtificatione per Chriſtum, ſub ea fiducia quod ipſe gratis ſit cõdonaturus quicquid in illis intervenerit nævorum & peccati; aliud verò exigere à nobis accuratam præſtationem Legis, ut illius intuitu & merito vitam æternam conſequamur. Et inde ſatis liquet ita Deum nobis applicare *Chriſti juſtitiam*, eamq; nos debere verâ fide amplecti & ſuſcipere, ut tamen per id *ab obedientia* ſibi *præſtanda*, nullo modo *liberos* pronunciet, ſed è contrario ad eandem ex tanti beneficii conſideratione ſtrictiùs obliget.

Deinde cum iſti fidem ſalvificam nihil velint eſſe aliud, quàm ut quis firmiter credat, à Chriſto pro ſe eſſe ſatisfactum, & propter eum peccata ſibi remitti; bona autem opera ad ſalutem eſſe neceſſaria, & conditionem quandam, ad quam Deus in ſalute reipſa conferenda reſpiciat, eſſe pernegent: nulla ratio ſuadet, iſtiuſmodi fidem neceſſariò ſanctimoniam eam, quam ſacræ literæ requirunt, producere; imò ejuſmodi fides in homines 573.
peſſimos æquè atque in bonos cadere poteſt, & ne de pietate admodum ſollicitus ſit, unicuique ſuadet, quemadmodum ex dictis noſtris patet. Nulla fides pietatem neceſſariò efficit, niſi quæ hoc ipſum ponit atque in ſe comprehendit, pietatem ad id, ut Deo placeamus, & porrò ſalutem aſſequamur, omninò eſſe neceſſariam: cùm Deus ac Chriſtus unicuique ſecundum opera ipſius redditurus ſit; ac porrò nos, ſi ſecundùm carnem vixerimus, morituros; ſin ſpiritu actiones corporis perimamus, victuros. (*Rom.* 2, 6. *Apoc.* 2, 23. 20, 12. 22, 12. *Rom.* 8, 13.)

‡ *Deinde cùm iſti*] Poſterior hæc objectiuncula, æquè nauci eſt ac prior. Omnium Proteſtantium hæc eſt ſententia, quod vera & ſalvifica fides nequeat à charitate & ſanctimonia ſeparari, uti liquet ex Galat. v, 6. 1 Tim. 1, 5. Jac. 11, 14 26. Si quidam metuentes perperam, ne ex bonorum operum neceſſitate ad ſalutem, eorum meritum adſtruatur, mallent abſtinere eâ phraſi,

Digitized by Google

in quo paucos habent adſtipulatores, illi nihilominus urgent bonorum operum multimodam neceſſitatem & inſeparabilitatem à vera fide. At quantum ad nos non diffitemur *bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria*, (non quidem ad ſalutem efficienter producendam, ſed ad eam quâ viâ Deus præſcripſit adeundam,) adeoque confitemur ea eſſe *conditionem quandam, ad quam Deus in ſalute reipſa conferenda reſpiciat*; ſiquidem reddet omnibus ſecundum opera eorum; ſed nolimus ex conditione ſine qua ſalus nequit obtineri, fieri cauſam meritoriam ſalutis obtinendæ: Et hinc liquet evidenter Volkelium tùm falſò deſcribere Proteſtantium ſententiam, tùm perperam ſtatuere quod *nulla ratio* ſuadeat, *iſtiuſmodi fidem* in Chriſtum, quâ nos juſtificari cum Apoſtolo ſtatuimus, *neceſſariò ſanctimoniam eam, quam Sacræ literæ requirunt, producere.* Illa enim amplectitur Chriſtum ut factus eſt nobis à Patre non ſolum juſtitia & redemptio, ſed etiam ſapientia & ſanctificatio 1 Corinth. 1, 30. & cùm nos inſerat Chriſto & in illius communionem ſanctam traducat Gal. 11, 20. non poteſt non purificare corda noſtra Act. xv, 9. & frugiferos reddere, inſtar vivorum palmitum in vite Joh. xv, 5. ac idoneos ad omne bonum opus. Quare falſiſſimum eſt quod ſtatuit Adverſarius, eam quam prædicamus fidem, *in homines peſſimos æquè ac in bonos cadere poſſe, & ne de pietate admodum ſollicitus ſit unicuique ſuadere*: cùm vera fides in Chriſtum minus poſſit ſeparari à pietatis ſtudio, quam vel lux à Sole, vel calor ab igne.

Nulla fides pietatem] Atqui fides in Chriſtum, quæ ejus juſtitia & merito nititur apud Deum, *hoc ipſum ponit atque in ſe comprehendit*, quod hîc commemorat Adverſarius, ut ſuper eo adverſus ipſum contendere nolim.

CAP. XXII.

De Satisfactione Chriſti.

RESPONDENTE

WILHELMO SNETLAGIO,

Steinfurtenſi.

POſtquam jam Chriſtum pro nobis, ſeu vice noſtra, Legem minimè præſtitiſſe, nec officii, quod Deo debemus, partes noſtro loco explevisse, oſtendimus; conſequens eſt, ut nec illum cruentâ morte ſuâ juſticiæ Dei pro nobis ſatisfeciſſe, ſeu debita noſtra, quæ peccatis noſtris apud Deum contraxeramus, perſolviſſe, demonſtremus. Intelligendum igitur eſt, illos, qui Chriſtum noſtro loco ea, quæ divinæ juſticiæ debebamus, perſolviſſe aſſerunt, tum ſanctæ Scripturæ, tum rectæ rationis judicio obſiſtere. Ac illud quidem inde conſtat, quòd Chriſti mortis finem effectumque ſuprà à nobis explicatum planè evertit: idqud duplici potiſſimùm ratione. Primò enim homines in pietatis ſtudio negligentes ſocordesque efficit, ne dicam planè

Digitized by Google

planè ab illo abducit, inque ſcelera impellit, aut in illis relinquit. Quid enim cauſæ eſt, cur is, qui ſatisfactionem iſtam perſuaſam habens, & Chriſtum pro omnibus peccatis, & jam commiſſis, & porrò committendis, ſolutionem pleniſſimam Deo præſtitiſſe credens, aliquid in repellenda à ſe impietate, juſtitiaque colenda, laboris ſibi ponendum exiſtimet?

‡ *Poſtquam jam Chriſtum*] Nec debent hæc duo ſejungi tanquam diverſa, cùm obedientia à Chriſto præſtita legi ſit pars ſatisfactionis illius ſuæ pro nobis, cujus vi & intuitu juſtificamur & indemnes abimus apud Deum; Eam verò de Satisfactione Chriſti doctrinam repugnare *tum ſanctæ Scripturæ tum rectæ rationis judicio*, facilius eſt Volkelio aſſerere quā demonſtrare. Nec *Chriſti mortis finem effectumque* aſſequetur, qui negaverit eam fuiſſe ſacrificium expiatorium peccatorum noſtrorum coram Deo, quod paſſim inculcat Scriptura; Eſa. LIII, 10. Matth. XXVI, 28. Joh. I, 29. Rom. III, 19. 1 Cor. V, 7. 2 Cor. V, 21. Hebr. IX, 14. Eph. V, 2. 1 Petr. II, 24. 1 Joh. II, 2.

Primò enim homines] Reſpondeo primùm iiſdem hic armis pugnare Volkelium, quibus olim adverſarii Pauli ibant everſum gratiam illam ſalutarem quam prædicabat: ſic videlicet conſui pulvillos conſcientiis, ſicque edoceri homines manere in peccato ut abundet gratia Rom. VI, 1. Deinde nihil tam verè & piè dici aut doceri poteſt, quod homines perverſi in ſequiorem ſenſum trahere nequeant, dum ipſas Scripturas στρεβλοῦσι πρὸς τὴν αὐτῶν ἀπώλειαν 2 Pet. III, 16. Ex iiſdem floribus ex quibus apes ſua mella colligunt, aranei ſuum conficiunt venenum. Verùm non attendi debet quomodo homines impii & carnales, aliquo dogmate poſſint abuti per ἀρρωστίαν τῆς διανοίας, ſed an illius indoles eò rectà ducat & talem ferat abuſum. Jam autem nihil minus ſequi poteſt ex noſtra doctrina, quam quod ſuis fidiculis elicere conatur Adverſarius; cùm è contrario ſit aculeus ad pietatem & ſanctitatis ſtudium efficaciſſimus. An enim rem ſanctam oneraremus peccato, & gratiam in Dei diſſolutionem mutaremus? Annon redamaremus Chriſtum, qui nos eouſque dilexit, ut animam ſuam dederit ἀντίλυτρον pro nobis? Unde meliùs nobis innoteſcat quantum Deus peccata averſetur, ut illa porrò refugiamus; quam ex eo quod maluit illa in proprio ſuo Filio ulciſci, quam inulta dimittere? An peccata adhuc vellemus in ſinu fovere quæ optimum Redemptorem felle & aceto potarunt & tot contumeliis objecerunt? Nemo ſanè qui *ſatisfactionem* iſtam à Chriſto pro ſe & ſuo loco præſtitam *perſuaſum* habebit, & eam *pleniſſimam* Deo præſtitam credet, poterit negligere pietatis & juſtitiæ ſtudium, ſi modo intellexerit ex Dei verbo, & nos ex noſtri redemptione per Chriſtum ad ſanctificationis & pietatis ſtudium conſtanter invitari Tit. II, 12. 13. 14. 1 Cor. VI, 20 & nullam partem eos habere in Chriſti beneficio & ſatisfactione, qui volunt perſeverare in ſuis peccatis: Ejus enim nemo fit particeps alio modo quam verâ & vivâ fide, cujus comes indivulſa eſt ſeria reſipiſcentia; fructus certus charitas & ſtudium pietatis, Gal. V, 6. Jac. II, 18. 20. Ipſimet Sociniani agnoſcunt credendam ſibi eſſe remiſſionem peccatorum, ex Dei benignitate & ſumma illius in peccatores miſericordia; Ut autem eum

inſanire dicerent qui ex fiducia Miſericordiæ divinæ rueret in ſcelera, cùm illa miſericordia nonniſi credenti & reſipiſcenti promittatur; ita pari jure dixero illum qui ex fiducia ſatisfactionis & redemptionis Chriſti, nihil *in repellenda à ſe impietate juſtitiæque colenda laboris ſibi ponendum* exiſtimaret, ad Anticyras merito fore relegandum, & ſimilem futurum cœco impingenti in ſuum baculum, & adjumenta in impedimenta mutanti.

Deinde ſacræ literæ creberrimè prædicant, Deum nobis peccata debitaque
noſtra omnia remittere ac condonare, idque per viſcera miſericordiæ, &
ſecundùm divitias gratiæ ſuæ; & Chriſtum in hunc ipſum finem eſſe mor-
tuum, ut remiſſionem peccatorum adipiſceremur. (*Matth.* 18. 23. *& ſeqq.*
Eph. 4. *ult.* *Col.* 2. 13. *Luc.* 1. 77, 78. *Eph.* 1. 7. *Matth.* 26. 28.) Atqui re-
miſſio condonatioque debiti ſatisfactionem pro eo creditori præſtitam peni-
tùs excludit. Ad illam enim conſtituendam requiritur, ut creditor ex mera
benignitate nomen expungat, & non modò ab ipſo debitore, ſed nec à quo-
quam alio quicquam eo nomine accipiat, quo illud debitum compenſetur.
Nam ſi quis v. g. centum aureos alicui debeat, etiamſi ipſe debitor eos non
ſolvat, ſed alius ejus loco, creditor tamen nihil dicetur remiſiſſe. Quare ſi
571. Deo pro nobis à Chriſto debita noſtra ſunt perſoluta, ac pro iis abunde ſatis-
factum, nihil nobis à Deo remittitur, nihil condonatur; nedum ut viſcera
miſericordiæ, & divitiæ gratiæ ejus, ea in re apparuerint.

‡ *Deinde ſacræ literæ*]. Hic ſanè Volkelius ſuo ſe jugulat gladio. Nam ex eo quod remiſſio peccatorum in Scripturis, & gratiæ miſericordiæque Dei, & ſanguini ac morti Chriſti adſcribitur, quis non colligat eam ita eſſe gratuitam reſpectu noſtri, ut ſimul procedat ex merito & ſatisfactione Chriſti pro nobis? Quid opus ea inter ſe committere quæ amiciſſimè conſpirant? Quis non intelligit remiſſionem peccatorum quam conſequimur ideo eſſe merè gratuitam ex indebita miſericordia reſpectu noſtri, quod omne noſtrum meritum, omnem noſtram perſonalem perſolutionem & ſatisfactionem excludat, quippe cùm nequeamus ad unum ex mille reſpondere Job. IX, 3? Nec tamen deſinit eſſe gratuita, eo quod fundetur in Chriſti merito & ſatisfactione; tum quia ex gratia & liberalitate Dei proceſſit quod talem nobis dederit expromiſſorem, qui noſtra debita planè diſpungeret, & victimam succidaneam ſe exponeret loco noſtro; tum quia noſtro nomine præſtitam à Chriſto ſatisfactionem & ſolutionem, cui omninò impares eramus, & ad quam tamen ex juris rigore perſonaliter tenebamur, admiſerit. Hinc fit quod gratia Dei in noſtra juſtificatione, ſive in remiſſione peccatorum noſtrorum, noſtra quidem merita excludat & opera Rom. III, 24. XI, 6. ſed ſemper Chriſti obedientiam, ſanguinem, mortem, placamentum, propitiationem, ideſt revera pleniſſimam ipſius ſatisfactionem includat, Rom. III, 24. 25. & paſſim. Quin in eo *viſcera* ſuæ miſericordiæ Pater ſummè dilatavit erga nos, quod non *pepercit* proprio ſuo Filio ſed eum pro nobis omni-
bus

bus tradidit Rom. VIII, 32. Igitur fateor quod *remiſſio condonatioque debiti, ſatisfactionem ac ſolutionem* ab ipſo met debitore *præſtitam* excludat; ſed nego quod excludat *ſatisfactionem ac ſolutionem pro eo præſtitam* ab alio, qui ad eam præſtandam pro ipſo ex rigore non tenebatur; & quam nec *creditor* debuit, niſi per quandam ἐπιείκειαν & relaxationem ſui juris, pro ipſo admittere; imo quam ipſemet *creditor* ex ſingulari indulgentia pro eo conſtituit, ut ſimul & gratis condonatum & jure perſolutum ſtatueretur. Eſto reus aliquis debitor fiſco mille coronatorum, ex mulcta ipſi impoſita propter crimen admiſſum. Annon poterit Supremus Princeps, & hoc debitum illi remittere, & ne tamen juri aut legibus quicquam decedat illi dare de ſuo, quod in fiſcum inferat, ut & perſolutiſſe fiſco cenſeatur, & tamen condonationem gratuitam conſequutus ſtatuatur? Præterea diſtingui debet inter remiſſionem peccati, & debiti merè pecuniarii. Hæc enim ſi ſit abſoluta, procedit per meram acceptilationem, quæ ſolutio eſt imaginaria: At illa, cùm ſit actus forenſis, eo modo procedere nequit. In debito pecuniario alter eſt creditor, alter debitor; ſed in debito peccati, & reus debet ſuſtinere pœnam, & judex debet eam ex officio infligere: Quare illa nequit à juſto judice remitti reo niſi poſitâ ſatisfactione condignâ pro ipſo. Diſtinguendum quoque eſt inter remiſſionem ſive condonationem debiti abſolutam & conditionatam; *Ad illam* equidem *conſtituendam*, ſufficit *ut creditor ex mera benignitate nomen expungat, & non modo ab ipſo debitore, ſed nec à quoquam alio quicquam eo nomine accipiat*; Sed hæc requirit, ut conditio præſtetur, quâ ceſſante debitum manet. Atqui remiſſio peccatorum, quam conſequimur in Chriſto, eſt hujus ordinis; utpote quę non obtineatur niſi in illius ſanguine & per ipſius meritum ac ſatisfactionem, quæ verâ & vivificâ fide apprehendi debet. Et ita patet alienam eſſe ſimilitudinem Volkelii deſumptam ab eo qui *centum aureos alicui debeat*, cui *creditor nihil dicetur remiſiſſe*, etſi *ipſe debitor eos non ſolvat. ſed alius ejus loco*; Nam ſanè in debito criminali & pœnali, multum remittitur reo, ſi alius ejus loco ſubſtituatur qui luat pro ipſo: Quare in eo excelluit Dei πολυποίκιλος Sapientia, quod eam repererit rationem noſtræ redemptionis in ſuo Filio, per quam & ſuæ juſtitiæ ſatisfieret abundè, acciperetque illa quod ei debebatur Rom. I, 32. III, 25. & *viſcera miſericordiæ* ſuæ erga nos dilataret, nobis condonando, ne ſolveremus perſonaliter, quod ipſimet debebamus.

Adde, quòd Deus ab ipſo mundi initio hominibus nullâ verâ ſatisfactione acceptâ peccata remiſerit. Cur ergo non multò magis novi fœderis tempore, ubi gratia Dei maximè viget? (*Joh.* 1. 17. *Rom.* 5. 15, 17, 20 21. *c.* 6. 14.) & tamen commenti illius propugnatores, aliquot, ejus ſtabiliendi cauſâ, divinis teſtimoniis abutuntur.

‡ *Adde, quod Deus*] Quod hic imperterritè affirmat Volkelius, eſt falſiſſimum. Nam quotquot remiſſionem peccatorum *ab ipſo mundi initio* conſecuti ſunt, etiam ante tempora Chriſti exhibiti, illam obtinuerunt ex fide in ipſum: adeoque vi & contemplatione ſatisfactionis pleniſſimæ, quam præſtiturus erat

Paulus in eadem ſententia exprimenda particulas illas inter ſe commutet, quemadmodum unicuique manifeſtum fiet, ſi loca iſta Rom. 14. 15. & 1 Cor. 8. 11. inter ſe contulerit. Idem etiam facit, cùm de afflictonibus ſuis Eccleſiæ bono ſuſceptis loquitur, ut liquet ex collatione iſtorum locorum: Eph. 3. 1. 13. Col. 1. 24. & 1 Tim. 2. 10. quibus adde 2 Cor. 1. 5, 6.

t *Primò enim illos*] Latet hic Volkelius poſt carecta, & ſtudio delumbat argumentum, cui refutando ſe imparem agnoſcit. Nec enim tantum vel dicimur *commortui* Chriſto Rom. VI, 8. vel Chriſtus ipſe dicitur *paſſus pro nobis carne* 1 Pet. IV, 1. (quæ duo ſola loca libuit adverſario hic citare,) ſed etiam ita paſſim deſcribitur Chriſtus & paſſus & mortuus pro nobis, ut evidenter doceamur eum vice noſtrâ mortem teterrimam ſubiiſſe, pœnam peccatis noſtris debitam pertuliſſe, & noſtram perſonam in pœna iſta perferenda ſuſtinuiſſe: Parum eſt quod commendatur in eo ſumma Chriſti charitas, quod *pro nobis* peccatoribus & impiis mortuus ſit Rom. V, 6. 7. XIV, 15. 1 Cor. VIII, 11. Gal. II, 20. 1 Joh. III, 16. Joh. XV, 13 1 Pet. IV, 1. & alibi paſſim, ſed id ab ipſo præſtitum eſſe ſubſtitutivè ac loco noſtro, varia demonſtrant: Nam ita eſt mortuus pro nobis, ut nos unà mortui cum illo ſtatuamur Rom. VI, 8. & 2 Corinth. V, 15. Ita mortuus eſt pro nobis, ut ſit etiam mortuus διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν Rom. IV, 25. & ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν 1 Corinth. XV, 3. adeo ut peccata noſtra fuerint cauſa meritoria ſuæ illius mortis. Ita mortuus eſt pro nobis, ut factus fuerit in ſua morte & *peccatum* pro nobis, id eſt victima piacularis peccatorum noſtrorum 2 Corinth. V, 21. & κατάρα ſive maledictio pro nobis Gal. III, 13. eam ſcilicet maledictionem ſuſtinendo, quæ peccatis noſtris debebatur. Ita mortuus eſt pro nobis, ut peccata noſtra portaverit in corpore ſuo ſuper lignum 1 Pet. II, 24. Eſa. LIII, 4. 5 Joh. 1, 29. Ita mortuus eſt pro nobis ut factus ſit propitiatio pro peccatis noſtris 1 Joh. II, 2 Rom III, 25. & animam ſuam expoſuerit in ſacrificium pro noſtro reatu Eſa. LIII, 10. Ita mortuus eſt pro nobis, ut Pater ipſi non *pepercerit* eum pro nobis tradendo Rom. VIII, 32. ſed exegerit ab illo pœnas peccatorum noſtrorum, & noſtra ſcelera, quorum ſe debitorem conſtituerat loco noſtro, ſeveriſſimè in ipſo puniverit. Ita denique mortuus eſt pro nobis, ut non ſolum dicatur traditus & mortuus vel ὑπὲρ ἡμῶν, vel δι' ἡμᾶς, ſed etiam ἀντὶ ἡμῶν, vice & loco noſtro Matth. XX, 28. Marc. X, 45. unde & dicitur ἀντίλυτρον ſeipſum dediſſe pro omnibus 1 Tim. II, 9. Particulam vero ἀντὶ quoties oppoſitionem non notat, ſubſtitutionem connotare, jamdiu obſervarunt eruditi. Quæ autem huic argumento opponit Adverſarius nullius ſunt momenti: Suo loco refutatum eſt quicquid de illa præpoſitione *pro* obſervare voluit Volkelius, *libr. 2. cap.* 18. Agnoſco lubens, id etiam fieri pro aliquo, quod fit propter eum; ſed inde tamen non ſequitur, illud ὑπὲρ nihil amplius ſignificare quam διὰ, quando de Chriſto agitur mortem oppetente ὑπὲρ ἡμῶν, pro nobis. Certè quicquid fit vice alterius, fit etiam illius cauſâ; at non viceverſa quicquid fit alterius cauſâ fit vice illius: Nec urgemus illam particulam ὑπὲρ,

quaſi

quaſi neceſſariò ac ſemper ſubſtitutionem denotet; ſed eam de Chriſto uſurpatam, ſubſtitutionem denotare evincimus ex illis omnibus circumſtantiis quæ explicant quo ſenſu & quomodo ὑπὲρ ἡμῶν Chriſtus mortuus ſtatuatur. Igitur ineptit Volkelius dum ex eo quod utrumque dicitur de Chriſto, & τὸ ὑπὲρ Rom. XIV, 15. & τὸ διὰ 1 Cor. VIII, 11. pertendit illud ſic explicandum per hoc ut eo latiùs patere non debeat. Nec favet delirio Volkeliano, quod *ipſe Paulus*, non ſolum *particulas illas* duas *inter ſe commutet*, agens de Chriſto, ſed etiam *idem* faciat, *cùm de afflictionibus ſuis Eccleſiæ bono ſuſceptis, loquitur, ut liquet ex collatione iſtorum locorum, Eph* III, 1. 13. *Col.* I, 24 *&* 2 *Tim.* II, 10. *quibus adde* 2 *Cor.* I, 5. 6. Neque enim ſequitur idem eſt reſpectu Pauli eum paſſum fuiſſe *pro* fidelibus ac *propter* eos, nec illud latiùs patet iſto, ergo idem ſtatui debebit de Chriſti paſſionibus *pro nobis*, ut eas quidem noſtri cauſâ & propter nos ſuſcepiſſe dicatur, non tamen loco noſtro. Quis enim non videt, hoc cavillo admiſſo, nihil diſcriminis ſuperfuturum inter Chriſti paſſiones pro nobis, & vincula atque afflictiones Pauli pro Eccleſiis gentilium & fidelibus? At verò diſcrimen illud grande ipſe Paulus agnovit 1 Cor. I, 13. ubi negat Paulum pro Corinthiis crucifixum, aut illos in nomine Pauli fuiſſe baptiſatos: quâ ratione ſatis inſinuat longè aliter & alio ſenſu Chriſtum pro nobis paſſum & crucifixum eſſe, quam ipſe patiebatur pro Eccleſiis: Diſcriminis autem iſtius ratio alia non poteſt excogitari præter hanc, quod Paulus *bono* fidelium paſſus fuerit; Chriſtus verò etiam eorum *loco*. Præterea nuſquam legitur de Paulo ipſum paſſum fuiſſe ἀντὶ τῶν ἐκκλησιῶν, vel διὰ τὰ παραπτώματα, aut ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν earum, vel ſe dediſſe ἀντίλυτρον pro illis, vel factum fuiſſe pro eis peccatum & maledictionem, ut juſtitiam & benedictionem conſequerentur. Sed is eſt paralogiſmus ordinarius Socinianorum, quo pertendunt hîc & nunc hanc vel illam voculam, nihil aliud ſignificare in locis ſibi objectis, quia alibi & in diverſa materia nihil ultra ſignificant. Quæ ratio procedendi à particulari ad univerſale, quam ſit abſurda, omnes intelligunt, etiam illi qui nondum ære lavantur.

Quòd ſi interdum commutationem quandam iſta particula in ejuſmodi loquendi formulis ſignificare videtur, ea nulla alia eſt, quàm quòd Chriſtus eum in finem ſit mortuus, ne nos mortem, quam commeriti fueramus, ſubire cogeremur; non quòd vices noſtras revera ſubierit, & id quod nos pati debebamus, perpeſſus fuerit. Nos enim ſempiternam mortem meriti eramus: Chriſtus verò ſempiterno interitu extinctus nequaquam eſt, nec id, quod tantundem valeret, eſt perpeſſus: cùm tertia die à mortuis reſurrexerit, ſempiternamque vitam, cum ineffabili gloria, ſummoque in omnes res imperio, adeptus fuerit: Mortis autem triduanæ, & talis quidem, quam infinita felicitas ac gloria fuit conſecuta, ad mortem æternam quæ proportio?

Digitized by Google

† *Quod ſi interdum*] Hîc primùm αὐτοκατάκριτος eſt Volkelius, agnoſcens *commutationem quandam* ſignificari *iſtâ particulâ*, de Chriſto uſurpatâ: Secundò turpiter ſibi contradicit; cùm non poſſit Chriſtus dici pro nobis mortuus per *commutationem quandam*, quin *vices noſtras revera ſubierit*: vel *eum in finem* mortuus eſſe, *ne nos mortem quam commeriti fueramus ſubire cogeremur*, quin *id quod nos pati debebamus*, *perpeſſus fuerit*; ſoluendo utique quod ipſe non debebat, & mortem, ac quicquid ei ineſt maledictionis, acerbitatis & amaroris, guſtando pro omnibus Hebr. II, 9. Neque aliter potuit eſſe mors mortis ipſius, juxta Oſ. XIII, 14. ut benè dixerit Hieronymus *in Epitaph. Nepot. ad Heliod.* ipſam mortem compellans; *Illius morte tu mortua es, illius morte nos vivimus: Devoraſti & devorata es, dumque aſſumpti corporis Chriſti ſolicitaris illecebrâ, & avidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente confoſſa ſunt: Gratias tibi Chriſto Salvator tua agimus creatura, quod tam potentem adverſarium dum occideres occidiſti.*

Nos enim ſempiternam] Imò verò ſi non ſuſtinuit Chriſtus *mortem* eam quam *meriti eramus*, nequidem ὑπὲρ ἡμῶν, vel ἀντὶ ἡμῶν mortuus eſt. Non ſuſtinuit equidem *æternitatem* pœnarum quas eramus commeriti, nam debuit ex illis eluctari, nec potuit detineri vinculis mortis Act. II, 24. Suſtinuit tamen earum *extremitatem* & acerbitatem, ac quicquid pœnæ aliis æternæ habent in ſe merè pœnale, ſi intenſivè conſiderentur: cùm pro nobis factus fuerit, & *peccatum* & *maledictio*, quo nihil majus aut acerbius concipi poteſt. Longè aliud fuiſſe in doloribus & morte Chriſti, quam in ordinariis Sanctorum perpeſſionibus, facile animadvertet qui cogitaverit martyras renidenti vultu ſubiiſſe tormenta, & mediis in flammis laudes Dei celebraſſe; Chriſtum verò ad amarum illum calicem ita inhorruiſſe, ut eum ter petierit à ſe transferri, ſi pote eſſet; ſudore ſanguineo maduiſſe; eguiſſe Angeli conſolatione, cùm afficeretur triſtitiâ, tædio & timore, quibuſcum eum luctatum fuiſſe agnoſcit & docet Thomas 3. *p. q.* 46. *art.* 5. denique tam lamentabiliter in cruce exclamaſſe, *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquiſti.* Emerſit quidem Chriſtus ex illo agone victor & ovans, & *tertiâ die à mortuis reſurrexit, ſempiternamque vitam cum ineffabili gloria adeptus* eſt; ſed eâ ratione non evertitur *proportio* iſtius *mortis triduanæ*, *ad mortem æternam* quam eramus commeriti. Hæc enim *proportio* non arithmetica debet concipi, ſed geometrica, quam in pœnalibus attendi & teſtatur Scriptura 2 Samuel. XVIII, 3. & ille tyrannus agnoſcebat, qui dicebat ſe pluris facere caput unius ſalmonis, quam capita viginti millium ranarum. Proportio itaque iſta ſe tenet partim ex parte perſonæ patientis, quæ cùm ſit infinitæ dignitatis, adjecit ſuæ paſſioni pondus infinitum & æquivalens pœnæ à nobis aliàs ſuſtinendæ; partim ex parte ipſorum acerbiſſimorum dolorum quos pertulit, omninò parium iis & quoad damnum & quoad ſenſum, inordinatione exceptâ, quos damnati ſuſtinent in inferno: ut eò non immeritò referatur articulus Symboli, qui agit de deſcenſu Chriſti ad inferos.

Deinde ſi Chriſtus noſtro loco tanta perpeſſus fuiſſet, conſequens eſſet, nos ab omnibus calamitatum anguſtiis, mortéque violenta, quam ipſe

Digitized by Google

perpeſſus eſt, immunes factos eſſe. Hoc autem contrà ſe habere inde patet, quòd Chriſtus ſeſe nobis ad iſta omnia perferenda ducem autoremque præbuit, proque nobis ita paſſus eſt, ut exemplum nobis relinqueret, noſque ejus veſtigia perſequeremur. (1 *Petr.* 2. 21.)

‡ *Deinde ſi Chriſtus*] Imò verò vel inde patet Chriſtum *noſtro loco tanta* perpeſſum fuiſſe, quod tandem ſumus conſecuturi per ipſum in reſurrectione glorioſa plenam immunitatem *ab omni calamitatum anguſtiis morteque* corporea, quæ tum erit abſorbenda in victoria, juxta Pauli ἐπινίκιον 1 Cor. XV, 54. 55. 56. 56. Neque abſolutè *Chriſtus ſeſe nobis ad iſta omnia* quę paſſus eſt *ducem autoremque præbuit*, cùm ſolus illud torcular calcaverit Eſa. LXIII, 3. ſed tantum ad ſimilia quędam in externis perferenda, longè aliter & alio modo ac fine quam ipſe; Nemini enim Sanctorum convenit dare animam ſuam ἀντίλυτρον pro aliis, & ſanguinem ſuum effundere in remiſſionem peccatorum alienorum, & aliorum peccata ſurſum ferre in corpore ſuo ſuper lignum, & fieri peccatum & maledictio pro reliquis. Exemplum quidem nobis reliquit 1 Petr. II, 21. & ærumnarum, quas illi in eo genere conformandi ſuſtineamus pro illius nomine, & probroſæ crucis quam bajulemus, ipſum extra caſtra ſequuti; ſed tamen qui negaverit alterius planè eſſe conditionis, & ærumnas Chriſtianorum pro Chriſto, ab illius perpeſſionibus pro nobis, & crucem noſtram ab ejus cruce, is ſanè & Chriſtum, & Scripturam, & ſeipſum penitùs ignorabit. Sunt piis ſuæ calamitates παιδεῖαι, κολάσεις, δοκιμασίαι, quod de Chriſti paſſionibus ſui reſpectu dici nequit. Aliter eum in illis fuiſſe affectum quam martyras in ſuis tormentis, ſuprà monuimus: crucem enim ille tulit maledictionis, & crux iſtorum eſt crux benedicta; imo crucis Chriſti efficaciâ & merito, dulcoratur omnis amaror crucis noſtræ, uti factum in aquis Mara Exod. XV, 25. & Chriſtus acerbiſſimâ morte ſuâ, removit à noſtra morte quicquid ei inerat maledictionis ex peccato, eamque nobis fecit tranſitum ad vitam & januam gloriæ.

Quid, quòd ita Chriſtum ſequi noſtri eſt officii, ut quemadmodum ipſe pro nobis animam poſuit, ita & nos pro fratribus animas ponamus:
572. (1 *Johan.* 3. 16.) id quod Paulus Priſcillam & Aquilam pro ſe feciſſe, (*Rom.* 16. 3.) ſeque ipſum multa adverſa pro Eccleſia ſuſtinuiſſe ait. Quare nos nequaquam ab eo, quod Chriſtus pertulit, immunes ſumus; & illud Chriſti ratum eſſe oportet: (*Luc.* 9. 23.) *Qui vult poſt me venire, abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam quotidiè & ſequatur me*; itemque illud Pauli: (2 *Tim.* 3. 12.) *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.*

‡ *Quid quod ita*] In hoc loco 1 Johan. III, 16. illud *quemadmodum* eſt alicujus ſimilitudinis in re ipſa, ſed non æqualitatis in modo & fine rei: quod frequens eſt in ſacris literis, ut Matth. V, 48. VI, 12. Joh. XVII, 11. 14. 16. 21. Nihilque revera aliud exigit dictum Johannis, quam ut inter homines & apud

eos,

Digitized by Google

eos, parati ſimus facere pro fratribus noſtris, ſimile quid ei quod fecit Chriſtus pro nobis apud Deum, nempe noſtra capita eorum periculis objiciendo, nihilque detrectando damni, doloris, calamitatis, etiam extremæ, pro eorum conſolatione, tuitione, confirmatione in fide, & ſalute: id *quod Paulus Priſcillam & Aquilam pro ſe feciſſe, ſeque ipſum multa adverſa pro Eccleſia ſuſtinuiſſe ait.* Jam ſuprà oſtendebamus quantum interſit inter paſſiones Pauli pro Eccleſia, & perpeſſiones Chriſti pro nobis: Quamvis tamen hoc poſterius non arguat ſubſtitutionem Pauli pro Eccleſia, tamen prius illud Priſcillæ & Aquilæ Rom. XVI, 3. ſubſtitutionem eorum pro Paulo ponit evidenter, ſi non effectivam ſaltem affectivam: Talem etiam ſubſtitutionem στοργὴ naturalis optatam faciebat Davidi 2 Sam. XVIII, 33. & amor Patriæ ipſi met quandoque ſuggeſſit Ethnicis, ut Codro, Leonidæ, Curtio, Deciis: Imò etiam jus privatæ amicitiæ, ut Oreſti pro Pylade, Damoni pro Pythia, & pluribus aliis, de quibus videatur quoque Lucianus *in Toxari.* Neque dubium quin de tali ſubſtitutione & commutatione, quâ quis fit quaſi victima ſuccidanea pro alio, & mortem oppetit ejus loco, agat Apoſtolus Rom. V, 7. Cùm igitur debeamus & nos animas pro fratribus ponere, quemadmodum Chriſtus *ipſe pro nobis animam poſuit*, vel hinc etiam liquet Chriſtum mortuum eſſe *loco* noſtro, id eſt per ſubſtitutionem, commutationem & ἀντάλλαγμα, quod etiam quandoque debeamus mortem oppetere ſubſtitutivè pro fratribus noſtris, & pericula illis imminentia, vel morte noſtrâ propulſare. Atque ſic concidit omnis illa ἔνστασις Volkeliana, quæ inde deſumebatur quod ad conformitatem cum Chriſto in calamitatibus & cruce divinitùs evocemur, juxta loca hîc Adverſario citata Luc. XI, 23. 2 Tim. III, 12. Nam ad ſimilia quidem & patienda & facienda tenemur, ſed nec eodem modo nec fine eodem. Quare revera per Chriſtum præſtamur *immunes ab omnibus calamitatum anguſtiis morteque violenta quam ipſe perpeſſus eſt*, ut iſta habent rationem pœnæ propriè dictæ à Deo irato infligendæ in ſtipendium peccati Gen. II, 17. Rom. I, 18. Sed calamitatibus, cruci & morti ſumus adhuc obnoxii, ut ſunt vel pœnæ medicinales ac caſtigationes paternæ, noſtræ emendationi in melius deſtinatæ, vel etiam conformitates glorioſæ cum Chriſto capite noſtro, adeo ut patiendo cum ipſo, cum illo quoque ſimus regnaturi 2 Tim. II, 11. 12.

Poſtremò nihil divinæ juſtitiæ magis contrarium eſt, quàm inſontem ſontis loco puniri. Non ſolùm enim hominibus Deus eam legem præſcripſit, ne patres pro filiis, nec filii pro patribus occiderentur, quilibet autem peccati ſui pœnam lueret: (*Deut.* 14. 16. 2 *Reg.* 14. 6.) verùm etiam ſibi ipſi eandem legem quodammodo impoſuit, hunc in modum apud Prophetam loquens: (*Ezech.* 18 20.) *Filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filii.* Hinc colligitur, ſi hanc legem juſtis ponderibus examines, multò magis contra Dei juſtitiam fore, ſi non pater pro filio, aut filius pro patre, (quod ob tam arctam perſonarum iſtarum conjunctionem, tolerabilius eſſe videretur) ſed alius quiſpiam noſtro loco

 puniatur.

Digitized by Google

Adæ poſteris ipſius peccatum imputetur ad pœnam, quoniam omnes in ipſo peccaverunt Rom. v, 12. vel quod Deus aliquando eidē pœnę ſubjecit patres & filios etiam adhuc infantulos & ante uſum rationis, ut in Catacلyſmo, Sodomorum everſione, Hacanis ſupplicio; cùm omnes ſint revera nocentes coram Deo, & mali corvi mala ova; vel quod congesſit in Chriſtum omnia noſtra peccata, ut ea portaret in corpore ſuo ſuper lignum, 1 Petr. II, 24. Eſa. LIII, 4 5 6. Etenim Chriſtus ita erat innocentiſſimus in ſe, ut tamen ſe nocentem & peccatorem imputativè fecerit, imò & peccatum 2 Cor. v, 21. & maledictio pro nobis Gal. III, 13. dum ultrò ſe expoſuit iræ divinæ, & pœnæ mortis peccato debitæ ſe ſubjecit loco noſtro. Nihil verò hic alienum fuit ab ordine juſtitiæ divinæ: Nam Chriſtus potuit, ceu dominus abſolutus membrorum ſuorum, ſe conſtituere in foro divino vadem, ſponſorem, *Goel* & ἔγγυον noſtrum, & eam ultrò ſubire pœnam pro nobis ex qua noverat ſe certè eluctaturum, Joh. x, 11. 17. 18. Neque ulla ipſi, ut pote hoc vadimonium obire volenti, à Patre facta eſt injuria; & ita ſuſtinuit mortem pro nobis, ut eam ſimul vicerit. ac eum deſtruxerit penes quem erat robur & imperium mortis Hebr. II, 14. Uno verbo agit Deus apud Ezechielem citatum adverſario, 1. de filio abſolutè & omnimodo innocente. 2. nolente ſuſtinere pœnam debitam iniquitati paternæ eamque refugiente & deprecante. 3. qui etſi vellet eam ſubire, jure tamen non poſſet, cùm non ſit ſui dominus. 4. qui denique illi pœnæ, ſi eam ſuſtineret, deberet penitùs ſuccumbere; At Chriſtus non fuit omni ex parte innocens, cùm noſtra peccata in ſe ſuſceperit, eumque in finem venerit in conſortium naturæ noſtræ, quæ rea erat debendi, ac ultrò & lubens hanc provinciā in ſe ſuſcepit, Hebr. x, 5. 6. 7. 8. 9. 10. quod potuit tanto certiùs, quod eſſet abſolutè dominus membrorum ſuorum ab una parte, & ab altera potentiæ & conditionis infinitæ, juxta quam infinitam illam pœnam quivit ſuſtinere & ex illa emergere, imo nequivit fieri ut ab ea detineretur Act. II, 24. Certè ſi licuit Moſi & Paulo, per heroicum charitatis impetum, optare deleri ex libro vitæ & fieri anathema pro Iſraelitis & fratribus ſuis, non potuit nefas eſſe Chriſto, mortem oppetere, & κατάραν fieri pro iis quos ſuos fratres vocare non erubeſcit Hebr. II, 1. Ut quæ hic congerit inſuper Volkelius de hominibus vindictæ litantibus, omninò ſint ἀπροσδιόνυσα, cùm Dei conſilia ad rerum humanarum decempedam exigi non debeant Eſ. LV, 8 9. & revera id à Deo in opere noſtræ redemptionis ſit præſtitum, quod *prorſus inauditum eſt* inter homines, Filium ſuum unigenitum, dilectiſſimum, ſanctiſſimum, ſubjiciendo tot contumeliis in gratiam hoſtium ſuorum, & omni illo ſuo favore indignorum, quos citra tale impendium, ſi credimus Socinianis, & quibat ſervare, & *punire ſemper poterat*. Videantur loca quæ extant Joh. III, 16. Rom. v, 8. 10. & VIII, 32. Adeoque iiſdem rhetoricationibus quibus Volkelius ſatisfactionem Chriſti loco noſtro impugnat, evertuntur ipſius paſſiones pro nobis, & prout eò collimant ex indirecto impuri illi homines, tota Evangelica doctrina, in drama fabuloſum commutatur.

Ex redemptione quoque per Chriſtum facta, & ex eo, quòd ſemet ipſum dederit, pretium redemptionis; (*Rom.* 3. 24. *Epheſ.* 1. 7. *Col* 1. 14. 1 *Timoth.*

moth. 2.6. *Matth.* 20.28.) hanc ſatisfactionem efficere conantur. Verùm ſi illa, quæ ſuprà (*lib.* 3. *cap.* 18.) ea de re diximus, ritè examinentur, facilè patebit, hanc eorum ſententiam conſiſtere non poſſe. Nam & metaphoricè hîc Redemptionis vocem accipi oſtendimus, & quam ſignificationem habeat, ſatis luculenter docuiſſe videmur.

† *Ex redemptione quoque*] Et huic argumento tale pondus ineſt quod omni ſuâ Sophiſticâ in unum recollectâ nequeunt declinare Adverſarii. Ubi enim vera eſt redemptio, ubi pretium & λύτρον verum ac proprium intercedit pro peccatoribus & captivis, ibi ſatisfactio propriè dicta eſt admittenda: at veram redemptionem ſui populi Chriſtum feciſſe, & λύτρον propriè dictum ad illam expendiſſe, tota clamat Scriptura; Matthæi XX, 28. Rom. III, 24. 1 Cor. VI, 20. Eph. I, 7. Col I, 14. 1 Tim. II, 6. 1 Petr. I, 18 19 Apoc. V, 9. Volkelii κρηπσφύγετον de redemptione metaphorica ſuprà *lib* 3. *cap* 18. ſufficienter diſcuſſimus: illi ſanè digni ſunt qui nonniſi metaphoricam ſalutem & vitam conſequantur, quos juvat metaphorica redemptio, & qui Chriſtum non agnoſcunt eſſe ſuum verum & propriè dictum Servatorem ac Redemptorem, ſed tantum metaphoricum & figuratum. Sed nec merè metaphorica eſt redemptio, ubi *pretium* & λύτρον, omne pretium exſuperans, interveniſſe dicitur: cum emptio metaphorica dicatur è contrario ſine pretio procedere Eſa. LV, 1.

Tantum autem abeſt, ut redemptio hæc ſatisfactionem, quâ Deo pro peccatis noſtris pretium perſolutum fuerit, complectatur, ut ipſe potiùs Deus, quemadmodum iſtic vidimus, is ſit, qui redemptionem iſtam confecerit, filiumque ſuum ad nos redimendos quaſi impenderit. Qua de cauſa Deus redemptionem populo feciſſe, (*Luc.* 1.68.) & nos redemiſſe, ſuoque ſanguine ſibi acquiſiviſſe (*Act.* 20.28.) dicitur. Ut enim totus Chriſtus
573. Dei eſt, ita & ejuſdem ſanguis, quem Patris ſui juſſu pro nobis impendit. Cùm igitur ipſe Deus redemptionis noſtræ autor effectorque ſit, quomodo, quæſo, fieri poteſt, ut ipſi Deo, ejuſque juſtitiæ, redemptionis noſtræ pretium ulla ex parte datum ſit?

† *Tantum autem abeſt*] Abſurda eſt hæc ratio; cùm Deus *redemptionem iſtam* confecerit interventu ſatisfactionis à ſuo Filio præſtitæ; quem ex noſtri miſericordia *impendit*, non *quaſi*, ſed propriè & verè, in λύτρον, τιμὴν & pretium debitum ſuæ juſtitiæ. Et abſurdè negaveris ſatisfactionem Chriſti pro nobis, eo quod dicatur Deus Luc. I, 68. *redemptionem populo ſuo feciſſe*, cùm id fecerit in Chriſto & per Chriſtum, erigendo nobis *cornu ſalutis* in domo Davidis ibid. ✝. 69. nobiſque eum efficiendo ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem & redemptionem 1 Corinth. I, 30. unoque verbo faciendo illum qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis, ut nos efficeremur juſtitia Dei in illo 2 Cor. V, 21. Verum hîc non debeo præterire inſignem Volkelii nequitiam

circa

Digitized by Google

circa locum Act. xx, 28. quem ita citat ac ſi de Patre non de Filio dixiſſet Paulus Deum acquiſiviſſe ſibi Eccleſiam ſuam *proprio ſuo ſanguine:* ubi ſanguis Chriſti illius acquiſitionis & noſtræ redemptionis *pretium* propriè dictum ſtatuitur. Locus enim iſte cùm tribuat Chriſto nomen *Dei* & cum articulo & ſubjectivè, ſudes eſt in oculis Socinianorum, qui malunt vim textui & ſuæ conſcientiæ facere, quam illius παρεργμήνειαν ad quamlibet occaſionē lectoribus ſuis non obtrudere. Verùm ſi ſanguis Chriſti *proprius ſanguis* Dei eſt dicendus quod Chriſtus ipſius ſit jure Dominii in omnes res creatas, etiam ſanguis taurorum & hircorum, qui fundebatur in ſacrificiis legalibus proprius Dei ſanguis pari jure erit appellandus, cùm etiam *ſuas* aſſerat omnes pecudes & beſtias Pſal. L, 10. 11. & quod fur surripit manu ſuâ dicetur quoque Deus propriâ ſuâ manu ſurripuiſſe, quia fur ille creatura eſt & ſubeſt Dei dominio: & dicetur Magiſtratus *propriâ ſua manu* decollaſſe homicidam, quia carnifex qui id fecit eſt Reip. miniſter & in Magiſtratus poteſtate. Eſt ſanè Chriſtus *proprius Dei filius* Rom. VIII, 32. ut Deus eſt *proprius* illius Pater Joh. V, 18. Sed nunquam ſanguis effuſus in remiſſionem peccatorum, proprius ſanguis Patris dicitur, ſed tantum Filii, ut Heb. IX, 12. XIII, 12. Et quoties aliquid dicitur factum ab aliquo, propriâ ſuâ manu, proprio ſuo oculo, proprio ſuo corpore, non poteſt de alio intelligi quam de eo cui talia ſubjectivè & immediatè, ceu partes quædam illius propriæ, conveniant.

Cùm igitur ipſe Deus] Antea dictum de hac ratione. Non repugnat Deum miſericorditer & ex ſua liberalitate pretium illud dependiſſe, quod ſuæ juſtitiæ pro nobis redimendis fuit exſolvendum; quemadmodum divinæ benedictioni & liberalitati acceptas ferre debebant Iſraëlitæ victimas, quas tamen illi pro ſeipſis offerre tenebantur. Ita Zaleucus Locrenſium Legiſlator, volebat de ſuo dare partem pretii à filio ſuo exſolvendi ob violatam ab iſto legem eam quam ipſe in adulteros tulerat; ut ſimul & ſuæ Legi ſatisfieret, & filium ſuum qui reus erat, pœnæ denunciatæ, ſi non ex toto, ſaltem ex tanto, ſubduceret.

Adde, quòd non ex Dei manibus, ſed ab iniquitatibus, (*Tit.* 2. 14.) à vana converſatione à patribus tradita, (1 *Petr.* 1. 18.) à legis maledictione, (*Gal.* 3. 13.) quæ peccati pœna erat, Chriſti ſanguine nos redemptos, ſive liberatos eſſe, paſſim in divinis literis videmus, quibus ſanè rebus nihil fuit perſolutum. Ut taceam, Paulum (*Epheſ.* 1. 7. *Col.* 1. 14.) *redemptionem* interpretari peccatorum remiſſionem, quam cum ſatisfactione penitus pugnare paulò antè oſtendimus.

† *Adde quod*] Pretium noſtræ redemptionis exſolutum fuiſſe Deo & divinæ juſtitiæ, vel inde liquet quod illi Chriſtus ſeipſum obtulerit in oblationem & victimam pro peccatis Eph. V, 2. Hebr. IX, 14. Deo quoque hoc λύτρον fuiſſe exſolvendum colligere eſt ex Pſal. XLIX, 7. 8. 9. 10. ubi videmus redempturam ad vitam æternam Deo non poſſe dari ex opibus terrenis, ac proinde dandam fuiſſe ex pretioſo ſanguine Chriſti, quo etiam, non auro nec argento, redempti

Digitized by Google

demptiaſſerimur 1 Pet. 1, 18 19. Nec officiunt illi veritati, quæ hic congerit adverſarius; Nam redimimur a peccatis & *iniquitatibus* noſtris Tit. 11, 14. & *à vana converſatione* πατροπαραδότῳ 1 Petr. 1, 18. ceu à cauſa meritoria illius ſervitutis & pœnæ, ex qua eximi debuimus: neque dubium quin redimi ex peccato, ſit eximi reatui & obligationi ad pœnam peccato aliàs infligendam. Redimimur item *à legis maledictione* Galat. III, 13. ideſt, ut etiam agnoſcit Volkelius, ab ea *peccati pœna* quæ per legem denunciabatur: Sed non potuimus redimi vel à peccatis vel à maledictione legis per Chriſtum, quin illam ipſam peccati pœnam loco noſtro ſuſtineret; unde dicitur factus fuiſſe & *maledictio*, & *peccatum* pro nobis: ut jam ſæpiùs monui. Et cùm æternis ac inviolabilibus juſtitiæ divinæ legibus Rom. 1, 32. ipſiuſmet hominis conſcientiæ naturaliter impreſſis, (unde conſcientiæ auxietas & tremor, & Nemeſeôs metus, poſt ſcelus admiſſum, & vetus apud omnes populos ſtudium Numinis propitiandi & placandi, & ſe liberandi ab illius ira; oblatis victimis & ſacrificiis, imo etiam ἀνθρωποθυσίαις; etſi in illis, ut pote inſufficientibus, animi nequirent acquieſcere, juxta illud Catonis Diſticographi, *Cum ſis ipſe nocens moritur cur victima pro te?*) maledictioni per legem denunciatæ & pœnarum æternarum reatui obnoxii & mancipati teneamur, nequivimus ab iſta maledictione & peccatis noſtris, quorũ quaſi vinculis eò rapiebamur, redimi & liberari, quin iſti juſtitiæ divinæ plenè ſatisfieret pro nobis. Jure autem Paulus Eph. 1, 7. Col. 1, 14. hanc redemptionem interpretatur *peccatorum remiſſionem*, quod ſanguinis Chriſti pretio, liberationem ab ira Dei & peccatorum reatu, ideſt eorum remiſſionem, à Deo conſequamur: Tantum enim abeſt ut hæc remiſſio *cum ſatisfactione penitùs* pugnet, ut è contrario ei penitùs innitatur. Quare bene Theophylactus *ad Eph. 1. Hoc eſt maximè tremendum, quod cæſo dilecto Filio ſuo, nos liberavit, qui invisi & odio obnoxii eramus, pretium redemptionis dans ſanguinem dilecti.*

Oblationem præterea ſive ſacrificium Chriſti magnum ſatisfactionis iſtius argumentum continere exiſtimant: quod quidem hoc pacto conſtituunt: Veteres, inquiunt, victimæ expiatoriæ Chriſti ſacrificii typum imaginemque geſſerunt, illudque adumbrarunt. (*Heb.* 8. 2. *& ſeqq.* 10. 1. *& ſeqq.*) Cum autem priſca illa ſacrificia ſatisfactionem pro peccatis continuerint, conſequens eſſe ajunt, ut ſimiliter & de Chriſti ſacrificio judicemus, quandoquidem par eſt, figuratum figuræ, adumbratumque umbræ ſuæ reſpondere.

‡ *Oblationem præterea*] Ut hoc argumentum amplius illuſtretur, meminiſſe oportet mortem Chriſti ſæpiſſimè nobis deſcribi inſtar ſacrificii Deo grati & acceptiſſimi Eph. v, 2. & in quo, ut in Noachi oblatione Gen VIII, 21. Deus odoratus ſit odorem ſuavem placamenti: quo reſpectu ſanguis Chriſti ſanguis fœderis dicitur, meliora potioraque loquens quam ſanguis Abelis Hebr. XII, 24. Hic enim ad Deum clamabat vindictæ cauſâ: At ille Deũ placat noſtris peccatis, ut pote effuſus in remiſſionem peccatorum pro multis Matth. XXVI, 28. quod abſque ſanguinis

ſanguinis effuſione non fiat remiſſio Hebr. IX, 22. prout ſub lege ſanguinem Deus deſtinaverat Iſraelitis in altari ad expiationem faciendam pro eorum animabus, eo quod anima cujuſque carnis in ſanguine ſit Levit. XVII, 11. Ideo Chriſto venienti in mundum adaptatum eſt corpus, in quo portaret peccata noſtra ſuper ligno Hebr. X, 10. 1 Petr. II, 24. Hinc ſæpiſſime mors Chriſti nobis deſcribitur per terminos à ſacrificiis legalibus deſumptos, & ipſe proponitur inſtar victimæ piacularis, portantis iniquitatem noſtram, & ita loco noſtro divinitùs ſubrogatæ, ut contigit in ſacrificio Iſaaci, cujus loco aries fuit oblatus per modum victimæ ſuccidaneæ Gen. XXII, 13. Huc autem faciunt plurima loca Scripturæ, Eſa. LIII, 10. Joh. I, 29. 1 Cor. V, 7. 2 Cor. V, 21. Hebr. IX, 14. 28. X, 14. 1 Joh. II, 2. Sed videamus, quid ad hoc argumentum reſpondeat Volkelius.

Hîc reſpondemus, nec omnia illa priſca ſacrificia expiatoria Chriſti ſacrificium adumbraſſe, nec ea, quæ adumbrârunt, quicquam cum ſatisfactione conjunctum habuiſſe. Ac illud quidem ideò, quòd ſacrificia, quæ ſtata non erant, ſed ex certa occaſione, aut ipſorum hominum voluntate pendebant, maximè ea, quæ pro privatis fiebant, majorem cum noſtris ſacrificiis, quàm cum ſacrificio Chriſti ſimilitudinem habent: quemadmodum & ſacerdotes, qui ſummo ſacerdoti ſuberant, quique hujuſmodi ſacrificia ferè offerebant, non Chriſto ſummo Pontifici, ſed nobis, qui itidem ſacerdotes ſumus, (*1 Pet.* 2, 5. 9. *Apoc.* 1, 6. *& c.* 5, 10. *c.* 20, 15.) reſpondent. Patet id, quod diximus inde, quod illa ſacrificia nec pro omnibus fiebant, nec ex mero Dei decreto, ſed ex hominum etiam ipſorum voluntate proficiſcebantur. In Chriſti autem ſacrificio utrumque contineri manifeſtum eſt. Sacra porrò expiatoria Chriſti ſacrificii imaginem habentia, erant ſtata, atque inprimis illa anniverſaria, quæ ſummus Pontifex ſemel quotannis in ſancta ſanctorum ingrediens peragebat; ut pote quæ & pro omnibus immolabantur, & nequaquam ab hominum arbitrio voluntateque, ſed à ſolo Dei decreto pendebant. Qua de cauſa diviniſſimus ille Autor Chriſti ſacrificium cum veteribus illis oblationibus conferens, nonniſi ad illud anniverſarium ſacrum, tanquam ad illius typum, reſpicit. (*Hebr.* 7, 27. 9, 7. 12. *& d. &* ℣. 25. *& c.* 10, 3. *& ſeqq. & c.* 13, 11. 12.)

‡ *Hic reſpondemus*] Utrumque membrum hujus reſponſionis falſum eſt: Ac ut de primo priùs dicam, nullum aliud ſacrificium adumbrare potuerunt *ſacrificia expiatoria* quam ſacrificium Chriſti, cùm ex ſacrificiis ſpiritualibus quæ habemus offerenda Deo, nullum ſit quod propitiatorium poſſit appellari, nec debeamus propitiationem peccatorum noſtrorum in ullo noſtro opere, ſed tantum in Chriſti ſanguine, quærere & collocare. Agnoſcit etiam Volkelius illa *pro privatis* oblata fuiſſe; at nullum eſt ſacrificium ſpirituale à nobis offerendum,

 quod

quod propriè *pro nobis* offeratur, cùm potius *de nobis* ſit offerendum Rom. XII, 10. & ſoli Chriſto convenit ſe Deo obtuliſſe *pro nobis*. Licet quoque illa *ſtata* non eſſent, ad illa tamen offerenda lege Dei ipſiuſque decreto tenebantur, quoties in conſcientia ſua convincebantur illius caſus propter quem erant præſcripta, ut ex eorum voluntate non abſolutè dependerint. Et dum in illis legalibus expiationibus *pro privatis*, commutationem & ſatisfactionem aliquam videtur adverſarius agnoſcere, eo ipſo videtur tribuere amplius noſtris ſacrificiis ſpiritualibus, & quod ſint ſuo modo ſatisfactoria, quam ſacrificio Chriſti pro nobis; quod impium eſt. Sacerdotes quidem ordinarii, *qui ſummo ſacerdoti ſuberant*, eatenus *non Chriſto ſummo Pontifici, ſed nobis, qui itidem ſacerdotes ſumus*, reſpondebant, quatenus Chriſtus ipſe nos Deo & cultui divino conſecravit, ut hoſtias ſpirituales Deo gratas & acceptas per Chriſtum ipſum offeramus; quò faciunt loca Volkelio citata ex 1 Petr. II, 5. 6. Apocal. I, 6. V, 10. (Apocal. XX, 15 nihil extat quod huc ſpectet: aliis tamen adde Rom. XII, 1. Hebr. XIII, 15.) Sed non quatenus aliorum ſacrificia mactabant & offerebant. Nam eo reſpectu ipſummet Chriſtum repræſentabant, ſeipſum offerentem pro aliis, & aliorum oblationes ſanctificantem & Deo gratas & acceptas ſuâ interceſſione facientem: Hebr. XIII, 15. 1 Petr. II, 5. Patet quod dico tum ex Levit. I, 3 4. 5. 7. tum ex Apocal. VIII, 3. ubi deſcribitur Chriſtus ſub imagine Sacerdotis Aaronici incenſum adolentis ad altare aureum: id enim non ſolius ſummi Sacerdotis fuiſſe, ſed etiam inferiorum, liquet exemplo Zachariæ Luc. I, 8. 9. Quod autem illa ſacrificia *non pro omnibus fiebant*, nihil facit contra nos: Nam ut ſacrificia quæ fiebant pro omnibus in communi, ſignificabant Chriſtum omnium ſuorum propitiationem facturum, ſic quæ fiebant pro ſingulis in particulari, denotabant ſingulos peccati conſcientiâ preſſos, propitiationem debere & quærere & conſequi in ſacrificio Chriſti; quod faciendum ſponte ac voluntariè, (non coactè,) & ex plena in Chriſtum fiducia. Nec ſequitur ideo alia ſacrificia *expiatoria* non præſignificaſſe ſacrificium Chriſti, in quantum erant ἱλαςικὰ, eo quod etiam illud adumbrarent ſacrificia *ſtata*, & ſacra *illa anniverſaria, quæ ſummus Pontifex ſemel quotannis in ſancta ſanctorum ingrediens peragebat.* Nihil enim obſtat quominus idem Chriſti ſacrificium variis ſacrificiis fuerit adumbratum, adeo ut illud ſignificarint ſacrificia ἱλαςικὰ, non *ſtata*, & *ſtata*, quotidiana, menſtrua, anniverſaria, quibus omnibus ſuâ morte ſuique oblatione finem impoſuit. Fateor quidem Apoſtolum in epiſtola ad Hebræos, ut Sacerdotium Chriſti multis paraſangis præferat ſupra Leviticum, potiſſimum conferre Chriſtum cum Pontifice Aaronico; Sed interea tamen etiam quandoque illi ea tribuit quæ ſunt omnium Sacerdotum, ut videre eſt Heb. VIII, 3. IX, 6. 12. X, 11. 12. Nec in iſta collatione ſpectat tantum ſolemne propitiationis feſtum, & quod tunc ſoli Pontifici proprium erat, ſed multa alia ſacrificia quæ à Pontifice ſic offerebantur, ut ab aliis quoque ſimilia offerrentur. Et præſertim, non ſolius erat Pontificis offerre in communi oblationes & ſacrificia & holocauſta illa pro peccato Hebr. VIII, 3. 4. X, 5 6. quibuſcum ibi confertur Chriſti oblatio, ſed omnium aliorum Sacerdotum; nec ſolius erat Pontificis, ſed etiam cœterorum, effundere ſanguinem taurorum & hircorum, quo cum confertur ſanguis Chriſti Hebr. IX, 12. 13. 14. Uno verbo falſiſſimum eſt vel nullo modo

Digitized by Google

conferri Chriſtum ab Apoſtolo cum Sacerdotibus gregariis, vel eum *nonniſi ad illud anniverſarium ſacrum*, quod in feſto propitiationis *peragebatur*, ceu unicum ſacrificii Chriſti *typum*, reſpicere: Nam cinis vitulæ ex qua fiebat aſperſio Hebr. IX, 13. ad illud anniverſarium non ſpectabat, & iſta aſperſio ſtata non erat, ſed ſuo modo *ab hominum arbitrio voluntateque* & *ex certa occaſione* pendebat.

Hoc verò totum ſacrificandi genus, (ut alterum quoque, quod aſſeruimus, doceamus) nullam continuiſſe ſatisfactionem inde conſtat, quòd 574
non ſolùm nulla cauſa eſt, cur hoc credamus: cùm ſummum de ea re apud divinos autores ſit ſilentium: verùm etiam maxima eſt cauſa, cur hanc ſententiam falſam eſſe nobis perſuadeamus. Nam vel in ipſiſmet victimis vim illam ſatisfaciendi fuiſſe, vel eam ex Pontificis perſona manaſſe credendum eſt. Verùm in eutrum cum vero conjunctum eſt. Ac prius quidem ideò, quòd nec tanta pecudibus cum homine aut æqualitas aut conjunctio erat, ut illis mactatis pro homine ſatisfieret; nec Deo ea res pretii loco perſolvi poterat, quæ jam illius erat; ut quidem & de univerſa terra, & omnibus brutis animantibus, ipſe Deus loquitur. (*Pſal.* 50. 8. *& ſeqq.*) Unde conſequitur, ſacrificia illa ſatisfactionem, per Chriſti ſacrificium præſtandam, non adumbràſſe. Semper enim in re adumbrante, aliquid ejuſdem generis, ſaltem analogi, cum eo eſt, quod adumbratur; licet hoc perfectum, illud imperfectum, eſſe neceſſe ſit. Quomodo enim, verbi cauſâ, ſc. pens æneus à Moſe erectus Chriſti exaltati figuram geſſiſſet, (*Ioh.* 3. 14.) niſi utrobique & exaltationis & ſanationis cujuſdam haberetur ratio? Sic victima victimam, oblatio oblationem, expiatio expiationem, ſacerdos ſacerdotem, ſacrarium terrenum ſacrarium cœleſte adumbrat. Cùm igitur, ut demonſtratum eſt, priſcæ illæ victimæ vim ſatisfaciendi minimè habuerint; ſequitur, nec eas ſatisfactionis typum ſive imaginem continuiſſe.

‡ *Hoc verò totum*] Hæc ſecunda exceptio Adverſarii ad noſtrum argumentum, eſt longè inſulſior: Quid enim abſurdius quam negare aliquam *continuiſſe ſatisfactionem*, ideſt revera expiatoria fuiſſe, ſacrificia expiatoria V. T? Nam quid eſt ſacrificium expiatorium, quam ſacrificiū piaculare, ἱλαςικὸν & propitiatorium, quo ira Numinis ſedatur, Deus ipſe placatur, & ἀμοιβὴ ſiſtitur loco rei pro ipſius peccato? An pertendes eſſe *ſummum de ea re apud divinos autores ſilentium*, quam tam expreſſis verbis explicant & conteſtantur? Docent enim iſta ſacrificia offerri ſolita fuiſſe pro peccato expiando, & loco ipſius peccatoris, qui ideo debebat manibus ſuis in caput victimæ inſiſtere quaſi vice ſui eam oblaturus & ſuo crimine oneraturus, Lev. 1, 3. 4. & alibi paſſim. Ut verò id dilucidiùs explicetur, debemus diſtinguere ſatisfactionem dupliciter; Primò in figurativam & realem, deinde quoad forum poli, ſive ſoli, & quoad forum poli: Fatemur equidem ſacrificia legalia *nullam continuiſſe ſatisfactionem* pro peccatoribus

realem & propriè dictam apud Deum in foro poli: cum anima hominis charior & pretioſior ſit quam ut beſtiæ ſanguine redimi poſſit: Debet enim eſſe aliqua proportio inter redimendum, & redemptionis pretium, quæ hîc propriè nulla obſervatur: Nec eſt Deus ſimilis vel Numinibus Ægyptiorum, quæ in victimis pictis loco verarum acquieſcebant; vel Numæ Jovi Elicio, qui contentus erat cæparum capitibus, cùm humana conſequi non poſſet; vel Judicibus Perſarum, quibus ſufficiebat vapulare togam ſontis, ut illi foret impune: nec unquam eſt acquieturus in ſolutione imaginaria, ubi realem exigit ipſius juſtitia Rom. 1, 32. Hinc Scriptura ſacra illam diſproportionem notat variis in locis; nominatim Pſ. L, 8. Heb. IX, 9. 13. X, 1. 2. 3. 1 Pet. 1, 18. 19. Sed interea tamen continebant 1. aliquam ſatisfactionem realem in foro fori; 2. ſatisfactionem figurativam & ſignificativam in foro poli. Utrumque probatur facillimè: Prius equidem, tum teſtimonio Apoſtoli dicentis Hebr. IX, 13. illa ſanctificaſſe pollutos homines, quantum ad puritatem carnis; tum etiam aſſertione Judæorum, ſtatuentium in victimis & ſacrificiis ſuis obſervari imagines quatuor ſuppliciorum capitalium apud ſuos infligi ſolitorum ex Dei Lege. Nam victimæ & vinciebantur & fune ad aram trahebantur, in imaginem ſupplicii illius quod *ſtrangulatione* peragebatur. Proſternebantur humi, inſtar eorum qui debebant *lapidari*. Jugulabantur in ſpeciem *decollationis*. Ac denique quod comburebantur vel ex toto vel ex parte in altari, ſpecimen quoddam erat *vivicomburii*. Igitur Deus, qui multis criminibus alterutrum ex quatuor iſtis ſuppliciis lege ſuâ deſtinaverat, paſſus eſt ſibi pro multis aliis ſatisfieri aliter quoad forũ externum in illa ſua Rep. cujus regimen Theocraticum erat; Etenim ne illa delicta quibus nullæ pœnæ corporales erant indictæ ſuâ Lege penitùs impunè abirent, voluit alicui ἀνταλλάγματι locum eſſe pro illis per victimas, quæ ipſorum reorum loco, ſupplicia, cæteroquin illis jure infligenda, ſuſtinerent. Poſterius verò evidenter liquet ex Heb. IX, 18. X, 1. Col. II, 14 & omnibus aliis Scripturæ locis quæ docent Sacrificia legalia, adumbraſſe & ſignificaſſe verã illam propitiationem quam in Chriſto conſequimur, ut tantum ex illis veteres obtinuerint in foro poli, quantum fides eorum per illa in rem ſignificatam ferebatur. Neque poſſint inficias ire Sociniani ſubſtitutionem aliquam factam fuiſſe pecudis offerendæ in locum peccatoris, cùm id diſertè conſtet ex Levit. XVII, 11. 14. Ne autem ſiſterent Iſraelitæ in illis victimis umbratilibus, ac ſi ex opere operato per illas liberarentur, ſæpè Deus teſtatur ejuſmodi ſacrificia (licet aliàs a ſe præſcripta) ſe averſari, eorũ nempe reſpectu qui illis propriè ſuam fœlicitatem & ſalutem adſcriberent; Quò faciunt varia loca Scripturæ 1 Sam. XV, 22. Pſ LI, 18 Eſ. I, 11. LXVI, 3. Mich. VI, 7. ac præſertim is qui citatur Volkelio, ex Pſal. L, 8. & ſeqq. ubi Deus teſtatur ſibi non grata eſſe iſtiuſmodi ſacrificia, (ſcilicet animo eo ipſi oblata,) quod illis non indigeat, & quibus, ſi illis egeret, poſſet uti immediatè & per ſeſe, cùm omnia animantia bruta terræ ſua ſint: Hæc eſt mens illius loci; non verò, ut retur Volkelius, quod neget Deus ullam typicam & ceremonialem ſatisfactionem in illis ſacrificiis præſtari pro peccatoribus, argumento inde ducto quod beſtiæ, quæ ipſi offerebantur, ſuæ eſſent; Nam de ſuo ſibi offerri & ſatisfieri poſſe, vel inde liquet, ut cœtera mittam, quod *proprii* ſui filii oblationem & nobis procuraverit, & pro nobis

Digitized by Google

nobis admiſerit. Equidem fateor quod *tanta pecudibus cum homine aut æqualitas aut conjunctio* non *erat, ut illis mactatis, pro homine ſatisfieret* verè & realiter in foro poli. Sed tamen tantum erat earum æqualitatis & conjunctionis cum hominibus, ut pro iſtis earum mactatione ſatisfieret ſignificativè & ceremonialiter; ut inſinuat Legiſlator dediſſe ſe ſanguinem ad expiationem faciendam pro animabus Iſraelitarum, eo quod anima cujuſque carnis in ſanguine ſit, Lev. XVII, 11. Hic enim ſervat Deus ſpeciem talionis: ut ſcilicet quia anima quæ peccaverit mori debet, veniat anima pro anima, ſicut ex talionis lege dens pro dente, oculus pro oculo debebatur. Jam verò cum longè major ſit Chriſti nobiſcum & *æqualitas* & *conjunctio*, quam olim pecudum cum Iſraelitis Epheſ. V, 30 Heb. II, 11. 14. eò plenior, verior & realior ejus ſatisfactio pro nobis eſt agnoſcenda. Nam quod hoc reſpectu deerat in pecudibus ad realem ſatisfactionem, cùm ſufficeret ad ceremonialem, pleniſſimè in Chriſto reperitur, ut vel ideo de plenitudine ſatisfactionis per ipſum præſtitæ pro nobis nefas ſit dubitare. Igitur ut quantum requirebatur ad ſatisfactionem ceremonialem & ſignificativam, ſtatui debet tum *in ipſiſmet victimis vim illam ſatisfaciendi fuiſſe*, tum *eam ex Pontificis perſona manaſſe*, (cùm hæc duo non debeant disjunctivè proponi, ac ſi eorum alterutri vis ſatisfactoria ſit imputanda, ſed ſumi debeant ad id ſimul & conjunctivè; quandoquidem ad illam requirebatur, 1 victimæ benè conditionatæ quædam ſaltem æqualitas & conjunctio cum peccatore; 2. ejus deſtructio & interitus; 3 dignitas ſufficiens offerentis, quæ illius unctione & veſtibus hieroglyphicis denotabatur) ita etiam plenitudo ſatisfactionis in Sacrificio Chriſti pro nobis, exurgit ex illis duobus ſimul, ideſt ex victimæ optimè conditionatæ æqualitate & conjunctione intima nobiſcum, & ex Pontificis perſona ac dignitate, qualis deſcribitur Hebr. VII, 26. 27. 28. Et ſane illa analogia, quam hic quærit Volkelius, qualis v. g. inter ſerpentem æneam & Chriſtum Joh. III, 14. in promptu eſt: Etenim adumbravit *victima victimam*; pecus mactata, agnum Dei occiſum ut tollat peccata mundi Joh. I, 29. *Oblatio* in ara & jugulatio victimæ, *oblationem* Chriſti in cruce & in morte 1 Pet. II, 24. *Expiatio* ceremonialis & quantum ad carnis puritatem, *expiationem* realem conſcientiarum noſtrarum a mortuis operibus Hebr. IX, 13. 14. *Sacerdos* Leviticus, *Sacerdotem* æternum ſecundum ordinem Melchiſedeci Pſal. CX, 4. *Sacrarium terrenum*, quod Pontifex Aaronicus ſubibat cum ſanguine victimarum in atrio oblatarum pro ſe & univerſo populo, *ſacrarium cœleſte* quod Chriſtus ſubiit interceſſurus pro nobis & jugiter repræſentaturus Patri ſuo vim & efficaciam ſacrificii ſui oblati in atrio univerſi, & ſanguinis ſibi effuſi in remiſſione peccatorum noſtrorum. Quod ſi *priſcæ illæ victimæ* nullam omnino *vim ſatisfaciendi* habuerunt, nullo etiam modo expiatoriæ fuerunt. Hoc verò poſterius cùm non auſit dicere Volkelius, nec deberet prius tam audacter ſtatuere.

Poſterius itidem falſum eſſe inde conſpicitur, quòd legalis ille Pontifex victimas quidem ſacrabat, ſeipſum tamen minimè Deo offerebat. Neque enim ulla alia ratione ex illius perſona ad victimas ſatisfaciendi vis redundare potuit. Ex quo fit, ut, quemadmodum ſatisfactio, quæ in perſolvenda pecunia conſiſtit, non illius, qui ſolvit, dignitate, ſed ipſo pecuniæ nu-

mero ac pretio ponderatur; ita & de victimis illis ſacerdotumque perſonis ſtatuendum ſit. Ex quo ſatis intelligitur, in ſacerdotis perſona nequaquam Chriſti ſatisfactionem fuiſſe adumbratam: propterea quòd, ut diximus, ea eſt rei adumbrantis natura, ut rei adumbratæ quandam contineat imaginem: cum alioqui typus illius ſive figura dici nequaquam poſſit.

‡ *Poſterius itidem*] Jam ante monuimus, fruſtra divelli hæc duo quæ ad ſatisfactionem conjungi debent, victimæ ſcilicet conditionem, & dignitatem Sacerdotis. Quod ſi *Pontifex victimas ſacrabat*, eas igitur acceptas & gratas ac ratas Deo faciebat, loco eorum pro quibus offerebantur. Neque favet Volkelio, quod Pontifex *ſeipſum tamen minimè Deo* offerret: Hoc enim fuit imperfectionis in illo cultu, quod Pontifex alienum ſanguinem offerret, Chriſtus verò ſuum obtulerit: Neque poterat ibi ut hic idem eſſe Sacerdos & victima: Quamvis & ſub Lege, illa identitas ſuo modo adumbrata fuerit, eâ conſtitutione quâ nemini præterquam Sacerdotibus licebat ex iis veſci quæ fuiſſent oblata pro peccatis aliorum, Numer. XVIII, 9. unde dicebantur comedere peccata populi Oſ. IV, 8. Sic enim Sacerdos convertens in ſui nutritionem & ſubſtantiam carnes illarum victimarum, in uno ſuppoſito victimam & Sacerdotem quadantenus repræſentabat. Et cùm Sacerdos victimas ſacrando, eas ad id redderet idoneas ad quod ex inſtituto divino erant deſtinatæ, eo ipſo illis conferebat, quod à parte ſua requirebatur ut vim ſatis faciendi obtinerent. Eſtque ridicula imaginatio Volkelii, quod *quemadmodum ſatisfactio quæ in perſolvenda pecunia conſiſtit, non illius qui ſolvit dignitate, ſed ipſo pecuniæ numero ac pretio ponderatur; ita & de victimis illis ſacerdotumque perſonis ſtatuendum ſit.* Abſurdè enim confert victimarum oblationem cum perſolutione pecuniæ: ſiquidem longè alia eſt ratio debitorum pœnalium, quam pecuniariorum: Nam in his ſola proportio Arithmetica venit obſervanda, adeoque non intereſt an herus an famulus numeret pecuniam; in illis verò proportio Geometrica debet attendi, adeoque non ſolum quid offeratur ad illa extinguenda, ſed etiam quomodo & à quo: Et nemo ſanus dixerit dignitatem ſacerdotalem nihil contuliſſe ad valorem ſacrificiorum; cum in Sacrilegia mera abiiſſent, ſi ab aliis quam a Sacerdotibus oblata fuiſſent. Adeoque quam certum eſt *in Sacerdotis perſona* Chriſti perſonam non minus fuiſſe adumbratam, quam in ipſis victimis, tam verum eſt in victimarum convenientium per convenientem Sacerdotem oblatione, *Chriſti ſatisfactionem fuiſſe adumbratam*: idque *propterea quod ea eſt rei adumbrantis natura ut rei adumbratæ quãdam contineat imaginem*; atque in illa victimarum piacularium per Sacerdotem idoneum oblatione legali, viva exhibetur imago Chriſti Servatoris ſemetipſum offerentis ad noſtra ſcelera expianda coram Deo.

Atqui olim Pontifex ille nihil minùs, ut oſtendimus, fecit, quàm offerendo, Deo debitum aliquod perſolvit; ſed id tantùm fecit, quo ritè peracto, ex Dei benignitate, ac promiſſione in fœdere comprehenſa, peccatorum leviorum remiſſio conſequebatur. Vnde ubique ferè additur: *Et remittetur*

Digitized by Google

remittetur ei, (*Lev.* 4, 26. 31. 35. & 10, 16. 18. & 6, 7.) id eſt, homini illi, pro quo ſacrificium confectum eſt, peccatum condonabitur; id quod omnem ſatisfactionem prorſus exterminat. Eodem igitur modo & de Chriſti ſacrificio judicandum eſt.

† *Atqui olim Pontifex*] Id omne partim ambiguum eſt, partim alienum. Nulla quidem talis victima legalis debebatur Deo jure naturæ; ſed jure poſitivo eò magis debebatur quod ordinata erat ſignificandæ veræ illi victimæ, ex qua omnis aliarum vis & ἐνέργεια pendebat. Nec tantum *conſequenter*, ad illarum victimarum oblationem Deus in foro poli remittebat peccata, quorum reatui inducendo deſtinabantur; ſed etiam *meritoriè* ex fœdere Euangelico & gratiæ, habito reſpectu non ad id quod erant, ſed ad id quod ſignificabant. Quare *remiſſio* per illas, erat quidem gratuita, quatenus ex Legis rigore ipſe homo mori tenebatur, nec ſuccidaneæ victimæ locus ſit niſi ex ἐπιεικείᾳ divina: *Ipſe adſum qui feci in me convertite ferrum* Sed tamen eatenus debita, quatenus deſtructione & interitu victimæ, loco illius pro quo offerebatur, ſolutum erat quod debebat, & ſatisfactum juſtitiæ divinæ, ut nihil deinceps haberet metuendum ex conſcientia ſui peccati. Itaque illa particula, *Et remittetur ei*, quam urget Volkelius, indemnitatem quidem promittit peccatori, ſed vi & efficaciâ ſatisfactionis ut typicè præſtitæ pro ipſo, in morte ſuæ victimæ ſubſtitutæ in ipſius locum, ita verè præſtandæ morte Chriſti, per illam ſuam pecudem ſignificati & adumbrati. Hic igitur triplicem errorem errat Volkelius: Primum quidem ſtatuendo intuitu victimarum oblatarum & vi earum Iſraelitas remiſſionem peccatorum fuiſſe conſecutos, quaſi ex opere operato, non attentâ vel ſide offerentium in Chriſtum exhibendum, vel ex parte Dei ipſius Chriſti futurâ paſſione illis victimis adumbratâ; quod διαῤῥήδην pugnat cum dicto Apoſtoli Hebr. IX, 9. X, 4. Secundum pertendendo quod remiſſio peccatorum promiſſa offerentibus hæc ſacrificia, pugnet cum ſatisfactione; cùm eam potiùs neceſſariò ſupponat; Nam remiſſio hæc idem eſt quod juſtificatio: Juſtificatio verò eſt actus forenſis, in quo non eſt locus acceptilationi, quæ ſolutio imaginaria dicitur ICtis: quare illa non proceſſit ex illarum victimarum acceptilatione, ſed quatenus in illis vera & realis ſatisfactio ſive ſolutio per Chriſtum præſtanda adumbrabatur. Tertium dicendo quod *eodem modo de Chriſti ſacrificio judicandum* ſit, quo de ſacrificiis legalibus: Quaſi ſacrificium Chriſti oppoſitè ad legalia in ſuo eſſe abſoluto conſiderata, non plus conferat ſub N. T. ad remiſſionem peccatorum conficiendam quam illa ſub V. idque iterum diſertè contra Paulum Hebr. VII, 22. VIII, 6. IX, 8. 9. 13. 14 15. X, 1. 2. 3. 4. Interea tamen ut *eodem modo* judicetur de Chriſti ſacrificio, quo de legalibus victimis, analogiâ ſervatâ inter typum ſive imaginem & rei ſignificatæ veritatem, facilè concedimus; imò hoc ipſum trahimus in rem noſtram, eò quod tanto potiori jure Chriſti mors ſit ſacrificium ἱλαστικὸν & propitiatorium propriè dictum, quantò ſolemniores illius figuræ & imagines in ſacrificiis propitiatoriis V. T. ex inſtituto divino præceſſerunt: Illa enim omnia erant umbra rerum futurarum, at corpus eſt Chriſti, Col, II, 17. Hebr. X, 1.

Et

575. Et quidem ut ſatisfactionem iſtam, quæ Chriſti morte perfecta ſit, ex ejuſdem ſacrificio concludi minimè poſſe apertiſſimè conſtet, illud meminiſſe oportet, non tunc Chriſti oblationem, & ſic etiam peccatorum expiationem abſolutam fuiſſe, cùm is in crucem tolleretur, ſed eam, poſtquam à mortuis excitatus in cœleſte tabernaculum ingreſſus eſt, perpetuò peragi: (*Heb.* 8, 1. 2. 4. & 9, 12. 24.) ut facilè appareat, oblationem expiationemque iſtam, ſatisfactionem in ſe minimè continere, (neque enim in cœlo cuiquam Chriſtus ſatisfacit) &, ſi contineret, nequaquam tamen ex eo, Chriſtum morte ſua pro nobis Deo ſatisfeciſſe, ullo pacto evinci.

‡ *Et quidem ut ſatisfactionem*] Duplici mendo Volkelius obſcurat veritatem; Primò quidem dum negat *Chriſti oblationem, & ſic etiam peccatorum expiationem*, peractam fuiſſe in morte Chriſti; Nam Scriptura conſtanter & mortem Chriſti illius oblationem appellat Eſa. LIII, 10. Eph. V, 2. 1 Pet. II, 24. & peccatorum noſtrorum remiſſionem tribuit ſanguini illius effuſo pro nobis Matth. XXVI, 28. Rom. III, 25. Eph. I, 7. Et ſanè cùm oblatio nihil aliud ſit quam victimæ immolatio & deſtructio, non video qui debeamus quærere Chriſti oblationem extra illius crucifixionem & mortem. Deindè cum fingit Chriſti oblationem *perpetuò peragi* in cœlo; Id enim tam abſurdè & falſò ſtatuitur, quam ineptè confunditur jugis repræſentatio oblationis ſimul & ſemel factæ, cum ipſamet oblatione: Sacerdos Leviticus ingreſſus Sanctuarium non ſine ſanguine, repræſentabat Deo ſanguinem effuſum in oblatione victimarum quæ fuerant mactatæ in atrio, & impoſitæ altari holocauſtorum; ſed in Sancto Sanctorum, propriè loquendo non offerebat. Adhæc oblatio Chriſti nobis deſcribitur in Scripturis tanquam ſemel pro ſemper peracta, Hebr. IX, 26. 28. X, 12. 14. At quod in cœlo *perpetuò peragi* dicitur, id ſimul & ſemel factum dici non poteſt. Quid quod Hebr. X, 12. oblatio Chriſti dicitur facta antequam conſideret ad dextram Dei & cœlum ſubiret; quia *προσενέγκας ἐκάθισεν*, *conſedit oblatâ hoſtiâ*, ſive poſtquam eam obtuliſſet. Et Hebr. IX, 25. 26. 27. 28. ſatis evidenter in morte Chriſti ipſiuſmet immolatio ad peccatum abolendum collocatur, addito etiam ſimili ſingulorum quibus conſtitutum eſt *ſemel mori*. Nec Apoſtolus aliam Chriſti oblationem agnoſcit præter eam in qua ſeipſum morti tradidit & ſanguinem ſuum effudit in remiſſionem peccatorum noſtrorum; maximè cùm inde probat, non debuiſſe Chriſtum *ſæpiùs* ſeipſum offerre, quoniam *alioquin oportuiſſet eum ſæpè paſſum fuiſſe à jacto mundi fundamento.* Et in textu originali Paulino dicitur Chriſtus ἅπαξ προσενεχθεὶς εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, quod factum fuiſſe in ipſius cruce diſertè Petrus aſſerit, dicendo quod τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον 1 Petr. II, 24. Adde quod Paulus apparitionem ſecundam Chriſti, quæ erit χωρὶς ἁμαρτίας, opponit primo illius adventui ad nos, in quo factus fuerat *peccatum* id eſt victima piacularis pro nobis, 2 Cor. V, 21. quod utique eſſentiam oblationis ſuæ evidenter deſcribit. Nec tam apertæ veritati evertendæ faciunt loca citata à Volkelio. Hebr. VIII, 1. 2. dicimur

dicitur Pontificē habere qui conſedit ad dextram Dei, & qui ſit ſanctuarii miniſter ac veri tabernaculi, quod Deus fixit & non homo; Sed inde non probatur eū nonobtuliſſe in terra ſacrificiū illud quod ſiſtit Deo, ſubiens Sanctuarium cœleſte: His quidē verbis præfertur Chriſtus Pontifici Levitico, qui Sanctuarium terrenū quotannis ſubibat, cum ſanguine alieno victimarum jam mactatarum & oblatarum in atrio, ut ſe nomine populi ſiſteret coram Deo conſidente inter Cherubinos gloriæ: Nam Chriſtus cum ſanguine ſuo ſemel effuſo & oblato in remiſſionem peccatorum pro nobis in atrio hujus mundi & extra portam, ingreſſus eſt Sanctuarium cœleſte, ubi jugiter repræſentatā vi & dignitate ſuæ oblationis ſemel peractæ, intercedit pro nobis. Interceſſio autem jugis Chriſti, ſive illius comparitio nomine noſtro in Sanctuario cœleſti, non impedit quominus ſe obtulerit in victimam piacularem pro nobis in ſua morte; imò id præſupponit evidenter; prout nec Pontifex Leviticus potuit eſſe miniſter ſive λειτουργὸς ſanctuarii terreni, ut illud ſubiret pro populo, quin priùs eas oblationes propitiatorias peregiſſet & victimas piaculares obtuliſſet in atrio, ſine quarum ſanguine Sanctuarium illud ingredi non poterat. Et hinc patet quo ſenſu dicatur Heb. VIII, 4. quem etiam locum citat Volkelius, quod ſi Chriſtus in terra foret, nequidem eſſet Sacerdos; non utique quod parte illâ Sacerdotii ſui non ſit defunctus in terra quæ in ſuimet oblatione conſiſtit, contra quam modò probatum eſt; ſed partim quoniam ſi manſiſſet in terra poſt ſuam mortem, nec ſubiiſſet Sacrarium cœleſte, eo ipſo oſtendiſſet ſe non eſſe ſummum noſtrum Sacerdotem: partim quoniam perdurante ex inſtitutione divina officio Sacerdotum Leviticorum *ſecundum legem* offerentium dona, nondum poſſet eſſe locus illius Sacerdotio, quod hujus poſitio debuerit eſſe abolitio illius: partim denique quoniam Chriſtus, cùm fuerit ex tribu Juda de qua nihil à Moſe conſtitutum quod ad Sacerdotium attinet Heb. VII, 14. non potuerit eſſe in terris Sacerdos ordinis Levitici, aut acceſeri *Sacerdotibus qui ſecundum legem offerunt dona.* Citat quoque Volkelius locum Heb. IX, 12. ſed contra ſeipſum: Dicit enim Apoſtolus Chriſtum per proprium ſanguinem, ut videlicet jam effuſus fuerat in ſui oblatione, ſemel ingreſſum fuiſſe in Sacrarium cœleſte, (cùm Pontifex Leviticus quotannis cum novo ſanguine, poſt iteratas oblationes ſuas, ſubire debuerit Sanctuarium terrenum) αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος: id eſt, cùm jam ſui oblatione in cruce, æternam redemptionem nactus eſſet: Nam ſanè ingreſſus Chriſti in cœlum non eſt ipſa inventio redemptionis æternæ, ſed conſequens inventæ redemptionis, quæ ſanguini & morti Chriſti, adeoque ejus oblationi propitiatoriæ, eſt adſcribenda; prout eodem capite docet Apoſtolus v. 14, 15. & tum Chriſtum ſeipſum per Spiritum Sanctum obtuliſſe cùm ſanguinem ſuum effudit, ad emundationē conſcientiarum noſtrarum, & mortem illius intercedere debuiſſe ad remiſſionem earum tranſgreſſionum quę viguerant ſub priori fœdere. Igitur Chriſtus dicitur ingreſſus in Sacrarium cœleſte per proprium ſanguinē, quod vi ſui illius ſacrificii cruenti, abſque quo nulla remiſſio fuiſſet ibid. v. 22 aditum ſibi fecerit in cœlum ad interpellationem jugem pro nobis: Nam qui interpellat pro aliquo debet dicere, *Redime eum, nec deſcendat in foveam, expiatione quam inveni* Job XXXIII, 24 Uno verbo in eo ſita eſt oblatio Chriſti pro nobis, in quo invenit redemptionem æternam, & jus interpellandi pro nobis in cœlo:

At in ſanguinis ſui effuſione & morte ſua hanc redemptionem invenit; Ergo ejus oblatio pro nobis, in ſanguine & morte illius collocari debet. Nec plus ineſt ponderis pro cauſa Volkeliana in altero loco Heb. IX, 24. Nam ingreſſus eſt Chriſtus *in ipſum cœlum* ut compareat pro nobis coram Deo, ideſt intercedat pro nobis; ſed eò ingreſſus eſt vi oblationis jam factæ in cruce, quâ ceu potiori victimâ, cœleſtia fuerunt reſeranda; ut idem Apoſtolus com. 23. & ℣. 25. ac 26. ut ante viſum, paſſionem Chriſti & ſui oblationem pro nobis, habet pro ſynonymis. Itaque quam largior adverſario Chriſtum *in cœlo* nemini ſatisfacere, tam jure [illegible]tendo *oblationem* ejus in cruce eo ipſo ſatisfactoriam fuiſſe, quod fuerit facta in remiſſionem peccatorum & propitiationem pro peccatis, Heb: IX, 22. Rom: III, 25. 1 Joh: I, 7. II, 2.

His omnibus adverſarii & illa Scripturæ teſtimonia addunt, quibus Chriſtum Dei hominumque mediatorem eſſe, peccatorum noſtrorum placamentum eſſe, per eum noſtram cum Deo reconciliationem factam eſſe comprobatur. (1 *Tim.* 2, 5. *Rom.* 3, 25. 1 *Joh.* 2, 2. & 4. 10. *Rom.* 5, 10. 2 Cor. 5, 18.) Verùm horum nullum ad ſatisfactionem iſtam conſtituendam quicquam habere momenti, ſigillatim ordineque docebimus.

‡ *His omnibus*] Quantum inſit ponderis huic argumento, patebit ex noſtris illius vindiciis adverſus exceptiones ſive potiùs eluſiones Adverſarii.

Primò igitur, Mediatorem eſſe nihil aliud ſignificat, quàm internuncii ſive interpretis officio fungi, per quem quiſpiam & fœdus alteri parti deferat, &, quid ab ea fieri velit, aperiat; veluti de Moſe accepimus, quem mediatorem veteris illius Fœderis fuiſſe divinæ literæ docent, (*Heb.* 8, 6. *Lev:* 26, 45. *Deut:* 5, 5. *Gal.* 3, 19. *vid. Exod.* 20, 19. *& d. c.* 24 *& d.*) quòd Dei verbis cum populo Iſraelitico fœdus illud percuſſerat, divinæque voluntatis rationem ei expoſuerat. Ipſe enim de ſe hunc in modum loquitur: (*d. l. Deut.* 5, 5.) *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, ut annunciarem vobis verba ejus.* Quæ quidem res quàm à ſatisfactione diverſa ſit, nemo, credo, non videt. Et quoniam Chriſtus eadem ratione mediatoris partes ſuſtinuit, ut ſuo loco docuimus, (*lib.* 3. *c.* 11. *& hoc lib. c.* 11.) quis hinc ſatisfactionem colligere audebit?

‡ *Primò igitur*] Quæ diſputavit hactenus de Moſe Adverſarius, refutata proſtant *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 730. & *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 10. *pag.* 71. *&* 72. & *hoc* 3. *tomo*, *lib.* 5. *cap.* 11. *pag.* 311. Uno verbo fingit gratis quod *Mediatorem* eſſe nihil aliud ſignificet, *quam internuncii ſive interpretis officio fungi per quem quiſpiam & fœdus alteri parti deferat, & quid ab ea fieri velit aperiat.* Etenim talem *internuncium* fuiſſe Moſem, haud gravatè concedo; eoque potiſſimum facere ipſiuſmet verba citata Volkelio Deut. v, 5. Sed primò nego uſpiam Moſem dici *Mediatorem.*

Digitized by Google

diatorem. Nam Deut. v, 5. dicit quidem Moſes ſe ſtetiſſe inter Jehovam & Iſraelitas in tempore illo ad referendum vel annunciandum ſermonem Jehovæ, quod illi valde ſibi metuerēt: Sed liberalior fuit Vulgatus interpres, inde Moſi tribuendo, quod fuerit *ſequeſter & medius* inter illos: Quin Alexandrini interpretes nihil amplius habent quam textus Hebræus; κἀγὼ εἱςήκειν ἀναμέσον κυρίου κὴ ὑμῶν, *& ego ſtabam inter Dominum & vos.* Heb. VIII, 6. Chriſtus μεσίτης appellatur præſtantioris pacti. Sed nec ibi μεσίτου nomen tribuitur Moſi, nec Chriſti miniſterium in ea functione opponitur à Paulo miniſterio Moſis, ſed miniſterio Pontificis. Levitici XXVI, 45. 46. commemorat Deus *fœdus* ſuum cum Iſraelitis pactum, & dicuntur hæc eſſe *ſtatuta, judicia, & leges quas dedit Iehova inter ipſum & filios Iſraelis ad montem Sinai per Moſem*, ſive per manum Moſis, ut habet textus originalis, & V. V. Sed id nihil facit ad æquandum Moſem Chriſto in elogio τοῦ μεσίτου. Optarunt etiam Iſraëlitæ ut Moſes internuncii officio ex Dei parte apud ipſos fungeretur Exod. XX, 19. quod Numinis præſentiâ & voce terrerentur; Sed id eum non fecit μεσίτην Dei & hominum. Locum Gal. III, 19. non de Moſe plurimi interpretes intelligunt ſed de Chriſto, unico Mediatore Dei & hominum 1 Tim. II, 5. Videatur locus citatus *tomo* 1. *lib.* 2. *cap* 10. *pag.* 730. ubi rationes reddidi cur ad Chriſtum non ad Moſem ſit referendus. Secundò etſi Moſes ſenſu diminuto μεσίτης dictus fuiſſet Gal. III, 19. fuiſſet tantum Mediator typicus & ſecundum quid, nec æquandus Chriſto in Mediatorio officio: cùm ille ſit κατ' ἐξοχὴν unicus Mediator, non ſolum μονόπλευρος, ut Moſes, ex parte Dei ad nos, ut nobis annunciet verba ejus; (hoc enim ſenſu plures Mediatores & Internuncii forent admittendi) ſed δίπλευρος, & etiam à parte noſtri apud Deum, illum placaturus, & nos ipſi reconciliaturus ſuo ſanguine: Unde etiam huic unico Mediatori noſtro tribuit Paulus, quod nec Moſi, nec ulli alii internuncio ac interpreti voluntatis Divinæ ad homines, tribui poſſet abſque blaſphemia, videlicet quod ſeipſum dederit ἀντίλυτρον pro nobis: Vide loca Rom. III, 34. 2 Cor. v, 18, 19. Col. I, 20. 1 Joh. II, 2. IV, 10. Tertiò Chriſtum *eadem* omninò *ratione Mediatoris partes* ſuſtinuiſſe cum Moſe, ut nihil amplius præſtiterit, quam quod Moſi tribuitur circa annunciationem Verbi Divini, eſt longè falſiſſimum: cùm Chriſtus quà Mediator non ſolum nobis annunciaverit voluntatem Dei, ſed etiam animam ſuam poſuerit victimam piacularem pro noſtris peccatis, & ſanguinem ſuum effuderit ad remiſſionem peccatorum noſtrorum conficiendam & promerendam: quod de Moſe nemo vel febricitans ſomniaverit.

Atque id magis etiam inde apparet, quòd Deus fœdere iſto novo, cujus Chriſtus mediator eſt, peccatorum condonationem nobis ſancivit. Inquit enim: *Propitius ero injuſtitiis eorum, & peccatorum iniquitatumque ipſorum non recordabor ampliùs.* (*Heb*: 8, 12. 16. 17.) Quid autem peccatorum remiſſio cum ſatisfactione commune habet?

‡ *Atque id magis*] Sed optimè convenire remiſſioni peccatorum cum ſatisfactione Chriſti, antea fuit demonſtratum: imò illam in hac fundari, tanto cer-

to certius eſt, quanto frequentius *ſanguini* Chriſti adſcribitur, ut Matt: XXVI, 28. Rom. III, 24. 25. Eph. I, 7. & liquidò conſtat nullam peccatorum remiſſionem abſque ſanguinis effuſione fuit Heb. IX, 22. Habet igitur novum fœdus, cujus Chriſtus eſt Mediator; ſanctionem & promiſſionem remiſſionis peccatorum, ſed obtinendæ in Chriſti ſanguine, & per ſatisfactionem ab ipſo præſtitam aut præſtandam pro nobis.

Jam quòd Chriſtus placamentum ſeu propitiatorium, Græcè ἱλαστήριον dicitur, (*Rom.* 3, 25.) ſatisfactionem iſtam minimè conſtituit: cùm non quia Deum iratum nobis placet, ſed quia eum jam placatum minimeque iratum eſſe teſtificetur, iſto nomine appellatus fuerit. Primò enim locus, in quo nomen iſtud Chriſto tribuitur, apertiſſimè de gratia Dei peccatorumque condonatione agit, eamque in omnes Chriſto fidem adjungentes ſummâ Dei liberalitate conferri docet. Deinde Apoſtolus in ea appellatione ad
576. arcæ operculum omninò videtur alludere, quod ſimiliter à Græcis Vet. Teſt. interpretibus ἱλαστήριον, ſeu propitiatorium, appellatum fuit: non quòd Deum iratum Iſraëlitico populo placaret, ſed quòd Deus eo in loco reſponſa populo dabat, quidque fieri ab illo vellet, per Moſen ſignificabat, & porrò ſuam erga eundem populum benevolentiam declarabat, (*Exod.* 25, 22. 30, 6. *Num.* 7, 9.) id quod in Chriſtum optimè quadrat; utpote per quem Deus voluntatem ſuam nobis aperiendo, ſeſe placatum ſive propitium, & noſtri valde amantem præſtitit. Quòd autem Apoſtolus dicit, Chriſtum in ſanguine ſuo placamentum conſtitutum fuiſſe; id ideò facit, quòd tunc veriſſimè Deus ſeſe nobis placatum præbuit atque oſtendit, cùm Filium ſuum unigenitum ſalutis noſtræ conſtituendæ cauſâ in truculentiſſimam mortem tradidit.

‡ *Iā quod Chriſtus*] Ut meliùs intelligatur iſte locus Rom. III, 25. ubi dicitur Chriſtus poſitus aut propoſitus à Deo ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, paulò fuſiùs de vocis iſtius ſignificatione eſt agendum: ἱλάομαι & ἱλάσκομαι propriè eſt *placo, propitium reddo*; quod ſi dicatur de hominibus per reſpectum ad Numen, intelligitur apud Gentiles fieri per ſacrificia & victimas, quæ Numinis iræ placandæ deſtinantur: Inde Homerus *iliad.* γ. dixit θεὸν ἱλάσκεσθαι, *placare Deum*, & *ilia.* β. ἔνθαδέ μιν ταύροισι καὶ ἀρνειοῖς ἱλάονται κοῦροι Ἀθηναίων. *Illic eam*, ſc. Deam, *tauris & agnis placant pueri Athenienſium.* Quoniam verò peccatis hominum provocatur ira Dei, hinc qui Numini ſacrificium offert propitiatorium, dicitur ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας, ut ea loquutio extat de Chriſto Heb. II, 17. quo etiam ſenſu Deus dicitur ἱλάσκεσθαι, ſcil. paſſivè, ταῖς ἁμαρτίαις vel ταῖς ἀσεβείαις ἡμῶν Pſal. LXIV, 3. LXXVII, 42. LXXVIII, 9. Ut autem utrumque hoc verbum Græcum reſpondet Hebræo כפר *hipper* in Pihel, quod eſt & *propitium reddere Deum peccatori, & Deum ſe peccatoribus propitium exhibere*,

exhibere, atque *peccata tegere*, *remittere*, *condonare*, à verbo *Chaphar* in Kal, *texit*, *operuit*, ita inde fit Primò nomen *Chapher*, quod ſignificat & λύτρον, *pretium redemptionis*, quo quis placat judicem vel hoſtem, ut vitam ſuam redimat ab illius ira aut juſtitia; quo modo redditur illa vox Exod. xxi, 30. xxx, 12. & ἐξίλασμα, munus placatorium ac redemptorium, ut redditur 1 Reg, xii, 3. Pſ. xlviii, 7. Secundò nomen *Chippur*, quod *propitiationem* & *expiationem*, Græcè ἱλασμὸν, καθαρισμὸν, ſignificat: & feſtum *Chippurim* in plurali eſt feſtum propitiationum, quod deſcribitur Levit. xvi. cujus ritus explicantur in tractatu Thalmudico *Ioma*. Huc refer vocem *Chapparath* ejuſdem ſignificationis, quâ utuntur Judæi, cùm affectum ſuum inſignem erga aliquem teſtaturi, dicunt *Sim ego Chapparath, expiatio illius*, ideſt, ut ipſe ponatur redemptio vel redemptionis pretium, λύτρον, pro illo, interprete Rambam apud Buxtorfium in *Lexico Thalm. ad hanc vocem*. Tertiò nomen *Chapporeth*, quo deſignatur *tectorium* ſive operculum Arcæ fœderis, ex auro puro factum; & à Græcis interpretibus frequenter ἱλαστήριον redditur, quos in eo Paulus eſt imitatus Heb. ix, 5. Hoc autem nomine appellabatur illud Arcæ operculum, cui Deus inſidebat, tribus de cauſis; Primò quod tegeret Arcam fœderis & tabulas Legis in ea reconditas, ad ſignificandam remiſſionem & propitiationem admiſſorum in Dei Legem; Secundò quod Deus ibi ſe placari & propitiari pateretur ſuo populo & peccatis illius, eâ reſperſione ſanguinis ad hoc operculum quæ commemoratur Levit. xvi, 14. Tertiò quod Deus ibi conſequenter ſe propitium & placatum ſuo populo exhiberet. Jam autem his poſitis quæritur quo ſenſu Chriſtus poſitus vel datus in ἱλαστήριον dicatur: Pertendo itaque hîc duo infallibilia, contra Volkelium; Primò non neceſſariò Paulum Rom. iii, 25. reſpexiſſe ad operculum Arcæ; Secundò hoc etiam poſito, ſatisfactionem Chriſti in arce reponendam. Primum quod attinet, etſi plerique Interpretes affirmativam hîc tueantur, graves tamen ſunt rationes, vel dubitandi, vel etiam definiendi in contrarium; Etenim quoties ἱλαστήριον ſumitur pro operculo Arcæ, eſt neutrius generis. Sed juxta nonnullos Interpretes hîc loci, vel eſt fœminini generis, & propitiationem denotat, ut habent multi codices V. V. vel juxta alios ejuſdem V. V. codices eſt generis maſculini & *propitiatorem* ſignificat. Itaque vocem Syriacam חוסיא hoc loco & Tremellius & Bóderianus *propitiatorem* reddunt. At ubi pro operculo Arcæ ſumitur, ut Heb. ix, 5. vox Græca & Syriaca, redditur ab interpretibus neutro genere *propitiatorium*. Jam autem ſi Chriſtus dicatur à Paulo ἱλαστήριος, ideſt *propitiator*, Eraſmus *reconciliatorem* interpretatur, ſive is qui munus & vim habet Deum placandi peccatoribus ſuo ſanguine, & homines Deo reconciliandi, in eo nullus erit tacitus reſpectus ad Arcæ operculum. Deinde retento etiam neutro genere, Chriſtus ἱλαστήριον dicetur Paulo, quo ſenſu alibi & ἱλασμὸς & λύτρον appellatur, ideſt revera non tam *Chapporeth*, quod eſt nomen operculi Arcæ, quam *Chopher*, *Chippur*, & *Chapparah*; Nam ἱλαστήριον propriè illud eſt cui ineſt virtus & efficacia Deum placandi ac propitiandi, expiandique peccata, atque divinæ juſtitiæ pro illis ſatisfaciendi; Ideo multi Interpretes Paulinum locum explicando non reſpexerunt ad operculum Arcæ, ſed ad ſacrificia ἱλαστικὰ & expiatoria V. T. in quibus *pro delictis*, ut loquar cum Poëta, *hoſtia blanda fuit*. Et ſanè quo ſenſu Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus dicitur factus *peccatum pro nobis* 2 Cor. v, 21. ideſt victima piacularis pro noſtris peccatis, eodem dici poſſet factus nobis in ſuo ſanguine verum ἱλαςήριον, ideſt ſacrificium ἱλαςικὸν propriè dictum, & κριὸς τȢ ἱλασμȢ, aries expiationis vel expiatorius, ut habent Græci interpretes Num. v, 8. Hinc exemplariũ V. V. Rom. III, 25. nulla habent *propitiatorium*, ſed alia *propitiatorem*, ut Eraſmus *reconciliatorem*, alia *propitiationem*. Caſtallio & Beza non habent *propitiatorium*, ſed *placamentum*; cui reſpondent Hiſpani *aplacacion*, Itali *purgamento*, Belgarum *verſoening*; cùm hi aliàs Arcæ operculum conſtanter *verſoendekſel* appellent. Origeni inter Veteres, ita indifferens eſt, ſive *propitiatorium*, ſive *propitiationem*, ſive *propitiatorem* Chriſtum dici intelligamus, ut tamen nihil dicat de Arcæ operculo, ſed eâ occaſione tantũ explicet *de divinis legibus, quæ ſit propitiatio quæ per ſanguinem fiat, & oſtendat Chriſtum eſſe & propitiatorium & pontificem & hoſtiam quæ offertur pro populo*, & conferat cum hoc Pauli loco dictum 1 Joh. II, 2. in quo ad Arcæ operculum non reſpicitur. Chryſoſtomus *ad hunc Pauli locum*, nihil obſervavit alluſionis ad operculum Arcæ, ſed tantum ad ſacrificia ἱλαςικὰ V. T. *Propterea enim dicit* (inquit) *in illius ſanguine; in memoriam illis reducens & oves illas & vitulos: Quod ſi enim irrationabilium animalium inquit, mactationes peccata diluunt, multo magis hic ſanguis: Et obſerva quomodo non ſimpliciter dicat per emptionem, ſed per redemptionem, ne videlicet denuo in eandem ſervitutem relabamur: Idem verò facit quod dicit propitiationem. Si enim typus tantum valuit, multo magis ipſa veritas iſtud exhibebit.* Ita Primaſius, ad illa verba *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*, hæc habet: *In promptu poſuit quia gratis dat, ut nec deſperet aliquis nec de ſuis meritis extollatur, quia propitiatio & remiſſio peccatorum per ſanguinem Chriſti collata, in cujus typo in Veteri Teſtamento, pro peccatis populi victimarum ſanguis offerebatur.* Hæc ſanè ſententia ſi valuerit, ut cum pluribus reddamus hic vel *propitiatorem*, vel *propitiationem*, concidit ſuapte quicquid hic garrit Volkelius de Arcæ operculo & nomine illius. Quia tamen multis interpretibus placuit, Theodoreto, Theophylacto & aliis, Paulum hoc loco alluſiſſe ad Arcæ operculum, obſervo juxta hanc ſententiam illo nomine Chriſtum dici non tantum quod Deum *jam placatum minimeque iratum nobis teſtificetur*, & per eum *Deus voluntatem ſuam nobis aperiendo, ſeſe placatum ſive propitium & noſtri valde amantem præſtitit*, ſed quod in Chriſto per ſanguinem illius, quo totus conſperſus fuit ſeipſum offerendo pro nobis Eſ. LXIII, 2. vera & plena nobis obtigerit apud Deum propitiatio & remiſſio peccatorum; unde fit ut ſolidâ, puriſſimâ, plenâ & verè aureâ illius obedientiâ præſtitâ pro nobis Deo Patri uſque ad mortem crucis, omnia noſtra delicta in Legem contegantur, & nunc in Chriſto & per illius ſatisfactionem & meritum, Deum faventiſſimum & placatiſſimum experiamur. Hoc dicunt & docent noſtrates Belgæ *ad illum Pauli locum*, & vocem hanc quam *verſoeninge* ſive *propitiationem* interpretantur: Ita enim habent ſi Latinè mentem eorum explicavero. Græcè, ἱλαςήριον ideſt, *ut ſit propitiator, nempe miſerorũ peccatorum. Reſpicit hic Apoſtolus ad thronũ gratiæ ſive propitians* (aut propitiationis) *operculum* (id enim ſonat Belgicũ *Verſoendekſel*) *ex auro obryzo factum quo contegebatur Arca fœderis, in qua tabulæ legis erant reconditæ, quod etiam* ἱλαςήριον *appellatur* Heb. IX, 5. *eratque typus præſignificans Chriſtum*

Chriſtum ſuâ puritate & obedientiâ noſtras transgreſſiones adverſus legem coram Deo contecturum, noſque cum Deo reconciliaturum. Concinit Theodoretus; *Docet divinus Apoſtolus verum propitiatorium eſſe Dominum Chriſtum: Illud enim vetus, cujus typum expreſſit. Convenit autem hoc nomen ei tanquam homini, non tanquam Deo; Tanquam Deus enim ipſe reſponſum reddit per propitiatorium; Ut homo autem hanc etiam appellationem recipit, ſicut & alias, ut ovis, & agnus, & peccatum, & maledictum, & quæcunque ejuſmodi. Et antiquum quidem propitiatorium erat ſanguinis expers, quoniam erat etiam inanimatum; ſanguinis autem hoſtiarum guttas recipiebat. Dominus autem Chriſtus & Deus eſt & propitiatorium & pontifex & agnus & in ſuo ſanguine noſtram ſalutem procuravit, (veluti quoddam redemptionis pretium, ſuum corpus offerendo,* ut paullò ante dixerat) *ſolam à nobis fidem exigens.* Sic & Theophylactus; *Propitiatorii & ſanguinis meminit, ut perſuadeat Iudæo, quod per Chriſtum remiſſio & juſtificatio fiat: Si enim tu, inquit, ſanguine pecudum dilui peccata credidiſti, multo magis id ſanguine Chriſti fiet. Ac ſi propitiatorio legali tantum roboris fuerit, ut peccata extinxerit, cùm tamen umbra ac typus Chriſti extiterit, multo magis veritati ipſi tantum virium eſt relictum.* Quocunque igitur ſe converterit Volkelius, non poterit in hoc nomine vitare quin agnoſcat Chriſtum ideo ἱλαστήριον appellari, quod ſuo ſanguine propitiationem & expiationem fecerit peccatorum noſtrorum, ſeipſum dando in *Copher* & λύτρον pro nobis, adeoque ſuâ ſatisfactione Deum noſtris peccatis iratum placando, noſque ipſi ſolidè reconciliando. Agit quidem ille Pauli locus *in quo nomen iſtud Chriſto tribuitur, de gratia Dei peccatorumque condonatione;* ſed & hæc & illa juxta Apoſtolum nititur eâ propitiatione adeoque & ſatisfactione pro peccatis, quam in Chriſto & illius ſanguine conſequimur: Ideo dicit Apoſtolus Chriſtum propoſitum nobis eſſe à Deo ἱλαστήριον, primum in ſanguine ſuo, deinde πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ com. 16. quod falſum foret & fruſtra diceretur, niſi juſtitiæ divinæ pro noſtris peccatis, ut citra illius læſionem, horum gratuitam condonationem poſſemus conſequi, plenè ſatisfactum fuiſſet Chriſti expiatione, ſanguine & merito. Itaque & ſuo ſenſu ἱλαστήριον V. T. *Deum iratum Iſraelitis* placabat, nempe typicè & per illam aſperſionem ſanguinis, cujus ante meminimus, & Chriſtus id verè & realiter præſtitit ſuo ſanguine, in quo & per quem, & noſtrum ἱλαστήριον & noſter ἱλαστήριος, & noſter ἱλασμὸς pleniſſimus eſt apud Deum. Non negamus quidem etiam Arcæ operculum hoc nomine inſignitum, quod Deus ex illo, ſe populo ſuo propitium & placatum exhiberet; Sed pertendimus hanc non eſſe ſolam hujus nominis rationem; cùm per prius ita dictum fuerit, quod Deus ibi placaretur & propitiaretur illius ſanguinis aſperſione, quo præſignificabatur ſanguis Chriſti, qui appellatur ſanguis aſperſionis Heb. XII, 24. diciturque potiora loqui quam ſanguis Abelis: Nam, ut habet Cyrillus apud Theophylactum, *ſanguis Abelis clamavit adverſus occiſorem, Chriſti autem ſanguis pro nobis loquitur ad Patrem:* ille Dei vindictam & iram provocabat, hic fuſus in ὀσμὴν εὐωδίας Eph. V, 2. eam ſedat & placat. *Quod autem Apoſtolus dicit Chriſtum in ſanguine ſuo placamentum conſtitutum fuiſſe, id ideo* non *facit*, ut falsò aſſerit Volkelius, *quod tunc veriſſimè Deus ſe nobis placatum præbuit atque oſtendit, cùm Filium ſuum unigenitum*

buit atque oſtendit, cum Filium ſuum unigenitum ſalutis noſtræ conſtituendæ cauſâ in truculentiſſimam mortem tradidit; ſed potiùs quod illo ſanguine ſui Filii, potiora clamante quam ſanguis Abelis, placatus fuerit. Si enim antecedenter ad Chriſti mortem Deus nobis placatus & reconciliatus fuiſſet, quid opus fuiſſet ut Pater proprio ſuo Filio non *parceret* pro nobis Rom. VIII, 32. eumque ſubjiceret maledictioni Legis ſuæ Gal. III, 13. & faceret *peccatum* pro nobis, ſive victimam piacularem pro peccatis, ut eſſemus juſtitia Dei in ipſo 2 Cor. V, 21. Quid item opus fuiſſet ut Filius animã ſuam exponeret ſacrificium pro reatu noſtro Eſ. LIII, 10. & ſanguinem ſuum effunderet in remiſſionem peccatorum noſtrorum? Matt. XXVI, 28. Et certè Apoſtolus ſanguinem Chriſti proponit, non ut effectum ſed ut cauſam placati Numinis, & propitiationis peccatorum noſtrorum: Nam eum ἱλαστήριον proponit in ſuo ſanguine: Sive ergo ſumatur id nominis maſculinè, *propitiatoremque* ſonet, ſive ſumatur in neutro genere, ut ſit *propitiatorium*, Chriſtus erit revera author, effector, & cauſa propitiationis & placationis divinæ: Et ſicut propitiator nemo eſt niſi qui placat & propitium reddit, non verò is qui propitium oſtendit & declarat; aliàs enim quilibet præco Euangelii, ἱλαστήριος eſſet dicendus; ita propitiatorium abſolutè id ſonat cujus vi & efficaciâ, non indicatur ſed conficitur propitiatio & placatio Numinis: Ita σωτήριον dicitur id quod habet vim ſalvificam, & ſalutem efficit, non tantum indicat; & καυτήριον non quo oſtenditur uſtio ſed quo fit; & καθαρτήριον, non quod indicat purgationem ſed quod eam operatur. Nec placamentum poteſt uſurpari pro indicio placationis quæ præceſſerit, ſed pro eo ipſo cujus vi & intuitu quis placatur & redditur propitius; ut medicamentum, non eſt indicina vel conſequens medicationis quę jam fœliciter proceſſerit, ſed ipſummet pharmacum quod ad medicationem faciendam adhibetur. Sed ita malunt Sociniani omnes vocum nativas & genuinas ſignificationes ſubjicere, quam Deo gloriam dare & vim veritatis agnoſcere.

Quòd verò Chriſtus apud Joannem ἱλασμὸς ſeu propitiatio pro peccatis dicitur; (1 *Ep.* 2, 2. c. 4. 10.) animadvertendum eſt; vocem illam apud Græcos interpretes Vet. Teſtamenti, creberrimè Expiationem denotare ut verbum, unde fluit, Expiare: cujus rei exemplum habes etiam Heb. 2. (*v.* 17.) ubi Chriſtus in cœlis jam degens dicitur ἱλάσκεσθαι, ſeu expiare peccata populi, hoc eſt, eorum reatum ac pœnam tollere. Quare id dicere vult Joannes, Chriſtum eum eſſe, per quem peccata noſtra expientur, noſque ab eorum reatu ac pœna liberemur. Et in priori quidem loco ſermo eſt de Chriſto apud Patrem in cœlis exiſtente: in poſteriori de effectu ingentis charitatis, quâ nos Deus prior complexus fuerit, qui eſſe non potuit, efficere, ut à Chriſto placaretur, & ex irato propitius nobis redderetur.

‡ *Quod vero Chriſtus*] Circa hæc duo loca Johannis I, II, 2. IV, 10. non debemus diu immorari: Nam quo ſenſu Paulus Chriſtum ἱλαστήριον modò vocabat,

vocabat, eodem Johannes eum appellat ἱλασμόν; ideſt ipſammet propitiationem pro peccatis noſtris: ἱλασμὸς autem eſt quia ſeipſum dedit hoſtiam ἱλαστικὴν & expiatoriam peccatorum noſtrorum. Largior ergo Volkelio quod ἱλασμὸς denotet expiationem peccati, ſed dico eã denotare quæ fiat interventu alicujus ſacrificii expiatorii, in quo Deus gratum odorem placamenti odoretur, ut de ſacrificio Noachi dicitur Gen. VIII, 21. Adeoque ἱλασμὸς ille qui in Chriſto eſt in ejus ſanguine pro nobis fuſo eſt conſtituendus; ut etiam modò ex Paulo audivimus. Largior etiam ultrò, Joannem velle dicere *Chriſtum eum eſſe per quem peccata expientur noſque ab eorum reatu & pœna liberemur*: Sed addendum, Chriſtum id præſtare ſuo ſanguine & ſuâ morte, reatum noſtrum in ſe ſuſcipiendo, pœnam nobis debitam ſuſtinendo, & peccata noſtra portando in corpore ſuo ſuper ligno, Eſ. LIII, 4. 6. Joh. I, 29. 1 Pet. II, 24. Ideo enim ἱλασμὸς appellatur, quia eſt victima piacularis peccatorum noſtrorum ſuo illo unico ſacrificio, in quo mactatus eſt & ſanguinem ſuum effudit ad peccatum auferendum Heb. IX, 14. 26. 27. 28. Id quoque verum quod Chriſtus ἱλασμὸς dicatur Johanni eodem ſenſu quo Heb. II, dicitur ἱλάσκεσθαι peccata populi, & ſeipſum præſtando ἱλασμὸν pro peccatis noſtris, Deum nobis placare & propitium reddere; Sed longè falſiſſimum eſt quod dicatur id præſtare *in cælis jam degens*: Hoc enim non ſomniavit Apoſtolus, cui non alia meus quam docere Chriſtum per omnia ſuis fratribus ſimilem debuiſſe fieri, (qualem nunc eum negant Sociniani in cœlo) ut evaderet πιστὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν Θεὸν εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ, quod fecit ſuâ morte & paſſione: Addit namque Apoſtolus, *In eo enim quod perpeſſus fuit cùm tentatus eſt, poteſt & iis qui tentantur ſuccurrere.* Unde Theodoretus *ibi*; *Oſtendit ſalutarem ejus mortem, fuiſſe oblationem: pro univerſa enim creatura quod ſumpſit corpus obtulit.* Falſum itidem Joannem *in priori loco* loqui *de Chriſto apud Patrem in cœlis exiſtente*, ut ſcilicet ſtatuatur in cœlis facere ἱλασμὸν peccatorum noſtrorum. Certè Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, quatenus Deum, ſatisfaciendo pro illis, eo uſque placavit, ut nulla ampliùs ſubſit condẽnatio iis qui ſunt in Jeſu Chriſto Rom. VIII, 1. Sed illam propitiationẽ expiandis peccatis noſtris deſtinatã, fecit in cruce, ſic tamen ut ejus vim & efficaciam, nobis applicet & applicandam obtineat jugi ſuâ interceſſione in cœlo: Itaque de Chriſto quidem qui jam eſt in cœlo, & noſtrum ibi agit advocatum apud Patrem, dicit Johannes quod ſit propitiatio pro peccatis noſtris, non quò doceat eam propitiationem facere Chriſtum in cœlis; ſed quò doceat quod ſi peccaverimus ex infirmitate, Chriſtus ſit nobis tantò certiùs ſuâ interceſſione apud Patrem impetraturus peccatorum noſtrorum remiſſionem, quantò verius eſt illum eam nobis meritum ſuâ morte, in qua factus eſt & ἱλαστήριον noſtrum, & ἱλασμὸς verus, efficax & æternus, pro peccatis noſtris: Igitur hoc poſterius proponit Apoſtolus in prioris fundamentum, ut nulli dubitemus eum jam viventem & regnantem in cœlo, ſuâ interceſſione nobis procuraturum remiſſionem peccatorum noſtrorum, ſiquidem ea jam olim pleniſſimè expiavit ſuâ morte: In quo imitatur Johannes ratiocinationem Pauli Rom. V, 9, 10. *Juſtificati nunc eius ſanguine, ſervabimur multo magis per eum ab ira illa; Nam ſi quum inimici eſſemus reconciliati fuimus Deo per mortem*

mortem Filii ejus, multo magis reconciliati ſervabimur per vitam ipſius; Item Rom. VIII, 32 *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus is eſt qui mortuus eſt: in ò verò qui etiam ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Vult ſcilicet Iohannes ut à Chriſto nunc expectemus cum fiducia quod minus eſt, nempe interceſſionem favorabilem pro nobis, eo quod præſtitit quod longè majus eſt cùm factus eſt peccatum & maledictio pro nobis, adeoque propitiatio pro peccatis noſtris. Nec ſi in *poſteriori* loco, nempe 1 Ioh. IV, 10. ſermo eſt *de effectu ingentis charitatis, quâ nos Deus prior complexus fuerit,* inde ſequitur, quod is ergo eſſe non potuerit *efficere ut à Chriſto placaretur, & ex irato propitius redderetur.* Nam ſanè ita Deus dedit nobis Chriſtum in ἱλασμὸν ex amore immenſę benevolentię quo nos voluit ereptos barathro perditionis & miſeriæ noſtræ, ut tamen amore complacentiæ non potuerimus diligi, & ſalutis æternæ fieri conſortes, niſi illo per mortem ſui Filii placamento interveniente; atque ſic Chriſto diluente & expiante peccata noſtra, quæ ſemper Deus odit, & nos Deo exoſos reddunt, faciuntque ſeparationem inter Deum & nos Eſ. LIX, 2. Et certè ſicut Deus dederat Iſraëlitis pecudes & victimas quas ipſi offerrent in ſacrificia ἱλαςικὰ, ad iram ejus placandam, & propitium illum ſibi reddendum, ita nobis gratificatus eſt ſuum Filium in victimam piacularem, in quem, ut ſatisfieret ſuæ juſtitiæ, & noſtra ſcelera, quæ diſterminabant inter ipſum & nos, plenè expiarentur, fecit ut incurreret in eum pœna omnium noſtrûm, inquit Propheta Eſ. LIII, 6. Sed hoc eſt πρῶτον ψεῦδος Socinianorum, quod perpetuò opponant ceu ἀσύςατα, quæ inter ſe amiciſſimè conſpirant & ſunt omninò componenda; nempe Dei gratia & benevolentia ex qua nobis Filium ſuum in λυτρωτὴν & ἱλαςήριον largitus eſt, & veritas τῆς ἀπολυτρώσεως per Chriſtum præſtitæ ac ἱλασμȣ̃ in ejus ſanguine peracti. Nec propriè Deus, qui eſt immutabilis Mal. III, 6. Jac. I, 17. *ex irato* in propitium & placatum mutatus eſt; Sed per Chriſti ἱλασμὸν & propitiationem peccatorum noſtrorum, inducta & ſublata eſt cauſa meritoria ſuæ iræ & vindictæ, quæ aliàs certò nos manebat, & poſitum eſt fundamentum indubitatū ſui favoris & ſuæ beneficentiæ ſalutaris, cujus aliàs nullos effectus percipere potuiſſemus.

Verùm, ut demus illud, quod falſiſſimum jam eſſe oſtendimus, Chriſtum nimirum Deum nobis placaſſe: nequaquam tamen ſatisfactio inde rectè concludetur: cùm ad quempiam placandum ſatisfactio non ſit neceſſaria. Fieri namque poteſt, ut quis vel precibus, vel perſuaſionibus ita permulceatur, ut de ſuo jure penitùs concedat, & porrò nulla ſatisfactione indigeat.

‡ *Verùm ut demus*] Negare Deum nobis propitium factum in Chriſto, adeoque *Chriſtum Deum nobis placaſſe*, eſt Euangelium abnegare: Nec ſi homines quandoque patiuntur ſe *precibus & perſuaſionibus* demulceri, quæ tamen in ſe, ſi reverà offenſi fuerunt, ſpeciem aliquam habent ſatisfactionis, potuit Deus placari abſque ſatisfactione condigna: quia juſtitiæ ipſius naturali repugnet peccatum planè impunitum abire, Rom. I, 32. De hoc *ſuo jure*, cùm ſit immutabile,

bile, nequit *penitùs* concedere, ut ſeipſum abnegare non poteſt, aut juſtum ſuum dominium in Creaturas abdicare: *An judex totius terræ non exerceret jus?* Gen. XVIII, 25. Abſit ab eo ut remittat peccatum niſi ablatum reſtituatur, & ſuæ juſtitiæ planè ſatisfiat; prout eam ſatisfactionem Chriſti ἱλασμὸς omninò importat; Nec enim placavit Deum *precibus & perſuaſionibus*, ſed pretio & ſanguine 1 Cor. VI, 20. 1 Pet 1, 18, 19. Nec Chriſtus factus eſt pro nobis ἱλασμὸς & *Chippur*, niſi quatenus ſeipſum dedit *Chopher*, λύτρον, ἀπόλυσιν, & pretium redemptionis pro nobis.

Non major autem vis ad ſatisfactionem probandam, in reconciliatione
noſtri cum Deo per Chriſtum facta continetur. Intelligendum enim eſt,
duabus potiſſimùm rationibus patere, nequaquam ex reconciliatione illud
ſatisfactionis dogma colligi poſſe. Primò quia pro conceſſo ſumitur, re-
conciliationem operâ Chriſti ita perfectam fuiſſe, ut is Deum ſceleribus no-
ſtris offenſum placaverit; id quod nullo, nec rationis, nec ſcripturæ præ-
ſidio defendi poteſt. Ratione, quia cum ſanæ mentis judicio pugnat, Deum,
qui jam antequam Chriſtus munus ſuum aggrederetur, & porrò acerbiſſi-
mam mortem ſubiret, nullâ expectatâ placatione, ſponte ſuâ gratuitam
nobis peccatorum condonationem offerre, & in eum finem Chriſtum mit- 577.
tere, eundemque in truculentiſſimam mortem noſtrâ causâ conjicere con-
ſtituerat, Chriſti demùm morte delinitum, nobisque reconciliatum fuiſſe.
Scripturâ autem eandem ſententiam confirmari minimè poſſe, altiſſimum,
quod ea de re apud ſacros ſcriptores eſt, ſilentium indicat. Non diffitemur
quidem, divina oracula teſtari, (*Rom.* 5, 10. 2 *Cor.* 5, 18. 19.) nos per
mortem Chriſti reconciliatos eſſe Deo, nec non ipſum Deum ſibi mundum
reconciliaſſe, peccata hominibus non imputando. Atqui quis adeò hebes
eſt, quin aliud eſſe intelligat, nos Deo per Chriſtum reconciliatos eſſe,
& aliud, Deum offenſum nobis reconciliatum fuiſſe? Sed deinde, ſi maxi-
mè concedatur, Deum nobis per Chriſtum reconciliatum placatumque eſſe,
ineptè tamen ſuper illud ſatisfactionis commentum ædificari, ſatis ex iis con-
ſtare poteſt, quæ paulò ante de placamento, quod Chriſtus eſt, diximus.

‡ *Non major autem*] Plura ſunt Scripturæ loca in quibus noſtri reconciliatio cum Deo per Chriſtum in illius ſanguine & morte proponitur; nominatim Rom. v, 10. 2 Cor. v, 18, 19. Nec eam vocat in dubium Adverſarius, ſed tantum negat ullam vim ei ineſſe ad *ſatisfactionem probandā*: cùm tamen Deus nec potuerit nec voluerit reconciliari peccatoribus niſi illæſâ ſuâ juſtitiâ; quare debuit ei ſatisfieri ſanguine Chriſti & in illo extingui rhomphæa illa ignea, quæ nos arcebat à Dei præſentia, & aditum ad arborem vitæ nobis intercludebat Gen. III, 24. Et certè iſtam *reconciliationem operâ Chriſti, ita perfectam fuiſſe, ut is Deum noſtris ſceleribus offenſum placaverit*, multa oſtendunt: Siquidem reconciliari non

 potuit

potuit Deus hominibus quin illis placaretur; & hæc reconciliatio facta morte & ſanguine Chriſti, hanc placationem ponit; tum quia ſanguini Chriſti, per quē reconciliatio hæc proceſſit, tribuitur formaliter placamentum; tum quia hæc reconciliatio & placatio, non merâ *deprecatione*; ſed pretio oblato, adeoque per ſufficientem ſatisfactionem, peracta eſt. Nihilque habet Adverſarius vel ex *ratione*, vel ex *Scriptura*, quod jure opponat: Non repugnat rationi, ut paullò ante viſum, & Deum *ſponte ſuâ*, nobis deſtinaſſe Chriſtum in ἱλασμὸν, & eum Chriſti morte placatum *nobisque reconciliatum fuiſſe*: Nec enim Deus *nullâ expectatâ placatione*, nobis obtulit *gratuitam peccatorum noſtrorum condonationem*, *antequam Chriſtus munus ſuum aggrederetur & porrò acerbiſſimam mortem ſubiret*, nec *in eum finem*, ut ſc. talem offerret peccatorum remiſſionem, Chriſtum miſit: Sed Deus miſit ſuum Filium in mundum, ut propitiationem noſtrorum peccatorum perageret morte ſuâ, nec aliam peccatorum noſtrorum remiſſionem nobis offert, aut offerre decrevit, niſi conſequenter ad ſui placationem ſanguine fœderis, & noſtri ſecum reconciliationem per Chriſtum; & illum hoc fine *in truculentiſſimam mortem noſtrâ cauſâ conjicere* voluit: Quin id nequivit fieri *noſtrâ cauſâ*, niſi ut nos Deo reconciliaret, ipſum nobis placaret, noſtra eſſet apud eum propitiatio, & λύτρον ac pretium noſtræ redemptionis ipſi penderet. Deus enim ad iſta Filium ſuum deſtinavit ex benevolo ſuo in miſeros peccatores affectu, quo voluit removere cauſas, cæteroquin infallibiles, damnationis ipſorum, ex reatu tot peccatorum quo tenebantur & certò procatarcticas, quamdiu manebant, non minus neceſſariæ quam juſtæ ſuæ iræ & vindictæ; atque ſic eos reddere citra læſionem ſuæ juſtitiæ capaces vitæ æternæ & omnium effectuum ſalutarium ſuæ miſericordiæ & gratiæ. Ex *Scriptura* nonniſi negativè argumentatur Volkelius, & hactenus evicimus eam quam defendimus *ſententiam*, apertiſſimis Scripturæ teſtimoniis *confirmari*. Quin ridiculus eſt Adverſarius dum reconciliationem hic inter Deum & homines fingit μονόπλευρον, & quæ ſit quidem noſtri cum Deo, non verò Dei offenſi nobiſcum. Ecquis enim *tam habes*, qui non animadvertat reconciliationis per Chriſtum factæ, juxta Apoſtolum *locis citatis*, hunc eſſe primarium effectum quod liberemur *ab ira*, & peccatorum noſtrorum remiſſionem conſequamur, in quæ Deus hac reconciliatione ſepoſitâ ſeveriſſimè fuiſſet animadverſurus? Reconciliatio ſupponit diſſidium: diſſidium autem erat ab utroque latere; Nam ut diſſidebant homines à Deo, ita etiam Deus diſſidebat ab hominibus: Amicus & inimicus, ſunt nomina relativa earum relationum quas *æquiparantiæ* vocant; Amicus enim eſt amici amicus, inimicus inimici inimicus, ac viceverſâ: Si homines ſub peccato hoſtili erant animo in Deum, ipſe Deus etiam eos peccati reſpectû habebat pro hoſtibus & inimicis: Unde dicimur reconciliati cùm eſſemus inimici Rom. v, 10. Hinc homines ſub peccato dicuntur θεοστυγεῖς Rom. 1, 30. ideſt revera nonminus exoſi Deo, quam Deum odio habentes. Denique nulla fit reconciliatio quæ non præſupponat offenſam; adeo ut parti offendenti per prius recōcilietur pars offenſa, quam pars offendens parti offenſæ: Jam autem Deum offenderant homines, ſed homines Deus non offenderat; itaque per prius debuit Deus homini reconciliari, quam homo Deo: & cùm Apoſtolus 2 Cor. v, 19. reconciliationem mundi cum Deo per Chri-

Chriſtum, conſtituat in non imputatione peccatorum, ſatis inde liquet voluiſſe Deum deponere memoriam offenſarum quas ab hominibus acceperat, nec eas ulciſci in eorum perſonis; cùm illas in Chriſto plecteret, ut ita hominibus reconciliari poſſet. Quam autem ex Deo nobis per Chriſtum reconciliato & placato, benè colligatur veritas ſatisfactionis, quam homo impius *ſatisfactionis commentum* audet appellare, *ſatis ex iis conſtare poteſt, quæ paulo ante*, ut ſua verba Volkelio reddam, *de placamento, quod Chriſtus eſt, diximus*. Ac ut finiam, ſi perpendamus uti par eſt in hoc opere concurrere ſimul ſummam Dei Miſericordiam, & exactam Juſtitiam, prout concurſus duorum ſuperiorum planetarum miros effectus habere dicitur, ac ſicut Samaritani unguentum ex oleo & vino conſtitiſſe legitur Luc. x, 34. tunc ſanè non rapiemus in hac œconomia ea quæ ſunt amoris ad illa evertenda quæ ſunt juſtitiæ, cùm illa ad hæc ordinarentur, & hæc iterum ad illa remearent. Videatur noſtrarum *Diſputationum ſelectiorum tom.* 1. *pag.* 246. *Diſputatio de Veritate meriti & ſatisfactionis Chriſti*.

CAP. XXXIII.

De quorundam Chriſti præceptorum depravatione.

RESPONDENTE

MARCO de MUNCK,

Sluſâ-Flandro.

IAM tandem, ut quo pacto Diabolus mandata Chriſti depravare conetur videamus, intelligendum eſt, eum diſciplinam illam, quâ Chriſtus ſuos ad animi demiſſionem, ad manſuetudinem, ad patientiam, denique ad inimicorum dilectionem apud Matth. potiſſimùm cap. 5. inſtituit, jam ad ſolos verbi divini miniſtros referendam eſſe, contendere, jam verò Chriſtum nihil Moſe perfectius ad ſanctè vivendum tradidiſſe, eamque ob cauſam præcepta iſta ſua, non Moſis diſciplinæ, ſed falſis Phariſæorum interpretationibus oppoſuiſſe.

‡ *Iam tandem*,] Imò ex iis quæ jam ſunt diſputanda, liquebit eos ſe Adverſariis Moſis & Prophetarum conjungere, & ignorare verum diſcrimen Legis & Euangelii, qui Matt. v. vel conſilia Euangelicæ perfectionis ſomniarunt, quæ ſectentur Monachi; vel perfectionis & majoris ſanctitatis præcepta, cum Socinianis, à Chriſto tradita conceperunt; cùm Chriſtus ipſe ingreſſuro ad vitam æternam per ſua opera nihil aliud inculcet quam præcepta Legis Matt. xix, 17. Luc. x, 25-26. 27. 28. & compendium ejuſdem duobus illis complectatur præceptis, quibus ſumma Dei & proximi dilectio commendatur.

Ac primum quidem falſiſſimum eſt. Nàm ut taceam, ex perpetuo Chriſtianæ religionis tenore, & plurimorum ſcripturæ locorum cum illis Chriſti

 dictis

dictis collatione ſatis intelligi, omnibus, qui ſanctiſſimam ejus diſciplinam ſunt amplexi, ita, ut eo in loco præſcribitur, vitam inſtituendam eſſe; contextus quoque Chriſti verborum apertiſſimè indicat, eum diſcipulos ſuos promiſcuè alloqui. (*Matt.* 5. 11. & 7. 28.28. 29.) Diſcipulorum porrò nomen tam amplam apud Euangeliſtas ſignificationem habet, ut non tantùm Apoſtolos, ſed etiam omnes Chriſti doctrinam amplectentes deſignet. Quorum quidem non exiguum fuiſſe numerum, ex illis Lucæ verbis perſpicuum eſt, cùm vel eundem, vel ſimilem Chriſti ſermonem deſcripturus, *turbam diſcipulorum* unà cum Chriſto in campeſtri loco ſtetiſſe aſſerit. (*Luc.* 6,17.) Adde quòd, ut idem Lucas teſtificatur, (*v.* 13.) ex diſcipulis iſtis jam antea factis Apoſtolos elegit.

† *At primum quidem*] Etſi largiamur *ad ſolos verbi divini miniſtros* non eſſe reſtringenda quæ Chriſtus habet Matt. v, de humilitate, manſuetudine, patientia, inimicorum dilectione &c. tamen negari nequit nonnulla illìc extare quæ propiùs & ſpecialiùs ſpectant ad Apoſtolos, & eos quibus poſt ſe commiſerunt Miniſterium Eccleſiæ, nominatim com. 12. 13. 14. 15. Et aliàs Matt. v, 1. ipſimet *diſcipuli*, à reliqua auditorum Chriſti turba apertè diſtinguuntur.

578. Quòd ſi dicant, ſolos ſæpè Apoſtolos κατ' ἐξοχὴν Chriſti diſcipulos nominari, id hoc loco nullius momenti eſt: cùm hoc nonniſi illis in locis fieri conſtet, ubi ipſe ſermonis contextus, de Apoſtolis tantummodo ſermonem eſſe, convincit. Atqui hîc nõ ſolùm nihil tale videmus; ſed duabus inſuper rationibus, de ſolis Apoſtolis orationem nequaquam haberi, demonſtrari poteſt. Primò: conſtat, Matthæum in iis quæ Chriſtus & dixerat & geſſerat, deſcribendis, ordinem ſat diligenter conſervâſſe. Undè colligitur, tunc, cùm Chriſtus concionem illam haberet, nondum quenquam Apoſtolico muneri præfectum, ſed omnes communi quadam ratione Chriſti diſcipulos fuiſſe. Apoſtolorum quippe creatio, decimo demùm ejuſdem libri capite explicatur. Adde, quòd Matthæus, hac oratione finitâ, mox ſubjungit, (*cap.* 7. 28. 29.) eum turbas inſtituiſſe: per quas certè non ſoli Apoſtoli intelliguntur. Altera ratio eſt, quòd Chriſtus apud Matthæum, Moſaicis præceptis ea ex parte vel addit vel opponit ſua, quatenus Moſes univerſum populum Iſraëliticum olim docuerat, legibusque devinxerat. Hinc enim perſpicuum eſt, Chriſtum quoque univerſum populum ſuum ad pleniorem vitæ ſanctimoniam erudire.

† *Quod ſi dicant*] Iam monuimus, & Matthæum Chriſti *diſcipulos* diſtinguere *à turba* reliqua, licet agnoſcamus ſæpè in Scripturis diſcipulorum Chriſti nomen *non tantum Apoſtolos, ſed etiam omnes Chriſti doctrinam amplectentes*, deſignare, & cer-

& certum eſt Chriſtum jam Apoſtolos ſuos elegiſſe, priuſquam ſermonem ſuum in monte inchoaret: Confer Matt. IV, 18. 21. & Luc. V, 13. adeo ut illic *turba diſcipulorum* com. 17. diſtinguatur à *duodecim* com. 13. quos Apoſtolos poſtea nominavit. Nec debet confundi prima Apoſtolorum electio, quæ præceſſit ſermonem in monte, cum eorum prima miſſione, quæ deſcribitur Matt. X, 1. Nec ſi *turbæ* percellebantur ſuper doctrina Chriſti Matt. VII, 28. 29. inde ſequitur nullam adhuc fuiſſe diſtinctionem inter diſcipulos Chriſti κατ' ἐξοχὴν ſic dictos, & turbam, quæ illum unà audiebat & ad tempus ſectabatur.

Altera ratio] Chriſtum *Moſaicis præceptis*, ſua nec addere nec apponere, paullò poſt videbimus.

At, inquiunt, ad ſolos Apoſtolos referenda omnia illa præcepta eſſe ex eo conſtare, quòd & Prophetas ibidem, qui ante ipſos populum Dei inſtituerant, commemorat, (*Mat.* 5. 12. 13. 14) & eos, quos alloquitur, ſalem terræ, & lucem mundi nominat; & quod caput eſt, tum docere, tum facere illos jubet, (*v.* 19.) quæ omnia non niſi in doctores convenire aſſerunt. Nos verò nullum horum vim aliquam hîc habere dicimus. Primò enim Prophetas memorando, non ad ipſorum officium, ſed ad inſectationes varias, quibus vexati fuêre, reſpectum habet; ut ita oſtendat, tantum abeſſe, ut diſcipuli ipſius ob iſtiusmodi mala triſtari ac conturbari debeant, ut potiùs & gaudere debeant, ſe viris tam ſanctis ac Deo tam charis hac in parte ſimiles eſſe, & certam præmii apud Deum repoſiti ſpem concipere: cùm minimè ſit dubitandum, ampliſſimam Prophetas à Deo reportaturos eſſe patientiæ ac pietatis ſuæ mercedem. Salis quoque & lucis titulum, omnium Chriſtianorum communem eſſe nemo ignorare poteſt, qui ſacras Novi Teſtamenti literas legit. (*Luc.* 14. 34. 35. *Epheſ.* 5. 8. *Phil.* 2. 15.) Ad extremum in his verbis, *Qui fecerit & docuerit* &c. conjunctio *&* nequaquam eam vim habet, ut ſignificet eos omnes, ad quos hic ſermo pertinet, ſimul & facere & docere debere; ſed, ſi contingat, ut is, qui Chriſti diſcipulus ſit, ſimul etiam docendi fungatur munere, eum non modò ea, de quibus ſermo eſt, facere, ſed etiam docere debere. Quamvis ergo in eo, qui docendi partes ſuſtinet, utrumque convenire debeat: tamen cùm multi ſint, qui munere alios inſtituendi minimè fungantur, interimque nihilominus Chriſti mandata exequi jubeantur, quemadmodum vel ex his ipſis verbis intelligitur; fit, ut hoc loco adverſariorum ſententia conſtitui nequeat; ſed potiùs colligendum ſit, alios de ipſius populo futuros fuiſſe, qui illius juſſa reliquis tum proponerent, tum exequerentur: alios verò, qui ea perficerent tantùm. 579

At,

Digitized by Google

† *At, inquiunt*] Agnoſcimus equidem primo ἀνακολυθησίαν hujus argumenti; Nec enim ſi quædam ſunt in illo Chriſti ſermone quæ propiùs ad Chriſti Miniſtros ſpectent, ergo omnia ad illos ſolos pertinebunt; ſecundò etiam poſſe ſuo ſenſu extendi ad omnes veros Chriſti diſcipulos quæ leguntur Matt. v, 12. 13. 14. 15. 19. Sed tamen inde non ſequitur, quod iſtæ pericopæ per prius & ſpecialius ad Verbi Miniſtros eorumque officium non pertineant Sed his nolim diutiùs immorari, cùm de re ipſa mihi conveniat cum Volkelio, qui aliàs agnoſcit Chriſtum etiam eos ex ſuis auditoribus alloqui qui *docendi munere* non erant functuri.

Sed jam alteram excutiamus ſententiam, quâ Chriſtum non Moſaicis præceptis, ſed Phariſæorum falſis interpretationibus ſuam doctrinam oppoſuiſſe ſtatuitur. Eam igitur à vero alieniſſimam eſſe hinc perſpicitur, quòd in omnibus iſtis præceptis, quibus Chriſtus ſua opponit, nihil continetur, quod antea in lege Moſaica, vel verbis ipſis, vel ſententiâ, non fuerit comprehenſum.

† *Sed jam alteram*] Revera *Chriſtum non Moſaicis præceptis, ſed Phariſæorum falſis interpretationibus ſuam doctrinam oppoſuiſſe*, multa ſunt quæ demonſtrent; cùm iſta quæ carpit Chriſtus non à Moſe ſed à ſenioribus vel veteribus profecta ſtatuat, & Chriſtus aliàs perpetuò Moſis authoritate & teſtimonio nitatur, nec ea omnia quæ *à veteribus* profecta commemorat extent apud Moſem, ac potiſſimum eò collimet Servator ut ſuos doceat debere eorum juſtitiam ſuperare, non utique eam quæ Lege Moſis præſcribebatur, quam non venerat diſſolutum, ſed eam quam ſolam urgebant Scribæ & Phariſæi, perperam interpretantes ea quæ Moſes præſcripſerat, Matt. v, 17. 18. 19. 20. Sed de his poſtea fuſiùs erit agendum; Nam conſtabit ea quibus *Chriſtus ſua opponit*, nec ſemper *verbis ipſis* Legis Moſaicæ comprehendi, & verba ipſa Moſaica urſiſſe in ſpeciem Scribas & Phariſæos, vel ut cortici factorum externorum inhærerent, vel ut ea præter mentem Legis alierſum contorquerent.

Quòd ſi quis ex illis Chriſti verbis opinionem iſtam conſtitui putat, *Niſi enim abundaverit juſtitia veſtra plus, quàm Scribarum & Phariſæorum, in regnum Dei non intrabitis*; (*Mat.* 5. 20.) idque eam ob cauſam, quòd his verbis proximè antè uſus fuerit Chriſtus, quàm iſtas doctrinarum oppoſitiones inſtitueret; reſpondemus, theſim, quam Chriſtus confirmandam ſuſceperat, non iſtis verbis revera contineri, ſed illis ſuperioribus: *Nolite putare, quòd veni ſolvere Legem & Prophetas: non veni ſolvere, ſed implere.* His per quandam occaſionem ſubjunxit, eum, qui ſolvat unum ex minimis Legis mandatis, ſicque homines doceat, minimum vocatum iri in regno cœlorum. Verùm cum hoc illis, apud quos Scribæ Phariſæique multum habebant autoritatis, durum videri poſſet, quippe qui Legis quidem

Digitized by Google

dem diſciplinam hominibus explicarent, eam tamen ipſi magna ex parte non exequerentur; occurrit Chriſtus, eumque, qui Phariſaicam juſtitiam ad cœleſtem felicitatem conſequendam ſatis eſſe putet, toto cœlo errare docet: cùm ut quis ad tantam felicitatem perveniat, multò perfectiore juſtitiâ præditus ſit oporteat. Conſtat igitur, Chriſtum hæc de Phariſæorum juſtitia verba, nonniſi per occaſionem, ad tacitæ nimirum objectioni occurrendum, feciſſe, & porrò non, ut ſequentium theſin conſtitueret, ſed ut præcedentia confirmaret, ea protuliſſe.

‡ *Quod ſi quis ex illis*] Certè Chriſtus impugnaturus gloſſemata Scribarum & Phariſæorum, & illis nixam Phariſaicam juſtitiam everſurus, & præparaturus animos ſuorum auditorum, ad ea quæ ipſis aſſuetis doctrinæ Phariſaicæ paradoxa erant apparitura, Primò oſtendit ſe Legis non veniſſe deſtructorem vel correctorem, ſed obſervatorem & aſſertorem: *Ne exiſtimate me veniſſe ut diſſolvam Legem aut Prophetas; non veni, ut eam diſſolvam, ſed ut eam impleam*, ℣. 17. At verò debuit Chriſtus animum habuiſſe Legem ſolvendi & evertendi ſi *Moſaicis præceptis ſuam doctrinam oppoſuiſſe* cenſendus ſit. Secundò plenitudinem & perfectionem Legis accuratè commendat, cui adeò omnibus ſit inſiſtendum; *Amen quippe dico vobis, uſque dum præterierit cœlum & terra, jôta unum, aut unus apex nequaquam præterierit ex Lege, uſque dum omnia facta fuerint: Quiſquis igitur ſolverit unum ex mandatis hiſce minimis & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; quisquis autem fecerit & docuerit, iſte magnus vocabitur in regno cœlorum*, ℣. 18. & 19. Sanè qui ſtatuit Legem in ſingulis etiam minimis firmiori talo ſtare quam cœlum & terram, magnum cenſitum iri in regno cœlorum qui fecerit & docuerit ſecundum ea quæ Lege præſcripta ſunt, minimum verò futurum & nullo loco habendum eum qui ſecus fecerit vel dixerit, is vindicem ſe Legis profitetur, non illius vel correctorem vel everſorem; nec putat aliam operum & morum ſubjectivâ juſtitiam requiri vel inculcari debere præter eâ quæ Lege continetur ac præſcribitur. Tertiò ſupponit ab hac helice immane quantum deflexiſſe faciendo & docendo Scribas & Phariſæos, cùm ait ℣. 20. *Dico enim vobis niſi abundaverit veſtra juſtitia plusquam illa Scribarum & Phariſæorum vos nequaquam ingreſſuros eſſe in regnum cœlorum*: His autem verbis Chriſtus luculenter indicat Scribas & Phariſæos, tam in docendo quam in faciendo, receſſiſſe à præſcripto Legis, adeoque eorum fermentum ſedulò ab iis præcavendum, qui veræ juſtitiæ voluerint inſiſtere. Igitur Chriſtus oſtenſurus ſe Legis perfectiſſimæ & ſolidiſſimæ & obſervatorem veniſſe & vindicem ac interpretem genuinum, aggreditur exinde ℣. 21. falſas interpretationes Phariſæorum & Scribarum quibus ſuam ψευδώνυμον juſtitiam inædificabant. Cùm igitur iſthæc omnia optimè inter ſe cohæreant, quæ hîc Volkelius diſſerit de *theſi, quam Chriſtus confirmandam ſuſceperat*, de ſubjunctis *per quandam occaſionem*, de *tacita objectione* cui Chriſtus occurrere voluerit, ſuapte concidunt, & omni probabilitate deſtituuntur. Commendaverat Dominus *bonorum operum* exercitium & ſtudium ℣. 16. eorum normam unicam & perfectiſſimam docet eſſe Dei Legem, quam unicè ad id commendet, cui ſtet

 & ipſe,

Digitized by Google

& ipſe, & à qua nemo vel in faciendo vel in docendo debeat recedere ✝ 17. 18. 19 Unde colligit vitioſam & multifariam imperfectam eſſe Juſtitiam Phariſæorum, ab illa norma variè recedentem v. 20. quod poſtea multis exemplis demonſtrat. Nulla itaque hîc præcavenda fuerat objectio; nec in eo Chriſtus imperfectam juſtitiam ſtatuit Scribarum & Phariſæorum quod dicerent & non facerent, eſſentque Philoſophi μάχει τοῦ λέγειν ἄνευ τοῦ πράττειν, quò ſpectat ejus ſpecialis cenſura Matt. XXIII, 3. Nam nulla eo reſpectu convenit *juſtitia* iis qui dicunt quidem facienda, ſed dicta non faciunt, adeoque præter ordinem naturæ, linguam habent manu prolixiorem, & imitantur tubicines qui claſſicum canunt aliis ut pugnam capeſſant, ipſi verò non pugnant; contenti

fungi vice cotis acutum
Ferrum quæ reddere ſolet exſors ipſa ſecandi.

Sed in eo Chriſtus carpit juſtitiam iſtorum hominum, quod & in agendo & in docendo, vel cortici Legis duntaxat inhærerent, vel ab ejus mente penitùs deflecterent. Certè Chriſtus, fatente Volkelio, *eum qui Phariſaicam juſtitiam ad cœleſtem fœlicitatem conſequendam ſatis eſſe putet, toto cælo errare docet: cùm ut quis ad tantam fœlicitatem perveniat multo perfectiore juſtitiâ præditus ſit, oporteat.* Jam autem imperfectionem hanc juſtitiæ Phariſaicæ in eo collocat, quod Scribæ & Phariſæi non tantum aliter facerent, ſed potiſſimùm docerent quam præſcriptum erat in Lege, & ſic illius mandata multifariàm ſolverent: Et ideo in ſequentibus id ſibi ſumit illuſtrandum variis exemplis, & ceu Stator ac Vindex Legis, genuinum illius ſenſum explicat & demonſtrat.

Verùm ut errorem iſtum planè convincamus, ſingula iſta præcepta percurrenda videntur, ut & Chriſtum verba ſua Legi Moſaicæ opponere, & adverſariorum objectiones inanes eſſe manifeſtò appareat. Primum igitur hoc eſt: (*v.* 21.) *Audiviſtis, quod dictum ſit antiquis, Non occides. qui autem occiderit, reus erit judicio.* Hîc adverſarii negant, Moſis præceptum adduci: cum apud eum verba iſta, *Reus erit judicio*, non reperiantur. Atqui ſatis ſuperque eſt, eorum inveniri ſententiam. Quid enim aliud ſignificat, judi-
580. cio reum eſſe, quàm dignum eſſe ſupplicio? Adeò autem nihil hîc de Lege immutatur, ut quod Chriſtus ſummatim breviterque dicit, idem multò & fuſiùs & luculentiùs in illa exprimatur. (*Exod.* 21. 12, 14. *conf. Gen.* 9. 6.) Quid, quòd Chriſtus hac verba, *Reus erit judicio*, cum dictis legalibus opponeret ſua, retinuit, quod nequaquam feciſſet, ſi ea, ut perperàm à Phariſæis uſurpata, rejicere inſtituiſſet. Non igitur dictiones iſtas corrigere, ſed totum de non interimendo præceptum augere voluit, aperteque docere, non illum tantummodo judicio reum eſſe; qui alteri manu ſua vitam eripit, ſed illum etiam, qui alteri iraſcitur.

‡ *Verùm ut errorem*] Hoc com. 21. & aliis ſeqq. Chriſtus ſe non opponit Moſi, ſed *antiquis*, à quibus id per deuteroſeis judaicas, & legem oralem, manare-

Digitized by Google

manaverat, (ideo enim non dicit ſcriptum in Lege, ſed audiviſtis dictum fuiſſe; ideſt ita fando per Kabbalam & traditionem accepiſtis) mandatum prohibitivum homicidii obſervatum ſat iri ab eo qui neminem de facto occideret & nullius cæde manus ſuas cruentaret: Adeoque illud ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, idẽ eſt, juxta nonnullos interpretes, quod ὑπὸ τῶν ἀρχαίων. Quod ſi antiquos hic malis ſumere pro iis quibus dictum fuit, non pro iis à quibus dictum fuerit, his verbis quidem agnoſcet Chriſtus vetuſtatem aliquam hujus erroris, non tamen iſtius πατροπαραδόσεως Moſem authorem faciet: Illud enim *Non occides*, legitur apud Moſem, at non iſtud pariliter *Qui autem occiderit reus erit judicio*; Etenim hæc phraſis eſt recentior temporibus Moſaicis; ſiquidem *judicium* hic intelligitur contradiſtinctè à συνεδρίῳ; & in quantũ illud erat oppidatim XXIII. Virorum, hoc verò unicum, idque Hieroſolymis LXXII. Jam autem hæc diſtinctio ex Moſe exſculpi non poteſt, cui ſatis fuit Legibus ſuis forenſibus decernere homicidam capitaliter eſſe plectendum; quò demum ſpectant loca Gen. IX, 6. Exod. XXI, 12. 14. citata Adverſario. Mens autem Chriſti non eſt vel *corrigere* legem illam, *Non occides*, vel ſubruere tribunalia Judicum, & forum omne Judaicum evertere; ſed oſtendere verba illa *Non occides*, latiùs extendi quam ex illa πατροπαραδόσει vulgò rebantur, & illius violatæ reatum contrahi apud Deum ab eo qui vel ſine legitima cauſa iratus fuerit ſuo fratri, vel eum ullâ verbali injuriâ affecerit. Nec dubium quin lex hæc *Spiritualis* cùm ſit Rom. VII, 14. frænum injiciat non ſolum manibus, ſed etiam linguæ, non ſolum factis externis, ſed etiam motibus & affectibus internis, quod & docet Johannes cùm homicidii ex lege reum pronunciat qui fratrem ſuũ odio habuerit, 1 Joh. III, 15. Tales etiam affectus & motus internos vitioſos, Lege damnatos fuiſſe, pluribus conſtat argumentis: Primò quod Lex cùm dixit *Non concupiſces*, omnes motus præpoſteros animi, tam appetitus iraſcibilis quam concupiſcibilis, interdixerit. Secundò quod ipſe Moſes in Lege prohibuerit, odium proximi & iram in illum Levit. XIX, 17. 18. Tertiò quod Lex præcipiendo cuique ut proximum diligat tanquam ſeipſum, eo ipſo prohibeat & damnet præpoſteros illos affectus iræ & odii in proximum, ac quælibet convicia vel dicteria in ipſum. Nemo enim ſe ipſum odit aut ſibi iraſcitur, invidet, conviciatur, Eph. V, 29. Quartò hunc eſſe ſenſum legis intellexerunt fideles ſub V. T. quibus damnantur Iracundia Job. V, 2. Prov. XIV, 17. 19. XV, 18. Proximi contemptus Prov. XI, 12. XIV, 21. Conviciatores & obtrectatores quilibet Pſal. L, 19. Nec tamen Chriſtus hos eodem ſenſu ſubjicit judicio vel ſynedrio, quo reus judicii, homicida actualis erat apud Judæos; quaſi velit eum capitaliter plecti à judicibus in foro externo & ſoli, qui vel irâ præpoſterâ exarſerit in proximum, vel ullam vocem contemptus indicem, aut convicii ſpeciem præ ſe ferentem, in illum emiſerit; Sed vult tantum oſtendere quod in foro poli & coram Deo contrahat reatum pœnæ analogæ ei quæ per judicium infligebatur actuali homicidæ, in foro ſoli: quo ita doceat auditores illa quæ pro nullis vel pro leviculis admodũ peccatis habebantur ex doctrina Scribarum & Phariſæorum ac in eorum juſtitia, etiam iſtâ Lege prohiberi & damnari quæ dixerat *Non occides*. Itaque mens Chriſti non eſt *totum de non interimendo præceptum augere*; ſiquidem hîc nihil prohibet novi, quod lege Moſaicâ & Scripturis V. T. interdictum non fuerit, ſed tantum oſtendere præceptum illud de

Digitized by Google

non interimendo quoquã, malè coractari in Schola & Juſtitia Phariſaica, ad cædem actualem, eò quod hæc ſola capitaliter puniretur inter homines; cùm etiam ad illã extendatur in foro Dei, in quo non factorum tantum, ſed etiam dictorum & cogitatorum ratio venit reddenda, quæ cæteroquin pœnis ab hominibus infligi ſolitis eximuntur. Nam ut ſcitè à Tertulliano dictum, *Mediocritas humana de factis ſolum judicat, quia voluntatis latebris par non eſt*: Quod ſi legibus etiam Romanis, in foro externo is pro homicida habetur, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulavit, quidni Chriſtus docuerit etiam pro homicida haberi coram Deo, qui vel temerè ſuo fratri fuerit iratus, vel convicium ei dixerit?

Alterum eſt: *Audiviſtis dictum eſſe antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis quòd omnis, qui aſpexerit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* (v. 27. 28.) Hìc certè adverſarii nihil habent, quo ſuam opinionem ſtabiliant: cum ipſa Legis verba hìc recitentur, illiſque Chriſti doctrina luculentiſſimè opponatur.

† *Alterum eſt*] Agnoſco hoc ℣. 27. *ipſa Legis verba* recitari; Sed Chriſtus oſtendit, contra quam rebantur Traditionarii Judæi, etiam in illam legem impingere omnes motus inordinatos concupiſcentiæ, qui proinde formaliter prohibentur præcepto decimo: Itaque Chriſtus illis Legis verbis ſuam doctrinam, ut abſurdè ſtatuit Volkelius, non opponit, ſed tantum Legis ſenſum exponit, & eum longiùs ſpectare ſtatuit quam vulgò credebatur. Ideo etiam Sancti ſub V.T. hos aſpectus vitioſos, & oculos adulterii plenos, ut loquitur Petrus 2, 11, 14. ceu contrarios ſanctitati à Lege Dei mandatæ Levit. XIX, 2. penitùs damnarunt & improbarunt Job. XXXI, 9. 10. Ierem. V, 8. Et cùm nemo Socinianorum auſit negare hos vitioſos aſpectus fuiſſe ἀνομίας etiam ſub V.T. nequibit quoque negare fuiſſe prohibitos Lege Dei; aut eam damnando adulterium, unà prohibuiſſe quæcunque eò ducunt: cùm lumen naturale id dictaverit Ethnicis;

Scelus intra ſe tantum qui cogitat
Facti crimen habet.

Item, *Exercetur atque aperitur opere nequitia, non incipit*; Nec non & hoc;

Si qua metu demto caſta eſt ea denique caſta eſt:
Quæ quia non liceat non facit, illa facit,
Ut jam ſervaris bene corpus adultera mens eſt;
Omnibus excluſis intus adulter erit.

Similiter & de illis judicandum; *Oculum pro oculo, & dentem pro dente,* (℣. 38.) quæ in ipſa Lege expreſſa ſunt, (*Exod.* 21. 23. 24. 25.) quæ ita corrigit Chriſtus, ut id, quod in illis parti læſæ permittitur, nempe ut vindictam per magiſtratum repetat, prohibeat.

† *Similiter & de illis*] Fateor hæc verba com. 38. ad talionem ſpectantia, extare Exod. XXI. 23. 24. 25. Sed primò non diſputamus de Lege morali, cui in genere morum aliquid additum aut detractum à Chriſto negamus; Hoc verò præceptum eſt judiciarium & forenſe, quo mutato vel abrogato nihil penitùs periret de integritate, perfectione & immutabilitate Legis moralis. Deinde certum

Digitized by Google

certum eſt Chriſtum non abrogare vel improbare hanc legem quo ſenſu & modo lata fuerat in normam & modum judiciorum publicorum à Magiſtratu exercendorum; aliàs fingendus eſſet Chriſtus voluiſſe politiam & regimen Reip. evertere,ac tribunalia judicum diruere: quæ è cõtrario quam voluerit relinquere inconcuſſa,patet etiam ex Matt.v,25.26. Et certè illi talioni à Deo mandatę,ut ſervabatur apud Iudæos, ſua inerat ſumma & æquitas, & neceſſitas, quam etiam aliæ gentes ſolitæ ſunt obſervare, unde illud XII. *tabb.* apud Romanos, *Si membrum rupit talio eſto*, eoque ipſe Chriſtus tacitè reſpexit Matt. VII, 12. Unde & illud natum, *Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris*, hauſtum, ut creditur ex diſciplina Chriſti per ſuam matrem Mammæam ab Alexandro Severo, qui illud volebat inclamari, quoties in aliquem ſontem publicè animadvertebatur. Igitur hanc legem Chriſtus nec improbaſſe nec abrogaſſe cẽſendus eſt, niſi quatenus rapiebatur à ſingulis, contra Legiſlatoris mentem & ſcopum, in argumentum vindictæ privatæ, & ſtudium retaliandi ad injurias acceptas. Quod citra ullam in Lege novationem Chriſtus improbat: Siquidem etiam V. T. Scriptura homines ab omni vindictæ privatæ animo & ſtudio avocabat, & ad patientiam componere volebat Levit. XIX, 18. Prov. XX, 22. XXIV, 29. Interea nec Chriſtus abrogat Magiſtratui exercitiũ vindictæ publicæ,quam illi Deus commiſit,nec prohibet privatis, in injuriis quæ illis fiunt, aut damno quo afficiuntur, implorare Magiſtratus auxilium, non quidem ex vindictæ affectu & ſtudio, ut paſcant oculos ſuos damno vel ſupplicio alterius, ſed tum ex honeſta & juſta cura vel rerum ſuarum vel ſuæ famæ, ad reparationem æquam damni quod paſſus eſt, tum ex zelo & ſtudio juſtitiæ, cùm publicè interſit delicta impunita non manere.

Nec illud diſſimile eſt, quod de divortiis traditum erat; utpote quod iiſdem planè verbis à Chriſto profertur; quamvis, ut brevitati conſuleretur, divortii cauſa omiſſa ſit. Quòd ſi vel ex hoc ipſo conſtare dicas, Chriſtum hoc in loco Phariſæorum commentum rejicere, affirmantium, ob quamlibet cauſam uxorem dimitti poſſe, & non propter ſolam fœditatem à Moſe expreſſam: (*Deut.* 24. 1.) nos ita rem ſeſe habere pernegamus: cum neque iſtam Phariſæorum opinionem Chtiſtus exprimat, quod omninò feciſſet, ſi eam reprehendere in animo habuiſſet; nec, ſi maximè eam hîc ſubintelligendam eſſe fingamus, adverſarii cauſam ſuam obtinebunt, nimirum Chriſtum nihil Moſaicæ Legi addidiſſe: cum ſic unà cum Phariſaico errore, & ipſum Moſaicum ea de re præceptum correxiſſet. Verbis enim ſuis, quæ è regione poſuit, non ſolùm quamcunque, ſed etiam eam ipſam divortii cauſam excludit, quam Moſes expreſſerat. Sic enim loquitur: (*v.* 32.) *Ego autem dico vobis, quòd omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, exceptâ cauſâ fornicationis, facit illam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Neque enim fœditas illa, quæ olim divortii cauſam afferebat, ſtuprum iſtud ſeu adulterium erat, quod Lex morte plectere jubebat, nedum ut adulte-

Digitized by Google

ræ juberet dare divortii libellum, quò alteri nubere poſſet: ſed ea, ob quam, ut teſtis eſt Moſes, mulier in viri ſui oculis gratiam non inveniebat. Cujus quidem multa præter ſtuprum alia genera eſſe potuerunt. Quod
581. ſine dubio Tigurini animadvertentes, verba illa hoc pacto converterunt: *ſi inveniat in ea rem aliquam fœdam.*

‡ *Nec illud diſſimile*] Certum quidem eſt Chriſtum unicam agnoſcere cauſam legitimi divortii, ſcilicet adulterium ℣. 32. cùm pluribus aliis de cauſis, ut largimur ulcrò, permitteretur fieri à Moſe δία τῆν σκληροκαρδίαν Judæorum, ut loquitur Chriſtus ipſe Matt. XIX, 8. Sed interea tamen inde nihil obtinent adverſarii pro ſua cauſa, quô probent legem Moralem, Chriſtum auxiſſe vel correxiſſe: Nam primò propriè Lex nulla lata erat divinitùs de divortio faciendo; Sed Moſes modum præfixerat divortii faciendi, ſi quando ad illud, quo jure quâ injuriâ, animum Judæi adjicerent: ideo dicentibus Phariſæis, *Quid ergo Moſes mandavit,* ἐνετείλατο, *dare libellum repudii, & dimittere eam?* ita reſpondet Chriſtus, ut inſinuet non fuiſſe eam legem, ſed meram tolerantiam & permiſſionem, ſine rei approbatione; *Moſes pro duritia cordis veſtri, permiſit vobis dimittere uxores veſtras* Matt. XIX, 7. 8. Hac permiſſione, impunitas illis præſtabatur in foro exteriori & ſoli, ſed non apud Deum & in foro poli: unde Deus invehitur per Prophetam in illam divortiorum licentiam Malach. II, 14. 15. Adeoque Chriſtus eam improbando, nulli Legi divinæ, nedum morali de qua diſputamus, ſe oppoſuit, aut quicquam derogavit. Secundò tantum abeſt ut Chriſtus hac in parte Moſi contradixerit, ut è contrario abuſum per Moſem toleratum ex Moſe ipſo correxerit, monendo non ſic fuiſſe ab initio Matt. XIX, 8. & revocando Phariſæos ad primævâ inſtitutionem conjugii, juxta cujus leges indiſſolubile ſit hominibus Matt. XIX, 4. 5. 6. Itaque nullum Moſis *præceptum* correxit Chriſtus; ſed ſublatâ licentiâ divortiorum, quam Moſes ferre coactus fuerat in politia Judaica, veras leges legitimi conjugii ex Moſe hauſtas, ceu juris naturalis & perpetui, repoſuit in arce.

Videamus porrò etiam de illo Moſis præcepto, quo, ne pejeremus, prohibemur: *Audiſtis*, inquit, *dictum eſſe antiquis, non pejerabis, reddes autem Domino juramenta tua*, (v. 33) Ubi adverſarii aſſerunt, verba iſta poſteriora, *Reddes Domino juramenta tua*, addita à Phariſæis fuiſſe. Quod quidem falſiſſimum eſſe inde conſtat, quòd eadem planè ſententia, quantumvis non iiſdem verbis, longè tamen luculentiùs à Moſe hunc in modum pronunciatur, (*Num.* 30. 8.) *Vir ſi votum voverit Jehovæ, aut juraverit juramentum, ad ligandum ligamento animam ſuam, non polluet verbum ſuum: ſecundùm omne, quod exirit ex ore ſuo, faciet.* Quamquam res etiam ipſa unumquemque monet, Legis ſententiam omninò fuiſſe, ut ſi quis aliquid juramento interpoſito voviſſet Deo, id redderet ac perſolveret; alioqui perjurium commiſſurus, quod Lex apertiſſimis verbis prohibet.

Videa-

Digitized by Google

‡ *Videamus porrò*] Quot fœdos errores foverint Phariſæi in hac de juramentis materia, ſatis liquet tum ex Matt. v, 34. 35. 36. 37. tum ex Matt. xxiii, 16. ſeqq. Inter alia putabant & fas eſſe jurare per creaturas, & temeraria quælibet juramenta eſſe ſibi licita per nomen Dei, modò ſaltem non pejerarent: Chriſtus autem com. 34. & ſeqq. non improbat vel mutat quod ſcriptū erat à Moſe, ſed tantum explicat tertium præceptum Decalogi, & oſtendit non ſolū eo perjurium, prohiberi, ſed etiam juramenta temeraria, ſuperflua, idololatrica per Creaturas; quoniam Scribæ & Phariſæi ſub prætextu perjurii prohibiti, & juramenti promiſſorii ſervandi, jus ſibi facerent tùm temerè jurandi in quolibet privato ſermone, (cùm tamen juramentū debeat inter ſermones noſtros, quod ſunt vaſa aurea vel argentas in ædibus civium, quæ non adhibentur ad uſus promiſcuos & quotidianos, ſed tantum in extraordinariis actionibus, ſolemnioribus & quæ ſunt majoris apparatus;) tum etiam, quod tertius eſt, jurandi per creaturas; quorum utrumque Chriſtus improbat juxta Legis ipſius & V.T. ſanctionem Deut. vi, 13 Jer. iv, 4. Neque enim omne juramentum eſſe illicitum ex diſciplina Chriſti, ſuo loco probavimus.

Reliquum eſt illud ultimum hujus generis mandatum: (ꝟ 43.) *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Quo in loco adverſarii negant, verba iſta, *Odio habebis inimicum tuum*, apud Moſen reperiri. Quod quidem nos facilè conceſſerimus: ipſum tamen verborum ſenſum à Moſe expreſſum fuiſſe affirmamus. Cum enim inimicus hic proximo opponatur, & porrò hoſtem ſignificet, Deuſque hoc illis ſervatæ Legis præmium tribuere voluerit, ut hoſtes ſuos funderent, diſſiparent, in fugam converterent, omnibuſque bonis everſos interimerent, (*Levit.* 26. 7. 8. *vid. etiam Exod.* 23. 27. *Deut.* 7. 2. *& d cap.* 25. 17. 18. 19. *conf. cum Exod.* 17. 14. 16.) quis non videt, nequaquam Phariſæos demum iſtam ſententiam in divinum populum importaſſe; & porrò ipſam Legem hîc à Chriſto corrigi?

‡ *Reliquum eſt*] Sed certum eſt illam particulam *& odio habebis inimicum tuum,* à contrario ſenſu collectam fuiſſe per Scribas & Phariſæos, ex verbis Legis, ut odia & ſimultates adverſus privatos inimicos faciliùs excuſarent. Nuſquam enim iſta pericopa extat in Moſe, ut cogitur fateri Volkelius; Nec tantum non extat apud Moſem, ſed Moſes illi directè adverſatur Exod. xxiii, 4. 5. cui concinit Salomon Prov. xxv, 22. citatus in eum finem & ſenſum à Paulo Rom, xii, 20. Abſurdè autem confundit Volkelius ea quæ dicuntur de inimicis privatis, cum iis quæ concernunt hoſtes publicos: Quantum autem intersit inter utroſque, vel ex eo liquet quod communi omnium conſenſu nefas fuerit Dei lege inimicum privatum occidere, fas fuerit & ſit hoſtes publicos, in bello legitimo trucidare. Et quam Chriſto mens non ſit omne bellum interdicere Chriſtianis, aliàs oſtendimus. Agit quoque in eo dicterio de animo privatorum erga privatos, (adeò ut iſti peſſimi interpretes proximos ſuos diligendos ex lege, non alios cenſerent quam familiares & amicos, ex diſciplina Ethnica Heſiodi ἔργων 1. τὸν φιλέοντ' ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ' ἐχθρὸν ἐᾶσαι.

Amicum

Amicum vocato ad convivium, inimicum verò relinque;) evidenter conſtat ex Matt. v, 46. 47. & Luc. x, 29. ubi Phariſæus inquirit & ſciſcitatur, quis ſit ſuus proximus. Denique etſi eos publicos non tam Iſraelis quam Dei hoſtes, quos ipſe perduelles declaraverat & devoverat exitio, voluerit Moſes fundi, diſſipari, in fugam converti, *omnibuſque bonis everſos* interimi, nuſquam tamen eos præcepit odio habendos; neque id reperitur in ullo ex iis locis, quæ hîc citat Volkelius; Omnes etiam actus, hîc enarrati, ſunt actus juſtitiæ in bello juſto & licito, non verò odii; ut cùm carnifex ad juſſum Magiſtratus, ſontem vel ſuffigit cruci vel rotæ imponit, non ex illo quo flagret in illum odio, ſed ex officio quod ſibi incumbit & in executionem juſtitiæ, quâ mundus non magis carere poteſt quam Sole & Sale.

Cap. XXXIV.

De Idololatria.

Respondente ad hoc & ſequens caput,

VINCENTIO OORTMAN,

Sluſa-Flandro.

Sed jam ad ea dogmata veniendum eſt, quæ non ſolùm pietatis, & ſic ſalutis noſtræ curſum impediunt, verùm etiam prorſus à ſempiterni boni poſſeſſione homines repellunt; utpote quæ vel idololatriam, vel Chriſti contumeliam blaſphemiamque inducunt. Ac de idololatria quidem ex ea tantùm parte dicendum nobis hoc loco eſt, quatenus iſtius patroni divinis eam literis confirmare nituntur; Reliqua enim ſuprà jam ſuo loco explicata ſunt. (*lib.* 4. *c.* 12.) Hoc tamen repertere operæ pretium duximus, idolatriam in illis ſive rebus ſive perſonis religioſè colendis conſtitutam eſſe, quę Deus nequaquam ſunt, nullamque divinam poteſtatem habent: veluti ſunt hac tempeſtate omnes imagines, ſtatuæ, ſancti demortui, panis euchariſticus, & alia non pauca, quibus honor ſingulari religione, vel potiùs ſu-
582. perſtitione tribuitur. Quod quidem peccatum eſſe graviſſimum, tametſi ſuprà à nobis demonſtratum eſt: cùm tamen ſacrarum literarum teſtimoniis illud comprobari poſſe exiſtimetur; videndum tandem eſt, quàm rectè id fiat. Ac primò quidem, ut imagines adorandas eſſe convincant, & æneum illum ſerpentem honoratum, & cherubinos illos propitiatorii religioſè cultos, & ſcabellum Dei adoratum, & locis ſacris reverentiam adhibitam fuiſſe, literis proditum eſſe ajunt. Animadvertendum autem eſt, hoc in loco non de quovis honore, ſed de religioſæ adorationis cultu orationem haberi. Ex quo fit, ut etiamſi id honoris rebus paulò antè enumeratis

Digitized by Google

tatis habitum fuiſſe ſtatuatur, ut nequaquam profanæ, ſed ſacræ à communique uſu ſejunctæ exiſtimarentur: tamen inde religioſè adoratas fuiſſe colligi nequaquam poſſit. Nam & victimæ, & panes propoſitionis conſecrati fuerunt; (*Exod.* 29. 26, 34. *Levit.* 24. 5, 9. 1 *Sam.* 21. 4, 6 *Mat.* 23. 17, 19.) nec tamen adorationis cultu honoratos fuiſſe, dici ullo modo debet.

‡ *Idololatriam in illis*] Idololatria eſt uno verbo quâ cultus religioſus defertur iis qui naturâ dii non ſunt Gal. IV, 8. Sed non auſus eſt id proponere Volkelius, ne ſe & ſuos damnaret Idololatriæ in cultu religioſo D. N. J. C. quem naturâ Deum eſſe, impiè negant.

Non de quovis honore] Honor propriè ſive paſſivè ſive activè ſumatur ſolius eſt naturæ intelligentis: & benè definit Thomas 3. *p. q.* 25. *art.* 1. creaturæ irrationali nullum deberi honorem: Itaque inanimatæ res illæ, *quæ nequaquam profanæ, ſed ſacræ à communique uſu ſejunctæ* meritò exiſtimantur, nobis debent eſſe in pretio & æſtimio, non tamen ullo honore propriè loquendo affici poſſunt.

Ut igitur primò de imaginibus dicamus; intelligendum eſt, adverſarios (*Bellarm.*) ut eas adorandas eſſe convincant, tria teſtimoniorum ſacrorum genera in medium afferre. Primum, inquiunt, expreſſè de imaginibus agit, nimirum de Cherubinis propitiatorii, & de æneo ſerpente. Imagines enim, ajunt, Cherubini ſuper arca exiſtentes (*Exod.* 25. 18. 1 *Reg.* 6. 27.) neceſſariò adorabantur ab illis, qui arcam adorabant. Atqui nec arcam ipſam revera adoratam, nec porrò ipſoſmet Cherubinos eodem cultu honoratos fuiſſe, ullo ſcripturæ teſtimonio comprobari poteſt: quod idem & de ſerpente æneo dicimus: (*Num.* 21. 9.) Nec mirum; cùm non ideo in ſublimi loco poſitus fuerit, ut adorationis illi cultus adhiberetur; ſed ut, qui eum aſpicerent, ſanarentur. Ut taceam, id, quod de rebus aut imaginibus Dei ipſius juſſu conſtitutis, quibus ipſe aliquâ ratione præſens adeſſe cenſebatur, dicitur, non protinus eſſe trahendum ad eas imagines, quas nec confici juſſit Deus, nec præſentiâ ſuâ conſecrare oſtendit, imò quas, ut ſuo loco oſtendimus, fieri vetuit, quaſque proinde penitùs averſatur. Id quod potiſſimùm dicimus propter arcam & cherubinos: cùm ſuper arca inter Cherubinos iſtos Deus aliqua ratione reſideret, & ſingulari virtute ac providentiâ præſens adeſſet. Alterum teſtimoniorum genus illud eſſe ajunt, quo doceamur, creaturas religioſè honorandas eſſe, proper ſolam relationem ad Deum: veluti illud eſt: *Adorate ſcabellum pedum ejus* (*Pſal.* 99. 5.) & illud: *Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus* (*Mat.* 5. 34. 35.) Atqui hæc teſtimonia, præterquam quòd ad propoſitum nihil faciunt; cum hic de imaginibus diſputetur, quas veram aliquam ad Deum relationem, quæ eas venerabiles reddere queat, 583.

Digitized by Google

habere nihil conſtat, ſed potiùs Deo ejuſque voluntati adverſas eſſe, ex multis ſcripturæ locis patet; etiam nullo modo id comprobant, quod ab adverſariis affirmatur, nimirum creaturas propter relationem ad Deum adorandas eſſe. Primò enim apud doctiores interpretes non legitur: *Adorate ſcabellum pedum* ejus, ſed, *proſternite vos ad ſcabellum pedum ipſius: ſanctus enim eſt.* Quod ſanè non ipſum ſcabellum adorare eſt; ſed eo in loco procumbendo, Deum, qui ſeſe præſentem ibi præſtabat, colere. Quam quidem verſionem Franciſcus Vatablus, doctiſſimus ſacrarum literarum interpres ſecutus, ſic in ejus loci margine annotavit: *proſternite vos ad ſcabellum pedum ipſius, in templo, vel ante arcam, in qua præſentiam ſuam exhibebat Deus.*

Deinde quòd ex Chriſti verbis de jujurando factis, primariò Deo honorem, ſecundariò verò creaturis tribui aſſerunt; ſiquidem ad rem loqui cenſeri debent, graviſſimè falluntur. De adorationis enim honore hìc ſermo eſt. Num verò is honor capiti noſtro, aut terræ, quam calcamus, à nobis debetur? num quiſque caput ſuum, aut terram adorare, eique religioſum aliquem honorem exhibere debet? ſimiliter urbi Hieroſolymitanæ, & cœlo? certè nihil jam erit, cur non & ſolem, lunam, ſtellaſque adoremus, ac religioſè colamus, id quod Deus olim ſeverè prohibuit. (*Deut*: 4. 18.) ‡ Illud tantùm Chriſtus indicare voluit, res illas vel aliqua ratione Deo ſacras eſſe, vel ſaltem non in noſtra, ſed in ſolius Dei eſſe poteſtate, ita ut affirmatio, ad quam confirmandam earum mentio adhibetur, tacitè ad Deum ipſum reſpiciat, & ſic pro affirmatione religioſa, proque juramento ſit habenda, quæ proinde nequaquam vilipendenda, aut, cùm nulla cogit neceſſitas, adhibenda ſit. Per cœlum enim, terram, Hieroſolymam, caputque noſtrum jurare, perinde eſſe, ac jurare per Deum, cujus cœlum eſt ſedes, cujus terra eſt pedum ſcabellum, cujus Hieroſolyma urbs eſt, qui denique caput noſtrum condidit.

‡ *Illud tantum*] Mens planè alia Chriſto: cùm velit oſtendere nullo modo per hæc jurandum, eo quod meræ ſint Creaturæ. Eſt enim juramentum actus elicitus religionis, ac, ut loquuntur Scholaſtici, ipſius-met Latriæ ſoli Deo debitæ; quare nonniſi per ipſum Deum præſtari legitimè poteſt. Non igitur reſpicit Chriſtus religionem juramentorum quæ per res iſtas præſtarentur, *ita ut affirmatio ad quam confirmandam earum mentia adhibetur, tacitè ad Deum ipſum reſpiciat, & ſic pro affirmatione religioſa proque juramento ſit habenda, quæ proinde nequaquam vilipendenda, aut cum nulla cogit neceſſitas adhibenda ſit*; cùm etiam eo modo nomen Dei in vanum uſurpetur; Sed potius ad eorum ſuperſtitionem, cùm Juramentum ſit illegitimum ſi præſtetur per Creaturas, quantumvis vel in ſe eximias, vel nobis valde charas & pretioſas: Deut. VI, 13. Eſ. LXV, 16. Jer. IV, 2. Heb. VI, 16.

Digitized by Google

Tertium ultimumque eorum teſtimoniorum eſt, quæ docent, creaturas dici ſanctas, propter relationem ad res ſanctas, veluti illud eſt Exod. 3. locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt; & veſtes ſacerdotum dicuntur ſanctæ, propter eandem cauſam. ſic ſcriptura, ſacrarum literarum nomine appellatur, propterea quòd ſacrarum rerum ſignum eſt. ſic verba ipſa prolata, inquiunt, venerari conſuevimus, & Euangelium audimus detecto capite. at imagines Chriſti & ſanctorum ſunt etiam inſtitutæ ad ſignificandas & repræſentandas res ſacras. cur ergo eas honorare non liceat? Hæc ferè illi. Atqui iſta omnia nihil ad rem faciunt. Nam & multas res à Deo inſtitutas, tum ſanctas, tum modo quodam venerandas eſſe libentiſſimè concedimus: verùm tota iſtius venerationis ſumma, nonniſi in hoc conſiſtit, 584.
ut eaſdem res nequaquam profanas, aut in communi uſu poſitas, ſed ab aliis vulgaribus rebus ſegregatas, & vel myſticum aliquid in ſe continentes exiſtimemus, vel conveniente religione tradamus. Quorum utrumque abſque adoratione, quâ ipſæ colantur, fieri tum poſſe, tum debere, firmiter nobis conſtitutum eſt. Quis enim verbi cauſâ vel diem feſtum adorat, quia ſanctus eſt? vel eandem ob cauſam ante victimas aut panes olim à Deo conſecratos procubuit? aut ante vaſa ſacra, quibus olim in templo utebantur ſacerdotes? Hæc tamen nequaquam de illis rebus dicta exiſtimari volumus, quæ hominum arbitrio, contra expreſſam Dei voluntatem inventæ atque intruſæ ſunt. In quo genere ſunt imagines, aliaque innumerabilia in Eccleſiam invecta, de quibus ob cauſam modò allatam, ne honorificè quidem ſentire convenit, nedum eas adorationis cultu venerari.

Cap. XXV.

De invocatione Sanctorum.

Respondente

WILHELMO GEORGIO AMSINCK, Groningano.

JAm quod ad ſanctorum vitâ functorum invocationem attinet, ſimiliter eam rem eſſe tum maximo errore implicatam, tum impiam, aſſerere non dubitamus. Primò enim ex divinis literis clariſſimè patet, in precibus iis, quas ſacras ac religioſas appellare licet, quæque ad eum diriguntur, qui longiſſimè etiam abſit, ita ut naturæ curſu inſpecto, preces eas percipere nequeat, ſed ratione naturæ limites tranſgrediente, nonniſi aut Deo ipſi immediatè ſupplicandum eſſe, aut ei, quem Deus divino imperio ac poteſtate donavit, ita ut ipſius auxilium implorari meritò queat: tertium nihil à divinis autoribus proponi videmus. Ac de Deo quidem implorando,

idque immediatè, quod dicitur, nulli ſanæ mentis homini dubium eſſe poteſt: cùm hæc res, & mandato, & ſanctiſſimorum virorum exemplis præſcripta nobis ſit. Eum verò qui in tam alto ſummæ poteſtatis gradu conſtitutus ſit, ut jure à nobis invocari poſſit, non niſi Jeſum Chriſtum eſſe cernimus. Ex quo fit, ut præter hos duos nemini religioſas preces adhibere nec poſſimus, nec debeamus. Et hanc quidem ob cauſam Paulus Apoſtolus, (*1 Cor. 8. 6.*) cum de divino cultu agit, iſtos duos, tum Diis gentium, tum omnibus diis dominiſque qui in cœlo terraque exiſtunt, opponit, ut hos ſolos à Chriſtiano populo divina ratione colendos eſſe doceat. Nec ullum apud divinos autores mandatum exemplumvè extat, quo præter Deum Chriſtumque alium quempiam religioſè invocandum eſſe, aut invocatum fuiſſe demonſtrari queat.

585. † *Iam quod ad Sanctorum*] Vitioſè dicitur Deus *longiſſimè* abeſſe à ſe invocantibus, cùm non longè abſit ab unoquoque noſtrûm Act. XVII, 27. & Chriſtus promittat in Euangelio ſe fore nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi Matt. XXVIII, 20. adde Matt. XVIII, 20. Sed præſertim valde perperam Chriſtus hic à Deo diſtinguitur, cùm nec ille ſit invocandus niſi quia Deus eſt ſuper omnia benedictus Rom. IX, 5. & cui dicendum cum Thoma *Domine mi & Deus mi* Joh. XX, 28. Nec poteſt ulla mera creatura *in tàm alto ſummæ poteſtatis gradu* conſtitui, ut queat religioſè invocari, cùm omnipræſens, omnipotens & omniſcius debeat eſſe qui ita invocatur: Talis autem ſtatui nequit, niſi qui naturâ Deus ſit. Nec Paulus 1 Cor. VIII, 6. opponit *Diis* & Dominis ac Baalim gentilium, Deum & Chriſtum tanquam naturâ & eſſentiâ diverſos, ſed Patrem & Filium, hypoſtaticè quidem diſtinctos, verumtamen in una eademque Deitate, ut & in uno ſupremo ac independenti & indiviſibili dominio, eſſentialiter convenientes, ut alibi fuſiùs demonſtravimus.

Deinde neceſſe eſt, ut is, cui abſenti religioſæ preces adhibendæ ſunt, perſona aliqua ſit, quæ non modò vivat, & actu ipſo intelligat, ſed etiam omnia, utut longiſſimè diſſita, intueatur ac percipiat, intimaſque mentis humanæ partes perſpectas habeat, eaque inſuper poteſtate autoritateque polleat, ut precantes juvare poſſit. Atqui homines ſancti, qui vitam cum morte commutârunt, non eſſe ampliùs, in ſacris literis dicuntur, (*vid. Pſal. 37. 10. 39. 14. Jerem. 31. 15. Mat. 2. 18. Thren. 5. 7.*) &, cùm mortui ſunt, actu ipſo nequaquam vivunt atque intelligunt, tantum abeſt, ut intimos hominum ſenſus calleant, preces eorum, & quidem ubivis terrarum, eodemque temporis momento fuſas audiant, hominibuſque ſuppliciter ad ſe confugientibus auxilium ferant. Relinquitur igitur, nihil iſto commento vanius, nihilque futilius eſſe. Quanquam enim, ut ſuo loco à nobis demonſtratum eſt, ſpiritus hominum ad illum redeunt, qui eos dedit: tamen

men eoſdem ſpiritus à corpore ſejunctos perſonas quaſdam eſſe, quæ aliquid agant, ſentiant, & ſic preces noſtras audiant, voluptatibuſque ſempiternis jam perfruantur, non ſolùm nullo ſanctarum literarum teſtimonio docemur, ſed contrà etiam rationibus evidentiſſimis facilè convincitur, ſententiam iſtam divinis oraculis regugnare.

‡ *Deinde neceſſe eſt*] Præterea quod religioſæ preces non offeruntur Deo ceu *abſenti*, ſed præſentè eum neceſſariò ſupponunt, hic videre eſt quod dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt. Etenim Sociniani rejecturi ſuperſtitioſam Sanctorum in Domino mortuorum invocationem, incidunt in merum Sadducæiſmum & Epicureiſmum, negatâ animæ extra corpus exiſtentiâ & immortalitate: quam tamen vel lumine naturali omnes ferè populi, & eorum Sapientes ab ævo agnoverunt, ſtatuendo animam poſt animal ſupereſſe, & hoc differre homines à belluis; *Sunt aliquid manes, Lethum non omnia finit.* Facile largior, animam ſeparatam non eſſe *perſonam*, ſed perſonæ: cùm ordinata ad hominis cum corpore conſtitutionem & illius informationem, ſit à corpore divulſa, & illo reſpectu aliquid incompletum & partiale. Fateor quoque quod anima rationalis à corpore ſeparata non *ſentiat*; cùm ſenſitivarum operationum organa ſint corporea; nec citharam pulſet citharœdus, ubi illa fracta eſt. Concedo etiam graviſſimè falli qui putent eouſque reſpectu cognoſcitivi & poteſtativi traductos ſpiritus Sanctorum mortuorum, *ut intimos hominum ſenſus calleant, preces eorum & quidem ubivis terrarum, eodemque temporis momento fuſas audiant, hominibusque ſuppliciter ad ſe confugientibus auxilium ferant*: Iſta enim ſoli Deo competunt nec poſſunt cadere in meram Creaturam: Et tam facile de Chriſto negabuntur, niſi ſit natura Deus, quod impiè negat Socini Schola, ac de B. Maria vel S. Petro. Illis quoque ſpiritibus ſanctis quieſcentibus à laboribus ſuis nulla pars ſupereſt in ulla re quæ fit ſub Sole, Eccl. IX, 9. Job. XIV, 21. 2 Reg. XXII, 20. *Ibi ſunt Spiritus defunctorum* (inquit Auguſtinus *de Cura pro mort. cap.* 13.) *ubi non vident quæcunque aguntur aut eveniunt in illa vita hominibus*: Et meritò idem ſic loquitur *de vera relig. cap. ult. Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum; quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur, ut tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe converſos*: (forte hæ quinque voculæ *meriti ſui nos eſſe converſos*, vel ut alii legendum putant *conſortes*, ſunt textui Auguſtiniano inſertæ ab aliquo indocto exſcriptore; cùm ſenſum reddant vel abſurdum vel obſcurum, qui illis demptis, plenus & planus eſt:) *Honorandi ergo ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem malè vixerunt, ubicunque ſint non ſunt colendi.* Sed non ſequitur anima ſeparata non eſt perſona humana, ultimò completa & incommunicabilis; Ergo nec exiſtit, nec operatur: Ad hoc enim ſufficit quod ſit ſubſtantia ſingularis intelligens. Non ſequitur, anima ſeparata non ſentit, ergo nec intelligit: cùm enim ſit ſubſtantia ſpiritualis, ac principium quo intelligimus & ratiocinamur, extra corpus intellectione ſuâ deſtitui non debet; ſiquidem oppoſitè ad illud, non aliter concipi poſſit quam ut eſt ſubſtantia inextenſa vivens & cogitans. Non ſequitur, animæ ſeparatæ non ſunt ea tribuenda quæ ſolius ſunt Dei, ergo penitùs interit & deſtruitur in morte: Nec enim ad hoc ut vivat & exiſtat debent illi attributa divina competere. Non ſequitur denique, homo eſt mor-

tous ſive animal humanum eſt mortuum, ergo anima non remanet nec vivit poſt illud; Nam vita homini non competit niſi in actu ſecundo, ſed convenit animæ in actu primo: cùm illa ſit principium *quo* omnis & vitæ & motus in homine. Ac ſicut nauclerus navi confractâ aut ſubmerſâ enatat ad portum, ita anima redit ad Deum Eccl. XII, 9. poſt vitæ hujus animalis naufragium, & hoc corporis ergaſtulo diruto, aſſeritur in libertatem. Ideo Chriſtus Matt. X, 28. monet non metuendos eſſe eos qui trucidant corpus, *animam verò trucidare non poſſunt*, & Luc. XVI, 9. docet eos qui liberales fuerint in pauperes receptum iri in tabernacula æterna, cùm deficient, ideſt, cùm morientur; & Matt. XXII, 23. & ſeqq. probat Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum meliori ſui parte vivere, quod Deus poſt eorum obitum, ſe vocet eorum Deum, cùm tamen non ſit Deus mortuorum, ſed viventium. Hinc Latroni in cruce promittebat illum eo ipſo die futurum ſecum in Paradiſo Luc. XXIII, 43. ipſe que expirando, ſpiritum ſuum commendabat Patri Luc. XXIII, 46. ut ſuum ab ipſo Chriſto ſuſcipi petebat Stephanus Act. VII, 59. Ideo ex ſtylo Scripturę, & dicuntur homines moriendo colligi vel *aggregari* ad ſuos patres, & mors cum ſomno confertur, quod licet jaceat corpus in ſepulchro, mens tamen evigilat & operatur, ut in ſomno experimur: & David ſe ſolaturus in filioli ſui obitu dicebat, *Ego ſum abiturus ad ipſum, at ipſe non eſt reverſurus ad me*, 2 Sam. XII, 23. Nec optaſſet Balaam mori morte juſtorum Num. XXIII, 14. niſi ſenſiſſet juſtis longè meliùs eſſe poſt mortem quam impiis: quod etiam demonſtravit Chriſtus luculenter in parabola Lazari & epulonis Luc. XVI, 9. 22. 23. & ſenſit Apoſtolus, qui optabat diſſolui & eſſe cum Chriſto, quod multo *melius* ſibi judicabat quam in carne permanere, Phil. I, 23. 24. Ideo de omnibus vere piis pronunciat quod diſſoluto hoc terreſtri tabernaculo, domicilium cœleſte conſequantur, unde gratum illis ſit *abeſſe* à corpore & *adeſſe* apud Dominum 2 Cor. V, 1. 8. apud quem etiam qui in ipſo moriuntur quieſcunt ἀπάρτι à ſuis laboribus Apoc. XIV, 13. & pacem illam ingrediuntur Eſ. LVII, 5. 7. quæ obtinetur ſub altari, à ſanctis illis animabus, quæ ſtolis albis donatę deſcribuntur Apoc. VI, 9. 10. Cùm igitur tot tantiſque firmamentis ex Scriptura deſumptis, conſtet animas ſanctorum ſupereſſe & ſuarum functionum intellectualium tanto magis eſſe capaces, quod ſint immateriales, & pares ſubſtantiâ Angelis, qui quoniam ſunt in actu perpetuo *Vigiles* appellantur Dan. IV, 10. & inde Paulus raptus in tertium cœlū neſcierit id ne ſibi contigerit in corpore an extra corpus, 2 Cor. XII, 2. 3. Cùm iſti veritati, quæ eſt omnis pietatis & religionis fundamentum, adeo ut ſint Chriſtiani omnium *miſerrimi* niſi ſe ſolentur ſpe & fiduciâ melioris vitæ poſt mortem, concinant conſenſus populorum, & judicia Sapientum omnis ævi, Judæorum, Græcorum, Latinorum, Arabum, Mahumetanorum, Sinenſium, Japonenſium, Gymnoſophiſtarum &c. Cùm tipulâ leviores ſint ratiunculæ quas in contrarium proferunt Sociniani, abuſi ſuâ ratione ut ſe deprimant ad ordinem beſtiarum; facilè intelligitur quo ſenſu *homines ſancti qui vitam cum morte commutarunt non eſſe amplius in ſacris literis dicuntur*, quò faciunt loca à Volkelio congeſta; id nempe dictum ſecundum quid, non quòd penitus extincti ſint, ne animâ quidem ſuperſtite; ſed quod deſierint homines eſſe, inter homines verſari, & fungi actionibus humanis. Ita Pſal. XXXVII, 10. dicuntur improbi brevi exſcindendi, ſcilicet ex hac vita, ut non ſint amplius inter homines,

nec

nec locus eorum extet in Rep. & ſocietate humana, in qua priùs ſummopere virère & florere videbantur; ut patet ex ℣. 35. & 36. Nec alio ſenſu David de ſe loquitur Pſ. xxxix, 14. cùm ait, *Deſiſte à me ut recreem me, cùm nondum abeo ut non amplius ſim*, ideſt, priuſquam moriar & huic vitæ valedicam, ac iſti ſcenæ me ſubducam, non deinceps in illa compariturus: confer Job. x, 20. 21. Ita Jerem. xxx, 15. & Matt. II, 18. deplorat Rachel obitum ſuorum filiorum quia non ſunt, vel quia non ſuperſunt, abſumpti & huic vitæ ſubducti morte nefandâ & crudeli. Eodem redit querela Prophetæ Thren. v, 7. cùm ait *Patres noſtri peccaverunt & non ſuperſunt*, nempe in hac miſeriarum valle, ut luant nobiſcum acerbas illas pœnas quas ſuſtinemus. Nihil autem inſanius quam quod dictum fuerit limitatè & ſecundum quid, abſolutè & univerſaliter ſumere, contra tam luculentam & evidentem veritatem.

Paulus enim aſſerit, ſi mortuorum reſurrectio deſperanda ſit, nihil eſſe, cur de pietate laboremus, aut tantas calamitates veritatis cauſâ ſuſtineamus, imò Chriſtianos omnium hominum miſerrimos eſſe. (1 *Cor.* 15. 30, 31, 32. *conſ. com* ℣. 18, 19.) Quod ſanè à vero alieniſſimum foret, ſi hominum ſpiritus etiam abſque reſurrectione in tanta tum voluptate, tum autoritate conſtituti eſſent, ut non ſolùm ipſi æternis bonis perfruerentur, verùm etiam religioſè invocari hominibuſque auxiliari poſſent. Tanta enim felicitas eſſet, ut vix aut ne vix quidem aliqua per reſurrectionem ad eam acceſſio fieri poſſe videretur, imò nulla revera fieret.

‡ *Paulus enim aſſerit*] Interire animas cum corpore faciliùs finxerit adverſarius, quam ullâ ratione probaverit, & ſiquidem ſimulat velle ſe continere intra circulum Scripturarum, haud difficulter inde eum exturbabimus: Paulus, locis hîc citatis, ex 1 Cor. xv, 18. 19. 30. 31. 32. nobis militat evidenter: Supponit enim debuiſſe perire qui obdormierant in Chriſto, niſi ſperetur reſurrectio mortuorum, quia negatâ reſurrectione carnis, animæ quoque immortalitas negatur, cùm ſtatus ille ſeparationis à corpore ad quod eſt ordinata, ſit ei præternaturalis: Hinc Sadducæi ſimul utrumque errabant hunc errorem, & Chriſtus priorem de reſurrectione everſurus, evertit poſteriorem, probando vivere Deo & apud Deum Abrahamum, Iſaacum & Jacobum, quorum ſe Deum appellabat in primo cum Moſe colloquio: Et cùm Paulus ſtatuit *Chriſtianos* fore *omnium hominum miſerrimos* ſi in hac ſolum vita ſperarent in Chriſtum, inſinuat igitur aliam ei poſt mortem ſucceſſuram, primùm animæ reſpectu, admittendæ ad Dei viſionem, & tandem reſpectu totius ſuppoſiti & compoſiti per glorioſam reſurrectionem ex mortuis: & meritò *ſi mortuorum reſurrectio deſperanda ſit, nihil eſt cur de pietate laboremus aut tantas calamitates veritatis cauſâ ſuſtineamus*; non quod nullum pietatis præmium obtingat animæ ſeparatæ poſt obitum, aut illa penitùs intereat, nec queat cœleſtia gaudia delibare ante diem reſurrectionis; ſed quod negatâ reſurrectione tollatur quoque animæ immortalitas, & viceverſa, ut factum à Sadducæis; Nec poſſent *hominum ſpiritus in tanta voluptate*, quâ fruuntur in ſinu Abrahæ, collocari;

cari, ſublatâ ſpe reſurrectionis; cùm divulſio à ſuis corporibus, omnem eorum voluptatem perturbaret & in meram mutaret mœſtitiam, niſi certò noſſent illa ſibi olim reddenda per glorioſam reſurrectionem ex mortuis. Nec dubium quin illi felicitati, gloriæ ac voluptati quâ jam potiuntur in cœlo, ultimum complementum ſit acceſſurum reſurrectione glorioſâ, quâ mors illa quæ eos ſuis ſedibus extruſerat plenè triumphabitur & abſorbebitur ad victoriam.

Illa quoque Chriſti ratiocinatio, quâ Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum à mortuis reſurrecturos eſſe demonſtrat, (*Mat.* 22. 31, 32.) peſſimè conſtituta eſſet, ſi iſta adverſariorum opinio conſtaret: cùm ſic ex eo, quòd Deus illorum Deus ſit, non eos à mortuis excitandos, ſed jam vivere potiùs concludendum fuiſſet. Quanquam autem apud Lucam Dominus Jeſus eos Deo vivere aſſerit, (*Luc.* 20. 38.) tamen ipſa orationis complexio indicat, id non niſi ea de cauſa ab eo dici, quod Deus illos à mortuis excitare ſempiternâque vitâ donare planè conſtituit. Si enim ſimpliciter proprieque Deo viverent, nequaquam requireretur, ut à mortuis reſurgerent; eamque ob cauſam Deus illorum Deus meritò nomi-
586. nari poſſet, nulla reſurrectionis habita ratione.

† *Illa quoque Chriſti*] Imò optimè procedit *illa Chriſti ratiocinatio*, maximè ad hominem adverſus Sadducæos; qui agnoſcentes nexũ neceſſarium inter immortalitatem animæ & corporum reſurrectionem, utramque ſimul rejiciebant, ut patet ex Luca Act. xxiii, 8. & ex Joſepho *Antiq lib.* 18. *cap.* 2. adeoque illâ demonſtratâ ex Scripturis hanc ulteriùs inficiari non poterant. Nec Chriſtus Luc. xx, 28. dicit eos *vivere* Deo ſolùm quod eſſent revicturi in reſurrectione. Sic enim à tempore obitus eorum uſque ad diem reſurrectionis, nequiviſſet Deus dicere in præſenti, Ego ſum Deus eorum, ſed tantum in futuro, Ego ero olim in reſurrectione Deus illorum. Siquidem juxta Chriſtum, Deus non poteſt dici Deus mortuorum, & qui eo ipſo abſolutè non ſunt, (cùm non entis nulla ſint attributa,) ſed tantum viventium: Sed Chriſtus *eos Deo vivere aſſerit*, quod jam Deo fruerentur & apud Deum viverent meliori & nobiliori ſui parte, quæ ſuo tempore alteram adhuc jacentem eſſet receptura in conſortium illius felicitatis & vitæ. Verum quidem eſt quod *ſi ſimpliciter proprieque Deo viverent*, ſecundum totum ſui, *nequaquam requireretur ut à mortuis reſurgerent*: Sed cùm tunc *viverent* Deo animæ demum reſpectu, hinc ſequebatur ipſos olim etiam reſurrecturos. Itaque ideo erant corpore reſurrecturi, quia vivebant ſpiritu, & inde eos vivere intelligitur quod *Deus illorum Deus meritò* nominabatur, utpote qui non ſit Deus mortuorum ſed viventium.

Quid, quòd ſi ſpiritus demortuorum ſanctorum preces noſtras audire, nobiſque quacunque ratione prodeſſe poſſent, haud verè Eſaias hæc verba ſcripſiſſet: *Tu pater noſter: & Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos: tu Domine*

mine Pater noſter & redemptor noſter, à ſeculo nomen tuum. (*Eſa:* 63. 16.) Nec quicquam adverſariorum cauſæ præſidii affert, quòd ajunt. (*Bellarm.*) Abrahamum Iſraelemque non quidem naturalem rerum noſtrarum noticiam habere, habere autem ſupernatutalem, Deo nimirum, quæ nobiſcum agantur, illis patefaciente. Primò enim manifeſtò id pro conceſſo ſumitur, quod ſalſum eſſe jam demonſtravimus, nimirum Abrahami & Iſraelis ſpiritus perſonas eſſe, & ideò illis aliquid patefieri, noſque ab illis juvari poſſe. Adde, quòd nequaquam verè Iſraelitæ dicere potuiſſent Abrahamum Iſraelemque ipſos ignorare, ſi per divinam patefactionem eorum res perſpectas habuiſſent. Quinimò cum divina patefactio naturali cognitione mille partibus certior atque præſtantior ſit, non conqueri Iſraelitæ de illorum ignorantia, ſed potiùs plurimùm ſibi gratulari debuerunt, quòd, quid ſecum ageretur, illi non naturali, ſed planè divinâ ſcientiâ tenerent. Ex his, quæ diximus, colligitur, omnia, quæ iſti de rerum humanarum patefactione, quæ ſanctis demortuis contingat, loquuntur, inania prorſus eſſe, nec eam illis elabendi viam hìc patere, ad quam cæteroqui confugere ſolent, quòd non quidem, ut bonorum datores, ſed ut impetratores ſancti demortui invocentur: cùm neutrum in illos, qui perſonæ aliquid cogitantes atque agentes minimè ſunt, cadere poſſit.

‡ *Quid quod*] Hic locus Eſ. LXIII, 16. benè adducitur, de quo omninò videre eſt quod habet Auguſtinus *de cura pro mortuis cap.* 13. Id enim nunc ex profeſſo non agimus: Et quam benè Volkelius refutat diſtinctionem notitiæ naturalis & ſupernaturalis, hic adhibitam à patronis invocationis ſanctorum, tam abſurdè abrogat ſpiritibus juſtorum conſummatorum, uti dicuntur Heb. XII, 23. omnem cogitationem, notitiam, & actionem, eo quod non ſint *perſonæ* completæ, que conſtent corpore & animâ: Nam ad mentis operationes intellectivas quæ ſunt organicæ, corporis conſortium non neceſſario requiritur.

Atque hinc multò clariùs patet, quàm inſulſè adverſarii illa ſcripturæ teſtimonia adducant, quibus homines ſanctos, dum in vivis eſſent, pro aliis orâſſe comprobatur: quaſi verò eadem protinus facere poſſint mortui, quæ vivi: aut quaſi ſequatur, ſi ſancti hìc viventes, preces aliorum vel coràm audire, vel abſentes naturali aliqua ratione reſciſcere, & iis impulſi Deum etiam pro illis rogare queant, eoſdem etiam in cœlis, hominum in terris exiſtentium, & quidem infinitorum, ac longiſſimè etiam à ſe invicem diſſitorum, preces eodem temporis momento percipere, & ipſa eorum cogitata, tacitaque animi vota & ſuſpiria videre atque intelligere. Quocirca etiamſi tandem concederetur, ſanctos mortuos actu ipſo vivere, id quod ſeipſum evertit, eoſdemque pro nobis Deo ſupplicare; non ta-

Digitized by Google

men protinus hinc conſequeretur, eos invocandos eſſe. Poteſt enim aliquis etiam non rogatus pro aliis orare: quemadmodum ſanè pii creberrimè faciunt: nec neceſſe eſt, ut is, qui pro aliis orat, ſingulos nominatim nôrit, ac, quid quoque tempore ſigillatim unicuique neceſſarium ſit, intelligat:
587. ſed ſatis eſt, eum nôſſe generatim illos, aut de certis hominum generibus, quæ inter illos extent, ſcire, & quis illorum ſtatus ſit aut eſſe ſoleat, quibus rebus vel ſemper, vel plerumque indigeant, intelligere.

‡ *Id quod ſeipſum evertit*] Seipſum quidem evertit hominem mortuum *actu ipſo vivere*, in ſenſu compoſito, uti loquuntur Scholæ, & eo reſpectu quo mortuus eſt: Sed nihil repugnat Sanctos corpore mortuos, & vitâ animali defunctos, viuere & operari quantum ad animam à corpore divulſam, cui competit vita formaliter & in actu primo. Verum Socinianorum nemo eſt cujus ſepulchro non debeat ex eorum ſententia inſcribi, *Hic totus jacet Volkelius*, vel *Zwicherus*, vel *Curcellæus*.

Sed videamus tamen, quomodo adverſarii oſtendant, hoc ipſum in mortuos cadere. Ut ergo id obtineant, tum divitem Lazarumque adducunt; tum animas martyrum, Deum inclamantes, in medium proferunt; tum ſanctos illos amictos ſtolis albis, & ante thronum Dei ſtantes, eique dies ac noctes ſervientes, commemorant; tum denique ſanctos demortuos, nunc pro nobis Deo ſupplicare, ſacris teſtimoniis comprobare nituntur. Primò igitur reſpondemus, ea, quæ Chriſtus de divite ac Lazaro narrat, (*Luc.* 16. 19.) parabolico, non autem hiſtorico proprio-ve orationis genere proferri. Quanquam enim nulla eo in loco parabolæ mentio adjicitur: nihil tamen prohibet, quominus parabola revera ſit: quandoquidem tum capitibus præcedentibus, (*cap.* 14. 16. 15. 11.) cum hujus ipſius capitis initio, (16. 1.) parabolas videmus narrari, licet nihil præmittatur, quod indicio ſit, parabolicè ea dici. Ut verò manifeſtè appareat, ita ſeſe rem eo, de quo agimus, loco habere; animadvertendum eſt, iſtud hiſtoricè nequaquam accipi poſſe, quòd Chriſtus divitem rogantem inducit, ut Lazarus digito in aquam intincto, illius linguam refrigeret. Digitos enim linguaſque habere, aut aquâ refrigerari poſſe, in ſpiritus corporibus exutos nequaquam cadit. Intelligendum igitur eſt, Chriſtum, orationem ſuam ad captum popularem accommodando, hoc docere inſtituiſſe, pauperem pietatis ſtudioſum, qui hîc deſpicatui ducitur atque negligitur, aliquando in beatis ſedibus collocandum eſſe: divitem contra luxurioſum atque immiſericordem, ſempiterno interitu ulciſcendum.

‡ *Primò igitur*] Parabolam ultrò hic agnoſcimus, in qua perſonis integris per ſynecdochem ea tribuuntur poſt mortem, quæ ſolis eorum ſpiritibus

compe-

Digitized by Google

competunt. Sed in fine parabolæ aſſignando, revèra tribuit Volkelius Chriſto quod *orationem ſuam ad captum popularem accommodando*, ea propoſuerit ſuis auditoribus quæ inter Socinianos *nec pueri credunt niſi qui nondum ære lavantur*. Neque enim ſcopus Chriſti eſt docere tantum in genere, olim malis malè & bonis benè futurum, contra quam evenit in hac vita, ſed expreſſè vult oſtendere quod illicò poſt mortem, & bonis qui gravia paſſi ſunt in hac vita, eximia conſolatio contingat, eorum ſpiritibus in locum gaudii, quietis & refrigerii aſſumptis; & malis, immiſericordibus ac luxurioſis, qui deliciis hîc abundaverint, cruciatus æternos eſſe luendos & ſubeundos. Et ſanè ut non auſint diffiteri Sociniani pœnam impiorum, quam per meram deſitionem definiunt, in eorum obitu inchoari, ita nulla poteſt ratio fingi, cur non viceverſa, ab obitu piorum, quem ideo veteres Eccleſiæ Doctores *tranſitum* appellarunt, incipiat eorum conſolatio & gaudium.

Jam quod ad animas clamantes attinet; (*Apoc.* 6. 9. 14.) miror ſanè, locum illum ad commentum iſtud ſtabiliendum adductum fuiſſe: cùm nihil ſit manifeſtius, quam viſionem ibi narrari, cujus non eſt ea ratio, ut ſignificet rem ipſam, quæ per imagines exprimitur, ita planè geſtum iri, quemadmodum verborum fert proprietas: ſed magna ex parte figuratè ad rem ipſam ſunt accommodanda ea, quæ in imaginibus illis exhibentur, aut de iis pronunciantur, quemadmodum inter omnes conſtat. Jam verò in hac viſione proſopopœia manifeſta eſt. Animæ enim inſtar perſonarum quarundam introducuntur, iiſque clamor qui in animas certè hominésve mortuos propriè nequaquam cadit, & preces vindictam ſpirantes tribuuntur, quales ii, qui pro Chriſti nomine occiſi ſunt, etiamſi tandem orare poſſent, 388.
minimè funderent, rogaturi potiùs, ne Deus illis, à quibus occiſi ſint, peccatum iſtud imputet. Quare id tantùm hac proſopopœiâ ſignificatur, Deum nequaquam acerbitatum, quas ipſis fideles in hac vita ſuſtinuêre, memoriam depoſuiſſe, ſed adeò firmiter eam tenere, ut ad illum rei iſtius gratiâ clamare videantur; & quamvis pro incredibili ſua benignitate innocentis ſanguinis vindictam differat, fore tamen, ut eum omninò ulciſcatur. Eadem prorſus ratione & ſanguis Abel ad Deum clamâſſe dicitur; (*Gen.* 4. 10.) propterea quòd Deum cædes ipſius ad vindictam de Caino ſumendam impelleret, ejuſque rei rationem Deus habere vellet.

‡ *Iam quod ad animas*] In Johannis narratione Apoc. vi, 9. 10. 11. viſionem agnoſco, proſopopœam nego: Etenim æquè potuerint Johanni iſtæ animæ exhiberi clamantes, ac Eſaiæ Seraphini alati ac volantes, & ſibi inuicem τρισάγιον accinentes Eſ. vi, 2. Proſopopœa eſt cum rei alicui ſubſtantiali & in rerum natura exiſtenti, tribuuntur ea quæ ſunt naturæ intelligentis: ita ſanguis Abelis dicitur clamare Gen. iv, 10. & inuitantur terra ac cœlum ad ea audienda

Digitized by Google

audienda ac intelligenda quę dicũtur; At cùm animæ ſeparatæ ſint etiam naturæ & ſubſtantiæ intelligentes, non debet per proſopopœam intelligi, ſi quid illis tribuatur quod earum naturæ & conditioni convenit. Quâ autem viſione potuerunt conſpici, eadem audiri clamantes potuerunt; Prout Joſephus in ſomniis Angelum Domini, æquè ac animam ſeparatam organis corporeis deſtitutum, hæc & illa ſibi dicentem de B. Virgine aſſumenda in uxorem, vel de fuga in Ægyptum capeſſenda, per ὅραμα & ἐνύπνιον audire potuit. Adhæc proſopopœa omnis ſupponit ſubjectum aliquod ſubſtantiale & per ſe exiſtens, cui tribuatur. Nam ſi quid per illam figurã, dicatur clamare, loqui, audire, plaudere manibus &c. id omninò debet eſſe aliquid, non merum nihil; licet non ſit illud ipſum cui propriè convenit clamare, loqui, audire &c. Sic enim in exemplo citato ab Adverſario, *ſanguis Abel*, qui *ad Deum clamaſſe dicitur*, erat aliquid ſubſtantiale, quod actu exiſtebat in rerum natura: Itaque vel eo ipſo quod per proſopopœam animabus decollatorum pro nomine Chriſti tribuerentur *clamor* & *preces vindictam ſpirantes*, illæ actu exiſtere, nec ſimpliciter annihilatæ, cenſerentur: Si autem ſunt & exiſtunt, etiam intelligunt & operantur. Nec verum eſt quod tales preces, *ii qui pro Chriſti nomine occiſi ſunt, etiam ſi tandem orare poſſent, minimè funderent, rogaturi potius ne Deus illis, à quibus occiſi ſint, peccatum iſtud imputet.* Nam licet ſeorſim & ſigillatim cùm morerentur, precati ſint ad inſtar Chriſti, pro converſione & ſalute ſuorum perſecutorum, non tamen inde ſequitur eos jam conſummatos in cœlo non optare plenum Regni Dei adventum, pro quo & quotidie precamur, & ut Dominus veniat erepturus ſuam Eccleſiam tyrannidi perſecutorum & cuique ſecundum ſua opera redditurus: Siquidem & nos ita debemus precari pro ſalute & converſione hoſtium Eccleſiæ, quo uſque pertinent ad Dei electionem, ut ſimul debeamus precari pro Eccleſiæ liberatione, deſtructione Antichriſti & inemendabiliũ improborum juſta pœnitione, repetitis votis illud dicentes, *Imò Domine Ieſu veni.* Igitur hoc omne ὅραμα docet primùm, animas eorum qui mactati fuerant propter Verbum Dei ſupereſſe poſt eorum obitum; Secundò ita eas ſiſti coram Deo, ut ſuam vindictam adverſus ſævos & impios perſecutores Eccleſiæ jugiter flagitare videantur; Tertiò, eas interea, dum completur numerus fratrum ſuorum, donari fœlicitate, gloriâ, & requie cœleſti; Inde dicuntur datæ ſingulis *ſtolæ albæ*, & narratur dictum illis ut tantiſper *requieſcerent*; Nam horum utroque beatitudinem cœleſtem denotari conſtat ex Apoc. III, 45. & XIV, 13. Verùm hanc ultimam circumſtantiam, de ſtolis albis & requie jucunda, vafrè omiſit Volkelius, quod ex ea ſe non poſſet expedire; neque illa poſſet adaptari ſuo commento, quo pertendit nihil aliud hac viſione deſignari, quantumvis Deus, *pro incredibili ſua benignitate innocentis ſanguinis vindictam differat, fore tamen ut eum omninò ulciſcatur*: Nam tanto molimine, tamque ſublimi & extraordinariâ viſione opus non fuiſſet iſti uni rei ſignificandæ, quæ aliàs tam luculenter & graphicè tot locis Scripturæ V. & N. T. inſinuatur à Deo, ut etiam ſæpiſſimè Deus appelletur *Deus Vindictarum*, Deut. XXXII, 33. Pſ. XCIV, 1. Rom. XII, 19.

Jam ut de ſanctis illis dicamus, quos Joannes (*Apoc. 7. 13, 14. &c.*) ſto-

lis

Digitized by Google

ſis albis amictos eſſe & ante thronum Dei ſtare, illique dies ac noctes ſervire ait; animadvertendum eſt, hinc perperam concludi, ſanctorum ſpiritus perſonas eſſe, in cœlo aliquid rerum gerentes: cùm Joanni per diviniſſimam hanc viſionem, non quid nunc ſancti in cœlis agant, ſed quæ olim illorum conditio futura ſit, præmonſtratum fuerit. Quamquam nil prohibet, duplicem illis verbis ineſſe ſenſum, ita ut non tantùm, quæ olim ſit futura piorum in cœlis felicitas, hîc doceatur, ſed etiam populi Chriſtiani adhuc in terris exiſtentis, ſed Antichriſtianis perſecutionibus jam perfuncti, conditio exprimatur. Neque verò obſcurum parúmve apertum eſt, hunc Joannis librum, earum rerum, quæ futuræ ſunt, patefactionem ab ipſo autore inſcriptum eſſe. Non obſtat autem, quod eas citò futuras fuiſſe dicit, cùm præcipui quidam inter eos, adverſus quos diſputamus, viri tectè ſcripſerint, ideò eas citò futuras dici, quia earum rerum generatim ſumtarum initium citò ſit exciturum, non quod omnia, quæ ibi narrantur, citò ſint complenda. Etenim nemo non agnoſcit, etiam ea ibi eſſe ſcripta, quæ vel ſub ipſum mundi finem vel poſt eum ſunt extitura. Adde, quòd Chriſtus in eodem libro (*Apoc*. 3. 11. *cap*. 22. 12, 20.) ſe citò venturum dicit, & unà ſecum mercedem, ut reddat unicuique prout opus ipſius fuerit. Quare rectè, atque ex mente divini ſpiritus dicitur, citò exstituram illam piorum in cœlis felicitatem, quæ ab adventu illo Chriſti incipiet.

† *Iam ut de ſanctis*] Etiam hic locus Apoc. VII, 14. 14. & ſeqq. graphicè depingit ſtatum & gloriam ſpirituum illorum, qui cum Angelis beatis triumphant in cœlo: Et ſanè neſcit quò ſe vertat Volkelius, ut tenebras offundat iſti luci: Quam non poſſit id reſtringi ad futuram, poſt univerſalem reſurrectionem, *ſanctorum* illorum conditionem, ſed ad eorum, qui glorioſum ſub Antichriſto martyrium conſummaverint ſtatum præſentem, præceſſurum reſurrectionem ipſorum, vel inde liquet, quod illis *ſtolis albis*, quibus eos *amictos* vidit Johannes, tantiſper donati fuerint, ut patet ex Apoc. VI, 11. & modò viſum, donec compleretur numerus fratrum ſuorum. Nec obſtat quod viſio hæc ſit de rebus eventuris poſt tempora Johannis (id enim eſt in confeſſo,) cùm mihi ſatis ſit quod exprimat conditionem eorum qui venerint ex afflictione magna, & dira quæque ſub Antichriſto paſſi fuerint: Nec poſſent iſta trahi ad ſtatum Eccleſiæ ſuperfuturæ in terris poſt perſecutiones Antichriſti, niſi ab iis qui Chiliaſtarum de lira caſtra ſequuntur.

Sed jam tandem videamus, quo pacto ſanctos mortuos nunc Deo pro nobis ſupplicare demonſtrent. Primò igitur hoc ex illis Dei conſtare verbis ducunt: (*Jer*. 51. 1.) *ſi ſteterint Moſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum*. Ergo, inquiunt, Moſes & Samuel jam mortui poterant & ſolebant orare pro populo Iſraelitico. Egregiam verò argumentandi ratio-

nem, nimirum huic ſimilem: Etiamſi angelus de cœlo (*Gal.* 1. 8.) prædi-
589 caverit vobis Euangelium præter id, quod prædicavimus vobis, anathema ſit. Ergo Angeli poſſunt & ſolent aliud Euangelium annunciare. Cur non potiùs hujuſmodi loquendi formis, quandam, ut ſic dixerim, rei de qua agitur, impoſſibilitatem declararo agnoſcimus? Quod verò iſti in verbo *ſteterit* ſive *ſtabit* philoſophantur, inaniſſimum eſt: cùm apud Hebræos unum futurum, exprimat & indicativi, & ſubjunctivi apud latinos modi, interdum etiam imperativi, futurum; & ipſa rei ſubjectæ natura doceat, ſive hoc, ſive illo modo verbum iſtud exprimatur, nullam aliam ſententiam ſermone hoc contineri quàm hanc: Etiamſi Moſes & Samuel viverent, vel à mortuis reſurgerent, proque populo iſto orarent, nihil proficerent: ut facilè appareat, nequaquam, ut quidem iſti aſſerunt, ineptè locuturum eſſe eum, qui eodem ſenſu dicat: Etiamſi Cicero Demoſtheneſque huc venerint, iſtud tamen non perſuadebunt. Non diffitemur autem in hujus generis locutionibus ſæpè haberi rationem earum rerum, quas illi, qui commemorantur, olim, dum in vivis eſſent, geſſerint, ut nimirum verbi gratia intelligatur, Ciceronem & Demoſthenem eloquentiâ plurimis aliquando, quæ voluerunt, perſuaſiſſe. Eodemque modo de Moſe Samueleque judicandum eſt, quorum preces hoc in loco ideò memorantur, quòd fuit tempus, ipſis nimirum viventibus, cùm populo Iſraëlitico precibus ſuis plurimùm profuerunt, & divina ab illo ſupplicia averterunt. (*vid. Exod. cap.* 32. 33, 34. *Num.* 16. 22: 20, 6: 21. 7. 1 *Sam.* 7. 5, 8, 9, 10.)

Deinde & illum locum, qui eſt 2. Macchab. ultimo, adferunt, ubi Judas in viſione quadam vidit Oniam pontificem & Jeremiam Prophetam, qui jam antea obierant, orantes pro populo Judæorum. Hìc primùm unà cum aliis reſpondemus, hunc librum non eſſe Canonicum, ſeu non eam eſſe illius autoritatem, ut dogma aliquod illius præſidio defendatur. Quamvis autem adverſarii concilii Carthaginenſis teſtimonio, librum iſtum canonicum eſſe comprobare nitantur: ipſe tamen ejus autor, ſtylum in eodem capite excuſans, ſatis indicat, nequaquam ejuſmodi ſua ſcripta eſſe, quæ à ſpiritu ſancto quodammodo dictata cenſeri debeant, ut alibi etiam à nobis diſputatum eſt. (*ſup. cap.* 16.) Verùm demus, librum iſtum & canonicum, & ideo fide digniſſimum eſſe; num protinus conſequetur, Oniam & Jeremiam pro populo tunc oraſſe? Nequaquam verò: cùm apertiſſimè dicatur, Judæ viſum ſeu ſomnium quoddam objectum fuiſſe. In viſis autem divinis nequaquam opus eſt, ut, quæ hominibus tunc occurrunt, ea planè ita ſeſe, ut apparent, habere credamus: ſignificatio earum rerum, inveſtiganda eſt; ut paulò antè de illo viſo diximus, quo Joanni animæ

martyrum

Digitized by Google

martyrum Deum inclamantes exhibitæ fuerunt; ut intelligeretur, Deum 590
piorum afflictiones haud aliter memoria tenere, iiſque ad vindictam de parricidis ſumendam impelli, ac ſi clamore ſuo eum ad injuriarnm ſuarum vindictam ſollicitarent. Ita autem etiam de hac Macchabæi viſione ſtatuendum eſſe illud indicat, quòd ibidem narratur, Jeremiam extenſa dextra dediſſe Judæ gladium aureum, his additis verbis: Accipe ſanctum gladium, munus à Deo, quo dejicies adverſarios populi mei Iſrael: id quod propriè ac reipſa ita, ut in viſione fuit repræſentatum, factum nequaquam fuit, quemadmodum unusquiſque facilè intelligit. Exiſtimandum igitur eſt, Deum tum ipſi Judæ, tum univerſo populo, perinde de ſua benevolentia, deque ſuperandis hoſtibus perſuaſum voluiſſe, quaſi Onias Jeremiaſque, viri olim incredibili ſanctitate præditi, plurimumque apud ipſum gratiâ valentes, aſſiduas ſibi pro illis preces funderent, ipſeque Deus gladium inſignem ad eam rem perficiendam Judæ ſuppeditâſſet.

Locus etiam ille, qui eſt Apocal. 5. (*v.* 8, *& d.*) ubi quatuor illa animalia, & viginti quatuor ſeniores ante agnum procidiſſe dicuntur, habentes ſinguli citharas, aureaſque phialas ſuffimentorum plenas, quæ ſunt ſanctorum ſupplicationes: hic, inquam, locus nihil adverſariorum cauſæ opis afferre poteſt. Non enim neceſſe eſt, ut, quemadmodum paulò ante diximus, res, quæ hominibus divinis per effigies atque imagines quaſdam animo objectas oſtenduntur, ſemper ea planè ratione ſeſe habeant, quâ in viſis illis cernuntur. Aliter enim plurima abſurda conſequerentur, præſertim apud hunc noſtrum Joannem, cui per divinam hanc viſionem, multa ſeſe obtulerunt, quæ ſi verè proprieque accipere velimus, in magnas abſurditates incurrere nos oporteat. Indicat id hoc loco ipſa illorum animalium figura, cithararum, phialarum, aliarumque rerum, quas in cœlo revera non extare omnes nôrunt, mentio. Sic infrà draco habens ſeptem capita & cornua decem, ſimiliter in cœlo, unà cum altero viſo mulieris amictæ ſole, &c. apparuiſſe legitur: licèt per eam fœminam eccleſia in terris exiſtens ſignificetur; per draconem autem Diabolus ei inſidias ſtruens, & iis, quos illa gignit, imminens, iutelligatur. Quod ſi quis ea, quæ cap. 4, & 5. Apocalypſeos ſcribuntur, juſtis ponderibus examinaverit, animadvertet, non injuriâ ſtatui poſſe, in eo, de quo diſputatur, loco, florentiſſimum illum eccleſiæ ſtatum ante oculos noſtros conſtitui, in quo mox, poſtquam Chriſtus in cœlos aſcenderat, & à dextris Dei collocatus fuerat, verſari cœpit. (*Epheſ.* 2. 20.) Tunc enim novum carmen univerſa eccleſia canere cœpit. Nam & Chriſtum ſuum Dominum agnovit; & eum ado-

ratione

591. ratione religioſâ venerata eſt, & denique ſanctiſſimas illi preces libavit. Quorum nihil antea in Dei populo auditum fuerat. Soli enim Deo olim hæc tribuebantur: nunc verò, ipſo ſic volente, etiam agno pro nobis mactato aſſignantur. Quare per iſtos ſeniores, perque animalia iſta, non animæ piorum defunctorum, quæ in cœlis vivant, ſed viri præcipui, qui in populo divino, in terris licèt degente, extent, repræſentantur.

‡ *Florentiſſimum illum*] Præſtaret id referre ad ſtatum Eccleſiæ Catholicæ ab initio mundi, uſque ad ſæculorum conſummationem; cum quotquot pii fuerunt & porro futuri ſunt, in utroque Teſtamento, procubuerint Deo & agno mactato pro nobis ab origine mundi Apoc. XIII, 8. Heb. XIII, 8. Interea tamen plerique interpretes malunt hoc intelligere de Eccleſia jam triumphante in cœlis & recollecta ad Deum ex Sanctis V. T. cum hæc viſio fuit exhibita Johanni; quod etiam eo ſenſu argumentum firmiſſimum nobis præbet pro exiſtentia & fœlicitate animarum ſeparatarum: quamvis ex ea nihil ſequatur pro invocatione ſanctorum.

Cap. XXVI.

In quo docetur, Jeſum eſſe Chriſtum ſive Meſſiam.

Respondente

PAULO ONIA,

Leſnenſi.

Reliquum eſt, ut ea Diaboli ſtratagemata repellamus, quibus homines ad Chriſtum blaſphemandum contumeliâque afficiendum, quantum in ipſo eſt, perducit. Ea autem in duo genera diſtribui poſſunt. Vel enim Jeſum minimè Chriſtum illum eſſe hominibus perſuadere conatur, ut quidem Judaicæ nationi jam olim perſuaſit: vel eo mentis errore implicat, ut ore linguaque Jeſum eſſe Chriſtum confiteantur: reipſa tamen idem pernegent, iis nempe rebus eum ſpoliando, quæ ad Chriſtum conſtituendum neceſſariò requiruntur. Ac priorem quidem ſententiam potiſſimùm per Judæos, quos primùm dementia iſta occupavit, inculcare ſolet. Quibus quidem duplici ratione ac viâ occurrendum eſt. Vel enim danda opera eſt, ut illos ipſos Chriſti notitiâ imbuamus; vel ne ab illis circumveniamur, ſummo ſtudio providendum.

‡ *Reliquum eſt*] Hæc ad methodum pertinent, quæ arbitraria eſt: Sed Socinia nomen ſuum præ omnibus debent profiteri inter eos quos Diabolus *eo mentis errore implicat ut ore linguaque Ieſum eſſe Chriſtum confiteantur, reipſa tamen idem pernegent;*

Digitized by Google

pernegent, iis nempe rebus eum ſpoliando quæ ad Chriſtum conſtituendum neceſſariò requiruntur.

Ac priorem quidem] Eodem ordine contra Socinianos, revera Semi-Judæos, procedendum eſt.

Ut autem, quod priore loco à nobis propoſitum eſt, aſſequamur, ex illis principiis argumenta ducenda nobis ſunt, quæ ipſi Judæi firma rataque habent. Ea autem vel veteris Teſtamenti ſcripturâ continentur; vel ſunt Jeſu Nazareni admiranda opera quæ ab ipſo facta eſſe idem genus hominum confitetur, aliaque argumenta, quæ manifeſta quadam ratione nituntur, partim à natura Chriſtianæ religionis, partim ab effectis eorum, quæ veritatem illius comprobant, ducta. Ac prior quidem via magis videtur fuiſſe expedita circa Chriſtianæ religionis initia, cùm multa à Prophetis olim prædicta ante oculos ita verſarentur, ut negari non poſſent; & ſenſus quorundam ſcripturæ locorum myſticus, ad Chriſtum ſpectans, à Judæis, ut apparet, facilè admitteretur; quæ ſubſidia nobis hodie cum Iudæis diſputantibus deſunt. Unde fit, ut nobis ea cum Iudæis agendi ratio aliquanto ſit difficilior, ob paucitatem eorum veteris ſcripturæ teſtimoniorum, quæ ad nullum alium præter Ieſum Nazatenum accommodari queant. Pleraque enim, quæ vates olim de Meſſia prædixerunt, duplicem patiuntur
ſenſum, alterum literalem, ut vocant, ſeu mavis, hiſtoricum, alterum 592.
myſticum, eumque ſæpe ita reconditum, ut ne ipſi quidem Chriſtiani ad Chriſtum ea referre cogitarent, niſi tum ipſius Chriſti, tum Apoſtolorum autoritate commoverentur.

‡ *Pleraque enim*] Putem nos iiſdem eſſe ſubſidiis inſtructos, quantum ad Scripturam, quibus nitebantur fideles *circa Chriſtianæ religionis initia*; Sed Sociniani plerumque prævaricantur in hac cauſa, & ſæpè geminos Soles vident in meridie: Imò hic produnt cauſam Chriſtianam, fatendo non aliâ poſſe nos duci ratione in applicandis Chriſto vaticiniis V. T. quam authoritate Chriſti & Apoſtolorum: Cùm enim hanc nolint admittere Judæi, hinc ſequitur eos non poſſe convinci per ſuos Prophetas.

Adde, quòd haud temerè ita ſeſe abjecerit Judæus, qui ſeſe, ut ait Apoſtolus, (*Rom.* 2. 19.) cæcorum ducem, lumen eorum, qui ſunt in tenebris, imprudentium præceptorem, imperitorum magiſtrum eſſe profitetur, ut ab homine ethnico, cui lex divina nunquam fuit lata, quique eam ipſam ob cauſam minimè ejus tenere ſcientiam videtur, Moſis vatumque cæterorum ſcripta ſibi explicari aut velit, aut permittat. Illud tamen Eſaiæ teſtimonium præ cæteris adeò perſpicuè atque evidenter in Jeſum Nazarenum convenit, ut præter hunc nemini accommodari poſſe videatur, quod

Digitized by Google

cap. 53. apud eum vatem extat. Quanquam enim maxima Iudæorum pars totam iſtam vaticinationem ad populum Iſraeliticum refert: perperàm tamen hoc fieri inde perſpicuum eſt, quòd non ſolùm ea iſto in loco vates illi, quem oratione perſequitur, tribuit, quæ in Iſraeliticum populum cadere minimè poſſunt, ſed etiam quæ illum ab eodem populo manifeſtò diſtinguunt. Nam & eum, de quo loquitur, (*ỳ. 8. & d.*) interficiendum, mortemque truculentam ſubiturum, & animam ſuam poſiturum, ut longævum ſemen videat, & cognitione ſui multos juſtificaturum illorum iniquitates portando, & iniquitatem non facturum, nec dolum in ipſius ore inventum iri prænunciat. Quæ omnia qua ratione populo Iſraëlitico verè aſſignari poſſint, nemo unquam demonſtrabit. Quid, quòd eum, de quo ſermo eſt, (*ib. v.* 8. *v.* 4, 11. *v.* 6.) propter populi transgreſſionem percuſſum eſſe, ejusdemque populi iniquitatem portâſſe, languores illius tuliſſe: item, omnes errâſſe, Deum autem in eum omnium iniquitatem feciſſe incurrere, vates aſſerit. Ex quo intelligitur, illum nequaquam ipſum populum eſſe, ſed ab eò perpetuò apertiſſimeque iſto in loco ſeparari. Nec ſolùm in populum Iſraeliticum hæc, quæ à vate dicuntur, minimè quadrare conſtat: ſed nullus etiam alius proferri poteſt, cui iſta omnia ad unguem reſpondeant, ut Ieſu Nazareno, qui Chriſtus nuncupatus eſt. Hæc quanquam ita ſunt in promptu, ut res diſputatione non videatur egere: placet tamen perniciociſſimum hunc Iudæorum errorem alterâ viâ ratione convincere. Ea autem ex admirandis Chriſti factis, quæ doctrinæ ſuæ confirmandæ cauſâ edidit, naſcitur. Quia enim Iudæi ipſius rei veritate convicti, ingenuè fatentur, Ieſum Nazarenum & certam hominibus diſciplinam tradidiſſe, & eam ejuſmodi miraculis corroborâſſe, quæ non niſi divinâ virtute edi potuerint; promtiſſimum ſanè eſt illos eò compellere, ut fateantur, Ieſum Nazarenum divinum hominem fuiſſe, & porrò quæcunque unquam dixit, ea vera, divina, omniumque aſſenſu digniſſima eſſe. Cum autem ſeſe ex mortis faucibus eripiendum, à dextris Dei conſtituendum, omnique in cœlo terraque poteſtate donandum prædixerit; fieri non poteſt, quin Iudæus cordatus, religioniſque ſtudio incenſus, hæc omnia certiſſimo eventu comprobata eſſe planè ſibi perſuadeat: præſertim ſi ſimul eorum, qui ſeſe Jeſum à mortuis excitatum vidiſſe, cum præſentiſſimo vitæ periculo confirmaverant, & cæterorum, qui illorum fide nixi fuerunt admirabilem conſtantiam, animo conſideret. Sic enim eveniet, ut nullum ampliùs locum apud eum habeat impudentiſſimum illud mendacium, quo Jeſum, qui inſignis Cabaliſta fuerit, malis artibus Dei nomen,

id eſt,

Digitized by Google

id eſt, portenta faciendi potentiam, ſibi comparâſſe, nationi iſti perſuaſum eſt. Facilè enim præter id, quod paullò ante diximus animadvertet ita de Jeſu Nazareno, portentiſque ab illo editis ſentire, nihil aliud eſſe, quàm cum ratione inſanire: cùm fieri nullo pacto poſſit, ut quiſpiam divinam potentiam, tot tantaque miracula patrandi, ipſo Deo aut invito, aut ignorante, quautâvis vi aſtutiâque ad ſe rapiat. Tanta enim eſt Dei virtus, tantaque ſapientia, ut nullâ nec humanâ nec angelicâ, nec diabolicâ potentiâ calliditateque ſuperari poſſit. Relinquitur igitur Jeſum Nazarenum non ſolùm, ut diximus, hominem divinum, ſed etiam illum Dei Chriſtum eſſe; & ſic nullam cauſam Judæos habere, quin eum fide complectantur, ipſiuſque ductum ſequantur.

‡ *Ieſum Nazarenum divinum*] Non tantum *divinum hominem*, ſed verè θεάνθρωπον ſe præſtitit, & ſeſe *ex mortis faucibus* eripuit, prout prædixerat Joh. 11,19.

Verùm cùm fortaſſis nondum genti iſti ex tenebris, in quas propter lucis contemptionem, juſtiſſimo Dei judicio depreſſa eſt, emergendi facultas, ſeu mavis opportunitas, data atque conceſſa ſit; & ideo, Deo una ex parte permittente, ex altera autē diabolo ſedulò curante, quotidie plures errorum laqueos quærant, quibus ſeſe irretiant, alios quoque, ſi poſſint, iis libenter implicaturi: ſequitur, ut diligenter videamus, quo pacto nobis cavendum ſit, ne iiſdem irretiti laqueis, Chriſtum, & unà cum eo ſempiternam felicitatem perdamus. Hoc igitur ante omnia ſedulò nobis faciendum eſt, ut Chriſti diſciplinam, ſemel animis noſtris infixam, tenaciſſimâ memoriâ cuſtodiamus, quibuſque rationibus nobis confirmata ſit, cogitationem nunquam dimittamus. Hinc enim conſequens fuerit, ut etiam in illis vaticinationibus, quas Judæi propter quandam earum ambiguitatem in alienum ſenſum detorquent, de Jeſu Nazareno ſermonem eſſe planè intelligamus. Neque enim dubium eſt, quin tum ipſius Jeſu, tum omnium Euangeliſtarum atque Apoſtolorum teſtimonia plurimùm apud nos ponderis ſint habitura; & porrò, cùm veteris ſcripturæ autoritate, Jeſum eſſe Chriſtum, 594.
paſſim demonſtrent, planè ita ſe rem habere, firmiter credituri ſimus. Et ſic fiet, ut eum quem ex virgine procreandum, Emanuelemque (*Eſa* 7. 14. *Matt.* 1. 22.) & Nazaræum appellandum, (*ib. c.* 2. 23) quem Bethlehemi naſciturum, (*Mich.* 5. 2. *Matth.* 2. 4.) quem ex Ægypto vocandum, (*Oſe.* 11. 1. *Matth.* 2. 15.) quem ſpiritu divino donandum, quem admodùm mitem, & ab omni contentione atque ambitione alienum futurum (*Eſa.* 42. 1. *& d. Matth.* 12. 17. *& d.*) quem in parabolis os ſuum aperturum, (*Pſal.* 78. 2. *Matth.* 13. 35.) quem pauperibus atque afflictis Euangelium an-

 nuncia-

Digitized by Google

nunciaturum, (*Eſ.* 61. 1. *Luc.* 4. 18.) quem manſuetum aſinoque inſidentem Hieroſolyma ingreſſurum, (*Zach.* 9. 9. *Matth.* 21. 5.) quem dolores languoreſque noſtros ablaturum, vibicibus ſuis nos ſanaturum, noſque ovium inſtar errantes ad ſe converſurum, quem ut ovem ad mactationem ducendum, nec os ſuum inſtar agni aperturum, (*Eſa.* 53. 4. *Mat.* 8. 17. *Eſa.* 53. 5, 6. 1 *Pet.* 2. 24, 25. *Eſa.* 53. 7. *Act.* 8. 32.) quem, poſtquam ut offenſionis lapis ab architectis repudiatus eſſet, in angularem lapidem ita evaſurum, (*Pſal.* 118. 22.) ut ipſi fidem adhibens non pudefieret, (*Eſ.* 28. 16. *Matth.* 21. 42.) quem per mortem ac reſurrectionem in gloriam ſuam ingreſſurum, (*Eſ.* 53. 10, 11, 12. *Luc.* 24. 25. *& d. & ỳ.* 44. *& d.* 1 *Pet.* 1. 11. *Pſal.* 2. 7. *Act.* 13. 33. *Pſal.* 16. 3. *Act.* 2. 25. 13. 35.) quem Prophetam illum populo Iſraelitico ſuſcitandum, (*Deut.* 18. 13. *Act.* 3. 22.) quem à Dei dextris collocandum, (*Pſal.* 110. 1. *Act.* 2. 34.) ab omnibuſque divinis angelis adorandum, (*Pſal.* 97. 7. *Heb.* 1. 6.) quem clariſſimam omnibus gentibus lucem prælaturum, (*Eſa.* 49. 6. *Act.* 13. 47. *&* 26. 22. 23.) quem denique omnibus in ipſo fiduciam collocantibus peccata condonaturum, (*Eſa.* 53. 10, 11. *Ier.* 31. 34. *Ioël.* 2. 32. *Act.* 10. 34. *Rom.* 10. 13.) vates prænunciârunt, ut, inquam, eum nullum alium præter Jeſum Nazarenum eſſe, conſtantiſſimè credamus. In hoc enim iſta omnia eventu completa eſſe, uno ore omnes Novi Teſtamenti ſcriptores teſtificantur. Quinimò tantos animos nobis veritas iſta parit, ut fœdiſſimum hunc Judæorum errorem & contemnere, & apertiſſimè convincere non dubitemus: idque iis Veteris Teſtamenti teſtimoniis, quæ non ſolùm apud homines
595. Chriſti diſciplinâ imbutos maximum ſemper pondus habuerunt, ſed etiam à Judæis non facilè eludi poſſunt; quippe quæ Ieſum eſſe Chriſtum tantùm non indice digito oſtendunt, dum & tempus, quo venturus erat aliaſque circumſtantias exprimunt, ex quibus id, quod hoc loco quæritur, evinci poteſt.

Primò igitur prodeat in medium pater ille divinus Iacobus, qui luculentiſſimis verbis prædicit, (*Gen.* 49. 10.) in Iudæ ſtirpe ſceptrum, id eſt, reges ac principes, reique publicæ moderatores non defuturos, donec adveniet Siloh, cui ſeſe populorum multitudo aggregatura ſit, quem Chriſtum ſive Meſſiam eſſe nemo dubitat. Cùm igitur non ſolùm ſtirps illa jam à multis ſeculis nullos reges, nullos principes, nullos Iudaicæ Reipublicæ moderatores edat: ſed ipſe etiam reipublicæ Iudaicæ ſtatus prorſus convulſus, horrendæque deſolationis tenebris demerſus atque ſepultus ſit; quanta cœcitas eſt, non credere, hunc Ieſum eſſe Chriſtum, quem exploratiſſimum eſt, non ſolùm tunc fuiſſe natum, cum principatus gentis illius,

quæ

Digitized by Google

quæ Iudæ nomine à multis jam ſeculis fuerat appellata, ad extraneos deferri cœpiſſet; ſed eidem quoque jam inde à religionis Chriſtianæ primordio, tandem variarum nationum multitudinem adhæſiſſe, ut nonniſi in hoc uno Iacobi vaticinationem eventu comprobatam eſſe luculentiſſimè appareat.

Quid verò de Daniele dicemus, qui ut Meſſiæ adventum certo temporis ſpatio definiat, (*Dan.* 9.24. *& d.*) ſeptem & rurſus ſexaginta duas hebdomadas numerat, intra quas Meſſiam & venturum, & ungendum, & occidendum, & fœdus per eundem confirmandum, & hoſtias atque ſacrificia legalia obliteranda, & urbem ſanctam exſcindendam, templum diruendum, & univerſam Iſraeliticam nationem miſerabiliter diſſipandam prænunciat. Etſi autem proculdubio numerus ille ſit myſticus, & hebdomades illæ non dierum, ſed annorum ſint, (nam intra tam paucas dierum hebdomadas, ſeu intra annum & quatuor aut quinque menſes, iſta nequaquam evenerunt) licèt etiam nonnulla de initio, & ſic etiam de termino iſtius temporis exquiſitè ſumto, ſit inter doctos controverſia: res ipſa tamen nimis clarè oſtendit, non ſolùm tempus iſtud effluxiſſe; ſed nulli etiam præter Ieſum Nazarenum totam hanc vaticinationem accommodari poſſe.

Aggæus quoque vates illam Iudæorum amentiam convincit, (*Agg.* 2.8, 9, 10.) dum, ſtante adhuc poſteriore templo Hieroſolymitano, illum cunctis Gentibus deſideratum venturum præmonſtrat, quippe per quem Deus majore poſterius, quàm prius templum, gloriâ completurus eſſet.

Verùm nondum ſatis tuti à Iudæorum incurſionibus futuri ſumus, niſi illa eorum tela, quæ magis videntur ferire, repellamus. Neque enim in iis retundendis laborandum videtur, quæ leviora hebetioraque eſſe, ipſi fortaſſis, maximè autem, qui reliquis prudentiâ antecellunt, animadvertentes, rarò in nos conjiciunt. Illorum autem, quæ alicujus momenti eſſe videntur, duo ſunt genera: quorum alterum Ieſu Nazareni facta quædam complectitur; alterum verò ad Meſſiæ, ejuſque regni qualitates ſpectat. Ut igitur de Ieſu Nazareni factis priùs loquamur; intelligendum eſt, Iudæos hunc in modum ratiocinari. Quicunque, inquiunt, populum Dei à religione divinitùs illi præſcripta ad alium Dei cultum traducere conatur, is, ſi vel maxima dat miracula, tantum abeſt, ut verus Meſſias ſit habendus, ut potiùs in capitaliſſimis Dei inimicis, in illiſque vatibus meritò numeretur, de quibus Deus apud Moſen hunc in modum loquitur; (*Deut.* 596.
13.1.) *Si ſurrexerit in medio tui propheta, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi: eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis: non audies verba prophetæ illius, aut ſomniatoris.* Et paucis interjectis ait: *Propheta autem ille aut fictor*

Digitized by Google

ſomniorum interficietur: quia locutus eſt, ut avertat vos à Domino Deo veſtro, qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de terra ſervitutis; ut errare te faceret de via quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui. Atqui, inquiunt, quis unquam repertus eſt, in quem omnia iſta planè conveniant, præter Jeſum Nazarenum? Is enim & idola innumera in Chriſtianorum templa invexit, hominibuſque colenda exhibuit: & univerſum Dei cultum, qui in ceremoniarum religione conſiſtebat, exterminavit, aliamque in illius locum Dei colendi rationem ſubſtituit; & ſic populo Dei à recta divinituſque ſibi præſcripta via aberrandi cauſam attulit. Hinc colligi ajunt, eum nequaquam Meſſiam illum, ſed falſum vatem, dignumque fuiſſe, qui ita, ut factum eſt, in crucem ageretur. Reſpondemus autem, ea, quæ hîc in Jeſum Nazarenum conferuntur, partim falſiſſima, partim verò nequaquam ejuſmodi eſſe, ut eum Meſſiæ titulo privandi ullam vim habeant. Primò enim, ſimulachra eum in templa minimè intuliſſe, ex ipſius diſciplina ſupra à nobis explicata planiſſimè conſtat. Ceremoniarum porrò abolitionem nequaquam efficere, ut Jeſus Chriſtus Meſſiasvè habendus minimè ſit, primò inde perſpicuum eſt, quòd, ut ſuprà ſuo loco demonſtratum eſt, non Jeſus præcipuè, ſed per hunc ipſe Deus, idque non quatenus prophetæ, ſed quatenus jam regis officium gerebat, ceremoniis illis finem attulit, & vel hoc ipſo eum Meſſiam eſſe, oſtendere voluit: cum leges figere atque refigere regum ſit proprium. Quem admodum autem Deus pro arbitrio leges illas ceremoniales, quæ, ſi ipſius voluntatem atque auctoritatem demas, neminem obligant, ferre potuit: ita etiam, cùm id illi viſum fuit, eaſdem abrogare, per quem illi placuit, jure ſuo potuit. Decuit autem, ut non niſi per Meſſiam, per quem omnem imperfectionem cultus divini tolli, & omnes homines, etiam gentes extraneas, ad Deum colendum adduci conveniebat, id faceret. Deinde conſtat, Moſen in loco ſuprà adducto ejusmodi vatem deſcribere, qui homines à Deo abſtrahat, illiſque ad alienos Deos colendos autor ſit. Quod ſanè flagitium is nequaquam ſuſcipere exiſtimandus eſt, qui quamvis modum veri Dei colendi, idque aliqua tantùm ex parte commutet, eundem tamen Deum, & præter hunc nullum alium colendum eſſe urgeat: præſertim
567. ſi ejus colendi rationem non propriâ, ſed ipſius Dei autoritate mutet. Quinimò ſi rem iſtam ritè perpendere voluerimus, tantum abeſſe comperiemus, ut ex hac ceremoniarum abrogatione concludi poſſit, Ieſum eum fuiſſe, qui homines à Deo abduxerit; ut potiùs nullum aptius inſtrumentum, omnes orbis nationes in Dei ſtudium perducendi, reperiri potuerit, hac ipſa religionis mutatione. Hæc enim ceremoniarum religio ſepti illius interſti-

Digitized by Google

interſtitium erat, quod tolli oportuit, ut per Chriſtum omnibus terræ nationibus ad unum illum Deum Patrem aditus patefieret. Diſcant igitur Iudæi tandem, Deum illum omnium conditorem, omnium Deum eſſe voluiſſe, Meſſiæque officium fuiſſe, omnibus hominibus ad Deum cognoſcendum, fideque complectendum, viam aperire; & porrò, ut hoc perficeret, ad eum pertinuiſſe, omnia, quæ ſanctiſſimo huic negotio impedimenta opponerent, tollere atque exterminare. Adde quòd, ſi Ieſus Nazareno homines à Deo disjungere, alienorumque Deorum cultu obſtringere propoſitum fuiſſet, non ceremoniarum legem, quæ huic ipſius conſilio aut parùm aut nihil obfuiſſet, ſed legem, quam dicunt, moralem omninò reſcidiſſet. Hanc enim qui ritè conſervat, Deos alienos, idolaque religioſo cultu venerari nullo pacto poteſt: illam verò maxima ex parte eos etiam cuſtodire poſſe, qui cultum Deo debitum ad idola transferunt, inde conſtat, quòd Iſraëlitæ à Ieroboamo in hoc ſcelus impulſi, ſine dubio & circumcidebantur, & ſabbata agebant, & ſacrificia faciebant, & corpora abluebant, & id genus alia peragebant. Neque enim Ieroboam, ut, quod volebat, aſſequeretur, iſta auferre aut poterat, aut neceſſe habebat.

1. *Adde quod*] Multa hîc dicuntur non incommodè de cæremoniarum abrogatione facta per Chriſtum: Sed quædam ſunt quæ limam deſiderant, in quibus Volkelius abrogat Chriſto per indirectum ſuam authoritatem divinam: Nec certè potuit quà Rex abrogare leges cæremoniales, quin & hæ priùs ab ipſo latæ fuerint, & ille ſummo atque divino imperio, adeoque & divinâ naturâ ac poteſtate, ſit præditus: Nam leges à ſuperiori ſancitæ per inferiorem nequeunt abrogari: Et *nihil tam naturale eſt quam eo genere quid-ve diſſolvere quo colligatum eſt*, inquit juriſconſultus *ff. de R.I. l.* 35. Tũ probari potuiſſet ex Prophetis cultũ illum cæremonialẽ fuiſſe abrogandum, & ſignificationem myſticam & figurativam habuiſſe, cujus veritas in Chriſto Servatore fuit exhibita. Corpore autem præſente umbras evaneſcere æquum fuit; & tolli tabulata deſtinata ædificio exaltando & perficiendo ubi illud ſuam perfectionem obtinuit.

Jam quod ad Meſſiæ ejuſque regni qualitates attinet, hoc pacto Judæi argumentantur: Meſſiæ, inquiunt, regnum & terrenum, & omni bellorum metu vacuum, ideoque pacatiſſimum, & omnis felicitatis, opum atque divitiarum abundantiâ affluentiſſimum fore, Prophetæ prædixerant. Cum autem Jeſus Nazarenus, nec terrenum regnum habeat, nec, ut pacem mundo afferret, ſeſe veniſſe ipſe fateatur, (*Matth.* 10. 14. & *d.*) nec denique ulla terrena felicitate, divitiarumque copiâ vel ipſe abundaverit, vel alios locupletaverit; meritò hinc colligi dicunt, eum Meſſiam illum promiſſum nequaquam eſſe. Hîc primùm reſpondemus, nequaquam Prophetas fore prædixiſſe, ut Chriſtus ſtatim rectaque, id eſt, nullis interve-

venien-

venientibus perpeſſionibus, regnum ſuum intraret. Quinimò multas afflictiones mortemque adeò truculentam ei priùs ſubeundam fuiſſe teſtificantur: ut ex Eſaiæ, (*Eſa.* 53.) qui reliquorum vatum interpres non im-
598. meritò nominari poteſt, verbis clariſſimè patet, quibus tum antecedentes Chriſti paſſiones, tum conſecuturas glorias commemorat. Ac illas quidem hoc pacto, ut eum & deſpicatui fuiſſe, & vulneratum, attritum, percuſſum, cum ſceleratis reputatum, & ſicut ovem, quæ ad occiſionem ducitur, os non aperuiſſe, & ſicut agnum coram tondente obmutuiſſe, & denique de terra viventium abſciſſum, animamque pro peccatis poſuiſſe, vates aſſerat. Has verò, nimirum Chriſti glorias ſic deſcribit: *Si poſuerit pro peccatis animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in ejus manu dirigetur. Pro eo quòd laboravit, anima ipſius videbit, & ſaturabitur*, &c. Deinde dicimus, ut Jeſum Meſſiam illum à Prophetis promiſſum eſſe conſtet, plus quàm ſatis eſſe, ejus regnum eo florere ſplendore atque tranquillitate, iiſque affluere opibus ac fortunis, quæ omnem terrenam amplitudinem, pacem, ac divitiarum magnitudinem infinitis partibus ſuperent, ideoque ab illis vix adumbratæ dici poſſint. Qui enim plus præſtat, quàm promiſiſſe videbatur, quomodo quæſo non cumulatiſſimè promiſſis ſtare dicendus eſt? Cum igitur Deus per ſanctos vates terrenorum bonorum affluentiam, unà cum Chriſti regno promiſiſſe videatur, interim autem cœleſtibus opibus ſuos per Jeſum cumulet; quid cauſæ eſt, quin hunc Jeſum Chriſtum illum Dei eſſe, firma animi aſſenſione credamus? Hoc autem Deum per Ieſum facere, ideo hoc loco pro conceſſo ſumimus, quòd ſuprà (*h. lib. c.* 5.) adeò id verum manifeſtumque eſſe oſtendimus, ut non niſi ab inſano, vel ſcelerum conſuetudine prorſus excæcato homine negari poſſit; nedum ut ab homine Iudæo, vel Iudaicis placitis dedito, falſitatis accuſari meritò queat: quippe cum talis nequaquam firmiorem veterum ſcriptorum libris aſſentiendi cauſam habeat, quàm nos Novo credendi. Quinimò ut, quod res eſt, dicam, multò certioribus ad novæ ſcripturæ credendum argumentis impellimur, quàm illi ad veterem amplectendam: propterea quòd eorum, quæ veritatem ſcriptorum novi fœderis probant, aperta adhuc extant veſtigia atque effecta: eorum verò, quæ veteris Teſtamenti autoritatem comprobent, ſi novi autoritatem repudies, adeò obſcura, ut propè nulla eſſe videantur: imò ſi illinc quidem veteris illius fœderis promiſſa, terrenam felicitatem, victorias de hoſtibus, pacem ac tranquillitatem, omniumque rerum abundantiam populo Judaico pollicentia, hinc verò calamitoſum illius populi ſtatum, exilium, atque ſervitutem per tot jam ſecula durantem reſpicias; nihil eſt cauſæ, quin fidem iis penitus

Digitized by Google

tus deroges, niſi id, quod nos volumus, admittas, populum hunc tam
gravem, tamque diuturnam pœnam eo commeritum eſſe, quòd Meſſiam 599.
ſibi à Deo datum atque exhibitum repudiârint, ac crudeliſſimè interfece-
rint, eumque reſuſcitatum, atque ad dexteram Dei exaltatum, cum ejus
rei clariſſima haberent documenta, admittere noluerint. At verò quanta
adhuc eorum, quæ N. Teſtamenti veritatem comprobant, quamque illu-
ſtria extent argumenta, ex iis quæ de ſacræ ſcripturæ N. fœderis autoritate
ſuprà diſputavimus, patet. Taceo quòd, ut eodem loco dictum eſt, omnes illi,
qui Chriſti diſciplinam literis conſignârunt, partim ejuſdem dictis rebuſ-
que interfuerunt, partim ab illis ea acceperunt, qui Chriſto uſi ſunt fami-
liariſſimè. Quorum neutrum de multis veteris teſtamenti ſcriptoribus affir-
mari poteſt. Ut enim, reliquis omiſſis, primarium veteris ſcripturæ autorem
Moſen conſideremus; quis neſcit, illum multa ſcriptis ſuis mandâſſe, quæ
nec ipſe oculis uſurpare, nec ex aliis hominibus certò cognoſcere potuit,
utpote, quæ non ſolùm antè ipſum, ſed omnes etiam homines natos geſta
fuêre, vel quæ poſt hominum quidem memoriam, longè tamen ante ipſum
evenerunt? & tamen iſti homines ſine ulla dubitatione, & quidem meri-
tò, omnibus ejuſdem ſcriptis aſſenſionem præbent. Quid igitur eſt, cur mi-
norem novæ ſcripturæ autoribus, & non potiùs pleniſſimam fidem adhi-
beant? Cùm igitur, ut ad rem redeamus, novi Teſtamenti volumina, non
terrenam, ſed cœleſtem tranquillitatem, dignitatiſque amplitudinem, non
fluxas & momentaneas, ſed ſempiternas opes Chriſti regno aſcribant; con-
ſequens eſt, harum rerum prædictiones & allegoricas eſſe, & ideo quaſdam
tantæ felicitatis adumbrationes continere, & porrò ex novæ ſcripturæ ſenten-
tia explicari oportere, quicquid prima facie diſcrepare videantur; conſtan-
terque negandum, Deum, cùm Meſſiæ regnum promitteret, mundanum
intellexiſſe: cum, quale allegoricis iſtis locutionibus ſignificaverit, ipſe
effectus clariſſimè teſtificetur. Si dixeris, regnum Davidicum Meſſiæ pro-
miſſum eſſe, quod cùm terrenum fuerit, dubium non eſſe, quin & Meſ-
ſiæ regnum terrenum ſit futurum: reſpondemus, ut Chriſtus Davidicum
regnum haberet, neutiquam neceſſe fuiſſe, ut terrenus rex fieret: cùm id
ipſum Davidis regnum nequaquam conſtituat, ſeu in ejuſdem definitio-
nem incurrat. Davidicum quippe regnum tenere, eſt imperium habere
in ſingularem Dei populum, hacque ipſa nota illud ab omnibus aliis regnis
diſtinguitur. Cum igitur Dominus Jeſus, excellentiſſima ratione Dei po-
pulum regat atque gubernet; quis jure negare poterit, eum in Davidis
ſolio ſedere & porrò Chriſtum ſive Meſſiam eſſe? præſertim cùm, licèt
non ut David aliique reges, mundano more regnum ſuum adminiſtret, 660.

aut in terris ipſe degat; tamen in terris eum quoque regnare, haud ſanè diffiteamur: utpote cùm omnis ei tam in cœlo, quam in terra, poteſtas data ſit. Tametſi autem non minùs, quàm ipſi Deo, paucos admodum illi dicto obedientes videmus: tamen cùm regnum non tam ex ſubditis eorumque voluntate, quàm ex imperandi omniaque ſibi ſubjiciendi poteſtate quam quis in ſubditos habeat, ponderandum ſit: nihil prohibet, quominus uterque in terris etiam dominari ac rerum potiri, jure credatur. Sed demus etiam, ad naturam atque eſſentiam Davidici regni conſtituendam omninò pertinuiſſe, ut terrenum eſſet: non ſequitur tamen ejuſdem planè generis, ejuſdemque rationis regnum Chriſto promiſſum eſſe, ſed ei ita analogum, ut interim Davidico regno longiſſimè antiſtaret. Deus enim ſub rerum terrenarum umbris res longè præſtantiores ac planè cœleſtes promiſit, quemadmodum paulò ſuperiùs diximus.

† *Cum igitur, ut ad rem*] Facilè poſſet demonſtrari ex ipſis libris V.T. has prædictiones eſſe allegoricas, & Meſſiam Davidis ſolium obtinuiſſe ex parte regni, ſive objecti, nempe in Dei populum, non tamen ex parte modi, quo illa poteſtas regia adminiſtratur & exercetur.

Cap. XXVII.

In quo Chriſtum nunc regnare docetur.

RESPONDENTE

ADOLPHO PONTANO, Steinfurto-Weſtphalo.

Conſequens nunc eſt, ut quo pacto, qui ore linguaque Jeſum eſſe Chriſtum confitentur, idem reipſa negent, diligenter videamus. Intelligendum igitur eſt, eos ita hoc facere, ut ea, quæ Chriſtum conſtituunt, eive omnino attribuenda ſunt, illi detrahant. Nam & illum hoc tempore regnum adminiſtrare, & porrò fidelium nationis procurationem habere pernegant; & adorationis cultu venerandum minimè eſſe, & ipſius auxilium implorari nequaquam poſſe, audacter dicunt: de quibus ſingulis cognoſcendum nobis eſt.

† *Intelligendum igitur eſt*] Atqui hujus criminis rei ſũt maximè Sociniani, & qui hic notantur proles ſunt eorum, & ipſorum potiſſimum hypotheſibus nituntur.

Primò igitur illi, qui Chriſtum nunc regnare negant, facilè illis omnibus, quæ ſuprà de ſummo ejus imperio diſputata ſunt, convinci poſſent, niſi tergiverſari, & ipſi ſibi cauſas nectere vellent, ob quas præſens Chriſti regnum agnoſcere non poſſint. Duplici autem ratione errorem ſuum ſtabilire conantur. Primò enim ea teſtimonia, quæ præſens Chriſto regnum

Digitized by Google

aſſignant, eludere volunt: deinde argumentis quibuſdam evincere conantur, Chriſtum nondum regnum ſuum occupâſſe. Jam ut, quo pacto eludere clariſſima præſentis Chriſti regni teſtimonia nitantur, videamus; ſatis fuerit pro omnibus aliis illa Chriſti verba in exemplum proponere, quibus ſibi omnem in cœlo terraque poteſtatem traditam eſſe aſſerit. (*Matth.* 28. 18.) Hîc enim vel omnis poteſtatis nomine, Euangelii adminiſtrationem intelligendam eſſe; vel de re longo demum tempore, aut multis etiam ſeculis pòſt extitura, verba hæc accipienda eſſe contendunt. Nos verò neutrum admittimus. 601. Primò enim nulla ratio ſuadet, omnis poteſtatis vocabulo Euangelii miniſterium ſignificari. Quòd enim ajunt, vocem *omnis*, ſecundùm ſacrarum literarum conſuetudinem, ad ſubjectam materiam, quæ Euangelium ſit, reſtringendam eſſe, futile prorſus nugatoriumque eſt: cum non ſolùm Euangelii prædicatio poteſtas nequaquam ſit, ſiquidem vox *ἐξουσίας* ſeu *poteſtatis*, abſolutè poſita, non niſi imperium ſeu regendi jus atque auctoritatem, vel eos, qui auctoritatem illam habent, ſignificat: verùm etiam, ſi maximè poteſtas eſſet, non omnis tamen hæc poteſtas foret, quam Chriſtus oratione perſequitur, utpote cum hîc omnis in cœlo terraque poteſtas nominetur, quam propter ſummam amplitudinem ad ſolam Euangelii adminiſtrationem reſtringi minimè poſſe, res ipſa clamat. Non diffitemur igitur, vocabulum *omnis* ad materiam ſubjectam referendam eſſe; ſed eam Euangelium eſſe pernegamus: cum omnis iſta poteſtas Chriſto data, omnia ea complectatur, quæ ad Eccleſiam gubernandam, tuendam, inque ſempiternæ felicitatis ſtatu collocandam pertinent. Poteſtatem autem illam ab Euangelii prædicatione omninò differre, præter ea, quæ diximus, illud quoque docet, quòd apertè videmus, omnem poteſtatem Chriſto datam, ut cauſam commemorari ejus rei, quæ mox ſubjungitur, nimirum cur Apoſtoli Euangelium omni hominum nationi prædicare, &, ut omnes Chriſti fiant diſcipuli, curare debeant, nihil interim dubitantes de Chriſti auxilio, ad tam arduum munus neceſſario, quod ipſis poſtmodum eodem in loco pollicetur. Poſtquam enim ſibi omnem in cœlo terraque poteſtatem datam eſſe dixiſſet, addidit ſtatim, *Euntes ergo, diſcipulos facite omnes gentes.* Deinde ſeſe Apoſtolis, omnibuſque adeò, qui illis futuri eſſent fide ſimiles, perpetuò uſque ad finem ſeculi affuturum promittit. Id quod ſeparatam ab Euangelii prædicatione Chriſti poteſtatem nobis ob oculos ponere, omnes cordati intelligunt.

† *Id quod ſeparatam*] Imò idipſum Chriſto vindicat attributa abſolutè divina *omnipotentiæ* & *omnipræſentiæ*, quæ in meram creaturam cadere nequeunt.

Digitized by Google

Ex his autem, quæ modò diximus, patet, hæc Chriſti verba non loqui de re longo demùm tempore aut multis etiam ſeculis poſt extitura; quæ ſecunda eſt adverſariorum exceptio. Quidam enim videntes, poteſtatem illam, de qua Chriſtus loquitur, non de prædicatione Euangelii, ſed de regno atque imperio accipienda eſſe, interim tamen confiteri nolentes, Chriſtum jam reipſa regnare, huc confugiunt, ut dicant, verba illa de futuro Chriſti regno, quod quidem in terris extiturum credunt, accipienda eſſe. Sed id adeo vanum eſt, ut vix refutari mereatur. Cum enim, uti
602. diximus, Chriſtus omnem in cœlo & terra poteſtatem ſibi datam commemoret tanquam cauſſam, ob quam Apoſtoli ipſius juſſu mox in univerſum orbem ire, omnes orbis nationes ad diſciplinam ejus amplectendam, ejuſque nomen profitendum adducere, iiſque præcepta ejus ſervanda tradere debeant, nihil de ipſius auxilio, quod & ſibi, & cæteris fidelibus uſque ad ſeculi hujus finem ſit perpetuò laturus, dubitantes: quid, quæſo, huc facit regnum Chriſti, quod multis demùm ſeculis poſt, atque adeò non multo ante mundi hujus finem ſit adepturus, & in terris adminiſtraturus? Annon res ipſa unumquemque clariſſimè admonet, de ea poteſtate Chriſti ſermonem eſſe, cujus jam tum, cùm iſta loqueretur, primitias quaſdam habebat, quamque mox, poſtquam in cœlum aſcendiſſet, perfectiſſima ratione erat adepturus? Illa enim in cauſa fuit, ut Apoſtoli ſpiritu ſancto ab ipſo imbuti, eum in cœlis regnare, atque in dextra throni Dei conſidere manifeſtè cernentes, Euangelium, initio à Judæis facto, per orbem terrarum ſpargerent, eaque ratione omnes homines ad Dominum hunc ſuum agnoſcendum, diſciplinam ipſius amplectendam, & præceptis ejus parendum adducerent, innumera ac prorſus ſtupenda miracula, ipſius virtute adjuti, ederent, ejus patrocinio in mediis periculis mediaque morte defenderentur ac confirmarentur, quemadmodum tum Acta Apoſtolorum, tum Epiſtolæ, Paulis imprimis, clariſſimè teſtantur. His duabus rationibus & hæc addenda eſt, nempe conſentaneum minimè eſſe, Chriſtum nunc à dextris Dei conſtitutum minus habere poteſtatis, quàm cùm in terris adhuc degeret. Fuiſſe autem eum jam tum Chriſtum, non deſignatione tantùm, ſed reipſa quodammodo, hinc ſatis liquet, quòd in forma Dei erat, tantaque virtute ac potentia omnibus rebus ſub cœlo poſitis imperabat, ut maria, venti, morbi, mors denique ac dæmones, ipſius juſſis parere cogerentur. An igitur nunc, poſtquam in gloriam ſuam ingreſſus eſt, tantò illum minus poſſe volumus, quantò plus gloriæ ac dignitatis conſecutus eſt? (*Luc.* 24. 26, 46, 47.) an porrò Joannem Baptiſtam turpiſſimi mendacii inſimulabimus, qui ſe minui,

Digitized by Google

nui, illum verò creſcere oportere affirmat? (*Ioh.* 3. 30) Atqui omnino hoc nos facere neceſſe eſt, ſi, poſtquam ille antea Chriſtus revera, inque Dei forma fuit, nunc deſignatione tantùm eum Chriſtum regemque eſſe volumus, omneque illi imperium, omnem rerum tum cœleſtium, tum terreſtrium adminiſtrationem ei adimimus. Quòd enim quidam ajunt, ſatis illum auctum fuiſſe, poſtquam ipſius doctrina in univerſum terrarum orbem divulgata eſt, id nihil eſt, ſi cum illis, quæ perdiderit, conferantur, ideoque non ſolùm non amplificata, ſed mirum in modum imminu- 603.
ta illius gloria cenſenda eſt; præſertim cum, ſi doctrinæ ſpectemus promulgationem, non minùs Joannes Baptiſta, quàm Chriſtus creviſſe videatur.

† *Annon res ipſa*] Hoc figmentum de *primitiis*, eſt æquè abſurdum, ac eorum Millenariorum inter Socini ſequaces qui ſtolidè Chriſtum necdum regnare ſibi imaginantur: Loquitur certè Dominus de eo jure quod jam tum ipſi competebat, licet illius exercitium plenum, in ſalutem Eccleſiæ & ſuorum, immediatè ſuam aſſumptionem in gloriam & aſcenſionem in cœlos eſſet excepturum.

Fuiſſe autem jam tum] Illa limitatio *quodammodo* eſt abſurda, cum omnimodo & abſolutè *Chriſtus* fuerit, & Deus ſuper omni benedictus.

At, inquies, apertiſſimè autorem Epiſtolæ ad Hebræos ſententiæ noſtræ contradicere, (*Heb.* 2. 8.) dum Jeſu nondum omnia ſubjecta eſſe affirmat. Atqui nec ita loquitur divinus ille Autor; nec ſi ita loqueretur, quicquam id ad præſens Chriſti regnum evertendum haberet virium. Nam quod ad prius attinet, non dicit Autor ille, Jeſu nondum omnia ſubjecta eſſe; imò Jeſum ei homini, cui nondum omnia ſubjecta eſſe videamus, opponit, &, quod in hoc impletum non ſit, In illo impletum eſſe affirmat, dum ita ſubjicit: *Illum autem, qui pauxillum* (vel *ad breve tempus*) *præ angelis minor fuit factus, videmus Ieſum, propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum.* Itaque totius loci hic eſt ſenſus, quaſi dixiſſet divinus Autor: non eſt, quòd quis verba hæc, myſtico nempe ſenſu accepta, de homine terreno intelligenda eſſe contendat, nam de homine iſthic dicitur, eum ad breve tempus minorem futurum angelis, poſt illud autem tempus gloriâ & honore coronandum, omniaque pedibus ejus ſubjicienda eſſe. Atqui homini terreno per tot ſecula nondum videmus omnia in univerſum ſubjecta ipſumque adeò gloriâ & honore coronatum eſſe: ſed Jeſum, qui ad breve temporis ſpatium angelis minor fuit factus, ob paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum manifeſtè cernimus. Unde apparet, de Chriſto, non de homine terreno, de quo literali ſenſu hæc verba accipienda eſſe non

Digitized by Google

ignoramus, myſticè eſſe intelligenda. Quare tantum abeſt, ut hoc loco aſſeratur, Chriſto nondum omnia eſſe ſubjecta, eâ præſertim ratione, quâ volunt adverſarii, ut contrarium planè affirmetur. Deinde etiamſi ita, ut iſti volunt, ab Autore divino ſcriptum eſſet, non protinus tamen intelligendum foret, nihil nunc Chriſto reipſa ſubjectum eſſe, nec ea ipſum poteſtate ac virtute eſſe præditum, quâ omnia in univerſum actu ipſo ſibi ſubjicere queat: ſed tantùm, ut verba ipſa ſonant, ei nondum omnia reipſa ſubjecta eſſe, præſertim penitùs: quia res quædam ejus imperio adhuc reluctentur, ut dæmones, homines impii, mors, quæ ultimo demum loco pedibus Chriſti ſubjicietur, ut in Epiſt. 1. ad Corinth. docet Apoſtolus. (*1 Cor.* 15.25. *& d.*) Neque verò eſt, quòd quis putet, ſi ita accipiantur hæc verba, ea vel pugnatura cum illis, quæ præceſſerant; *Omnia ſubjeciſti ſub pedes ejus*, vel in his præteritum *ſubjeciſti* pro futuro accipiendum eſſe. Docuimus enim alibi (*lib.* 3. *c.* 29.) duplicem hîc rerum ſubjectionem eſſe animadvertendam, quarum altera in actu, altera in poteſtate ac virtute Chri-
504 ſti conſiſtat. Et de illa quidem accipienda erunt illa, de quibus controvertimus, verba, *Nondum ei omnia videmus ſubjecta*: de hac verò loquuntur iſta, *Omnia ſubjeciſti ſub pedes ejus*. Hæc autem ſubjectio rerum omnium ſub pedes Chriſti abundè ſufficit, ut is jam nunc regnare dicatur, præſertim cum multa ei jam reipſa pareant, ejuſque imperium, ut locus ille prior ad Chriſtum relatus poſtulat, agnoſcant. Is enim regnare meritò dicitur, qui, licèt omnes inimicos ſibi nondum ſubjecerit, poteſtate tamen ac virtute regiâ, & quidem pleniſſimâ inſtructus eſt, ac præcipuas regni ſui partes reipſa tenet. David v. g. mortuo Saulo jam Rex erat, & quadraginta annos regnâſſe dicitur, etiamſi non ſtatim inimici ipſi eſſent ſubjecti, ſed pedetentim, longoque temporis tractu ſubjicerentur, ut hiſtoria ſacra apertè docet. (*2 Sam.* 24. *1 Reg.* 2, 10. *1 Paral.* 29.27.) Quid multis? cum & ipſe Deus ſit rex regum, & dominus dominantium, (*2 Tim.* 6. 15.) quamvis illi plurimi ſint rebelles. Regnum enim non tam ſubditorum obedientiâ, quàm ipſo imperii jure, quod quis habeat, continetur, præſertim ſi vires adſint, rebelles omnes ſubigendi & domandi. Chriſtum autem jus imperandi pleniſſimum habere ac potentiam, cui reſiſtere nemo queat, inde conſtat, quòd clavem ſe Davidis habere ipſemet aſſerit, quâ ita aperiat, ut nemo claudat, itaque claudat, ut nemo aperiat; (*Apoc.* 3.7, 8.) quò etiam pertinent claves mortis atque inferni, quas itidem ſe habere Chriſtus affirmat. (*cap.* 1. 18.) Nec eſt, quòd quis cum his clavibus, Apoſtolorum claves comparandas eſſe putet: (*Mat.*16. 19.) quandoquidem Apoſtolis clavis Davidis, id eſt, imperium ac regnum, & claves mortis atque inferni, *h. e.* vitæ

Digitized by Google

vitæ mortiſque poteſtas ac dominium nequaquam conceſſum eſt: ſed eæ tantùm illis claves commiſſæ ſunt, quæ Euangelii miniſterio continentur, quæque ab hominibus mortalibus uſurpari poſſunt, quales nequaquam ſunt claves antè commemoratæ.

Satis jam, ut opinamur, hoc præſentis Chriſti imperii teſtimonium eludi non poſſe oſtendimus: conſequens nunc eſt, ut ea adverſariorum argumenta excutiamus, quibus Chriſtum de regni poſſeſſione dejicere conantur. Sunt autem duplicia, jam enim ad incommoda nos deducere, jam verò ſcripturæ teſtimoniis convincere conantur. Ad incommoda quod attinet; noſtram ſententiam efficere ajunt, ut Chriſtus ſit Patri æqualis ac coeſſentialis; ut ſcripturæ analogia evertatur; ut denique gloriæ Dei plurimum derogetur. Quæ rationes ſi firmæ eſſent, non tantùm præſens Chriſti regnum, ſed etiam futurum illud, quod ipſi concedunt ac ſtatuunt, everterent. Cur enim magis nunc valent, quàm olim, cùm, ut ipſi ajunt, regnaturus eſt? ‡ Nos igitur reſpondemus, Chriſti cum Deo æqualitatem, 605 quæ ex Chriſti regno atque imperio, quod ipſi à Deo datum eſt, jurè colligi queat, nihil continere abſurditatis; coeſſentialitatem autem hinc adſtrui minimè poſſe, ut ſuprà ſuo loco demonſtravimus. (*ſup. cap.* 10.) Quod verò dicunt, ſcripturæ analogiam everti, ſi Filius itidem ac Pater regnare dicatur; non ſolùm à vero alieniſſimum, ſed nihil etiam novæ ſcripturæ congruentius eſt, quàm Filium unà cum Patre idem regnum adminiſtrare, ita tamen ut Filius Patri ea in re ſit ſubordinatus, ut nimirum unum habeamus Deum Patrem, ex quo omnia, & unum Dominum Jeſum Chriſtum, per quem omnia. (1 *Cor.* 8. 6.) Quæ res olim à Prophetis clariſſimis verbis prædicta, (*Pſal.* 45. 7, 12. & 110. 1. *Heb.* 1. 3, 8, 13. *Dan.* 7. 13, 14.) atque in Pharaone & Joſepho, quem ille toti Ægypto ita præfecerat, ut abſque ejus imperio nemo manum aut pedem, ut ſcriptura loquitur, moveret, & omnes genua coram eo flecterent, licèt interim ipſe Pharao rex revera eſſet, (*Gen.* 40. 40, 43, 44) adumbrata fuit. Ad extremum gloriæ Dei nihil detrahi, ſi alter regnans, videlicet Chriſtus, illi adjungatur, hinc perſpicuum eſt, quòd hæc Chriſti dignitas ab ipſo Deo, tanquam uberrimo fonte profluxit, & ad ejuſdem gloriam redundat, ut ſacræ literæ multis in locis teſtificantur. (*Ioh.* 17. 1, 2. *Phil.* 2. 11. *vide etiam Ioh.* 13. 31, 32 c. 14. 13, 14. 1 *Pet.* 1. 21.)

‡ *Nos igitur reſpondemus*] Hic videmus Cadmæos fratres ex ſuis principiis acatholicis, ſe invicem oppugnantes; Poſitâ autem Chriſti cum Deo Patre æqualitate, quam hic defendit Volkelius, ejus coeſſentialitas eſt omninò agnoſcenda, ut ſuo etiam loco viſum eſt.

Quàm Filium una cum Patre.] Certè ſi

æquali-

æqualitatem agnoſcis Filii cum Patre, & ſi *unà cum Patre idem regnum* adminiſtrat, debes neceſſariò, ut eandem formaliter adminiſtrationem, ſic eandem vim adminiſtrativam utriuſque agnoſcere, & ita eorum conſubſtantialitatem confiteri; cùm talis idenditas Creatori & Creaturæ meræ convenire nequeat. Subordinatio ergo, ſi quæ ſit hîc concipienda, erit merè perſonalis & ordinis, non eſſentialis, aut naturalis. Subordinationi imaginariæ adverſariorum non favent loca Scripturæ Volkelio citata: cùm ampliſſimum, & omninò divinum imperium Chriſto tribuant, etſi œconomicam illius adminiſtrationem ſit quà θεάνθρωπος à Patre conſequutus; quo maximè ſpectat ὅραμα Danielis VII, 13.14. Nec Joſephi ſimile huc quadrat per omnia: cùm Joſephus neque Rex neque Dominus Ægypti fuerit, vel abſolutè æqualis Pharaoni, ſed tantum primarius illius Miniſter in Reip. regimine.

Ad extremum gloriæ] Ideo hîc nihil detrahitur gloriæ Patris, quod Chriſtus ſit ejus proprius Filius ei coeſſentialis & coæternus, quem qui vidit vidit Patrem, quia Pater in ipſo eſt & ipſe in Patre.

Sequitur, ut ea ſcripturæ teſtimonia excutiamus, quibus Chriſtum nondum regnare, nec ſuos curare, oſtendi videtur. Quorum primum eſto, quòd Chriſtus à dextris Dei ſedere, & donec ſibi hoſtes ſubjiciantur, exſpectare dicitur. (*Pſal.* 110.1. *Heb.* 10 13.) Atqui nec à dextris Dei ſedere, quietem, aut otium, ut iſti volunt, ſed primum honoratiſſimumque locum poſt Deum tenere, atque adeò, ut Paulus claris verbis explicat, (1 *Cor.* 15. 25.) regnare, &, ut hinc colligit Petrus, (*Act.* 2. 34, 35, 36.) Dominum Chriſtumque factum eſſe deſignat: quibus ſimillima apud Matthæum Lucamque ſcripta leguntur: (*Mat.* 26. 63, 64. *Luc.* 22. 67, 69, 70.) nec Expectare inimicorum ſubjectionem ſignificat, eum nihil nunc ſibi habere ſubjectum. Sunt enim alia infinita, quæ ei reipſa jam parent. imò hoc ipſum, quòd inimicorum ſubjectionem expectare dicitur, indicat, cæteras, præter inimicos, creaturas, ei jam reipſa ſubjectas eſſe, ut in Davide, qui Chriſti typus fuit, luculentiſſimè apparet. Cùm enim expectaret, ut ipſi Deus reipſa ſubjiceret hoſtes ipſius, rex erat, nec regiam poteſtatem expectabat, ſed jam tenebat. Adde, quòd non Deus per ſe, illo interea otiante, ſed per ipſummet Davidem hoſtes eidem ſubjiciebat, qui propterea, quòd maxima bella, per omnem vitam geſſerat, & porrò hoſtium ſanguine manus commaculaverat haud idoneus fuit exiſtimatus, qui Jehovæ templum exſtrueret. (2 *Sam.* 22. 1, 38. *& d.* 48. 3. *Reg.* 5. 3. 1 *Par.* 22. 8. 28. 3.) Nonne igitur multò magis Chriſtus ad dextram throni Dei ſedens, (*Heb.* 12. 2. *Phil.* 3. 21.) rex eſſe, & divinitus ſibi conceſſâ po-
606. teſtate hoſtes ſuos debellare, ſibique ſubjicere dicendus eſt? Cum enim, ut teſtis eſt Paulus, ſimul ac omnia illi fuerint ſubjecta, mox finis illius regno imponendus, ipſeque ſtatim Patri illud ſit traditurus; (1 *Cor.* 15. 24. *& d.*) quando, quæſo, regnabit, & porrò quod regnum Patri ſuo tradet,

Digitized by Google

ſuo tradet, ſi ante illud tempus nullo illum regno potiri volumus?

† *Cùm enim, ut teſtis eſt Paulus*] Chriſtus eſt regnaturus in æternum, 2 Sam. VII, 13. Eſ. IX, 6. Dan. II, 44. VII, 14.27. Luc. I, 33. Nec tradet regnum Deo & Patri illud deponendo, ſed ſiſtendo conſummatum & ab omnibus ſuis hoſtibus plenè liberatum. Vide de loco 1 Cor. XV, 24. 25. 28. noſtrum Syſtema *Loco* X, §. 65. In his enim in quibus Volkelius adverſus ſuos Socios diſputat, nobis hæ leviores ſtricturæ ſufficiunt.

Alterum ſcripturæ teſtimonium illis Chriſti verbis continetur, quibus regnum ſuum de hoc mundo nequaquam eſſe teſtificatur. (*Ioh.* 18. 36.) Quo loco adverſarii ad errorem ſuum ſtabiliendum ita abutuntur, ut Chriſtum hoc præſenti mundi tempore nequaquam regnare, ſed poſtea regnaturum eſſe, eo probari exiſtiment. Verum enim vero verba ipſa manifeſtè docent, nihil aliud Chriſtum velle, quàm regnum ſuum non perinde, ut alia regna, mundanum aut terrenum, ſed cœleſte & ſpirituale eſſe. Unde rectè ſubjicit Chriſtus: *Si regnum meum eſſet de hoc mundo, miniſtri mei utiquè certarent, ne traderer Iudæis.* Hinc autem nullo modo conſequitur, Chriſtum hoc tempore in cœlis non regnare. Ipſum quoque Dei regnum non eſt de hoc mundo: an verò propterea Deum nunc regnare negabimus?

Tertiò ajunt, Chriſtum jam hinc abiturum, Deo Patri ſuorum curam commendâſſe, (*Ioh.* 17. 11, 12, 13.) quod, ut iſti dicunt, neutiquam feciſſet, ſi ipſe eos gubernaturus eſſet. Reſpondemus autem, illa Chriſti verba propriè ad ejuſdem mortem referenda eſſe, quippe qui, dum in morte eſſet, ſuos curare non poſſet: poſt reſurrectionem tamen illum rurſus eos curaturum atque gubernaturum fuiſſe, non ſolùm inde patet, quòd gloriam ſibi deſtinatam à Patre rogat, (ỷ. 1. & 5.) quâ poteſtas ſuos curandi, vitaque æterna donandi continetur: (ỷ. 2, 3.) ſed infrà etiam in eodem capite, ſeſe Patris nomen ſuis notum facturum promittit. (ỷ. 26.) Quare ſi illa Chriſti verba, quæ objiciuntur, ad tempus quoque exaltationis ipſius extendere velis; ſtatuendum eſt, nihil aliud ſibi velle Chriſtum, quàm ut Deus per ipſum, etiam in cœlos tranſlatum, diſcipulos ſervare velit, atque adeò tantam ipſi concedere poteſtatem, ut à diſcipulis longiſſimè remotus, eos curare Patris nomine queat. Alioqui neceſſe eſſet apertiſſima ſacræ ſcripturæ loca mendacii per ſummam impietatem arguere, quæ teſtantur, Chriſtum ab eo tempore, ex quo ad dexteram Dei conſedit, curam Apoſtolorum, aliorumque fidelium ſuorum geſſiſſe, ac porrò geſturum. Vide inter alia Matth: 18. 19, 20: 28. 20. Luc: 21. 15. confer cum c. 12. 12: Joh: 14. 12, 13. & d. 21. 23. c. 15. 26. Act: 2. 33. & d. c. 7. 59, 60.

c. 9. 4. & d. 10. & d. v. 34. c. 18. 9, 10. & c. 22, 18. & d. 2 Cor. 12. 8, 9: 13. 3: Eph. 1. 22, 23: c. 4. 7. & d. c. 5. 29, 30: 1 Theſ: 3. 11. & d. 2 Theſ: 2. 16, 17: Heb: 2. 17, 18: Apoc. capp. 1. & 2. & 3. & ult. v. 16.

‡ *Reſpondemus autem*] Illa Chriſti verba potiùs ſunt intelligenda, de illius in carne præſentia, quam erat ſtatim illis ſubducturus, eos Patris virtute deinceps cuſtoditurus & defenſurus eminùs ac inviſibili modo; Nec eam curam ſibi abrogat, eam Patri ſuo tribuendo, & à Patre quà Mediator & Interceſſor noſter apud illum depoſcendo.

607. Quartò hunc in modum argumentantur: Scriptura, inquiunt, ſancta paſſim Deo Patri omnem noſtri curam tribuit, omnemque *noſtri curam in* illum nos conjicere jubet. Ergo Chriſtus ab iſta cura prorſus vacet neceſſe eſt. At quàm inepta hæc conſecutio eſt? cum per Chriſtum nos curet Deus ideoque nos in Chriſtum noſtram curam conjiciendo, in ipſum Deum eam conjiciamus.

‡ *In ipſum Deum*] Optimè quia ipſe eſt cum Patre ſuo verus Deus & vita æterna, & quicquid facit Pater, Filius pariliter facit.

Quintò ſic urgent, quòd Chriſtus unica oblatione in pepetuum perfecerit ſanctificatos; (*Heb.* 10. 14.) ideoque conſequens eſſe ajunt, Chriſtum jam ſuos ampliùs non curare. Occurrimus autem, & minimè hinc conſequi dicimus, Chriſtum ampliùs de ſuis juvandis atque conſervandis non laborare: ſed tantùm ad eos perficiendos, id eſt, à peccandis purgandos, aliâ, præter eam, quæ ſemel peragi cœpta eſt, Chriſti oblationem, opus non eſſe. Unica ergo illa oblatio non ad alias præter oblationem res, quæ ad eundem effectum pertineant, excludendas, ſed tantùm ad plures oblationes removendas hîc commemoratur. Ea verò Chriſti oblatio tantum abeſt, ut præſentem Chriſti curam, quam de fidelium ſuorum ſalute ſuſcipiat, excludat, ut eam omninò poſtulet, quandoquidem unica iſta Chriſti oblatio nondum eſt finita: cum eum in perpetuum ſacerdotis officio functurum, ideoque nequaquam noſtri curam depoſiturum, ex ſacris literis compertiſſimum ſit. vid: Heb: 2. 17, 18. c. 4. 14, 15, 16: c. 5. 1. & d. uſque ad finem verſ. 10. cap. 6. ult. c. 7. 17, 24, 25. c. 8. 1. & d. c. 9. 24.

‡ *Præter eam quæ ſemel*] Hæc unica Chriſti oblatio non ſemel peragi cœpit, ſed ſemel pro ſemper peracta eſt, in illius morte. Nondum quidem *eſt finita*, quantum ad illius vim & ἐνέργειαν, quæ eſt in æternum duratura: Sed quoad illius ἀποτέλεσμα & complementum, cùm ſemel in cruce facta fuerit, nihil eo reſpectu illi addi poteſt vel debet: Chriſtum quoque *in perpetuum Sacerdotis officio*

Digitized by Google

officio functurum agnoſcimus, non quidem oblationis inchoatę & olim cœptæ continuandæ reſpectu, ſed reſpectu repręſentationis illius in Sacrario cœleſti & cōſequēter ad illam, jugis ſuæ interceſſionis pro nobis ad dextram Patris, Rom. VIII, 34.

Sextum argumentum eſt, quòd Chriſtus omnia, quæ fecit, non ſibi, ſed Patri aſſcribit: unde effici videtur, non Chriſtum, ſed Deum Patrem Eccleſiam gubernare. Reſpondemus igitur, hoc argumentum ſeipſum deſtruere: cum non ſolùm apertè fateantur hìc adverſarii, Chriſtum aliquid facere; ſed etiam res ipſa indicet, Patrem nihil per Filium efficere poſſe, quin ſimul id efficiat Filius. Aliter enim per illum agere non poſſet. Ex quo factum eſt, ut quamvis Chriſtus in terris degens omnia ſua opera Patri accepta referret, (*Ioh*: 5. 17, 19. & *d.* 36: *c.* 9. 3, 4. *c.* 10. 32, 37: *c.* 14. 12: *c.* 15. 24:) tamen ſe illa facere ſæpè dixerit, (*Matth.* 9. 22.) ſeque ea facere poſſe credi voluerit.

‡ *Reſpondemus igitur*] Non ſolùm Pater facit quicquid facit Filius, ſed etiam viciverſa nihil facit Pater quod pariter Filius non faciat Joh. v, 19. propter identitatem potentiæ & naturæ.

CAP. XXVIII.

De Millenario Chriſti regno.

RESPONDENTE

GUIDONE FANOIS,

Nobili Armorico.

ETſi hucuſque ſatis videmur oſtendiſſe, Chriſtum jam nunc in cœlis regnare, & Eccleſiæ curam agere: antequam tamen ad diſputationem de cultu ac veneratione, quæ Chriſto ob tantum imperium conveniat, tranſeamus, non alienum fuerit eorum refellere errorem, qui licèt nunc Chriſtum in cœlis regnare aſſerant, regnum tamen ei terrenum ante finem mundi mille annos duraturum, deſtinatum eſſe affirmant. Hanc autem illorum ſententiam & falſiſſimam, & valde pernicioſam eſſe, tribus potiſſimùm rationibus conſtat: primò enim, ſi ejus vis ſpectetur, vero Chriſti regno everſionem affert, quod unicum ſimplexque eſſe, ſacræ literæ ſatis docent, utpote quæ unius tantùm regni Chriſti mentionem faciunt, idque in æternum duraturum eſſe affirmant. At cum regnum habere cœleſte, & regnum habere terrenum, nequaquam ſit unico, eoque ſimplici, ſed duplici regno potiri; quis non animadvertit, hoc conſtituto, illud conſiſtere non poſſe? 608.

 Aſſump-

Digitized by Google

Aſſumptionem hujus noſtri argumenti veriſſimam eſſe, inde patet, quòd inter cœleſte ac terreſtre regnum tantùm intereſt, quantum ipſum cœlum à terra diſtat. In hac enim diſputatione, terreni regni nomine non ea gubernandi poteſtas intelligitur, quam Chriſtus nunc in cœlo perſonaliter exiſtens, etiam in terra exercet: ſed illa regnandi ratio, quam Chriſtus, poſtquam rurſus de cœlo deſcenderit, in terra Judaica, idque Hieroſolymis, cum ſuis mille annos adminiſtraturus ſit. Id enim illi, cum quibus hìc diſputamus, volunt. Dicimus igitur, utrumque dominandi modum in unum ſimplexque Chriſti regnum convenire nequaquam poſſe, cum ſint triplici potiſſimùm ratione diverſiſſimi: Præſens namque Chriſti regnum, & omni, tam in cœlo, quàm in terris, poteſtate continetur; & ad ſuam exiſtentiam hominum obedientiam haud neceſſariò requirit; & denique ad omnes tum perſonas, tum locos, æquè pertinet. illud verò nec omnem requirit in cœlo ac in terra poteſtatem, ſolâ terrenâ contentum; nec ſine multorum ſubditorum, qui regem illum ſuum agnoſcant ac colant, obedientiâ conſiſtere poteſt; nec denique ad omnes gentes ac locos ſpectat, ſed peculiari ratione ad populum Judaicum, & urbem Hieroſolymitanam eſt alligatum. Quare manifeſti erroris illi convincuntur, qui utramque regnandi ratiomem in unum idemque regnum ita contrahunt, ut terrenam illam nonniſi quandam hujus cœleſtis declarationem fore exiſtiment.

‡ *Præſens namque*] Chiliaſtarum imaginationem nullo modo probamus: nec improbamus rationes quibus eam impugnat Volkelius: Sed cum grano ſalis ſumi debet quod ait primò regnum Chriſti *hominum obedientiam haud neceſſariò* requirere; cùm requirat obedientiam omnium piorum & fidelium, in quos regnat & quos regit Verbo & Spiritu ſuo; & ad quorum ſalutem & defenſionem regnum ipſius œconomicum per prius ordinatur: Secundò *ad omnes tum perſonas tum locos æquè* pertinere: Nam licet id queat concedi quatenus eſt regnum Potentiæ, dici tamen nequit quatenus eſt regnum Gratiæ.

Nam præterquam quòd, ut oſteudimus, duo diverſa inducuntur regna; ſatis etiam ultimum glorioſiſſimumque illud judicium, quod Chriſtus de toto humano genere facturus eſt, illaque vel æternæ vitæ donatio, vel impiorum ſempiternis pœnis vindicatio, ſummam Chriſti jam regnantis majeſtatem atque potentiam declarabit, ut terreno illo regno ad eam rem haudquaquam opus ſit futurum. Id verò judicium, ut alterum argumentum aggrediar, ſubitò admodum futurum, & ſtatim cum adventu Chriſti conjungendum, (*Luc.* 12. 39, 40. 1 *Theſ.* 5. 2. 2 *Pet.* 3. 10. *Mat.* 24. 37.)
609. non verò mille demum poſt adventum illum annis conſequuturum, non ſolùm furis noctu venientis, ac temporum Noæ ſimilitudine, quâ ſacræ literæ

literæ de Chriſti adventu ad judicium differentes utuntur, ſed apertiſſimis quoque Apoſtolorum teſtimoniis confirmatur, qui Chriſto adveniente ultimum hoſtem, mortem nimirum, profligandum, cœlum terramque & omnia elementa igni conſumenda eſſe renunciant. (*1Cor*:15.26.*d.l.* 2*Pet*.3.10.) Quid multa? ipſe Chriſtus ait, (*Mat*.25.51.*& d.*) cùm venerit Filius hominis in gloria ſua, & omnes ſancti angeli cum eo, eum tunc ſeſſurū in throno ſuo glorioſo, & congregatum iri ante ipſum omnes gentes: ipſum autem alios ab aliis ſeparaturum, & juſtis quidem cœleſtis regni hæreditatem adjudicaturum, utque eam reipſa adeant, effecturum, impios verò in ſempiternum illum ignem miſſurum. Tantò autem validiùs hoc argumentum ſtringit adverſarios, quòd fateantur, ultimum judicium nequaquam Chriſti regnum anteceſſurum, ſed conſecuturum eſſe: cum Joannis ille locus, (*Apoc*.20.6, 11, 12.) in quo ſuæ opinionis firmiſſimum ponunt præſidium, millenario illo regno finito, illud futurum teſtificetur: ut alia quædam taceam, quæ illos ad hoc confitendum omnino adigunt. Unde perſpicuum eſt, hanc opinionem cum perpetua novæ ſcripturæ ſententia, quæ judicium univerſale ſeu extremum cum Chriſti adventu ex cœlis ſtatim conjungit, adverſa fronte pugnare.

Tertia ratio, quâ ab iſta ſententiâ deducimur, eſt, quòd univerſa Chriſtianæ religionis monumenta omnibus rationibus nobis perſuadere conantur, ut terrenis momentaneiſque bonis ac voluptatibus ſpretis, ac pro nihilo habitis, omni mentis contentione ad cœleſtes ſempiternaſque opes aſpiremus: cum Reſpub. noſtra nequaquam in terris, ſed in cœlis ſit conſtituta, (*Phil*. 3. 19, 21.) ideoque quaſi unà cum Chriſto à mortuis excitati, non terrena, ſed cœleſtia curare, aut ſapere jubeamur. (*Col*.3.1, *& d. vid. etiam* 2 *Cor*: 4. 18. *Heb*: 10.34. 13.13, 14.) Id quod cum regni terreni expectatiòne nequaquam convenit. Quo enim jure à rerum terreſtrium cogitatione abſtrahimur, ſi in fidei noſtræ præmium terreni regni voluptates reportaturi ſumus?

Argumenta porrò, quibus duplicem regnandi rationem probare conantur adverſarii, tam ex veteris, quàm ex novi Teſtamenti libris ſumuntur. Primò igitur, ut paucis rem perſtringam, nullum veteris ſcripturæ teſtimonium reperiri poteſt, quod apertam, propriiſque verbis expreſſam cœleſtis regni poſſeſſionem contineat. Omnes ſiquidem illas vaticinationes, ſi ipſum verborum corticem ſpectemus, nonniſi terrenum Chriſti regnum, idque unicum ac perpetuò duraturum, adeò ut nullum aliud regnum illi ſit ſucceſſurum, promittere conſtat. Unde efficitur, ut, ſi ſecundùm literam illa interpretari volumus, nonniſi terrenum Chriſti regnum expectandum nobis ſit, Chriſtusque nondum regnet. Quod quidem falſiſſimum eſſe, & jam ſuprà oſtendimus, & ii ipſi, quibuscum nobis hoc loco res 610.

 eſt,

Digitized by Google

eſt, fateantur neceſſe eſt. Atqui nullo pacto credibile eſt, ſi modò hanc Chriſti regni partitionem veram eſſe volumus, prophetas potiſſimam ejus partem, utpote cœleſtem ac diviniſſimam, perpetuo ſilentio ſuppreſſuros fuiſſe, præſertim cùm ex profeſſo de Meſſiæ regno diſſererent.

‡ *Primò igitur*] Hoc verò non eſt rem *paucis* perſtringere, ſed tetrum errorem Lectori propinare. Plurima ſanè extare teſtimonia in V.T. de regno cœlorum & vita æterna, ut variis locis & argumentis poſſet confici, eoque ſpectet expreſſiſſimum Danielis vaticinium Dan. VII, 14. ita vel ex vaticinationibus Prophetarum de futura mortuorum reſurrectione, ipſo meridie clariùs demonſtratur, Ezech. XXXVII, 5. 6. Dan. XII, 2. Job XIX, 26. Unde illa fides obtinebat inter pios ante tempora Chriſti in carne exhibiti Ioh. XI, 24. Sed ut hoc prætercam alibi demonſtratum, cùm Volkelius *cap præc.* pertenderit regnum Chriſti non eſſe terrenum ſed cœleſte, & agnoſcat Prophetas de illo vaticinatos fuiſſe, utique nimis crudè dicit *omnes* eorum vaticinationes, *nonniſi terrenum Chriſti regnum idque unicum ac perpetuò duraturum promittere.* Nonniſi unicum promitti, illudque perpetuò duraturum, certum eſt: Sed *nonniſi terrenum* crudiùs dicitur, licet ſub metaphoris à regnis terrenis deſumptis ſubinde deſcribatur. Imò tale aliquando Prophetæ ejus regnum deſcribunt quod nullo modo terrenū eſſe queat; tum quia cum Sacerdotio conjungatur, adeoque ſpirituale fore inſinuetur Pſal. CX, 1. 4. tum quia regis Meſſiæ perpeſſiones acerbiſſimæ & crux maledicta paſſim prædicuntur, ut Pſal. XXII. & Eſ. LIII. per totum; tum quia regem eum futurum abjectum, pauperem & humilem in terris, ſignificatur expreſſè Zach. IX, 9. Itaque pro eo quod dicit Volkelius ex Prophetis, *nonniſi terrenum Chriſti regnum* eſſe expectandum, debuiſſet dixiſſe, non fore aliud regnum Chriſti expectandum, ſi Propheticas de illo phraſes, ut faciunt Chiliaſtæ, malimus propriè, quam metaphoricè interpretari: Sed hîc quod voluit Volkelius dicere fuit melius eo quod dixit.

Si igitur hunc Jeſum jam revera Chriſtum eſſe, & porrò jam regnum in cœlis ſuum adminiſtrare, ideoque adoratione invocationeque dignum credimus; neceſſe profectò eſt, ut omni de alio illius futuro terreſtrique regno cogitatione abjectâ, hoc unum amplectamur, omneſque prophetarum vaticinationes in allegoricum ſenſum accipiendo, ad hanc præſentem atque cœleſtem gubernationem Chriſti accomodemus. Neque enim ulla eſt cauſa, cur, ſi quædam Prophetarum teſtimonia, quæ regnum Chriſti terrenum deſcribere ac promittere primâ fronte videntur, de cœleſti præſentique ipſius regno accipienda dicas, idem de cæteris omnibus, quæ illis ſunt planè ſimilia, non ſtatuas. At, inquies, ſi quidem ex veteri ſcriptura utraque regnandi ratio minùs appareat, non multùm laborabimus, ut ejuſdem teſtimoniis eam demonſtremus: cum apud Novi teſtamenti ſcriptores ſatis dilucidè, & jam in cœlis Chriſtum regnare, & aliquando in terris mille annos cum

nos cum ſuis regnaturum, ſcriptum legamus. Reſpondemus autem, nuſquam in novi Teſtamenti libris reperiri Chriſtum in terris cum ſuis regnaturum eſſe. Etſi enim Apoc. 20. (ỷ. 10.) certum fidelium genus cum Chriſto mille annos regnaturum eſſe dicatur; terræ tamen nulla fit mentio. Quòd ſi ex ejusdem Autoris 5. cap. (ỷ. 6.) ubi fideles in terris regnaturi dicuntur, illius loci explicationem petendam exiſtimas, longe falleris. Tantum enim abeſt, ut hoc fieri poſſit aut debeat, ut iſti duo loci non uno inter ſe modo differant, ideoque nequaquam de uno eodemque regno utrobique ſermo habeatur. Illud enim teſtimonium, quod cap. 20. habetur, (*vid.* ỷ. 4.) de quibusdam tantùm agit Chriſtianis, videlicet de decollatis propter teſtimonium Jeſu, & propter ſermonem Dei, & qui non adoraverunt beſtiam neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem in fronte ſua, & manu ſua, &c. id eſt, qui maluerunt mortem violentam atque atrocem oppetere, quàm iſta facere; non autem, qui ſimpliciter, occaſione nimirum deſtituti, ab iſtis ſeſe abſtinuerunt. Alterum verò, quod 5. cap. legitur, non certos tantùm, ſed omnes Chriſtianos 61
complectitur. At nec omnes divinæ veritatis gratiâ interemptos fuiſſe, nec omnes beſtiam agnoviſſe, & porrò illam ejusve imaginem adorandi occaſionem non habuiſſe conſtat: cum & ante beſtiam multos vixiſſe, vel propter locorum diſtantiam nullam iſta faciendi cauſam habuiſſe, credendum ſit. Unde ibidem dicitur, reliquos mortuos non revixiſſe, donec finiti eſſent mille anni: inter eos autem etiam pii numerantur, ut ex illis conſtat, quæ ad finem capitis leguntur. Quid quòd & hoc inter utrumque teſtimonium intereſt, quòd in 5. cap. (ỷ. 12, & 15.) fideles ſeſe in terra regnaturos dicunt, nulla Chriſti ſimul ibidem regnantis facta mentione. in vigeſimo verò additur, illos, de quibus ibi verba fiunt, unà cum Chriſto regnaturos. Neque enim quicquam prohibet, quo minùs Chriſti fideles in terra regnent, Chriſto in cœlis exiſtente. Adde, quòd vox *terræ*, in illo loco, ut & apud Matthæum, (*Mat.* 5. 2.) per quandam analogiam, non terram propriè intellectam, ſed eam, quam nobis promiſit Chriſtus, novam videlicet eam, quâ beata continetur immortalitas, deſignare cenſenda ſit, quam omnes, non autem certos quosdam Chriſtianos inculturos eſſe, paſſim apud ſacros auctores ſcriptum videmus. (2 *Pet.* 3. 13.) Non obſtat igitur, Davidem in Pſal. 37. 11. manſuetos hanc terram, quam nunc incolimus, hæredituros affirmare, noſtroſque ſcriptores ad locum illum alludere: utpote cum Chriſtianæ religionis analogia ſuadeat, ut multa, quæ à veteribus ſcriptoribus propriiſſimis verbis dicta ſunt, apud noſtros in allegoricum ac ſpiritualem ſenſum accipiantur; & quæ ibi

Digitized by Google

ibi de terra terreniſque bonis loquuntur, ad novi fœderis tempora accommodata, de cœlo ac cœleſtibus bonis intelligantur. Hic objiciet forſan aliquis, ita Chriſtum populi Dei paſtorem fore prædictum eſſe, (*Ezech.* 34. 23, 34.) ut princeps in medio ipſorum ſit. Quod fieri non poſſe quidam arbitrantur, quin cum illis perſonaliter in terris regnet. Verùm nec ibi de populi Dei regno, ad quod adverſarii iſta referunt; ſed de ſumma pace, quâ ſub Meſſia fideles perfrui debeant, verba fiunt: nec, ſi de eo regno ſermo haberetur, mox conſequens eſſet, non aliter Chriſtum, quàm corpore, ſuis præſentem adeſſe poſſe. Sic enim nec in medio illorum, qui in ipſius nomine congregantur eſſe poſſet, (*Mat.* 18. 20.) quin quoties id fieret, de cœlo perſonaliter deſcenderet; quo quidem quid poteſt cogitari abſurdius? Quòd ſi dixeris, te non multùm, ubi illud regnum millenarium futurum ſit, laborare, ſatisque habere, illud certiſſimò futurum eſſe, ſacro illo Joannis teſtimonio confirmari; reſpondemus, totam illam Joannis orationem allegoricam eſſe, & viſionem magna obſcuritate involutam continere, quam à multis parùm intelligi mirum non eſt: cum

612. multæ aliæ vaticinationes ab humanæ mentis intelligentia adeò remotæ ſint, ut nonniſi ex eventu percipi queant. Si enim verba illa propriè accipere voluerimus, oportebit nos per ſummum ſcelus, veracem conſtantiſſimumque Dei ſpiritum ſibi ipſi contradicentem inducere. Apud Euangeliſtas enim & Apoſtolos apertiſſimè, rejectiſque omnibus verborum involucris legitur, Chriſtum omnes ſuos in noviſſimo die excitaturum, vel eos, qui ſunt Chriſti, in ipſius adventu reſurrecturos, eodemque ſtatim tempore mortem, ultimum hoſtem, deletum iri, & quod multò clariùs rem iſtam ob oculos ponit, mox finem ſive hujus ſeculi, ſive regni Chriſti futurum. (*Ioh.* 6. 39, 40. 44, 45: *c.* 11. 24. *1 Cor.* 15. 23, *& d.*) In loco verò Joannis, nec omnes Chriſti fideles ipſo adveniente reſurrecturos, nec ſtatim finem adfuturum, ſed mille annos atque ampliùs ante illum interceſſuros dicitur. Quod quidem ſi abſque allegoria intelligendum eſt, quis non videt, vehementer omnibus illis locis id repugnare? At, inquies, ex hoc ipſo Pauli loco ſatis apparere, non ſimul ac Chriſtus advenerit, finem fore: cum priùs omnes principatus, poteſtates atque virtutes, mortem denique ultimum hoſtem eum aboliturum eſſe, Apoſtolus teſtificetur. Reſpondemus, iſtam principatuum, poteſtatum atque virtutum abolitionem, nullam longiorem moram, nedum mille annorum ſpatium, inter Chriſti adventum & regni ejus finem interpoſiturum. Cum enim mors inter Chriſti hoſtes ultimo loco ſit abolenda, id quod in adventu Chriſti futurum eſſe ex Paulo diſcimus; neceſſe eſt principatus, poteſtates, ac virtutes

tutes ſeu potentias illas, utpote Chriſto inimicas, in eodem Chriſti adventu, vel abolitas jam eſſe, vel confeſtim aboleri. Mors enim, cum nonniſi eatenus Chriſti inimica ſit, quatenus fideles ipſius lædit, tum deſtruetur cum fideles ex poteſtate ejus penitus eripientur; quod quidem fiet iis reſuſcitatis, & incorruptibilitate donatis. At ii, qui ſunt Chriſti, in adventu ipſius, ut expreſſè teſtatur Paulus (1 *Cor* 15. 23. & 25.) vivificabuntur, & incorruptibiles evadent. Sed quid multis opus? cum Paulus luculentiſſimis verbis huic ſententiæ adſtipuletur, dum ait: (*ib*: ỷ. 25, 26.) *Oportet illum regnare, donec omnes inimicos ponat ſub pedibus ejus: noviſſima inimica deſtruetur mors.* Hinc efficitur, Chriſtum, ſubjecta ſibi morte, id eſt, ſuis à mortuis excitatis, non ampliùs regnaturum, ſed, ut idem teſtatur Paulus, (ỷ. 24.) regnum Deo & Patri traditurum, atque ita nullum intervallum, aut certè admodum exiguum, inter Chriſti adventum, ejuſdemque regni finem, interjectum iri. Ut igitur tandem huic diſputationi finem imponamus, concludimus, aliud Chriſti regnum præter id, quod à dextris Dei collocatus adminiſtrat, expectandum minimè eſſe.

‡ *Non amplius regnaturum*] Id falſum eſſe jam antea *ad caput præc.* annotavimus: Regnum ipſius erit æternum, & tunc maximè regnabit, cùm omnes ſuos hoſtes habebit pro ſcabello pedum ſuorũ. Quantum ad locum Apoc. xx, 6. in quo Chiliaſtæ ponunt proram & puppim ſuæ ſententiæ, is non tam agere videtur de perſonis decollatorum pro nomine Jeſu, quam de iis qui participes fuerint primæ & myſticæ reſurrectionis, per fidem Chriſti & Sanctorum communionem, ac de aliquo tranquilliori piorum ſtatu à tempore vincti Satanæ, uſque dum erat iterum ſolvendus ſub Antichriſti fautoribus: Undecunque autem illos mille annos vincti Satanæ auſpicemur, ſive à Chriſti incarnatione & morte, ſive à prædicatione Euangelii per Apoſtolos toto terrarum orbe, ſive à pace reſtituta Eccleſiis per Conſtantinum Magnum, certum eſt jamdiu illum terminum prætériiſſe. Utut ſit valde abſurdi ſunt Chiliaſtæ dum uni huic Apocalypſeos loco obſcuriſſimo inædificant dogma tanti momenti, quod non ſolum evertitur argumentis deductis à Volkelio, ſed etiam ſuos ſectatores & in illis omnes Proteſtantes grandi invidiæ objicit apud adverſarios, & plebi Chriſtianæ ſpes iſtiuſmodi terrenas inſtillando, ſuggerit turbonibus ex illa argumenta & conſilia rerum in Rep. novandarum & violandæ pacis publicæ; ut patet exemplo aſſertorum quintæ Monarchiæ in Anglia, paratorum ſub prætextu regni illius millenarii inchoandi, omnia miſcere ſanguine & cædibus. Sed hæc obiter: cùm mei hîc ſit inſtituti, non quoſlibet errores refutare, ſed ſola Socinianorum dogmata impugnare.

Digitized by Google

Cap. XXIX.

613. ### De Chriſto adorando.

Respondente

JOHANNE RODOLPHO BATTIER Baſilienſi, A. L. M.

SEquitur, ut peſtilentiſſimam quorundam de Chriſto non adorando ſententiam convellamus. Quanquam enim illius vanitas ex ſummo Chriſti, de quo hactenus diſputavimus, imperio, exque aperto hac de re Dei mandato, quo etiam Angeli obſtringuntur, (*Pſal.* 97. 7. *Heb.* 1. 6.) clariſſimè perſpiciatur; ipſeque adeò Spiritus ſanctus, ideo Chriſtum omni judicio, ac nomine, quod eſt omni alio ſublimius, donatum eſſe teſtificetur, ut divino honore afficeretur, ad ipſiusque nomen omne ſeſe genu flecteret, (*Phil.* 2. 9, 10. *Joh.* 5. 22, 28.) tamen iſti homines, aſtu hoſtis illius, quem Chriſti ſplendor valde pungit, circumventi, non dubitant iſtam veritatem oppugnare, divinisque quibuſdam teſtimoniis ad eum iſto honore ſpoliandum abuti. Primò enim dicunt, hanc noſtram de Chriſto colendo aſſertionem luculentiſſimum de ſolo Deo adorando infringere mandatum. (*Deut.* 6. 13. & 10. 20. *Matth:* 4. 10.) Reſpondemus autem, Dei præceptum, huic veritati triplici de cauſa nihil quicquam officere.

‡ *Sequitur, ut peſtilentiſſimam*] Hanc *peſtilentiſſimam ſententiam* Franciſcus Davidis & illius aſſeclæ, jure meritò inædificarunt principiis Socini, quæ jam imbiberant: Negatâ enim Divinitate verâ & eſſentiali D. N. J. C. debet juxta Dei Verbum adoratio & cultus religioſus illi abrogari; cùm Gentiles damnentur in eo Idololatriæ, quod creaturas religioſè coluerint & iis ſervierint qui naturâ Dii non eſſent Rom. I, 25. Gal. IV, 8. Quibus ea loca adjicienda, hîc ipſi Volkelio citata, ex Deut. VI, 13. X, 20. & Matt. IV, 10. ad quæ nullas proponit exceptiones, per quas, ſi valeant, non poſſit incruſtari adoratio religioſa Sanctorum: Et certè, nec omne judicium nec ſummum imperiũ Chriſto competeret, neque nomen ſupra omne nomen ex quo omne genu illi flecti debeat Phil. II, 9. 10. & veniat adorandus ab ipſis-met angelis Heb. I, 6. ab Eccleſia univerſali Pſ. XLV, 12. & ab omnibus Joh. V, 22. 23. niſi Deus eſſet ſuper omnia benedictus Rom. IX, 5. & cum Patre ſuo verus Deus & vita æterna I Joh. V, 20. Hæc enim omnia ſunt attributa ſupremi Numinis, quæ in meram creaturam cadere nequeunt. Sed ea expendamus quæ reponit Volkelius ad objectionem palmariam ſuorum adverſariorum, deſumptam ex luculentiſſimo mandato *de ſolo Deo adorando.*

Primò

Digitized by Google

Primò enim, ut ſacræ literæ ſolum Deum immortalem, aut ſapientem nominando, (1 *Tim.* 6. 16. & 1. 17. *Rom.* 16. 27.) Chriſtum alioſque immortalitate ac ſapientiâ minimè ſpoliant, ſed tantùm Deum ſolum à ſemetipſo talem eſſe ſignificant: ſic de ſolo quoque Deo, utpote primario omnium rerum autore adorando judicandum eſt.

‡ *Primò enim ut ſacræ*] Hæc reſponſio poſſet pariter uſurpari contra Volkelium ab iis qui propugnant Sanctorum & Angelorum adorationem; Dicerent enim mandatum de ſolo Deo adorando, ceu *primario omnium rerum autore*, non impedire quominus Sancti & Angeli veniant adorandi, prout *Sacræ literæ ſolum Deum immortalem aut ſapientem nominando*, Sanctos & Angelos *immortalitate ac ſapientiâ minimè ſpoliant.* Imò adverſarius ita loquitur ut præter Chriſtum etiam *alios* eos omnes faciat adorabiles qui aliquâ *immortalitate & ſapientiâ* ſpoliandi non ſunt. Sed revera eodem ſenſu ſolus Deus eſt adorandus, quo ſolus habet immortalitatem & ſapientiam, nempe originaliter, eſſentialiter & primitivè: Id autem ut convenit Chriſto, prout ſuâ habet cum Patre coeſſentialitatem, (nam ipſe eſt Sapientia Dei perſonalis & æterna, via veritas & vita, & habet vitam in ſeipſo, ut tota Scriptura docet,) ita nulli meræ Creaturæ competere poteſt. Neque dubium quin Deus ſe ſolum adorandum præcipiendo, ab iſtius honoris & cultus participio excludat abſolutè omnes Creaturas; & rei futuri fuiſſent Iſraelitæ tranſgreſſi hujus mandati, ſi præter ſolum & unicum Deum, Iſraelis ullum alium (quicunque demum is fuiſſet,) relativè & ſubordinatè ad ipſum & cum ipſo adorare voluiſſent. Hominum verò non eſt diſtinguere vel limitare ubi lex nec limitat nec diſtinguit. Interea, *ut ſacræ literæ ſolum Deum immortalem aut ſapientem nominando, Chriſtum immortalitate ac ſapientiâ non ſpoliant*, cum utramque habeat communem cum Patre, ita Patrem, ſolum verum Deum appellando Joh. XVII, 3. Chriſtum verâ divinitate non ſpoliant, ſed eum Patri conjungunt in illius participio; ut hîc Adverſarius imprudens nobis in hac ſua exceptione ſuppeditet quod aliàs ejus objectioni queamus reſpondere.

Deinde cum Chriſtum Patri ſubordinatum eſſe conſtet; ſequitur, nos Chriſtum adorando, ipſum Patrem, à quo tantâ poteſtate ac gloriâ donatus eſt, adorare. Unde Paulus honorem & gloriam, quæ Chriſto ab omnibus creaturis intelligentiâ præditis reddenda ſit, in gloriam Dei Patris cedere, apertiſſimis verbis pronunciat. (*Phil.* 2. 10, 11.)

‡ *Deinde cum Chriſtum*] Sed & hoc eſt χρησφύγετον eorum qui Sanctorum & Angelorum adorationem propugnant; eos videlicet adorari ſubordinatè ad Deum, cujus honori cedat ipſorum cultus, quod ſint illius amici & miniſtri, Verùm qui ſe ſolum præcepit adorandum excluſivè ad omnes Creaturas, eo ipſo nullam meram Creaturam vult ſibi coordinari vel ſubordinari in eo cultu: Quod ſatis intellexerunt viri Sancti & Angeli beati, eam etiam adorationem

reſpuentes quæ illis non deferebatur aliter quam ſubordinatè ac reſpectivè, ad Deum & ut credebatur ceſſura illius honori Act. x, 25. 26. Apoc. xix, 10. xxii, 8. 9. Igitur vera ratio cur adorato Filio Pater quoque adoretur eſt, quia ipſe & Pater naturâ & eſſentiâ unum ſunt Joh. x, 30. & Filio eadem cum Patre competat excellentia increata & infinita, id eſt revera forma Dei quæ ſola eſt adorabilitatis fundamentum, nec rapinam ducat æqualem eſſe Deo Phil. ii, 6. unde viſo Filio, in quo habitat σωματικῶς omnis plenitudo Deitatis Col. ii, 9. videtur Pater Joh. xiv, 9. 10. Aliàs ſi merus foret homo, ut fingunt Sociniani, non *in gloriam Dei Patris*, ſed in illius contemptû & opprobrium cederet illius cultus, cùm proteſtetur Deus ſe *gloriam* ſuam alteri non daturum Eſ. xlii, 8.

Ipſa denique temporum diverſitas hanc noſtram ſententiam ab omni contradictionis abſurditate facilè vindicat; cum mandatum de ſolo Deo adorando, ad veteris Teſtamenti tempora propriè ſpectare palàm ſit. Potiùs igitur metuendum eſt adverſariis, ne, dum vetus illud mandtaum tueri, integrumque conſervare ſtudent, non modò novum illud de Filio adorando præceptum evertant, ſed ſimul etiam ipſum vetus, quod tantopere urgent. *Qui* enim *Filium non honorat*, *Patrem non honorat*, ut ipſe Chriſtus clariſſimè pronunciat, (*Ioh. 5. 28.*)

‡ *Ipſa denique*] Ita etiam qui Sanctorum imaginumque cultum illum hodie propugnant, quem tamen ſe averſari Sociniani profitentur, recurrunt ad *temporum* diverſitatem: Dicunt enim imagines olim illicitas, propter nimiam propenſionem Iſraelitarum ad Idololatriam, factas nunc eſſe licitas ſub N. T. poſtquam Chriſtus in forma hominis apparuit. Ajunt item non potuiſſe olim adorari Sanctos vitâ functos, quod eorum Spiritus in limbo capitiui attinerentur; poſſe nunc poſtquam per Chriſtum in gloriam traducti ſunt. Verùm illud πρῶτον ψεῦδος Volkelii quo *mandatū de ſolo Deo adorando ad V. T. tempora* reſtringit, & ſuo loco dedimus refutatū, & refutat evidenter ipſemet Chriſtus, dū illud in ſua lucta cum Diabolo, adhuc inculcandum & retinendum docet Matth. iv, 10. Unde Angelus Dei hoc ipſo mandato nixus, delatam ſibi adorationem à Johanne noluit admittere Apoc. xix, 10. xxii, 8. 9. Nec voluit Petrus à Cornelio adorari Act. x, 25. 26. hoc utique argumento quod homo eſſet, non Deus. Et quoties in Novo Teſtamento Idololatria prohibetur & damnatur, quod ſæpè fit, non aliò proculdubiò quam ad hoc mandatum reſpicitur. Non poſſet etiam ulla concipi ratio per quam id quod olim fuiſſet grande peccatum in hanc Dei legem, hodie ſit laudabile, & careat Idololatriæ culpâ. Neque *novum* eſt *illud de Filio adorando præceptum* quod inculcat Paulus Heb. i, 6. cùm Apoſtolus illud arceſſat ex V. T. in quo Filium fuiſſe adoratum ab Abrahamo, à Moſe, à Joſua, à Manoach, ex hiſtoria ſacra igne liquido liquidiùs poteſt comprobari. Et certum eſt Iſraelitas Chriſtum debuiſſe adorare in deſerto, quem ibidem exacerbaſſe & tentaſſe dicuntur i Cor. x, 9. Militat ad hanc rem nobis illud ipſum Chriſti dictum quod citat Adverſarius ex Joh. v, 23. Nam præterea quod ibi parem omninò cultum depoſcit Filius cum eo qui Patri debetur, id non

non facturus niſi illi eſſet coeſſentialis & coæternus, & inſinuat eodem adorationis actu ſe & Patrem ſimul coli, cum Pater non ſit abſque Filio nec Filius abſque Patre, certè luculenter docet pios ſub V. T. non minus ſe quam Patrem honoraſſe & coluiſſe, ſiquidem is Patrem non honoret, qui non honorat Filium.

Rurſus tamen objiciunt, Chriſtum, cùm veræ adorationis definitionem inſtitueret, non ſibi, ſed Patri in ſpiritu ac veritate eam adhibendam eſſe docere. (*Ioh.* 4. 23.) At verò quicunque locum illum diligenti animadverſione perpenderit, clariſſimè cernet, nequaquam ibi Chriſtum adorationis inſtituere definitionem, neque revera, quis adorandus ſit, ſed quomodo, quove in loco, diſputare. Quæſtio enim ibidem à muliere Samaritana propoſita non erat; quis, ſed quo in loco Deus ille ſummus, qui Chriſti Pater eſt, adorandus eſſet; an videlicet in monte ibi commemorato, an verò Hieroſolymis. Chriſtus igitur ad inſtitutam quæſtionem reſpondens, innuit, Samaritanos hactenus quidem ea in re erràſſe: cum Judæi, utpote ex quibus ſalus eſſet, meliùs ſcirent, quid, id eſt, qua ratione, & quo in loco adorandum eſſet: veniſſe tamen jam illud tempus, quo veri adoratores nulli certo loco alligati, ubique, dummodo in ſpiritu ac veritate, Deum illum, qui Pater eſt, adorarent. Nihil igitur ex hoc loco elici poteſt, quàm, ſi quis Patrem adorare velit, quomodo, & ubi hoc facere debeat; quod ſanè nullam vim ad Chriſtum adoratione excludendum habet, ut quilibet cordatus homo facilè intelligit. Adde, quòd jam docuimus, eum, qui Chriſtum adorat, ipſum Patrem adorare; adeò ut, etiamſi eo in loco adoratio eſſet definita, &, quis ſit adorandus, conſtitutum, nihilominus tamen Chriſtus ab eo cultu minimè ſit excludendus. 614.

‡ *Rurſus tamen objiciunt*] Optimè reſpondet Volkelius, *eum qui Chriſtum adorat ipſum Patrem adorare, adeo ut etiamſi eo in loco* Joh. IV, 23. *adoratio eſſet definita, & quis ſit adorandus conſtitutum*, (ut revera id ipſum ibi definitur & conſtituitur, quicquid voluerit priùs cavillari; Nec etiam abſque gravi cauſa quæſtionem à Samaritana de adoratione in genere propoſitam, explicaturus diſtinctiùs, illius objectum & modum voluit proponere:) *nihilominus tamen Chriſtus ab eo cultu minimè ſit excludendus.* Sic enim ita dicitur à Paulo 1 Cor. VIII, 6. quod nobis ſit *unus Deus Pater*, ut à participio illius veræ divinitatis Chriſtus minimè ſit excludendus; eâ ſcilicet ratione, quam hactenus protuli, quod ipſe & Pater unum ſunt. Imò Dominus proponendo Samaritanæ adorationem *Patris*, ſeipſum ita incluſit, quod hoc nomen Patris ſit relativum, nec Deus Pater ſit & dicatur à Chriſto, niſi cum tacitâ relatione ad ſe proprium ejus Filium, quem genuit ab æterno.

Objiciunt tamen, illud primum Decalogi præceptum, quo alios præter

Deum Iſraëlis adorare vetemur, noſtram de Chriſto adorando ſententiam prorſus convellere. Hoc verò ideo falſiſſimum cenſeri debet, quòd nec Chriſto illud præceptum opponitur, ſed alienis tantum fictiſque Diis; nec, uti jam docuimus, Chriſtum adorando, alium præter ipſius Patrem adoramus; nec denique Deus iſto præcepto ſeipſum, aliquem alium hoc honore ornandi poteſtate ſpoliavit, ſed tantùm hominibus hanc legem impoſuit, ne videlicet arbitratu ſuo id facerent.

† *Objiciunt tamen*] Non videtur Volkelius ſibi ſatisfeciſſe in tribus ſuis prioribus reſponſionibus de hoc Decalogi primo mandato, quod non eſt diverſum ab eo quod extat Deut. VI, 13. X, 20. & repetitur à Chriſto Matt. IV, 10. Verùm nec saniora ſunt quæ hîc habet: Nam *alienis fictiſque Diis*, is omninò eſt accenſendus, qui non eſt Deus Iſraelis, cujuſmodi eſſe Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, fides Catholica credit & profitetur. Et Chriſtus non alio loco quam alieni fictique Dei eſt habendus, ſi ut volunt Adverſarii non ſit naturâ Deus; cùm eos qui naturâ Dii non ſunt, colere religione nefas ſit, teſte Paulo Gal. IV, 8. Deo quoque Iſraelis hîc opponitur quælibet Creatura & quiſquis non eſt Creator cœli & terræ; quod liquet tum ex Pauli ſententia Rom. I, 25. quâ Idololatriæ damnantur qui ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, tum ex Ieremiæ loco celebri X, 11. quo maledicti & perituri dicuntur omnes illi dii qui non fecerunt cœlum & terram: Unde ſequitur Deum Iſraelis in primo Decalogi præcepto Chriſto quoque opponi, ſi Chriſtus non ſit cum Patre creator cœli & terræ. Quod verò addit Volkelius, *Deum iſto præcepto ſeipſum aliquem alium hoc honore ornandi* non ſpoliaſſe, *ſed tantum hominibus hanc legem* impoſuiſſe, *ne videlicet arbitratu ſuo id facerent*, eſt longè dilutius. Nam primò hæc lex non eſt juris poſitivi, ſed naturalis & indiſpenſabilis atque immutabilis ipſimet Deo, qui nec ſeipſum abnegare poteſt 2 Tim. II, 13. nec abdicare ſummum ſuum imperium in Creaturas, aut honorem & cultum ſibi ſoli eâ ratione debitum: Unde etiam Gentiles ſolo uſi lumine naturali agnoverunt nonniſi divinitati adorationis honorem & cultum deberi: quo ſpectat illud Sibyllæ apud Ovidium, quæ Æneæ, illi religioſum cultum pollicentem,

Templa tibi ſtatuam, ſtatuam tibi thuris honores

reſpondebat in hæc verba,

Nec Dea ſum, inquit, nec ſacro thuris honore
Humanum dignare caput.

Et certum eſt Calliſthenem Philoſophum, ſpeciem martyrii ſuſtinuiſſe, dum atrociſſima quæque paſſus eſt ab Alexandro Magno, quod liberiùs improbaſſet hunc principem adorationis honorem & cultum ſibi vendicaſſe. Deinde ut non poteſt Deus conferre ulli Creaturæ adorabilitatem ſive fundamentum adorationis, ſcilicet excellentiam increatam, ut ſit & agnoſcatur Creator cœli & terræ, ita nequit *aliquem alium* qui naturâ Deus non ſit, ornare iſto honore adorationis. Adhæc cùm *hominibus hanc legem* impoſuerit de nullo alio ſecum aut præter ſe adorando, voluit eam eſſe ipſis perpetuam & indeclinabilem normam ſui officii, ut nefas ſibi ducant quemquam alium adorare, ex prætextu neſcio cujus Deitatis collatitiæ & factitiæ. Denique pugnat hoc commentum,

Digitized by Google

tum, cum vera reſponſione ad hanc objectionem, quam hîc etiam propoſuit Volkelius & cui uni eſt inſiſtendum, quod *Chriſtum adorando alium præter ipſius Patrem non adoremus*, ideſt non aliud Numen, quia ipſe & Pater unum ſunt eſſentiâ, nec aliud & aliud, licet ſint alius & alius ac perſonis diſtinguantur. Cùm iſta ſolutio ſit ſolida & plana, quid opus eſt aliò tam abſurdè declinare? Sed voluit Volkelius quo jure quâ injuriâ falſæ ſuæ hypotheſi ſervire.

Cap. XXX.

De Chriſto invocando.

RESPONDENTE ad hoc & ſequens caput
JOHANNE JACOBO GESNERO
Helvetio Tigurino.

VIdeamus jam, quibus argumentis Chriſti invocatio impugnetur. Primò igitur nihil à nobis in rebus ad cultum divinum ſpectantibus jurè fieri poſſe adverſarii aſſerunt, quod Deus nominatim non mandaverit. Quapropter cùm nullum de precibus ad ipſum Chriſtum nominatim dirigendis mandatum nobis traditum ſit; conſequens eſſe ajunt, eum à nobis abſque ſcelere invocari non poſſe. Nos verò facilè concedimus, nullum de precibus ad Chriſtum nominatim dirigendis, quo ſimpliciter atque abſolutè ad id faciendum obſtringamur, præceptum extare; idque ob cauſas ſuprà ſuo loco explicatas. (*lib.* 4. *c.* 10.)

† *Videamus nunc*] Hîc Volkelius diſputat contra ſuos gregales, qui authore Franciſco Davidis ex Sociniana hypotheſi quod Chriſtus non ſit Deus ſed mera creatura, collegerunt igitur Chriſtum non eſſe invocandum: Eſt enim invocatio *eximium adorationis genus*, ut non malè monitum à Bellarmino, quod per conſequens ſoli ſupremo Numini debetur. Id tam conſtanter perſuaſum fuit Veteribus, ut argumento ducto à cultu religioſo & invocatione Chriſti, ejus Divinitatem & conſubſtantialitatem cum Patre probaverint, atque Arianos & Neſtorianos anthropolatriæ & idololatriæ damnaverint, quod Chriſtum ſe adorare & invocare profiterentur cujus veram divinitatem inficiabantur & oppugnabant.

Primò igitur] Major hæc debet eſſe in vado apud omnes, qui *Scripturarum plenitudinem* adorant, ut loquar cum Tertulliano, & eas admittunt pro ſufficienti & perfecta norma credendorum ad ſalutem: Quod ſubinde Sociniani facere videntur, dum adverſus Doctores communionis Romanæ traditiones non ſcriptas reſpuunt, nec ſolitæ conſuetudini vel Eccleſiæ authoritati ἀγράφῳ quicquam deferendum ſtatuunt.

Nos vero facilè] Atqui homo Chriſtianus id nequaquam temerè conceſſerit. Nam ſi nullum ſit præceptum Chriſti invocandi, nulla quoque erit promiſſio exauditionis ſi ipſum invocaverimus; adeoque omnis illa ejus invocatio, verbi divini fulcro deſtituta, fiet abſque fide, & erit omninò inanis;

Præceptum

Digitized by Google

Præceptum iſtius invocationis, vel eſt generale de Deo invocando, vel ſpeciale de fiducia in Chriſto reponenda, & Patre invocando illius nomine: Etenim 1. Eum omninò tenemur ex præcepto divino invocare, qui Deus eſt, juxta ipſius mandatum Pſal. L, 15. & cujus nos ſumus filii Luc. XI, 2. 12. Chriſtus verò eſt verus Deus & vita æterna 1 Joh. V, 21. ſumuſque ipſius non modò fratres ſed etiam filii Heb. II, 12. 13. 2. Ut non poſſumus eum invocare in quem non credidimus Rom. X, 14. ſic viceverſa eum debemus invocare in quem æquè ac in Patrem credere tenemur Joh. XIV, 1. 3. Eum quoque jubemur invocare, uti ſæpè factum à piis & fidelibus, quorum exempla in ſacra Scriptura relata nobis eſſe debent pro norma & helice, in cujus ſolius nomine precari tenemur cum exauditionis certiſſima fiducia, Joh. XVI, 23. 24. Sed de eo dictum fuſiùs *lib.* 4. *cap.* 11. ut his immorari nihil opus ſit; mirumque ſit hanc materiam fuſè ibi deductam hic à Volkelio parum tempeſtivè recoqui. Quia etiam nos hîc remittit ad ea quæ diſputavit *lib.* 4. *cap.* 10. rogamus Lectorem ut noſtra illic conferat cum Volkelianis.

Interim tamen hujus argumenti propoſitionem manifeſtæ falſitatis convincit exemplum invocationis ipſius Dei, de qua etiamſi nullum extaret man-
615. datum, eum tamen invocari jurè poſſe, ſemperque potuiſſe, nemo dubitat. Ut enim id jurè fieri poſſit, ſatis eſt nobis conſtare, tum de tanta ejus ſapientia, ut preces noſtras intelligere, tum de potentia, ut ea, quæ petimus, præſtare queat, tum de bonitate, ut etiam velit: quamquam ſatis eſt, quòd velle poſſit. Et ſanè ſi univerſam legem à Moſe deſcriptam, quâ totius antiqui fœderis ratio continetur, evolveris, nullum de Deo invocando, ſeu auxilio ejus implorando, præceptum, præſertim quo ſimpliciter atque in perpetuum obligentur, reperies, nedum ut abſque intermiſſione orare Iſraëlitæ ibi juſſi fuerint, quemadmodum ſub novo fœdere præceptum eſt. An ergo tum id facere non licebat? Quid? num præcepto aliquo opus eſt, ut ſubditi regis ſui opem implorare jurè queant? an non ſufficit ſcire, eum id quod petas præſtare poſſe? multo autem magis, ſi ſcias, eum ad id faciendum admodum pronum facilemque eſſe.

† *Interim tamen hujus*] De iſta propoſitione modò dictum, quâ negatâ invocatio Chriſti erit res adiaphora & quæ in cultu religionis pertinebit ad ἐθελοθρησκείας damnatas Paulo Col. II, 23. Extitiſſe quoque mandatum Dei invocandi ſub V. T. & in lege Moſaicâ, ſuo loco demonſtravi *lib.* 4. *cap.* 10. Imò hæc non eſt lex poſitiva ſed naturalis, quam omnes vel improbiſſimi inſculptam habent naturaliter cordi ſuo; ſiquidem ad aliquas redacti anguſtias & ope humanâ deſtituti, ſolent oculos & manus ad cœlum attollere, quaſi naturaliter edocti Deum in ærumnis omnibus eſſe invocandum.

Ut enim id jure] Hæc verò attributa ſi concedat Volkelius Chriſto, ejus veram divinitatem plenè agnoſcet: Hæc enim ſapientia, potentia, bonitas, ſolius ſummi Numinis debet agnoſci.

Et ſane ſi univerſam] Contrarium demonſtra-

Digitized by Google

vimus ſuprà *lib. 4. cap. 9. pag. 513. & ſeq.* Quin Volkelius videtur hîc tacitè retractare, per ſuum *præſertim*, quod liberaliùs & univerſaliùs aſſeruerat *l.c.* ubi abſolute dixerat nullum inter 613. Legis præcepta extare quo populus Iſraeliticus *ad preces Deo exhibendas impelleretur.* Et cùm *omnes ſimpliciter* ad Dei cultum & adorationem ex illius mandato teneantur, idque in *perpetuum*, ac inſuper perpetuò cum variis difficultatibus & neceſſitatibus conflictentur, non video quî negari poſſit jam olim ſub T. V. *omnes ſimpliciter & in perpetuum* ex Dei populo cultui ejus devoto & conſecrato, ad illius invocationem obligatos fuiſſe.

Quid? num præcepto] Sanè nulli ſubdito licet accedere ad regem ſuum, niſi præfatâ veniâ & juſſus venire fuerit. Ut autem preceris Deum cum fiducia, debet tibi conſtare non tantum de illius potentia, ſed etiam de illius voluntate, quæ non aliunde quam ex illius præceptis & promiſſis haberi poteſt. Quinetiam Volkelius ſui immemor hîc loci videtur: Nec enim debuit Chriſtus ceu eximium quid & novum nos docere preces Deo eſſe fundendas ut pertendebat *lib. 4. cap. 2. ſtatim ab initio*, ſi ad id faciendum nec præcepto, nec promiſſione, nec doctore aut monitore, opus eſt.

Quid cauſæ erat, cur multi à Chriſto in terris exiſtente ea peterent, quæ cæteroqui nonniſi à Deo peti poterant, niſi quia ſciebant, Chriſtum ea præſtare poſſe, etiam ſi nullum de eo rogando mandatum haberent? Quòd ſi nunc Chriſtus non minùs preces noſtras percipere, & ea, quæ petimus, præſtare poteſt, quàm olim, cùm in terris degeret, ut ſanè poteſt: ſiquidem corda & renes ſcrutatur, & omnia, non tantùm facta, ſed & cogitata noſtra videt, omnique prætereà in cœlo ac terra poteſtate eſt præditus; quid cauſæ eſt, cur eum nunc minùs rogare, & auxilium ipſius implorare abſque mandato liceat, quàm olim licuit, cùm in terris viveret?

† *Quid cauſæ erat*] At qui ea petierunt à Chriſto, quæ *nonniſi à Deo peti poterant*, eo ipſo Chriſtum Deum eſſe ſuppoſuerunt, ad cujus invocationem mandato divino tenebantur.

Quod ſi nunc Chriſtus] Verùm hæc omnia magis adſtruunt æternam Chriſti divinitatem & Socinianos faciunt αὐτοκατακρίτους, quod talia de Chriſto prædicantes quæ ſolius ſunt Dei, uti oſtenſum ſuo loco, verbi gratia ubique præſentem eſſe ut ſe invocantes audiat, *corda & renes* ſcrutari, *& omnia non tantum facta ſed etiam cogitata videre, omnique prætereà in cœlo & in terra poteſtate* frui, audent tamen ejus divinitatem veram & naturalem impugnare, ſiquidem divinæ hæc attributa in illo agnoſcunt quorum nulla mera Creatura capax eſt.

Quare iſtam argumenti adverſariorum conſecutionem facilè refellunt ea, quæ ſuprà de ſummo Chriſti imperio, diligentiſſimaque Eccleſiæ cura, itemque de Spiritus divini monitis, denique de ſanctorum hominum exemplis, quibus ad auxilium Chriſti implorandum incitamur, diſputavimus.

Digitized by Google

Ea enim omnia clariſſimè oſtendunt, poſſe id ſummo jure citra ullam divini numinis offenſionem, à piis hominibus fieri, quamvis de eo mandatum, quale diximus, non extet. Si enim apud omnes cordatos homines omnia, quæ prohibita non ſunt, cenſentur eſſe permiſſa: quid tandem exiſtimandum de illis eſt, quibus non ſolùm non prohibemur, ſed ad quæ inſuper facienda, non quidem mandatis, verùm haud levibus, imò divinis planè incitamentis concitamur?

‡ *Quare iſtam*] Imò verò illa omnia quæ diſputata ſunt *ſupra de ſummo Chriſti imperio, diligentiſſimaque Eccleſiæ cura, itemque de Spiritus divini monitis, denique de Sanctorum hominum exemplis*, probant & Chriſtum eſſe naturâ Deum neceſſariò invocandum, & nos ex conſequenti divino præcepto ad id teneri.

Si enim apud] Quæ prohibita non ſunt, vulgò cenſentur indifferentia & noſtræ libertati relicta; quod de Chriſti invocatione nemini ſomniandum.

Hoc verò cum ſeveriſſimo Dei mandato pugnare inquient, quod Deut. 12. 32. hunc in modum legatur: *Hoc tantùm facias, quod ego præcipio tibi: nec ad-*
616. *das, nec minuas.* (*Deut.* 4. 2.) Reſpondemus autem, Hebraicum textum vocem *tantùm* non habere; nec *addere* apud Moſem, id facere, qnod mandatum non eſt, deſignare, ſed, potiùs quod prohibitum eſt: ut contrà *minuere*, eſt aliquid eorum, quæ præcepta ſunt, omittere. Unde alio in loco id ipſum, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram deflectere appellat. (*Deut.* 5. 32.)

‡ *Hoc verò cum*] In rebus ad pietatem & religionis cultum ſpectantibus id omne prohibitum cenſetur quod præceptum non eſt, ex dicto Chriſti expreſſiſſimo Matt. xv, 9. quo teſtatur fruſtra Deum coli ex πατροπαράδοσει & mandatis hominum: Si enim fas fuerit aliquid facere in negotio religionis, quod præceptum non eſt, obtinebunt facilè illæ voluntariæ devotiones quas Paulus improbat, nec peccaverit Gedeon in Ephodi ſui fabrica & conſecratione. Certè quicquid eſt præter adæquatam regulam eſt etiam contra illam; Ideo non prohibet Apoſtolus nos ſapere *contra*, ſed tantum ſapere *ſupra* id quod ſcriptũ eſt 1 Cor. IV, 6. Gal. 1, 8. Quicquid enim eſt ſupra vel extra id quod à Deo mandatum eſt, in ordine ad cultum ſuũ, id omne contra illud eſt. Quantũ ad locum Deut. XII, 32. primò vox illa *tantũ* extat in V. V. quæ magni fit apud Socinianos adeo ut ipſimet communionis Romanæ Doctores, qui aliàs minùs æquè judicant de perfectione & ſufficientia Scripturæ, eam retineant. Deinde omninò illa vox eſt retinenda, ſiquidem mens Moſis eſt, ut in Dei cultu nihil aliud faciamus quam quod ipſe nobis præceperit & præſcripſerit; adeo ut ejus præcepta & mandata debeant nobis eſſe certi & intemerati fines *quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum*. Huc facit palam illa loquutio, *nec addas quicquam, nec minuas*, ideſt neque ampliùs, neque minus feceris, adeoque id tantum feceris quod Dominus præceperit. Huc facit locus parallellus Deut. IV, 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Cuſtodire mandata Domini Dei veſtri ego præcipio vobis.* Nec *addere* eſt ſim-

Digitized by Google

eſt ſimpliciter facere *quod prohibitum eſt*; Id enim vix cadit ſub ſenſum communem, ut is qui tranſgreditur legem, ſtatuatur *addere* legi; Sed eſt mandatis jam acceptis aliquid de noſtro adjicere, quod arbitremur ad Dei cultum unà facturum; prout *minuere* de præceptis Dei, non eſt ſimpliciter omittere quæ mandata ſunt, ſed quædam ex illis præceptis diſpungere, ceu ſuperflua & nõ vel minùs obligantia: ut illi minuunt ex Dei lege qui interdicto Imaginum nos hodie teneri negant, addunt verò ad Dei legẽ, qui Eccleſiæ, ut vocant, mandata, id eſt traditiones humanas, pari venerationis cultu cum ipſa Scriptura ſuſcipi volunt. *Deflectere* verò *ad dextram* vel *ad ſiniſtram*, in ordine ad mandata Dei, non eſt vel committere prohibita vel præcepta omittere, ſed eſt ab illo Canone illaque linea ecclyptica temerè recedere, ſive amplius ſive minùs faciendo quam mandatum divinitùs fuerit.

Aliter enim ſi ſe res haberet, peccâſſet tum Gedeon, tum David, quorum ut ille altare extruxit, (*Iud.* 6. 24.) ita hic domum Dei ædificare inſtituit, nullo divino mandato impulſus. (2 *Reg.* 7. 2. & *d.* 3 *Reg.* 8. 17, 18, 19: 2. *Paral.* 6. 7, 8, 9.) Atqui nec illius factum reprehenſum fuit, nec hujus conſilium divina caruit approbatione; licet à Deo jam conſtitutum eſſet, ut non David, ſed ipſius filius templum extrueret.

‡ *Aliter enim ſi ſe*] Sed primùm à cultus circumſtantiis merè externis, quæ locum, tempus & ordinem illius ſpectant, quò pertinent ad ſummum exempla Gedeonis & Davidis hîc citata, ad illius eſſentiam & ſubſtantialia, quale hoc eſt de cultus & invocationis objecto, de quo nunc diſputamus, non procedit argumentum. Adhæc Viri Sancti multa fecerunt impulſu immediato Spiritus Sancti qui hic & nunc fuit illis pro mandato; quò referri poſſit altaris erectio per Gedeonem in teſſeram divinæ ſuæ vocationis Jud. VI, 24. Sed neque cogimur eò procedere: Nam quod narratur de nomine illius altaris extructi à Gedeone, prolepticè inſinuatur, occaſione ejus quod illi perterrito dixerat Jehova *Pax tibi, ne timeas, non morieris*, com. 23. cùm tamen non eodem temporis articulo hoc altare extruxerit, ſed demum poſtridie, & poſtquam expreſſum de altari illo extruendo mandatũ divinitùs accepiſſet, ut diſtinctiùs narratur com. 25. & 26. Adeoque debuit Volkelius geminos Soles vidiſſe in meridie, ſi intra νυχθήμερυ ſpatium duo diſtincta altaria ſibi finxerit à Gedeone ædificata: alterum quidem quod vocaverit *Iehovah Schalom*, in quo nihil obtulerit, alterum verò anonymum ex mandato Dei expreſſo, in quo præſcriptum holocauſtum obtulit. Potuiſſet autem id quod dico obſervaſſe hæreticus, non ſolùm ex ſerie textus, quæ eò nos euidenter ducit, ſed ex ipſo Lyrano qui ad comma 24. id annotat; *Hoc dicitur hîc per anticipationem, quia non ædificavit illud niſi poſt divinam revelationem, quæ habetur parte ſequenti.* Quid quod Gedeon graviſſimè impegit, cùm deſtitutus Dei mandato, Ephod illud fecit ex ſpoliis Madianitarum, quod ipſi & toti ſuæ domui ceſſit in laqueum & ruinam? Jud. VIII, 27. Ut malis avibus ſuæ cauſæ præſidium quæſiverit Volkelius ab exemplo Gedeonis. Nec magis illi prodeſt exemplum Davidis; Ejus quidem conſilium

Digitized by Google

ſilium de ædificando templo, in ſe erat honeſtum, & ſuſceptum quoad rem non ſine Numine, maximè ſi ſtemus ſententiæ Iudæorum qui (ut refertur à Wilhelmo Schickardo, in tractatu quem inſcripſit *Ius Regium Hebr. cap.* 1 *theor.* 1.) ſtatuunt tria fuiſſe præcepta à Moſe data, quæ executioni non erant mandanda niſi poſt occupatam & poſſeſſam aliquamdiu terram Canaan, de rege eligendo, templo ædificando, & delendis Amalechitis; Hinc eſt quod illud conſilium non caruit divinâ approbatione; Sed tamen quod David ſine Dei mandato & juſſu perſonaliter ipſi facto, templum ædificare deſtinaverat, fuit à Deo improbatum, & id honoris ejus filio reſervatum, 2 Sam. VII, 2. ſeqq. 1 Reg. VIII, 17. 18. 19. 2 Chron. VI, 7. 8. 9. Conſilium Davidis non fuit à Deo improbatum de re ea facienda, quæ ex divino mandato fieri debebat; Sed non fuit approbatum de illa re ab ipſo facienda; Siquidem fuit divinitùs monitus, ne iſti conſilio inſiſteret, ſed hoc opus eamque curam ſuo ſucceſſori relinqueret.

Conſequens igitur eſt, non omnia piorum hominum facta ad cultum divinum pertinentia, in peccatis habenda eſſe, quamvis abſque divino mandato ſuſcipiantur, modò cum mandatis divinis, eorumvé analogia nequaquam pugnent. Si enim vel cum Dei mandatis directè pugnent, vel iis, quæ vetantur, ſimilia ſint, peccata eſſe nemo noſtrûm dûbitat. Quod ideò à nobis dicitur, ne Pontificiorum innumera commenta ſtabilire, aut non fruſtra Deum mandatis hominum coli exiſtimare videamur: ſed ut nos ea hominum placita, quæ præterquam quòd nec ulla probabili ratione nec ullis divini Spiritus monitis, nec virorum divinorum exemplis comprobantur, mandata quoque Dei, ut Phariſæis objicit, infringunt, penitùs repudiare manifeſtò appareat.

‡ *Conſequens igitur eſt*] Atqui cùm de ſolo Deo adorando & invocando divina, eaque expreſſiſſima, extent mandata, nefas foret eum adorare & invocare quem negaveris eſſe Deum naturâ, niſi ſupremi Numinis novum ad id mandatū certū & expreſſum habueris. Aliàs ſervire Creaturæ juxta Creatorem aut præ illo, res eſt *cum Dei mandatis directè* pugnans, & quæ nullo prætextu poteſt incruſtari vel excuſari. Ne dicam ea omnia quæ *ad cultum divinum* uſurparentur, ceu ſubſtantialia, (nam circumſtantiarum determinationes, ſunt plerumque relictæ libertati piorum & Eccleſiæ) *abſque divino mandato*, eo ipſo *cum mandatis divinis eorum-ve analogia* pugnatura. Et in quā partem hic ſe verterit Volkelius, non poterit ex ſua hypotheſi ſatis cordatè refutare *Pontificiorum innumera commenta*, eodem prætextu defendentium humana *placita* in ſacris; qui ſibi gratularentur, ſi ſubſidio Volkelianæ ejuſque frigidæ ac ineptæ interpretationis loci Deut. XII, 32. poſſent telum iſtud in ſuas traditiones intorqueri ſolitum ab omnibus Proteſtantibus, fœliciter declinare. Si verò invocatio Chriſti quibuſdam *divini Spiritus monitis* & *virorum divinorum exemplis* comprobatur, eo ipſo mandata divinitùs ſtatui debet: Adeoque perperam hactenus Volkelius diſputavit de mandato Dei non neceſſario ad ea quæ ſunt

ſunt ſui cultus, ex illa inepta ejus ſuppoſitione quod Chriſti invocandi nullum extet mandatum in Dei Verbo, aut quod vim mandati habeat.

Tertium adverſariorum argumentum eſt, quòd nonniſi is invocari poſſit, à quo tanquam ex fonte omnia dona emanant; qui cum ſit ſolus ille luminum pater, conſequens eſſe ajunt, neminem præter illum invocari poſſe. Nos verò argumenti hujus propoſitionem, niſi ita accipiatur, ut in eum ſolum, qui primus omnium beneficiorum fons eſt, omnem invocationis honorem ultimò redundare debere intelligatur, negamus. Quid enim prohibet eum etiam rogare, per quem ex primo illo fonte largi beneficiorum rivi in nos manant? Etſi enim ſolum Patrem bonorum omnium primarium largitorem eſſe libentiſſimè confitemur: nequaquam tamen conſentaneum, imò à ratione alienum eſt, illum ob hoc ipſum ea libertate privandum eſſe, quominus cui velit, beneficia in homines conferendi poteſtatem, cum ſummo imperio conjunctam, concedere poſſit; ut quidem Chriſto eam conceſſiſſe manifeſtiſſimum eſt, quem idcirco invocari poſſe conſtanter dicimus. Adde, quòd quiſquis Chriſtum invocat, ſimul ipſum Patrem invocet, utpote qui Chriſtum tantâ potentiâ donavit, & nobis gubernandis curandiſque præfecit; ita ut dici poſſit, eum qui Chriſtum invocat, ſolum Patrem invocare, quemadmodum de adoratione ſuprà docuimus.

‡ *Tertium adverſariorum*] Hoc poteſt eſſe pro tertio argumento, ſi quod objiciebatur ante ex Deut. XII, 32. & unde tam parum fœliciter ſe extricuit Volkelius, ſic pertineat ad ſubſidium primi, ut ſimul ſecundum conſtituerit. Sedes autem hujus tertii argumenti extat Jac. 1, ℣. 15. & 17. inter ſe collatis, quò benevolum Lectorem amandamus. Hæc enim Controverſia non propriè noſtra eſt, ſed adverſariorum inter ſe, quos juvat videre Cadmeorum fratrum inſtar ſe mutuò impugnantes & debellantes. Interea tamen argumentũ quod ſolvendum ſibi ſumpſit Volkelius tale eſt. Is ſolus eſt invocandus qui eſt Pater luminum à quo *omnia dona emanant*; Talis non eſt Chriſtus, E. Ad argumentum hoc facilè reſpondeat Orthodoxus negatâ minore; cùm ipſe Chriſtus ſit *Sol juſtitiæ* Mal. IV, 2. & *lux ac vita mundi* Ioh. 1, 4. 9. adeoque unà cum Patre *Pater* ille *luminum* cujus fit mentio Iac. 1, 17. Sed conceſſâ minori, ut fit à Volkelio ex Photiniana ſua & ſuorũ de Chriſto ſententia, major ejus effugiis labefactari non poteſt. Non prodeſt ei diſtinctio invocationis mediæ & ultimæ, quâ vult ſtatuere non adverſari Deo vel Scripturæ invocationem religioſam Creaturæ, ſi modò in ipſum Deum *omnem invocationis honorem ultimò redundare debere intelligatur*. Nam primò nequit in Dei honorem ultimò redundare id quod ipſe profitetur adverſari ſuæ gloriæ, quam nunquam eſt daturus alteri, Ieſ. XLII, 8. Deinde pari ratione excuſare debebit Socinianus, ut aliàs viſum, invocationem B. Virginis & aliorum Sanctorum, in communione Romana, quorum honorem & cultum *ultimò*

Digitized by Google

ultimò in Deum referri & in ipſo terminari, ut & Creaturarum apud ipſos vigentem varium cultum, illius communionis Doctores vulgò aſſerunt. Neque definit mulier ea eſſe adultera quæ ſe proſtituit alteri in gratiam ſui mariti ac utilli aliquid honoris & dignitatis conſequatur. Deinde ſi fas ſit etiam eum religioſè invocare, *per quem ex primo illo fonte largi beneficiorum rivi in nos manant*, legitima erit adoratio Solis, per quem Deus tot beneficia nobis impertitur; Legitima erit invocatio Angelorum, per quos Deo mandante protegimur, & varias liberationes conſequimur; Legitima erit invocatio Sanctorum mortuorum, qualis viget in communione Pontificia, ſiquidē Deus per eos, ut illi ſaltem rentur, multa beneficia nobis quotidie largitur, quod putant probari ex miraculis quæ fiunt ad eorum imagines & reliquias, & revera per illos dum viverent, multis ſumus affecti beneficiis; Legitima erit invocatio religioſa Magiſtratuum & Paſtorum, *per quos ex primo illo fonte largi beneficiorum rivi in nos manant.* Hæc omnia verò quam ſint abſurda & per ſe corruant, in confeſſo eſt apud omnes quibus ſana mens eſt in corpore ſano. Fallitur ergo Volkelius dum *ſolum Patrem*, oppoſitè ſcilicet ad Filium ac Spiritum Sanctum, *bonorum omnium primarium largitorem eſſe* pertendit; cùm id non ſoli Patri, ſed ſoli Deo uni & trino, ſit vendicandum. Fallitur cùm pertendit id eſſe in Dei *libertate*, ut *cui velit beneficia in homines conferendi poteſtatem*, *cum ſummo imperio conjunctam*, *concredere poſſit.* Sic enim, ut nonnulli Scholaſtici delirarunt, potuerit B. Virginem reginam cœli ac terræ facere, & ei, ut Biel, improbante Caſſandro, loquitur, regni Gratiæ plenam concedere adminiſtrationem, ſervatâ ſibi adminiſtratione regni Iuſtitiæ: Etenim quamvis longiùs juſto proceſſerit ſuperioribus ſæculis invocatio ſanctorum demortuorum, quam eſſe vitioſam & illicitam nobiſcum agnoſcunt Sociniani, nunquam tamen ab illius Patronis eo uſque deventum eſt, ut cenſuerint Sanctis illis convenire *beneficia* divina *conferendi poteſtatem*: cùm ſemper proteſtati ſint eos invocandos, tanquam impetratores beneficiorum quibus egemus, non tanquam eorum collatores. Ius enim iſtius Collationis unius eſt ſupremi Numinis, quod in alium transferre non poſſet, quin ſeipſum abnegaret: Summum enim imperium nonniſi ipſi ſummo imperatori poteſt competere. Igitur in Chriſto quidem agnoſcimus, & *beneficia* quæ petimus & quibus egemus nobis *conferendi poteſtatem* omnimodam, eamque *cum ſummo imperio conjunctam*; ſed quæ illi competat quatenus unum eſt cum Patre ejuſdemque eſſentiæ & naturæ, non verò ex indebita conceſſione; cujus nec Creator capax eſt, cùm nequeat gloriam ſuam alteri tribuere, nec mera Creatura, in quam, ut pote finitam, iſtiuſmodi infinita tum potentia tum poteſtas cadere nequit. Itaque verè quidem dicitur quod *quiſquis Chriſtum invocat ſimul ipſum Patrem invocet*, ſed in quantum ipſe & Pater unum ſunt eſſentiâ & naturâ, non verò propterea quod eum *tantâ potentiâ donavit*, *& nobis gubernandis curandiſque præfecit*: Sanè non crederetur is ſimul Deum cum Rege invocare qui Regi ſupplicaret, etſi Rex ſuam poteſtatem & authoritate à Deo ſit conſequutus. Angelos proculdubio Deus donavit magnâ *potentiâ*, & *nobis* etiam *gubernandis curandiſque* ſuo modo *præfecit* Heb. 1, 14. Hoc tamen prætextu non poſſunt Angeli invocari vel adorari: tantum abeſt, ut qui Angelos invocaret & adoraret, cenſeretur vel ſimul cum illis Deum, vel quod abſurdius foret, *ſolum* Deum invocare

Digitized by Google

vocare & adorare. Quæ de Patre ſolo adorato cùm adoratur Chriſtus, nugatus eſt *ſuprà* Volkelius, ſuo loco refutata ſunt.

Quarto loco Chriſti (*Matth.* 6. 8.) Jacobique (*Iac.* 1. 3.) de precibus doctrinam producunt, quorum uterque Patrem invocandum aſſerat. Re- 617.
ſpondemus autem, neque dictum ab illis fuiſſe, ſolum Patrem invocari poſſe, neque alibi ulla ratione cautum, ne quis alium, & ſic Chriſtum etiam præter Deum Patrem invocaret. Quinimò à compluribus Chriſtum, dum adhuc in terris verſaretur, invocatum fuiſſe, idque in iis rebus quæ nonniſi divinâ potentiâ fieri potuerunt, compertiſſimum eſt. (*Mat.* 8. 2, 5, 25. c 9. 27: 14. 30: 15. 22: 17. 15: *Mar.* 10. 47. *Luc.* 17. 5.) qui ſanè, ſi hac in re deliquiſſent, omnino vel ab eo reprehenſi, vel hoc facto prohibiti fuiſſent.

† *Quarto loco*] Scio diſputari inter Eruditos num Patris nomen in oratione Dominica ſumatur ὑποςατικῶς, vel οὐσιωδῶς. Si prius ſtatueris, non invocabitur Pater excluſivè à Filio cum quo unum eſt: Si poſterius Filius & Spiritus Sanctus etiam ſub hoc nomine Patris comprehendentur. Priori ſtante hypotheſi, obtinet quod dicit Adverſarius, Apoſtolorum neminem dixiſſe *ſolum Patrem invocari poſſe*: Siquidem unà cùm Patre Filius & Spiritus Sanctus debent invocari, quod, ut cætera mitam, vel ex noſtri Baptiſmi formula abundè liquet, quæ diſertam expreſſiſſimamque invocationem Patris, Filii & Spiritus Sancti continet: Ex poſteriori verò hypotheſi ita ſolus Deus, unus & trinus, omnium Pater eſt invocandus, ut cultus ille religioſus & divinus citra Sacrilegium alteri alicui fictitio vel factitio Deo, cujuſmodi Chriſtus eſt Socinianis, deferri non poſſit.

Quinimo à compluribus] Hæc omnia ſunt argumenta omni exceptione majora agnitæ & confeſſæ veræ Divinitatis in Chriſto: Nam invocari religioſè, *idque in iis rebus quæ nonniſi divinâ potentiâ fieri potuerunt*, neminem ritè poſſe, qui *potentiâ* adeoque & eſſentiâ Deus non ſit, *compertiſſimum eſt*.

Huc accedit, quòd Chriſtus, cùm adorandi modum ſuis præſcriberet, non quis invocandus eſſet, diſputabat; ſed reprehenſâ hypocritarum in orando multiloquentiâ, breviter ſuos diſcipulos orare docebat, ita tamen, ut complecterentur omnia, quæ perpetuò petenda, ſint; non immutans interim veterem ſolius Patris invocandi conſuetudinem; partim propterea, quòd nec gloriam ſuam ipſe quærebat, nec in tantam adhuc poteſtatem elatus, ut ea dare poſſet omnia, quæ in ea oratione continentur; ut interim illud, quod in hac diſputatione ſæpiùs inculcandum eſt, neutiquam prætercam, nos Chriſtum invocando Patrem invocare.

Huc

† *Huc accedit quod*] Chriſtus in *modo* precandi præſcibendo, ſuppoſuit ſolum Patrem, οὐσιωδῶς ſic dictum, id eſt ſolum Deum, eſſe invocandum, adeoque voluit *veterem* illam *conſuetudinem* ipſius Dei mandato nixam, quod ipſe ſit ſolus Iehova, qui ſolus ſit adorandus, nec daturus unquam ſuam gloriam alteri, ita in perpetuum vigere & retineri, ut ſe extra quæri noluerit; fatente adverſario quod *Chriſtum invocando Patrem* invocemus, & quia ipſe noſter Pater eſt οὐσιωδῶς, æquè ac prima perſona Trinitatis, & quia ipſe & Pater ὑποστατικῶς ſic dictus, unum ſunt. Quo reſpectu noſtras preces potuit ſtatuere dirigendas ad Patrem; maximè ſuæ humiliationis tempore & ubi apparebat in forma ſervi, tum ne *gloriam ſuam ipſe* quærere videretur, tum quia in noſtris precibus vult œconomicè, ſequeſtri, mediatoris & interceſſoris partes ſuſtinere.

Affirmant præterea, nos ideò Chriſtum minimè invocare poſſe, quòd ad ſemel repudiatum coeſſentialitatis Chriſti cum Patre errorem nos relabi oporteat. Occurrimus autem, & tunc nos in iſtum errorem relapſuros eſſe dicimus, cùm inter Patris-Filiique invocationem nullum relinquemus diſcrimen; quod ſanè nunquam faciemus. Quinimò, ut planiſſimè mentem noſtram aperiamus, Chriſtum, nec ut primarium omnium rerum autorem ac moderatorem invocamus, ſed tanquam eum, qui in poteſtate illa à Patre dependeat; nec tanquam ultimum precum iſtarum, & honoris, qui ei hac ipſa ratione exhibetur, ſcopum ac finem, ſed tanquam intermedium; nec niſi in iis, quæ aliquo modo ad ipſius ſpectant Eccleſiam; nec tandem ita, ut mandato aliquo divino ad id faciendum ſimpliciter obſtringamur, & abſque peccato ad ipſum Deum rectà accedere nunquam poſſimus. At verò Deum Patrem nos ut primum omnium bonorum fontem invocamus, & preces noſtras ad ipſum, tanquam ad ultimum ſcopum dirigimus, & in omnibus prorſus rebus illius præcepto obligatos, auxilium illius ſemper implorare nos debere profitemur, idque vel rectà, ita nimirum, ut ad ipſum Deum, non ad Chriſtum, verba precationis noſtræ dirigamus, quod ſine peccato omnes omnium ſeculorum Chriſtiani ſæpè & fecerunt & faciunt, vel ita, ut ad Chriſtum preces noſtras convertamus: quandoquidem utroque modo Deus Pater invocatur.

† *Affirmant præterea*] Hic ſcrupulus maximè urget adverſarios, quod negare veram æternamque divinitatem Chriſti, & nihilominus religioſam illius adorationem & invocationem propugnare, ſit ἀσύστατα loqui, & calidum ac frigidum efflare ex eodem ore. Et ridicula eſt ac ſeipſam evertens diſtinctio inter invocationem Patris & Filii, ad quam hic confugit Volkelius, ut ſe excuſet apud ſuos Samoſatenianos de propugnata invocatione Chriſti hoc expreſſo capite: Nam primùm ipſe modò dicebat *nos Chriſtum invocando, Patrem invocare*. Iam autem qui unico eoque indiviſo actu invocantur unà, nequeunt invocari

invocari diſpari invocationis genere. Secundó idem poſſet valere effugium pro excuſanda Idololatia eorum Gentilium qui Deos minorum Gentium invocabant & adorabant; quandoquidem eos invocabant tanquam Deos ſecundarios, longè infra ſupremum Numen ſubſidentes. Tertiò eadem causâ potuiſſent uti excuſatione priſci Ariani & Neſtoriani, iſtorum hæreticorum Patriarchæ, quos Catholici Anthropolatriæ & idololatriæ inſimulabant, dum Chriſtum, quem ex ſua hypotheſi coeſſentialẽ Patri inficiabantur, invocabant tamen & adorabant. Quartò cùm palam profiteantur Sociniani ſe improbare Romanæ communionis ritum Angelos & Sanctos invocandi, eum tamen imprudentes faciunt excuſabilem & legitimum; ſiquidem Angeli & Sancti illic non invocantur, niſi tanquam intermedii inter homines & Deum, imò potiùs tanquam impetratores, quam collatores beneficiorum divinorum. Denique cùm paullò ante fateretur Volkelius Chriſtum, etiam *dum adhuc in terris verſaretur invocatum fuiſſe, idque iis in rebus quæ nonniſi divinâ potentiâ fieri potuerunt*, eo ipſo agnoſcebat Chriſtum invocari ut *primarium rerum autorem ac moderatorem*, in cujus potentia divina, adeoque abſoluta ac infinita, ſit noſtras preces exaudire & largiri quod petimus. Et certè cùm invocatio fidei, ſupponat in ſuo objecto, ſapientiam, potentiam, bonitatem, infinitam, nulli legitimè deferri poteſt, niſi primario omnium rerum moderatori & authori: Sunt ſanè preces piæ Sacrificia ſpiritualia, quæ dignitate immenſùm ſuperant oblationes victimaſque corporeas ex thure aut beſtiis: Jam autem cùm nefas ſit alii quam ſupremo Numini thus adolere aut ſanguinem victimarum offerre, (abſit enim ut *Sacro thuris honore*, ut ipſe Ovidius Sibyllam loquentem introducit *humanum* dignemur *caput*) multo minùs licebit alii quam ſupremo Numini vitulos labiorum aut thus ſpirituale ſacrarum precum, adolere & offerre. Et quamvis in *poteſtate* nos audiendi & exaudiendi Chriſtus *à Patre dependeat*, dependentiâ perſonali & ordinis, tamen eſt æquè independens ac Pater, (cum quo unum eſt Joh. x, 30.) eſſentiâ ac naturâ. Nec poteſt non eſſe Chriſtus *precum* quæ ipſi offeruntur *ſcopus & finis*, ſive potiùs objectum ultimatum, cùm adoratio & invocatio ſit actus elicitus religionis cujus Deus eſt unicum & immediatum objectum. Nec deſinit Chriſtus tale objectum precum noſtrarum eſſe cum Patre in genere entis quà λόγος, etſi in genere moris quà θεάνθρωπος, Mediatorem & interceſſorem noſtrum agat apud Patrem. Tantum enim abeſt ut hoc officium quicquam derôget æternæ illius Divinitati & conſubſtantialitati cum Patre, ut contrà eam præſupponat neceſſariò; quod alibi demonſtravi. Longè abſurdius eſt quod admiſſâ invocatione religioſâ Chriſti, *idque in iis rebus quæ nonniſi divinâ potentiâ fieri* poſſunt, ut ante loquebatur Volkelius, ſtatuit tamen eum non invocandum eſſe in omnibus, ſed tantum *in iis quæ aliquo modo ſpectant ad ipſius Eccleſiam:* Nam præterea quod exempla Chriſti adorati & invocati dũ in terris ageret, quæ ſuperiùs indigitabat adverſarius ex Matt. VIII, 2. 5. 25. IX, 27. XIV, 30. XV, 22. XVII, 15. Marc. X, 47. Luc. XVII, 5. Ioh. IV, 47. difficile poſſet ullus Volkelii hyperaſpiſtes ad ea *quæ aliquo modo ſpectant ad ipſam Eccleſiã*, referre, niſi inquãtũ illis edocemur in Eccleſia ad Chriſti operã nos debere ac poſſe tutò in omni anguſtia & in omnibus infirmitatibus ac morbis corporeis, recurrere; nec Pater nec Filius poſſunt ab ullo fideli ritè invocari *niſi de iis quæ aliquo modo ſpectãt*

Digitized by Google

ipſius Eccleſiam, & in Eccleſia Nominis ſui ſanctificationem, Regni ſui adventum, Voluntatis ſuæ executionem &c. Ac prout antea demonſtravi non poſſe ritè invocari Chriſtum negato *mandato divino* quo *ad id faciendum obſtringamur*, ita certum eſt non poſſe quemquam *abſque peccato ad ipſum Deum rectà accedere*, ſine Chriſti interventione & invocatione; cùm nemo niſi per eum ad Patrem accedere & venire queat Ioh. XIV, 6. Non eſt quò eas niſi ad ipſum; non eſt etiam quà eas niſi per ipſum. Sublato autem diſcrimine illo triplici quod ſibi fingit Volkelius inter invocationem Dei & Chriſti, facilè corruit audax illius aſſertum, quo ſtatuit *ad ipſum Deum, non ad Chriſtum verba precationis noſtræ* poſſe dirigi, quod fingit *ſine peccato omnes omnium ſeculorum* Chriſtianos *ſæpè* & feciſſe & facere: Nam omnium verè Chriſtianorum legitimæ preces, ſemper includunt in ſuo objecto ipſum Chriſtum, vel formaliter & expreſſè, vel eminenter & interpretativè. Unde etiam illæ preces, quæ vel Deum ὐσιωδῶς compellant, vel etiam interdum Patrem ipſum ὑποςατικῶς, quatenus ei ſæpè appropriatur quod eſt totius Trinitatis, finiuntur ſatis conſtanter apud Veteres iſtà formulà *Per & propter Dominum Ieſum Chriſtum.*

648. Atque hinc fluit illius quoque argumenti diſſolutio, quo nimirum Deum nullum in imploratione habere ſocium affirmatur, quia nec in mundi creatione habuit: cum, ut dictum eſt, nec eadem prorſus Patris cum Filio ſit invocatio, nec, ut quis invocari poſſit, eum in mundi creatione Dei ſocium fuiſſe neceſſe ſit: Satis enim eſt, eum in poteſtate ac cura, quam pro nobis gerat, Patri conjunctum, & ſic talem tantumque divino beneficio factum eſſe, ut invocari poſſit.

† *Atque hinc fluit*] Et hoc quoque argumentum ſatis ſtringit in hac cauſa; Nam is ſolus eſt invocandus cum Patre qui cum ipſo Creator cœli & terræ ſtatui debet: Invocationis enim cultus ſoli omnipotenti debetur: Nullus autem omnipotens niſi qui ſit Creator cœli & terræ. Nec poteſt conjungi Patri *in poteſtate & cura quam pro nobis gerit*, cùm hæc cura & poteſtas omnipotentiam exigat, qui non ſit illi conjunctus in eſſentia & potentia. Et ridiculè finxeris *talem tantumque divino beneficio* Chriſtum *factum eſſe ut invocari poſſit*; cùm *divino beneficio* nulli Creaturæ meræ deificatio obtingat, nemoque fieri poſſit, vel ab ipſo Deo, omniſcius, omnipræſens & omnipotens, id eſt naturà & eſſentià Deus: Jam autem, hæc omnia attributa, utique Deo eſſentialia, & in Chriſti invocatione ſupponuntur, & ei debent convenire qui tutò & cum fide *invocari poſſit.*

Ad extremum, mediatoris officium, quo nunc fungitur Chriſtus, haud permittere inquiunt, ut is à nobis invocari queat: cum mediator ipſe pro aliis oret. Reſpondemus primùm, officium mediatoris ex ſac. literarum ſenſu, nonniſi ad munus Chriſti propheticum, quod in terris abſolvit, ſpectare, quemadmodum ex iis conſtare poteſt, quæ alibi ea de re diſputavimus.

Digitized by Google

tavimus. (*vid. l. 3. c. 10. & h. lib. cap. 11, & c. 22.*) Sed deinde, ut concedamus, Chriſtum etiamnum mediatoris officio fungi; dicimus, eam ad rem nequaquam requiri, ut pro nobis oret, ſed ſatis eſſe, ut in ſalutis noſtræ negotio medius ſit inter nos & Deum. Revera autem ac propriè illum nunc pro nobis non ſupplicare, inde perſpicuum eſt, quòd jam omni in cœlo terraque poteſtate donatus, jam Dominus ac Chriſtus, jam caput corporis Eccleſiæ ſuper omnia, ut omnia in omnibus impleat, conſtitutus eſt. (*Act. 2. 36. Epheſ. 1. 22, 23.*) Quòd autem pro nobis intercedere dicitur, (*Rom. 8. 24. Heb. 7. 25.*) id, ut ſuprà ſuo loco ſatis docuimus, (*vid. l. 3. cap. 38.*) niſi modò allata teſtimonia eſſe volumus, ita accipiendum eſt, ut Chriſtum non innata, ſed à Patre accepta poteſtate nobis auxiliari intelligamus. Perinde enim eſt, ac ſi à Patre nobis opem atque auxilium impetraret. Denique etiamſi nunc revera oraret, quod tamen minimè concedimus; non video tamen quomodo hinc efficiatur, ipſum à nobis orari non poſſe. Nihil enim prohibet, quominus is, qui alium rogat, ab aliis etiam rogetur.

‡ *Ad extremum, Mediatoris*] Falſum eſt *officium Mediatoris nonniſi ad munusChriſti propheticum, quod in terris abſolvit ſpectare.* Nã complectitur ſuo ambitu munus Chriſti Propheticum, Sacerdotale & Regium, & διαφέρόντως ad officium illius Mediatorium pertinet quod conſidens in cœlis ad dextram Patris illîc jugiter noſtrum advocatum agat & intercedat pro nobis, Rom. VIII, 34. Eph. II, 18. I Tim. II, 5. Heb. VII, 25. I Ioh. II, I. Apoc. VIII, 34. Sed quoniam alibi hunc craſſum Socinianorum errorem profligavimus, locis hîc Volkelio citatis, non eſt quod illi refutando diutiùs inſiſtamus. Quamvis etiam in interceſſione Chriſti, nihil humile, aut humanum debeamus imaginari, quaſi ibi procumbat in genua, & iteratis precibus fatiget Deum pro nobis, tamen nequit concipi pro nobis intercedere, realiter magis quàm verbaliter, quin eodem ſenſu & modo ſtatuatur *pro nobis* orare. Eoque faciunt multi illi ſuffitus ei dati, ut eos offerat cũ precibus Sanctorũ, & illis has ſanctificet Deoque gratas & acceptas reddat Apoc. VIII, 3. Nec obſtat illi interceſſioni Chriſti reali pro nobis, quod *jam omni in cœlo terraque poteſtate donatus eſt* Matt. XXVIII, 18. quod *jam Dominus & Chriſtus* factus, ideſt renunciatus ac declaratus, eſt Act. II, 36. ejus inſuper humanitate in ſua perſona evectâ ad hoc ſublime gloriæ faſtigium; quod *jam caput corporis Eccleſiæ ſuper omnia, ut omnia in omnibus impleat, conſtitutus eſt* Eph. I, 21. Cùm è contrario hæc omnia nos ſecuros præſtent de illius ſuæ Interceſſionis, quâ in cœlo defungitur, efficacia & virtute. Et ridiculum eſt commentum adverſarii, quo τὸ *intercedere* Chriſti *pro nobis*, interpretatur eum *non innatâ, ſed à Patre acceptâ poteſtate, nobis auxiliari*: Cùm è contrario auxilium nobis conſequatur à Patre in hac œconomia, vi & efficaciâ ſui meriti & ſanguinis clamantis potiora quàm ſanguis Abel; & ipſe nobis opituletur tum ſuâ innatâ potentiâ, quâ Deus eſt, tum etiam *poteſtate* illâ œconomicâ, quæ

ei nunc acceſſit quà eſt θεάνθρωπος, & Mediator Dei & hominum. Igitur his tricis & titivillitiis miſſis, facilior & expeditior datur reſponſio ad argumentum quod ſibi ſolvendum ſumpſerat adverſarius; Etenim tantum abeſt ut ſe quatur Chriſtum non poſſe invocari à nobis, ex eo quod etiamnum fungatur officio Mediatoris pro nobis, ut è contrario vel ideo ſit invocandus: Nam eo quod eſt Mediator etiam Deus eſt, cùm hoc officio defungi nequeat, niſi qui Deus ſit & homo: at eo quod Deus eſt, debet invocari & adorari. Tum etſi non ſit invocandus is qui orat pro nobis per modum ſuffragii, tamen invocari poteſt & debet qui orat pro nobis ex officio ſpeciali, ac, ut ita loquar, per modum juriſdictionis, ideſt qui talis eſt Mediator & interceſſor pro quo nemo intercedit vel interpellat, ſed ipſe pro omnibus, ut in eo premam Auguſtini veſtigia: Hoc demum reſpectu conceſſero facilè Volkelio, *nihil* prohibere *quominus is qui alium rogat, ab aliis etiam rogetur*; quatenus nihil prohibet quominus filium Regis rogem, ſuppoſito quod ſeipſum ſequeſtrum & deprecatorem pro me conſtituerit apud ſuum Patrem. Sed aliàs, cùm invocatio religioſa ſit actus religionis, uti dixi, elicitus, ſi poſſem eum rogare religioſè, adorare & invocare, qui ex charitate pro me Deum precatur, poſſem eoipſo cultum religioſum deferre Creaturæ; quod quam ſit abſonum nemo non videt. Imò ex iſto axiomate Volkeliano, *Nihil prohibet quominus is qui alium rogat, ab aliis rogetur*, ita crudè enunciato, poſſet non ſolum excuſari & defendi Angelorum & Sanctorum demortuorum invocatio religioſa, ipſis-met Socini ſequacibus, quo pudore ducuntur, improbata ſed etiã comprobari religioſa adoratio & invocatio cujuſque fidelis viventis & precantis pro fratribus ſuis, licet nec illi nec iſte præditi ſint eâ omniſcientiâ & *καρδιογνωσίᾳ*, omnipotentiâ, ac omnipræſentiâ, quæ neceſſariò requiritur in eo quem religioſè adorare & invocare volueris.

Cap. XXXI.

De Diaboli ſtratagematibus, quibus voluntatem noſtram impugnat.

Conſequens tandem eſt, ut quibus machinis voluntatem potiſſimùm noſtram Diabolus oppugnet, videamus. Nam etſi omnes eos errores, quos hucuſque refutavimus, eò potiſſimùm refert Satanas; ut animum ac voluntatem hominis à vera pietate avertat, & ne eam factis ipſis colat, efficiat: alias tamen adhuc habet artes, quibus idem conſequi ſtudet, & eas quidem ejuſmodi, quibus non modò iis imponit, qui veritatis divinæ ſunt ignari, ſed ſæpè etiam illis, qui eam probè intelligunt, vel ſaltem illius
619. non admodum ſunt rudes atque imperiti. Adde, quòd non eos tantùm laqueis ſuis irretire, & à vera ſanctimonia, quæ in rectè factis conſiſtit, abducere ſolet, qui cæteroquin ejus amore non admodum tenentur: verùm etiam eos, qui aliquo pietatis ac religionis ſtudio ducuntur; interim tamen

Digitized by Google

men non ſatis ſibi ab hoſtis illius inſidiis cavent, qui tantâ eos à vero virtutis tramite abducit, ut ſæpè ad ea ſe perduci exiſtiment, quæ cum inſigni pietate conjuncta ſint. Cæteros autem rerum potiùs terrenarum, quas illis proponit, amore ac deſiderio ad peccata allicit, aut earum amittendarum metu à pietate abſterret.

‡ *Conſequens tandem*] In his nihil habemus quod culpemus, niſi quod *errores* appellat author, veritates orthodoxas & Catholicas, quibus ſe hactenus, ductore & seductore patre mendacii, oppoſuit.

Ut enim de falſa pietatis ſpecie primò dicamus; ſolet veterator ille hominibus eam cogitationem injicere, ut omnia Deo grata acceptaque eſſe arbitrentur, quæ animo bono religioniſque ſtudio inflammato ſuſcipiunt. Quo Diaboli artificio plurimi homines parùm cauti, tum in homicidium, tum in avaritiam, tum in idololatriam, tum in alia ſcelera impelluntur: veluti cum Saulus Judæique alii religionis zelo æſtuantes, (*Gal.* 1. 13, 14. *Phil.* 3. 6. *Rom.* 10. 2. *Iohan.* 16. 2.) Chriſtum ipſiuſque ſectatores inſectabantur, rem ſeſe Deo gratiſſimam facere arbitrantes; vel cum quiſpiam ſibi arma ſumenda contra veritatis inimicos exiſtimat, ut divinam gloriam, & Reipub. Chriſtianæ tranquillitatem conſtituat. Item, cùm Diabolus homini divinæ gloriæ amplificandæ, proximique juvandi cupidiſſimo autor eſt, ad pecuniam magno ſtudio corradendam atque accumulandam, ut Eccleſiæ neceſſitatibus ſubvenire, in pauperesque beneficus eſſe poſſit: cum interim hæc ſit via proxima, & quaſi compendiaria ad divini ſtudii neglectionem, ad malas artes, ad avaritiam denique, quæ omnium malorum ſeminarium eſt. Simile quiddam eſt, cùm quis fœminam vel idololatriæ addictam, vel mundanis cupiditatibus implicatam, in matrimonium ducit, eo nimirum conſilio, ut illam ab idolorum cultu, rerumque mundanarum concupiſcentia abſtrahat: cum contrà facilè fieri poſſit, ut muliebri aſtutia in eorundem peccatorum ſocietatem pertrahatur. Quid, quòd juratus ille hoſtis fidelium diabolus ſæpè hominum menti injicit, ut vel ſeſe plurimos in Chriſti naſſam illecturos, vel ſaltem pacem Eccleſiæ conciliaturos ſperent, ſi cum magnatibus, aliiſque, qui mundo dant operam, arctiſſimam familiaritatem contrahant. Facit autem hoc veterator iſtè callidè admodum, ut homines ſibi ea in re aures præbentes tandem eò perducat, ut officii ſui obliti, multa ad illorum, quos ſervare ſtudent, voluntatem & dicant, & faciant, & ſic ſeſe illis accommodando paulatim in eorum partes pertrahantur. Quibus omnibus ſimilibuſque Diaboli ſtratagematibus ita occurrendum eſt, ut animi noſtri intentionem, 620.

non tantùm ex ipſo actionum termino ponderemus, ſed etiam ex ea via rationeque, quâ eum obtinere cupimus. Neque enim mala facienda ſunt, ut eveniant bona, quemadmodum ab Apoſtolo edocti omnes fatentur. *(Rom. 3. 8.)*

† *Ut enim de falſa*] De pſeudo-zelo quæ hîc dicuntur, mihi quoque probantur, ut & quod additur de armis non ſumendis *contra veritatis inimicos*, ſi nempe arma illa offenſivè procedât: Nam aliàs ſi veritatis inimici ex illius odio adoriâtur Principem & talem ſummum Magiſtratum penes quem eſt jus gladii & armorum, quin illis bello defenſivo reſiſti poſſit, vel ex illo axiomate naturali *Vim vi repellere licet*, extra dubium eſt. In cæteris nolimus obloqui adverſario.

Jam ut ad alterum nos conferamus; animadvertendum eſt, hoſtem noſtrum, cùm non protinus in ipſum impietatis barathrum præcipitare homines poteſt, per quoſdam veluti gradus eos huc deducere. Ab iis ergo, quæ leviora vel reipſa ſunt, vel ſaltem eſſe videntur, ad majora gravioraque progreditur; & alios quidem, ut libertate Chriſtiana nimiùm utantur, iiſque rebus, quæ per ſe licitæ quidem ſunt, ſed carni gratæ, ſeſe quodammodo mancipent, impellit, mox effecturus, ut etiam illicita audeant: alios verò incitat, ut ſemel atque iterum peccatum aliquod levius committant, quo ſemel ineſcati ita ſe illius laqueis implicent, ut pedem referre non facilè poſſint.

† *Jam ut ad alterum*] In uſu libertatis Chriſtianæ, eximiâ opus eſt prudentiâ, cùm hîc navigetur inter Scyllam & Charybdim: Nam ab una pare licentia effrenis, ab altera ſuperſtitio & ſervitus miſera, vitari debent.

Id etiam ſedulò agit, ut homines à frequenti verbi divini auditione, mutuiſque ad juſtitiæ ſtudium cohortatiouibus ſegreget, ac porrò quotidie in pietatis ſtudio lentiores ac frigidiores efficiat. id quod interdum eâ ratione conſequitur, ut propoſita aliqua utilitate hominibus ſuadeat, ut procul ab illis locis habitent, ubi publici fidelium congreſſus habentur, aut ii vivunt, quorum tum monitis, tum exemplis, ad pietatem exſtimulari perpetuò poſſent. Hujuſmodi enim hominum pietas in lubrico eſt, dum hinc quidem iis adjumentis, quibus in ſanctimoniæ ſtudio adjuvari plurimùm poſſent, deſtituuntur, illinc verò ad peccandum variis occaſionibus atque illecebris invitantur. Simile quiddam illis evenit, qui rei familiaris ſuæ conſtituendæ cauſâ in hominum mondanorum ſeſe inſinuant amicitiam, ad quorum voluntatem, ut, quod quærunt aſſequantur, multa tum dicenda, tum facienda, & ſic ab officio illis diſcedendum eſſe, res ipſa indicat. Sed interdum planiùs agit veterator iſte, hominibuſque autor eſt,

Digitized by Google

toreſt, ut ſpe lautioris fortunæ vel religionem diſſimulent, ideoque à piorum cœtu ſeſe removeant, vel etiam ad tempus quoddam veritatem apertè negent, mundoque gratificentur; certò illis perſuadens, eos, ſimul ac res ſuas in meliorem ſtatum deduxerint, ad officium redire, inque Dei gratiam recipi poſſe. Neque enim ignorat impoſtor iſte, eos, qui hac ab illo fraude circumventi fuerint, poteſtatem ad frugem redeundi vix ac ne vix quidem habere. Quid, quòd interdum pro eo, ac homines comparatos eſſe videt, apertiſſimè fidem illorum oppugnat, nimirum tanto promiſſorum cumulo mentes eorum opprimendo, ut ſtatim ſeſe illi conſtringendos tradant, & quò velit, abducendos. Magnam enim vim habet ad hominum animos mirum in modum commovendos atque devinciendos, certa, ut hic mundus fert, variarum voluptatum, magnarum opum, ampliſſimorum honorum ſpes, quam Diabolus ſibi auſcultantibus facere conſuevit. Et quidem, quò rem ſibi propoſitam faciliùs conficiat, in Eccleſia turbas ſæpè excitat, aut alia ponit offendicula, ad quæ fideles impingant, dum vel eos, qui docendi partes ſuſtinent, falſæ gloriæ cupiditate ita incendit, ut oſtentationis gratiâ ea in publico proponat, quæ vel minùs vera, vel certè intempeſtiva, ideoque ad hominum mentes turbandas, quàm inſtituendas, accommodatiora ſunt; vel auditorum animos ita ab Eccleſiæ paſtoribus abalienat, ut etiam optimè dicta in malam partem accipiant, inque ſuam perniciem convertant Quid, quòd Domini gregem, diſcordias tam inter eos qui docendi, quàm qui diſcendi munere funguntur, concitando, ſæpè miſerandum in modum diſcerpit aque dilaniat. Unde evenit, quod Apoſtolus Galatis cavendum eſſe monet: *Si*, inquit, *alii alios mordetis & roditis, videte ne ab invicem conſumamini.* (*Gal* 5.25.) Evenit etiam ſæpenumero, ut Diabolus illos, qui reliquis ſummæ pietatis, continentiæ, modeſtiæque lumen præferre debebant, vel in ſcelus aliquod impellat, vel ad tantam animi inſolentiam extollat, ut infirmiores contemnant, nimiſque rigidè atque ſuperbè in eorum prolapſiones animadvertant, aut cæteroqui gregi Chriſti dominari velint; itaque fiat, ut hi, vel illorum ſcelere, vel importunitate offenſi, à religione deficiant; illi verò propter ſuperbiæ crimen, cui Deus ſemper infenſus fuit, ipſius gratiam amittant. His igitur omnibus Diaboli tentationibus animus hominis labefactatus, facilè à Dei ſtudio abduci poteſt. Magis autem hoc tunc fieri videtur, cùm, niſi quis divinæ veritati nuncium remittat, innumera pericula, calamitates immenſas, fortunarum vitæque ereptionem ei denunciat. Verùm quis poſſit omnia diaboli, qui mille fraudum architectus eſt, ſtratagemata enumerare? Quòd ſi tamen hæc, quæ percenſuimus, divina 621.

virtute

virtute corroborati vicerimus, facillimum fuerit, omnia alia tela ipſius repellere.

‡ *Id etiam ſedulò*] Has Satanæ artes, indicare utile eſt, ſalutare verò vitare, imploratâ præſertim Dei ope, abſque qua nihil poſſumus.

Videndum igitur jam tandem eſt, quibus armis fidem noſtram ab illius immanitate nos tueri oporteat. Eorum autem duo ſunt genera, quorum alterum in fidei confirmatione conſiſtit, quâ, fit ut non ſolùm de ſempiternæ felicitatis poſſeſſione perſuaſiſſimum nobis ſit, verùm etiam incredibilem illius ſuavitatem quodammodò deguſtemus, admirabilemque dulcedinem animis incluſam contineamus. Id quod facilè aſſequemur, ſi omnia, quibus cœleſtis Chriſti diſciplina demonſtrata eſt, argumenta diligentiſ-
622. ſimè ponderaverimus, inque diviniſſimi illius ſtatûs, ad quem perducendi ſimus, contemplatione dies noctesque conſumſerimus. Sic enim eveniet, ut tantum felicitas illa apud nos ponderis habeat, tamque ardenti illius deſiderio incendamur, ut tum omnes hujus ſeculi voluptates, omnes opes, omnem denique gloriam, tum his oppoſitas omnes calamitatum anguſtias, omnes paupertatis moleſtias, omne probrum dedecuſque nobis immerentibus illatum, ipſam denique mortis atrocitatem præ illa contemnamus, in minimisque ponamus: cùm nihil in vita, nec tam jucundum nobis accidere poſſit, quin à futura illa beatitate infinitis partibus ſuperetur; nec tam durum aſperumve quicquam inferri, quod propter inexplicabilem boni illius amplitudinem, ſuſque deque faciendum non ſit.

‡ *Videndum igitur*] Atqui in Schola Sociniana & ex illius principiis iſta fidei πληροφορία & ſalutis certitudo, illiuſque ſuaviſſimus ſenſus, haberi nequit. Tum ut *id facilè aſſequamur* opus eſt ſingulari operatione Spiritus adoptionis & efficaciâ gratiæ, quam iſti homines non agnoſcunt, omnia ex ſe & ſui arbitrii viribus nequicquam ſuſpendentes: Aliàs enim eorum quæ hic proponuntur nihil eſt ſimpliciter penes nos, ſed ea debet ille in nobis efficere ſuo Spiritu & ſuâ Gratiâ, qui omnia operatur in omnibus.

Alterum genus armorum ardentiſſimo precum ſtudio continetur, in quo illis, qui Diaboli impreſſiones retundere cogitant, dies noctesque verſandum eſt, ut nimirum Deus pro ſua benignitate, divino illo ſpiritu mentes noſtras perfundat, quò fiat, ut ſempiternæ illius felicitatis non eam tantùm habeamus notitiam, quæ ex aſſidua Chriſti diſciplinæ tractatione proficiſci poteſt, ſed ut quodam quaſi afflatu, mentes noſtras mirum in modum inflammante, & multò altiùs eam animis noſtris imprimente, tanquam

quam

Digitized by Google

quam ſi jam in cœlo ſimus, ita humana omnia contemnamus, pro nihiloquè putemus. Atque hæc duo armorum genera capienda nobis eſſe, in divinis literis luculentiſſimè docemur. Nam & Paulus Petruſque firma fide, ſeu fidei clypeo, diabolo nos reſiſtere, omniaque ipſius ignea tela extinguere jubent; (*1 Pet.* 5. 8, 9. *Epheſ.* 6. 11. *&* 16.) & Chriſtus hoc precibus nos à Deo vult impetrare, ut nos à malo, nempe Diabolo, liberet. (*Mat.* 6. 13.)

‡ *Alterum genus*] Sed etiam ad tales preces fundendas opus eſt Spiritu precum, Zach. XII, 10. Rom. VIII, 26.

His armis ſi probè inſtructi fuerimus, nullo nègotio victoriam reportabimus. Sic enim omnes mundi illecebras, omnem commoditatem terrenam, quæ nos à pietatis exercitatione, à fidelium congreſſionibus, à mutuis cohortationibus abſtrahit, in poſtremis habebimus: ſic rem familiarem noſtram in maximas malemus compelli anguſtias, atque adeò funditùs diſſipari, quàm tanto cum detrimento, ejus conſtituendæ cauſâ, vel in mundanorum hominum, à quibus corrumpi facile poſſemus, familiaritatem nos dare, vel religionem diſſimulare, nedum apertè ei valedicere. Exploratum quippe habebimus, Deum non ſolùm firmiſſimas opes nobis in cœlo præparâſſe; ſed etiam, dum hujus lucis uſurâ fruemur, nunquam noſtris neceſſitatibus defuturum eſſe. Sic nec maximæ in Eccleſia turbæ, nec ulla ſcandala, nec ullæ diſcordiarum faces, veteratoris iſtius arte incenſæ, de 623. noſtro ſtatu nos dimovebunt; ſed pietatis potiùs ac conſtantiæ noſtræ probandæ materiam præbebunt, cogitantibus id, quod ab Apoſtolo hunc in modum dicitur: *Oportet in vobis factiones eſſe, ut probi inter vos fiant manifeſti.* (*1 Cor.* 11. 19.) Sic fieri nequaquam poterit, ut doctorum ſuperbiâ atque inſolentiâ, aut in re quapiam gerenda imprudentiâ, à Dei ſtudio abſterreamur; quin potiùs fratris noſtri vicem dolebimus, Deoque pro illo ſupplicabimus, ne meritum de eo ſumat ſupplicium, ſed & culpam illi ignoſcat, & mentem det meliorem; nec non id ſedulò curabimus, ut vel per nos ipſos, vel, ſi hoc minùs commodè fieri poſſit, per alios de errore lapſuque admoneatur, & in viam reducatur. Sic denique nullis terroribus, nullis minis atque ſuppliciis moveri, nullo metu debilitari, nullo dolore frangi atque à juſtitiæ poſſeſſione depelli poterimus. Neque enim tam vilis nobis leviſque merces propoſita eſt, quin præ illa non ſolùm aliæ omnes res humanæ, ſed vita etiam noſtra contemnenda ſit. Adde, quòd Spiritus divinus tunc maximè nobis ſubveniat, (*Rom.* 8. 26.) cùm calamitates variique cruciatus nobis ſunt ſubeundi, noſque ſummo precum ardore incendat, atque

Digitized by Google

efficiat, ut ea, quæ Dei voluntati conſentanea ſunt, flagitemus, ac porrò etiam exaudiamur, & inexplicabili ratione à Deo juvemur.

‡ *His armis ſi probè*] Hæc omnia benè; & hæc panoplia à Deo in hos uſus tam ſalubres, ſi theticè conſiderentur, petenda eſt.

Illud etiam hominem Dei Chriſtique ſtudioſum non leviter in afflictionibus, quæ veritatis cauſâ tolerandæ ſunt, confirmat, quòd ipſius dux eâdem viâ ad immortalitatis gloriam pervênit. (*Heb.* 12. 1, 2. *Ioh.* 15. 18, 20) Nam & acerba multa, & ipſam mortem, eamque teterrimam truculentiſſimamque paſſus eſt, ut nos ipſius diſcipulos ac ſervos, tanto Domino tantoque magiſtro nequaquam fortunatiores eſſe, ſed eandem ad felicitatem viam ingredi oportere intelligeremus. (*Mat.* 10. 24, 25. *Ioh.* 13. 16.)

‡ *Illud etiam hominem*] Exemplum Chriſti eſt maximi ponderis: Hæc tamen Chriſtum pertuliſſe tantum eo fine ut nobis eſſet exemplo, cave ne dixeris cū iſtis hominibus, qui dū verbis ampullatis extollunt vim & efficaciam iſtius exempli, meritum & ſatisfactionem illius, fundum tamen veræ noſtræ conſolationis, conatu Titanio ſtudent evertere.

Nec non illud homini Chriſtiano in mentem venire poterit, eos, quos Diabolus ad nos affligendos incitat, nequaquam ea, quæ noſtra ſunt propria, nobis eripere poſſe: cùm licet corpus, quod etiam nullâ ejuſmodi afflictione incidente interiturum erat, interficiant, animam tamen vitamque illam, quæ noſtra propria eſt, interimere nequaquam poſſunt. Quo circa Chriſtus, ut omnem metum nobis abſtergat, (*Mat.* 10. 28.) *Ne timueritis*, inquit, *eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non poſſunt.* Quid, quòd idem ait, ne pilum quidem capitis noſtri periturum: (*Luc:* 21. 18.) quia nihil nobis, quod quidem verè noſtrum cenſeri debeat, periturum ſit. Adde, quòd ne illa quidem, quæ propemodum aliena eſſe diximus, eripi nobis abſque voluntate Patris noſtri cœ-
624. leſtis queant. qua de cauſa Chriſtus (*Mat.* 10. 30.) omnes pilos capitis noſtri numeratos eſſe aſſerit, ut Deum tantam noſtri curam habere intelligamus, ut abſque ipſius permiſſu nihil prorſus mali nobis queat contingere. Jam verò ſi Pater ille noſter cœleſtis velit ac permittat, ut vitam etiam noſtram, ſi modò ea vita nominanda eſt, amittamus; cur in ejus voluntate, quam planè paternam, ac nobis ſalutarem eſſe neceſſe eſt, non libenter acquieſcamus?

‡ *Necnon illud*] Si anima interimi nequit ab hominibus, juxta dictum Chriſti Matt. x, 28. cur ergo illius immortalitatem, quâ ſuperſit poſt animal, nolunt

admittere

admittere iſti Epicuri de grege porci, qui Curios verbis ſimulant & Bacchanalia vivunt? Si item Deus habet in numerato vel omnes capillos capitis noſtri, ita ut nullus eorum qui ad noſtri integritatem pertinere debeat ſit periturus Luc. XXI, 18. cur Sociniana impietas horum numero corporum hujuſque carnis reſurrectionem non vult admittere? Si *nihil nobis, quod quidem verè noſtrum cenſeri debeat, periturum ſit*, cur ſtatuunt iſti homines periturum in æternum hoc ipſum corpus in quo vivimus, & neſcio quod aliud imaginarium, quod nunquam noſtrum fuerit, hujus noſtri loco tandem ſubſtitutum iri?

Illud etiam ſine dubio ſibi divinus homo proponet, quòd ex crucis perpeſſione fructus manant uberrimi, quos Paulus enumerat Rom. 5. Quod quidem, quomodo intelligendum ſit, ſuprà docuimus, (*lib.* 4. *c.* 21.) cùm de Chriſti præceptis ſeorſim traditis ageremus. Conſtat igitur, in iſtos, qui pro tuenda juſtitia Chriſtique veritate multa mala perferunt, ſingularem quandam Dei clementiam extare; quæ, ut in aliis, ita & in hoc cernitur, quòd eos in tantum dignitatis gradum extulit, ut per illorum fortitudinem ſingularemque perſeverantiam, & veritatem cœleſtem confirmaret, & nomen ſuum ſanctiſſimum mirum in modum illuſtraret. Et hanc quidem ob cauſam viri divini olim ſingularem Dei erga ſe benevolentiam hac in parte agnoverunt, gratulati, quòd juſtitiæ cauſâ vexarentur, & contumeliis afficerentur. Joannem enim & Petrum gaviſos fuiſſe accepimus, quòd digni habiti eſſent, qui propter Jeſu nomen ignominiâ afficerentur. (*Act.* 5. 41.) Quin & Paulum lætatum in illis fuiſſe ſcriptum legimus, (*Col.* 1. 24.) quæ pro Eccleſia patiebatur; præſertim cum ſubinde, tum benignitatis, tum potentiæ Chriſti experimentum in ſeipſo, cùm afflictionum iſtarum pondere premeretur, caperet. Poſtquam enim, ut tantis corporis cruciatibus liberaretur, (2 *Cor.* 12. 9, 10.) ter Domino ſupplicâſſet, & reſponſum hujuſmodi ab eo tuliſſet: *Sufficiat tibi gratia mea, nam potentia mea in infirmitatibus perficitur*, ſeu, *exeritur*, hoc eſt, contentus eſſe debes ea benignitate, quâ erga te tot malis preſſum utor, dum te virtute ac potentiâ meâ confirmo, vires ac robur ad ea perferenda inſpiro, in media morte te tueor, teque ex iſtis afflictionibus eripio; eâ re intellectâ Paulus, *Libenter igitur gloriabor*, inquit, *in infirmitatibus*, id eſt, perpeſſionibus meis, *ut inhabitet in me potentia Chriſti*, id eſt, ut potentiam Chriſti in me ſubinde experiar. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cùm enim infirmus ſum, tunc potens, ſeu validus ſum.* q. d. Nunc longè aliter de calamitatibus meis ſentio. Non ſolùm enim liberari illis non cupio, ſed tantò meliùs mecum agi exiſtimo, quantò ea mala, quibus vexor, ſunt graviora. Tunc enim viribus meis debilitatis, admirabilis Chriſti potentia, quâ mihi laboranti ſubvenire ſolet, clariſſimè 625.

Digitized by Google

elucet, & ſic fit, ut ipſius cinctus præſidiis, cùm deficere jam videor, fortiſſimus ſim, invictoque animi robore confirmer.

‡ *Illud etiam ſine dubio*] Quæ de cruce hìc dicuntur vera ſunt, ſi crux fuerit Chriſti, propter veritatem illius ſuſcepta: Sed non debent hìc ſibi blandiri hæretici; cùm ſi quid durius patiuntur propter ſuos errores, in eo ſint martyres non Chriſti ſed Diaboli.

Facilè jam apparet, cur Paulus donum hoc in Philippenſes collatum eſſe aſſerat, (*Phil.* 1. 29.) ut non ſolùm fide Chriſtum complecterentur, ſed etiam adverſa illius gratiâ paterentur. Deus enim hac veluti coronâ illos inprimis cohoneſtat, quorum ſingularis probitas atque innocentia *ipſi* hominibuſque perſpecta eſt. Quò enim quiſque *ſanctior*, ab omnique labe purior eſt, eò ipſius calamitates perpeſſioneſque plus ad veritatem confirmandam, Deique gloriam illuſtrandam, ponderis afferunt.

‡ *Facilè jam apparet*] Atqui non Dei gratiæ opus (ut ex hoc tamen loco Phil. 1, 29. conſtat) ſtatui debet fides in Chriſtum, ſecundum opinionem Socinianorum, ſed actos citra ullum Dei auxilium efficax & ſpeciale, arbitrii humani. At his immorari non eſt hujus loci. Accedamus igitur ad ultimum librum Volkelii.

Finis Libri Quinti.

DE

DE VERA RELIGIONE LIBER SEXTUS:

DE CHRISTI ECCLESIA.

CAPUT I.

Quid & quotuplex ſit Eccleſia.

RESPONDENTE ad hoc & ſequens caput,

JACOBO ARTOPOEO à LOCHUM,

Ooſtfriſio.

SAtis jã, ut videmur, de Religionis noſtræ duce atque autore diſſeruimus; eâdemque operâ ſanctiſſimæ ipſius diſciplinæ naturam explicavimus. Nam & ducis illius perſonam, & officii munus excuſſimus: in cujus poſterioris explicatione ſummum illud bonum, quod per eum nobis Deus detulit, mirandumque in modum confirmavit, ponderavimus; & quæ viciſſim fieri à nobis debeant, conſideravimus; & ſic Chriſti diſciplinæ rationem evolvimus. Sequitur tandem, ut de ducis hujus populo, id eſt, de eo hominum genere, quod illius diſciplinam amplectitur, diſſeramus. Quod quidem hominum genus, à ſacris autoribus Chriſti Eccleſia nominatur. De qua ut certo modo atque ordine dicamus, tum ea animad- 616.
vertenda ſunt, quæ illius conſtituunt naturam, tum illius adjuncta. Ac naturam quidem tum definiendo, tum diſtribuendo explicabimus. Definiendo ita, ut à notatione nominis ad rem ipſum progrediamur.

‡ *Satis jam, ut videmur*] Quam præpoſterè in his omnibus egerit Volkelius, hactenus abundè demonſtratum. Quam etiam ſubinde minus Theologicè & ex Dei verbo differat de *Eccleſia*, liquebit ex ſequentibus.

Nomen igitur Eccleſiæ à verbo ἐκκαλεῖν deductum, propriè loquendo evocationem ſignificat, & de cœtu hominum ad concionem audiendam, aut conſilium de negotio publico ineundum convocatorum, à Græcis ſcriptoribus uſurpatur. Hinc per tranſlationem Eccleſiæ nomine illi ſignantur, qui ex univerſa hominum turba divinis vocibus ad divinum cultum, ſempiternorumque bonorum participationem convocati collectique ſunt. Hi verò ii ſunt, qui diſciplinam Jeſu Chriſti tenent ac profitentur. Quare Ec-

cleſiam veram (de hac enim loquimur) ita rectè definiveris, quòd ſit cœtus ſeu multitudo hominum ſalutarem Chriſti doctrinam profitentium.

‡ *Nomen igitur*] Cùm Eccleſia ſic dicatur, ab ea Dei vocatione quæ fit ex illius præſtituto Rom. VIII, 28. non illa generaliori, juxta quam multi dicuntur vocati pauci electi Matt. XX, 10. non ſatis accuratè definitur per multitudinem hominum *ſalutarem Chriſti doctrinam profitentium*; cùm veritatis externa profeſſio, poſſit etiam cadere in hypocritas & reprobos. Sed cùm id ipſum agnoſcat utcumque Adverſarius in ſequentibus, non eſt quod fusè de eo diſputemus.

Ex quibus ij, qui pietatem verè atque ex animo colunt, Eccleſiam illam, quæ inviſibilis ſeu inaſpectabilis dici conſuevit, conſtituunt. Nam, ut ad Eccleſiæ diſtributionem nos ſtatim conferamus, diſtinguitur illa in aſpectabilem, & inaſpectabilem. Aſpectabilis dicitur is hominum cœtus, qui palàm inque hominum conſpectu, & congregatur, & Chriſti diſciplinam profitetur. Inaſpectabilis verò dicitur is hominum numerus, qui non ſolùm externâ ratione Chriſti religionem profitentur; ſed intimis etiam animi ſenſibus eam colunt ac ſequuntur. Quod poſterius quia ſub hominum aſpectum non cadit, utpote in fidelium viſceribus reconditâ quadam ratione implicatum, ideoque ſoli Deo ac Chriſto notum eſt; idcirco is hominum cœtus inaſpectabilis appellatur.

‡ *Ex quibus ii*] Hæc diſtinctio non eſt generis in ſpecies, vel totius in partes, ſed ſubjecti tantum in ſua accidentia: Quis enim negabit eos *qui pietatem verè atque ex animo colunt*, etiam pertinere ad aſpectabilem Eccleſiam? Aut quis ſanus ſtatuet cœteros, alia illius eſſe membra quam ſecundum dici, æquivoca & δοξαστικὰ? Inaſpectabilis quidem eſt hominibus aliis fides & pietas verorum Chriſtianorum; Illi tamen in profeſſione externa ſalutaris doctrinæ ad aſpectabilem Eccleſiam multo potiori jure pertinent quam cœteri.

Neque enim, ut quidam cavillantur, ideo horum hominum multitudo ac collectio quædam inaſpectabilis dicitur, quòd ipſimet illi homines ſub oculorum arbitrium non cadant. quis enim adeò inſanit, ut id affirmet? ſed quia ea qualitas, ob quam illi perfectiſſima ratione membra Chriſti ſunt, & ſic corpus ipſius, quod eſt Eccleſia, conſtituunt, ſub aſpectum non cadat, nec certò atque indubitatò ab aliis cognoſci queat. Neque etiam ita hæc Eccleſia ab ea, quæ aſpectabilis dicitur, diſtincta eſt, ut penitùs ſit ab ea ſejuncta, ſed in ea potiùs continetur. Quandoquidem omnes illi, qui ſecundùm Chriſti diſciplinam piè vivunt, eam etiam apertè profitentur, & cum iis, quos eandem tenere nôrunt, modò impii non ſint, communionem, ſi id ullo modo fieri queat, colunt,

Digitized by Google

ſunt, & ſic ad aſpectabilem Eccleſiam pertinent. Quare aſpectabilis Eccleſia ab inaſpectabili non tam re ac ſubjectis, ut loquuntur, quàm ratione differt.

‡ *Neque enim ut quidam*] Ea aliquando ſunt tempora tam nubila, ut licet veri pii ſint viſibiles quà homines, tamen à cœteris non cognoſcantur quà profitentes Dei cultum; ut contigit temporibus Eliæ, qui ſe ſolum reputabat ſupereſſe ex genuinis Dei cultoribus, & eventurũ erat ſub Antichriſto, ſub quo univerſa terra poſt beſtiam currere debebat. Nec debuiſſet Volkelius neſcire, hoc reſpectu diſputari inter Proteſtantes & Romanenſes de viſibilitate perpetua Eccleſiæ.

Porro aſpectabilis Chriſti Eccleſia, alia univerſalis, alia particularis eſt. 627. Univerſalis ea eſt, quæ generatim conſiderata, nulli certo loco aſtricta eſt, ſed per terrarum orbem longè lateque diſperſa, paſſim ſuis locis colligitur. Eſt quippe ad particulares Eccleſias reſpectu habito, totius cujuſdam corporis inſtar, haud aliter eas complectens, ac membra quædam ſua, non excluſis interea iis, qui à cœteris fidelibus tanto locorum intervallo diſjuncti ſunt, ut cum illis verſari, ac res ſacras unà tractare nequeant. Particularis autem Eccleſia eo hominum cœtu continetur, qui in certo quodam loco convocatus eſt: veluti eſt Eccleſia unius domus ſive familiæ. Et hæc quidem brevi de Eccleſiæ Chriſti natura dixiſſe ſatis ſit.

‡ *Porrò aſpectabilis*] Omnes Eccleſiæ particulares, & omnes privati fideles, etiam ii qui temporum aut locorum injuriâ, in nulla Eccleſia particulari & ſub illius politia vivunt, ad Eccleſiam univerſalem pertinent.

Cap. II.

De Eccleſiæ præſtantia, & primùm de eo, quòd domus Dei dicatur.

Conſequens nunc eſt, ut de quibuſdam Eccleſiæ adjunctis dicamus. Eorum igitur duo ſunt genera. Quædam enim Eccleſiam perpetuò vel comitantur, vel comitari videntur, primoque aſpectu in nullam vocantur controverſiam: quædam verò ejuſmodi ſunt, ut mutari ab eaque ſegregari poſſint, & eam ipſam ob cauſam in aliqua verſantur diſceptatione. Jam ut primò videamus, quæ in Eccleſia ſemper inſunt, intelligendum, eſt illius dignitatem ac præſtantiam hoc in loco potiſſimùm ſpectari, cujus ambitu etiam poteſtatem autoritatemque illius comprehendimus, de qua ultimo de-

Digitized by Google

mo demùm loco dicemus. Priùs enim reliquas dignitatis illius partes explicabimus, quæ innumera ferè exprimunt elogia, ex quibus quatuor potiſſimùm in medium afferemus, utpote ad quæ reliqua omnia referri poſſunt.

‡ *Conſequens eſt*] Adjuncta Eccleſiæ genuina, non ex hominum diſceptationibus, ſed ex Dei revelationibus cognoſcenda ſunt.

Primò igitur Eccleſia *Dei domus* dicitur, quippe quæ & à Deo extructa ſit, & in qua Deus domicilium ſuum conſtituerit, quorum utrumque quantum ad eam dignitatis adjungat non facilè dixerim. Quantam enim illius domus magnificentiam, quantum ſplendorem eſſe neceſſe eſt, quam ſupremus rerum omnium dominus ac monarcha & fabricavit, & incolere dignatur? Quod etiam magis apparebit, ſi & ex qua materia, ſeu mavis, quibus partibus domus illa conſtet, & qua ratione aut modo ædificata à Deo ſit, animo agitaverimus. Materia tum imo angulari lapide, tum reliquo fundamento, tum lapidibus in eo conſtructis, continetur, quæ res partes illius ædificii meritò appellantur. Angularis ille lapis Chriſtus eſt, ideò hoc nomine appellatus, (*Epheſ.* 2. 20, 21, 22.) quòd & duos parietes, Judæorum ni-
628. mirum ac gentium nationem, coædificavit, & totam ſpiritualis ædificii molem, unà cum reliquo ejus fundamento ſuſtinet.

‡ *Materia tum imo angulari*] Chriſtus minus commodè partibus materialibus Eccleſię accenſetur, cùm hæ conſtent ſolis evocatis per Euangelium Chriſti ad illius doctrinam ſincerè & ad ſalutem profitendum.

Qua de cauſa interdum ipſemet fundamenti vocabulo appellatur: ubi quidem de primario ædificii iſtius fundamento ſermonem haberi intelligendum eſt: quippe in quo & ſecundarium fundamentum unà cum toto ædificio innitatur. Secundarii porrò fundamenti nomine Apoſtolos intelligimus, unà cum Prophetis Chriſtianis. Chriſtianos autem vates iſtos ideo nominamus, ut à priſcis illis vatibus eos diſtinguamus. Hos Paulus aliquoties cum Apoſtolis conjunxit; (1 *Cor.* 12. 28, 29. *Epheſ.* 2. 20: 3. 5: 4. 11.) propterea quòd primi poſt illos rerum divinarum interpretes fuerunt. Tam verò iſti, quàm illi, fundamenti nomine honeſtantur, non quidem ad Chriſtum reſpectu habito, qui omnium fundamentum eſt: ſed habita ratione vivorum, illorum lapidum, qui in illis conſtruuntur, nempe hominum, qui Chriſtum fide complectuntur.

‡ *Qua de cauſa interdum*) Imò ſoli Chriſto convenit ut eſſe caput ita eſſe fundamentum Eccleſiæ, adeo ut nullum aliud poſſit poni præter ipſum, 1 Cor. III, 11.

Digitized by Google

III, 11. Diſtinctio Fundamenti in *primarium & ſecundarium* eſt abſurda: cùm fundamentum in ſuo conceptu, ſonet id quod primum & primarium eſt in ædificio.

Secundarii porrò] Prophetæ qui Apoſtolis junguntur Eph. II, 20. non ſunt ii qui poſt tempora Chriſti extiterunt inter Chriſtianos, ſed ii qui vixerunt ſub V. T. Apoſtolorum prædeceſſores & in quorum labores introierunt Apoſtoli, ut meterent quod illi ſeminaverant Joh. IV, 37. 38. Si enim Paulus Eph. II. 20. intelligeret eos Prophetas quorum meminit in Eccleſia Chriſtiana I Cor. XII, 28. 29. Eph. III, 5. æquè illis adjunxiſſet Euangeliſtas, quorum ſit mentio Eph. IV, 12. aut Doctores commemoratos & hic & I Cor. XII, 28. Nec mirum quod meminerit Paulus Eph. II, 20. ſimul Prophetarum cum Apoſtolis, cùm id pertinuerit ad eam harmoniam V. T. cum N. inſinuandam, cujus reſpectu ipſe profitetur ſe nihil docuiſſe extra ea quæ Prophetæ ac Moſes futura prædixerant Act. XXVI, 22. Et Petrus loquens de Chriſto Act. X, 43. *huic*, inquit, *omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum.*

Verùm ne durum cuipiam videatur, Apoſtolos fundamenti appellatione dignari; placet, ut aliquot divinis teſtimoniis rei iſtius veritatem comprobemus; quorum primum, etiam ad Prophetas novi fœderis fundamenti appellationem extendi, docet. Id verò continetur illis Pauli verbis, (*d. l. Eph.* 2. 20.) quibus fidelium nationem *ſuper Apoſtolorum & Prophetarum fundamentum extructam eſſe* aſſerit. Quo in loco nihil eſt cauſæ, cur quiſpiam propter Genitivum caſum fundamenti nomine non ipſos Apoſtolos Vatesque, ſed præter hos alium quempiam, nempe Chriſtum, intelligendum eſſe ſtatuat: cùm Paulus totam ædificii iſtius rationem explicans, apertiſſimè Chriſtum à fundamento iſto diſtinguat, non fundamentum, ſed fundamenti angularem eum lapidem appellando. Non novum præterea divinis autoribus eſſe, per Genitivum caſum rei alicui appoſitum, id, ex quo res ea conſtat, cui apponitur, exprimere, inde perſpicitur, quòd & coronam vitæ, & coronam gloriæ, & coronam juſtitiæ, & coronam duodecim ſtellarum commemorant, (*Iac.* 1. 12. 1 *Pet.* 5. 4. 2 *Tim.* 4. 8. *Apoc.* 12. 1.) ut coronam ex vita, ex gloria, ex juſtitia, ex duodecim denique ſtellis conſtantem intelligamus.

‡ *Verùm ne durum*] Fallitur Volkelius in hac ſua aſſertione: Apoſtoli enim & Prophetæ architecti fuerunt & fundatores, non fundamentum Eccleſiæ, quod de ſe ſatis palam profitetur Paulus I Cor. III, 11. Itaque dicuntur gentiles evocati ad Dei fœdus, eo ipſo ſuperſtruere ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, quatenus ad Chriſtum evocati, qui ita eſt fundamentum ipſorummet Apoſtolorum & Prophetarum, ut Anſelmus ſtatuit, ut unà ſit lapis angularis iſtius ædificii myſtici, quatenus illud conſtat ex utraque gente circumciſa & præputiata, hac in illius ſocietatem & communionem traductâ. Utut ſit longè aliud eſt Apoſtolos & Prophetas ſtatui fundamentum, aliud commemorari

Yyyy funda-

fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, id eſt, vel paſſivè cui ipſi Apoſtoli & Prophetæ inædificati ſunt, reliquis fidelibus in eorum ſocietatem per Euangelium traductis; vel activè quod Apoſtoli & Prophetæ ſtraverint & poſuerint; quæ eſt ſententia & facillima & commodiſſima, quam etiam amplectuntur Lyranus & Gloſſa interlinearis. Nam hæc ita habet; *Super fundamentum &c. Chriſtum vel doctrinam, id eſt ſuper Vetus & Novum Teſtamentum, quia quod Apoſtoli prædicaverunt Prophetæ prædixerunt; unde, Fundamenta ejus in montibus.* Ille verò; *Super fundamentum &c. id eſt doctrinam Novi & Veteris Teſtamenti.* Jam autem hac doctrinâ Propheticâ & Apoſtolicâ, non aliud ſternitur fundamentum Eccleſiæ & ſalutis quam Chriſtus. Nec Apoſtolus diſtinguit, ut fingit Volkelius, *Chriſtum à fundamento iſto*, cùm è contrario oſtendat quod in iſta fundamentali doctrina Apoſtolorum & Prophetarum Chriſtus ipſe rationem habeat & fundamenti quod ſuſtinet totum ædificium, & lapidis angularis qui parietem utrumque connectit: Vide Eſ. XXVIII, 16. Et ſanè ſi urgeat adverſarius diſtinctionem concipiendam inter ἀκρογωνίαιον & θεμέλιον, ut prius quidem Chriſto conveniat, poſterius verò Apoſtolis & Prophetis, tum horũ potiores erunt partes in domo Dei, quam ipſius-met Chriſti; cũ lapis angularis fundamento impoſitus, ſubſidat infra fundamenti dignitatem. Et quam ſint aliena ab hac quæſtione exempla quæ ceu identica commemorat Volkelius ex Jac. I, 12. 1 Pet. V, 4. 2 Tim. IV, 8. Apoc. XII, 1. res ipſa loquitur: Nam primùm deberet ergo fundamentum Eccleſiæ conſtare ex Apoſtolis & Prophetis, id eſt ex eorum perſonis, ut fingitur corona vitæ & juſtitiæ ex vita & juſtitia conſtare. Id verò quam per ſe ſit abſurdum, nemo non videt; cùm Prophetæ & Apoſtoli æquè ac gregarii fideles ſint Chriſto ſuperſtruendi. Deinde corona vitæ & juſtitiæ non eſt ea quæ ex vita aut juſtitia conſtat, ſed quæ in præmium juſtitiæ veræ in vita & ad vitam obtinetur: Corona gloriæ per Hebraiſmũ eſt corona glorioſa; quomodo non inficiabor fundamentum Apoſtolicum & Prophetarum dici, fundamentum Apoſtolicum & Propheticum, ſive cui Apoſtoli & Prophetæ ſuperſtruuntur, ſive quod ab Apoſtolis & Prophetis poſitum eſt; ſive quod conſtat doctrinâ Apoſtolorum & Prophetarum, quâ non aliud ſalutis & Eccleſiæ fundamentum quam Chriſtus proponitur. Corona verò duodecim ſtellarum ſive ex duodecim ſtellis contexta Apoc. XII, 1. non pertinet ad perſonas Apoſtolorum, ſed ad eorum doctrinam, de qua ſola gloriatur Eccleſia.

Alterum teſtimonium Joannis eſt, (*Apoc.* 21. 14.) qui muros illius novæ Hieroſolymæ, id eſt, Chriſti Eccleſiæ; duodecim fundamenta habuiſſe affirmat, in quibus duodecim agni Apoſtolorum nomina ſcripta fuerint. Quo in loco, quidquid multi dicant, planiſſimè docemur, murum urbis iſtius, de qua oratio habetur, in Apoſtolis tanquam fundamentis inniti.

‡ *Alterum teſtimonium*] Neque huic teſtimonio Apoc. XXI, 14. quicquam ineſt quod diſtinctionem fundamenti Eccleſiæ in primarium & ſecundarium juvet: ut perperam ex eodem loco ℣. 12. colligas dari portas duodecim ſecundarias Eccleſiæ, diſtinctè à Chriſto, qui ſe ſolum *oſtium* profitetur Joh. X, 7. 9. cùm duodecim portæ dicantur, non quod quiſquam eò ingrediatur aliter quam

quam per Chriſtum, juxta illud Auguſtini, *Non eſt quò eas niſi ad me, non eſt quà eas niſi per me*; ſed quod omnibus per Chriſtum accedentibus eò detur aditus liberrimus ex ſingulis plagis mundi, ac potiſſimum duodecim tribubus Iſraelis, quorum ideo nomina illis portis inſcripta dicuntur. Imò prout portis illis duodecim nomina inſcripta ſunt duodecim tribuum, non quod hæ tribus ſint portæ, ſed quod illis ingreſſuris deſtinentur, ita duodecim fundamentis ejuſdem civitatis inſcripta ſunt nomina duodecim Apoſtolorum, non quod ipſi Apoſtoli ſint fundamenta, ſed quod ſint fundatores & architecti qui hoc fundamentum poſuêre: Metaphorâ ut videtur deſumptâ à more hominum qui curant ſua nomina inſcribi palatiorum fundamentis quæ ipſi poſuerint. Neque eſt illa metonymia ullo modo inſolens vel dura, ut fundamenta pro fundatoribus ipſis uſurpentur. A qua tamen ſi malis recedere, non tam Apoſtoli ipſi dicentur fundamentum vel fundamenta Eccleſiæ, ac ſi murus civitatis illius myſticæ, *in Apoſtolis* eorum-ve perſonis *tanquam fundamentis* innitatur, quam eorum doctrina, toto orbe diſſeminata, & cujus ſummarium & caput unicus Chriſtus eſt. Patet id maximè ex eo quod cùm juxta pleroſque intepretes, nominatim Riberam *h. l.* murus civitatis denotet *ſecuritatem & tranquillitatem vitæ beatæ, quæ lædi aut offendi non poſſit, quæque perfectio & conſummatio beatitudinis eſt*, non poſſent illius ſtatui fundamenta niſi doctrinæ ſuæ reſpectu, in quantum *vita ad eorum doctrinam inſtituta ſine dubio beatitudinem obtinebit.* Et certè cùm hic deſcribatur ſtatus & gloria Eccleſiæ triumphantis in cœlo, ſatis patet non poſſe propriè ipſos Apoſtolos ſtatui illius fundamenta. Quicquid, ſit nihil obſtat quominus & Chriſtus ſit unicum ut caput ſic fundamentum Eccleſiæ, & tamen doctrina Euangelii per Apoſtolos prædicata hoc nomine inſigniatur; ſi quidem Chriſtus nequit cenſeri Eccleſiæ fundamentum, niſi quo reſpectu proponitur Eccleſiæ per doctrinam Euangelii fide ſuſcipiendus, ceu unicum illud nomẽ datum ſub cœlo per quod ſervari vel poſſimus vel debeamus Act. IV, 12.

Tertium teſtimonium ipſius Chriſti eſt, quod illo ejus promiſſo continetur, quo ſeſe ſupra Petrum ſuam Eccleſiam extructurum recipit; (*Mat.* 16. 18.) quod idem ad reliquos etiam Apoſtolos, muneris ratione cum Petro conjunctos, ex mente Chriſti extendi debere, paulò pòſt docebimus. 629.
Quod ut commodiùs fiat, animadvertendum eſt, duplicem circa hæc verba errorem verſari. Quidam enim Petrum unà cum reliquis Apoſtolis & Prophetis Eccleſiæ fundamentum eſſe pernegant: quidam verò ſolum Petrum, unà cum ſuis ſucceſſoribus, nomine iſto cohoneſtatum fuiſſe aſſerunt. Ut igitur de priori errore primo loco dicamus; operæ pretium eſt, tum quo pacto iſti hæc Chriſti verba eludant, videre; tum quibus armis veram ſententiam paulò antè à nobis pronunciatam impugnent, animadvertere.

† *Tertium teſtimonium*] In hoc loco πολυθρύλλητῳ Matth. XVI, 18. Petrum à Petra eſſe diſtinguendum, ut factum ſatis conſtanter à Veteribus, res ipſa loquitur; cùm enim Petro claves domus illius Spiritualis promittantur, ab ipſo

 Domino

mino& fundatore domus, non poteſt ille cenſeri fundamentū earū ędiū ædificandarū in quibus nonniſi œconomi partes debebat ſuſtinere, inſtar Moſis qui etiam fuit fidus in tota Dei domo Heb. III, 5. Non inſicior ea quæ Petrum hîc ſpectant ad *reliquos etiam Apoſtolos muneris ratione cum Petro conjunctos*, omninò pertinere: Sed nego de Petro dici, quod ſoli Petræ Chriſto convenit, ſuper eo fundatum iri tam firmiter Eccleſiam, ut portæ inferorum contra eam non ſint prævalituræ.

Ut igitur de priori] Hic nullus eſt error niſi in imaginatione læſa iſtorum hominum, qui hoc εὕρημα ſui Socini quo jure quâ injuriâ tueri volunt: etſi nullis Proteſtantibus hactenus ſapere potuerit niſi uni Joh. Cameroni, & paucis illius mirionibus, quibus nihil ferè arridet in Sacris, niſi quod novum eſt. Sed ad ſingula attendamus.

Primò igitur dicunt, nequaquam Dominum hunc in modum Petrum allocutum eſſe, *Super te Petro*: ſed *ſuper hanc Petram* (nempe quam confeſſus es) *ædificabo Eccleſiam meam*. Cujus quidem ſuæ explicationis magnum in eo ponunt præſidium, quòd apud Matthæum genus mutatur, id eſt, jam πέτρος, jam verò πέτρα nominatur. Et horum quidem, qui in ea ſunt ſententia, pars magna Calvini diſciplinam ſequitur, quibus Theodorum Bezam opponendum duximus, hæc de illo Chriſti loco verba facientem: *Dominus*, inquit, *Syriacè loquens, nulla uſus eſt agnominatione, ſed utrobique dixit Cepha. In Græco quoque ſermone* πέτρος *&* πέτρα *non re, ſed terminatione differunt.* Hac ille.

Prima igitur] Hæc mutatio generis, & quod non dixit Chriſtus *Tu es Petrus & ſuper te Petrum*, vel *Tu es Petra & ſuper iſtam Petram*, ſed *Tu es Petrus, &c. ſuper hanc petram*, (quā nempe confeſſus es, & à qua denominaris, ceu lapis vivus & eximius in illa domo mea futurus, 1 Pet. II, 4. 5.) *ædificabo meam Eccleſiam*. Fateor nihil eſſe diſcriminis inter πέτρον & πέτραν, ſi utraque vox appellativè ſumatur; & eò facit obſervatio Bezæ quâ perperam nititur Volkelius; ſed Spiritus Sanctus præcavendæ illi ambiguitati in textu Græco, qui authenticus eſt, πέτραν diſtinxit à πέτρῳ, ut inſinuetur poſterius ſumi appellativè, prout Chriſto ſolet tribui plurimis in locis Scripturæ; prius verò ſumi propriè ut perſonam Petri denotat. Et illud ipſum eſt quod Beza ſubjunxit illi ſuæ interpretationi, cùm ait; *Sed videtur Matthæus, (aut ſi quis fuit ejus interpres) hoc terminationis diſcrimine voluiſſe Petrum, (qui pars eſt ædificii) ab ipſa Petra cui innititur ædificium, ideſt à Chriſto ipſo, diſtinguere, ipſumque adeò Petrum à fidei profeſſione quæ toti Eccleſiæ eſt communis.*

Adde, quòd ipſe ſermonis contextus evincit, ea verba omninò ad ipſum Petrum referenda eſſe. Primùm quia apertiſſimum eſt, Chriſtum hîc de ipſius Petri præſtantia ſermonem inſtituiſſe. Docent id illa, quibus ſibi Chriſtus aditum ad eam rem parat; *Et ego autem tibi dico*. quaſi dicat: quemad-

modnm

modum tu mihi dixiſti, *Tu es Chriſtus filius Dei viventis*, & ſic divinitatem meam tuo & cæterorum nomine profeſſus es: ita ego tibi viciſſim dico, *Tu es Petrus*, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, & quæ ſequuntur, nempe ut Petrus Chriſti, ita Chriſtus viciſſim Petri dignitatem verbis explicat. Deinde, quia elegantiſſimam hîc ad nomen Petri alluſionem fieri nemo non videt, quam ut futilem planè & intempeſtivam perire neceſſe foret, niſi ad Petrum hæc Chriſti verba ſpectarent. Denique quia articulus demonſtrativus *hanc* omninò indicat de ea Petra ſermonem hîc eſſe, quam Chriſtus jam nominaverat: nullam autem nominavit, niſi cùm dixit, *Tu es Petrus*.

† *Adde quod*] Non inficior ſermonem hunc eſſe Chriſti ad Petrum, non tam de *ipſius Petri præſtantia*, quam de præſtantia confeſſionis ab ipſo editæ nomine totius Collegii Apoſtolici, illis verbis, *Tu es Chriſtus filius Dei viventis*. Sed nego commendari dignitatem Petri in ταυτῇ τῇ πέτρᾳ; cùm illi commendandæ ſit & quod ab illa πέτρα, πέτρος fuerit denominatus, & quod in domo ſuper ea Petra ædificanda, œconomus eximius & promus condus futurus eſſet; quod poteſtate clavium illi promiſſarum notoriè ſignificatur.

Deinde quia elegantiſſimam] Non perit gratia illius paronomaſiæ, ſi concipiatur Chriſtus Petrum ab hac Petra quam confeſſus fuerat, denominare, illique multum largiri de ſuo, ut cùm ipſe Chriſtus ſit lapis vivus, pretioſus, electus, angularis & fundamentalis totius Eccleſiæ, Petrus veluti ipſe vivus lapis ſuam firmitatem & ſoliditatem à Chriſto mutuetur, ei inædificetur & ſuperſtruatur ad ſalutem.

Denique quia articulus] Imò ſi articulus demonſtrativus ad Petrum pertineret, non hîc fieret tam evidens enallage generis; dixiſſet enim Chriſtus καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ. Itaque debet intelligi Chriſtus de ea Petra quam jam connotaverat Apoſtolus, ipſum Meſſiam ſive Chriſtum Dei viventis confitendo, cùm illi quà tali conveniant elogia Petræ, in Scripturis Propheticis Pſal. CXVIII, 22. Eſ. XXVIII, 16. & quæ in nomine Petri ſubintelligebatur, prout nomen Chriſti in Chriſtiani nomine ſubintelligi debet.

Sed ut tandem, quibus ſeſe armis tueantur, videamus, primò Paulum dicere ajunt, *neminem aliud fundamentum ponere poſſe, præter id, quod poſitum eſt, nempe Ieſus Chriſtus.* (1 *Cor.* 3. 11.) Addunt etiam, nequaquam rationi conſentaneum eſſe, homines naturâ imbecillos ac fragiles, tanti ædificii molem ſuſtinere, & ſic ejus fundamentum eſſe poſſe. Addunt præterea, hanc ſententiam plurimum de Chriſti amplitudine gloriaque detrahere, 630
quippe qui ſolus tanti honoris titulo decorari mereatur. Afferunt denique in hanc ſententiam multa alia, quæ enumerando percenſere, & longum foret, & ſupervacaneum: cùm omnia eòdem redeant, eademque reſponſione dilui poſſint. Dicimus igitur, iſta omnia non nobis, ſed divinis oraculis ob-

Digitized by Google

lis objici, quórum clariſſimis teſtimoniis Apoſtolos Prophetaſque Chriſti Eccleſiæ fundamentum eſſe jam comprobavimus. Non negamus interim, primarium fundamentum, de quo Paulus in loco ab adverſariis adducto loquitur, nullum aliud præter Chriſtum jactum eſſe. In hoc enim totum Dei ædificium, & ſic ipſe etiam Apoſtoli Prophetæque, innituntur. Hinc tamen minimè conſequitur, iſtos ſecundarium quoddam ejuſdem rei fundamentum appellari nequaquam potuiſſe.

† *Sed ut tandem*] Quanti ſint iſta ponderis & momenti facilè apparebit, diſcuſſis logodædoliis & tenebris, quas tam evidenti luci conatur Volkelius obducere.

Dicimus igitur] Atqui illud eſt ſuam hypotheſim pro reſponſione dare. Probandum enim fuiſſet non ſupponendum, eam eſſe mentem teſtimoniorum citatorum, quam illis affingunt adverſarii, ut arma ſuppeditent Monarchiæ Pontificiæ aſſertoribus, ac prævaricentur in communi Proteſtantium cauſa adverſus illos. Diſtinctio fundamenti primarii & ſecundarii eò eſt abſurdior, quod omne fundamentum ſuo conceptu ſonet quod primarium eſt in ædificio. Ac prout negabit adverſarius *capite ſeq.* aliud dari poſſe caput Eccleſiæ præter Chriſtum, ſic meritò ex Pauli teſtimonio, negamus aliud fundamentum præter eum concipi vel ſtatui debere.

Si enim abſque ulla abſurditate, multa nomina, quæ Chriſto primaria quadam ratione tribuuntur, cum aliis communicari videmus, ut nimirum lux mundi, paſtores doctoreſque, (*Matth.* 5. 14. *Epheſ.* 4. 11. 1 *Cor.* 12. 28, 29. 1 *Tim.* 2. 7.) itidem ac Chriſtus, nuncupentur; quid tandem periculi futurum eſt, ſi hoc idem & in fundamenti vocabulo, quod ob docendi munus, ut poſtea patebit, Apoſtolis vatibuſque competit, eveniat? Tantum enim abeſt, ut hac ratione Chriſti gloria imminuatur, ut potiùs mirum in modum amplificetur, ſi nimirum Chriſtum tantum eſſe ſtatuatur, ut non ſolùm ipſe Eccleſiæ ſuæ fundamentum ſit, ſed alios etiam ſibi innixos ita firmare poſſit, ut reliquam ſtructuram ipſi quoque aliqua ratione ſuſtineant.

† *Si enim abſque ulla*] Hæc inſtantia eſt frivola: Nam *lux* ſuo conceptu nihil dicit primarii, cùm alia ſit primitiva in Deo, alia derivativa in hominibus: Et ſi quando Chriſti diſcipuli *lux mundi* appellantur Matt. v, 14. ſatis conſtat id elogii ipſis tribui derivativè non primitivè; Nam ℣. 15. ſtatim conferuntur lucernis, quæ non incenduntur ut reponantur ſub modio: Dici quoque homines *Doctores* & *Paſtores* poſſunt ſubordinatè ad Chriſtũ, ad cujus miniſteriũ ſunt auctorati, ut paſcant & doceant gregem illius: Sed *fundamentum* ſuo conceptu primum quid & abſolutum notat, neque poteſt ullam ſubordinationem admittere. Quin minus in eo accuratè loquuntur Rabbini, cùm primarium in ſua doctrina articulum, *fundamentum fundamentorum* appellant, ut fit à Mæmonide *cap.* 1. *ſui tract. de fundam. Legis*. Et cur non pari ratione diſtinguas caput & ſponſum Eccleſiæ, in primarium & ſecundarium, ut ita velificeris Monarchiæ Pontificiæ?

Tantum

Digitized by Google

Tantum enim abeſt] Imò verò, cùm omnes Chriſto ſuperſtructi, immediatè per fidem & charitatem illis adhæreant, cumque ſit ipſe ſolus firma illa & inconcuſſa rupes cui vir ſapiens inædificat ſuam domum Matt. vii, 24. nulli debent fingi qui medii ſtent inter nos & ipſum, per quos tantum ſuſtineamur in hoc ædificio, quantum illi ab ipſo firmantur & ſuſtinentur. Quinetiam licet lapides qui immediatè ſuperſtruuntur fundamento, *reliquam ſtructuram aliquâ ratione ſuſtineant*, nemo tamen ſanus illos lapides fundamenta ſecundaria dixerit: Sic enim in illis fundamentis in quibus lapis lapidem ſuſtinet, daretur progreſſus in infinitum.

Neque naturalis Apoſtolorum vatumque imbecillitas quicquam huic rei affert impedimenti: cùm non quatenus homines, ſed quatenus Apoſtoli Vateſque ſunt, fundamenti nomine appellentur. Quod quò rectiùs intelligatur, animadvertendum eſt, eam ob cauſam hunc titulum Apoſtolis Vatibuſque tribui, quòd, quemadmodum qui domum aliquam ædificare inſtituit, is omnium primò fundamentum ponit: ita Chriſtus hoc Dei domicilium fabricaturus, ab Apoſtolis Vatibuſque initium duxit, eos omnium primò, Dei ſuique ipſius notitiâ, & ſalutari diſciplina inſtituens, ut per eoſdem omnes alios homines cœleſti veritate illuminare, ſibique adjungere, & porrò ſupra illos, id eſt, eorum doctrinam autoritatemque, quaſi ſupra fundamentum aliquod, conſtruere poſſet.

Neque naturalis] Cùm ergo id illis non conveniat ſimpliciter reſpectu ſuarum perſonarum, ſed reſpectu ſui Miniſterii ſuæque doctrinæ, eò minùs fundamenta ſtatui poſſunt: cùm in exercitio ſui Miniſterii & ſuæ doctrinæ promulgatione, non fundamenti ſed fundantium rationem habuerint: Si verò velit Volkelius illis iſtud convenire, quod Chriſtus *eos omnium primò Dei ſuique ipſius notitiâ & ſalutari diſciplinâ* inſtituerit, tum ſanè primos eos dixerim ſuperſtructos fundamento, non tamen in fundamentum à Chriſto conſtitutos: Si verò eos dixeris fundamenta quod Chriſtus *per eoſdem omnes alios homines cœleſti veritate illuminare, ſibique adjungere* conſtituerit, inde quidem ſequetur eos Chriſtum delegiſſe in συνέργους aut ſuboperarios & architectos ſecundarios, quoad opus Miniſterii & ædificationem Eccleſiæ, (in quo Apoſtolis & Prophetis ac Euangeliſtis accenſentur *Paſtores* & *Doctores* ordinarii Eph. iv, 11. quos tamen nunquam fundamenta dixeris) non verò in fundamentum ſuæ domus conſtituiſſet. Quin cùm ſupra Apoſtolorum *doctrinam* ædificari, ſit revera inædificari Chriſto, nullum diſcrimen poteſt concipi ceu fundamenti *primarii* & *ſecundarii*, inter Chriſtum & doctrinam Apoſtolicam.

Sed jam tempus eſt alterum errorem inſpicere, quo nimirum illi ſunt implicati, qui Pontificis Romani dominatum his Chriſti verbis conſtitui exiſtimant. Dicunt enim, ſolum Petrum hoc in loco, unà cum ſuis ſucceſſoribus,

Digitized by Google

ceſſoribus, nempe Pontificibus Romanis, fundamenti nomine ornari. Quam
631. quidem ſententiam falſiſſimam eſſe, partim jam demonſtratum à nobis eſt, partim luculentiùs adhuc docebitur. Primò enim jam ſatis conſtat, non ſolum Petrum, ſed & reliquos tum Apoſtolos, tum Vates, fundamentum Eccleſiæ eſſe. Deinde ipſa fundamenti ratio ac natura à nobis paulò antè explicata docet, Petrum in hoc ſuo munere nullum ſucceſſorem habere potuiſſe. Quod ad priore loco (*forte leg.* priorem locum) hîc commemoratum attinet, quanquam, ut diximus, ejus veritas manifeſta eſt; tamen eam adverſarii his ipſis Chriſti verbis oppugnant, ea ad ſolum Petrum facta eſſe aſſerentes. Atqui animadvertendum eſt, non ſolùm fieri potuiſſe, ſed planè etiam factum eſſe, ut Dominus Petrum alloquendo, ſimul & reliquos Apoſtolos in illius perſona alloqueretur. Ac fieri quidem id potuiſſe, inde perſpicitur, quòd Paulus aſſerens, (*Gal.* 2.7, 8.) Petro creditum fuiſſe Euangelium circumciſionis, non ſolùm Petrum, ſed reliquos etiam Apoſtolos, apud Judæos Euangelii myſterium proponentes, intellexit, quippe quibus non minùs, quàm Petro, ea perſona impoſita eſſet, ut vel ipſe ille locus indicat. (*conſ.* ℣. 9. *cum* 7.) Ideò enim Petrum ſolum nominavit, quia is in Apoſtolici muneris functione cæteris quodammodo præiret. Factum autem hoc, quod dicimus, omnino fuiſſe, ex eo conſtat, quòd Chriſtus occaſione illius confeſſionis, quam Petrus de ipſo ediderat, (*Matth.* 16. 15.) hæc viciſſim de eo pronuncivit, atque adeò propter illam confuſſionem, ſpem ei tantæ dignitatis fecit. Atqui Pettus non ſuo tantùm, ſed etiam cæterorum Apoſtolorum nomine eam de Chriſto confeſſionem ediderat. Quare conſentaneum eſt, Chriſtum, cùm ei reſponderet, non ſolius Petri rationem habuiſſe, ſed etiam eorum, quorum perſonam quodammodo ſuſtinebat, atque adeò ad perſonam Petri verba ſua dirigendo, ad cæteros omnes direxiſſe. Petrum autem omnium cæterorum nomine Chriſto reſpondiſſe, ex eo liquet, quòd Chriſtus, cùm omnes diſcipulos, quid de ipſo ſentirent, interrogâſſet, unius tamen Petri reſponſione contentus, nequaquam ab unoquoque ſeorſim eadem de re quæſivit. Idem autem de Chriſto & reliquos Apoſtolos tum ſenſiſſe, tum confeſſos fuiſſe, apud eundem Matthæum alibi ſcriptum legitur. (*Matth.* 14. 38.) Quid, quòd in re ferè eadem Petrus reliquorum Apoſtolorum perſonam apertiſſimè ſuſtinuit? Interroganti enim Chriſto omnes universè, num & ipſi, ut alii ex ipſius diſcipulis non pauci fecerant, à ſe diſcedere vellent, omnium nomine hunc in modum reſpondit: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credidimus, & cognovimus, quòd tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* (*Ioh.* 6. 68.) Cum ergo cauſa, ob quam Petro Chriſtus tantam dignitatem promittit, omnibus cæteris

fuerit

Digitized by Google

fuerit communis; facilè eſt videre, effectum quoque ipſum iis communem 632
fuiſſe. Quòd verò Petrum ſolum apertè alloquitur Chriſtus, dignitatem illam Apoſtolicam explicans, in promptu cauſa eſt, quia ſolus etiam apertè Domino reſponderat, & cæterorum nomine divinitatem ipſius confeſſus fuerat. deinde quia ipſius nomen ad rem, quam Chriſtus parabat, accommodatiſſimum erat, ideò ſine dubio ipſi inſignitè impoſitum, quòd reliquis in Apoſtolatus functione præiturus eſſet.

† *Sed jam tempus eſt*] At verò ſi *Petrus eſt illa Petra*, ut falsò fingit Volkelius, aliquid ſingularis prærogativæ ei debuit accedere præ reliquis Apoſtolis, ut ſcilicet, quod volunt Monarchiæ Eccleſiaſticæ Patroni, ipſe Chriſto immediatè adhæſerit, cœteri mediatè per ipſum. Cœtera quæ his ſubjunguntur, ſtant ſatis firmo talo, quare illis non obloquimur. Quamvis non ſatis firmiter probetur, quæ hîc dicta ſunt vel promiſſa Petro, ad alios Apoſtolos quoque ſpectaſſe, ex Gal. II, 7. 8. Sic enim Paulus excluderetur ab iſto communi Privilegio cœterorum Apoſtolorum, cùm ſibi præputium commiſſum aſſerat, ut circumciſionem Petro: Sed faciliùs probatur quod vult Volkelius, tum ex eo quod Petrus non ſuo tantum nomine, ſed reliquorum etiam coapoſtolorum, ceu *os* totius ſacri illius Collegii, ut nonnunquam dicitur Chryſoſtomo, egregiam illam ediderit confeſſionem, ad quam Chriſtus iſta illi reſpondit & promiſit; tum quod promiſſa hîc Petro poteſtas clavium, ligandique & ſolvendi, promittatur in communi omnibus Apoſtolis Matt. XVIII, 18. & omnibus in communi conferatur Ioh. XX, 23. 24.

Quod verò Petrum] Dicunt Veteres id factum propter unitatis myſterium. Quanquam nec reſpuimus has Volkelii rationes, modò nihil dicatur de Apoſtolis, quo ex primis lapidibus vivis ſuperſtructis Chriſto, & primis fundatoribus atque architectis, qualem ſe dicit Paulus, qui fundamentum ritè poſuerint, in fundamenta transformentur.

Jam ut alterum hoc in loco propoſitum conſideremus, nimirum Petrum in fundamenti ratione nullum habere potuiſſe ſucceſſorem; intelligendum eſt, id eam ob cauſam apud nos ratum firmumque eſſe, quòd, ut docuimus, Petrus unà cum reliquis Apoſtolis & Vatibus, ita fundamentum fuit, ut in primis illis Eccleſiæ fundatoribus, ſeu divinæ gratiæ præconibus numeraretur. Quam quidem rem ſucceſſione propagari, aut ad poſteros tranſmitti nequaquam poſſe, ſanæ mentis ratio dictat: cùm ſic, qui primis illis ſuccederent, ipſi quoque primi forent, & ſic minimè ſuccederent. Quæ quidem res manifeſtam implicat contradictionem, & ideo ſeipſam funditùs convellit. Et hæc de domus divinæ fundamento dicta ſunto.

† *Iam ad alterum*] Benè eſt quod nunc Apoſtolos ex fundamentis ſecundariis, faciat primos Eccleſiæ Chriſtianæ fundatores, quod utroque pollice laudamus: ut agnoſcimus ὑπεροχὴν Apoſtolorum ita fuiſſe perſonalem, ut ad nullos ſuc-

los ſucceſſores tranſmitti vel debuerit vel potuerit: Paſtores enim ordinarii ſucceſſerunt Apoſtolis, quantum ad partes ordinarii Miniſterii, quod in Verbi præconio & Sacramentorum adminiſtratione ſitum eſt; ſed non quantum ad prærogativas Apoſtolicas, quæ illis ſolis competierunt, & quarum reſpectu dicuntur ſeſſuri ſuper duodecim thronis & judicaturi duodecim tribus Iſraelis.

Lapides autem in hoc fundamento conſtructi fidelium nationem deſignant, quos Chriſtus Eccleſiæ nomine appellat, (*d. l. Mat.* 16. 18.) Petrus lapides vivos, ſpiritualemque domum vocat. (1 *Pet.* 2. 5.) Ut porrò tota hæc metaphora luculentiùs diſcutiatur, intelligendum eſt, totum hoc ædificium per divinæ veritatis patefactionem confectum eſſe. In quo quidem munere Chriſtus primum tenuit locum, quem Deus cœleſtium rerum ſcientiâ inſtructiſſimum, omnium primò in terrarum orbem demiſit, & ſic primum fundamentum ſeu lapidem angularem conſtituit: ſuper hunc Apoſtolos Vateſque conſtruxit; idque hoc pacto, ut illius operâ primò eos divino lumine colluſtraret, perque iſtos reliquos lapides, id eſt, fideles homines ædificaret, vel, quod idem planè eſt, ad fidem virtutiſque ſtudium perduceret: id quod Paulus ſuper Apoſtolorum Vatumque fundamentum extructum eſſe dicit. Hinc perſpicuum eſt, illud hominum genus Chriſti Eccleſiæ titulum falſò uſurpare, quod in angulari lapide Chriſto, & in Apoſtolorum Vatumque fundamento (*Epheſ.* 2. 20.) conſtructum non eſt, id eſt, quod ſalutarem Chriſti diſciplinam, Apoſtolorum Vatumque operâ apud omnes promulgatam, non tenet, ſed illius loco ea ſequitur dogmata atque commenta, quæ cum illa manifeſtè pugnant. Quæ quidem qualia ſint, ſuprà ſuis locis oſtendimus.

‡ *Lapides autem*] Dupliciter hîc errat Volkelius: Primò quidem nihil ponendo diſcriminis, præterquam primatus in ordine & tempore vocationis, inter Chriſtum & Apoſtolos: Secundò quod confundit ea quæ Chriſto conveniunt quà fundatori ſuæ Eccleſiæ prædicatione Euangelii, quam auſpicatus in terris, curavit poſtea continuari Apoſtolorum miniſterio, cum iis quæ ipſi debent convenire quà fundamento Eccleſiæ: Iſtud enim eſt, non tantum veritate ſuæ doctrinæ, ſed etiam dignitate ſuæ perſonæ, & ſui meriti efficaciâ ſuæque ſatisfactionis pro nobis, quâ fit ut credentes in eum in ipſoque radicati, diſjici & everti turbine tentationum non poſſimus.

CAP.

Digitized by Google

Cap. III.

De Capite Eccleſiæ.

Respondente ad hoc & duo ſequentia capita
SEBASTIANO CRUSIO, Zutphanienſi.

ALterum Eccleſiæ elogium eſt, quòd Chriſti corpus dicitur. Quo in loco, ut ſummam dignitatis ejus intueamur amplitudinem, duplici ratione hanc appellationem ponderabimus: nimirum, tum quatenus corpus iſtud ad caput ſuum reſpectum habet; tum quatenus idem ad ſua membra refertur. Ac capitis quidem ratione habita, dupliciter rurſus res iſta conſideranda videtur. Nam & quis, quoque pacto caput iſtud ſit, videndum; & quomodo Eccleſia ipſius ſit corpus, animadvertendum.

Primò igitur, caput iſtud nonniſi Chriſtus eſt, idque myſticum; quemadmodum & Eccleſia myſticum ipſius corpus eſt. Hoc enim corpus ejuſmodi indigebat capite, quod ſapientiſſimum, quod potentiſſimum, quod optimum, ipſique curando addictiſſimum eſſet; & porrò quod ſingulorum ſuorum membrorum intimos ſenſus, actiones, neceſſitateſque perſpectas haberet; quod denique eadem ſua membra cœleſtibus bonis cumulare, ſpiritualibus viribus armare, contra omnes hoſtes tueri, ab omnibus malis tuta integraque conſervare, & ſic diviniſſimâ potentiâ regere ac gubernare, tandemque in cœleſti ſede collocare poſſet ac vellet. Hujuſmodi autem caput à Deo Eccleſiæ præpoſitum, ſolum Chriſtum eſſe ſatis per ſe conſtat, & ex illis Pauli teſtimoniis apertiſſimum eſt, quibus Chriſtum, & caput Eccleſiæ eſſe, & corpori ſalutem afferre ait: (*Epheſ.* 5. 23.) & alibi Deum omnia pedibus ipſius ſubjeciſſe aſſerit, eumque dediſſe caput ſuper omnia Eccleſiæ, quæ ejus corpus ſit, complementum omnia in omnibus complentis. (*cap.* 1. 20. *&* *d. ỳ.* 22, 23.) Quod tametſi ſuprà ſuo loco copioſiſſimè à nobis explicatum eſt, tamen & hìc per quandam occaſionem paucis commemorandum fuit; ut nimirum verum Eccleſiæ caput ab aliis confictis capitibus diſcernere poſſemus. Hinc enim facilè conſtat, non ſolùm nullum hominem mortalem, quique talis tantuſque non ſit, qualem quantumque Chriſtum eſſe diximus, Eccleſiæ caput eſſe poſſe; ſed etiam ipſum hoc corpus, cui tale tantumque caput præpoſitum eſt, nullo poſt Deum alio capite indigere.

‡ *Primò igitur*] Certè quod eſt Chriſtus in ordine capitis ad Eccleſiam ceu ejus corpus myſticum, idem eſt omninò in ordine fundamenti ad eandem ceu illius

Digitized by Google

illius domus ſpiritualis; Quare ut nullum caput præter Chriſtum admittit Eccleſia, ita non aliud fundamentum præter ipſum, contra quam modò diſputabat Volkelius, poteſt agnoſcere: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔςω, εἷς βασιλεύς. Sed nec Chriſtus poteſt ſtatui Eccleſiæ caput *ſapientiſſimum*, *potentiſſimum, optimum*, quin eo ipſo verus θεάνθρωπος agnoſcatur; Siquidem hæc elogia in ψιλὸν ἄνθρωπον nequeunt cadere, prout agnoſcit Adverſarius *nullum hominem mortalem*, hanc dignitatem poſſe ſuſtinere; neque Chriſtus ceu merus homo *poſt Deum* ſtatui poteſt Eccleſiæ caput, cùm ipſe rapinam non ducat æqualem eſſe Deo Phil. II, 6. & ſit Deus ſuper omnia benedictus Rom. IX, 5. Aliàs etiam daretur ſapientiſſimo ſapientior, potentiſſimo potentior, optimo melior, niſi eadem eſſet ſapientia, potentia, bonitas, adeoque & eſſentia, Filii quæ Patris.

Mirum igitur eſt, tum Papas, tum eorum aſſeclas, eo implicari potuiſſe errore, ut & illi ſeſe Eccleſiæ capita facerent, & hi ad illos tantum honorem deferrent. Quis enim Papam in eo honoris gradu collocavit, ut caput, & ſic ſummus populi divini pontifex eſſet? At nemo, ut teſtis eſt autor ille divinus, (*Heb.* 5. 4, 5.) eum ſibi honorem arrogare debet, niſi qui voce-
634. tur à Deo, quemadmodum Aaron; imò ne Chriſtus quidem eum ſibi honorem vendicavit, ut pontifex fieret, ſed is, qui ſic eum allocutus eſt: *Tu meus es filius, ego te hodie genui.* Hæc & ſimilia cùm iis objiciuntur, ea reſpondere ſolent, quæ vel planè falſa ſunt, vel rem, de qua quæritur, haudquaquam conficiunt. Primò enim, cùm divinis urgentur teſtimoniis, fatentur quidem, Chriſtum Eccleſiæ caput eſſe; non tamen hinc conſequi, nulli præter Chriſtum hunc honorem convenire: cùm, quemadmodum Chriſtum Eccleſiæ fundamentum eſſe, nequaquam efficit, quin & Petrus Apoſtolus ejuſdem ſit fundamentum, ita & de capitis appellatione ſtatuendum ſit. Eſt igitur, inquiunt, Chriſtus Eccleſiæ caput inaſpectabile, quatenus nimirum Dominus ſervatorque ejus eſt: verùm cum eum præſentem in terris nequaquam adeſſe videamus, Reipub. Chriſtianæ ſtatum œconomicum omninò efflagitaſſe ajunt, ut ordinis in Eccleſia conſervandi cauſâ, aliquod aſpectabile caput conſtitueretur, quod ea in re Chriſti perſonam gereret. Hæc quamvis primo aſpectu veri ſpeciem habere videantur; tamen ſi in rem ipſam animum intendas, à vero aliena eſſe comperies: propterea quòd & fundamenti appellatio à capitis titulo in eo, de quo agitur, non parùm diſtat; & iſtud de capite aſpectabili commentum à ratione abhorret; & nequaquam hoc quod aſſeritur, à Chriſto fieri neceſſe fuit; & denique factum eſſe nullo argumento poteſt demonſtrari. Primò autem capitis nomen à Fundamenti vocabulo in eo, de quo controverſia eſt, plurimùm differre, hinc perſpicitur, quòd, ut Eccleſiæ fundamentum quiſpiam jurè dici poſſit, ſatis eſt, eum ex eorum numero eſſe, qui primi Chriſti diſci-

plinæ

Digitized by Google

plinâ imbuti fuêre, primique eam univerſo orbi terrarum tradidêre. Ut autem quiſpiam univerſale omnium Eccleſiarum caput ſit, opus præterea eſt illa omnia poſſidere, quæ paulò antè ad tale caput pertinere diximus. Neminem autem, præter Chriſtum, ea habere palàm eſt.

‡ *Primò autem capitis*] At ſeruit hic perperam Volkelius ſuæ falſæ hypotheſi, ut ante viſum; Nam æquè *monſtroſum* eſt, ut mox loquetur ipſe, duplex ejuſdem ædificii fingere fundamentum, ac duplex caput eidem corpori affingere. Nec ſatis eſt ut *Eccleſiæ fundamentum quiſpiam jure dici poſſit, eum ex eorum numero eſſe, qui primi Chriſti diſciplinâ imbuti fuêre*, cùm nec eâ ratione Chriſtus fundamentum eſſet futurus, nec dici queat fundamentum, niſi in quantũ ſuſtinet totum ædificium, & cui incumbunt verâ fide omnes lapides vivi qui hoc conſtituunt. Cætera quæ porrò habet hic Volkelius ſicco pede prætermitto, & quod ſatis nervoſè agat hanc cauſam de primatu Petri, & quod non pertineant ad controverſias Socinianas.

A ratione autem hoc commentum diſſentire ideò ſtatuimus, quod & monſtroſum eſt, unum corpus plura habere capita, &, cùm conjunctio Eccleſiæ cum capite ſuo, reſpondeat conjunctioni uxoris cum marito ſuo, perinde eſt Eccleſiam duo habere capita inter ſe planè diſſimilia, atque eandem uxorem duos habere maritos, vel, ut veriùs dicam, eam adulteram eſſe; cùm præter verum maritum ac caput ſuum, alteri quoque capiti ſe adjungat. Non neceſſarium præterea illud eſſe, hinc colligitur, quòd Chriſtus ejuſmodi Eccleſiæ ſuæ caput eſt, ut ipſe per ſe illi gubernandæ, juſtoque ordine ac modo temperandæ ſufficiat. Poſtremò, Chriſtum hoc, de quo agitur, feciſſe, demonſtrari minimè poſſe, vel ex eo conſtat, quòd nullibi apud divinos autores id ſcriptum legimus: quamvis, ſi ſententia iſta vera eſſet, ejus commemorandæ non tantùm occaſio, ſed & neceſſitas quædam fuerit. Paulus quippe Eccleſiæ adminiſtros diverſis in locis percenſendo enumerans, (1 *Cor.* 12.28. *& d. Eph.* 4. 11.) nullam aſpectabilis capitis, quod reliquis dominetur, mentionem facit. At, inquient, Paulum illis verbis, quibus caput pedibus dicere poſſe, non egeo vobis, (1 *Cor.* 12. 21.) negat, ſatis indicare, caput aliquod aſpectabile reliquis Eccleſiæ membris præpoſitum eſſe. Nos autem reſpondemus, ratiocinationem iſtam manifeſtâ æquivocationis fallaciâ laborare. Ii enim, quibus cum diſputamus, per aſpectabile illud Eccleſiæ caput, unum aliquem intelligunt hominem, univerſæ Chriſti Eccleſiæ regendæ præpoſitum: Apoſtolus autem loco citato, non unum aliquem certumve hominem, Eccleſiæ Chriſti univerſæ regendæ præfectum, intelligit; ſed primò quidem caput humanum, de quo per proſopopœiam quandam loquitur; deinde in Eccleſia eos omnes, qui reliquos divinorum munerum præſtantiâ ſuperant: quorum alium oculo, alium

alium auri, alium alii alicui rei comparat. Hos enim ſimilitudine à corporis humani partibus ductâ monet, ne ob tantam donorum excellentiam ſuperbiant, reliquoſque tanquam nihil planè ad rem Eccleſiaſticā conferentes, contemnant atque deſpiciant. Quòd ſi Apoſtolus unum aliquod Eccleſiæ caput, quod ſupra ipſos Apoſtolos etiam muneris ac poteſtatis ratione emineret, agnoviſſet, id, ut paulò antè jam innuimus, haudquaquam prætermiſiſſet, cùm poſtea ordinem membrorum ac partium Eccleſiaſtici corporis enumerat; nec dicere debuiſſet, Deum in Eccleſia poſuiſſe *primùm Apoſtolos*; ſed primùm Pontificem Romanum, ſeu univerſalem Eccleſiæ Paſtorem atque Epiſcopum, deinde Apoſtolos, tertiò Prophetas. Deinde ubi hac via rem minimè ſuccedere animadvertunt adverſarii, iterum ad illam ſuam anchoram confugiunt, id eſt, ad illa Chriſti verba, quibus Petrum ſic alloquitur: (*Mat.* 16.18.) *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Item: *Dabo tibi claves regni cælorum, & quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis; & quicquid ſolveris in terra, erit ſolutum in cœlis.* Hìc duo concludere nituntur adverſarii. Primò enim Petrum hìc & reliquorum Apoſtolorum, & univerſæ Eccleſiæ caput conſtitui ajunt; quippe cui præ aliis is honor habitus à Domino fuerit, ut & fundamentum eum Eccleſiæ ſuæ faceret, & clavibus ſolvendi ligandique donaret. Nec obſtare aſſerunt, quòd, ut nos quidem ſuprà oſtendimus, Chriſtus Petrum alloquendo, ſimul & reliquos allocutus fuerit: cùm hinc potiùs conſtet, eos in Petro ut capite ſuo
636 contineri, ab eoque pendere. Quæ quidem conſecutio quàm malè conſtituta ſit, omnes viri intelligentes facilè animadvertunt: cum ex eo, quòd Chriſtus reſponſo ſuo non ipſum Petrum tantummodo, ſed reliquos etiam Apoſtolos comprehendit, non quidem Petrum reliquorum fundamentum, totiuſque adeò Eccleſiæ caput eſſe conſequatur; ſed potiùs Chriſtum omnes Apoſtolos eodem fundamenti honore dignatum fuiſſe. Illud quidem non diffitemur, ex hoc aliiſque locis colligi poſſe, Petrum cæterorum perſonam geſſiſſe, & reliquis in hoc munere præiviſſe. Atqui inter præitionem, & poteſtatem, quam in omnes alios habuerit, de qua hoc in loco quæritur, plurimum intereſt, cùm etiam is præire aliis rectè dicatur, qui eodem planè cum illis fungitur munere, nec ullam in eos poteſtatem, nullum iis imperandi eoſque regendi jus habet; quemadmodum innumeris exemplis demonſtrari facillimè poteſt. Inter collegas enim muneris ac poteſtatis ratione pares, fere fit, ut unus aliquis cœteris præeat, aut inter eos aliqua ratione emineat. Petrum autem poteſtate illa minimè præditum fuiſſe, tum ex altiſſimo ſacrarum literarum hac de re ſilentio, tum ex pſius Petri factis, tum denique ex reliquorum Apoſtolorum Eccleſiæque

Digitized by Google

ſtræque actionibus planiſſimè conſtat. Ex divinorum oraculorum ſilentio ea de cauſa rei iſtius argumentum ducimus, quòd quanquam alioquin ex teſtimoniorum loco ferè nonniſi ajentia ſumuntur argumenta; tamen cum divinus Spiritus ea, quæ maximum in ſalutis noſtræ ratione momentum continent, non ſolùm minimè reticere, ſed ſæpiſſimè etiam inculcare conſueverit; an non manifeſtum eſt, ſententiam iſtam de Petri primatu, qualem adverſarii defendunt, vanam prorſus futilemque eſſe? Sed videamus jam, quo pacto ex illis, quæ Petrus geſſit, opinio iſta falſitatis convincatur. Conſtat igitur, Petrum hunc honorem non ſolùm ſibi non aſſumpſiſſe, ſed etiam ita vitam ſuam inſtituiſſe, ut primatûs iſtius ne tenuiſſimum quidem veſtigium in omnibus ipſius actionibus apparuerit. Quòd ſi tantus illi principatus à Deo ac Chriſto conceſſus fuiſſet, certè nec verbis, nec factis, id diſſimulâſſet, quemadmodum nec Apoſtolum ſeſe eſſe reticuit. Ex ipſius porrò factis non ſolùm principatum iſtum minimè colligi, ſed rem etiam contrariam facilè conſtitui, inde patet, quòd tantum abeſt, ut alios omnes à ſe uno pendere poſtulaverit, ut & ab aliis ſeſe reprehendi paſſus fuerit, (*Gal.* 2. 11. *& d.*) & cur in Cornelii ædes intrâſſet, illis, qui hac de re tanquam illicita cum eo expoſtulabant, rationem modeſtiſſimè reddiderit; (*Act.* 11. ✠. 3.) quod in illum, qui Eccleſiæ caput eſt, non cadit. Si dixe- 637.
ris, Petrum quamvis in omnes principatum teneret, tamen ut modeſtiæ conſuleret, & aliis, quantumvis magnis in Eccleſia viris, Chriſtianæ demiſſionis exemplo eſſet, ita ſe geſſiſſe: reſpondemus, modeſtiam Chriſtianam ut & aliæ (*fortè* alias) virtutes, mediocritate quadam moderatam eſſe, & nequaquam eóusque homines adigere, ut perſonæ ſibi ab ipſo Deo impoſitæ obliti, auctoritatem, quam ſartam tectam eſſe humanæ ſalutis plurimum interſit, minui ac convelli ſinant, & non potiùs, ſalvis cæteroqui modeſtiæ legibus, eam & opponant iis, qui illam aliquâ ratione violare audent, & cum gravitate quadam tueantur. Potuit quippe Petrus modeſtiæ lumen omnibus præferre, abſque ulla auctoritatis illius ſuæ diſſimulatione. Quo pacto & Paulus per ſummam demiſſionem ſeſe, qui vocetur Apoſtolus, indignum eſſe dicit: (1 *Cor.* 15. 9.) interim tamen Apoſtolum ſeſe eſſe minimè negat; imò ſe cæteris Apoſtolis omnibus aliquâ ratione præfert; verùm ita, ut ſummæ Dei gratiæ hanc ſuam dignitatem attribuat. Quid autem de Chriſto Domino noſtro dicam, qui humilitatis modeſtiæque exemplar perfectiſſimum cùm eſſet, regem tamen populi Dei, ſive Chriſtum ſeſe eſſe, inficiatus nequaquam fuit; imò tunc, cùm diſcipulis ſubmiſſionis exemplum relicturus, pedes illorum laviſſet, &, quid ea re indicare voluiſſet, poſtmodùm exponeret, apertè dixit, rectè illos magiſtrum eum

ac do-

ac dominnm appellare: eum enim ſe eſſe. (*Ioh.*13. 15.) Hoc idem planè & de Petro ſtatuendum eſt, eum nimirum, ſi ordinis in Eccleſia conſtituendi cauſâ ejusdem caput aſpectabile conſtitutus fuiſſet, nequaquam tantam rem diſſimulare potuiſſe. Præpoſtera enim iſta modeſtia eſt, quæ auctoritatem, quâ ordo, atque adeò ſalus Eccleſiæ nitatur, vel concidere, vel obſcuram eſſe ſinat; nec niſi abſurdiſſimè ejusmodi ſubmiſſionem Petro tribueris. Unde conſequitur, Petrum fideliſſimum Chriſti adminiſtrum, non modeſtiæ, ſed veritatis cauſâ, nunquam ſibi titulum iſtum vendicâſſe.

Jam non multùm laborandum eſt, ut eum nunquam Eccleſiæ caput à reliquis agnitum fuiſſe oſtendamus: cùm, ut paulò antè diximus, & reprehenſum illum ab eis, & à Paulo Apoſtolo haud leviter accuſatum fuiſſe, ſcriptum legamus. (*Gal.* 2. 11.) Adde, quòd idem Paulus ita munus ſuum adminiſtrârit, ut nec à Petri, neque à cujuſquam alterius auctoritate pendere ſe oſtenderet, quemadmodum ex iis conſtat, quæ duobus primis Epiſtolæ ad Gal. capp. ſcripta leguntur: imò verò, ita ſe muneris ratione Petro æquat, ut quemadmodum Petro, unà cum aliis, Euangelium circumciſionis, ita ſibi Euangelium præputii concreditum eſſe dicat. nec ſanè uſpiam apparet, Paulum monuiſſe, ut fideles ad Petrum, tanquam ad uni-
638. verſalem Eccleſiæ Epiſcopum recurrerent, & ab eo, tanquam capite *ſuo*, penderent, alioqui corporis Chriſti membra non futuri.

Cap. IIII.

De Clavibus regni cœlorum Petro datis.

SED jam tempus eſt alteram adverſariorum concluſionem, quam ex Chriſti verbis conficiunt, perpendere: nimirum non ſolùm Petro, ſed omnibus ipſius ſucceſſoribus, nec cuipiam præterea alii ejusmodi claves conceſſas eſſe, ut non ſolùm in terris remittere retinereque peccata, ſed etiam leges, quæ conſcientias hominum omnino obligent, figere, refigere, relaxare, controverſias tum de dogmatibus, tum de aliis rebus omnibus ad Eccleſiam ſpectantibus, decidere, & ſententiam, à qua ſine piaculo provocare non liceat, ferre, aliaque ſimilia decernere queant. Quam quidem ſententiam à vero alieniſſimam eſſe, eadem ratione poſſumus evincere, quâ ſuprà uſi ſumus, cùm de petra ſeu fundamento, cujus in his Chriſti verbis ſit mentio, ageremus. Etenim nec ad ſolum Petrum, ſed ad cæteros etiam Apoſtolos, quos tantam, quantam Petro hic promiſſam contendunt, poteſtatem

teſtatem haudquaquam habuiſſe, agnoſcunt adverſarii, verba hæc Chriſti ſpectant; nec in hujuſmodi rebus, quæ hîc Petro promittuntur, ullum is habuit ſucceſſorem. Prius illud ſuperiùs à nobis eſt oſtenſum; & hac inſuper ratione oſtendi poteſt, quòd claves illæ regni cœlorum nil ſint aliud, quàm facultas, aliis quidem cœlum aperiendi, aliis verò claudendi, ſeu, ut poſtea Dominus loquitur clavium iſtarum effectum explicans, alia quidem ſuper terram ligandi, alia verò ſolvendi, hoc eſt, alios quidem reatu peccatorum quodammodo conſtringendi, alios verò ab illo abſolvendi: quorum illis regnum cœlorum clauditur, his aperitur. Jam verò tum ex aliis Chriſti verbis, tum ex re ipſa manifeſtum eſt, hanc facultatem poteſtatemque non minùs ad cæteros Apoſtolos, quàm ad Petrum pertinuiſſe. Quod enim ad Chriſti verba attinet, ita Apoſtolos ſuos apud Joannem alloquitur: *(Ioh. 20. 23.) Si quorum peccata remiſeritis, remiſſa erunt: ſi quorum retinueritis, retenta erunt.* Quod ad rem ipſam attinet; ſatis apparet, Petro non ita datam fuiſſe facultatem aut poteſtatem cœlum vel aperiendi, vel claudendi, ut re atque actu ipſo alios in cœlum intromitteret, alios ab illo excluderet. hoc enim nemini præter Chriſtum conceſſum legimus; eamque ad rem omninò requiritur cognitio cordium intimarumque cogitationum humanarum: cum nemini, niſi verè in Chriſtum credat, & ex animo ei obtemperet, in cœlum pateat aditus. Itaque neceſſe eſt, in eo tantùm fuiſſe conſtitutam facultatem poteſtatemque illam, ut pro auctoritate 639. muneris, quod tanquam Chriſti legatus ſuſtinebat, aliis quidem, nempe omnibus in Chriſtum credentibus, atque ex animo ei obtemperantibus, remiſſionem peccatorum ipſius nomine offerret, aliis verò pœnas ſempiternas denunciaret; & ſic illis quidem jus ac facultatem in cœlum ingrediendi daret, his verò eandem adimeret, eoſque à cœli aditu arceret. Atqui eadem cæterorum Apoſtolorum fuit facultas ac poteſtas: cum æquè ac Petrus Chriſti legati, ut Apoſtolorum nomen docet, eſſent, & ad idem toti hominum generi pari autoritate annunciandum conſtituti. Fatentur enim ii ipſi, cum quibus hîc diſputamus, cæteros Apoſtolos, ratione ipſius Apoſtolici muneris & auctoritatis, pares Petro fuiſſe. Quapropter, id quod de tanta Petri poteſtate, omnia, quæ ad Eccleſiam pertineant, moderandi, leges condendi, aut abrogandi, aliaque infinita faciendi, ex his verbis ab adverſariis colligitur, futile planè atque inane eſt: cùm ſatis ſit manifeſtum, hîc non de rebus, ſed de hominibus, idque non ſimpliciter, ſed certa conditione ligandis ſolvendiſque orationem haberi. Quòd ſi ex genere neutro, quo Chriſtus iſta proferens uſus eſt, hunc ſuum errorem conſtitui autumant, vehementer errant: cum minimè novum, non profanis

 tantùm,

tantùm, ſed divinis etiam autoribus ſit, neutrum genus pro maſculino uſurpare. Quid enim? an Joannem non de hominibus loqui volumus, cùm ait: (*Apoc.* 21. 25.) *Non intrabit in eam* (nempe Hieroſolymam) *aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium*? Et illud Pauli an non de perſonis accipiendum eſt, cùm de Antichriſto hunc in modum loquitur: (2 *Theſſ.* 2. 4.) *Qui adverſatur & extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut numen*?

Reſtat, ut Petrum nullum in clavium adminiſtratione ſucceſſorem habere oſtendamus. Quod quidem factu haud difficile eſt: quandoquidem ex iis, quæ paulò antè diximus, ſatis conſtat, claves iſtas Apoſtolorum proprias fuiſſe. In eo enim, qui claves regni cœlorum habere, & hominibus jus quoddam ſempiternam felicitatem adipiſcendi largiri dicendus ſit, ejuſmodi requiritur auctoritas, quæ nonniſi in eum cadit, qui ab ipſo Deo aut Chriſto ſit miſſus, & Spiritu ſancto ita impletus, ut errare iis in rebus, quæ ad regnum cœlorum obtinendum pertinent, nequeat, ſed exploratiſſimam earum teneat ſcientiam; utque iis argumentis fidem ſuis dictis conciliet, quæ oſtendant ipſum divinitùs miſſum, atque adeò ejus dicta pro
640. Dei verbis habenda eſſe. Quæ cum in ſolis Apoſtolis reperta, eorumque adeò propria fuerint; cumque Apoſtolatùs officium defecerit; conſequens certè eſt, nullum illis in clavium adminiſtratione ſucceſſiſſe. Hoc tamen non perinde à nobis dici exiſtimandum eſt, quaſi hodie illos extare negemus, qui doctorum officio ritè fungantur, ſineque errore, quales eos eſſe oporteat, qui ad cœleſte regnum aſpirare cupiunt, explicare poſſint. Intelligendum quippe eſt, diſciplinam Chriſti ab Apoſtolis nobis traditam, & repeti ab his, & inculcari, & apud populum proponi tum poſſe, tum debere. Sed aliud eſt, Chriſti diſciplinam ab Apoſtolis acceptam tenere atque recolere; aliud, eſſe Apoſtolum, vel Apoſtolis in apoſtolatu ſuccedere, hoc eſt, haud aliter ac illi, ab ipſo Chriſto ad Euangelium annunciandum legatum eſſe, atque adeò eâ inſtructum eſſe auctoritate, ut omnia tua dicta, quæ ad Euangelicam doctrinam pertineant, pro dictis ipſius Chriſti habenda, & ſine ulla erroris ſuſpicione ac metu pro veriſſimis ſuſcipienda ſint.

† *Reſtat ut Petrum*] Licet nec Petrus, nec cæteri Apoſtoli, ſucceſſores nacti ſint in ſua ὑπεροχῇ Apoſtolica, tamen dubium non eſt quin ad ordinarios Eccleſiæ paſtores omnes, poteſtas illa clavium pertineat; ſiquidem ex muneris ſui officio, *tanquam Chriſti legati, aliis quidem, nempe omnibus in Chriſtum credentibus, atque ex animo ei obtemperantibus, remiſſionem peccatorum ipſius nomine offerunt, aliis verò pœnas ſempiternas denunciant*; In quo illam poteſtatem ipſe

Volkelius

Digitized by Google

Volkelius hic conſtituit; (quanquam pertineat quoque hæc poteſtas ad diſciplinæ exercitium in Eccleſia.) Nec ad talis poteſtatis exercitium, quale convenit Eccleſiæ ordinariis Miniſtris, infallibilitas Apoſtolica requiritur; cùm ſatis ſit hanc doctrinam quam annunciant eſſe θεόπνευστον & ab Apoſtolis prædicatam atque literis ſacris conſignatam ad perpetuam ædificationem Eccleſiæ. Sed cùm id ipſum etiam ſub finem inſinuet Volkelius, non eſt quod illi rei diutiùs inhæreamus.

Cap. V.

Quomodo Eccleſia ſit Chriſti corpus.

SEquitur, ut, quâ ratione Eccleſia Chriſti corpus ſit, videamus. Quod
quidem facilè ex iis, quæ ſuprà de ejuſdem capite dicta ſunt, intelligi
poteſt. Cùm enim Chriſtus ita Eccleſiæ caput ſit, ut eam ſibi arctiſſimè
conjunxerit, eamque ſpirituali diviniſſimaque ratione gubernet, foveat
atque conſervet; efficitur, Eccleſiam hoc pacto ejuſdem corpus eſſe, ut
doctrinam ejus amplexa, eumque ſolum in religione ducem ſequuta, ei adhæreſcat,
ei totam ſe ſubjiciat, ſeque regendam ac gubernandam permittat,
ab eo ſpiritum illum vitalem hauriat, & vires ad pietatem vitæ colendam
neceſſarias petat, omniaque ſempiternæ felicitatis adjumenta expectet;
alioqui cadaver potiùs Eccleſiæ, quàm verum vivumque Chriſti corpus
futura. Unde colligitur, eos hominum cœtus, qui vel ab aliis pendent
in religione ducibus, ſalutarique ipſius doctrinæ conſtanter non adhærent;
vel ſuo viventes arbitrio, ipſius imperium non agnoſcunt, ei-ve
parere detrectant; vel ad ejus opem confugere, & ab eo omnia piæ æternæque
vitæ præſidia atque adjumenta petere recuſant, pro vero vivoque
Chriſti corpore habendos non eſſe. Qua de cauſa Paulus Apoſtolus Coloſſenſes
diligentiſſimè præmonet, inquiens: (*Col.* 2. 8.) *Videte ne quis ſit,
qui vos Philoſophiâ fallaciaque vana prædetur, ex hominum inſtitutione, &
non ſecundum Chriſtum, in quo tota divinitatis plenitudo corporaliter habitat:
& vos eſtis in eo perfecti, qui caput eſt omnis principatus & poteſtatis.* Quibus
verbis admonemur, ut Chriſto capite noſtro contenti, id eſt, in ſola 641.
illius diſciplina acquieſcentes, non philoſophicis, quæ ad divinum cultum
nihil afferunt momenti; non hominum commentis, per quantamvis veritatis
ſpeciem inductis; non denique diſciplinæ Moſaicæ, quæ ad Chriſti
inſtituta reſpectu habito, umbræ inſtar continet, nos tradamus abducendos;
cùm in Chriſti doctrina, non adumbrata aut imperfecta rerum divi-

 narum,

Digitized by Google

narum, ſed corporalis, eaque tota ac plena, id eſt, veriſſima ſimul atque abſolutiſſima divinæ voluntatis explicatio contineatur. Atque hanc eſſe omnem illam divinitatis plenitudinem à Paulo ibidem commemoratam, non autem, ut multi exiſtimant, divinam eſſentiam, ſive naturam, tum ipſa loquendi formula, tum verborum contextus, tum res ipſa docet.

† *Qua de cauſa Paulus*] Quia ſtudiò divertit Volkelius ad hunc locum Col. II, 8. 9. 10. ut eum detorqueat in ſequiorem ſenſum, nobiſque eripiat præſentiſſimum pro vera divinitate Chriſti argumentum, operæ pretium erit aliquid de eo annotare. Vult itaque nos admonere, ut nō patiamur nos abduci ad ulla dogmata, quocunque prætextu velarentur, quę non convenirent cum doctrina Chriſti; nam hoc eſt non eſſe *ſecundum Chriſtum*; cujus rei hanc reddit rationem, quod ex illo & ab illo habeamus ſuſſicientiſſimè quicquid requiritur ad ſalutem, quia eſt ſummus & verus Deus, in quo omnis deitatis plenitudo corporaliter habitat, & qui eo ipſo nos complere & perficere poteſt, quod ſit caput omnis principatus & poteſtatis; cui adeo ſoli in eo genere obediendum ſit. Hîc igitur trifariàm errat Adverſarius; Primò quod veritatem inhabitationis omnis deitatis in Chriſto, expreſſam vocabulo σωματικῶς, opponat diſciplinæ Moſaicæ; Licet enim inficiari nolim Chriſtum eſſe σῶμα & veritatem totius diſciplinæ Moſaicæ, ut patet ex Col. II, 17. & Joh. I, 17. tamen hoc com. 9. agit non de modo quo Chriſtus opponitur diſciplinæ Moſaicæ, ut corpus umbræ, veritas figuræ; ſic enim diceretur corpus umbrarum Moſaicarum opponi illis σωματικῶς, quod parum foret dicere; ſed de modo quo in Chriſto ipſo habitat omnis plenitudo Deitatis; quia debet concipi illa inhabitatio, non typica & umbratilis, quomodo Deus inhabitabat Sanctuarium & Templum Ieroſolymitanum, cùm fuit conſecratū, per denſam obſcuramque nubem, Arcam fœderis, ac ſimilia ſymbola gratioſæ ſuæ præſentiæ; ſed realis & σωματικὴ, in quantum perſona eſt divina ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ cum Patre, adeo ut rapinam non ducat æqualem eſſe Patri: Igitur non hic Chriſtus opponitur umbris Moſaicis in communi ceu illarum corpus & veritas; ſed opponitur inhabitatio omnis deitatis in Chriſto, ceu vera ac realis, inhabitationi Dei in Sanctuario mundano, quæ nonniſi typica erat ac umbratilis: ut tanto certius ſtandum ſit ejus dictis & ſtatutis, quanto totum Templum, in quo etiam oracula quædam divina fundebantur, quibus populus Dei obedire tenebatur, ſuſſidit infra dignitatem illius: Ubi enim Chriſtus eſt, illic quid amplius eſt quā vel Salomon, vel Templum Salomonis. Adde quod illud σωματικῶς poſſet dici uſurpatum hac in re à Paulo, per tacitum reſpectum ad Chriſti σῶμα, ſive corpus, quod propter unionem illius hypoſtaticam cum τῷ λόγῳ *templum corporis ſui* appellatur Joh. II, 21. Secundò, in eo errat Volkelius quod vocem θεότης, *divinitatem* interpretatur potiùs quam *deitatem*; cùm tamen θειότης hoc differat à θεότης, quod illud divinitatem ſonet, & poſſet ſumi qualitativè ſaltem in concreto, quia τὸ θεῖον eſt quid divini; hoc verò, cujus concretum eſt ὁ θεὸς, ipſam Deitatem vel divinam naturam ſonet, quæ in Scripturis & μορφὴ θεοῦ, & φύσις θεοῦ, appellatur, nec aliter uſur-

ter uſurpatur quam ſubſtantivè; Adeo ut vox iſta non denotet tantum qualitatibus divinis eximiiſque præditum eſſe Chriſtum, ſed eum revera ſignificet ipſiſſimâ naturâ & eſſentiâ divinâ pleniſſimè inſtructum. Tertiò in eo toto cœlo errat quod πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος, interpretatur de Chriſti diſciplina & doctrina, abſque ulla ratione & contra rationem: tū quia vox iſta non meras qualitates divinas notat, ſed ipſammet eſſentiam & naturam divinam; tum quia ſi hic opponeretur diſciplina Chriſti non minus *inſtitutis Philoſophicis* quam *diſciplinæ Moſaicæ*, ſupponeretur utrobique aliquod πλήρωμα τῆς θεότητος, licet illud ex toto nō habuerit. Cùm tamen Paulus philoſophiæ κενὴν ἀπάτην, tribuat quod procul abeſt ab ulla plenitudine Deitatis; & umbræ legales oppoſitè ad corpus, nullam vel plenitudinem vel ſoliditatem comparativam obtinere potuerint. Verùm audiamus rationes quibus ſuam παρερμήνειαν Volkelius conatur adſtruere.

Primò enim is loquendi modus ejuſmodi eſt, ut divinitatis iſtius, de qua Apoſtolus ſermonem habet, partes quaſdam innuat: quandoquidem non divinitatem ſimpliciter, ſed ejus plenitudinem, & quidem omnem, ſeu totam commemorat: ut facilè appareat, id dicere voluiſſe Apoſtolum: in Chriſto, ſive ipſius doctrina, non aliquam divinitatis particulam contineri, qualis ſuo modo vel in philoſophia, vel in hominum ſapientum inſtitutis, vel in diſciplina Moſaica comprehendi videtur: ſed omnem plenitudinem divinitatis, id eſt, perfectiſſimam divinæ voluntatis explicationem comprehendi. Divinam autem eſſentiam ſeu ſubſtantiam in diverſas partes diſtrahi, ut nimirum in aliis particulatim, in aliis verò pleniſſimè habitet, nemo ſanus dixerit. Deinde in ipſa verborum comprehenſione apertè videmus, divinitatis plenitudinem in Chriſto habitantem, doctrinis ab ipſius diſciplina alienis opponi, & ſic Chriſtum hoc in loco, ſi modò oppoſitionem iſtam omni abſurditate liberare volumus, pro ſua doctrina accipi, vel ſaltem eatenus, quatenus doctrinam illam tradidit, novamque religionem hominibus præſcripſit, conſiderari; quo pacto & alibi Chriſti nomen uſurpari videmus. Denique vox *corporaliter*, id, quod aſſerimus, oſtendit. Nam præter quam quòd, quicquid alii dicant, nequaquam oſtendi poſſit, quo pacto divina ſubſtantia corporaliter in quopiam habitare queat; ſatis tum ex hoc ipſo loco, tum ex verbis illis, quæ infrà v. 17. habentur, apparet, corpus opponi umbris; & ſic corporalem inhabitationem umbratili, qualis in Lege fuit; id quod nihil ad divinam ſubſtantiam pertinet, ſed ad voluntatem.

‡ *Primò enim is*] Verùm non ita loquitur Apoſtolus, ut innuat quod Divinitas, ſive potius Deitas hæc, *partes quaſdam* habeat, ſed tantū quod inhabitationis illius ſint quidam gradus: cùm alia fuerit tenuis admodū, diminuta & imperfecta in San-

ſtuario terreno; alia verò ſit plenaria ac pleniſſima in Chriſto. Non obſtabimus tamen ſi malis illam diverſitatem intelligere de ipſa plenitudine, ut revera τὸ πᾶν in verbis Apoſtoli, non ad Deitatem ipſam, ſed ad πλήρωμα illius liquidò pertinet; Sic enim largior illam plenitudinem Deitatis poſſe diſtribui in ſuas quaſi partes ſubjectivas, quod alia ſit umbratilis & typica in Sanctuario, alia verò realis & perſonalis in Chriſto, prout etiam Deus aliter replet cœlum & terram ſuâ omnipræſentiâ, aliter replet Eccleſiam ſuâ gratiâ, aliter replebat Templum illâ denſâ nube, cujus meminit Scriptura in illius conſecratione: ſed inde nihil referet adverſarius præter confuſionem.

Deinde in ipſâ] Abſurdè: Nam opponitur hìc non doctrina doctrinis, ſed perſona perſonis: Siquidē iis qui vellent nos per inanē Philoſophiam deprædari, & hominum urgere inſtituta, opponitur perſona Chriſti, ita excellens & ſummæ authoritatis, cùm in in ipſo habitet corporaliter omnis plenitudo Deitatis, ut nullorum mortalium authoritas ſit illi vel præferenda vel æquanda; imò cœterorum omnium, quantumlibet ſapientûm, faſces illius unius faſci, ut in ſomnio Joſephi, ſubmitti debeant. Nec Chriſtus Epheſ. IV, 20. aut Col. I, 27. ſumitur pro Chriſti doctrina oppoſitè ad ipſius perſonam, ſed è contrario Chriſtus utrobique proponitur in objectum & ſummarium doctrinæ illius ſalutaris quæ Evangelio continetur & proponitur.

Denique vox corporaliter] Certè ſi τὸ σωματικῶς opponatur τῷ τυπικῶς, ut ante expoſuimus, nihil ſuberit difficultatis: cùm omnis hæc plenitudo Deitatis, non typicè umbraticè, aut ſymbolicè tantum, extet in Chriſto, ſed verè & realiter: Verùm *oſtendi* inſuper poteſt eatenus totam Deitatem (quæ tota eſt in ſingulis perſonis S. S. Trinitatis, nec enim eam habent per partes; prout anima quæ tota eſt in cerebro eſt etiam tota in corde, quia, ut vulgò dicitur, tota eſt in toto corpore & tota in qualibet illius parte;) in perſona Filii veſtientis noſtram carnem, ipſum inhabitare *corporaliter*, quatenus ſacratiſſimum illius corpus, delegit in Templum ſuum auguſtiſſimum, quod numquam eſt deſertura. Opponitur quidem Col. II, 17. *corpus umbris*, & ſic putem hìc opponi *corporalem inhabitationem umbratili*; Sed iſtud *nihil ad divinam ſubſtantiam* pertinere, tam inſulſè dixeris, quam temerè affirmaveris Deitatem Paulo commemoratam, aliud quam divinam ſubſtantiam & naturam connotare.

Sed ut eò revertatur, unde egreſſa eſt oratio; facilè ex iis, quæ antea diximus, perſpicitur, fruſtra Pontificios de Chriſti corporis atque *Eccle-*
642. *ſiæ* titulo gloriari, ſeque eo nomine tam ſuperbè jactare: cum nec Chriſti ſpiritu gubernetur ipſorum Eccleſia, nec illi dicto ſit audiens, nec ab illo ſolo pendeat, & vix ullam ipſius diſciplinæ partem ſalvam relinquat, quam nimirum vel falſis interpretationibus non corrumpat, vel additionibus ſuis non contaminet, vel detractionibus fœdè non detruncet, vel funeſtis erroribus non implicet, vel denique denſiſſimis tenebris non circumfundat atque obſcuret. Quo fit, ut ſalutaribus Chriſti præceptionibus conculcatis, præter manifeſtam idololatriam, luxuria, ebrietas, libidines, aliaque in-

Digitized by Google

que innumera peccata inter illos paſſim regnent: ut facilè appareat, quàm rectè Eccleſiæ nomen uſurpent, ſibique ſolis arrogent.

Reliquum eſt, ut Chriſti corpus, quod Eccleſia eſt, ex ea parte conſideremus, quatenus ad ſua membra reſpectum habet. Membra porrò Eccleſiæ duplicem habent rationem. Vel enim eatenus ſpectantur, quatenus omnia inter ſe conveniunt, & peræquè ad Eccleſiæ corpus, ejuſque caput Chriſtum, ac porrò etiam ad ſalutem pertinent: veluti cùm Apoſtolus (*Gal.* 3. 28.) neque Judæum, neque Græcum, neque ſervum neque liberum, neque marem, neque fœminam, ſed omnes unum hominem eſſe aſſerit: vel ipſorum perpenditur varietas, ex munerum varietate profecta. Ut enim in corpore humano alias actiones capiti, alias auribus, alias manibus, alias pedibus, alias aliis membris aſſignatas eſſe cernimus. (*Rom.* 12. 4. 5.) ita & corporis Chriſti membrorum varia eſſe officia, ex illis Pauli verbis conſtat: (1 *Cor.* 12. 28.) *Vos Chriſti corpus eſtis atque membra: & alios ſtatuit Deus in Eccleſia, primò Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò doctores, deinde portenta, deinde ſanationum dona, adminicula, gubernationes, genera linguarum.* Et alibi inquit: *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios paſtores & doctores.* (*Epheſ.* 4. 11.) Apoſtoli illi erant, quos Dominus Jeſus & divino ſpiritu armaverat, & in univerſum terrarum orbem legaverat, ad homines divinâ veritate colluſtrandos. Prophetarum autem nomine iſtis in locis, non veteres illos Prophetas, ſed Apoſtolorum ſocios intelligimus, qui eodem tempore in Eccleſia floruerunt, quorum officium erat, futura prædicere, vel occultiora quædam religionis Chriſtianæ myſteria apud populum proponere, vel utrumque iſtorum facere. Euangeliſtæ verò illi fuiſſe videntur, qui Apoſtolis ſalutiferum ſempiternæ felicitatis nuncium terrarum orbi efferentibus adhærebant, eoſque ea in re juvabant. Atqui hæc tria Apoſtolorum ætate munera maximè viguerunt: poſtea autem ea defeciſſe res ipſa oſtendit. Remanſit autem Doctorum Paſtorumque officium, nec non alia quædam, de quibus infrà ſuo loco dicemus. (*cap.* 11.)

Hic verò non alienum fuerit, pauca de Chriſti corporis membrorum mu- 643.
tuis inter ſe officiis explicare: quæ quidem quatuor potiſſimùm eſſe videntur. Primò igitur, cum ſingulis membris ſingula impoſita ſint munera, conſentaneum eſt, ut quilibet Chriſtianorum Spartam, quam nactus eſt, ornet, id eſt, officium ſuum diligenter adminiſtret, nec perſonam ſibi non impoſitam temerè aſſumat. Hoc enim illi faciunt, qui aut inani curioſitate, aut ambitione, aut quavis alia cupiditate inducti, in-

omnia-

Digitized by Google

omnia ſeſe ingerunt, &, dum alienas partes capeſſunt, ſuas negligunt. Qua de cauſa Paulus ad Romanos ſcribens diligentiſſimè præmonet, ut ſinguli ſuis muneribus contenti, in aliena ſeſe minimè ingerant, his verbis: *Edico per beneficium, quod mihi collatum eſt, veſtrûm cuivis, ne ſibi plutribuat, quam tribuere debeat, ſed tantum tribuat, ut ſobriè tribuat, pro fidei modo, quem cuique Deus impertivit.* (*Rom.* 12. 3.) Quod tamen non perinde intelligendum eſt, quaſi, ſi cuipiam plura uno divina munera data atque conceſſa ſint, ei nequaquam fas ſit pluribus uno fungi officiis; (ſic enim officium proderet:) ſed ne quis id ſibi arroget donum, quod ipſi divinitùs nequaquam ſit conceſſum.

Deinde diligenter illis, qui præſtantioribus, quàm reliqui, muneribus ornati ſunt, cavendum eſt, ne unquam ea res immoderatos eis ſpiritus afferat, & ſic eveniat, ut aliis per ſuperbiam ſpretis atque contemptis, in ſeipſis omnia collocent. *Non enim*, inquit Paulus, (1 *Cor.* 12. 21.) *oculus poteſt dicere manui, non egeo te: aut rurſum caput pedibus, non egeo vobis: contraque quanto quodque membrum corporis debilius videtur eſſe, tanto magis eſt neceſſarium.*

Præterea etiam providendum eſt, ne in Eccleſia ulla dominetur invidentia, quâ fiat, ut ignobiliora Chriſti membra nobiliorum ſplendore urantur, eorumque incrementa cnm animi quodam dolore cernant. Utrique huic malo ut in Eccleſia occurreretur, Deus pro ſumma ſua ſapientia, minora Chriſti membra cum majoribus ita adæquavit, ut non minùs illa, quàm hæc, ad corporis illius conſtitutionem convenirent, & hæc abſque illis officiorum ſuorum munera ritè obire non poſſent.

Poſtremò & illud cavendum eſt, ne quod Chriſti membrum ſuâ tantùm unius cauſâ divinis muneribus ſeſe ornatum eſſe exiſtimet, ſed ſingula, quicquid ſunt, quicquid poſſident, id totum ſeſe aliis, totique adeò Chriſti Eccleſiæ debere perſuaſum habeant. Neque enim verbi oculi ſibi vident, aut aures ſibi audiunt, ſed toti corpori: eodemque modo de reliquis
644. membris judicandunt eſt. Quapropter contra officium facere, & *non leviter* peccare cenſendi ſunt illi, qui aut munera ſibi conceſſa perpetuo involvunt atque adeò ſepeliunt ſilentio, aut certè non ita uſurpant, ut ad alios quoque utilitas manare queat. quod poſterius illi faciebant olim, qui res divinas non vernaculâ omnibusque cognitâ, ſed alienâ linguâ à ſe prolata, nec interpretabantur, nec aliorum operâ ad eam rem utebantur, quod quidem Apoſtolus (1 *Cor.* 14.) ſummoperè vituperat.

Digitized by Google

Cap. VI.

In quo docetur, quo pacto Eccleſia ovile Chriſti dicatur.

Respondente ad hoc & duo ſequentia capita
FOLCARDO HERMANNI,
Ooſt-Friſio.

TErtium Eccleſiæ elogium eſt, quòd ovile Chriſti nominatur: nempe quia ea nihil aliud eſt, quàm ovium Chriſti grex quidam cujus eam ipſam ob cauſam Chiſtus paſtor eſt appellatus. (*Ioh.* 10. *Heb.* 13. 20. 1 *Pet.* 2. 26.) Quod quò rectius intelligi poſſit, conſentaneum eſt, ut & de ovibus hoc in loco, & de eorundem paſtore explicemus. Ac ovium quidem appellatio duplicem apud divinos autores habet ſignificationem. Interdum enim homines deſignat divinæ quidem veritatis ignaros, ad eam tamen & amplexandam, & ſequendam aptos; de quibus ſuprà ſuo loco diximus: (*lib.* 4. *c.* 1.) interdum verò illud hominum genus ſignificat, quod non ſolum appoſitum eſt ad Chriſti diſciplinam recipiendam, ſed etiam revera eam recipit & ſequitur. Atque de his Chriſti ovibus hoc loco potiſſimùm agitur. Hæ enim ſolæ illius Eccleſiam conſtituunt; utpote quæ per oſtium, quod Chriſtus eſt, ingreſſæ, (*Ioh.* 10. 9.) id eſt, jam eum fide complexæ, ſervantur, & intrantes atque exeuntes paſcuum inveniunt, omnibusque rebus ad ſalutem neceſſariis abundant. Ovium porrò nomine homines iſti eam ob cauſſam appellantur, quòd ovium ſimilitudinem gerunt. Nam & ovium more paſtoris vocem agnoſcunt, ab alienaque voce dijudicant, ita ut illam ſequantur, hanc verò fugiant; (*ibid.* ✝. 3, 5, 8, 14, 27.) & paſtoris perſequuntur veſtigia, ac quocunque ducit, eunt; (✝. 4, 28.) & denique, quamvis omnes habeant infeſtiſſimos, ipſi tamen nemini exhibent moleſtiam, ad omnem manſuetudinem, modeſtiam, patientiam compoſiti. Unde colligitur, eos; qui à probitate abhorrent, qui Chriſti voce contemptâ, alienis doctrinis aures præbent, qui à ſalutis via aberrant, qui paſtoris hujus veſtigiis non inſiſtunt, qui manſuetudinis ac lenitatis Chriſtianæ ſunt expertes, alioſque libenter infeſtant, Chriſti ovile. ſive Eccleſiam, verè dici nequaquam poſſe.

‡ *Interdum enim homines*] Certum eſt oves Chriſti bifariàm dici, vel de illis quæ jam ſunt in ovili, vel de illis quæ ſuo tempore ſunt ad illud adducendæ; verùm talium aptitudo ad veritatem & *amplexandam & ſequendam*, nulla eſt interna & ſubjectiva; omnes enim aberrant in viis ſuis Eſ. LIII, 6. ſed tantum

tum objectiva per Dei æternam & liberrimam electionem, juxta quam ſuo tempore à ſuis erroribus miſericorditer, efficaciter & certò revocantur, & ad Chriſti cauſam traducuntur.

Cap. VII.

De Eccleſiæ Paſtore.

645. SEquitur, ut de ovilis iſtius paſtore videamus; idque ita, ut ante omnia ipſum Paſtoris vocabulum diſcutiamus. Intelligendum igitur eſt, illud vel imperium, quod quiſpiam in alios habeat, ſignificare, vel ſimplicem rerum alicujus fidei commiſſarum procurationem declarare. Primò igitur duplex imperium nomini iſti ſubjicitur, humanum nimirum & divinum. Humanum, quo hominum corpora quiſpiam complectitur: Divinum, quod quiſpiam non in corpora tantùm hominum, ſed etiam in eorum animos tenet. Hoc rurſus, vel prorſus aliunde non dependet; quo pacto Deus ſummus Paſtor & Servator omnium dici poteſt; vel ex Dei pendet munere atque conceſſu. Et hoc quidem pacto Chriſtus magnus & bonus ille paſtor nominatur; (*Heb.* 13. 20. *Joh.* 10.) quippe quem ſummus ille Pater, non ſolùm ſingulariſſimâ diviniſſimâque ratione ovili iſti, id eſt, populo ſuo, præpoſuerit; ſed qui etiam ovium cauſâ nihil non perpeſſus fuerit; tantùmque illis bonum impertiverit, quantum poſt homines natos nullus præterea eis nec attulit, nec afferre potuit. Is enim, ut ad ſupremam paſtoratûs dignitatem perveniret, & ſic ovibus ſuis in perpetuum prodeſſet, animam ſuam pro illis poſuit. Unde effectum eſt, ut eas ex luporum faucibus ereptas, fovere, cibo ſalutari paſcere, earum morbis medicinam facere, cadentes excipere atque erigere, laborantibus auxilium ferre, divinâ poteſtate illas gubernare, omnia mala ab illarum capitibus propulſare, & tandem à ſempiterno interitu vindicatas, in æternæ beatitatis poſſeſſione conſtituere poſſet. De hac autem paſtoratûs ſignificatione hoc in loco potiſſimum loquimur: quippe quæ in Chriſtum Eccleſiæ paſtorem conveniat, qui à Petro paſtorum princeps, (1 *Pet.* 5. 4.) & à divino illo autore magnus paſtor (*d. l. Heb.* 13. 20.) ea de cauſa nominatur, quòd, cum alii quoque Eccleſiæ curandæ præfecti ſint, & eam ob rem paſtores appellentur, omnes tamen ab hoc noſtro, utpote ab ipſo conſtituti, eique in hoc munere ſubſervientes, longè multumque ſuperentur.

‡ *Divinum quod quiſpiam*] Atqui *divinũ* hoc imperium, abſurdè diſtribuitur in dependens & independens; cùm divinum ſtatui nequeat, quin eoipſo ſummum &

Digitized by Google

mum & independens agnoſcatur: Nec tale cuiquam poteſt competere, *non in corpora tantum hominum, ſed etiam in eorum animos*, qui naturâ non ſit verus Deus & vita æterna, ut de Chriſto ſummo animarum noſtrarum paſtore loquitur Apoſtolus 1 Joh. v, 20. Itaque quæ elogia tribuuntur Jehovæ, ceu ſummo Paſtori, à Davide Pſ. XXIII, 2. applicantur expreſſiſſimè Chriſto Apoc. VII, 17. Nam ut David Jehovæ illic tribuit ſui reſpectu quod faciat ut in caulis herbidis recubet, & ſe deducat ſecundum aquas lenes, ita tribuitur hîc Agno, omniũ Sanctorum reſpectu, quod ipſe eos paſcat ac deducat ad vivos fontes aquarum. Ideo Chriſtus non tantum bonus Paſtor dicitur Ioh. x, 11. & magnus Paſtor ovium Heb. XIII, 20. ſed etiam ἀρχιποίμην 1 Pet. v, 4. ideſt ſummus ſive ſupremus Paſtor, vel ut alii reddunt, princeps Paſtorum; prout ἀρχιέρευς eſt ſũmus Sacerdos qui nullum ſupra ſe ejus ordinis ſacerdotem agnoſcit. Hinc referunt eruditi ad mortem ſummi noſtri Paſtoris, vocem illam circa inſulas Echinadas factam ad vectores, qui illas prænavigabant, commemoratam Plutarcho *in tract. de def. orac.* quæ nunciabat quod mortuus eſſet magnus Pan, ille ſcilicet qui τοῦ παντος nomine apud Arcadas colebatur, & de quo dixit Poëta, *Pan curat oves oviumque magiſtros.* Nec ſi Pater Filium œconomicè conſideratum & quà θεάνθρωπον, præfecit ſuo ovili in regno Gratiæ, hinc ſequi debet Filium theologicè conſideratum, non eſſe cum Patre conſortem, ut ejuſdem potentiæ & naturæ, ſic ejuſdem poteſtatis & imperii Paſtoralis in regno naturæ: Tantum enim abeſt ut id ſit ſtatuendum, ut è contrario certum ſit, prius illud Filio non potuiſſe tribui, niſi hoc poſterius ei jam conveniſſet: Et cùm agnoſcat Adverſarius Paſtoratum Chriſti longè alium eſſe ab eo qui convenit Eccleſiæ Miniſtris, qui *ſimplicem rerum fidei ſuæ commiſſarum procurationem* ſonat; adeo ut omnes illi qui *curandæ Eccleſiæ præfecti ſunt* & *eam ob rem Paſtores appellantur*, *longe multumque* ſubſidant infra Chriſtum, ut ipſe fatetur Volkelius, nec poſſit ſimile diſcrimen aſſignare inter Paſtoratum Patris & Filii, cùm in utroque *divinum* agnoſcat *imperium, non in corpora tantum hominum, ſed etiam in eorum animos*, cujus etiam adminiſtratio per Chriſtum *divinâ poteſtate* procedit, quæ in ſubjecto divinam ſupponit potentiam; quod ſanè in nullam moram creaturam cadere poteſt; non erat cur tã operoſè diſtingueret inter hęc duo niſi voluiſſet hac ratione quaſi aliud agendo, æternam Chriſti Deitatem impugnare. Adde quod dum tribuit Chriſto *ſupremam paſtoratus dignitatem*, invitus evertit hanc ſuam diſtinctionem: Nam in ejuſdem *imperii* poteſtate, poſſunt quidem conjungi duæ perſonæ, quibus illud indiviſim competat; non poſſunt verò fingi duæ *ſupremæ* poteſtates, quarum alia ſit dependẽs alia independens; quia *ſupremo* nihil majus aut ſuperius poteſt cogitari. Quod ſi dicas appellari Paſtoratum Chriſti ſupremum, in ordine ad gregarios Paſtores, quibus cura ovium competit ſine imperio, parum proficies. Cùm enim & hi dependeant à Patre æquè ac à Filio, ex hypotheſi tua Chriſtus medioximus, vel ſubalternus Paſtor foret dicendus inter ſummum & imos, non autem ſupremus.

Is enim ut ad ſupremam] Hoc eſt aliud monſtrum abſurditatum Socinianarum; Nec enim Chriſtus factus eſt Paſtor ſuarum ovium, propterea quod *animam ſuam pro illis poſuit*; ſed è contrario ideo animam ſuam pro illis poſuit, quod eſſet earum ſupremus Paſtor, ut ſuâ pro illis & illarum loco morte, eas ex mortis & lupi infernalis *faucibus* eriperet, ereptaſque foveret, cibo ſalutari paſceret, &c.

Quam quidem rem, quò magis doceamus, veniendum eſt ad alterum hujus nominis ſignificatum, id eſt, ad ſimplicem Eccleſiæ procurationem, quæ, excluſa omni dominatione, illis commiſſa eſt, qui ſeniores in divinis literis nominantur. Qnorum officium Petrus ut luculentiſſimè exprimeret, hunc in modum eos alloquitur: (1 *Pet.* 5. 1.) *Seniores cohortor, ipſe quoque Senior, & Chriſti ſuppliciorum teſtis, & idem repræſentandæ gloriæ*
146. *ſocius: paſcite ovile Chriſti, non inviti, ſed ſponte curantes, non avarè, ſed alacriter, neque ut ſortibus* (ſeu *gregibus, qui veluti ſorte vobis obtigerunt*) *imperantes, ſed ut qui ovilis exempla ſitis. Ita fiet, ut cùm advenerit paſtorum princeps, nunquam flacceſcentem gloriæ coronam accipiatis.* Quo in loco cernimus, unum tantùm paſtorum principem eſſe; reliquos verò paſtores omnes imperio dominatuque prohiberi, parique ratione Dominicum gregem paſcere juberi; & porrò neminem, præter Chriſtum, in eo honoris faſtigio conſtitutum eſſe, ut tanquam caput reliquis dominetur. Quo fit, ut eorum audaciam ſatis mirari nequeamus, qui Papam ſuum omnium paſtorum principem atque magiſtratum facere non dubitant: cum hæc Petri, cui Papam ſucceſſiſſe iſti volunt, verba ei rei tam apertè refragentur. Atqui, inquiunt, cùm Papa ſucceſſor Petri ſit, fatendum eſt, eum tunc à Domino Jeſu paſtorum magiſtrum conſtitutum fuiſſe, cùm Petrum ſolum alloqueretur, utque ipſius oves paſceret, imperaret. (*Ioh.* 21. 15, 16, 17.) Nos verò utrumque pernegamus. Nam nec ulla ratio eſt, quæ vel leviter ſuadeat, Papam Petri in iſto Eccleſiam paſcendi munere ſucceſſorem eſſe; nec Petrum, nedum Papam paſtorum principem factum fuiſſe, ex Chriſti verbis ullo pacto concludi poteſt. Quòd enim Chriſtus ſolum Petrum ter ſuas oves paſcere jubet, quid hoc, quæſo, ad iſtum primatum conſtituendum ponderis afferre poteſt? Cum longè aliam ejus rei cauſam ſubeſſe facilè intelligi queat: nimirum conſentaneum fuiſſe, ut, qui ſolus ter Chriſtum abnegaverat, eaque de cauſa Apoſtolatu excidiſſe meritò cenſeri poterat, idem ſolus ternâ ovium commiſſione veluti in loco ſuo reponeretur, ſeu mavis, eo munere ac dignitate non excidiſſe ſignificaretur. Quid, quòd & ideo ter Dominum Petro ovium curam commiſiſſe veriſimile eſt, ut is rem ſeriam maximique ponderis negotium ſibi concredi intelligeret. Res enim hujuſmodi, cùm inculcare cuipiam volumus, ſæpiùs repetimus. Alioquin autem nihil hîc Petro imponi videmus, quod etiam reliquis jam impoſitum non fuerit, ut nimirum ovium Chriſti ſalutem omnibus curarent modis, easque ſaluberrimo cœleſtis doctrinæ pabulo nutrirent: ut facilè appareat, ex eo, quòd quiſpiam Chriſti oves paſcere

jubetur,

jubetur, nequaquam conſequi, in univerſali quodam paſtoratûs munere
imperioque, quod in reliquos omnes, ſive greges, ſive paſtores, atque
adeò in ipſos Chriſti Apoſtolis teneat, aliquem conſtitui. Ex quo ſit, ut,
ſi maximè aliquem Petro ſucceſſiſſe concederemus, nequaquam tamen id
ad primatum illum dominatùmve referri poſſit; quippe quem nec ipſum
Petrum habuiſſe planiſſimè conſtet. Alia igitur Papæ dominatus quærenda
eſt ratio, præter confictam hanc ſucceſſionem. Conſtantinus nimirum (ut 647.
quidem ipſi jactant ac ſcribunt Romanenſes) privilegium Romanæ Eccle-
ſiæ Pontifici contulit, ut in toto orbe Romano ſacerdotes ita hunc caput
habeant, ſicut judices Regem. Item: Sentimus, inquit, ut principatum
teneat, tam ſuper quatuor ſedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hiero-
ſolymitanam, & Conſtantinopolitanam, quàm etiam ſuper omnes in uni-
verſo terrarum orbe Eccleſias Dei. (*Diſt.* 66.) Hinc efficitur, tantum
abeſſe, ut primatus iſte ſucceſſionis jure à Petro in Papas ſit derivatus, ut
ne fando quidem, tum ipſius Petri, tum eorum, qui mox illum ſubſecu-
ti ſunt, memoriâ auditum fuerit, extare aliquem Chriſti diſcipulorum,
qui reliquos imperio ſuo complectatur. Omnes quippe paſtores atque Epiſ-
copi muneris iſtius ratione tunc æquales fuerunt, ut à multis pietate at-
que eruditione præcellentibus viris traditum eſt. Qua de cauſa ſupervaca-
neum etiam fuerit, plura hac de re dicere.

† *Conſtantinus nimirum*] At meminiſſe debuiſſet Volkelius illud *Cap. Conſtantinus* quod extat apud Gratianum, non *diſt.* 66. ut notavit adverſarius, ſed *diſt.* 96. *Paleam* inſcribi à Gratiano, & ab hominibus communionis Romanæ pudentioribus & doctioribus pro ſuppoſititio haberi: Quod obiter moneo, non quò propugnem cauſam Romanenſium, quam aliàs agnoſco hic ſatis nervoſè impugnari, ſed quò conſtet hunc ſcriptorem non ſatis ſemper attendiſſe ad ea quæ chartæ illinebat.

Cap. VIII.

In quo oſtenditur, qua ratione Eccleſia veritatis columna & firmamentum dicatur.

QUartum Eccleſiæ elogium eſt, quòd columna & firmamentum veritatis appellatur. (1 *Tim.* 3. 15.) Quod quidem inſignem illius continet dignitatem atque præſtantiam. Columnæ quippe veritatis appellatio duo complectitur attentâ conſideratione digniſſima; quorum altero conſtituitur, Eccleſiam Chriſti ſalutarem veritatem tenere: altero verò intelli-

gitur, ſalutarem diſciplinam nonniſi ab Eccleſia ejusque membris foveri, defendi, atque propagari. Ac primum quidem per ſe manifeſtum eſt: cùm nemo dubitare queat, quin hoc loco *veritatis* nomine, ex frequenti ſacrarum literarum novi fœderis uſu, doctrina Chriſti ſalutaris intelligatur. (*Ioh.* 8. 32. *Eph.* 1. 13. *Col.* 1. 5: 1 *Tim.* 2. 4. *Tit.* 2. 1. *Iac.* 1. 18.) Salutarem porrò doctrinam eam dico, ſine qua vitæ æternæ poſſeſſio haberi non poteſt. Sunt quippe & alia, quæ, tametſi veriſſima ſunt, atque ad religionis negotium ſpectant, ad ſalutem tamen planè neceſſaria non ſunt, ac porrò abſque ſalutis jactura ignorari queunt, licèt eorum cognitio ad ſalutem utilis cenſeri, & ſtudioſè quæri debeat. Illam igitur veritatem vera Chriſti Eccleſia abſque ullo errore tenet. in cæteris verò rebus labi eam errareque poſſe inde perſpicitur, quòd nulla cauſa eſt, quin id fieri poſſit; nec unquam Chriſtus eam ab omni ſemper errore tutam fore pollicitus eſt. Quin potiùs Pontificii toto cœlo errant, qui hoc Pauli teſtimonio, Eccleſiam ab omni prorſus errore quàm longiſſimè abeſſe, comprobari putant, ut
648. ex dictis intelligi poteſt. Verùm cum iidem alia etiam ſcripturæ ſacræ teſtimonia adducant; videndum eſt, quantam vim ea ad hunc errorem ſtabiliendum habeant.

† *Quin potiùs Pontificii*] Sed addendum fuiſſet, *veritatis* ſive ſalutaris doctrinæ notitiam in abſolutè neceſſariis ad ſalutem, convenire multitudini ritè credentium; at Pontificios diſputare de infallibilitate Eccleſiæ illius quam repræſentativam vocant, ideſt vel Pontificis ſolius, vel Conciliorum generalium; adeoque hunc locum 1 Tim. III, 15. pro illis non facere, qui nec de Pontifice nec de paſtoribus tantum loquitur, ſed de domo Dei viventis, ideſt de multitudine fidelium.

Primò igitur aſſerunt, Chriſtum eum Eccleſiæ ſuæ ſpiritum promiſiſſe, qui illam in omnem induceret veritatem. (*Ioh.* 16. 13.) Atqui animadvertendum eſt, Chriſtum eo loco non univerſæ Eccleſiæ, ſed Apoſtolis tantùm Spiritum illum promittere, illamque omnem veritatem ibi commemorare, quæ ad Apoſtolici muneris adminiſtrationem ſpectabat, quâque *deſtituti*, illo rectè perfungi non poterant, quemadmodum ex ipſo loco ſatis perſpicuum eſt.

† *Atqui animadvertendum*] Etſi hæc promiſſio Joh. XVI, 13. ſpecialiori modo pertinuerit ad Apoſtolos, ceu primos fũdatores Eccleſiæ Chriſtianæ & conditores Canonis Novi Teſtamenti, quos omninò decuit conſtitui extra omnem erroris aleam, & deduci in omnem veritatẽ; tamen pertinet etiã ſuo modo & ad ſingulos fideles, & ad totam illam credentium multitudinem, quam modò Volkelius fatebatur

fatebatur *veritatem* illam, quæ ſita eſt in ſalutari doctrina, quantum ad ſimpliciter neceſſaria, *abſque ullo errore* tenere. Quare ut illa promiſſio quatenus ſe extendit ad ſingulos Dei filios, quos etiam certum eſt, donari Spiritu veritatis, & ab eo regi ac dirigi in ſuis viis, hos non facit infallibiles, ſic multo minus ex illa poſſunt ſibi ἀναμαρτησίαν tribuere, vel Pontifices Romani, vel Paſtores alii Eccleſiæ, ut pote qui cùm acceperint in Canone Apoſtolico, normam veritatis omnis, illi ſe tenentur ſubjicere, non verò poteſtatem ſimpliciter Apoſtolicam ſibi tribuere.

Quòd verò Chriſtus ait, (*Ioh.* 14. 16.) ſpiritum illum in perpetuum Apoſtolis adfuturum; id quidem nullam aliam vim habet, quàm nunquam futurum, ut, dum quidem officii illius munus exequerentur, eo carerent; neque eum, quemadmodum Chriſtus ipſe fecerat, ad tempus tantùm cum illis commoraturum, & poſtea ab illis receſſurum, ſed usque ad vitæ finem, ſi modò ipſi in ſtatione ſua perſiſterent, cum illis permanſurum. Voces enim *in æternum*, vel *in ſeculum*, ad naturam rei ſubjectæ, cui tribuuntur, & hîc & alibi accommodandæ ſunt. (*Exod.* 21. 6. *Deut.* 15. 17. *Pſ.* 30. 13: 52. 11: 61. 5, 9: 75. 10: 119. 93, 98, 111, 112: *Ioh.* 13, 8: 1 *Cor.* 8. 13, *Philem:* ꝟ. 15.)

‡ *Quod verò Chriſtus*] Fatemur voces illas *in æternum* vel *in ſeculum*, pro ſubjecta materia eſſe plerumque reſtringendas, ut neceſſe non ſit in loca hîc citata Volkelio propiùs inquirere, & examinare num ubique reſtrictivè uſurpentur: Sed illi reſtrictioni non eſt locus circa locum Ioh. XIV, 16. Nam eodem ſenſu ait Chriſtus *Spiritum illum in perpetuum adfuturum ſuis*, quo dicebat Apoſtolis Matt. XXVIII, 20. ſe cum illis futurum uſque ad conſummationem ſeculi: Hoc enim non ad ſolas Apoſtolorum perſonas ſpectat, ſed ad eos omnes, qui Apoſtolicæ & ſalutari doctrinæ eſſent inhæſuri, ut liquet ex promiſſione quæ legitur Eſ. LIX, 21. Sed permanſio illa & continuatio præſentiæ Spiritus Sancti, toti Eccleſiæ poſt Apoſtolos etiam promiſſa, non debet primò intelligi in eodem aſſiſtentiæ infallibilis gradu, quem obtinebant Apoſtoli ceu Canonis conditores; nec debet ſecundò ad alios extendi quam ad verè pios & fideles, cujuſcunque ſine nationis & conditionis: non verò eſt reſtringenda ad Pontifices, aut Epiſcopos infulatos, ut inde ſibi aliquid ſumant de ſupercilio Phariſaico, ut quantumlibet profani, hypocritæ & impii, gaudeant infallibili aſſiſtentiâ Spiritus Sancti, & pro Spiritus Sancti decretis ſint recipienda, quæcunque illi pro Dictatoria ſua poteſtate, etiam contra evidens lumen Scripturarum, proponere & definire voluerint.

Si modò ipſi] Hæc conditio fruſtra hîc apponitur: cùm is promitteretur Spiritus, aliàs non illis adfuturus *in perpetuum*, qui ſuâ præſentiâ efficeret ut conſtanter perſeverarent in ſuo officio, & *in ſtatione ſua perſiſterent*. Spiritus Sancti præſentia & gratia in ſanctis, non ſubditur eorum arbitrio, ut vellent iſti Neopelagiani, ſed illi præficitur, & ab ea ad officii præſtationem & perſeverantiam finalem, inſuperabiliter quidem, ſed tamen incoactè, determinatur Phil. II, 13.

Hic verò inſtabunt, Eccleſiam Chriſti corpus eſſe, & ideo illius ſpiritu gubernari, qui eam in aliquo verſari errore nequaquam patiatur. Reſpondemus autem, Chriſti corpus eſſe, ejusque ſpiritu gubernari, & in illis rebus errare, quæ citra ſalutis jacturam ignorari poſſunt, nequaquam inter ſe pugnare. Si enim pugnarent, ſequeretur, nullum prorſus ex vivis corporis Chriſti membris, nedum plura ac nobiliora, multò autem minùs integras Eccleſias, easque quàm plurimas, in errore vel minimo hærere poſſe. quandoquidem ut totum Chriſti corpus, ita omnia viva illius membra, Chriſti ſpiritu reguntur. At fatentur ipſi adverſarii, non tantùm ſingula Eccleſiæ membra, eaque nobiliora, qualia apud ipſos ſunt veteres Eccleſiæ Doctores, ſeu Patres, quos vocant, ſed integras etiam Eccleſias, easque innumeras, in errore aliquo verſari poſſe. Unde ipſimet & plurimos diverſorum Patrum, & plurimarum Eccleſiarum errores, quorum nonnulli diu admodum viguerunt, notant atque demonſtrant. Satis eſt ad id, ut quis ſpiritu Chriſti regi dici queat, eum ſalutarem ipſius doctrinam & tenere, & in vita ſequi, etiamſi in multis aliis rebus, quæ ſalutem non eripiunt, erret. Urgent tamen, & hunc in modum occurrunt, quî nimirum fieri poſſit, ut ullo errore Chriſti Eccleſia implicetur; cùm nec inferni portæ eam ſuperare queant. Sed conſecutionis in hoc argumento nulla eſt ratio.
649. ‡ Animadvertendum enim eſt, infernum in ſacris literis mortuorum ſtatum, ut ſuo loco à nobis demonſtratum eſt, (*lib. 5. c. 16. Eſa. 38. 10. Iob. 38. 17: Pſal. 9. 15: 107. 18.*) ſignificare; pro ipſo autem inferno nonnunquam *portæ inferni*, ut pro morte, portæ mortis, eadem ſignificatione ponuntur. Quare cùm Chriſtus ait, portas inferni non prævalituras adverſus ipſius Eccleſiam, id ſibi vult, infernum ejusve portas, non ita fore validas, ut Eccleſiam, ejusque viva membra detinere queant, itaque claudant pios, ut ii, portis illis apertis atque effractis, inde evadere nequeant. Id autem veriſſimum eſt, etiamſi in ejusmodi hæſerint errore, qui circa res ad ſalutem neceſſarias non verſetur, ut res ipſa indicat.

‡ *Animadvertendum enim eſt infernum*] Portæ inferorum & mortis, aliquid amplius denotant Matt. XVI, 18. quam mortẽ aut *ſtatum mortuorùm*: Certè *θάνατον ᾅδης* ſequitur Apoc. VI, 8. atque hęc duo paſſim diſtinguuntur, & epulo poſt ſuum obitum conjicitur in infernum ubi graviſſimè torquetur Luc. XVI, 23. Nec dubium quin *ᾅδης* in hoc loco idem ſit quod *abyſſus*, ſive ſedes impurorum illorum ſpirituum, quorum omnia molimina tendunt in perniciem Eccleſiæ. Significant itaque portæ inferorum quicquid eſt & virium & conſiliorum in ipſo Diabolo, penes quem eſt mortis robur & imperium Heb. II, 14. Metaphorâ deſumptâ à ritu Veterum, qui in portis urbium, & ſuos conventus politicos agebant de Rep. deliberaturi, & ſua habebant armamentaria & præſidia, inde in hoſtes excurſuri ac eos expugnaturi. Inferos

verò

Digitized by Google

verò & abyſſum Satanæ ſedem, ex qua bellum ἄσπονδον, licet ipſi inutile, gerit cum Eccleſia, nemo eſt qui ex Scripturis non intelligat 1 Cor. xv, 55. Luc. viii, 31. Apoc. ix, 1, 2. xi, 7. xvii, 8. In locis à Volkelio citatis portæ mortis vel ſepulchri nihil aliud notant, quam *limina Ditis*, id eſt ingreſſum ſepulchri vel aditum ad ſepulchrum & mortem; quæ ſignificatio non poteſt hîc obtinere, ubi portæ non pro ingreſſu aut introitu ſumuntur, ſed pro vi & conatu hoſtili, quæ certò dicuntur non prævalituræ. Si quem tamen juvet cum Grotio, hauriente ex Socinianis & Quiſtorpio Grotium tranſcribente, hanc promiſſionem de reſurrectione certò futura fidelium interpretari, ſēper nihilominus cōprehendet indubiam eorum perſeverantiam in fide & veritate. Cùm verò hæc promiſſio ad ſolos Dei electos & veros fideles ſpectet, fruſtrà traheretur ad Eccleſiam repræſentativam, ſive in Pontifice, ſive in Conciliis; cum nec ille, nec qui ſuffragium ferunt in illis, ſint ſemper verè pii, & habeant indubitata ſuæ Prædeſtinationis γνωρίσματα.

Alterum, quod in hoc Pauli teſtimonio Eccleſiæ dignitatem conſtituit, eſt, eam ſolam, ſolave illius membra ſalutarem veritatem fovere, defendere, ac propagare, illiuſque quoddam quaſi domicilium eſſe. Id quod ita ſeſe habere res ipſa docet. Tanto enim vinculo veritas ſalutaris cum Chriſtiano populo conjuncta eſt, ut quatenus ea inter homines viget, ab illiſque intelligitur atque defenditur, nunquam ab illo disjungi poſſit. Dico autem, ex ea parte rem ita ſeſe habere, quatenus veritas iſta in hominum animos dominatur, ſeu ab iis agnoſcitur, atque aſſeritur, ut, quousque ſeſe columnæ firmamentique metaphora porrigat, intelligi poſſit: ‡ nimirum non eò usque, ut niſi ſit Eccleſia, veritas nullo planè pacto conſiſtere, atque ad hominum memoriam conſervari, & ſic denuò agnoſci atque in lucem proferri poſſit: cum ea non modò in Deo reſidere, ſed etiam in divinis literis incluſa teneri queat: ſed ut, quemadmodum diximus, dum quidem apud homines locum habet, ſeu ab iis cognoſcitur, & apertâ profeſſione adſtruitur, nonniſi in vera Chriſti Eccleſia eam inveniri perſuaſum habeamus. Intelligendum autem eſt, Paulum his verbis nihil aliud docere, quàm Chriſtianum populum longè multumque omnibus aliis hominum cœtibus ac congregationibus, religionem aliquam profitentibus præſtare. Opponit quippe eandem Chriſti Eccleſiam, tum Judæis incredulis, tum Ethnicis, ut ſimul & illos, qui veritatis notitiam ſibi falſò arrogant, mendacii arguat, & Chriſtianæ religionis ſtudio omnes incendat.

‡ *Nimirum non eo uſque*] Hoc per impoſſibile ſuppoſito, quod nulla ſupereſſet Eccleſia Dei inter homines, illa quidem *in Deo* adhuc reſideret, ſed memoria ejus planè obliterareretur. Unà enim cum Eccleſia, divinę perirent literæ, ejus fidei & cuſtodiæ concreditæ, adeoque pereunte Eccleſiâ veritas in illis *teneri* & aſſeruari nequiret.

Conſtat igitur, omnes hominum cœtus, qui in ſalutari veritate errant; & ideo eam non fovent, non promovent, ſed ejus loco funeſtiſſimos alunt ac tuentur errores, nihil minùs quàm veritatis columnam firmamentumquè eſſe, & ſic Eccleſiæ veræ nomen nullo jure uſurpare. Ex quo conſequitur. Eccleſiam Romanam injuriâ hunc ſibi titulum arrogare. ‡ Qui enim
650. veritatem ſalutarem habent, ii nequaquam in tanto mentis errore verſari poſſunt, ut ea credenda faciendaque ſtatuant, quæ veræ pietati adverſantur, & ab æterna ſalute homines repellunt. Ex quo genere eſt Idololatria, quâ omnes Pontificiæ diſciplinæ deditos, ex ipſius natura obſtrictos eſſe oportet. Quis enim illorum eſt, qui Euchariſtico pani divinum cultum non adhibendo, qui Mariæ aliorumque defunctorum opem non implorando, & iis cum animi religione non ſerviendo; qui denique ante imagines non procumbendo, easque venerando, Catholicum ſeſe audeat dicere? Quæ omnia quantopere à Chriſtiana religione, & porrò à vera Eccleſia abhorreant, jam alibi ſatis demonſtratum eſt. (*lib.* 4. *cap.* 10. *lib:* 5. *c.* 24, 25.) Taceò innumera alia Pontificiorum dogmata, & aniles, ut alicubi loquitur Apoſtolus, (1 *Tim.* 4. 7.) fabulas, quæ inter illos vigent, & cum ſalutari Chriſti doctrina nihil prorſus conjunctum habent.

‡ *Qui enim veritatem*] Hoc axioma tale eſt ut non videatur conciliari poſſe cum doctrina de libero arbitrio, plus quam Pelagiana, quam Sociniani propugnant.

Quis enim illorum eſt] Sed quis pariter Socinianorum, ſe profitebitur membrum veræ Eccleſiæ, dum eum Jeſum vult colere & adorare cultu divino, quem eſſe naturâ Deum præfractè negaverit? *Turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum.*

Cap. IX.

De poteſtate Eccleſiæ.

Respondente ad hoc & ſequens caput

THEODORO CAUTIO Anhaltino.

HActenus aliquot Eccleſiæ Chriſti elogia expendimus, quæ in ſignem ejus oſtendunt dignitatem: reſtat, ut de illa dignitatis Eccleſiæ parte agamus, quæ ſita eſt in poteſtate ei conceſſa. Eſt autem Eccleſiæ poteſtas nihil aliud, quàm ſecùndum Chriſti doctrinam ejusdemque analogiam, rei cujusdam perficiendæ facultas. Quam quidem Eccleſiæ autoritatem poteſtatemque non exiguam eſſe, partim ex iis, quæ ſuperiùs diximus, conſtare poteſt, partem ex iis, quæ dicturi ſumus, conſtabit. Tametſi enim certis

certis limitibus circumſcripta eſt, ut nimirum à Chriſti inſtitutis ne latum quidem unguem recedat; magnum tamen eſt, tanti mariti uxorem eſſe, ex ipſiusque mente omnia facere moderarique poſſe; adeò ut in ipſum Chriſtum peccare eum neceſſe ſit, qui Eccleſiæ ea in parte reſiſtit, ejusque autoritatem contemnit.

‡ *Hactenus aliquot*] Quæ hactenus de Eccleſia ſunt diſputata, ſpectarunt revera multitudinem credentium: At cùm poteſtatis Eccleſiaſticæ exercitium ad Eccleſiæ Miniſtros ſive Paſtores maximè ſpectet, non video cur ea toti illi multitudini deputetur; cùm tota illa multitudo, ſaltem diſcretivè conſiderata in ſingulis ſuis membris, ſit objectum adæquatum illius poteſtatis, circa quod ſolùm nec ulteriùs ea exercenda eſt.

Hæc porrò poteſtas vel ad ritus ſpectat, vel ad perſonas eorumque. Nam ad dogmata eatenus tantùm pertinet, quatenus eadem illorum, quæ factorum eſt ratio: cùm nimirum quæritur, utrùm hic aut ille, qui certum aliquod dogma fovet, in Eccleſia tolerandus, an ab ea arcendus ſit. Dogmata nova conſtituere, alioſque in ſententiam ſuam adigere, Eccleſiæ non eſt, ſed illius, qui vel res ipſas, vel hominum conſcientias cogere, iisvè imperare queat, ipſamque adeò Eccleſiam habeat in poteſtate: qui quidem nonniſi Deus ac Chriſtus eſt. Eccleſiæ potiùs eſt, imò & ſingulorum fidelium, maximè eorum, qui docendi funguntur munere, dogmata à Deo Chriſtoque tradita diligenter cognoſcere, ea tenere, aliis perſuadere, & rationibus abſque violentia defendere ac propagare. Neque enim Eccleſia fidei 651.
cujusquam, atque adeò ſuæ ipſius (ipſa enim ex ſingulis conſtat fidelibus) dominatur, eamque pro arbitrio ſibi ponit; ſed alienum ea in re ductum ſequi debet. Itaque dogmata, quæ fortè à quopiam proponuntur, examinare, de eorum veritate aut falſitate aliquid ſecum conſtituere, ac porrò aliis & exponere, & argumentis modeſtè defendere, id & omnium eſt, & ſingulorum, imprimis autem, uti diximus, Eccleſiæ doctorum, eorumque, qui eximiâ præ cæteris rerum divinarum ſcientiâ ſunt inſtructi: quò pertinet illud Pauli, *Omnia probate, & quod bonum eſt tenete.* (1 *Theſſ.* 5. 21.) Item, *Prophetæ duo aut tres loquantur, cæteri dijudicent:* (1 *Cor.* 14. 29.) Huc & illa Joannis admonitio pertinet, *Filioli, ne cuivis ſpiritui credatis, ſed probate ſpiritus, an ſint ex Deo.* (1 *Ioh.* 4. 1.) Hanc enim poteſtatem niſi haberent fideles, quo pacto ſibi caverent, ne ſeſe quis philoſophiâ fallaciâque vanâ prædaretur, ex hominum inſtitutione mundique rudimentis? (*Col.* 2 8.) Vel quomodo vitarent canes, malos operarios, & conciſionem? (*Phil* 2. 2.) Vel quomodo illos effugerent, qui ſeditiones & offenſiones contra Chriſti do-

ſti doctrinam excitant? (*Rom.* 16. 17.) Vel quomodo hominem ſectarium poſt unam atque alteram admonitionem fugerent? (*Tit.* 3. 10.) Vel quomodo ſe ab illis ſejungerent, qui diverſam ſequuntur doctrinam, neque ſanis Domini noſtri Jeſu Chriſti dictis pietatiſque doctrinæ accedunt? (1 *Tim.* 6. 3.) Vel quomodo denique illa Joannis præmonitio ullum haberet locum, (2 *Ioh.* ꝟ. 10.) *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum, nec ave ei dixeritis: qui enim dicit ei ave, communicat operibus ejus malis?* Quia verò tum ſingulorum fidelium, tnm totius Eccleſiæ judicium ad certam aliquam regulam ac normam conformari oportet, ſi modò errare nolit; hæc autem norma omnium confeſſione Dei verbum ſit: illud ſemper ante oculos tum tota Eccleſia, tum ſingula ejus membra in judicando habere debent. Verbum autem Dei abſque erroris ſuſpicione non aliunde, niſi ex ſacris literis, de quarum veritate univerſus Chriſtianus orbis conſentit, peti poteſt; ac porrò nulla alia Eccleſiæ in dijudicandis ſententiis ac controverſiis adhibenda eſt norma: non excluſâ interim ſanâ ratione, ſine qua ne ex ſacris literis quidem quicquam rectè decidi aut concludi poteſt.

‡ *Non excluſâ interim*] Si nempe eò concurrat miniſterialiter, non principaliter, ut oculus ſanus concurrit ad panni menſurationem, non per modum ulnæ vel normæ, ſed per modum luminis & judicii de panni ad ulnam proportione aut diſproportione; Et dum volunt Sociniani ad *ſanæ* rationis tribunal, ceu ſupremum, recurrere, nihil efficiunt: cùm quiſque putet & pertendat ſanâ ſe uti ratione, & quandoque eveniat ut amentes vel ebrii alios cœterà ſobrios & ſanos putent inſanire, ut Feſtus perperam de Paulo judicabat Act. XXVI, 24. Nec poteſt Socinianus alicunde demonſtrare, quod ſua ratio meæ debeat dominari, aut quod meam, ceu morbidam, ſuæ ceu ſaniori, debeam ſubjicere.

Unde colligitur, ipſam ſcripturam Eccleſiæ judicio ſubjici non debere, ſed Eccleſiæ potiùs judicium ſcripturæ ſubjiciendum, eive attemperandum eſſe. In quam ſententiam ab Auguſtino ita ſcriptum legimus: (*Contra Creſconium.*) *Non ſine cauſa, tam ſalubri vigilantiâ canon Eccleſiaſticus inſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertineant, quos omninò judicare non audeamus, & ſecundùm quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium, liberè judicemus.* Et alibi: *Spirituales ergo, ſive qui præſunt, ſive qui obtemperant, ſpiritualiter judicant, non de cognitionibus ſpiritualibus, quæ lucent in firmamento:* (id eſt, ſcriptura ſacra ut eodem libro cap. 15. ipſe explicat:) *non enim oportet de tam ſublimi autoritate judicare, etiamſi quid ibi non lucet; quoniam ſubmittimus ei noſtrum intellectum, certumque habemus, etiam quod clauſum eſt aſpectibus noſtris, rectè veraciterque dictum eſſe. Sic enim homo, licèt jam ſpiritualis, & in agnitionem Dei renovatus, ſecundùm imaginem ejus, qui creavit eum, factor tamen legis eſſe debet, non judex.* Et ibidem:

652.

De his

Digitized by Google

De his enim judicare nunc dicitur, in quibus & corrigendi poteſtatem habet. Hæc
ille. Quare non eſt admittendum id, quod tanquam ex ejuſdem Auguſtini
ſententia Pontificii aſſerunt, ſcripturam nonniſi Eccleſiæ judicio ac ſuffra-
gio pro autentica haberi poſſe, adeoque majorem Eccleſiæ, quàm ſcriptu-
ræ autoritatem eſſe. Dicent, ad canonicorum librorum numerum conſti-
tuendum, eorumque fidem adſtruendam, autoritate eccleſiæ opus fuiſſe at-
que eſſe. Hîc ſi de autoritate teſtimonii Eccleſiæ primævæ, quæ optimè
ſcire poterat, qui libri verè ab Apoſtolis viriſque divinis ſcripti eſſent, qui
minùs, loquantur; facilè eam autoritatem veteri illi eccleſiæ concedemus,
vel potiùs aſſeremus. Sed quid hoc ad poteſtatem judiciariam, quæ hodie
quoque eccleſiæ competat? Alia teſtis eſt autoritas, alia judicis poteſtas; &
alia primævæ, alia hodiernæ eccleſiæ hac in parte eſt ratio. Adde, quòd
eccleſiæ teſtimonium nequaquam eam vim habet, ut ſcripturam autenticam
efficiat. Non enim, quia eam eccleſia autenticam eſſe teſtificatur, ideò au-
tentica eſt: ſed contrà, quia autentica eſt, idcirco hoc ipſum eccleſia te-
ſtificari poteſt. Habet quippe ſcriptura alia ſatis firma veritatis ſuæ funda-
menta. Quare inde nequaquam conſequitur, majorem illius, quàm hujus
autoritatem eſſe.

Hîc autem detruncatam illam Auguſtini ſententiam in medium afferent,
quâ ſeſe ſcripturæ crediturum fuiſſe negat, niſi eum eccleſiæ moviſſet au-
toritas. Hinc enim conſequi, ab eccleſiæ autoritate pendere autoritatem
ſcripturæ, & illam hac majorem eſſe. Quæ Auguſtini verba ſi eo animo ab
ipſo uſurpata fuêre, quo volunt adverſarii, dico, nos unius hominis au-
toritate atque exemplo ad ſententiam iſtam nequaquam aſtringi: cum,
ut alibi demonſtratum eſt, aliâ ratione ac viâ ſcripturæ veritas & agnita ſit,
& agnoſci poſſit: ſi verò alio animo ab eo fuêre prolata, omnis certè Pon-
tificiorum, quam hinc ſibi parare ſtudent, autoritas concidit. Alio autem
animo Auguſtinum his verbis uſum fuiſſe, is animadvertet, qui locum ali-
quantò diligentiùs inſpexerit. Ipſe enim verborum contextus ſatis indicat,
cum; poſtquam in Manichæorum errore novem annos verſatus fuiſſet, tan- 654
dem eccleſiæ ſumma cum voluptate conſenſioneque in ſacris literis acqui-
eſcentis exemplo, ad iiſdem fidem adhibendam inflammatum fuiſſe. Hoc
verò ſi eſt majorem eccleſiæ, quàm ſcripturæ autoritatem eſſe; pari ratio-
ne, quia multi parentum ſuorum autoritate & exemplo moventur, ut ſa-
cris literis fidem adjungant; ſequetur, majorem illorum, quàm horum
autoritatem eſſe. Concludimus igitur, Auguſtinum non id ſibi voluiſſe,
ut majorem Eccleſiæ, quàm ſanctis literis tribueret autoritatem: ſed ut fi-
delium ſanctiſſimam conſpirationem, animorum conjunctionem, vi-

Digitized by Google

tæ integritatem; magno hominibus incitamento eſſe oſtenderet; ad divinam veritatem amplexandam.

‡ *Concludimus igitur*] Ex toto hoc diſcurſu & concluſione illius colligi poteſt B. Auguſtinum haberi à Volkelio pro genuino veræ Eccleſiæ Chriſti membro; licet tamen cordatè admodum & Antitrinitariis omnibus, & Pelagianis, ideſt Patriarchis Socinianorum, ex ipſis Sacris Scripturis in os reſtiterit.

Cap. X.

De ritibus Eccleſiaſticis.

SEd jam tempus eſt, ut eam Eccleſiæ poteſtatem, quæ in ritibus conſtituta eſt, explicemus. Rituum autem nomine ea omnia eccleſiæ inſtituta intelligimus, quæ cùm expreſſè mandata in divinis literis non ſint, non tamen vel interdicta, vel interdictis ſimilia ſunt, & ſic in illis numeranda, quæ à Theologis adiaphora ſeu indifferentia appellantur. In his igitur Eccleſia ſuam poteſtatem ita declararé poteſt, ut vel antea recepta retineat, vel, ſi opus fuerit, abroget, vel, ſi hoc divinæ gloriæ ratio poſtulet, alia conſtituat: hac tamen cautione adhibitâ, ne unquam ea præcipiat, quæ vel divino verbo repugnent, vel juſtâ ac legitimâ cauſâ deſtituantur, vel denique minimam etiam ſuperſtitionis, quæ religioni inimiciſſima eſt, ſpeciem habeant, & homines à ſpirituali Dei cultu ad externum ac ceremonialem abducere poſſint. Diligentiſſimè igitur providendum Eccleſiæ eſt, ut ea vel retineat, vel præſcribat inſtituta, quæ homines pietatis ſtudio incendant, quæ ad veram continentiam ac temperantiam adjumenti aliquid afferant, quæ denique ordinis pulchritudinem conſervent, & alias res laudabiles perficiant. Neque enim exiſtimandum eſt, hanc eccleſiæ poteſtatem infinitam abſolutamque eſſe, ut quæcunque velit, ſine ulla ratione conſtituat: ſed intelligendum eſt, paulò antè memoratis cancellis eam circumſcriptam eſſe, extra quos egredi nefas ſit.

Quod quò rectiùs intelligatur, duo hoc in loco conſideranda ſunt. Primò enim, quot ſint rituum iſtorum genera, videndum; deinde ponderandum eſt, quid Eccleſia in illis ſanciendis maximè ſpectet. Rituum igitur duo ſunt genera: quorum alterum publicum, alterum domeſticum eſt. Publici

654. rurſus vel externis quibusdam ſymbolis ac ceremoniis continentur, vel certis quibusdam exercitiis, pietati aliqua ratione inſervientibus. Quo in loco haud alienum fuerit, tum quomodo primæva illa Apoſtolorum Eccleſia in utroque rituum genere poteſtate ſuâ uſa fuerit: tum quo pacto

Digitized by Google

pacto id ab hodierna eccleſia fiat, fierique poſſit; perpendere.

‡ *Rituum igitur duo ſunt*] At ritus qui ſunt inſtitutionis divinæ, ut Baptiſmus, Cœna, χειροθεσία Miniſtrorum Eccleſiæ &c. Adiaphoris non debent annumerari.

Quod igitur ad externa ſymbola attinet; ſic primæva Eccleſia ſuam exercuit poteſtatem, ut, verbi cauſâ, circumciſionem, quamvis jam tunc nihil ponderis habentem, ad quoddam temporis ſpatium retinuerit, poſtea autem, Chriſti veritate invaleſcente, abrogaverit.

‡ *Quod igitur*] Id verò non pependit ex arbitrio primævæ Eccleſiæ; Sic enim ex hypotheſi Volkeliana in hodiernæ Eccleſiæ poteſtate foret Circumciſionis uſum inter Chriſtianos revocare: Sed Circumciſio eſt abrogata divinitùs, primum per ipſam Novi Fœderis inſtitutionem, juxta quam vetera omnia tranſierunt, & umbræ legales evanuerunt; Deinde communi conſenſu Synodi Apoſtolicæ, quæ improbavit à nonnullis malè feriatis Circumciſionem urgeri eorum è Gentilibus qui ſacra Chriſtiana amplectebantur, quaſi adhuc ritus proſelytiſmi juſtitiæ, per lotionem, circumciſionem & oblationem, forent retinendi Act. xv, 24. Et tertiò expreſſiſſimâ prohibitione Pauli Gal. v, 2. 4.

Votum quoque illud publicum, quod & Paulus in Judæorum gratiam fecerat, (*Act.* 18. 18. *c.* 21. 23, 24, 26.) non ſtatim antiquavit. Conſtituit inſuper Eccleſia illa, Apoſtolis & cæteris ſenioribus præeuntibus, ut Gentiles ad Chriſtum converſi, non ſolùm à turpiſſimo fornicationis flagitio abſtinerent; ſed etiam ab idolothytis, à ſanguine, & ſuffocatis ſibi temperarent. (*c.* 15. 28, 29. *& c.* 21. 25.)

‡ *Votum quoque illud*] Quo animo id votum ſuſceperit Paulus, conſtat ex 1 Cor. IX, 20. 21. 22. Non quod in illo ullam cultus rationem collocaret, ſed quò ſe accommodaret infirmioribus illis ex Judæis fratribus, qui cœterà Chriſtiani, nondum eò proceſſerant perfectionis, ut ceremonias legales ſepeliendas & abrogandas exiſtimarent. Verùm ut talium reſpectu, ſtudebat ſe accommodare eorum infirmitati & honeſtè Synagogam ſepelire, quâ ratione noluit Timotheum incircumciſum relinquere; ſic aliorum falſorum fratrum, aut obſtinatorum in Judaiſmo publicorum adverſariorum reſpectu, libertatis Chriſtianæ paſſim ſe vindicem præbuit acerrimum, & Titum præputiatum remanere voluit. Quantum ad decretum Synodi Hieroſolymitanæ Act. xv, 28. 29. & xxi, 25. fallitur Volkelius meo judicio, & quod turpiſſimum ſcortationis flagitium iis adiaphoris annumeret circa quæ primæva Eccleſia *poteſtate ſuâ uſa fuerit*, ut modò dicebat; & quod ἀλισγήματα τῆς πορνείας, ideſt cibos pollutos meretricularum, (videatur Syſtema noſtrum *loco* VII, §. 68.) confundat cùm ipſo fornicationis flagitio: Hoc enim turpe cum ſit ſuâ naturâ, & lege Dei ſatis expreſſè prohibitum, imò luce naturali apud ſaniores è Gentilibus exoſum

& dam-

Digitized by Google

& damnatum, nec debuit novâ ſanctione Apoſtolorum prohiberi; ſiquidem credibile non ſit quemquam proſelytum Chriſtianum è Gentilibus, illud pro indifferenti habuiſſe; nec potuit iis accenſeri, quæ nonniſi ad tempus prohibebantur & ratione infirmorum: unde poſtea fuit ſublata hæc eadem prohibitio cibaria ab Apoſtolo Paulo, jubente nos veſci de eo omni quod vænit in macello, 1 Cor. x, 25. 26. 27. Vide Rom. xiv, 14. 17. 1 Cor. viii, 8. Col. ii, 16. 1 Tim. iv, 1. 3. Præterea non referri debet ad eam poteſtatem ordinariam Eccleſiæ circa ritualia, quod olim fuit ſancitum & conſtitutum ab Apoſtolis, qui habebant in ſingulis immediatam aſſiſtentiam Spiritus Sancti & à Chriſto ad id erant conſtituti, ut canonem conderent cui toti Eccleſiæ poſtea foret inſiſtendum.

Jam quid de Baptiſmo dicam? Is enim ritus, cùm jam per Joannem Baptiſtam introductus, valdeque ad homines, nullâ antea Chriſti notitiâ colluſtratos, ipſi initiandos accommodatus eſſet, retentus ab Apoſtolis, auctuſque fuit, ut ſuo loco docebimus. (*Inf. cap.* 14.)

‡ *Iam quid de Baptiſmo*] Nec baptiſmi ritus fuit *introductus* per Ioannem privatâ ipſius authoritate, ſed eum habuit ex ſpeciali Dei inſtitutione & mandato Ioh. i, 33. Nec fuit ita *retentus ab Apoſtolis* ut eum potuerint omittere: cùm ejus retinendi expreſſiſſimum Domini mandatum habuerint Matt. xxviii, 19. 20. Sed de eo poſtea fuſiùs erit diſputandum.

Ut porrò de publicis exercitiis, pietati aliqua ratione inſervientibus, ſermonem inſtituamus; intelligendum eſt, ea maximè in fidelium congreſſibus viguiſſe: veluti cum certi dies, certique loci, & precibus, & gratiarum actionibus, & divini verbi auditioni, & eleemoſynis, ſimilibuſque aliis actionibus deſtinarentur. Dies enim Dominica jam tum potiſſimùm ad ſacras actiones perficiendas delecta erat. Dicimus autem, non ipſos congreſſus, qui à divino ſpiritu præcepti ſunt, ſed locum & tempus, quo habendi eſſent, ad ritus & conſuetudines, quas conſtituere poſſit Eccleſia, pertinere.

‡ *Dies enim Dominica*] At illius uſurpandæ & conſecrandæ loco Sabbathi, author jam extiterat Chriſtus Ioh. xx, 19, 26. Et quamvis juris fuerit poſitivi illa diei Dominicæ ſubrogatio in locum Sabbathi, tamen & praxis Apoſtolica, Act. xx, 7. etiam ſuffulta Pauli mandato 1 Cor. xvi, 2. quo præcepit ſacros conventus habendos eo die, ſatis firmat hanc ſubrogationem; & id arbitramur eſſe juris naturalis & perpetui, ut cùm certum tempus ſit aſſignandum *ſacris congreſſibus*, ut pote ad quos jure divino tenemur, illud omninò debeat ſtatui ex quarto Decalogi præcepto, unus è ſeptem diebus. Tempus itaque ſuo modo hactenus eſt circumſcriptum, non *locus* itidem; quoniam ejus reſpectu ſumma libertas nobis relicta eſt, ex Mal. i, 11. Ioh. iv, 21. 23. 1 Tim. ii, 8. Nec quic-

quam

Digitized by Google

quam hic potuit definiri ſub Novo fœdere, pro ut obtinuerat ſub veteri. Si tamen judicet Eccleſia è re ſua fore, ut ſæpiùs conveniat quam die Dominico, id ejus arbitrio, ceu ſpectans *ad ritus & conſuetudines quas conſtituere poteſt*, meritò reliquimus. Sed non putamus in illius nunc eſſe poteſtate, loco diei Dominicæ & eo inſuperhabito alium ſuis ſacris conventibus deſtinare.

Adde his ea, quæ ad decorum in iisdem conventibus obſervandum pertinent. Licet enim quædam ab ipſis Apoſtolis ſint definita: ſunt tamen nonnulla, quæ ob varietatem circumſtantiarum definiri ac certis perpetuiſque præceptis comprehendi nequeunt, quæ Eccleſiæ curæ ſunt relicta, utpote cui injunctum, *ut omnia decenter & ſecundùm ordinem fiant.* (1 *Cor.* 14. 40.) Cæteroqui præcepit eo loco Apoſtolus, (*ib.* ỷ 27, 28.) id quod ad ordinem in Eccleſia obſervandum ſpectat, ut iis, qui peregrinâ linguâ ſpiritus divini impulſu loquerentur, eadem ſive per ſeipſos, ſive per alios interpretarentur, vel in Eccleſia tacerent. Vaticinandi quoque munus ita exerceri jubet, (*ib.* ỷ 29, 30.) ut duo vel tres loquantur, cæteri dijudicent; 655.
&, ſi quid alii ſedenti pateſiat, primus ſileat.

‡ *Cœteroqui præcepit*] Atqui linguâ intelligibili uti in conventu Sacro & cultu publico, ex 1 Cor. XIV, 27. 28. & toto fere illo capite, non eſt ordinis tantum, ſed abſolutæ neceſſitatis.

Vaticinandi quoque] Atqui prophetare ibi nō tam eſt de futuris vaticinari, quam de Myſteriis religionis diſſerere, & ea ex Scripturis eruere ac demonſtrare.

Mulieres autem publicè docere, tum eodem in loco, tum alibi prohibet: (*ib.* ỷ 34. & 1 *Tim.* 2. 11, 12.) propterea quòd illarum officium eſt viris parere. cujus rei taciturnitas non leve indicium eſt: quemadmodum contrà publicè loquendi ac docendi facultas, autoritatis cujusdam argumentum continet. Quòd ſi tamen extraordinario quodam divini ſpiritus appulſu vaticinarentur, ne id facerent capite nudato, idem Apoſtolus monuit. (1 *Cor.* 11. 5.)

‡ *Mulieres autem*] Verùm id quod prophetare debet mulier tecto capite 1 Cor. XI, 5. non pertinet ad munus extraordinarium vel vaticinandi vel docendi in Eccleſia, contra loca ipſi Volkelio citata de mulierum in ea ſilentio 1 Cor. XIV, 34. & 1 Tim. II, 11. 12. ſed ad officium commune omnium fidelium in cœtu ſacro, pſallendi & concinendi Dei laudes, (*quod* eſt aliquando *prophetare* in Scripturis 1 Sam. XI, 10. 11.) & decenter audiendi Prophetarum & Scripturæ explanationes, eoſque qui hoc dono erant inſtructi: Nolim tamen negare etiam mulieribus potuiſſe quondam obtingere donum extraordinarium prophetiæ, quo in congreſſu fidelium, ritè & modeſtè defungi potuerint. Sed hoc putem reponendum inter rarò contingentia, nec temerè contra locorum jam citatorum fidem, in Eccleſia admittendum. Quod enim mulieres debeant

tacere in Eccleſia definitum eſt: At non ita quale ſit illud earum *prophetare*, ad quod nonniſi cum pudore & modeſtia ſumma, & ſubjectionis ſuæ ſub maritorum ſuorum manu, indicio, debeant accedere.

Seniores etiam ſeu epiſcopi ac paſtores, itemque Diaconi tunc manuum impoſitionis ceremoniâ initiabantur. (1 *Tim*. 4. 14. 5, 20. *Act*. 6. 6.)

Sepulturæ quoque honorem majorum conſuetudine comprobatum, Eccleſiam illam retinuiſſe conſtat. (*Act*. 8. 2.) Et hoc quidem pacto Eccleſia illa primæva in ritibus iſtis ſuâ fuit poteſtate.

‡ *Seniores etiam*] Atqui idem adhuc Epiſcoporum ac Paſtorū reſpectu debere obtinere, adeoque illā praxim Apoſtolicam, expreſſis ſic ſatis mandatis munitam, eo nominatim quod extat 1 Tim. 1, 22. pertendimus. Idem olim fuiſſe obſervatum circa presbyteros regiminis, non laborantes in verbo, non putem poſſe probari ex Scriptura: Poſſet quoque dubitari an χειροθεσία uſurpata circa primos Diaconos Act. VI, 6. fuerit poſtea obſervata in ſequentium conſecratione, quamdiu ſaltem illorum munus ad ſola βιωτικὰ reſtringebatur.

Sepulturæ quoque] Verùm honeſtè ſepelire mortuos, eſt ipſius humanitatis & naturæ: hoc vel illo ritu, meræ libertatis: Solùm in eo τὸ πρέπον debet ſervari, & omnis ſuperſtitio vitari.

Sequitur, ut videamus, quomodo hoc faciat hodierna Chriſti Eccleſia. Animadvertendum igitur eſt, eam uſque adeò omnibus legis Moſaicæ ritibus valedixiſſe, ut ne illos quidem, quos primæva illa Eccleſia ad tempus retinendos cenſuit, foveat. Quod ad ritus ab Apoſtolis aut primæva Eccleſia inſtitutos attinet; baptiſmum aquæ retinet; quamquam alia ferè eorum, qui hodie baptizantur, alia eorum, quos ab Apoſtolis aliiſque divinis viris olim baptizatos fuiſſe legimus, ſit ratio, ut paulò pòſt explicabitur. Retinet præterea ea veteris Eccleſiæ inſtituta, quæ ad conventuum rationem ſpectant, iis tantum exceptis, quæ ob diverſitatem munerum divinorum, Eccleſiæ tunc temporis conceſſorum, ejus erant propria, veluti eſt linguarum donum ac vaticinatio, & ſi quæ fuerunt alia.

Illud quoque ſibi conceſſum eſſe pro certo habet, ut quoties in ſeptimana ad divini auditionem, ad Dei cultum, ad precum ſtudium, ad pſallendum ſit, ſtatuere, certa jejuniis cœnæque Dominicæ tempora aſſignare poſſit. Conſtituere etiam, vel jam conſtitutum retinere, ut per verbi divini adminiſtrum matrimoniorum copulationes, aliaque hujus generis fiant, ſimiliter in ſua habet poteſtate.

‡ *Ne illos quidem*] Sublatâ ſcilicet per ipſum Paulū illâ prohibitione Synodi Ieroſolymitanæ, quæ ad tempus duntaxat fuerat ſancita, quo faciliùs Gentiles & Iudæi in unum corpus coaleſcerent.

Baptiſmum aquæ retinet] Sed ex præcepto

cepto Chriſti, ut poſteà videbitur.

Illud quoque ſibi conceſſum] At non diem Dominicum profanis uſibus relinquere & alium ejus loco aſſignare.

Conſtituere etiam] Hierologia matrimonialis ab ævo fuit recepta in Eccleſia, quod nos alibi demonſtravimus: Quamvis arbitremur eam potiùs ſpectare τὸ πρέπον & bene eſſe, quam ſimpliciter ipſam Matrimonii eſſentiam, niſi ſicubi authoritate publicâ Magiſtratus, iſta Hierologia iis ſolemnitatibus conjugii annumeretur, ex quarum defectu Matrimonium pro clandeſtino adeoque & nullo, quantum ad effectus illius civiles & in foro fori, habeatur.

Sed jam videndum eſt, quid Eccleſia in ſanciendis iſtis ritibus ſpectet, vel qua nitatur ratione. Intelligendum quippe eſt, quemadmodũ ſuprà diximus, Eccleſiam certum ſibi, iſta faciendo, finem propoſitum habere, nec temerè quicquam tale conſtituere: ut nimirum vel pietati, vel charitati ac concordiæ, vel morum diſciplinæ, vel ordini ſerviatur. Quæcunque igitur ad hunc ſcopum aſſequendum conducunt, ea ab Eccleſia conſtitui tutò poſſunt, & tamdiu retineri, quàm diu hîc eorum finis, hæque rationes vim ſuam non amittunt. His enim deficientibus, ipſa Eccleſiæ inſtituta meritò 656.
ceſſant, & porrò, quin relinquantur, nihil prohibet. Quæ quidem res quò illuſtriùs pateat, aliquot exempla in medium afferemus. Primum illud Eccleſiæ decretum eſto, quo ſancitum erat, (*Act.* 15. 28.) ut Gentiles ad Chriſtum converſi, à ſanguine ſuffocatoque abſtinerent, ut Judæorum, Moſaica placita mordicùs tenentium, infirmitati quippiam condonaretur, ne videlicet quævis comedendi libertate offenderentur, Chriſtique diſciplinam, eam ipſam ob cauſam desererent. Quod quidem inſtitutum eouſque durabat, dum offenſionis ceſſaret periculum. Hoc verò ceſſante, ipſum etiam decretum illud ita omnem vim ſuam amiſit, ut Apoſtolis etiam viventibus neminem obſtringere potuerit. Idem planè & de votis illis ſtatuendum eſt, quorum prætermiſſio, dum offenſionis crearet periculum, culpanda erat, poſtquam verò eò res deducta fuit, ut nullum metuendum eſſet ſcandalum, quid, quæſo, cauſæ fuit, cur ampliùs vigerent?

‡ *Quod quidem inſtitutum*] At illud etiam authoritate ſacræ Scripturæ poſtea refixum fuiſſe, jam ante oſtenſum eſt. De *votis* Paulinis non repeto quod antea monui.

Quid verò de aquæ baptiſmo dicam? Cum enim is ideò adhibitus olim fuerit, ut ſymbolum quoddam publicum extaret, quo illi, qui in religione Chriſtiana educati minimè fuerant, ſed vel ex Judæis, vel Ethnicis, rerum divinarum ignaris, oriundi erant, in Chriſtianum populum aſcriberentur; evenit, ut tam diu baptiſmus ille valuerit, dum quidem tales

 homines

Digitized by Google

homines Chriſti diſciplinam amplecterentur. Poſtquam verò iſti quodammodo defecerunt, & hodie illi ferè tantùm Chriſti nomen profitentur, qui in Chriſti inſtitutis ſunt enutriti; quis non videt, Eccleſiam, niſi aliud ſpectet, baptiſmi iſtius ceremoniam intermittere, vel certè neminem, qui in Chriſtiana religione à pueris ſit inſtitutus, ad illius religionem compellere jurè poſſe? præſertim cum, qui olim in eodem fuerunt ſtatu, eos nec ab Apoſtolis baptizatos fuiſſe demonſtrari poſſit.

‡ *Quid verò de aquæ*] Paullò poſt *ad cap.* 14. ex profeſſo hoc delirium Catabaptiſticum refutabimus. Monemus in anteceſſum 1. Non fuiſſe olim reſtrictum baptiſmum ad ſolos adultos utriuſque illius gentis, Chriſtianiſmum amplexantes, ſed etiam ad eorum liberos, cùm legamus integras familias fuiſſe baptizatas ab Apoſtolis. 2. Neque debuiſſe tum baptizari Iudæos accedentes ad fidem Chriſti, niſi ex inſtitutione divina baptiſmus fuiſſet ordinatus in Sacramentum initiale fœderis Euangelici, eaque ratione circumciſioni legali ſubſtitutus Col. 11, 11. *Aliàs* cur fuiſſent Iudæi Chriſto per hunc ritum initiandi, cùm ad ipſos eorumque liberos promiſſiones pertinerent Act. 11, 39. & ipſi naturales eſſent oleæ rami Rom. 11, 17. & ſeqq. qui quamdiu in illa ſtabant, non videbantur egere novâ initione?

Ex iis, quæ diximus, hoc inſuper colligitur, ea Eccleſiæ inſtituta, quorum cauſæ perpetuæ ſunt, nunquam (dum quidem Eccleſia in terris durabit) ceſſare debere. Quo fit, ut, cùm publici conventus, publicæ preces, gratiarum actiones, hymni, divini verbi auditio, aliaque his ſimilia, nunquam in Eccleſia deficere debeant, nec ritus illi, ſine quibus iſta convenienter perfici nequeunt, tollendi ſint. Quod idem & de die Dominico potiùs, quàm Sabbato celebrando, cenſemus: quippe cum Dominicus dies, jam Apoſtolorum ætate, ad divini cultus exercitia delectus ea fortaſſis de cauſa fuerit, ut perpetua Chriſti reſurrectionis, quæ eodem die facta eſt, memoria extaret, quam ob cauſam & dies Dominicus appellatus videtur: de quo ſuprà (*lib.* 4. *c.* 12.) quartum decalogi præceptum explicantes plu-
657. ra diximus. Huc & matrimonii publica copulatio pertinere videtur, quam tametſi Eccleſiæ doctoris operâ vel factam eſſe, vel fieri debere, nuſquam ſcriptum legitur: cùm tamen nec ulli divino præcepto repugnet, nec falſum Dei cultum inducat, nec quemquam offendat, quin potiùs longo uſu confirmata, ab omnibuſque recepta ſit, & inſuper aliquid autoritatis actioni iſti apponere, atque ut tanto ſanctiùs & ineatur, & ſervetur matrimonii fœdus, efficere poſſit, perpetuò retinendam exiſtimamus.

‡ *Iam Apoſtolorum ætate*] Adeoque & per ipſos, *ea etiam de cauſa* quæ hic per *fortaſſis* perperam inſinuatur, cùm illud ſit certiſſimum.

Huc

Huc & matrimonii] Id etiam videtur eouſque niti Scripturâ, quod matrimonia fidelium juxta eam ſint *in Domino* ineunda, adeoque non ſine votis ad ipſum & piis precibus, quæ nuſquam commodiùs quoad actum publicum, quam in publico cœtu & per publicam perſonam concipiuntur. Cum autem iſta hierologia matrimonialis non ſit pars cultus religioſi, ſed illius tantum conſequens, effectum & exercitium, hinc nequeunt Sociniani aliive adſtruere jus Eccleſiæ in novo cultu inſtituendo & erigendo.

Nec ſolùm in ritibus vel retinendis, vel conſtituendis, ſed etiam abrogandis, vitandiſque eadem ratio ſequenda eſt. Si enim cauſa fuerit probabilis, quædam perpetuò ex Eccleſia exterminandi, id faciendum cenſemus. Sic gladiorum aliorumque armorum geſtatio, cùm ad res ſacras, ipſamque adeò Domini menſam acceditur, quia & indecora eſt, & inutilis, & à Chriſtiana modeſtia patientiæque profeſſione aliena; ideò Eccleſiæ autoritate expelli poteſt, atque adeò debet. Non probanda etiam videntur jejunia die Dominico, contra univerſæ antiquitatis conſuetudinem, atque adeò non ſine ſcandalo aliorum, inſtituta; licèt cæteroqui jejunia & laudabilia ſint, & ad multas virtutes conducibilia, & denique ad opem divinam implorandam accommodata.

‡ *Sic gladiorum*] Non putem milites acceſſuros ad Sacram Cœnam cogendos ut balteum deponant: Sed hic Volkelius Anabaptiſtica ſua deliria, contra gladii poteſtatem & uſum in Rep. Chriſtiana, voluit inſinuare, ac ſi Chriſtianæ modeſtiæ & patientiæ profeſſioni adverſaretur. Ipſimet Apoſtoli, acceſſerunt ad primam Cœnam ex parte gladiati, etſi iſtos gladios non haberent ſecum ex authoritate publica, ſed tantum in uſum privatæ & neceſſariæ ſuæ defenſionis, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. Matt. XXVI, 51. Luc. XXII, 38. 39. Noluit etiam Johannes id exigere à militibus qui ad ſacrum baptiſma accedebant ut cingulum deponerent, ſed ſatis habuit eos monere ſui in illa conditione officii Luc. III, 14.

Satis jam de publicis Eccleſiæ ritibus diximus. Quomobrem ad domeſticos tandem veniendum nobis eſt. Eccleſiæ igitur ea videtur eſſe autoritas, ut in fidelium domibus pietatis exercitia inſtituere poſſit, edicendo nimirum, ut ſingulæ familiæ ſingulas quodammodò Eccleſias repræſentent, & conjunctis precibus, & mutuis cohortationibus, & ſanctis colloquiis, & eorum, quæ publicè explicantur, repetitionibus dent operam, & ſic illas ſanctiſſimorum hominum familias imitentur, quas Apoſtoli ob fidei conjunctionem, pietatiſque exercitia modò enumerata, non dubitârunt Eccleſiarum nomine cohoneſtare. (*Rom.* 16. 5. 1 *Cor.* 16. 19. *Philem.* ỳ 2.) Quamquam iſta omnia per ſe pro Chriſti præceptis meritò ſunt habenda, ſed quorum modum ac rationem quandam Eccleſia præſcribere poſſit; niſi fortè ii ipſi, qui familias regunt, aut eas conſtituunt, eo ſint judicio ac prudentiâ præditi, ut per ſe illa ſatis commodè conſtituere poſſint.

‡ ***Quamobrem ad domeſticos***] **Id non tam pendet ex autoritate Eccleſiæ, quam** ex ipſius Dei præſcripto, juxta quod tenentur patres familiàs, ſuos domeſticos in pietate erudire, & quotidiana exercitia pietatis cum illis habere. Quod etiam agnoſcit Author, ſtatuens *iſta omnia per ſe pro Chriſti præceptis meritò habenda.* Nec credibile eſt propter ſola domeſtica pietatis exercitia, cohoneſtatas fuiſſe *Eccleſiarum nomine* quaſdam *ſanctiſſimorum hominum familias* Rom. xvi, 5. 1 Cor. xvi, 19. Col. 17, 15. Philem. ℣. 2. Sed etiam & per prius quod in illorum ædibus, fideles aliquammulti ſolerent ad communia exercitia pietatis convenire: unde enata videtur Parochiarum in magnis urbibus diſtinctio, ſive Eccleſiæ cujuſlibet urbicæ, in varios titulos diſtributio.

Atque hæc ferè ſunt, quæ de Eccleſiæ ritibus dicere habuimus: ideoque jam ad alia Eccleſiæ inſtituta pergere poſſemus, niſi priùs ea dimovenda eſſet ſuſpicio, quâ colligere quiſpiam poſſet, nos traditionum Pontificiarum errorem rurſus in Eccleſiam invehere. Intelligendum igitur eſt, plurimum inter hæc veræ Eccleſiæ inſtituta, illaſque Pontificiorum nugas
658. intereſſe: cùm, ut ſuprà diximus, vera Chriſti Eccleſia nequaquam ea præcipiat, quæ vel divino verbo repugnent, vel cauſa probabili ac legitima careant, aut fine deſtituantur cum cœleſti veritate conjuncto; vel minimam etiam contineant ſuperſtitionem. Hujuſmodi autem Pontificiorum traditiones eſſe, quæ quidem ab iis verè profectæ ſunt, imaginum, ſanctorum demortuorum, reliquiarum cultus, infinitæque aliæ ſuperſtitiones, abundè docent.

‡ *Atque hæc ferè*] Adde quod ea omnia quæ Eccleſia poteſt inſtituere ad τὸ πρέπον & εὐταξίαν in cultu debeant reſtringi, nec poſſint extendi ad cultus ipſius ſubſtantiam, quæ tota quanta ex Dei verbo eſt arceſſenda Matt. xv, 9.

CAP. XI.

De Eccleſiæ poteſtate in Perſonas.

RESPONDENTE ad hoc & duo ſequentia capita,
ISAACO DU CASTEL Rotterodamenſi.

SEquitur, ut de ea Eccleſiæ poteſtate dicamus, quam in perſonis earumque factis declarare poteſt. Ac perſonæ quidem duplices ſunt, publicæ nimirum, & privatæ. Publicæ ſunt, quæ publico alicui muneri in Eccleſia (hujus enim ſolius in iſta perſonarum diſtinctione habita fuit à nobis ratio) præponuntur: veluti ſunt Paſtores, ac Seniores, qui illis in Eccleſia adjungi ſolent, denique Diaconi. Quorum quidem eam Eccleſia poteſtatem habet, ut illos ſecundùm normam ab Apoſtolis præſcriptam ex omni fidelium numero deligere, & in memoratis officiis conſtituere poſſit.

‡ *Quorum quidem*] At jus eligendi Paſtores quod multitudini credentium primitùs competebat, non notat illius poteſtatem in Paſtorum & Seniorum jam electo-

Digitized by Google

electorum *perſonas*: Electores enim imperii, non habent poteſtatem propriè dictã in Cæſarem, aut Nobiles Poloni, in ſuum Regem, aut in Rebus publicis ii qui *ju-rati* dicuntur in Senatum, etſi jus eligendi Cæſarem ad Electores, conſtituendi Regem ſuum ad Optimates Polonos, Senatum conſtituendi ad Juratos pertineat.

Quod quò rectiùs intelligatur, tum normam iſtam intuebimur, tum ipſam
erſonarum iſtarum ordinationem conſiderabimus. Ac norma quidem apud
aulum diverſis in locis tradita invenitur. Quod enim ad Paſtores ſive E-
iſcopos attinet; eam potiſſimum regulam in illis conſtituendis Eccleſia ex
auli præſcripto (1 *Tim.* 3. 2. *& d. Tit.* 1, 6 *& d.*) ſequi debet, ut diligentiſſi-
nè diſpiciat virum, qui ad explicandam Chriſti diſciplinam ſit aptus; qui
irtute, morum gravitate ac ſanctitate ſit conſpicuus; qui bonos unicè a-
net, qui juſtitiam rigidè obſervet; qui ſobrius ſit & temperans, ac porrò
comeſſationibus, à vinolentiaque omni longè abſit; qui vigilans, qui
nodeſtus, qui ab amore ſui, à pertinacia, ab iracundia, à rixis ſit alienus,
ninimeque plagoſus; qui à ſermonis vanitate, à jocis, à levitate abſtineat;
ui ſuâ ſorte contentus, non inhiet opibus, pecuniæque ſordidis artibus
orradendæ nequaquam det operam; qui unam uxorem habeat, continen-
iam colat, à vagaque libidine ſeſe purum integrumque conſervet; qui uxo-
em, liberos, familiamque ſuam ita gubernet, ut appareat, eum etiam
d Eccleſiam Dei procurandam appoſitum eſſe.

Sequitur, ut de illis Senioribus dicamus, qui Paſtoribus Eccleſiarum ad-
ıngi ſolent. Intelligendum igitur eſt, Seniorum vocabulum duplicem a-
ud divinos autores ſignificationem habere. Interdum enim omnes gene- 659.
atim, qui quacunque ratione Eccleſiis præſunt, deſignat. Quo pacto &
etrus Apoſtolus (1 *Pet.* 5. 1.) ſenioris nomine, tum ſeipſum, tum alios
ppellavit. Interdum verò ſingulare quoddam, ab aliiſque diſtinctum mu-
ius Eccleſiæ declarat, & quidem, ſi rectè attendas, illud ipſum, quod
liàs Paſtorum ac Epiſcoporum nomine complectuntur ſacræ literæ. Quia
erò Epiſcopi ſoli non ſemper univerſam illam procurationis Eccleſiaſticæ
nolem ſuſtinere poſſunt, ideò illis quidam adjunguntur veluti adjutores
c conſiliarii, qui aliquam oneris illius partem in ſe recipiant, quique pro-
terea Seniores non immeritò appellantur. Muneris ergo hujus ea eſt ratio,
ıt, qui in eo conſtituti, unà cum paſtoribus & epiſcopis omnium mores
nſpiciant, & Eccleſiæ cauſas dijudicent; ac porrò tanquam divinus qui-
lam ſenatus, lites, diſſenſiones atque controverſias, quæ inter fratres eſſe
olent, dirimant. Hinc colligitur, nonniſi illis hanc perſonam imponen-
lam eſſe, qui ſingulari quadam vitæ ſanctimoniâ, eximiâ prudentiâ,
nagno rerum uſu, ardentique in fratres charitate præditi ſint.

Quia

Digitized by Google

‡ *Quia verò Epiſcopi*] Iſti Seniores populi & regiminis additi Paſtoribus, hoc *Seniorum* nomine videntur venire 1 Tim. v, 17, & κυβερνήσεις in communi dicuntur 1 Cor. XII, 28.

Jam ut de Diaconis dicamus, ii, ut muneri iſti rectè præficiantur, ex Pauli doctrina, (1 *Tim.* 3. 8. *& d.*) unius uxoris mariti eſſe, liberiſque ac propriis familiis rectè præeſſe debent; gravitatis quoque ac honeſtatis ſtudiſiſſimos eos eſſe convenit. Cùm enim eorum ſit partium, publicâ pecuniâ, Eccleſiæ pauperumque neceſſitatibus conſulere; ita ſe gerant neceſſe eſt, ut nemini in fraudis ſuſpicionem venire poſſint; quam quidem homines leves & inconſtantes, quique de honeſtate parùm laborare videntur, vix aut ne vix quidem effugere poſſunt. Qua de cauſa nec bilingues eſſe debent, ut nimirum modò ajant, modò negent quippiam: cùm hoc furum eſſe videatur, quos linguam volubilem, & ad quævis proferenda exercitatam habere oportet. Et ut longiùs etiam ab omni infidelitatis ſuſpicione abſint, & interim reliquis clariſſimum veræ pietatis lumen præferant, à vinolentia, avaritia, ſordidaque victus quærendi ratione eos abſtinere neceſſe eſt. Fidei quoque arcanum, ut idem Paulus præcipit, teneant in conſcientia pura, id eſt, mentem gerant ſalutari veritate colluſtratam, conſcientiamque habeant nullo ſcelere pollutam ac contaminatam, itaque vitam inſtituant, ut ſemper eos Dei metum ſibi injectum habere, omnibus clariſſimè pateat. Atque hi priùs probentur, deinde miniſtrent inculpati. Uxores habeant graves, non calumniatrices, ſobrias, in omnibus fideles, (1 *Tim.* 8. 12.) ut nimirum nec religione pietatiſque ſtudio à maritis diſſentiant, nec eos ad avaritiam ſtimulent, nec à liberalitatis officio avocent, nec denique ullâ re munus illorum deforment: quod idem Pa-
660. ſtorum quoque ſeu epiſcoporum ac doctorum uxoribus intelligendum eſt.

His annumerari poſſunt & Diaconiſſæ, veluti ſunt viduæ vitæ ſanctimoniâ conſpicuæ. Quarum partes ſunt, pauperibus atque ægrotis nomine totius Eccleſiæ inſervire, peregrinis atque in exilium pulſis humanitatis officia præſtare. Qualem illam Phœben fuiſſe Paulus teſtificatur. (*Rom.* 16. 1.) Unde efficitur, nonniſi illas fœminas, (*Tit.* 2. 3, *& d.*) & ætate quidem provectas, huic officio præficiendas eſſe, quæ graves, quæ conſtantes, quæ modeſtæ, quæ honeſtatis magiſtræ ſint, non calumniatrices, non vinolentæ, non mundano more, ſed modo Chriſtianam ſanctimoniam decente ſeſe veſtientes; quæ actionum egregiarum teſtimonium habeant; quæ liberos honeſtè educaverint, hoſpitalitatem exercuerint, & in omnium virtutum ſtudio verſatæ ſemper fuerint. (1 *Tim.* 5. 9.)

Digitized by Google

Cap. XII.

De miſſione Eccleſiæ Doctorum.

VErùm hanc Eccleſiæ poteſtatem Pontificii non uſquequaque agno-
ſcunt: quippe qui vetuſtâ illâ doctores ac paſtores deligendi conſue-
tudine minimè contenti, jam illorum requirunt ſingularem aliquam miſ-
ſionem, jam continuam & minimè interruptam, eamque perſonalem pa-
ſtorum ſucceſſionem poſtulant. Primò igitur, quod ad miſſionem attinet,
idcirco eam ad creandum verbi divini adminiſtrum neceſſariam eſſe aſſe-
runt, quòd apud Hieremiam ſic ſcriptum legatur: *Non miſi Prophetas,
& tamen currebant.* (*Jer.* 23. 21.) Hæc autem quanta inter ſe diſſimilitu-
dine diſſideant, hinc perſpicitur, quòd illi, qui cucurriſſe dicuntur non
miſſi, pro Prophetis ſe geſſerant, ac miſſionem ſibi arrogaverant, reſque
novas divino populo exponendi provinciam ſibi divinitùs datam eſſe glo-
riati fuerant. Quare etiam, ſibi tanquam Dei legatis, fidem omnibus in
rebus ſimpliciter adhiberi poſtulaverant. Veri autem hodiernæ Chriſti
Eccleſiæ paſtores, Prophetas ſe non eſſe apertè profitentur, nec de lega-
tione ſingulari ſeſe jactant, nec ſibi novæ rei explicationem aſſumunt
(hoc enim ad ſolos Apoſtolos ac Prophetas hac ultima mundi ætate per-
tinuiſſe probè nôrunt) ſed quæ Apoſtoli, hoc eſt, Dei ac Chriſti legati,
aliique divini viri promulgârunt, ac variis modis confirmârunt, & ipſi
ſtudioſè legunt, & aliis inculcant, atque ut illa tum ipſi intelligere, tum
reliquis aperire poſſint, magnopere curant: nec interim tantum ſibi tri-
buunt, ut ſeſe in Prophetarum Apoſtolorumque ſcriptis enodandis errare
minimè poſſe dicant: ſed dicta ſua ab omnibus examinari, ac tum de- 661.
mum fidem iis adjungi poſtulant, ubi ea cum ſacrarum literarum verbis
conſentire deprehenſa fuerint: ut facilè appareat, quantum inter hos illoſ-
que, quos Hieremias memorat, interſit, & porrò quàm ineptè hæc illius
verba ad iſtam miniſtrorum ſeu doctorum Eccleſiæ miſſionem conſtituen-
dam adducta fuerint.

Unde perſpicuum eſt, nec illa Pauli verba huic adverſariorum opinio-
ni quicquam afferre præſidii: *quomodo prædicabunt*, inquit, *ſi non ſunt
miſſi?* (*Rom.* 10. 25.) Hîc enim de iis oratio habetur, qui primi Eccleſiæ
diſciplinam, & ideò rem novam hominum generi tradere debuerunt, ita-
que eam confirmare, ut in ipſorum dictis unuſquiſque acquieſcere, &
poſſet, & deberet. Id quod facere neutiquam potuiſſent, niſi negotii

iſtius cauſâ legati fuiſſent. Atqui miniſtri hodiernæ Chriſti Eccleſiæ, nec primos ſe divinæ gratiæ præcones faciunt, aut de rei novæ prædicatione gloriantur, nec, ut diximus, auctoritatem ſibi ejus modi aſſumunt, ut in ſuis dictis, niſi divinorum virorum autoritate, vel ſaltem aliâ certâ ratione fulciantur, quemquam velint acquieſcere: ſed Eccleſiaſtica ordinatione, quam ipſi Apoſtoli introduxerunt, contenti, ſatis ſeſe ritè in officio ſuo verſari perſuaſum habent, ſi, quantum in ipſis eſt, populo Chriſtiano ad Apoſtolorum diſciplinam tum pernoſcendam, tum vitâ moribuſque exprimendam, ſint adjumento. Quæ ordinatio tametſi laudabilis eſt, omninoque in Eccleſia, dum quidem ſtatum florentem retinet, ſervanda: ſi tamen eveniat, ut violentiâ perſecutionum Eccleſia diſſipetur, aut quacunque alia de cauſa ordinatio iſta haberi non poſſit; nihil vetat, quominus qui alios ad cœleſtem veritatem pietatiſque ſtudium erudire poſſunt, ii, citra omnem ejuſmodi ordinationem, ſolo divinæ gloriæ ſtudio, ſalutiſque proximorum amore incenſi, divinam diſciplinam apud homines proponant. Nam & illi poſt Stephani mortem diſperſi, de quibus Lucas commemorat, (*Act.* 8. 4) à nemine ordinati fuerant: doctrinam tamen Chriſti ultrò citróque eos publicâſſe, manumque Domini illis adfuiſſe, idem Lucas teſtificatur; tantum abeſt, ut ad Euangelicam diſciplinam aliis proponendam, ſingularis quædam miſſio requiratur.

‡ *Verum banc Eccleſiæ*] Neſcio cur ad has anguſtias lubens ſe redigat Volkelius. Quamvis enim *hodiernæ Chriſti Eccleſiæ paſtores*, ſi ſapiant, *Prophetas* extraordinariè & immediatè à Deo miſſos ſe non debeant profiteri; adeoque nec imitari per omnia in cenſuris ſuis publicis παῤῥησίαν Priſcorum Prophetarum, quos ad tales reprehenſiones faciendas magnatum & populi, Deus καρδιογνώςης immediatè ſubmiſerat; tamen dubium non eſt quin etiam hodierni Eccleſiæ paſtores, debeant eſſe inſtructi honeſtâ & legitimâ vocatione, quam *miſſionis* nomine intelligit Scriptura, etiam Jerem. XXIII, 21. & Rom. X, 25. Conſtare autem illa debet non ſolùm χειροτονίᾳ & electione legitimâ eorum ad quos id juris pertinet, poſtquam priſca Concilia, nominatim Laodicenum, eam noluerunt ulteriùs permitti turbis & multitudini, propter confuſiones varias inde enaſcentes; ſed etiam χειροθεσίᾳ ſive ordinatione ſolemni ad ſacrum iſtud munus; quò & pertinet vocati inſtitutio, ſive inauguratio conveniens in ſuo munere. Nec certè ideo ſe divinitùs *miſſos* & vocatos, *quamvis* mediatè, negare debent hodierni paſtores, quod ſe infallibiles non profiteantur; Nam neque Pontificii, putant ordinariis ſuis paſtoribus eorum miſſione, infallibilitatem conferri. *Ordinatio* autem neceſſariò retinenda in Eccleſia jam conſtituta, non requiritur neceſſariò in Eccleſia vel recens inſtituenda, vel planè reſtituenda: Nam eo caſu ſufficit vocatio communis ad Chriſtianiſmum

mum; & cùm Deus ſuppeditat viro pio occaſionem ſuæ gloriæ promovendæ, & veritatis propagandæ, apud eos apud quos nullum eſt Miniſterium, nulla veritatis notitia,, debet cordatè rem aggredi, ut factum ab iis quorum meminit Lucas Act. VIII, 4. & ſe extra ordinem à Domino ſubmiſſum credere ad ſanctum hoc opus; prout varia illius rei exempla etiam ex Antiquitate proferri poſſent.

Cap. XIII.

De ſucceſſione Paſtorum.

Sed ut tandem de perſonali Paſtorum ſucceſſione videamus, quam iſti urgent, ut eos veros Eccleſiæ paſtores eſſe negent, qui eâ deſtituuntur, animadvertendum eſt, Apoſtolos in creandis Eccleſiæ paſtoribus, nullam 663. ejuſmodi ſucceſſionem, nec ipſos ſpectaſſe, nec ab aliis ſpectari voluiſſe. Satis quippe habuerunt, eos illa omnia poſſidere, quæ in paſtore eſſe oportere ſuprà docuimus. Quòd ſi ſucceſſio perinde, ut iſta, ad paſtorem Eccleſiæ conſtituendum requiritur, quî fit, ut in muneris iſtius deſcriptione, quæ ſat fusè apud Paulum duobus in locis explicata eſt, (1. *Tim.* 3. 2, *& d. Tit.* 1. 5, *& d.*) nullum de ea præceptum, nullam literam extare videamus? ut facilè appareat, commentum iſtud ab aliis demùm ideo inventum fuiſſe, ut Eccleſiam ſuam in maxima ponerent autoritate, &, quod conſequens eſt, placita ſua tantò faciliùs aliis venditare atque obtrudere poſſent. Verùm nequaquam hoc illis ſtratagema, apud cordatos homines ex ſententia ſuccedit, quippe qui vel ſucceſſionem paſtoratûs neceſſariam eſſe negent, vel ſaltem non perſonarum, ſed doctrinæ eam eſſe debere ſtatuant, nec, ut ea continua, & ab Apoſtolorum temporibus minimè interrupta fuerit, ullo modo requiri aſſerunt. Quo fit, ut niſi Pontificii ſuos Epiſcopos in doctrinæ puritate Apoſtolis ſucceſſiſſe demonſtrent, nihil agant, ſi vel centies perſonarum fundique ſucceſſionem inculcent. Neque enim exiſtimandum eſt, doctrinalem, ut ſic dixerim, ſucceſſionem cum perſonali tam arcto vinculo conjunctam eſſe, ut hæc abſque illa conſiſtere nequeat. Nihil enim vetat, quominùs durante perſonali ſucceſſione, fiat mutatio doctrinæ. Annon res ipſa docet, ipſique Pontificii contendunt, Eccleſiis innumeris, quas vel ipſi Apoſtoli, aliique divini viri fundârunt, vel viri Apoſtolici rexerunt, poſtmodum præfuiſſe hæreticos, aut adhuc præeſſe? Num ergo illis quicquam perſonalis ſucceſſio prodeſt, aut profuit? Nequaquam. Perſonalis enim ſucceſſio doctrinalis

ſucceſſionis expers, non magis veros Eccleſiæ Paſtores conſtituit, quàm carnalis illa Iſraëlitarum ex ipſo Abrahamo ducta ſeries Judaicam ſectam verum Dei populum efficit; quamvis alioqui Judæorum ſucceſſio multò, quàm Pontificia, ſit certior ac firmior. Ut tamen non is in Abrahami filiis habetur, qui carnali ratione eo prognatus eſt, ſed qui ejus perſequitur veſtigia: (*Ioh.* 8. 30, 40. *Rom.* 9. 7, 8.) ita multò minùs Apoſtolorum ſucceſſores illi ſunt numerandi, qui nec carnali, nec ſpirituali ratione ex illis ſunt nati, quamvis in Apoſtolorum ſedibus ſe collocatos eſſe glorientur. Et quemadmodum illi demùm veri Abrahami filii ſunt, qui, licèt carnalem ex illo ſucceſſionem non habent, fidem tamen ipſius imitantur: (*Rom.* 4. 11, *& d.* 9. 8. *Gal.* 3. 29: 4. 12, *& d.* ỷ. 29.) ita & ii paſtores, qui Apoſtolorum doctrinam ſequuntur, veri ſunt Eccleſiæ paſtores, licèt perſonaliter in eorum locum non ſucceſſerint. Nam ut illic in conſtituendis Abrahæ filiis non carnalis ſucceſſionis habetur ratio, ſed fidei operumque Abrahami: ita hîc in paſtoribus ordinandis, nec unquam à divinis viris habita fuit, nec ut habeatur opus eſt, ratio perſonalis ſucceſſionis, ſed do-
663. ctrinæ ac morum. Qua de re infrà ſuo loco (*inf. cap.* 17.) plura dicenda nobis erunt.

Cap. XIV.

De aquæ Baptiſmo ab Apoſtolis uſurpato.

Respondente
VINCENTIO MINUTOLIO,
Genevenſi.

SEquitur, ut de privatis perſonis dicamus, idque ita, ut duplicem earum poteſtatem Eccleſiæ tributam eſſe ſtatuamus: quarum altera in illis ad fidelium numerum recipiendis: altera in officio retinendis conſtituta eſt. Ut igitur de recipiendi poteſtate primùm dicamus, perpendendum eſt, tum quouſque ſeſe ea porrigat, tum quo pacto declarari poſſit. Intelligendum igitur eſt, Eccleſiam ex ea parte homines recipiendi poteſtatem habere, quatenus illi Chriſtum fide ſeſe complecti, ejuſque diſciplinam, tum approbare, tum conſectari velle teſtantur. Aliter enim nec Chriſti corporis membrum quiſpiam eſſe, nec ejuſdem diſcipulus dici poteſt. Qua de cauſa à primæva illa Eccleſia, ab ipſiſque adeò Apoſtolis eorumque ſociis, neminem in Chriſtianos relatum eſſe videmus, niſi qui Jeſum eſſe Chriſtum confiteretur.

Intel-

† *Intelligendum igitur eſt*] De adultis id verum; ſed aggregantur nunc Eccleſiæ fidelium liberi per baptiſmum, ut olim per circumciſionem.

Quæ res cum adeò ſit in promptu, ut diſputatione minimè indigeat; videndum jam eſt, quâ ratione quo-ve pacto Eccleſia hanc ſuam autoritatem & exercuerit olim, & hodie exercere poſſit. Conſtat igitur, Eccleſiam poſt Chriſti exaltationem, Spirituſque ſancti miſſionem, collectam conſtitutamquò fuiſſe, idque primùm ex Judæis ſolis, deinde ex omni natione omnique hominum genere. Poſtquam enim Chriſtus à mortuis reſurrexerat, jamque in cœlum aſcenſurus Apoſtolis imperaverat, ut omnes gentes, (*Mat.* 28. 19.) nimirum tam Judæos, quàm Ethnicos, ſibi diſcipulos facerent, ſeu, ut clariùs apud Lucam explicatiuſque dicitur, (*Luc.* 24. 47.) in ejus nomine vitæ correctionem, & peccatorum veniam per omnes gentes prædicarent, facto ab Hieroſolymis initio; evenit, ut Apoſtoli, virique alii divini, omnes in fidelium numerum aſcriberent, quicunque Chriſti nomen profiterentur, eique adjungi cuperent, † idque ferè per aquæ baptiſmi in Chriſti nomine adminiſtrati ritum atque religionem. Quam quidem rem ut penitùs perſpiciamus, tria potiſſimùm hoc loco ponderanda nobis ſunt: nempe tum quid ſit baptiſmus iſte, tum quam ob cauſam per illius ritum tunc homines inter Chriſti, ut ita dicam, cives aſcripti fuerint, tum denique, an omni, ac porrò etiam hac ætate, Eccleſia, omneſque, qui ad eam ſeſe aggregare cupiunt, illius religione obſtringantur.

† *Idque ferè*] Ullius admiſſi in Eccleſiam per Apoſtolos citra baptiſmum, nullum exemplum profert Volkelius; ut iſtâ particulâ *ferè* debuerit meritò abſtinere.

Primò igitur, baptiſmus in Chriſti nomen adminiſtratus nihil aliud eſt, 664.
quàm publicum Chriſtianæ profeſſionis ſymbolum, quo per intinctionem in aquam homines illius religioni initiabantur. Hoc enim ritu illi, qui ad Chriſti Eccleſiam ſe conferebant, apertè teſtificabantur, & moribus peſſimis, in quibus olim verſati fuerant, relictis valereque juſſis, Chriſto, ut Domino ducique ſuo, ſeſe adjungere, ejuſque diſciplinam amplecti, & illâ vitam moreſque componere velle. Quod ut ita eſſe comperiamus, audiamus ſanè, quid Paulus hac de re dicat: (*Rom.* 6. 3.) *An neſcitis*, inquit, *quòd, quicunque baptizati ſumus, in mortem illius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quemadmodum*

 Chri-

Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Quibus verbis Apoſtolus Romanis ipſorum profeſſionem in memoriam revocat, quâ per aquæ baptiſmum teſtificati fuerant, ſe ita Chriſto ſeſe adjungere, ut quemadmodum ille mortuus ſepultuſque erat, ita & ipſi peccatis quaſi mortui ſepultique, nihil ampliùs cum eis conjunctum habeant. Hanc autem verbis illis ſententiam contineri inde conſtat, quòd Apoſtolus in toto illo capite nihil aliud agit, quàm Romanos admonet, ne unquam ſibi peccatis operam dare liberum eſſe putent: quippe cum hoc & ab illorum profeſſione paulò antè memorata, & ab illo vitæ ſtatu, in quo per Chriſtum collocati erant, planè abhorreat. Hinc colligitur, toto cœlo illos errare, qui locum iſtum ſic interpretantur, quaſi Paulus afferat, iſtos ad quos ſcribit, revera jam peccatis mortuos fuiſſe. Si enim ita res haberet, quid, quæſo, iſtis admonitionibus opus fuiſſet?

† *Primò igitur*] Hæc deſcriptio baptiſmi, multifariàm vitioſa eſt. Peccat in defectu, quod uſum, finem, efficaciam, formam baptiſmi, non commemoret. In exceſſu verò, quod ſtatuat factum ſemper baptiſmum *per intinctionem in aquam*: cùm vero ſimilius ſit ſæpè celebratum per merum aquæ ῥαντισμὸν & aſperſionem, æquè aptam ſignificando ῥαντισμῷ ſanguinis Chriſti, quo à noſtris ſordibus abluimur.

Teſtificati fuerant] Sed non tantum *teſtificativè* conſepelimur Chriſto & illum induimus in baptiſmo, verùm etiam realiter & effectivè, juxta Dei promiſſionem & verbum, ſi baptiſmus quâ decet fide & pietate admittatur.

Hinc colligitur] Revera fideles per baptiſmum ſunt mortui peccatis; Primùm beneficio juſtificationis, quod ad eorum reatum, ut non veniant ampliùs illis imputanda ad condemnationem Rom. VIII, 1. Deinde ſanctificationis & regenerationis beneficio, quod ad eorum imperium & vim, ut non ampliùs regnent ac dominentur in illos; quo ſenſu qui nati ſunt ex Deo, negantur peccare aut peccare poſſe 1. Joh. III. 9. Jam autem utrumque hoc beneficium juſtificationis & ſanctificationis per Chriſtum, nobis ſignificatur & obſignatur in baptiſmo, ut liquidè colligere eſt ex 1. Cor. VI, 11. Epheſ. V, 25. 26. 27. Tit. III, 5. 6. Nec tamen inde ſequitur ergo non opus fuiſſe *iſtis admonitionibus* Paulinis Rom. VI, 3. ad ambulandum in novitate vitæ, quæ ad baptiſatos fiunt: Ita enim baptiſmus eſt obſignativus beneficiorum Chriſti, ut ſit unà obligativus officiorum ad quæ ex illis invitamur.

Similiter judicandum eſt de illis ejuſdem Apoſtoli ad Galatas verbis: *Quotquot*, inquit, *in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. (*Gal.* 3. 27.) Neque enim ſignificare vult Apoſtolus, eos re ac facto ipſo Chriſtum in baptiſmo induiſſe. Cur enim alibi eos, qui jam pridem baptizati fuerant, Chriſtum induere jubet? (*Rom.* 13, 14.) cur ipſos Galatas, aliis licèt verbis,

bis, ad eandem tamen rem, tam fulè, tamque diligenter infrà hortatur? (Gal. 5. & 6. capp.) Sed id ſibi vult, eos tunc, cùm religioni Chriſtianæ initiarentur, & quæ ſua in poſterum futura eſſet conditio, quis ſtatus, externa ratione adumbrarent, profeſſos fuiſſe, ſe Chriſtum induere velle, vitamque ad ipſius tum doctrinam, tum exemplum inſtituere, utpote qui etiam præmii ratione ipſi futuri eſſent ſimiles.

‡ *Similiter judicandum*] Induere Chriſtum in baptiſmo idem eſt quod eum comedere in ſacra Cœna, ideſt in penitiſſimam & arctiſſimam illius communionem devenire; illamque jam cœptã verâ fide, magis magiſque conſtringi, confirmari, & obſignari. Quare luci quæ ad id affulget ex Gal. III, 27. nihil decedit inde quod *alibi* etiam ii *qui jam pridem baptizati fuerant Chriſtum induere* jubentur, ut Rom. XIII, 14. & *ipſos Galatas* Paulus *ad eandem rem* vehementer *hortatur* Gal. v. & VI. capp. Etenim nihil obſtat quominus fideles communionem ſui cum Chriſto ſignificatam & obſignatam in baptiſmo, porrò declarent, adſtringant, & firmare ſtudeant bonis operibus. Quapropter non tantũ in baptiſmo ſpectari debet quid promiſerit aut voluerit aut profeſſus fuerit fidelis cùm tingebatur, ſed etiam quid Deus acceſſuro convenienter ad baptiſmum promiſerit & per verbum ſuum ratum, ſignificatum, & obſignatum illi voluerit. Ne dicam quod Chriſtum induere, non ſit tantum *velle vitam ad ipſius tum doctrinam tum exemplum inſtituere*, ſed etiam eum ſibi fiducialiter applicare in Redemptorem & Servatorem, quò ejus freti ſatisfactione & merito, ejuſque induti juſtitiâ & obedientiâ perfectiſſimâ quam pro nobis præſtitit ad mortem uſque crucis, inſtar Jacobi odoratis veſtibus ſui primogeniti tecti, juſtificemur coram Deo, remiſſionem omnium peccatorum impetremus & benedictionem illius paternam reportemus ac conſequamur.

Videamus nunc, quam ob cauſam ritûs iſtius religione homines in Eccleſiam recepti fuerint. Dico igitur, hoc ab Apoſtolis idcirco factum fuiſſe, quòd populi illius, apud quem vitam degebant, munerisque ſui officium aggrediebantur, maximam rationem habendam duxerunt. Cum e- 655. nim populus ille ceremoniis valdè delectaretur, utpote in illis quaſi enutritus & educatus; cumque baptiſmi ceremonia à magni nominis magnæque autoritatis viro, nempe Joanne Baptiſta, jam antea introducta, magnoque applauſu ab omnibus recepta, & inſuper ad adumbrandum Chriſtianorum hominum officium ac ſtatum accommodatiſſima eſſet, conſentaneum planè fuit, ut eam ad homines Chriſti nomen profitentes, in diſcipulorum illius numero palàm ponendos adhiberent; quia præſertim hoc Chriſto ipſi contrarium nequaquam eſſe, probè ſciebant.

Dico

Digitized by Google

1 *Dico igitur, hoc*] Id non factum ab *Apoſtolis*, niſi juxta expreſſiſſimum mandatum Chriſti, qui voluit baptiſmi Sacramento initiari, quotquot corpori ſuo myſtico erant aggregandi. Nolim quidem inficiari occaſionem quandam hujus Symboli initiatorii inſtituendi videri enatam ex eo quod obtinebat apud Judæos, non tam per varios illos βαπτισμοὺς lege præſcriptos quorum meminit Apoſtolus Heb. IX, 10. quam in ritu proſelytiſmi illius qui *juſtitiæ* dicebatur, in quo hæc tria obſervabantur, lotio, circumciſio & oblatio: Sed quemadmodum malè colligas non perpetuam debere eſſe inſtitutionem & uſurpationem ſacræ Cœnæ in Eccleſia Chriſti, ex eo quod Chriſtus ad illam inſtitutionem proceſſerit, occaſione rituum quorundam obſervari ſolitorum à patre-familias, in eſu agni paſchalis, ut omnes eruditi agnoſcunt; ita perperam ſtatueris quicquam decedere honori & uſui ſacri baptiſmi, eo quod inſtitutus fuerit ad quoddam imitamentum nonnullarum ceremoniarum uſurpari ſolitarum à Judæis in proſelytis faciendis & iis ſocietati ſuæ inſerendis qui antea erant alieni à rep. Iſraëlis, & extranei quantum ad fœderales promiſſiones Eph. II, 12. Nec *Baptiſmi ceremonia* fuerat *introducta a Iohanne Baptiſta*, ex privato illius vel arbitrio, vel judicio, ſed ex ſingulari mandato illius qui ipſum miſerat baptizandum Joh. I, 34. unde ejus baptiſmus dicitur fuiſſe non ex hominibus ſed ex cœlo & Deo, Matt. XXI, 25. Luc. XX, 4. Nec ſolum ceremonia hæc, ceu divinæ inſtitutionis, dici debet *ad adumbrandum Chriſtianorum hominum officium ac ſtatum, accommodatiſſima*, ſed per prius convenientiſſima ſignificandæ & obſignandæ nobis noſtræ redemptioni, & communioni intimæ cum Chriſto, tam juſtificationis reſpectu quam regenerationis & ſanctificationis, uti duabus abſolvitur partibus mortificatione veteris hominis & vivificatione novi. Nec tantum Apoſtoli *probè ſciebant*, hoc inſtitutum *Chriſto ipſi contrarium nequaquam eſſe*, ſed etiam ſatis ſciebant, illud ab ipſo & mandari & probari. Aliàs enim in rebus ad cultum Dei ſolemnem ſpectantibus, non ſatis eſt noſſe quid Chriſto ipſi contrarium non eſſe, niſi inſuper probè ſciamus, illud ipſum quod eò adhibetur, ab ipſo eſſe mandatum, præſcriptum & approbatum. Quò nos rectà ducunt ipſiuſmet Servatoris verba Matt. XV, 9. & quod evenit duobus filiis Aaronis, qui ideo pœnas dederunt, non quod ignem peregrinum adhibere voluerint contra ullum Dei mandatum, ſed quod id tentarint omni ejus mandato deſtituti Levit. X, 1. & ſeqq. Adde quod conſtans praxis Apoſtolorum in hoc ritu uſurpando, debeat nobis eſſe pro regula, à qua nemini fas eſt temerè recedere.

Hîc verò multi præjudicata quadam opinione ducti, nimis tenue eſſe aſſerunt, Apoſtolos non mandato aliquo, ſed tantùm rationibus paulò antè memoratis impulſos, aquâ baptizaſſe. Itaque duo potiſſimùm ſanctarum literarum teſtimonia in medium afferunt, quæ, ut ipſis placet, apertiſſima hac de re præcepta contineant: quorum primum apud Matthæum extat, (*Mat.* 28. 19.) ubi Chriſtus hunc in modum loquitur: *Euntes docete* (vel potiùs *diſcipulos facite*) *omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus S., docentes eos ſervare omnia, quæ præ-*

cepi

cepi vobis: & ecce ero vobiſcum perpetuò uſque ad conſummationem ſeculi. Atqui hîc pro re conceſſa ſumitur id, de quo maximè ambigitur, nimirum Chriſtum hæc verba de aquæ baptiſmo propriè facere. Cùm enim baptiſmi vocabulum variè à divinis autoribus uſurpetur, & non ſolùm aquæ baptiſmum ſignificet, ſed etiam, (ut alias ſignificationes nunc præteream) pro initiatione ſeu initiandi ratione ſimpliciter uſurpetur, (*Act.* 19. 3. 1. *Cor.* 10. 14.) quis non videt, vehementer illum errare, qui, quoties in baptiſmi, baptizandi-ve vocabulum legendo incidit, protinus de baptiſmo aquæ orationem omninò haberi exiſtimat? Et quidem hæc Chriſti verba de aquæ baptiſmo revera non fieri, duabus potiſſimùm rationibus demonſtratur.

‡ *Hîc verò multi*] Ut neceſſitatem medii abſolutam ſacri Baptiſmi nolimus propugnare, ita illius neceſſitatem præcepti, jure meritò aſſerimus: Quis enim ſibi perſuadebit Apoſtolos in eo ritu tam conſtantes fuiſſe, niſi benè ſibi conſcii fuiſſent hanc eſſe Chriſti voluntatem? Quis credet eos quippiam vel docuiſſe vel tradidiſſe Eccleſiis, quod prius à Domino non accepiſſent, ſi præſertim attenderit ad ea quæ leguntur Matt. XXVIII, 20. 1. Cor. XI, 23. XV, 3. Sed potiſſimum eò facit locus Matt. XXVIII, 19. ubi diſertè ipſis præſcribitur ut diſcipulos quos Chriſto fecerint, baptiſent in nomen Patris, Filii & Spiritus ſancti, cum addita promiſſione Marc. XVI, 16. quod qui crediderit & ita baptizatus fuerit ſervabitur. Fruſtrà verò negat Adverſarius *hæc Chriſti verba de aquæ baptiſmo* eſſe intelligenda. Agunt enim de eo baptiſmo qui accedit per modum teſſeræ & ſigni ſenſibilis ad verbi inſtitutionem. à qua conceptis verbis ideo diſtinguitur. Nec dubium eſt quin Chriſtus illud baptiſma in nomine ſuo intelligat, quo fuiſſe baptizatos Corinthios teſtatur Apoſtolus, & quo ipſe tinxerat Criſpum, Gajum & familiam Stephanæ 1. Cor. I, 13. 14. 15. 16. Hoc verò fuiſſe baptiſma aquæ eſt certiſſimum: Nec ita Apoſtoli conjunxiſſent ſtatim ab initio baptiſmum aquæ cum inſtitutione verbi Act. II, 38. VIII, 12. 36. 37. 38. IX, 18. X, 48. XVI, 15. 33 niſi benè memores fuiſſent ita ſibi mandatum à Domino. Fateor quidem *baptiſmi* vocem aliquando ſumi impropriè & figuratè, pro baptiſmo & flaminis Matt. III, 11. & ſanguinis Matt. XX, 22. 23. Sed nego unquam ſumi *pro initiatione*, *ſeu initiandi ratione*, ſive, ut vulgò loquuntur, pro baptiſmo luminis: Nec eò faciunt loca hic citata adverſario: Nam Act. XIX, 3. illi duodecim Epheſii, Lucæ commemorati, non fuerant duntaxat initiati in diſciplina Johannis, ſed revera tincti ejus baptiſmo; quem & baptiſmum reſipiſcentiæ fuiſſe, & ſimul obligaſſe ad fidem in Chriſtum, ibidem com. 4. teſtatur Apoſtolus. Itaque ſe baptiſatos profitentur in baptiſmum Johannis, quod ſuo baptiſmo, ſibi vel ab ipſo Johanne, vel ab aliquo ex illius diſcipulis, collato, profeſſi fuiſſent eam doctrinam quam Johannes docebat & inculcabat: quo etiam ſenſu dicitur Apollos ſciviſſe tantum *baptiſma* Johannis Act. XVIII, 25. ideſt non ultra edoctus in via Domini, quam ex doctrina Johannis, ejus baptiſmo obſignata, didicerat. Nec ideo idem baptiſmus Johannis non eſt baptiſmus aquæ, à quo & *baptiſta* fuit cognominatus, quod per ſynecdochem partis pro toto, aut metonymiam adjuncti pro ſubjecto tota doctrina & inſtitutio Johannis baptiſmo aquæ obſignari ſolita, quandoque nomine baptiſmi exprimatur. Longè alie-

Digitized by Google

alienior eſt à mente Volkelii alter locus 1 Cor. x, 2. Nã Iſraelitæ ſub nube & in mari, quorum utrumque fuit externum aquæ ſymbolum, baptizati dicuntur; & nemo veterum interpretum, hic ſomniavit initiationem merè moralem ab aquæ baptiſmo diſtinctam: Et cùm Paulus ibi velit oſtendere non profutura cuiquam ſacra Religionis Chriſtianæ ſymbola Baptiſmi & Cœnæ, ſi profanus moribus & Numinis ſecurus extiterit, adfert exemplum Iſraelitarum ſub ducatu Moſis, quibus quod fuerint rebelles analoga noſtris ſacramentis fruſtra obtigerunt, cùm & baptiſmo quodam tincti fuerint ſub nube & in mari, & cibati cibo & potu ſpiritali quantum ad ſignificationem, in manna & aqua petræ ex qua bibebant. Sed dato non conceſſo quod nomen *baptiſmi* ſumeretur aliquando pro initiatione, non tamen inde ſequeretur verbum ipſum *baptizandi*, initiandi genericè vim habere. Tum etiã ſic foret hæc loquutio figurata & per metonymiã ſigni pro re ſignata uſurparetur, adeoque ſupponeret ſemper initiationem Chriſtianiſmi in baptiſmo aqueo conſiſtere; prout omnis initiatio in myſteriis profanis Gentilium, in aliqua καθάρσει & purgatione ſita erat. Imò cùm omnis initiatio aliquid rituale & ceremoniale notet ſuo ſignificatu, nullus ritus, nulla ceremonia, initialis ad Chriſtianiſmum concipi poteſt, præter baptiſmum. Quin etſi daremus alicubi vocem *baptiſmi* ſumi genericè pro qualicunque, non ceremoniali tantum, ſed etiam merè doctrinali, initiatione, is tamen non poſſet eſſe ſenſus in Chriſti mandato Matt. XXVIII, 19. Nam debebant μαθητεύειν, ideſt *docere* ac in diſciplinam Chriſti traducere omnes gentes, quod revera eſt eas Chriſto doctrinaliter initiare; gentes verò ſic jam edoctas & in ſcholam Chriſti traductas, debebant inſuper tingere & baptizare in nomen Patris, Filii & Spiritus ſancti: additâ ceremoniali initiatione ad doctrinalẽ. Quid autem quæſo abſurdius quam μαθητεύειν & βαπτίζειν, pro uno eodemque ſumere, & tribuere Chriſto frigidam tautologiam, quâ quod jam ſimpliciter & planè dictum fuerat in vocabulo μαθητεύειν, explicaret per phraſim baptizandi figuratam, obſcuram & inſolitam? Non hîc pugnabo autoritate Veterum & conſtanti ac liquidâ traditione univerſalis Eccleſiæ ab Apoſtolorum temporibus, cùm eam iſti Novatores nauci faciant: hoc tantum monebo, ipſummet Hugonem Grotium, qui cæteroquin paſſim adoptavit interpretationes Socinianas in Euangelia, tamen ſtatuere hoc Chriſti dictum omninò de baptiſmo aquæ eſſe intelligendum.

Prima eſt, quòd formam baptizandi hîc à Chriſto expreſſam, aliquando Apoſtolis uſurpatam fuiſſe nequaquam cernimus. Neque enim unquam in Patris, Filii, Spirituſque ſancti nomen, ſed tantùm in nomen Chriſti aqua baptizarunt. (*Act.* 2. 38: 8. 16: 10. 48: 18. 5. *Rom.* 6. 3. *Gal.* 3. 27.) Ex quo fit, ut niſi Apoſtolos Domino magiſtroque minimè paruiſſe volumus, fatendum ſit, Chriſtum hoc in loco de aquæ baptiſmo non loqui. Hìc autem dicent, ſatis Apoſtolos in nomen Patris, Filii, & Spiritûs ſancti baptizâſſe, baptizando in nomen Chriſti: cùm Chriſti vocabulum & ungentem, & unctum, & unguentum contineat. Atqui primùm non ubique ipſum

ipſum *Chriſti* vocabulum expreſſum eſt; imò cùm vox *nominis* adjungitur, ſemel tantùm. Alibi enim legimus, (*d. l. Act.* 8. 16: 18. 5: 10. 48.) homines baptizatos, fuiſſe *in nomen Domini Ieſu*, aut ſimpliciter, *in nomen Domini*. Deinde *in nomen Chriſti* baptizare, non eſt in vocabulum aut appellationem 666
Chriſti, ſed in ipſum Chriſtum baptizare: quo pacto invocare Dei aut Chriſti nomen, eſt ipſum Deum ac Chriſtum invocare. Cujus rei illud etiam argumentum eſt, quòd loco ejus, quod in Actis legitur, homines *in Domini* aut *Chriſti nomen* baptizatos fuiſſe alibi ſimpliciter dicitur, homines *in Chriſtum* fuiſſe baptizatos. (*d. l. Rom.* 6. 3. *Gal.* 3. 27.) Adde quòd, ſi maximè vocabuli haberetur ratio, aliud eſt, inter baptizandum, Patrem Spiritumque ſanctum aliqua ratione commemorare: aliud, in eorum nomen baptizare. Ad extremum, ſi ad hoc Chriſti mandatum exequendum ſatis foret Chriſti nomen pronunciare, nequaquam addidiſſet ipſe & Patrem & Spiritum ſanctum.

‡ *Prima eſt, quod formam*] Hæc ratio eſt valdè jejuna: Nam iſta loca quæ hîc congerit Volkelius, non agunt præciſè de *formâ* quâ baptiſmum ſuum adminiſtraverint Apoſtoli, ſed tantum de illius ſui baptiſmi fine & uſu: Nec potuerunt quemquam ritè initiare Chriſto per baptiſmum aquæ, quin eum baptizarent, juxta ipſiuſmet Chriſti præſcriptũ, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, maximè cùm hi tres unum ſint: unde factum ut ab ævo, ipſiſque Apoſtolicis temporibus, baptiſmus aquæ ſub hac formula proceſſerit: Et longè melius argumentabitur qui ſtatuet Apoſtolos cùm dicuntur baptizaſſe in nomine Chriſti, *formam baptizandi hîc* ab ipſomet *expreſſam* obſervaſſe, (eo quod mandati Dominici non fuerint magis immemores circa Baptiſmum quam circa ſacram Cœnam,) quam qui negaverit eos ideo hac formâ ſibi præſcriptâ uſos non fuiſſe, quod ea non referatur, ſed in genere dicantur baptizaſſe in nomine Chriſti: Nolim certè multum niti eâ obſervatione, quam hîc Volkelius ſuſcepit refutandam, quod baptizari in nomen Chriſti, ſit baptizari in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti, *cùm Chriſti vocabulum & ungentem & unctum & unguentum contineat*; Id enim magis ſubtile quam ſolidum mihi videtur; Sed vel ex eo conſtat non tam formam preciſè quâ uſi ſunt Apoſtoli & viri Apoſtolici ſignificari locis ab Adverſario citatis, quam finem, uſum & ſcopum baptiſmi quem adminiſtrabant, quod dicantur modò baptiſaſſe *in nomen Ieſu Chriſti* Act. II, 38. modò *in nomen Ieſu* Act. VIII, 16. modò *in nomen Domini* Act. X, 48. Act. XIX, 5. non ut malè citabatur à Volkelio Act. XVIII, 5. ubi Paulus monet etiam baptizatos fuiſſe *in nomen Domini Ieſu* qui tingebantur à Joanne; modò *in Ieſum Chriſtum* Rom. VI, 3. Gal. III, 27. Quis enim ſibi perſuadebit Apoſtolos, tam varios fuiſſe ut ſibi ipſis perpetuò diſſimiles, eandem *formam baptizandi* nunquam retinerent? Quare quæ hîc diſputat inſuper Volkelius de illa particula *in nomen Chriſti*, ſunt ἀπροσδιόνυσα & ſuâ futilitate ſe refutant. Supponunt enim, quod nunquam probabitur, Apoſtolos receſſiſſe inter baptizandum à formula ſibi præſcripta à Chriſto, & modò in nomen Domini, modò in nomen Jeſu, modo in nomen Chriſti baptiſaſſe: Cùm iis loquutionibus

Digitized by Google

bus non exprimatur quâ formulâ præciſe baptizarint; (hæc tanta varietas eos non decuiſſet) ſed tantum quo fine & cui uſui baptiſmum Chriſtianum adminiſtrarint, ſervatâ ſemper formulâ ſibi præſcriptâ à Domino. Apoſtolos enim ab illa receſſiſſe, Sociniani non probabunt in æternum.

Altera ratio hujusmodi eſt: Si hoc Chriſti mandatum aquæ bapſtiſmum præſcriberet, conſequens foret, Apoſtolos non minùs ad baptizandum, quàm ad Euangelizandum miſſos fuiſſe. Atqui ſecùs ſeſe rem habere, (*2 Cor.* 1. 17.) Paulus luculentiſſimè teſtificatur; non ad baptizandum, ſed ad Euangelizandum ſeſe legatum eſſe aſſerens; cùm tamen idem illius, quod cæterorum Apoſtolorum, munus eiſſet. Nec eſt, cur eum vel non principaliter, ſed minùs principaliter, vel non per ſe, verùm per alium, baptizare juſſum fuiſſe arbitremur: cùm nec effugiorum iſtorum ullum in Pauli verbis appareat veſtigium, qui diſertiſſimè dicit, ſe ad baptizandum miſſum non eſſe; nec ea cum Pauli mente ullâ ratione conveniant. Paulus quippe eâ mente ſic loquitur, ut ſuſpicionem, quam de ipſo Corinthii habere poterant, quaſi nimirum in ſuum nomen baptizaſſet, dimoveret tolleretque. Inquit enim: *Ago Deo gratias, quod neminem veſtrûm baptizaverim, niſi Criſpum & Cajum, ne quis dicat, me in nomen meum baptizaſſe.* quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi Paulus verbis illis, *ne quis dicat*, cauſam afferre voluerit, cur tam paucos baptizâſſet: ſed potiùs ut eventum rem iſtam conſecutum exprimeret, perinde ac ſi dixiſſet: Ego quidem nunquam putâſſem fore, utquiſquam veſtrûm ſeſe à me denominaret, ſeu meum ſeſe eiſe diceret, & ideò de hoc periculo præcavendo ne cogitavi quidem: ſed Deus pro ſua ſapientia mirabilem in modum mihi adfuit, cui rei iſtius nomine gratias ago, quòd, cum contingere facilè potuerit, ut veſtrûm multi à me baptizarentur, pauciſſimi tamen baptizati fuerint; adeò ut vix quiſpiam reperiri poſſit, qui in meum nomen ſeſe baptizatum eſſe ſuſpicari poſſit. Cum hac, inquam, Pauli ſententia, effugia illa nequaquam conveniunt. Sive enim principali ſive minùs principali modo, ſive
667. per ſe, ſive per alium, baptiſmum aquæ Paulus adminiſtraverit, *hanc ſuſpicionem* nequaquam effugere potuit. Tam enim is baptizat, ac porrò ei ſuſpicione occaſionem præbere poteſt, qui ut principaliter, quàm qui ut minùs principaliter hoc faceret, legatus eſt. Quod idem & de illo dicimus, cui, ut ſive per ſe, ſive per alium baptizet, mandatur: cùm veriſſimum ſit tritum illud vetuſtate dictum: Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur; ne dicam, magis eum videri in ſuum nomen baptizare, qui ſuo veluti loco ac nomine alium, ut baptizet, ſubſtituit. Reliquum igitur eſt, Paulum nullo pacto ad baptizandum fuiſſe miſſum; ſimiliterque de reliquis Apoſtolis

Digitized by Google

Apoſtolis exiſtimandum eſſe. Neque enim conſentaneum videtur, Chriſtum tanto Apoſtolo ſuo, totque nationes veritatis lumine illuſtraturo, rem tantam, atque ad remiſſionem peccatorum ac ſalutem ſempiternam conſequendam, ut multis videtur, adeò neceſſariam, minimè præceptu-rum fuiſſe, aut aliud aliis, eadem de re mandatum dediſſe. Imò cum, ſi quiſquam Apoſtolorum, Paulus certè is fuerit, per quem omnes gentes ad diſciplinam Chriſti adduci debuerunt; totum id, quod hoc Matthæi loco Apoſtolis præcipitur, ad Paulum inprimis pertinere ſtatuendum eſt.

‡ *Altera ratio*] Hæc ratio eſt adhuc frigidior priori. Nam Paulus 1 Cor. 1, 17. non negat abſolutè & ſimpliciter ſe miſſum fuiſſe *ad baptizandum*. Aliàs enim ſuæ legationis metas exceſſiſſet, eos baptizando quorum meminit eodem capite; Sed loquitur tantum comparatè & ſecundum quid, quod prima & potior pars ſui muneris fuerit euangelizare, (quod alteri cum ὑπεροχῇ Apoſtolica committere non potuit) non verò baptizare: Siquidem potuit aliis committere adminiſtrationem baptiſmi, non item infallibilem Euangelii prædicationem quæ ſolis Apoſtolis ceu Eccleſiæ fundatoribus competebat. Nec erant inter Corinthios, ut ſomniat Volkelius, qui putaverint Paulū *quempiam in ſuum nomen* baptizaſſe, quaſi in ea ſuſpicione amolienda multus debuerit eſſe: Sed erant qui ſe profitebantur Cephæ, alii Apollo, alii Pauli, non utique quod ab illis, nedum in eorum nomen, fuiſſent baptizati, ſed quod illorum diſcipulos & aſſeclas ſe gloriarentur. Has autem omnes denominationes, oſtendit eſſe vitioſas, tum quod nihil aliud iſti fuerint quā Miniſtri per quos crediderunt, tum quod ab illo demum deberent ſe denominare in cujus unius nomen fuiſſent baptizati, nempe Chriſti; ſiquidem nemo iſtorum, nec ipſe Paulus, pro illis fuerit crucifixus, 1 Cor. 111, 5. adeoque nullus Corinthius fuerit baptizatus in nomen Pauli, vel Cephæ, vel Apollo, 1 Cor. 1, 13. Unde obiter ipſe Paulus ſibi gratulatur quod paucos admodum baptizaverit Corinthi, ne quis fortè ſuſpicaretur eum patrocinari tam inſolenti nomenclaturæ, ac ſi in ſuo nomine tinxiſſet quos baptizaverat: Oſtendit autem qui factum quod tam paucos baptizaverit; quod videlicet ſui Miniſterii præcipua pars, ad quam perſonaliter & principaliter tenebatur, & quæ nulli poterat delegari, ad præconium Euangelii, non ita ad baptiſmi adminiſtrationem ſpectaverit. Neque ideſt inſolens in Scriptura, ut aliquid videatur abſolutè negari, quod tamen nonniſi comparatè & ſecundum quid debet intelligi: Cùm Deus dicebat Samueli, *Non te rejecerunt ſed me rejecerunt* 1 Sam. v111, 7. non negabat abſolutè Samuelem fuiſſe rejectum ab Iſraelitis, ſed ſtatuebat duntaxat ſe multò magis, adeoque primariò rejectum, quam Prophetam.

Conſequens igitur eſt, Chriſtum apud Matthæum non de aquæ baptiſmo revera præcipere, ſed de re ejuſmodi, quæ docendo, doctrinamque confirmando peragatur. Id quod planiſſimum fiet, ſi totum illum locum diligentiùs paulò excuſſerimus. Ejus igitur ſumma in hoc conſtituta eſt, quòd

Digitized by Google

Dominus Jeſus hoc Apoſtolis ſuis dat negotium, ut ex omnibus nationibus diſcipulos ipſi faciant. Hoc enim verbo μαθητεύσατε luculentiſſimè declaratur; quippe cujus primitivum, nimirum μαθητὴς, diſcipulum ſignificet. Quod verbum alibi etiam (*Act.* 14. 21. *Mat.* 27. 57.) ab Eraſmo, Caſtellione, Beza, *diſcipulum facere* redditum eſt; alibi, ubi neutraliter, ut Grammatici loquuntur, ponitur, *diſcipulum eſſe* ſignificat. Ut porrò, quo pacto diſcipuli faciendi ſint, intelligant, duobus ad eam rem opus eſſe docet: quorum alterum divina continet myſteria, quibus hominum mentes ad Patris, Filii, Spirituſque ſancti notitiam inſtituuntur, illiſque quaſi conſecrantur atque initiantur: alterum verò ad voluntatis humanæ reformationem ſpectat, quâ fit, ut Chriſti imperium exequamur. ad quod poſterius pertinet illud, quod ſtatim ſubjungit Dominus: *docentes eos ſervare omnia, quæ præcepi vobis.*

‡ *Conſequens igitur eſt*] Primùm ſi τὸ μαθητεύειν, duo illa complectitur βαπτίζειν & διδάσκειν, hinc ſequetur infantes fidelium ad diſciplinam Chriſti traduci per baptiſmum, quem tamen iſti homines rejiciunt. Deinde adultorum reſpectu de quibus hic potiſſimum ſermo eſt, valde abſurdè ſtatuas quod τὸ μαθητεύειν, omnes gentes ideſt *diſcipulos* Chriſto facere ex omnibus nationibus, ſit quid diverſum à τῷ διδάσκειν eas ſervare quicquid ipſe præcepit: cùm is potiſſimum ſit verus Chriſti μαθητὴς qui hæc ſervanda didicerit. Æquè ineptè fingas, aliud eſſe *hominum mentes ad Patris, Filii Spirituſque Sancti notitiã* inſtitui, aliud verò doceri ea omnia ſervare quæ Chriſtus præcepit; cum inter ea ſervanda, ſit illa ipſa notitia & fides Patris, Filii ac Spiritus Sancti. Quod ſi aliquid diſcriminis inter hæc tria ſit ruſpandum, τὸ μαθητεύειν, ſignificabit imbuere auditores primis fidei Chriſtianæ rudimentis & eos facere Catechumenos; τὸ βαπτίζειν eos ſic imbutos initiare ſolemniter per baptiſmum aquę; τὸ διδάσκειν, illos jam initiatos & epoptas ac myſtas factos porrò erudire in myſteriis ſalutis & ad altiora traducere. Quanto autem ſatiùs fuiſſet agnoſcere hîc, conjunctam à Chriſto cum prædicatione Verbi adminiſtrationem Sacramentorum, & utramque eum commiſiſſe ſuis Apoſtolis, & conſequenter omnibus Eccleſiarum paſtoribus poſt ipſos? Sed quicquid iſti homines volunt vehementer volunt; maluntque Paulo abrogare jus & poteſtatem baptiſmi adminiſtrandi, adeo ut baptizando fines ſibi poſitos à Chriſto egreſſus fuerit & cucurrerit extra orbitam vocationis ſuæ, quam non dejicere de ponte baptizandi formulam à Chriſto verbis conceptis expreſſam & quæ per ſedecim ſecula viguit inter Chriſtianos.

Alterum de aquæ baptiſmo madatum, ex illis Chriſti verbis, quæ apud Marcum extant, elicere conantur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* (*Mar.* 16. 16.) Hic rurſus de aquæ

aquæ baptiſmo verba revera non fieri fatendum eſt, niſi in hanc ſententiam 668.
Chriſtum loqui volumus: qui ſalutem ſempiternam conſequi cupit, is non ſolùm credat, ſed aquâ etiam baptizetur neceſſe eſt; ita ſcilicet, ut non minùs aquæ baptiſmus, quàm fides ad ſempiternæ felicitatis adeptionem requiratur. Atqui hanc ſententiam falſam abſurdamque eſſe, tum res ipſa, tum divinus ſpiritus clariſſimè teſtificatur.

‡ *Alterum de aquæ baptiſmo*] Hic locus Mar. XVI, 16. eodem ſpectat cum loco Matt. XXVIII, 19. de quo antea: Agit autem Chriſtus apud Marcum non de initiatione doctrinali, illa enim neceſſariò prior eſt fide Rom. X, 17. ſed de initiatione rituali & ceremoniali, quæ eſt ſignum & ſigillum juſtitiæ fidei, ut de circumciſione loquitur Paulus Rom. IV, 12. Certè doctrinaliter non initiatur qui jam credit, ſed ut credat: verùm qui jam fidem adjunxit Chriſto ritualiter per baptiſmum debet initiari ut factum in Eunucho Candacis Act. VIII, 36. Nec inde ſequitur baptiſmum aquæ fore paris neceſſitatis cum fide: Siquidem ipſe Chriſtus, ſubjungens, *qui non crediderit condemnabitur*, oſtendit luculenter non parem eſſe baptiſmi & fidei neceſſitatem, cũ fidei ſolius privatio damnet etſi baptiſmus adſit, non damnet privatio baptiſmi ſi fides adfuerit: Quod jam olim inculcavit Bernardus *epiſt.* 77. docẽs, non *privationem* ſed *contemptum* baptiſmi damnare: Ex Chriſti quidem præcepto debet adjungi baptiſmus fidei, ideſt profeſſionis publica teſſera, internæ fiduciæ, juxta regulam jugẽ Apoſtoli Rom. X, 9. 10. Et inde jure colligas baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti, quod ſi ſponte tuâ & contemptim violes accerſis tibi damnationem: Attamẽ non item ſequitur eum eſſe neceſſarium neceſſitate medii, ut ipſã fidem: cùm hæc ἁπλῶς requiratur mille in locis, ille nonniſi κατά τι & quo uſque haberi legitimè & obtineri poteſt. Quæ igitur hîc diſputat Adverſarius contra neceſſitatem baptiſmi, nos non lædunt, quia ſpectant neceſſitatem abſolutam medii, quam nec ipſi admittimus, in ſola neceſſitate præcepti acquieſcentes.

Nam quod ad rem ipſam attinet; ſi baptiſmus aquæ ad ſalutem omninò eſſet neceſſarius, de omnium illorum ſalute, quibuſcum hîc vel inprimis diſputamus, actum eſſet. Neque enim ea, quam illi baptiſmum vocant, guttularum aliquot aquæ aſperſio baptiſmus eſt, ſive vocis vim, ſive uſum Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum, primævæque Eccleſiæ ſpectes. Baptiſmus enim intinctio in aquam, & ablutio eſt: ut nôrunt omnes, qui vel primis labris Græcam linguam deguſtârunt. Hinc ablutiones Phariſæorum baptiſmi appellantur apud Marcum. (*Mar.* 7. 4.) hinc Chriſtus à Ioanne baptizandus in fluvium Jordanem deſcendit: uti & Philippus cum Eunucho: & de Joanne legimus, eum Ænone propè Salem baptizâſſe, quia multum ibi aquæ fuerit. (*Joh.* 3. 28.) At quorſum illa aquæ copia, ſi aliquot guttarum aſperſio baptiſmus eſt? Adde, quòd Paulus locis ſuperiùs à nobis adductis (*Rom.* 6. 4. *Col.* 2. 12.) apertè indicat, baptiſmum tum ſepulturam, tum

Digitized by Google

tum contrariam ei reſurrectionem adumbrare. Quòd ſi aſperſione tantùm abſolvitur baptiſmus, quæ ſepulturæ, quæ reſurrectionis umbra? At ſi homines in aquam immergantur, & porrò inde denuo emergant; illa quidem re ſepulturam, hac verò reſurrectionem adumbrant.

‡ *Nam quod ad rem*] Quæ hic inſperguntur de baptiſmo per aſperſionem frivola ſunt: Nam baptiſmum etiam ſola aquæ aſperſione & ῥαντισμῷ peragi poſſe, & quandoque ab ipſis Apoſtolis peractum fuiſſe, multa ſunt quæ evincunt: I. Baptiſmi res ſignificata, in ſuo formali, nempe ſanguinis Chriſti applicatio ſaluifica conſcientiis noſtris, per ῥαντισμὸν & aſperſionem exprimitur Heb. XII, 24. 1 Pet. I, 2. II. Baptiſmi illi multi Judaici, commemorati Heb. IX, 10. X, 22. & quorum imitamentum quoddam adeſt in noſtro baptiſmo, fiebant etiam plerumque per ῥαντισμὸ & aſperſionẽ: id docet clarè Paulus Heb IX, 13. 19. 21. Id docet quoque Marcus, Volkelio citatus, VII, 4. 8. Nam Phariſæorum baptiſmi omnes, non procedebant per immerſionem, ſed potiùs per aſperſionẽ aquæ illius luſtralis ex cineribus vaccæ rufæ, quæ in ſingulorum ædibus ad purificationem legalem aſſervabatur Joh. II, 6. Nec credibile eſt Phariſæos, ſe totos, etiá togatos, immerſiſſe in aquam cùm redibant ex foro; aut non tantum ſextaria, pocula & æramenta, ſed ipſos quoque lectos immerſiſſe aquæ, cum eâ ratione potiùs corrupti, quam purificati fuiſſent. III. Vocabulum Græcum, βάπτειν & βαπτίζειν, non ſolum intinctionem & immerſionem denotat, ſed etiam quamlibet ablutionem: Ablutio autem omnis immerſionem non requirit, cùm poſſit fieri aſperſione, vel affuſione, ut quotidie evenit in lotione manuũ. Sic enim Phariſæi πυγμῇ lavabant manus Marc. VII, 3 non eas in aquam immergendo, ſed affundendo & aſpergendo illis aquam. IV. Vocabulum Græcum reſpondet vocabulo Latino *tingere* vel *tinguere*, quo ſæpè uſus eſt Tertullianus: Qui tingit autẽ vel tinguit, non neceſſariò immergit, ſed id præſtat penicillo & aſperſione: Ita is *purpureo ſanguine tingit humum*, ut loquitur Ovidius, qui eam madefacit ſuo ſanguine in illam effuſo: Nec immergit totum caput in colorem nigrum, qui canos occultare conatur, ut dicebat Martialis, *Mentiris juvenem tinctus Lentine capillis.* Etiam eum crebris *tingere poculis*, ut loquitur Horatius, non quem totum quantum poculis immerſeris, ſed quem Liberi Patris rore, ut Baudius quandoque loquitur, liberaliùs aſperſeris: Quin ille *tinctus literis* dicitur Ciceroni, non qui totus ſtudiis literarum ſit immerſus, ſed è contrario qui nonniſi leviter & mediocriter illis aſperſus fuerit, eaſque primoribus duntaxat labris, quod aiunt, deguſtarit. Non inficior baptiſmum Johannis per immerſionem proceſſiſſe, & Eunuchum Candacis in aquam deſcendiſſe ut baptizaretur à Philippo, & plerumque olim per totum Orientem immerſione in aquam baptiſmum peractum fuiſſe: Sed nego inde regulam extrui poſſe contra aſperſionem, ac ſi nullus foret baptiſmus qui per eam proceſſerit. Nam primò, ut ad communionẽ Euchariſticã, non requiritur certa quantitas eaque major panis & vini, ita nec ad baptiſmum requiritur neceſſariò grandior aquæ portio; cùm non minor ſit analogia aliquot guttarum aquæ ad ſanguinis Chriſti aſperſionem, quam micæ panis ad ipſius corpus & animarum

rum

Digitized by Google

rum noſtrarum pabulum per illud. Deinde pertendo ita obtinuiſſe ordinariè immerſionem ad baptiſmum, ut tamen plerumque ſaltem extra ordinem per aſperſionem proceſſerit. In prima pentecoſte Chriſtiana Act. II, 41. ter mille homines uno die baptizati ſunt ab Apoſtolis, in ædibus privatis quò convenerant: Id ſanè per immerſionem peragi nequivit; cùm neque in ædibus privatis balneum fingi queat capax illius multitudinis, neque tantillo temporis ſpatio, (nam erat hora diei tertia, ideſt nona noſtra matutina cùm concurſus iſte factus eſt ad ædes Apoſtolicas Act. II, 15.) tantus hominum numerus exui, immergi, & iterum indui potuiſſet. Idem dico de Paulo baptizato in ædibus privatis Act. IX, 18. de Cornelio & ipſius domeſticis baptizatis domi ſuæ Act. X, 47. 48. necnon de Lydia & Commentarienſi Philipporum, quorum illa domi ſuæ fuit baptizata cum univerſa ſua familia, hic cum ſuis omnibus illâ ipſâ nocte quâ credidit in ipſo carcere Act. XVI, 15. 33. Hæc autem longè probabiliùs per aſperſionem peracta ſunt & peragi potuerunt, quam per immerſionem; Nec aliter dubio procul tincti quondam in veteri Eccleſia qui *Clinici* dicti fuerunt, & quotquot baptizabantur in præſenti mortis periculo, extra tempora conſtituta ſolemniori baptiſmo, qui per immerſionem peragebatur. Æquè etiam per aſperſionem ac per immerſionem, ſepultura veteris hominis & reſurrectio novi adumbratur: Nam aſperſio aquæ fit in fronte ſupra oculos: Qui autem aquam habet ſupra oculos, ille mortuus & aquâ obrutus ac ſepultus ſignificatur. Hæc eadem aqua ſi effluxerit, ejus emerſionem & reſurrectionem liquidò adumbrat. Ut ridiculi fuerint, nuperi illi in Anglia Anabaptiſtæ, qui ex defectu immerſionis in priori baptiſmo, eum reiterandum definiebant.

Quid quòd, dum ad infantes baptiſmum tranſtulerunt, id, quod in baptiſmo Apoſtolico præcipuum eſt, &, ut in Scholis loquuntur, formam ejus conſtituit, ſuſtulerunt. Id verò eſt, quòd ii, qui baptizantur, externo hoc ritu teſtentur, ſe ſordes peccatorum abluere, & puritatem vitæ ſectari in poſterum velle; ſe Chriſtum velle induere, & peccato in poſterum mori, ad novitatem autem vitæ, ſpe glorioſæ illius reſurrectionis, reſurgere. Quare ſi baptiſmus aquæ ab Apoſtolis adminiſtratus ad ſalutem eſt neceſſarius, actum eſt de eorum, cum quibus præcipuè hîc nobis res eſt, ſalute.

‡ *Quid quod dum*] Hæc alia obſervatio eſt infrunita. Nam etiam infantes cùm baptizantur obligantur eo ipſo *ad ſordes peccatorum* abluendas & *puritatem vitæ* ſectandam, ubi adoleverint: Nec refert quod tum non cenſeantur iſtud *velle* in actu ſecundo, ut adulti: Nam etiam infans qui in cunis diademate & ſceptro ornatur, per id obligatur ad regiæ dignitatis officia & munia ubi adoleverit, licet ſe ad id obligari nondũ intelligat. Præterea nego *formam* eſſentialem baptiſmi in eo voto & profeſſione ſitam eſſe: cùm per prius ordinetur ad ῥαντισμὸν ſanguinis Chriſti ſignificandum & obſignandum, ipſoſque baptiſatos ei incorporandos & inſerendos: Id autem pædobaptiſmus æquè ac circumciſio olim præſtat in infantibus, quos Chriſtus noluit impediri quominus

Digitized by Google

ad ſe venirent, ab ipſo benedicendi, per ſolemnem manuum impoſitionem Matt. XIX, 13. 14. 15. & qui cùm ſancti ſint fœderaliter 1. Cor. VII, 14. ab initiali Sacramento fœderis & ſanctificationis quod circumciſioni ſucceſſit Col. II, 11. arceri non debent.

Sed præterea apertiſſimè Petrus Apoſtolus, aquæ baptiſmo vim ſervandi derogat, ſpiritualique baptiſmo eam tribuit. (1. *Pet.* 3. 21.) Poſtquam enim baptiſmum nos ſervare aſſeruiſſet, ſtatim ſubjunxit, ſe nequaquam de corporis ſordium ablutione, quæ aqua hac elementari perficitur, ſed de eo baptiſmo ſermonem inſtituiſſe, qui bonæ conſcientiæ interro-
669. gatio eſt, per Jeſu Chriſti reſurrectionem, id eſt, qui ejuſmodi mentis voluntatiſque continet reformationem, (utpote ex Chriſti, tum reſurrectione, tum hanc conſecutâ gloriâ potentiâque profluentem) quæ coram Deo conſtare poſſit, quæque tantam conſcientiæ fiduciam largiatur, ut audeat à Deo ſalutem ſempiternam ſtipulari, ac ex promiſſo ipſius poſtulare.

† *Sed præterea apertiſſimè*] Fateor Petrum hoc loco, *aquæ baptiſmo* oppoſitè ad rem ſignificatam & ſeorſim ab illa, *vim ſervandi* principalem derogare: Sed I. non ideo illum pronunciat inutilem aut negligendum; 2. illi è contrario tribuit vim ſervandi ſacramentalem & obſignativam; dicit enim quod eſt *aquâ* vel per quam in arca octo viri Noachici ſunt ſervati, nunc ſervet nos *ἀντίτυπον βάπτισμα*, ideſt illud baptiſma quod eſt typus figura, imago, ſignum & ſacramentum noſtræ liberationis & ſalutis; quod dicitur *ſervare nos*, non principaliter & per id quod externè fit, ſed ſacramentaliter & per id quod internè ſignificat & adumbrat: Ut velit Apoſtolus, nos in baptiſmate hoc conſiderare non tam quid ſit quam quid ſignificet, nec illud æſtimare à ſua materia ſenſibili, quæ ſignificat, ſed à ſua materia intelligibili ac ſpirituali, quæ ſignificatur; Nam ut benè monet Auguſtinus *lib. 3. de doct. Chr cap. 5. ea demum eſt miſerabilis animæ ſervitus ſigna pro rebus accipere, & ſupra creaturam corpoream, oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non poſſe.* Non itaque Petrus excludit aquam ſenſibilem ab eo baptiſmo qui nos ſervat; aliàs non potuiſſet eum *ἀντίτυπον* appellare, ideſt typum eximium ſalutis noſtræ, prout illa particula *ἀντὶ* in eo vocabulo, non tam eſt adverſativa, quam intenſiva, ut Heb. IX, 24. Quo ſenſu apud Veteres ſæpè baptiſmi aqua, & panis ac vinum Euchariſtiæ eo nomine veniunt. 2 Sed Apoſtolus negat ſalutem ipſi aquæ materiali eſſe tribuendam, cùm rei ſignificatæ & *ſpirituali baptiſmo*, ſalus ſit adſcribenda. Non negat itaque Petrus ſe *de corporis ſordium ablutione quæ aquâ hac elementari perficitur*, loqui; cùm è contrario eam præſupponat, in vocibus *antitypi* & *baptiſmi*; ſed negat tantum illi ſalutem eſſe adſcribendam, ſi baptiſmus interior & ſpiritualis abfuerit; quem appellat *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν*, *bonæ conſcientiæ ſtipulationem apud Deum*, habito reſpectu ad ſtipulationes & reſtipulationes fidei in Deum, abrenunciationis mundo & Satanæ &c. quæ obtinebant in ipſo baptiſ-

baptiſmo: de quibus videatur baptiſmus eunuchi **Act. VIII, 36. Nec** malè faciunt qui illa verba Petri, *non quo carnis ſordes abjiciuntur, ſed ſtipulatio bonæ conſcientiæ apud Deum,* parentheſi includunt, ut conſtet Apoſtolum, tribuere baptiſmo, quod nos ſervet non per ſe, ſed *per reſurrectionem Chriſti.* Aliàs vix capi poſſet quomodo vel *bonæ conſcientiæ interrogatio*, ſive potiùs ſtipulatio, dicatur fieri *per Ieſu Chriſti reſurrectionem*; vel illa ſive interrogatio ſive ſtipulatio, ſonet *ejuſmodi mentis voluntatiſque reformationem, quæ coram Deo conſtare poſſit, ut audeat à Deo ſalutem æternam ſtipulare ac ex promiſſo ipſius poſtulare*: Agit enim Apoſtolus de ea promiſſione reformationis in baptiſmo, quam Deus per ſuos miniſtros à baptiſato ſtipulatur, & quam in conſcientia abluta ſanguine Chriſti conſequitur libertas & jus illud à Deo ſtipulandi, & ſalutem poſtulandi; nec ſtipulatio ac promiſſio reformationis iſtius, ipſammet reformationem propriè *continet.*

Abſurdam quoque ſententiam iſtam eſſe inde perſpicitur, quòd homini alioqui firmiſſima fide Chriſtum complectenti, ipſiuſque verbo audientiſſimo, ſempiternam ſalutem eam tantùm ob cauſam denegat, quòd aquâ baptizatus non ſit, idque vel quia ejus rei copiam poteſtatemque nullam habuerit, vel quia ſeſe ceremoniâ iſtâ obligatum eſſe minimè putet. Quòd enim multi hæc Chriſti verba ad illos tantùm ſpectare volunt, qui aquæ baptiſmi copiam habere poſſunt; id hanc ipſam ob cauſam errore implicatum cenſeri debet, quòd interpretationis iſtius ne tenuiſſimum quidem in his Chriſti verbis veſtigium apparet, ſimplicique orationis genere, tam baptiſmus, quàm fides ad ſalutem requiritur. Cùm porrò Chriſtus hoc in loco ſine dubio de iis rebus ſermonem inſtituerit, quæ ad ſempiternæ felicitatis adeptionem neceſſariæ ſunt, eaſque ut ipſa verborum complexio convincit, ex Euangelii diſciplina hauriendas eſſe doceat; conſequens eſt, fidei eam rem hîc adjunctam eſſe, in quam baptiſmi appellatio optimè conveniat, quæque fidem, ut ſalutifera ſit, perpetuò comitari debeat. Hæc autem eſt vel aperta nominis Domini Jeſu Chriſti, fideique profeſſio, cujus ſymbolum fuit baptiſmus aquæ, olim in Chriſti Eccleſia uſurpatus, ut ita ſignum pro re ſignata ponatur; vel vera pœnitentia, quâ mentes noſtræ à peccatorum ſordibus eluuntur: quam ob cauſam paulò ante eam à Petro baptiſmi nomine appellari vidimus. Utrumque & loco, & totius Chriſtianæ religionis analogiæ eſt conſentaneum. Nam & fidei profeſſio, & pœnitentia ad ſalutem omninò eſt neceſſaria, itaque comparata, ut ei cum fide conjunctæ ſalus rectè adſcribi queat. Nam quod ad profeſſionem fidei attinet, ei Paulus unà cum fide, unde proficiſcitur, ſalutem tribuit. (*Rom.* 10, 9, 10.) Similiter & pœnitentia, non minùs quàm fides, exigitur ab iis, qui ſervari velint. Unde hanc

Digitized by Google

hanc rationem in Euangelio prædicando ſecuti ſunt Apoſtoli, ut & fidem & pœnitentiam hominibus inculcarent. Paulus enim dicit, (*Act.* 20. 21.) ſe & Judæis & Gentibus pœnitentiam in Deum, & fidem in Chriſtum prædicaſſe. Quod idem & reliquos feciſſe inde conſtat, quòd Chriſtus illis has partes imponens, pœnitentiam apertè commemorat. (*Luc.* 24. 47.) Quid, quòd & ipſe Chriſtus, cùm munus ſuum exordiretur, pœnitentiam cum fide conjungens, *Pœnitentiam agite*, inquit, *& credite Euangelio.* (*Mar.* 1. 15.)

‡ *Abſurdam quoque*] Nullis fidiculis poteſt extorqueri ex Marc. XVI, 16. damnatum iri credentem ſi *aquâ baptizatus non ſit*: Nam ut antea monui non baptiſmi mera privatio, ſed illius contemptus obeſt ſaluti, ut olim obtinebat in circumciſione, cui baptiſmus ſucceſſit in N. T. Etiam ita intelligendum eſſe Chriſtum vel inde patet, quod ubi dixit, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur*, illicò ſubjungit, *Qui verò non credidederit, condemnabitur*, nullâ facta mentione defectus ex parte baptiſmi: Sic enim indicat quod ut ſola incredulitas ſufficit ad condemnationem, ita ſola fides ſufficit ad ſalutem, adeoque ſe conjunxiſſe baptiſmum fidei, non quod damnetur qui non fuerit baptiſatus, ut damnabitur qui non crediderit, ſed quod ad fidem debeat accedere, quantum fieri poteſt, ut olim in patre credentium, ſignum & ſigillum juſtitiæ fidei. Nec id eſt alienum à ſtylo Scripturæ ut duo ſimul conjungantur, quantumvis non pari loco habeantur; ut cùm dicitur populus credidiſſe Deo & Moſi, & cùm lavacrum aquæ verbo conjungitur ad ſanctificationem Eccleſiæ. Quidni ergo dixerim fidem & baptiſmum conjungi à Chriſto, ceu neceſſaria ad ſalutem; ſed non in eodem neceſſitatis gradu: cùm illa ſit abſolutè neceſſaria neceſſitate medii, ſine quo ſalus non poteſt obtineri; hic ſit neceſſarius tantum ſecundum quid, neceſſitate præcepti.

Hæc autem eſt]. Hîc ſane author prodit ſuam ἀκαταστασίαν. Nam baptiſmus cujus fit mentio apud Marcum hoc loco, idem eſt cum eo de quo eſt ſermo apud Matthæum cap. ult. Jam autem baptiſmus Matthæi fuit Volkelio initiatio doctrinalis. Cur ergo apud Marcum, erit vel externa profeſſio fidei, vel pœnitentia? Et quo Scripturæ loco alterutram oſtendet nomine baptiſmi ſignificari & denotari? Tum *aperta fidei profeſſio*, eſt quidem ſemper neceſſaria quoad ſuos actus negativos, ut nihil unquam facias, quo videaris fidem abnegare; ſed non eſt ſemper neceſſaria quoad actus ſuos poſitivos, ut ubi-vis locorum, etiam non rogatus, te Chriſtianum profitearis: Atqui ſic Chriſtus profeſſionem fidei cum fide ipſa conjungendo, etiam duo conjunxiſſet neceſſaria, ſed non in eodem neceſſitatis gradu. Et ſi ideo profeſſio fidei hic debeat intelligi, quod *illius ſymbolum* ſit *baptiſmus aquæ, ut ita ſignum pro re ſignata ponatur*, cenſendus igitur erit Chriſtus unà ſanxiſſe baptiſmi uſurpationem, in ſignum & ſymbolum iſtius profeſſionis; quod antea propriè loquendo non fuerat. Debet enim Volkelius ludibrium ſuo Lectori, cùm fingit Chriſtum hac metonymiâ uſum, quod *baptiſmus aquæ olim in Eccleſia Chriſti uſurpatus*, profeſſionis fidei ſymbolum fuerit. Siquidem cùm Chriſtus hęc loquutus eſt, nulla adhuc extiterat *Eccleſia Chriſti* ſpecificè ſic dicta,

nullum

nullum in baptiſmo ſymbolū commune fidei in Chriſtum, ſed utrumque in prima demum pentecoſte Chriſtiana incœpit. Quid verò abſurdius quam eodem baptiſmi vocabulo, *utrumque* hîc intelligi, ſcilicet profeſſionem fidei & pœnitentiam, rejectâ propriâ illius vocis ſignificatione? Pœnitentiam *à Petro baptiſmi nomine appellari* 1. Pet. III, 21. gratis ſomniat Volkelius, nec modò id viderat apud Petrum, cum de hoc illius dicto diſſerebat. Cur non enim interrogationē bonæ conſcientiæ, *quæ tantam illi fiduciam largitur ut audeat à Deo æternam ſalutem ſtipulari*, potiùs ad fidem in Chriſtum, quam ad pœnitentiam referas? Quod verò *& fidei profeſſio & pœnitentia ad ſalutem omninò eſt neceſſaria, itaque comparata ut ei cum fide conjuncta, ſalus rectè adſcribi queat*, nihil juvat cauſam Volkelii: Nam primò negamus ex conjunctione baptiſmi cum fide, benè colligi parem neceſſitatem baptiſmi & fidei. Deinde, ſi nomine baptiſmi hîc intelligitur quicquid cum fide *ad ſalutem omninò* eſt neceſſarium, æquè hunc baptiſmum interpretaberis de Spiritu adoptionis & precum, de ſpe & charitate, de choro omnium virtutum Chriſtianarum, ac de profeſſione fidei aut pœnitentia, cùm iſta omnia ſint æquè neceſſaria *omninò* ad ſalutem. Quare quæ porrò diſſerit Volkelius de profeſſione fidei & pœnitentia conjunctis fidei, huc nihil faciunt, neque nos morari debent.

Animadvertendum autem eſt, iſtis in locis fidei nomine, non plenam illam abſolutamque fidem, quâ ſolâ juſtitiam conſequimur, intelligendam eſſe. ſic enim fruſtra ſineque cauſa idem repeteretur: cùm vera pœnitentia fidei iſtius pars ſit: quod idem de confeſſione ſtatuendum. Intelligendus autem eſt eo nomine aſſenſus doctrinæ Chriſti adhibitus, quem ſæpenumerò vitæ correctio ſeu pœnitentia minimè conſequitur: propterea quòd aſſenſus ille ſæpe mancus aut infirmus eſt. 670.

† *Animadvertendum autem eſt*] Hæc animadverſio duplici nititur falſo fundamento: Primò quod pœnitentia ſit pars fidei ſalvificæ, cùm ſit tantum illius adjunctum neceſſarium, & tam falſò id tribuas pœnitentiæ, ac ſpei vel charitati, quæ cum verâ fide indivulſo nexu cohærent. Deinde quod ubi fidei ſalus tribuitur, ut Marc. XVI, 16. Rom. X, 10. aut pœnitentia fidei conjungitur ut Act. XX, 21. Luc. XXIV, 47. Marci I, 15. non intelligitur plena & abſoluta fides, *quâ ſolâ juſtitiam conſequimur*, ſed qualiſcunque *aſſenſus doctrinæ Chriſti adhibitus, quem ſæpenumerò vitæ correctio ſeu pœnitentia minimè conſequitur*: Nam talis aſſenſus nonniſi catachreſticè fides diceretur ut fides ea mortua eſt quæ caret operibus: Nec tamen ideo fides ſola non juſtificat, quod non juſtificet ſi ſola ſit; ſiquidem ſi ſola fuerit, nequidem fides erit niſi æquivocè: Solus eſt oculus qui videt, etſi ſi ſolus fuerit & revulſus à capite non videat: tunc enim nonniſi æquivocè & impropriè oculus dici poteſt.

Hic verò Apoſtolos haud levis peccatis accuſari inquient, ut qui proprio ingenio nixi, nulloque Dei Chriſti ve mandato impulſi, rem tantam auſi fuerint in terrarum orbem inducere. Reſpondemus autem, nequaquam eum ſeſe peccato obligare, qui rem non mandatam facit: ſed qui rem interdictam

Digitized by Google

dictam aut interdictæ ſimilem, mandatæque contrariam deſignat. quorum nullum in aquæ baptiſmo per Apoſtolos adminiſtrato cernimus: quippe qui, licet in rebus mandatis habendus non ſit, tamen nec interdictus, nec iis, quæ interdicta ſunt, ſimilis, nec aliis Chriſti præceptis contrarius ullo modo, imò maximè conſentaneus ſit. Nam, ut ſuprà diximus, & is ritus jam à Joanne Baptiſta in Dei populum inductus erat, & à Chriſto, ſeu, eo conſentiente, ab ipſius Apoſtolis etiam ante illius reſurrectionem uſurpatus, (*Ioh.* 4. 1, 2.) & ad homines Chriſtianæ religionis ante illud tempus ignaros, in pœnitentiæ diſciplinam recipiendos, Chriſtique diſcipulos declarandos, aptiſſimus fuit. Adde, quòd Apoſtoli viri divini erant, & ideo Spiritus ſancti inſtinctu, etiam citra expreſſa mandata, multa abſque peccato facere poterant. Quo pacto Paulus Timotheum circumcidit, (*Act.* 16. 3.) cum tamen circumciſionis ceremonia in eorum numero haberetur, quibus ipſe Chriſtianam nationem minimè obſtringi, & verbis & exemplo docuit, (*Gal.* 5. 2. *&* c. 2. ỳ. 3, *& d.*) In hoc genere & hoc Apoſtolorum inſtitutum eſt, (*Act.* 15. 20, 28, 29.) quo abſtinentia à ſanguine & ſuffocato ſanciebatur: quorum tamen uſum Chriſtiano homini, dummodò ſcandalum abſit, conceſſum eſſe, planiſſimè conſtat. Quid verò de manuum impoſitione dicam, de qua nullum præceptum datum Apoſtolis eſſe conſtat? Quid de illis Pauli conſiliis, quæ ita ſeſe Corinthiis dare ipſe ait, (1 *Cor.* 7. 12. *& d.* ỳ. 25, *& d.*) ut nullum habeat Domini mandatum?

‡ *Hic verò Apoſtolos*] Reſponſio adverſarii eſt abſurda: Nam generaliter loquendo, & ubi ſermo non eſt de hominibus θεοπνεύςοις, à Deo ſubmiſſis & auctoratis ad cultus ſui inſtitutionem, ſub ductu & aſſiſtentiâ infallibili Spiritus Sancti, in iis quæ ad Dei cultum publicum ſpectant, etiam id eſt interdictum quod mandatum non eſt, debetque cenſeri eo caſu fieri contra quam ſcriptum eſt cùm ſit præter id quod ſcriptum eſt. Unicè enim debemus inſiſtere Dei mandatis, nihil detrahendo, nihil adjiciendo, & tabernaculum erigere ad ideam quam nobis propoſuit in ſua Lege: Nadab & Abihu Levit. x, 1, 2. graviſſimè peccarunt, offerendo ignem peregrinum; non *rem interdictam*, ſed tantum rem *non mandatam* faciendo: Chriſtus præcipiendo ſuis Apoſtolis ut docerent ea omnia ſervanda quæ ipſis præceperat, noluit ut quicquam ſervandum docerent quod ab ipſo non accepiſſent: Nec ulla eſt ratio cur id potiùs occœpiſſent Baptiſmi reſpectu, quam Sacræ Cœnæ. Id etiam mirum quod baptiſmus ſtatuatur præceptis Chriſti *maximè conſentaneus*, qui tamen negatur à Chriſto vel præceptus vel inſtitutus. Joannem Baptiſtam *hunc ritum induxiſſe ex Dei mandato*, ſuo loco vidimus: adeoque ceu divinæ inſtitutionis, jam ante mortem Chriſti ab ipſius Diſcipulis fuit uſurpatus Joh. IV, 1. 2. & poſtea ex ejuſdē Chriſti ordine & mandato, potiùs quam ex tacito illius conſenſu, ab iiſdem adhibitus, illis initiandis Chriſto qui inter ejus diſcipulos cenſeri volebant. Nec opus erat hîc recurrere ad *Spiritus Sancti inſtinctum* in Apoſtolis, circa

ſis, circa uſurpationem baptiſmi, ubi tam expreſſum Chriſti mandatum occurrebat; & ſi quædam fecerunt legitimè Apoſtoli ex *inſtinctu* Spiritus Sancti *citra expreſſa mandata*, eò tamen non debet referri tam conſtans baptiſmi adminiſtratio per ipſos. Quamvis vel nobis ſatis foret, quod cum *viri divini* fuerint, præditi immediatâ & infallibili aſſiſtentiâ Spiritus Sancti, debeat cenſeri id eſſe inſtituti divini, quod ab ipſis factum tam univerſaliter fuerit. Quare dato non conceſſo Chriſtum non expreſſè mandaſſe Apoſtolis uſurpationem baptiſmi, tamen teneremur in illius uſurpatione continuare, ejuſque authorem Chriſtum in ſuis Apoſtolis cognoſcere. Fruſtra autem hîc trahas circumciſionem Timothei Act. XVI, 3. Cùm enim honeſtè eſſet ſepelienda Synagoga, circumcidendus fuit Timotheus, ex Chriſti mandato de puſillis inter ſuos non ſcandalizandis; ut Titus incircumciſus debuit manere, ne falſis fratribus & inſidiantibus libertati Chriſtianæ quicquam concederetur, quod non fuiſſet ὀρθοποδεῖν in Euangelio, Gal. II, 3, 4, 5, 14. Tùm Ceremoniæ legales, ut jam mortuæ, potuerunt ac debuerunt honeſtè ſepeliri, quò ſpectavit circumciſio Timothei; at factæ mortiferæ poſt ſufficiens Euangelii præconium, debuerunt omninò aboleri; quò facit illud Paulinum Gal. V, 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, ſi circumcidamini Chriſtum nihil vobis profuturum.* Interdictum ſanguinis & ſuffocati ad tempus in Eccleſia Act. XV, 20. 28. 29. diſertè adſcribitur Spiritui Sancto; adeoque pro ſimpliciter divino haberi debuit: Et adhuc hodie illo teneremur, niſi Paulus Apoſtolus, non uno loco, ut ante viſum, nos eo non ampliùs teneri apertè docuiſſet. Quod ſi tam facilè demonſtrarent Sociniani Apoſtolos uſpiam ſignificaſſe, Baptiſmi uſurpationem non eſſe ampliùs retinendam, ut illâ lege cibariâ ſanguinis & ſuffocati, nos poſtea liberatos pronunciarũt, nollemus cum ipſis de baptiſmo neceſſariò retinendo contendere. Sed quamdiu non induxerint deleverintque Pauli dictum Eph. IV, 5. *unus Dominus, una fides, unum baptiſma*, non cenſebimus baptiſmum rebus adiaphoris annumerandum, aut ejus adminiſtrationem abolendam in Eccleſia. Manuum impoſitio merito adhibita eſt ab Apoſtolis, cùm jus habuerint quà Apoſtoli Domini, hunc ritum inſtituendi, ex uſu priùs recepto inter ipſos Judæos, circa inaugurationem & conſecrationem Miniſtrorum Eccleſiæ: cumque non eſſe rejiciendũ inter adiaphora & quæ pro lubitu omittamus, evictum eſt antea. Chriſtus ipſe ſolemni ritu benedicturus infantibus ſibi oblatis, manus illis impoſuit, Matt. XIX, 15. & dum promiſit ſuis diſcipulis quod ægrotis manus imponendo eos ſanarent, hanc χειροθεσίαν illis commendavit Marc. XVI, 18. Quam poſtea acti à Spiritu Sancto accommodarunt & cenſuerunt accommodandam inaugurationi & conſecrationi Miniſtrorum Eccleſiæ: quò pertinent præſertim loca 1 Tim. IV, 28. & V, 22. Ille enim vult & jubet manus imponi jam maturis ad miniſterium, qui prohibet ne cuiquam juſto citiùs & temerè manus imponantur. Quantum ad conſilia Pauli commemorata 1 Cor. VII, 12. & ſeq. item ℣ 25. & ſeq. illa huc fruſtra adducuntur: Nam conſilia prudentiæ Chriſtianæ, non ſunt habenda loco mandatorum, nec cum illis confundenda. Tum etiam circa illa ipſa quæ ceu ſua diſtinguit Paulus ab iis quæ erant Domini ℣. 10. 12. & ſalubria illa conſilia accommodata tempori, de quibus nihil fuerat à Chriſto expreſſè definitum ℣. 25. & ſeqq. profitetur diſertè ℣. 40. ea à Spiritu Sancto in ſe & per ſe

per ſe loquente profecta fuiſſe. Ut illis exemplis non poſſit probari baptiſmum ab Apoſtolis uſurpatum, non fuiſſe originis & inſtitutionis divinæ: quod ſanè ſatis foret ei vindicando ab hodiernorum Catabaptiſtarum contemptu. Et cùm ſaltem fateatur Volkelius non peccaſſe Apoſtolos uſurpando baptiſmum aquæ, imò eos illum uſurpaſſe ex inſtinctu Spiritus Sancti, id omninò deberet ſufficere, pro ejus uſu conſtanter retinendo; cùm illius abrogandi vel intermittendi, nec vola nec veſtigium extet in Scriptura.

Sed jam ad illud veniendum eſt, quod tertio loco propoſueramus, id eſt, diligenter inquirendum eſt, an omnibus ſeculis, & porrò hac etiam ætate, Eccleſia omneſque, qui ad eam ſeſe conferunt, baptiſmi iſtius religione devincti ſint. Dicimus igitur, nequaquam hoc demonſtrari poſſe, etiam-
671. ſi præcedentia duo ſcripturæ teſtimonia præter omnem veritatem, de aquæ baptiſmo loqui concedamus. Ut enim prius teſtimonium primò perpendamus, quis non videt, Chriſtum de illis tum docendis, tum baptizandis verba facere, qui à Chriſti diſciplina antea planè fuerunt alieni? Quales cum, qui hodie in Chriſtiana republica verſantur, non ſint; quippe qui jam inde à primo ætatis ſuæ exordio, nullam aliam præter Chriſtianam religionem profeſſi fuerint; parumne liquet, aquæ baptiſmo, ex hoc Chriſti mandato, omnes omnium ætatum homines nequaquam obſtringi?

t *Sed jam ad illud*] Hæc exceptio eſt frivola: Nam ſatis eſt quod Chriſtus velit eos qui fuerint facti ſui diſcipuli, & inſtituti voce Euangelicâ, baptizari in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti. Si qui ergo eorum *qui hodie in Chriſtiana republica verſantur*, volunt inter Chriſti diſcipulos accenſeri, debent æquè baptizari ac illi *qui à Chriſti diſciplina planè fuerunt alieni.* Nemo negaverit debere inſtitui verbo Dei, & edoceri ſervare quæcunque præcepit Chriſtus, illos homines qui nati & educati inter Chriſtianos, tamen culpâ aut ſupinitate vel errore tum parentum ſuorum tum proprio, benè inſtituti nondũ fuerint. Quod ſi pars ea mandati Chriſti, quæ eſt de inſtitutione, ſpectat etiam eos qui *inde à primo ætatis ſuæ exordio nullam aliam præter Chriſtianam religionem profeſſi fuerint*, cur etiam ad illos non pertinebit altera quæ eſt de baptiſmi ſuſceptione? Ac ſicut Judæo excuſando à ſuſcipienda circumciſione, ſi infans circumciſus non fuiſſet, non poterat prodeſſe, quod inde à primo ætatis ſuæ exordio, nullam aliam religionem quam Judaicam profeſſus fuiſſet, ita non poſſunt excuſari illi nomine tenus Chriſtiani, qui non fuerint jam infantes baptizati, à baptiſmo ſuſcipiendo cùm adoleverunt, eo quod inter Chriſtianos nati, ſemper Chriſtianiſmum profeſſi fuerint. Quin vel ideo quod ſe Chriſtianos profitentur, debent baptizari, cùm baptiſmus ſit communis Chriſtianiſmi teſſera inter Chriſtianos, ut circumciſio erat Judaiſmi inter Judæos: Quid quod pari ratione tempore Apoſtolorum potuiſſent Judæi nomen Chriſto dantes, baptiſmum negligere, & eum ad ſolos Gentiles converſos amandare, eò quod nati eſſent ſub Dei fœdere, ad ſe & ſuos liberos promiſſiones pertinerent, ipſorum eſſent

ſent fœdera & promiſſiones eſſentque rami naturales iſtius oleæ, quibus nova inſitio per baptiſmum ſupervacanea videretur.

Similiter & de altero mandato exiſtimandum eſt. Nam præterquam quod, ut diximus, non niſi eos complecteretur, ſi de aquæ baptiſmo loqueretur, qui aliam à Chriſtiana religionem olim coluerant; etiam ea, quæ credentibus ibi aſſignantur ſigna, quæ hodie locum nullum habent, ſatis oſtendunt, primorum illorum temporum in his Chriſti verbis habitam fuiſſe rationem, nec omnia, quæ ibi dicuntur, ad omnia prorſus ſecula, omneſque Chriſtianos trahenda, niſi eorum ipſorum natura, & Chriſtianæ religionis ratio atque analogia, vel aperta ſacrarum literarum teſtimonia doceant, ea perpetuò durare debere. Tale verò nihil de aquæ baptiſmo demonſtrari poteſt.

‡ *Similiter & de altero*] Imò hoc mandatum ſpectat omnem eum qui crediderit: adeoque etiam illum tuum Chriſtianum, ſi credere ſe profiteatur, inter Chriſtianos natum & educatum hactenus ſine baptiſmo. Quod ſi eo quod illa *quæ credentibus ibi aſſignantur ſigna, quæ hodie locum nullum habent*, baptiſmi ſuſcipiendi obligatio, ſpectat duntaxat *primorum illorum temporum* homines, inde ſequetur pari ratione, illis demum credentibus ſalutem promitti, à Chriſto quos ea ſigna comitarentur & illa patrarent; & neminem illorum temporum fuiſſe credentem & baptizatum aut baptizandum qui illis miraculis non inclareſceret: quod ſuâ abſurditate ſe refutat. Certè etſi ea ſigna pertinuerint duntaxat ad homines (eoſque non omnes & univerſaliter, ſed pleroſque & communiter) priorum illorum temporum, ut qui adhuc miracula quærit & prodigia ut credat, ſit ipſe habendus pro magno prodigio; tamen *ad omnia prorſus ſæcula* pertinet, ut illud, *Qui non crediderit condemnabitur*, ſic etiam & iſtud, *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſervabitur.*

At, inquient, alia præterea extare divini ſpiritus teſtimonia, quibus omnes omnium ætatum homines hac ceremonia obligari, planum fieri poſſit: de quibus ſint illa Petri verba: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unus quiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, & accipietis donum Spiritus ſancti.* (*Act.* 2.38.) Hîc ajunt duo commemorari, quibus rem ita ſe habere convincatur; quorum primum his verbis contineatur: *Baptizetur unus quiſque.* Alterum verò ac omnes perpetuò ſpectans ajunt eſſe, *pœnitentiam & remiſſionem peccatorum.* Nos ergo, ut hanc rem penitùs intelligamus, totamque iſtam vaticinationem diluamus, utrumque illud ponderabimus. Primò igitur non dicit Petrus ſimpliciter *unus quiſque*, ſed *unus quiſque veſtrum*; ut facilè appareat, hæc Petri verba non niſi ad illos, illorumque ſimiles referenda eſſe, quos tunc alloquebatur, & non ad omnes etiam poſteros, de quibus diſputamus, ſpectare; quippe qui hanc cum illis habeant diſſimilitudinem, quòd hi jam ineunte ætate Chriſtum profeſſi ſunt, illi non item.

† *At inquient alia*] Suum quoque pondus ineſt huic loco Act. 11, 38. ubi pœnitentiæ ſtudium cum debito baptiſmi ſuſcipiendi tam palam conjungitur, uti antea Chriſtus fidem & baptiſmum conjungebat. Diluta verò eſt exceptio Volkelii, quod non dicatur *unuſquiſque*, ſed *unuſquiſque veſtrûm*: Nã fateor unumquemque adultũ non eſſe baptizandum, etſi impœnitens ac incredulus fuerit; Sed Petrus ſatis docet baptizandos eos omnes, qui audito Dei verbo, compuncti ſint corde ut iſti, & de ſua ſalute ſolliciti dicant Verbi Divini Miniſtris, *Quid faciemus viri fratres?* Parum hic intereſt num illi *jam inde ab ineunte ætate Chriſtum profeſſi ſint*, necne; cùm enim illi quoque quos alloquitur Petrus, ab ineunte ætate fuerint inter populũ Dei educati, nec minus ſit neceſſaria pœnitentia & remiſſio peccatorum ei Chriſtiano non baptiſato, ſi corde cõpungatur, quã illis auditoribus Petri, cur non etiam illis erit neceſſarius baptiſmus, ad quẽ & hi obligati fuerunt?

Jam quod ad alterum, nimirum pœnitentiam & remiſſionem peccatorum attinet; non diffitemur ſanè, utramque perpetuò ad omnes Chriſtianos ſpectare. Verùm hoc nequaquam ex ipſis Petri verbis, præſertim ſolis,
672. ſed ex perpetuo doctrinæ Chriſti tenore conſtat, qui in pœnitentiæ peccatorumque remiſſionis prædicatione conſiſtit. Neque novum eſt, duas plures-ve res in una eademque verborum complexione conjungi, quarum aliæ perpetuò omnes obſtringant, aliæ verò nequaquam. Sic enim, verbi cauſâ, præceptum de Sabbatho datum, cum aliis moralibus decalogi præceptis junctum eſt, quamvis nequaquam, ut reliqua, in perpetuum duraverit. Eodemque modo de illo præcepto judicandum eſt, quo, ut à ſanguine ſuffocatoque abſtinerent primi illi Chriſtiani, ſancitum erat. (*Act.* 15. 20, 29.) Quamvis enim cum præcepto de fugienda ſcortatione, arctiſſimo verborum vinculo conjunctum fuerit: hoc tamen permanente illud defeciſſe, nemo non videt.

† *Iam quod ad alterum*] Sed quicunque compuncti corde tenentur reſipiſcere, tenentur quoque baptizari in remiſſionem peccatorum ſi nondũ baptizati fuerint: Et abſurdè ſtatuit Volkelius *ex ipſis Petri verbis* non ſatis conſtare quod pœnitentia & remiſſio peccatorum, pertineat *ad omnes Chriſtianos*, ſi audito Dei Verbo compungantur corde: parũ memor ejus quod habet Paulus Rom. xv, 4. Cur ergo ad omnes Chriſtianos reſipiſcentes non æquè pertinebit, ac ad illos Petri auditores, remiſſionis peccatorum ſolemnis obſignatio per baptiſmum; ſive cur non æquè ac illi baptizarentur in remiſſionem peccatorum? Non dixerim quidem baptiſmum ejuſdem eſſe neceſſitatis aut fuiſſe illis Judæis ac reſipiſcentiam & remiſſionem peccatorum; ſed mihi ſatis eſt quod eadem lege Apoſtolicâ ſimul ad illum ac ad iſtas obligemur; ſed ad iſtas, ceu neceſſarias neceſſitate medii; ad iſtum verò ceu neceſſarium tantum neceſſitate præcepti. Si enim *novum non eſt, duas plures-ve res in una eademque verborum complexione conjungi quarum aliæ perpetuò omnes obſtringant, aliæ verò nequaquam*, minus mirum erit illas inter ſe conjungi quæ quidẽ omnes obſtringant, ſed tamen diverſo neceſſitatis

ſtatis vinculo, quomodo antea Chriſtus fidem & baptiſmum conjungebat. Adhęc pręterea quod Adverſarii fuiſſet non ſupponere, ſed probare, in hoc ſermone Petri conjungi eas res, *quarum aliæ omnes perpetuò obſtringant*, *aliæ verò nequaquam*, quæ illius conjunctionis profert exempla, non ſunt vera. Nam *præceptum de Sabbato datum*, etiam ſuo ſenſu morale fuit, ut ſuo loco diſputavi: & Act. xv, 20. 28. interdictum Apoſtolicum non tam ſpectat ipſum actum τῆς πορνείας quam ἀλισγήματα τῆς πορνείας, id eſt cibos pollutos ſcortationis; quæ meritò conjunguntur cum Idolothytis, tum quod ipſa Idololatria ſit ſpiritualis ſcortatio, tum quod præter ea quæ communiter Idolothyta erant, ſpeciatim illa obtinerent quæ à ſcortis prodierant & ex ſuarum turpitudinum pretio oblata fuerant: Niſi velimus ἀλισγήματα τῆς πορνείας intelligere cibos conſumi ſolitos in ſtabulis ſive diverſoriis publicis, quæ ut plurimum erant etiam lupanaria; unde illæ lupæ *proſtibulorum* nomen adeptæ creduntur: Et ſanè diutiſſimè propterea abſtinuerunt Chriſtiani à diverſoriis publicis & cauponis meritoriis frequentandis; quod cum ſit in comperto, & olim demonſtraverim in *Orat. de Cauponis*, ulteriori probatione non indiget: Sepoſitis tamen illis exemplis, non diffiteor quædam interdum conjungi in Scripturis, quæ eodem jure non prohibentur; ut Pſal. xv, 5. fœneratio, cujus prohibitio erat juris poſitivi pro ſolis Iſraelitis, & munerum contra innocentem admiſſio, quæ jure naturali & perpetuo omnibus interdicitur: Ita conjunguntur Ezech. xviii, 6. adulterium & concubitus cum propria conjuge, quæ patitur ſua menſtrua: illud tamen eſt morale ſimpliciter, hoc potiùs ceremoniale, & quod facile expiabatur, ſi præſertim occultum permanſiſſet. Verum de eo quicquid ſit, debuiſſet demonſtrari à Volkelio baptiſmi obligationem, etſi juris poſitivi, non eſſe perpetuam in Eccleſia Chriſtiana.

Etiam ſi verò ex dictis noſtris cauſa haud difficulter poſſit colligi, cur non omnes omnium temporum homines aquæ baptiſmo putemus adſtringi: tamen quò res fiat planior, placet ea, quæ hac de re dicta ſunt, ſummatim repetere, atque uberiùs confirmare. Non ergo omnes hac ceremonia devinctos eſſe inde conſtat, quòd baptiſmus iſte non niſi ſymbolum fuit, quo homines, qui eum ſuſcipiebant, publicè ſolemniterque Chriſti nomen profitebantur. Quæ quidem res nonniſi in illos conveniebat, qui vel nullam, vel certè aliam præter Chriſtianam religionem coluerant. quales illi fuerunt, qui vel ex Judaica vel Ethnica natione oriundi, Chriſto ſeſe dicârunt. Qui enim ab ineunte ætate Chriſti nomen quacunque tandem ratione profeſſi erant, illis nequaquam opus fuit, idem per aquæ baptiſmum publicè ac ſolenniter facere: cùm ſatis jam conſtaret, eos Chriſtianâ religione imbutos eſſe.

‡ *Etiamſi verò*] Primò falſum eſt baptiſmum *nonniſi Symbolum* fuiſſe profeſſionis fidei: cùm eſſet etiam, ut circunciſio priùs, ſignum & ſigillũ juſtitiæ fidei; unde baptiſmus reſipiſcentię dicitur, & dicũtur homines baptizari in remiſſionẽ peccatorũ. Secundò *ſymbolum* illud ſacrum, quo homines *publicè ſolemniterque Chriſti nomẽ* profitean-

profiteantur, ſpectat *omnes omnium temporum homines*, qui Chriſto nomen dederunt, citra ineptam iſtam diſtinctionem, ſatis ſuperque refutatam, *eorum qui vel ex ex Iudaica, vel Ethnica natione oriundi*, priùs religionem Chriſtianam non erant profeſſi, & eorum qui *ab ineunte ætate Chriſti nomen quacunque ratione profeſſi erant*: Cur enim iſti non æquè ac illi ſui Chriſtianiſmi teſſeram ſuſciperent? An minus caligulæ & milites in ipſis caſtris nati obligantur ad communem militiæ ſuæ teſſeram, quam qui in caſtra per delectum militarem aſſumpti ſunt aut deſertis hoſtium caſtris ad nos transfugerunt? Ac ſicut non ideo non erant baptiſandi qui ex Judæis vel Ethnicis amplectebantur fidem, quod poſt eorum ſcrutinium & cathecisationem *ſatis jam conſtaret eos Chriſtianâ religione imbutos eſſe*; ita non ſufficit arcendis à baptiſmo Chriſtianis natis, (quamvis accuratè loquendo fiamus Chriſtiani, non naſcamur,) quod ex publica Chriſtianiſmi profeſſione, credantur jam Chriſtianâ religione imbuti eſſe: cùm è contrario illi demum qui jam ita imbuti erant præviâ inſtitutione, fuerint baptizandi.

Quod quidem argumentum tametſi evidentiſſimum eſt; placet tamen eandem rem hoc altero corroborare: De quacunque re nec ullum divinum præceptum extat, cujuſque nullum apud D. Autores exemplum propoſitum eſt, nec ulla fit mentio, ea neminem aſtringere poteſt. Atqui de illis aquâ baptizandis, qui à pueris Chriſti nomen profeſſi ſunt, nec præceptum ullum, iſtius facti exemplum, nec denique mentio ulla in divinis literis reperitur: ex quo fit, ut nullus, qui in hoc numero habetur, aquæ baptiſmo obligetur.

‡ *Quod quidem*] Hoc argumentum ſi ad formam Logiſticam expendatur, deprehendetur conſtare ex meris negativis; Si quantum ad materiam examinetur, videbitur partim ridiculis, partim falſis niti hypotheſibus: Id ſanè ridiculum eſt quod vellet Adverſarius *exemplum* aliquod ſibi demonſtrari *apud D. Autores*, eorum baptizatorum *qui à pueris Chriſti nomen profeſſi* fuerint. Quî enim potuiſſent dari, naſcente demum Chriſtianiſmo, homines qui ex parentibus Chriſtianis nati, jam ab ipſa ineunte ætate Chriſtianiſmum profeſſi fuiſſent? Falſum verò eſt quod nullum de talibus baptizandis *divinum præceptum* extet, *nec ulla mentio in divinis literis* reperiatur. Nam primò mandatum eſt generale de baptizandis omnibus credentibus, & iis qui in numero diſcipulorum Chriſti cenſendi ſunt. Deinde cùm ſucceſſerit baptiſmus circumciſioni Col. II, II. æquè ad illum obligantur omnes Chriſtiani, atque illam tenebantur admittere omnes Judæi: Adhæc cùm ſit inſtitutus ad obſignandam nobis remiſſionem peccatorum & noſtram communionem cum Chriſto, & in ſymbolum publicum profeſſionis noſtræ, iſque uſus uterque non minus ſpectet eos qui à pueris Chriſti nomen profeſſi ſunt, quam eos qui recens accedunt ad hanc profeſſionem ex Judaiſmo vel Paganiſmo, non eſt cur illi magis quam hi ab ea arceantur. Adde quod ſicut Judæis compunctis corde dicebatur Act. II, 39. ipſis & liteis eorum factam eſſe promiſſionem, ita non minus in eorum liberis, in illis ſuis parentibus & per eos ad Chriſtianiſmum accedentibus, quam

in ipſis-

in ipſiſmet, promiſſiones iſtæ per baptiſmum fuerunt obſignandæ: Et cùm non ſolum capita familiarum, ſed integras familias baptizarint Apoſtoli, licet hæ in profeſſione Chriſtianiſmi ſuſcepta per ſua capita, eò ipſo Chriſtianæ cenſerentur, illud ſatis indicat non minus obligari ad baptiſmum jam inveteratâ profeſſione Chriſtianos, quam neophytos & recens ad Chriſti fidem converſos. Uno verbo ubi lex non diſtinguit noſtrum non eſt diſtinguere.

Hujus argumenti aſſumtionem veriſſimam eſſe, tum altiſſimum hac de re Scripturæ ſilentium, tum contrarium, quod ſatis apertè ex divinis literis colligitur, ſatis oſtendit. Quis enim Apoſtolos ipſos, quis ſeptuaginta illos Chriſti diſcipulos, de quibus apud Lucam legimus, (*Luc.* 10. 1. *& d.*) quis illos omnes, qui in unum locum convenerant, ſpiritusque ſancti donum expectabant, (*Act.* 1. 15. 2, 1.) quis Apollinem (18. 25, *& d.*) baptiſmo eo, de quo hîc loquimur, qui nimirum in Chriſti nomen fiebat, quemque poſt aſcenſionem demum ipſius in cœlum uſurpari cœpiſſe ſatis conſtat, 673. baptizavit? Quis illos quingentos fratres, quibus Chriſtum poſtquam reſurrexerat à mortuis, ſimul apparuiſſe Paulus aſſerit? Quocunque te vertas, nihil reperies, in quo conquieſcere poſſis, niſi unà nobiſcum fatearis, eos propterea baptiſmo illo non indiguiſſe, ideoque nec tinctos eo fuiſſe, quia jam antea Chriſti nomen publicè profeſſi fuerant: quod idem & de iis, qui in Chriſti Eccleſiis educabantur, ſtatuendum eſt.

‡ *Hujus argumenti*] Quam nulla ſit hæc aſſumptio, modò viſum. Exempla quæ hîc adferuntur nihil faciunt ad quæſtionē. Nam primùm illis Volkelius potuiſſet adjicere latronem converſum in cruce, dè cujus baptiſmo nihil legitur vel colligitur probabiliter ex Scripturis; ex quo etiam liquet baptiſmum non eſſe abſolutæ neceſſitatis ad ſalutem, nec de illo loquutum fuiſſe Chriſtum Joh. 111, 5. cùm iſte latro citra ullum baptiſmum externum admiſſus ſit in regnum cœlorum. Deinde cùm diſtinguat adverſarius, perperam tamen, inter baptiſmum Johannæum, & eum qui adminiſtratur in nomine Chriſti, debuiſſet unà meminiſſe quod hujus ſuſcipiendi obligatio non arceſſatur niſi à prima pentecoſte Chriſtiana, poſt aſcenſionem Domini: adeoque exempla omnia quæ profert eſſe ἀπροσδιόνυσα; cum ſint hominum Chriſti nomen profitentium, antequam illa lex de baptiſmo obligaret; cujus per conſequens obligatio & vinculum ad illos retrotrahi non debuit. Lex illa lata eſt à Chriſto de omnibus poſt ſuam aſcenſionem in ſe credituris & in ſua fide inſtituendis per ſuos Apoſtolos, & cœteros tunc diſcipulos. Quare ut non neceſſariò pertinuit ad eos qui priuſquam ferretur, jam erant illius diſcipuli, ita poſtquam lata fuit obſtrinxit quotquot miniſterio priorum illorum credituri erant; ex quorum numero, non poſſunt excludi qui hodie inter Chriſtianos naſcuntur & educantur; cùm & illi per Apoſtolos quoque, ſaltē mediatè, ad Chriſti nomen & diſciplinam ſint traducti. Sed quod rei caput eſt, hos omnes, quos hîc commemorat Volkelius, non fuiſſe baptizatos, faciliùs eſt Socinianis ariolari, quam probare. Cùm enim qui primò Chriſti adhæſerunt fuerint ex Johannis diſcipulis

& auditoribus Joh. I, 37. & ſeqq. prout ille venerat paraturus viam Domino, ipſeque Chriſtus, Johanne adhuc vivente, plures diſcipulos faceret & per ſuos baptizaret quam Joannes Joh. IV, I. 2. quis temerè negabit vel Apoſtolos ipſos, non minus quam Apollinem, de quo res eſt notoria ex Act. XVIII, 25. à Johanne jam tinctos fuiſſe, cum cœperunt Chriſto adhærere, vel ſive à Iohanne ſive ab Apoſtolis Chriſti initiatos fuiſſe Chriſto per baptiſmum ſeptuaginta alios quorum fit mentio Luc. X, I. illoſque centum & viginti commemoratos Act. I, 15. (qui num adfuerint præſentes cum Act. II, I. effuſus eſt Spiritus Sanctus in Apoſtolos, meritò quis dubitet; ſiquidem Act. II, 14. 37. fit tantum mentio Petri & reliquorum Apoſtolorum) ac denique illos quingentos de quibus Paulus I Cor. XV, 6. Fruſtrà autem hîc recurrat Adverſarius ad diſcrimen baptiſmi Iohannæi & noſtri: quoniam, in rei ſubſtantia nullum eſt, ut aliàs & alibi demonſtravi, & Paulus conceptis verbis teſtatur Act. XIX, 5. omnes eos qui auſcultare voluerunt Iohanni, baptizanti baptiſmo reſipiſcentiæ, & dicenti populo ut crederent in eum qui venturus erat poſt ipſum, baptiſatos fuiſſe ab illo *in nomen Domini Ieſu.* Hæc enim non eſſe verba Lucæ narrantis quid fecerit Paulus, ſed ipſius Pauli inſtituentis hos rudes diſcipulos de natura baptiſmi Iohannæi quo tincti fuerant, particulæ relativæ μὲν & δὲ commatis 4. & 5. & quod com. 6. narratur demum quid fecerit Paulus circa iſtos, evidenter demonſtrant. Fruſtra itaque te fatiges in quærenda ratione cur illi non fuerint baptizati, cùm eos non fuiſſe baptizatos gratis & contra rei veritatem aſſumas.

Idem & ex illis Pauli verbis facilè cuilibet intelligenti conſtare poteſt: *Quicunque*, vel *quotquot in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* (*Gal.* 3. 27.) Significat enim Apoſtolus, potuiſſe in eorum numero eos eſſe, qui aquæ baptiſmo tincti nequaquam fuerint. Ea quippe particulæ *quicunque* vel *quotquot* ratio eſt, ut omnes quidem, de quibus ſermo eſt, complectatur: interim tamen haud obſcurè indicet, exiſtere aliquos poſſe, qui in illorum numerum non venerint, ut hîc baptizatorum. Qui ſine dubio illi apud Galatas erant, qui poſt primam illorum converſionem educati in religione Chriſtiana fuerant. Quòd enim quidam putant, propter Catechumenos ad iſtum modum Paulum fuiſſe locutum, id nec cum vero conjunctum eſt, nec ad præſentem quæſtionem quicquam facit. Etenim nec de Catechumenis *illis* quicquam in novo Teſtamento legitur; imò cum illo ſat apertè hæc ſententia pugnat: quippe in quo ſimul atque Chriſti nomen quiſpiam profeſſus fuit, baptizarique voluit, baptizatum fuiſſe edoceamur: nec Cathumeni iſti ex illorum numero fuerunt, ad quos Paulus ſcribit. Ad Eccleſias enim Galatiæ literas illas dedit Apoſtolus. Catechumeni autem, præſertim ſi adverſariorum de baptiſmi neceſſitate ſententia admittenda eſt, membra Eccleſiæ non ſunt.

Idem

Digitized by Google

† *Idem & ex illis*] Hæc conjectura eſt levioris armaturæ, ut probet inter Chriſtianos Galatas, fuiſſe nonnullos non baptizatos: Nam mens Apoſtoli non eſt diſtinguere baptizatos à non baptizatis inter Galatas, & conſequenter de his negare quod Chriſtum induerint, ſed oſtendere quid conveniat omnibus verè baptizatis, quales ſupponit ſuos Galatas, quos comm. præced. dixerat omnes eſſe Dei filios per fidem in Chriſto Ieſu, videlicet Chriſtum induiſſe. Certè qui ad turbam hominum dixerit, Quotquot eſtis animalia rationalia, eſtis riſibiles, non ſupponet eorum quoſdam non eſſe animalia rationalia, ſed tantum oſtendet nexum eſſe certum apud eos omnes inter riſibilitatem & rationem. Adhæc dato non conceſſo, fuiſſe quoſdam inter Galatas ad quos ſcribit Apoſtolus nondum baptizatos, primò inde non ſequetur, ergo non fuiſſe eos poſtmodum baptizandos; cùm è contrario hoc Pauli dictum eos debuerit obligaſſe ad baptiſmum petendum ac ſuſcipiendum, ne extorres Chriſti eoque non induti cenſerentur, & alieni ab illa unitate quam ibidem commendat Apoſtolus. Deinde nec inde ſequetur illos nondum baptizatos, eos fuiſſe *ſine dubio apud Galatas qui poſt primam illorum converſionem educati in religione Chriſtiana fuerant.* Etenim non proceſſit Galatarum converſio niſi poſt tempora Synodi Jeroſolymitanæ, id eſt poſt annum Chriſti 49. aut 50. quod colligere eſt ex Act. XVI, 6. & circiter biennio poſt, Phrygas & Galatas Apoſtolus reviſit eos in fide confirmaturus Act. XVIII, 23. Cùm autem Chronologi ad ann. Chriſti 60. referant ſcriptionem epiſtolæ ad Galatas, non potuerunt ſeptennii vel octennii, aut decennii ad ſummum, ſpatio, ulli ſuccreviſſe inter Galatas Chriſtiani adulti, poſt eorum converſionem primam & baptiſmum, ex illis geniti ac in religione Chriſtiana educati. Quin dato item non conceſſo, nondum baptizatos fuiſſe omnes Galatas ad quos ſcribit Apoſtolus, multo potiori jure dixeris eos fuiſſe *Catechumenos*, qui cum cœpiſſent ſua nomina dare Eccleſiæ, & adhærere Chriſtianis, debebant priùs informari de religionis Chriſtianæ capitibus & ritè *μαθητευέσθαι*, priuſquam tingerentur: Et fruſtra ſomniat Volkelius nihil *de catechumenis illis* legi *in Novo Teſtamento*: cùm vox *catechiſandi* non ſemel illic occurrat, Luc. I, 4. Act. XVIII, 25. Rom. II, 18. 1 Cor. XIV, 19. Κατηχεῖν, autem, ut notant Lexicographi, eſt prima fundamenta & rudimenta tradere alicui, qui inde κατηχεῖσθαι & κατηχούμενος dicatur: Quin apud Galatas ipſos, fuiſſe tales Catechumenos, patet ex Gal. VI, 6. ubi hæc extant; κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι, ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. Quin ut certum eſt, vel ex hoc ultimo loco, etiam apud Galatas Catechumenos fuiſſe, ita certo certius eſt, neminem ex Judæis vel Ethnicis, tum temporis admiſſum fuiſſe in Eccleſiis jam conſtitutis, quales erant Galaticæ, ad baptiſmum, communionem Euchariſticam & ſocietatem fidelium, niſi priùs ſufficienter in capitibus & articulis fundamentalibus religionis Chriſtianæ, quorum expreſſa fit mentio Heb. VI, 1. eruditus fuiſſet. Nemo autem ordinariè unâ vel alterâ concione ſufficienter imbuebatur: Illi ipſi Iudæi Berœæ, quorum fit mentio Act. XVII, 10, 11. non ante dubio procul fuerunt baptizati, & in Chriſtianorum ſocietatem admiſſi, quam ſedulò *quotidie* examinaſſent Scripturas, & ad hunc lapidem lydium ſuorum Catechiſtarum, Pauli & Silæ, doctrinam exploraſſent. Ex variis itidem Scripturæ locis conſtat ſufficientem inſtitutionem iſtorum neophytorum, eorum baptiſmum præceſ-

ſiſſe

fiſſe Act. VIII, 25. etiam quandoque per multos dies Act. VIII, 5. 12. Ad ſufficientem autem inſtitutionem, ubi tanta vis & copia Spiritus non adeſt, ut in prima concione Petri ad Iudæos Act. II, 37. 38. & ad Cornelium Act. X, 47. 48. unica itē Philippi mox abituri ad Eunuchum Act. VIII, 20. necnon Pauli ad Philipporum Commentarienſem Act. XVI, 30. 31. 32. 33. unam concionem regulariter non ſuffeciſſe, & oſtendunt exempla priùs citata, & res ipſa per ſe loquitur. Quid quod illicò poſt ſuam converſionem Paulus ipſe non fuerit baptizatus, ſed totum triduum inter ipſius converſionem & baptiſmum interceſſerit? Act. IX, 9. 10. Fateor ex Novo Teſtamento conſtare, quod *ſimul atque Chriſti nomen quiſpiam profeſſus fuit baptizarique voluit*, baptizatus fuerit. Sed nego quempiam habitum fuiſſe aut ſeipſum habuiſſe pro recto profeſſore Chriſti nominis, & ſic etiam voluiſſe baptizari, priuſquam ſufficienter catechiſatus fuiſſet: Gutta cavat lapidem, non vi ſed ſæpè cadendo; Ac pluribus opus fuit concionibus, regulariter loquendo, ad eos ritè imbuendos circa fundamenta religionis Chriſtianæ, qui aliquo illius guſtu ducti, nomen ſuum inter *competentes* & proſelytos profitebantur. Meritò Apoſtolus I Pet. III, I. mulieres Chriſtianas, ſui officii monet, quo illarum *viri qui non aſſentiuntur ſermoni, per uxorum converſationem abſque ſermone lucreſiant.* Iſti mariti qui ex pudica & honeſta converſatione ſuarum uxorum jam Chriſtianarum, lucreſieri cenſebantur, non fuiſſent utique baptizandi, nec ipſi baptizari petiiſſent ad hunc primum guſtum religionis Chriſtianæ, ſed erant adhuc ulteriùs imbuendi & inſtituendi, per varias conciones catecheticas, priuſquā ad φωτισμὸν ſive baptiſmum accederent. Nec ſequitur Paulum tales Catechumenos in ſuis literis ideo non intellexiſſe, quod *ad Eccleſias Galatiæ literas illas* dederit; Nam quoque ad illas Eccleſias, etiam quà particulares, ſuo ſenſu, ideſt, ſi non in facto eſſe ſaltem in proximo fieri, prout cingendus pro cincto habetur, iſti catechumeni pertinebant (quicquid nonnulli hac in parte de catechumenis arbitrentur,) cùm nemo extra Eccleſiam ſervetur, & horum Catechumenorum, etiam in eo ſtatu decedentium, ut contigit Valentiniano Theodoſioque juniori, apud Ambroſium, & aliis, ſalus ex fide in Chriſtum, negari non poſſit. Nec deberet confundere Volkelius quantum ad baptiſmum, dogma de illius neceſſitate medii, quod nemo ſanus admiſerit, cum dogmate de ejus neceſſitate præcepti, quam ſolam propugnamus.

Ex iis, quæ diximus, patere arbitramur, non omnes, qui Chriſtiani eſſe velint, imò inter nos nullum iſto Apoſtolorum baptiſmo obligari. Cum enim, ut demonſtratum eſt, ii, qui Chriſti nomen jam antea ſunt profeſſi, baptiſmate iſto non teneantur; cumque à multis ſeculis inter omnes harum terrarum populos nonniſi Chriſtiana diſciplina vigeat, ita ut omnes à primis pueritiæ annis ſemper Chriſti nomen profeſſi fuerimus; nonne propter hoc ipſum baptiſmus iſte inter nos omitti prorſus poſſet? Quid, quòd nec illos, qui antea vel nullâ, vel certè non Chriſtianâ religione devincti fuêre, omni ex parte is Apoſtolorum baptiſmus obſtringit. propterea quòd nequaquam res eſt univerſè & in perpetuum à Chriſto ejus-ve Apoſtolis mandata.
674. Unde colligitur, ejus prætermiſſionem nequaquam ex eorum numero eſſe,

Digitized by Google

quæ ſempiternam ſalutem adimunt. Id quod magis etiam ex iis patet, quæ ſuprà de iis à nobis dicta ſunt, qui baptiſmo aquæ, quo Chriſto initiarentur, deſtituti, ſolo Spiritus ſancti baptiſmo perfuſi fuère. Quos quidem in eorum numero eſſe, qui ad ſempiternam felicitatem ſunt deſignati, nemo ſanus negabit.

‡ *Ex iis quæ diximus*] Hunc coccyſmum ſæpiùs jam refutavimus. Quantum ad reliqua quæ hîc habentur, fatemur meram privationem baptiſmi, non damnare, ſi per contemptum prætermiſſus non fuerit: Sed inde non ſequitur, ergo hanc legem latam à Chriſto non eſſe perpetuam: Non deſinunt enim eſſe perpetua præcepta affirmantia legis Divinæ, etſi, ut vulgò loquuntur, obligent quidem ſemper, ſed non ad ſemper; adeo ut eorum omiſſio, ſive non præſtatio, non ſemper ſit conjuncta cum reatu.

Nondum tamen quieſcentes ii, aliter ſentiunt, dicent, hanc ſententiam noſtram multa parere incommoda atque abſurda. Ac incommoda quidem omnia hoc uno pronunciato contineri ajunt, quòd qui aquâ non baptizantur, Chriſti ejusque beneficiorum participes eſſe nequeunt. Hi enim, inquiunt, nec Chriſtum induunt, nec in corpus ejus inſeruntur, nec unà cum eo ſepeliuntur, nec ad vitæ novitatem reſurgunt; & ſic nec regignuntur, nec à peccatorum contagione purgantur; & porrò nec peccatorum remiſſionem, nec Spiritus ſancti munus, nec denique vitam ſempiternam conſequuntur: quippe cum divinæ literæ iſta omnia aquæ baptiſmo attribuant. (*Gal.* 3. 27. 1 *Cor.* 12. 13. *Rom.* 6. 3, 4. *Ioh.* 3. 5. *Tit.* 3. 5. *Epheſ.* 5. 26. *Heb.* 10. 22. *Act.* 2. 38. 22. 16. 1 *Pet.* 3. 21.)

‡ *Nondum tamen quieſcentes*] Non ij ſumus qui ſtatuamus abſolutè eos *qui aquâ non baptizantur* (ex mero illius defectu, non ex inſolenti ejus contemptu, quales eſt noſtrorum Catabaptiſtarum) *Chriſti ejuſque beneficiorum participes eſſe* non poſſe; Hunc errorem non erramus, nec gratiam Dei Sacramentis adſtrictam & alligatam arbitramur. Sed pertendimus primò eos qui baptizari noluerint, cùm poſſent & deberent, reos eſſe contemptæ inſtitutionis divinæ; & indignos ſe præbere omni re ſignificatâ in baptiſmo, qui ſignum & ſigillum tam nobile beneficiorum Chriſti ſuperbè ſpreverint: Secundò carere ſaltem ſigno & ſigillo juſtitiæ fidei ac beneficiorum quæ in Chriſto ſunt, qui baptizati non fuerint.

Reſpondemus autem, nec omnia iſta ſcripturæ teſtimonia de aquæ baptiſmo loqui; nec, quæ ejus aliquam mentionem faciunt, id, de quo quæritur, efficere. Ac loci quidem de aquæ baptiſmo non loquentes ſex ſunt. Primus eſt apud Joannem, (*Ioh.* 3. 5.) ubi Chriſtus hunc in modum loquitur; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, in regnum Dei non intrabit.* Hæc

 autem

Digitized by Google

autem Chriſti verba de aquæ baptiſmo nihil revera commemorare, inde conſtat, quòd ex illis ſtatuendum foret, neminem niſi aquâ baptizatum, ſi vel rectiſſimum vitæ curſum alioqui teneat, ad cœleſte regnum aſpirare poſſe. Quod quàm falſum abſurdumque ſit, partim res ipſa docet, partim ex iis, quæ ſuprà dicta à nobis ſunt, intelligitur. Senſus autem Chriſti verborum eſt: nos ſpirituali aquâ ablui oportere, ſi cœleſte regnum aſſequi cupiamus. Intelligendum quippe eſt, aquam ibi à ſpiritu non diſtingui, ſed utrumque ſimul unam eandemque rem deſignare. Id quod vel inde perſpicuum eſt, quòd Chriſtus in eadem verborum complexione eandem rem repetens, jam non aquæ, ſed ſpiritûs tantùm expreſſam mentionem facit. Nec particulâ *&* eo in loco connectendi, ſed explicandi vim habet. Quod quidem tametſi compluribus in locis fieri videmus, nullus tamen ad hanc rem, quam agimus, accommodatior illo eſt, in quo Joannes Baptiſta Chriſtum Spiritu & igne ſuos baptizaturum prædicit, ut doceat, Chriſtum eos ſpirituali igne baptizaturum. Hanc autem verborum iſtorum ſententiam
675. eſſe inde patet, quòd ibidem is Chriſti baptiſmus, Joannis aquæ baptiſmo opponitur, ut intelligatur, Chriſtum non aquâ ſuos baptizaturum, ſed quantò ignis, quam aqua, efficacior eſt, tantò valentiore eos ratione ab omni ſcelere puros ſanctoſque redditurum. Quia enim eodem ſpiritu, qui arrha cœleſtis hæreditatis appellatur, ad diem liberationis illos conſignat, (*Eph.* 1. 14: 4. 30.) & ideo ſempiternæ felicitatis guſtum quendam eis præbet, fieri vix aut ne vix quidem poteſt, quin, ut Paulus monet, (2*Cor.* 7. 1.) ſeipſos ab omni & corporis & animi labe purgent, ſanctimoniam perficientes cum Dei metu.

‡ *Reſpondemus autem*] Circa hunc locum Ioh. III, 5. litem non movemus Volkelio, ut pote quem non de baptiſmo externo, ſed de regeneratione interna, quæ fit aquâ Spirituali, & aqueâ vi Spiritus Sancti, intelligendum eſſe judicamus: Ut par hendyadis habetur Matt. III, 11. ubi opus Magiſtri & Domini Chriſti in efficacia Spiritus Sancti, ab opere miniſtri & famuli, in externa ablutione, notoriè diſtinguitur, Sic in Cœna is diſtingui debet qui *panem Domini*, ab eo qui *panem Dominum* ſubminiſtrat: Nec tantum hoc ultimo loco ſignificatur quid debeat fieri ab iis qui Spiritu Sancto conſignantur, ſed quid revera in illis eveniat; Is enim obſignans pios in diem liberationis *Eph.* I, 14. IV, 30. efficit ut obſequantur Pauli monito 2 Cor. VII, 1. & *ſeipſos ab omni corporis & animi labe*, ſtudioſè *purgent*.

Secundus locus apud Paulum extat hac pacto: *In uno Spiritu nos omnes in unum corpus baptizati ſumus* &c. (1 Cor. 12. 13.) Quæ verba cum aquæ baptiſmo nihil habere conjunctum, nemo non videt: cùm apertè, non aquâ, ſed Spiritu nos baptizatos eſſe, Apoſtolus dicat, & Spiritus baptiſmus, ut paulò

paulò antè oſtendimus, aquæ baptiſmo in divinis literis manifeſtiſſimè opponatur. Adde, quòd Paulus iſto in loco de variis, Spiritus ſancti donis diſſerit, quibus Deus per Filium ſuum primam illam Eccleſiam mirum in modum locupletaverat. Unicuique enim Chriſtum fide complectenti Deus, pro voluntatis ſuæ arbitrio, ſpirituale quoddam munus tribuebat, ad ſalutiferam veritatem confirmandam, ad homines Chriſto adjungendos, ad Eccleſiam denique ſuam conſtituendam. Quam quidem Dei liberalitatem ſancti Spiritus baptiſmum, tum hîc, tum alibi nominari, compertiſſimum eſt. Nec eſt, quòd dicas, Paulum *in uno ſpiritu*, non verò *uno ſpiritu*, nos baptizatos eſſe affirmare. Qui enim Hebræam linguam vel à limine ſalutavit, is probè novit, particulam *in* creberrimè redundare, ita ut idem ſit, *in uno ſpiritu*, quod *uno ſpiritu*, quemadmodum Caſtellio locum vertit. Et ſanè quotieſcunque phraſis illa *baptizari in ſpiritu*, in ſacris literis reperitur, nihil illa ſignificat aliud, quàm baptizari ſpiritu, ut loca inſpecta unumquemque docebunt. (*Mat.* 3. 11. *Mar.* 1. 8. *Luc.* 3. 16. *Ioh.* 1. 33. *Act.* 1. & 11. 16.)

1 *Secundus locus*] Paulum hoc loco 1 Cor. XII, 13. agere de duobus noſtris Sacramentis, Baptiſmo & S. Cœna, vel ſola textus inſpectio palam docet. Dicimur autem in *uno Spiritu* baptizari, non per meram oppoſitionem ad baptiſmum aqueum, prout baptiſma Spiritus per Chriſtum Dominum opponitur baptiſmati aqueo per Johannem miniſtrum, ſed per compoſitionem ſigni & rei ſignificatæ. Nam ut in S. Cœna cibamur & potamur in unum Spiritum, & finaliter, quatenus uſus ejuſdem S. Cœnæ omnes fideles obſtringit ad unitatem Spiritus 1 Cor. x, 17. & formaliter quatenus vi & efficaciâ Spiritus Sancti in uſu legitimo S. Euchariſtiæ cibamur carne Chriſti & potamur illius ſanguine, (Spiritus enim eſt qui nutrit & vivificat Joh. VI, 63.) ita etiam in baptiſmo in unum Spiritum baptizamur & finaliter & formaliter: cùm in eo aſpergamur ſanguine Chriſti in remiſſionem peccatorum, non illâ formali aquæ aſperſione quæ fit circa noſtra corpora, ſed efficaciâ Spiritus Sancti, illic ſignificatâ, quæ circa mentem ſe exerit & operatur. Falsò autem baptiſmum *in uno Spiritu*, & potationem *in unum Spiritum*, quæ ſynonyma mihi videntur, ad chariſmata extraordinaria Spiritus Sancti conatur Volkelius traducere; cùm nihil hîc dicatur, quod omnium ſæculorum & temporum Chriſtianis genuinis convenire non debeat, ſiquidem proponitur à Paulo ceu argumentũ perpetuum unitatis inter eos ſectandæ & retinendę. Ut *baptizari Spiritu*, quippe cùm ita lubeat Adverſario, nihil aliud ſit quam eo Spiritu adoptionis & regenerationis (qui ſignificatur & obſignatur in baptiſmo,) donari, qui à Chriſto proficiſcitur, ut etiam luculenter comprobarunt illa Chariſmata extraordinaria, quæ ſub initium Chriſtianiſmi credentibus conferebantur.

Tertium locum illud Pauli teſtimonium complectitur, quo confirmat,

Chriſtum *lavacro aquæ mundaſſe Eccleſiam per verbum, ut eam ſibi ipſi glorioſam exhiberet, non habentem maculam neque rugam.* (*Epheſ.* 5. 26.) Quibus verbis luculentiſſimè Apoſtolus mundationem iſtam, quæ vera pœnitentia eſt, per verbum, id eſt; Euangelii prædicationem, non autem per aquæ baptiſmum fieri docet.

‡ *Tertium locum*] Apoſtolus hoc loco Eph. v, 26. tam expreſſè conjungit *lavacrum aquæ* cum Dei verbo, ſive Baptiſmi Sacramentum cum Euangelii prædicatione, ut hoc negare ſit adverſus Solem loqui.

Eodem modo & de illa diviniſſimi autoris admonitione, qui quartus eſt locus, judicandum eſt, ubi jubemur *corda à mala conſcientia abluta, & corpora aquâ purâ lota habere.* (*Heb.* 10. 22.) Loquitur enim divinus Autor de
676. vitæ correctione, quæ partim in animi, partim in corporis, h. e. partim in conſiliorum ac cogitationum animi, partim in externarum actionum, quæ corpore perficiuntur, puritate conſiſtit, quamque aqua elementaris nequaquam efficit. Alludit nempe Auctor, partim ad aſperſiones, partim ad ablutiones legales, (*Levit.* 14. & 15. *Num.* 19.) quibus homines ab impuritatibus quibuſdam mundari ſolebant, ut ita locum ſacrum adire poſſent. Animadvertendum autem eſt id, quod ab aliis quoque annotatum eſt, Hebræos illos ad id, quod his verbis continetur, faciendum excitari. Atqui baptiſmum aquæ ii jam dudum ſuſceperant, nec, ut eum repeterent, quicquam erat opus.

‡ *Eodem modo*] Hic Apoſtolus conjungit rem ſignatam & baptiſmum internum, ideſt ipſam cordium à mala conſcientia ablutionem, cum ſigno & baptiſmo externo, quo corpora noſtra aquâ purâ abluuntur: ubi obiter pro ſynonymis veniunt Apoſtolo *ῥαντισμὸς* & *λȣτρον*, aſperſio & ablutio. Nolimus tamen ijs vehementiùs contradicere, qui negant hîc propriè agi de baptiſmo, ſtatuentes hîc intelligi ab Apoſtolo & internam affectuum, & externam operum noſtrorum munditiem, modò fateantur interea, ut fit à Coccejo *in hunc locum*, § 104. *Apoſtolum argutâ ἀνταναχλάσει nobis & ingerere cogitationem de Baptiſmo, & ſtatim per epitheton hoc abducere ad cogitationem rei potioris; idque ideo voluiſſe facere, ut nobis oſtenderet, Baptiſmum qui in corpore noſtro fit, eſſe ſigillum non tantum ablutionis cordium, ſive conſcientiæ, ſed etiam corporum. Vide Col.* 11, 11, 12. Itaque non tam *alludit Auctor partim ad aſperſiones partim ad ablutiones legales*, ut fingit Volkelius, quàm ſaltem reſpicit ad Baptiſmum Chriſtianorum, quo ſignificatur & obſignatur per Dei gratiam, illa *vitæ correctio, quæ partim in animi, partim in corporis puritate conſiſtit*, ut ipſe loquitur Adverſarius, licet neutram per ſe innatâ virtute & principaliter *aqua elementaris* efficiat. Nec repugnat Chriſtianos jam baptizatos *ad id, quod his verbis continetur, faciendum excitari*, cùm baptiſmus iſtius munditiei conti-

neat

nēat non tantum ſignificationem & obſignationem, ceu futuræ & faciendæ per Spiritum Sanctum in ſanguine Chriſti, ſed etiam obligationem, quâ ad talem munditiem cordis & corporis ſtudioſè ſectandam omninò tenemur.

Quintus locus illis Pauli verbis continetur: *Deus pro ſua miſericordia ſervavit nos lavacro renaſcentiæ renovationiſque Spiritus ſancti, quo nos largè perfudit per Ieſum Chriſtum Servatorem noſtrum.* (*Tit.* 3. 5.) Ubi ſimiliter nullam aquæ baptiſmi mentionem fieri, imò ea dici, quæ in illum minimè conveniunt, quis non videt? Commemorat quippe Apoſtolus ejusmodi lavacrum, quo nos Deus tum regeneret, tum ſervet: quorum neutrum in aquæ baptiſmum cadit: quippe qui nullam nec noſtri regignendi, nec ſervandi vim habeat. Addo, quòd mox Apoſtolus ſubjungit, lavacrum iſtud eſſe Spiritus ſancti renovationem, quo nos largè Deus per Chriſtum perfuderit; de ſpiritûs baptiſmo, deque renovatione mentis, quæ ea ratione fiat, ſeſe loqui apertè indicans.

‡ *Quintus locus*] Sed nemo ſanus inficiabitur baptiſmum appellari hic Tit. III, 5. lavacrum regenerationis, quomodo Petra deſerti dicitur Chriſtus 1 Cor. x, 4. & panis Euchariſtiæ quem frangimus tum ipſum Chriſti corpus 1 Cor. XI, 24. tum communio corporis Chriſti 1 Cor. x, 16. appellatur. Nec dubium quin hoc baptiſmi lavacro, *nos Deus tum regeneret, tum ſervet*, non quidē principaliter & efficienter, ſed ſignificativè, obſignativè atque Sacramentaliter, & quantū ejus interventu ac beneficio nobis vel confertur vel obſignatur *renovatio Spiritus Sancti*; ceu primari authoris illius noſtræ regenerationis & ſalutis.

Sextus locus, qui apud Petrum eſt, (1 *Pet.* 3, 21.) tantum abeſt, ut aquæ baptiſmo hominis fidelis conſervationem aſſignet, ut potiùs illum ab ea re planè excludat: quippe cum ſic ibi Apoſtolus loquatur: *Conſimili formâ nunc quoque baptiſmus nos ſervat, qui non eſt corporis ſordium detractio: ſed bonæ conſcientiæ ſtipulatio ad Deum, per Ieſu Chriſti reſurrectionem.* Quod quale ſit, jam ſuprà à nobis explicatum eſt.

‡ *Sextus locus.*] De iſto loco 1 Pet. III, 21. abundè ſuprà dictum eſt, ut eadem hic repetere opus non ſit. *Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.*

Jam quod ad illos locos attinet, qui aquæ baptiſmi mentionem continent; animadvertendum eſt, nequaquam eam illorum ſententiam eſſe, ut intelligamus, res tantas, quæ in iis commemorantur, ipſo aquæ baptiſmo perfici, vel obtineri; præſertim ita, ut eas alia ratione adipiſci nequaquam poſſis. Primò enim, quod ad illa teſtimonia attinet, quibus nos per baptiſmi iſtius ceremoniam, & Chriſtum induiſſe, & unà cum illo ſepultos

Digitized by Google

pultos eſſe dicitur; ſuprà ſatis, ut videmur, docuimus, non id velle divinum ſpiritum, homines baptiſmi ritu iſta reipſa perficere, ſed ea tantummodò adumbrare, ac palàm profiteri. quo pacto Paulus alibi ait, (1 *Cor.* 10. 16, 17.) panem, quem frangimus, communicationem corporis Chriſti eſſe, id eſt, ejus rei adumbrationem profeſſionemque continere, ut ex ratione ſubjecta perſpicitur: *quia unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes enim de uno pane participamus*; qua de re alibi dictum eſt. (*lib.* 4. *c.* 22.)

† *Iam quod ad illos*] Fateor illorum locorum *nequaquam eam ſententiam eſſe ut intelligamus res tantas quæ in iis commemorantur, ipſo aquæ baptiſmo perfici* quaſi ex opere operato, ut quondam Scholaſtici abſurdè loquebantur, vel ita per illum *obtineri* ut *eas aliâ ratione adipiſci nequaquam poſſis*: Etenim baptiſmo aquæ res tantæ tribuuntur quod ad illas ſe habeat non productivè, ſed ſignificativè & obſignativè, ſic tamen ut gratia Dei nec illi nec ulli alii Sacramēto ſit alligata. Quare nos hic ſibi obſtrepentes non habebit Volkelius, dummodo ſtatuerit iſta omnia ipſi ex Paulo commemorata, non *tantummodo adumbrare* & ſignificare baptiſmum, ſed etiam Sacramentaliter conferre & obſignare, ut traditione clavium confertur moraliter & confirmatur ac obſignatur ædium elocatarum vel venditarum poſſeſſio, & in eſu panis Euchariſtici ipſum Chriſti corpus nobis communicari in alimentum vitæ dicitur 1 Cor. x, 16. Sed de eo ſuo loco dictum eſt.

577. Deinde loci illi duo, quibus baptiſmo aquæ peccatorum remiſſio tribui videtur, id, de quo quæritur, nequaquam conficiunt. Nam quod ad illa Petri verba attinet, (*Act.* 2. 38.) *Agite pœnitentiam, & baptizetur unus quiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*; vel eatenus baptiſmo cum pœnitentia conjuncto tribuitur peccatorum remiſſio, quatenus in eo ſit publica & aperta nominis Jeſu Chriſti profeſſio, quæ ad remiſſionem peccatorum obtinendam omnino eſt neceſſaria; (*Ioh.* 20. 23. *conf. cum Matth.* 16.19. *& cap.* 18.18. *Luc.* 7.47.) vel ſi etiam ipſius externæ ablutionis hîc habetur ratio, remiſſio peccatorum, quatenus ei adſcribitur, pro remiſſionis declaratione & conteſtatione ſolenni uſurpatur. Vox enim remittendi, ſimileſque aliæ, ut Expiandi, Purgandi, Abluendi, haud rarò in ſacris literis non rem atque effectum ipſum, ſed rei tantùm declarationem ac conteſtationem deſignant, (*Lev:* 12. 7, 8. *& capp.* 13. *&* 14. *ſæpiùs, & cap.* 15. 15. 30. *& cap.* 16. 30.) ut præter alios multis locis notavit Vatablus. Si prius illud ſtatuas; facilè apparet, baptiſmum aquæ ad remiſſionem peccatorum obtinendam unicuique neceſſarium non eſſe, ſeu remiſſionem peccatorum ei minimè eſſe alligatam: quandoquidem publica atque aperta nominis Jeſu Chriſti profeſſio, cujus ſolius ratione remiſſio peccatorum propriè ſic dicta

Digitized by Google

dicta baptiſmo adſcribitur, eidem alligata nequaquam eſt, ſed aliis etiam modis, atque adeò longè baptiſmo illuſtrioribus quemadmodum infrà explicabimus, fieri poteſt. Si poſterius malis, nihil eſt, unde concludas, baptiſmum illum omnibus Chriſtianis eſſe neceſſarium. Utrumque autem de illis etiam Ananiæ ad Paulum verbis ſtatui jurè poſſet, in quibus peccatorum ablutio aquæ baptiſmo adſcribi videtur, quæ quidem ſunt hujuſmodi: (*Act.* 22. 16.) *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine Domini.* Veruntamen ipſe verborum ordo ac nexus indicat, iſta, *Ablue peccata tua*, non ad præcedentia, ſed ad ſequentia referenda eſſe, ita ut in iis non effectus baptiſmi, ſed invocationis nominis Domini exprimatur. Venerant quippe jam illa tempora, quibus, ut Ioel Vates prædixerat, futurum erat, ut, quicunque nomen Domini invocaret, ſervaretur, (*Ioel.* 2. 22. *Act.* 2. 21.) quod quidem abſque peccatorum remiſſione fieri nequaquam poſſe, imò ipſam peccatorum remiſſionem continere, manifeſtum eſt. Facilè autem unusquiſque intelligit, abluendi, mundandique verbum, cùm ad peccata refertur, non propriè dictam, ad quam aqua requiratur, ablutionem, ſed figuratam, quæ citra veræ propriæque ſic appellatæ aquæ acceſſionem perficitur, mundationem, hoc eſt peccatorum deletionem ſignificare. veluti illud Davidis eſt: *Lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* (*Pſal.* 51. 4.) Et illud Jeremiæ: *Lava à malitia cor tuum Hieruſalem, ut ſalva fias.* (*Ier.* 4. 14.)

‡ *Deinde loci illi duo*] Admitto mentē Volkelii quâ ſtatuit nos ex Act. 11,28. baptizari in remiſſionem peccatorum, non quatenus in baptiſmo *fit publica & aperta nominis Ieſu Chriſti profeſſio*, cùm neque hæc citra veram cordis fiduciam ad remiſſionem peccatorum obtinendam, queat ſufficere; ſed quatenus remiſſio peccatorum, *pro remiſſionis declaratione & conteſtatione ſolemni* (ideſt revera pro illius ſignificatione & obſignatione divina) *uſurpatur*: Et cùm non dicatur baptiſmus remittere peccata, ſed tantum nos baptizari in remiſſionem peccatorum, non erat cur Volkelius hic operoſè verſaretur circa vocabula *remittendi, expiandi, purgandi, abluendi* &c. Uno verbo remittuntur, expiantur, purgantur, abluuntur noſtra peccata, principaliter Dei miſericordiâ & gratiâ, meritoriè ſanguine & ſatiſfactione Chriſti, apprehen ſivè fide, declarativè & obſignativè Verbo & Sacramentis. Quare ineptè admodum circa locum Act. XXII, 16. pertendit Adverſarius, illud *ablue peccata*, (ſive potius *abluitor à tuis peccatis*, cùm imperativum utrumque paſſivum, paſſivè etiam redditum ſit ab Arabe & Syro, ut Beza monet,) non ſpectare ad præcedens *baptizator*, licet revera ſit illius ἐξηγητικὸν, ac ideo ei copuletur per conjunctionem &, ſed ad ſequentia, ut ablutio peccatorum, non baptiſmo tribuatur, etſi, ut modò viſum, celebretur & conferatur in remiſſionem peccatorum, ſed invocationis nominis Domini, etſi huic nuſquam remiſſio peccatorum adſcribatur: Nec enim id dixeris abluere tua peccata, quo petis humiliter à Deo ut illa indebitâ ſuâ miſericodiâ & gratiâ in ſanguine Chriſti abluere & delere digne-

Digitized by Google

re dignetur; Nec ex eo quod ſi quis invocat nomẽ Domini ſervabitur, neque poſſit ſalus obtineri citra remiſſionem peccatorum, ſequitur poſſe dici quempiam abluere ſua peccata, vel ablui à ſuis peccatis, ſuis precibus, & iſtam ablutionem formaliter in iſta invocatione conſiſtere. Quid quod Ananias non tam agit de invocatione nominis divini ad quam Paulus ſe activè haberet, quam de illa quæ erat facienda ſuper ipſo& ad quam ſe paſſivè erat habiturus, baptizandus in nomine S. S. Trinitatis? Quamvis autem *abluendi verbum cùm ad peccata refertur non propriè dictam ablutionem, ſed figuratam* ſignificet, quò faciunt loca citata Volkelio ex Pſal. LI, 4. Jerem. IV, 14. tamen hæc figurata locutio reſpicit ad externas & Sacramentales ablutiones, cujusmodi plures erant in V. T. unde David petit *expiari hyſſopo* ibid. com. 9. & qualis eſt potiſſimum noſtra baptiſmalis ſub N. T. quibus illa interior & metaphorica ex parte Dei ſignificatur, exhibetur, & obſignatur.

678. Ad extremum, quòd Spiritus ſancti munus baptiſmo aquæ alligatum ſit, ita ut abſque eo contingere nemini queat, falſiſſimum eſt. Tametſi enim ut plurimùm baptiſmum conſequebatur; non tamen ut effectus cauſam ſuam neceſſariam, aut propriam. Prius inde patet, quòd ut ſuprà docuimus, illis, in quos Spiritus S. primùm, nempe in Pentecoſtes feſto, fuit effuſus, ſine baptiſmo in Chriſti nomen ſuſcepto donum iſtud contigit; aliis quibuſdam, de quibus Act. 10. legimus, ante eum baptiſmum. (*Act.* 10 44 47.) Nec mirum: cùm donum illud hominibus ob fidem in Chriſtum eſſet revera promiſſum; (*Mar:* 16. 17. *Ioh.* 7. 38, 39.) licèt Deus certa quadam ceremonia interveniente donum iſtud credentibus largiri ut plurimùm ſoleret. Nam ut poſterius etiam doceamus, per impoſitionem manuum Apoſtolicarum, (*Act.* 8. 15, 16, 17. *cap.* 19. 6.) quæ non ſemper baptiſmum ſtatim conſequebatur, Spiritum ſanctum dari ſolitum legimus. Ex quo prius illud magis adhuc confirmatur. Nam ſi ne impoſitio quidem manuum ad donum illud obtinendum omninò fuit neceſſaria, quemadmodum ex effuſione Spiritus ſancti in fideles primos, ſive ex Judæis, ſive ex gentibus, liquet. (*Act.* 2. 3, 4. & 10. 44. & *d.* 11. 15.) multo minùs baptiſmus. Quandoquidam illa ceremonia magis propria erat cauſa donationis Spiritus ſancti, quàm iſta baptiſmi. Fatemur autem, baptiſmum ad donum illud obtinendum prodeſſe potuiſſe, ſed eatenus, quatenus aperta publicaque fidei fuit profeſſio: quemadmodum de remiſſione peccatorum baptiſmo attributa paulo ſuperiùs docuimus, cùm de loco Act. 2. ubi pœnitentiæ & baptiſmo utrumque iſtud donum adſcribitur, ageremus. Quemadmodum autem profeſſio illa baptiſmo aquæ haud quaquam eſt alligata, ita multò minùs Spiritus ſancti donum.

‡ *Ad extremum, quod Spiritus*] Hoc nemo ſanæ mentis defenderit, *Spiritus Sancti munus* abſque baptiſmo, nemini contingere. Nam in Catechumenis & Compe-

Competentibus fides in Chriſtum ejuſque vera confeſſio prærequiritur: Hanc autem ſolius eſt Spiritus Sancti operari: prout eo jam donati erant & Paulus Act. IX, 9. 11. & Cornelius Centurio Act. X, 44. 47. priuſquam baptizarentur: Quamvis extraordinaria dona Spiritus Sancti, obtigerint ſæpè iis qui prius baptizati fuerant, ut Apoſtolis in prima Pentecoſte Act. II, 4 (hos enim nõ fuiſſe baptiſatos falsò negat Volkelius) & Samaritanis ad fidem & baptiſmũ per Philippũ traductis, qui poſtea per impoſitionem manuũ Petri & Johannis illa obtinuerunt Act. VIII, 12. 15. 17. nec-non illis duodecim quorũ fit mentio Act. XIX, 6. qui diu ante tincti baptiſmo Johannis, eadem chariſmata, de quibus nihil antea audiverant, ad impoſitionẽ manuum Paulinarũ, conſequuti ſunt. Et prout gratulamur Volkelio agnoſcenti eos quorũ fit mentio Act. XIX, 6. non *ſtatim* poſt ſuum baptiſmum Spiritus Sancti Chariſmata fuiſſe conſequutos, ſic duo in illo improbamus; I. Quod obſignationem quæ fit in baptiſmo gratiæ Spiritus Sancti, referat ad Chariſmata illius extraordinaria, quæ fuerunt paucorum & hominum & temporum; II. Quod ex Chariſmatis illis in credentes effuſis, colligat omne *donum* Spiritus Sancti, hominibus *ob fidem in Chriſtum* obtingere; cùm & ipſam fidem præcedat Spiritus ſapientiæ, revelationis & adoptionis, fidei author in omnibus fidelibus; & abſurdè ſtatuas id *ob fidem*, ideſt propter illam & ex illius merito, obtingere, quod fidelibus gratis promiſſum eſt ab eo qui ſua dona non noſtra merita in nobis ſolet coronare. Quæ porrò differit hîc Volkelius de manuum Apoſtolicarum impoſitione ad illa Chariſmata conferenda, tam parum huc ſpectant, quam quod fingit *baptiſmum ad donũ illud obtinendum prodeſſe potuiſſe*; cum eò non fuerit ordinatus à Domino; ſed tantum ad obtinendum vel obſignandum donum ordinarium Spiritus Sancti, qui etiam in baptiſmo ſuam ἐνέργειαν ad illius effectum ſolet exerere. Quò retulerunt Veteres dictum Moſis Gen. I, 2. de Spiritu Dei qui ferebatur ſuper aquis, & id ſignificaturi oleum ſive chriſma tinctioni baptiſmali addiderunt. Non tamen dixero, *Spiritus Sancti donum* magis quam fidem, reſipiſcentiam, remiſſionem ve peccatorum, *baptiſmo aquæ eſſe alligatum*. Spiritus enim ſpirat ubi vult Joh. III, 8. & ſua dona diſtribuit unicuique quando & quomodo ipſi placet I Cor. XII, 11. quamvis ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ſoleat ſuam efficaciam exerere juxta Dei inſtitutionem & promiſſionem in Verbo & Sacramentis ac per illa.

Jam ad abſurda perveniendum eſt, quæ potiſſimùm hæc eſſe putantur: quòd nimirum, ſi noſtra de baptiſmo ſententia vera eſſet, ritus moduſque perpetuus homines in Chriſti Eccleſiam recipiendi, ab ipſis Apoſtolis introductus, per ſummam audaciam abrogaretur: quòd propria Chriſtianorum nota deleretur: quòd ſimili ratione & Dominica cœna exterminaretur: quòd denique omnia externa aboleri neceſſe foret.

Ad primum reſpondemus, falſum eſſe, Apoſtolos ita hunc ritum in Eccleſiam induxiſſe, ut omnes perpetuò devinciret, aliaque ratione in fidelium numerum recipi nullus unquam poſſet. Nuſquam enim, ut ſuprà jam monuimus, ſcriptum legitur, illos per hunc baptiſmum in Eccleſiam receptos

Digitized by Google

ceptos fuiſſe, qui ab incunabulis Chriſti nomen profeſſi fuerant, ut de aliis, de quibus itidem ſuperiùs eſt actum, nunc taceamus.

‡ *Ad primum reſpondemus*] Illud eſſe veriſſimum antea dedi comprobatum, & hujus effugii Volkeliani vanitas poſita fuit in propatulo.

679. Quòd verò deinde aſſerunt, baptiſmo aquæ ſublato, propriam Chriſtianorum notam deleri; quærere ex iis licebit, cur baptiſmum illum propriam Chriſtianorum notam appellent? Num ideo, quia omnes ii, qui pro Chriſtianis haberi velint, eo tingi debeant, ut ita à cæteris dignoſcantur? At hoc ipſum eſt, de quo controvertitur. Negamus enim omnes Chriſtianos eâ ceremoniâ obſtringi. Num ideò, quia baptiſmus ſit ejuſmodi profeſſionis teſſera ac ſymbolum, quo ſoli Chriſtiani utantur, quoque adeò ab aliis dignoſcantur? eſto. non ſequitur inde, ejuſmodi notam tollere non licere, cùm aliæ extant, quæ idem non minùs, quàm iſta, ne dicam longè efficaciùs præſtant; præſertim tunc, cùm id hominum genus ferè totum deficit, cujus cauſâ iſta nota ſeu teſſera à divinis viris fuerat uſurpata; quod quale fuerit, non ſemel jam diximus. Etenim præterquam quòd conſtans Chriſtiani nominis profeſſio abundè compenſet baptiſmi ceremoniam, quâ ii Chriſtum profiteri olim conſueverunt, qui aliam antea religionem fuerant ſecuti: nónne illuſtrior Chriſtianiſmi teſſera eſt vitæ innocentia, & mores Chriſti lege compoſiti, in fide conſtantia, & aperta atque intrepida illius, etiam mortis metu propoſito, confeſſio, omniumque majorum, quæ ejus rei cauſâ patienda ſunt, tolerantia?

‡ *Quòd verò deinde*] Certè ut Judæi olim per Circumciſionem diſtinguebantur ab aliis, ita Chriſtiani nunc per Baptiſmum, à reliquis non fœderatis diſtingui & dignoſci debent: Et fruſtra negas, Volkeli, *omnes eâ cerimoniâ obſtringi*, cùm contrarium vel id evincat quod circumciſioni Judaicæ ad eundem uſum ſubſtituta fuerit. Et quamvis extarent *aliæ* notæ Chriſtianiſmi, etiam efficaciores, non tamen fas erit hanc *tollere*, quam fateris eſſe *ejuſmodi profeſſionis teſſeram ac ſymbolum quo ſoli Chriſtiani utantur, quoque adeò ab aliis dignoſcantur*. Imò cùm niſi *ferè* defecerit (& ſic non penitùs,) *id hominum genus cujus cauſâ*, ut fingit hæreticus, *iſta nota ſeu teſſera à divinis viris fuerat uſurpata*, nonne id poterat perſuadere Socinianis, ſaltem tamdiu retinendam hanc teſſeram divinæ inſtitutionis, quamdiu nondum plenè & planè defecerat cauſa illius uſurpandæ? Tū libenter quæſiero ab iſtis hominibus, nondum ſatis ſecuris de plena defitione cauſæ propter quam fuit hæc teſſera introducta, quid periculi inimineat Chriſtianis eorumque ſaluti, ſi eam continuent & retineant? Nã ut in dubiis potior eſt poſſidentis conditio, ita hoc caſu dubio præſtaret vigere & retineri hunc ritum, citra ullum periculum ſalutis, quam cum diſcrimine notorio ſupprimi & aboleri. Turpiùs enim ejicitur quam non admittitur hoſpes, ac præſtitiſſet, baptiſmum non recepiſſe, quam illum ex privatis & frivolis ratiocinius rejicere & abdicare. Quod ſi *conſtans Chriſtiani nominis profeſſio abundè compenſet baptiſmi ceremoniam*, cur

id non

id non venit in mentem Apoſtolis, ut dicerent ſuis proſelytis, Modò conſtanter profiteamini nomen Chriſti, non eſt cur baptizemini. At è contrario voluerunt ſuos proſolytos baptizari, ut ita ſe ad illam conſtantem profeſſionem magis obſtringerent. Et cùm baptiſmus non debuerit in illis compenſare conſtantem Chriſtiani nominis profeſſionem, ad quam potiùs illos obligabat, ita nec conſtans nominis Chriſtiani profeſſio, quæ nonniſi à poſteriori cognoſcitur, poteſt baptiſmi uſum & ritum, contra Dei verbum, mandatum Chriſti, praxin Apoſtolicam, ita ſupplere & compenſare, ut nullo modo ampliùs ad illum obſtringamur. Ac ſicut baptiſmus olim non liberabat Chriſtianos recens converſos ab illuſtriori illa teſſera quæ in *vitæ innocentia &c.* ita eſt, ſed è contrario illos ad hanc vitæ innocentiam, ad illos mores Chriſti lege compoſitos &c. arctiùs obligabat, ita non video qui ſub prætextu illuſtrioris illius notæ, quam oſtenſivam reſpectu ſingulorum veri Chriſtianiſmi poſſim dicere, ceſſet obligatio illius prioris, quæ ſaltem diſcretiva in communi & reſpectu omnium foret agnoſcenda.

Dicent illi, ſe priori potiſſimùm ſenſu baptiſmum notam Chriſtianorum propriam appellare; idque eam ob cauſam, quòd is circumciſioni par ſit, imò in hujus locum ſucceſſerit. circumciſionem autem ejuſmodi olim fuiſſe populi divini notam, quâ nemo, qui Hebræus cenſeri vellet, carere deberet. Quare ſimiliter baptiſmum ejuſmodi eſſe populi divini ſub N. Fœdere notam, quâ nemo, qui modò Chriſtianus audire velit, vacare debeat. Atqui baptiſmum circumciſioni parem eſſe, & in ejus locum ſucceſſiſſe, nec ullum ſacrarum literarum docet teſtimonium, nec ratio ulla ſuadet, ſed potiùs diſſuadet. Primùm enim, ſi ita ſe res haberet, conſentaneum foret, infantes, & eos quidem mares tantùm, & octavo die, baptizandos eſſe. hæc enim circumciſionis erat ratio. (*Gen.* 17. 10, *& ſeqq.*) Deinde, quemadmodum circumciſio in perpetuum univerſo Hebræorum populo apertiſſimis verbis fuit præcepta, addita ſeveriſſima comminatione exterminationis ex populo Dei, ſi quis eam prætermiſiſſet: ita ſimiliter de baptiſmo, ſi in illius locum ſucceſſiſſet, ſcriptum legeremus. Eodem enim modo & Sabbatum, quia ſignum fœderis erat inter Deum, & populum Iſraëliticum, in terrenam requiem introductum, non modò verbis clariſſimis fuit populo univerſo præceptum, idque in perpetuum; (*Exod.* 31. 13 *& d. Ezech.* 20. 12.) verùm etiam capitalis pœna conſtituta ei, qui id non obſervâſſet. (*d. l. Exod.* 31, 14: 35 8. *Num.* 15 35.) At nedum ut talem comminationem ei, qui baptiſmum aquæ neglexerit, propoſitam cernamus, ne 680.
præceptum quidem ſimplex, quo omnes in perpetuum Chriſtiani obſtringantur, ea de re traditum videmus, ut ſuprà planum fecimus. Denique vel eam ob cauſam baptiſmus circumciſioni, quatenus ea populi divini nota fuit, par cenſeri non debet, quòd hæc certum atque evidentem, cum-

Digitized by Google

que perpetuò durantem, corpori Hebræorum characterem impreſſerit, baptiſmus verò poſtquam ſemel miniſtratus fuerit, nec appareat, nec notam aliquam corpori imprimat, quâ is, qui baptizatus fuerit, ab aliis internoſcatur. cumque is ſæpiùs non repetatur, ne talis quidem nota eſt, quale ſabbatum fuiſſe videmus.

† *Dicent illi ſe priori*] Abſurdè negat Volkelius baptiſmum ſucceſſiſſe circumciſioni, cum id palam, ut poſtea videbimus, & jam antea inſinuavimus, non uno loco doceat Scriptura, nominatim Col. II, 11. 12. Exinde autem *conſentaneum* eſt etiam *infantes* baptizari: cùm & eorum ſit regnum cœlorum Matt. XIX, 14. Quod verò ſoli *mares* circumciderentur, id pertinuit ad odioſa & oneroſa legis, quæ ceſſant tempore gratiæ, ſub quo nec dierum Col. II, 16. nec ſexus aut perſonarum Gal. III, 28. diſcrimen attenditur. Odia autem eſſe reſtringenda, beneficia verò amplianda, in comperto eſt. Hinc fit quod cùm circumciſio non procederet ſine ſanguine & dolore, ac præter uſum Euangelicum Rom. IV, 11. etiam σχέσιν ſuam legalem retineret, non tantum obligationis ad totam legem ſervandam Gal. V, 3. ſed etiam chirographi ſanguine circumciſorum ſcripti, quo ſe reos debendi & mortis profitebantur Col. II, 14. baptiſmus ſine dolore, ſine ſanguine & faciliimè adminiſtretur, nec alii uſui quam Euangelico inſerviat. Non minùs autem obſervatio baptiſmi ſub N. F. omnibus Chriſtianis præcipitur, ut ante viſum, quam *circumciſio in perpetuum univerſo Hebræorum populo, apertiſſimis verbis, præcepta* fuerat. Nec enim ideo minus clarum & perſpicuum eſt præceptum de baptiſmo ſervando, quod Sociniani conantur illi tenebras offundere eo fumo qui manat ex puteo abyſſi. Quod tot comminationes non leguntur in N. T. circa baptiſmum cœteraque officia quæ nobis injunguntur, quot occurrunt in V. F. de Circumciſione, Sabbatho &c. id non minuit illorum neceſſitatem & obligationem, ſed tantum oſtendit, Deum in N. F. multum remiſiſſe de ſeveritate Veteris, & malle blandis promiſſis nos deducere ad officii præſtationem, quam, ut olim, metu & terrore pœnarum eò nos adigere. *Præceptum ſimplex* & perpetuum de baptiſmo uſurpando negare, eſt obloqui ipſi Soli; nulla autem Lex à Deo ſancitur, niſi ſub præmiis & pœnis, licet non ſemper ſingulis addantur explicitæ vel comminationes, vel promiſſiones, cùm Deo ſit obediendum ſpontè & alacriter, etſi nec pœnæ forent metuendæ, nec præmia expectanda. Parum autem refert quod circumciſio, *certum & evidentem eumque perpetuò durantem corpori Hebræorum characterem impreſſerit*, (quanquam nondefuerit apoſtatis à Judaiſmo ratio etiam phyſica & retrahendi & revocandi præputium) baptiſmus non: Res enim eodem redit, ſive character ille fuerit etiam phyſicus, in circumciſione, ſive ſit tantum moralis, in baptiſmo: Siquidem non magis homo circumciſus talis cognoſcebatur, ex vultu & facie, cùm ſemper tectè haberet eam partem quâ erat circumciſus, quam homo baptizatus talis apparet aliis. Quod ſi baptiſmus deſinit eſſe nota Chriſtianiſmi, eo quod non repetatur ut Sabbatum, quod nullum habet ſenſibilem & phyſicum ſui characterem, etiam deſierit circumciſio eſſe nota Judaiſmi, quod irreiterabilis eſſet. Annon debuit delirare Volkelius cùm tam ſolemnia inſaniret?

Sed

Digitized by Google

Sed quid multis opus? an non & res ipſa, & clariſſima Pauli teſtimonia docent, (*Rom.* 2. 28, 29. *Col.* 2. 11.) circumciſioni in carne apparenti ac manufactæ, reſpondere, atque adeò ſucceſſiſſe, circumciſionem internam atque occultam, non manufactam, ſed ſpiritu perfectam, quæ conſiſtat in depoſitione corporis peccatorum carnis, hoc eſt, totius veluti maſſæ peccatorum, à carnis cupiditate proficiſcentium. At aquæ baptiſmus non minùs, quàm circumciſio, exteriùs in corpore fit atque apparet; non minùs etiam, quàm iſta, manu peragitur, nec ipſa peccata aufert. Nam quòd vulgò creditur, ſpiritu ſancto homines, dum aquâ ritè baptizantur, interiùs ſimul perfundi, & ſic peccatis ablui; id ſine omni non modò teſtimonio divino, ſed ratione etiam, imò contra manifeſtam experientiam aſſeritur. Baptiſmus enim ſpiritus ab aquæ baptiſmo in ſacris literis planè diſtinguitur eique etiam opponitur; tantum abeſt, ut cum eo neceſſariò ſit conjunctus. (*Mat.* 3. 11. *Ioh.* 1. 33. *Act.* 1. 5.) Unde, ut ſuprà vidimus, interdum alter alterum anteceſſit; interdum nec anteceſſit, nec conſequutus fuit. Experientia etiam teſtatur, nec quicquam vel cognitionis rerum divinarum, vel fidei, vel pietatis, per ipſum baptiſmi ritum, licèt legitimè adminiſtratum atque ſuſceptum, cuiquam accedere.

† *Sed quid multis opus?*] Imò verò iſtis opus non fuiſſet; nec enim quia circumciſioni carnali reſpondet ceu res ſignificata circumciſio interior & cordis, inde non ſequitur baptiſmum non ſucceſſiſſe circumciſioni, in ordine ſignorum, ut ſignum & Sacramentum initiale N. F. initiali ſigno & Sacramento V. T. non verò (quod nemo ſanus dixerit,) ut rem ſignificatam ſuo ſigno. Et nulla ſubeſt ratio, cur non æquè baptiſmo exteriori qui per homines adminiſtratur, correſpondeat baptiſmus interior per Spiritum Sanctum, ac ſub V. T. in piis & fidelibus non tam ſuccedebat tractu temporis, qnam correſpondebat, ut ſignatum ſigno, circumciſioni exteriori & χειρο-ποιήτῳ circumciſio interior & cordis. Nec magis *baptiſmus Spiritus ab aquæ baptiſmo in ſacris literis diſtinguitur eique etiam opponitur*, per oppoſitionem ſcilicet relativam, qualis datur inter ſignum & ſignatum, unde *interdum alter alterum anteceſſit, interdum nec anteceſſit nec conſequutus fuit*, quam diſtinguitur circumciſio carnis, à circumciſione cordis, ita ut hæc ei relativè ſic opponatur, ut non ſemper pari paſſu ambulent. Nec moror hîc quod de *experientia* nugatur Volkelius; cùm illi ſuæ aſſertioni reclamet communis ſenſus Chriſtianorum, qui in ſe ſentiunt novum lumen accendi & plurimum accreſcere ſuę fidei ex devota & convenienti uſurpatione Sacramentorum Baptiſmi & Cœnæ: quorum etiam ille φωτισμὸς propterea appellatur à Veteribus, imò ab ipſomet Paulo Heb. VI, 4. X, 32. Sed mirum non eſt iſtos Atheos, nullam vim & efficaciam baptiſmi in ſe experiri, ut pote, cui ex ſola libidine Chriſtianiſmum undique impetendi, bellum ἄσπονδον conatu Titanio indixerunt.

Quid ergo, inquies, illud eſt, quòd Paulus, (*d. l. Col. 2. 11, 12.*) poſtquam dixiſſet, Coloſſenſes eſſe circumciſos circumciſione non manufactâ, quæ conſiſtat in depoſitione corporis peccatorum carnalium, utpote quæ ſit Chriſtiana circumciſio; id, quod dixerat, comprobaturus ſubjungit: *Unà cum eo* (nempe Chriſto) *ſepulti in baptiſmate, in quo etiam unà reſurrexiſtis per fidem efficaciæ Dei, qui eum ſuſcitavit ex mortuis?* an non apertè ſignificat, baptiſmum eſſe circumciſionem illam, vel ſaltem hanc in illo peragi? Reſpondemus autem, nequaquam hanc verborum illorum ſententiam eſſe poſſe: quandoquidem, ut jam vidimus, ratio baptiſmi à circumciſionis
681. illius natura quam Apoſtolus deſcribit, longè abeſt. Quare alius quærendus eſt verborum ſenſus, & rei ipſi, & verbis antegreſſis, & totius ſcripturæ analogiæ conſentaneus. Is verò eſt, ut ſtatuas, Apoſtolum dicere voluiſſe, Coloſſenſes iſtam depoſitionem corporis peccatorum carnalium in baptiſmo adumbrâſſe, eamque profeſſos fuiſſe, quatenus eâ ceremoniâ oſtenderint, ſe cum Chriſto ſepeliri, atque adeò etiam mori velle, mori inquam, peccato, & ad vitæ novitatem reſurgere, quemadmodum ad Rom. cap. 6. explicatur. Mori autem peccato, & ad novitatem vitæ reſurgere, quid aliud eſt, quàm corpus peccatorum carnalium exuere ac deponere, ac porrò ſpiritualiter circumcidi? Neque verò Apoſtolus, cùm dixit, Coloſſenſes circumciſione illâ eſſe circumciſos, & ſic corpus peccatorum carnalium exuiſſe, affirmare voluit, & in ſequentibus, de quorum ſententia nunc diſputamus, probare, eos id jam reipsâ præſtitiſſe: quorſum enim aliàs eos ad id faciendum toto cap. 3. hortaretur? (*vid. inprimis ℣. 5, 8 & ſeqq. cap. 3.*) ſed id tantùm dicere voluit, hanc eſſe vim Chriſtianæ religionis, quam Coloſſenſes amplexi fuerant, ut eos ad id faciendum impellat atque adigat; ac porrò eorum officium eſſe, ut viribus ad id præſtandum ſufficientibus inſtructi, id reipsâ præſtent: quandoquidem hanc religionis Chriſti vim, ſuumque officium, baptiſmi ceremoniâ, quâ religioni illi fuerint initiati, expreſſerint ac profeſſi fuerint.

‡ *Quid ergo inquies*] Sed quæcunque diverſitas conſideranda veniat inter baptiſmum & circumciſionem, ex parte eorum materiali, id non impedit quo minus, ille huic ſucceſſerit in ordine ſignificandi & uſu initiandi fœderatos religioni Sacræ & cultui divino. Similia eſſe quoque diſſimilia, vulgò notũ eſt. Et ſanè vel invitus ad nos redit Adverſarius, dum ſollicitè vult hîc quærere alium *verborum* Apoſtoli ſenſum, quã eum qui revera & *res ipſi & verbis antegreſſis, & totius Scripturæ analogiæ conſentaneus eſt.* Si enim *cum Chriſto ſepeliri, mori peccato & ad vitæ novitatem reſurgere*, idem eſt ac *corpus peccatorum carnalium exuere ac deponere, ac porrò ſpiritualiter circumcidi*, quis negabit baptiſmo circumciſionem ſpiritualem ſignificari, adeoque baptiſmum cum circumciſione convenire,

nire, in re ſignificata & ordine ſignificandi, ſiquidem *iſta depoſitio peccatorum carnalium* in baptiſmo adumbratur & ſignificatur? Et quamvis nullas vires ad iſtam depoſitionem præſtandam per baptiſmum obtineremus, tamen mihi ſatis foret ad probandum circumciſioni baptiſmum ſucceſſiſſe, quod non minor ſit vis hodie baptiſmi quam olim circumciſionis, ut baptiſatos *ad id faciendum*, ideſt, corpus peccatorum carnalium exuendum, *impellat atque adigat*, & moneat *porrò eorum officium eſſe, ut viribus ad id præſtandum ſufficientibus inſtructi*, etiā in ipſo baptiſmo & per ipſum, ſicut Judæi in ſua circumciſione & per illam, *id reipsâ præſtent* Ecquid quæſo occurrit in toto hoc ſermone Volkelii unde conſtet, non ſucceſſiſſe baptiſmum circumciſioni, nec eadem de illo ac de illa dici poſſe; cùm tam expresſè Paulus baptiſmum *circumciſionem Chriſti* appellet, ideſt Symbolum, Sacramentumque initiale novi fœderis, quod Chriſtus priſcæ circumciſioni, ut Sacram Cœnam agno Paſchali, ſubrogavit, unde par ſtatuatur utriuſque ſignificatio, par effectus Sacramentalis, qui in depoſitione corporis peccatorum & ad novam vitam reſurrectione ſitus eſt?

Sed urgent illi, cum quibus nobis res eſt, & ex eo demonſtrare conantur, baptiſmum aquæ propriam ac perpetuam Eccleſiæ notam eſſe; quòd eum Paulus (*Epheſ.* 4. 5.) inter ea numeret, quæ Chriſtianorum ſunt propria, & unitatis ac conjunctionis quæ inter eos ſit, argumentum inde petat. Reſpondemus primùm, dubitari non immeritò poſſe, utrùm de aquæ baptiſmo eo in loco verba fiant, ad quem hic reſpicitur; an verò de aliquo alio baptiſmo, qui Chriſtianorum magis ſit proprius, & ad unitatem ſpiritualem Chriſtianorum plus adferat momenti, quàm aquæ baptiſmus. Talis autem eſt baptiſmus ſpiritûs; cujus mentio nequaquam omittenda fuit, tum propter cauſam jam indicatam, quòd nimirum ad unitatem fidelium ſpiritualem vel inprimis pertineat; tum propterea, quòd in ſequentibus mox de variis ſpiritus ſancti donis diſſerit Apoſtolus. Quemadmodum enim idem Apoſtolus in loco ſimili 1 Cor: 12. (ỳ. 4, 7. & *ſeqq.*) de donorum Spiritus ſancti varietate diſſerturus, fideleſque ad concordiam mutuam hortaturus, dixit, unum eſſe ſpiritum, qui in diverſis diverſa pariat effecta, omneſque uno ſpiritu in unum corpus fuiſſe baptizatos, & omnes in unum ſpiritum, ſeu uno ſpiritu potatos, (*ibid.* ỳ. 13.) ita hìc quoque idem eundem dixiſſe conſentaneum eſt.

1 *Sed urgent illi*] Quocunque ſe vertat Volkelius, nunquam ſe hinc extricabit. Sunt enim verba Pauli Eph. IV, 3. 4. 5. diſertiora, quam ut tantæ luci ullæ tenebræ offundi poſſint. Ibi namque Chriſtianos hortaturus *ad unitatē Spiritus per vinculum pacis*, illius unitatis ſervandę & ſectandę varia proponit argumenta, quod *unum ſint corpus & unus ſpiritus*, quod ſimus omnes *vocati in unam ſpem*; quod ſit *unus Dominus*, *una fides*, *unum baptiſma*; adeoque quod hæc ſit una omnium fidelium communis teſſera, nunquam non retinenda: prout 1 Cor. XII, 13. dicimur *per unum Spiritum in unum corpus baptizati*, argumento inde deſumpto

ſumpto quod communis noſter baptiſmus, cujus efficacia omnis eſt à Spiritu Sancto, nos obſtringat ad illam unitatem, prout eodem etiam nos deducit ſacra Cœna, in qua ſicut *unus eſt panis*, ex variis & multis granis confectus, ita *nos multi* debemus *unum corpus* in Chriſto eſſe, eo quod *omnes ex uno pane participamus* 1 Cor. x, 17. Nec poteſt Apoſtolus Eph. iv, 4. intelligi de baptiſmo *Spiritûs*, tum quia non debet figurata fingi locutio, ubi propria poteſt obtinere, tum quia jam antea Paulus unius *Spiritûs* meminerat; Nec aliam eſſe mentem Apoſtoli ſtatuentis 1 Cor. xii, 13. nos in unum corpus per unum Spiritum baptizatos, & potatos omnes in unum Spiritum, modò viſum: Nam quod de ſolo baptiſmo, dicitur Eph. iv, 5. in argumentum unitatis ſervandæ, hoc altero loco, dicitur de baptiſmo & de Cœna, ut ſola Cœna ad id commemoratur 1 Cor. x, 17.

682. Jam verò vel nomine *unius baptiſmi* id ſignificavit Apoſtolus, eâdem baptiſmi uſus metaphorâ, quâ dicto ad Cor. loco uſus eſt; vel ſuprà, cum dixit, *unius ſpiritus*, id expreſſit. nulla enim alia verba apparent, de quibus idem ſtatui queat. At de verbis illis *unus ſpiritus* propterea non immeritò ambigitur, quòd ea pars adhortationis Apoſtolicæ eſſe queant, ita ut oſtendant, quàm arcta debeat eſſe inter fideles conjunctio ac concordia; tanta nimirum, ut unus ſint ſpiritus, ſeu, quemadmodum de primis Chriſtianis in Actis legimus, (*Act.* 4. 32.) eorum cor ſit unum & anima una. Favet huic ſententiæ primùm oppoſitio corporis & ſpiritus, quæ in his verbis apparet. deinde illud, quòd rationes, quibus Apoſtolus Epheſios ad concordiam hortatur, videantur ibi demum incipere, *quemadmodum etiam vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ*. Quare concludere non immeritò poſſis, nomine baptiſmi, ſpiritus baptiſmum intelligi. Quò accedit, quòd, ſi ad ceremonias voluit deſcendere Apoſtolus, & ex iis unitatem fidelium oſtendere, non videatur omiſſurus fuiſſe Euchariſtiam, quam unitatis ſymbolum eſſe ipſemet alibi docuit; (1 *Cor.* 10. 17.) præſertim cum ea ſubinde repetatur, idque à tota Eccleſia ſimul, & ſic conjunctionem illam fidelium evidentiùs oſtendere videatur.

† *Jam verò vel*] Sed hoc dilemma nihil capit: Nam primò neceſſe non fuit Apoſtolum facere mentionem expreſſam baptiſmi Spiritus, quia ille, in una ſpe, in una fide, imo in uno baptiſmo, facilè ſubintelligitur: Siquidem ab eo Spiritu ſpes & fides manant, unde & Spiritus fidei appellatur 2 Cor. iv, 13. & fides illius donis accenſetur 1 Cor. xii, 9. & omnis baptiſmi efficacia ſalutaris eidem Spiritui eſt adſcribenda. Deinde falſò ſupponit Volkelius locum 1 Cor. xii, 13. de baptiſmo aquæ non eſſe intelligendum. Tertiò Paulus jam bis fecerat mentionem *Spiritus* priuſquàm unius baptiſmi meminiſſet: Volebat enim ut ſui Epheſii ſtuderent ſervare *unitatem ſpiritus*, eò quod *unum* ſit ac debeat eſſe *corpus* omnium fidelium, & *unus Spiritus*, ſicut vocati ſunt in *unam*

Digitized by Google

in *unam ſpem* vocationis ſuæ. Nec in illis verbis *unus Spiritus*, alter Spiritus debet intelligi, quam quo uniuntur & vivificantur membra varia unius illius corporis myſtici, quod ex omnibus fidelibus debet coaleſcere: Res autem eodem redibit, ſive in illis verbis *unum corpus & unus Spiritus*, proponatur finis adhortationis Paulinæ ad *unitatem Spiritus* ſervandam *per connexum pacis*, adeò ut eò collimare debeant fideles in hoc unitatis ſtudio, ut ſint *unum corpus & unus Spiritus*; ſive potiùs illa verba contineant primam rationem unitatis illius ſectandæ, quoniam unicum ſit corpus myſticum Chriſti, unus Spiritus omnia illius membra vivificans, una ſpes vocationis &c. Quamvis hoc poſterius ſit longè probabilius priori, cùm jam finem & formam unitatis ſpectandæ expóſuiſſet Apoſtolus, eam *unitatem Spiritus per connexum pacis* appellando: Nec dixit ἵνα ὦς, vel εἶναι ὑμᾶς ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, etſi Syrus interpres illam particulam *ut ſitis* hîc ſuppleverit; ſed dixit tantum, ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα; planè quomodo poſtea dixit εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα: Nec illa clauſula καθὼς καὶ ἐκλήθητε, *ſicut etiam vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ*, juvat ſubtilem analyſim Adverſarii, cùm ſit exegetica unitatis illius & corporis & Spiritus quæ convenit Eccleſiæ, & cujus intuitu debemus ſollicitè ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis: Quod ſi nihil ſibi vellet aliud Apoſtolus quam tantam eſſe debere concordiam fidelium ut *unus ſint Spiritus*, *ſeu quemadmodum de primis Chriſtianis in Actis legimus* (Act. IV, 32.) *eorum cor ſit unum & anima una*, dixiſſet potiùs, ut illic Lucas, μία καρδία, μία ψυχή, nec corporis unius feciſſet mentionem. Non proponit ergo nobis, ſimilitudinem unitatis ſectandæ in corpore noſtro naturali, quod ab unica anima informatur, ſed proponit deſcriptionem metaphoricam unitatis Eccleſiæ, quæ & unum corpus myſticum eſt, & uno Spiritu Sancto vivificatur & regitur. Et certè ita hic titubat Volkelius, ut nihil audeat aſſerere: Dicit enim quod illa verba *unus Spiritus*, *pars adhortationis Apoſtolicæ eſſe queant*; Sed non affirmat, quod *pars* illius *ſint*. Dicit etiam quod *rationes quibus Apoſtolus Epheſios ad concordiam hortatur videantur ibi demum incipere*, *Quemadmodum* &c. Sed non affirmat quod ibi incipiant aut debeant incipere: de eo autẽ quod *videtur*, juxta Parmenidem, tam verum eſt dicere quod non ſit quam quod ſit. Dicit, quod *concludere non immeritò poſſis*, *nomine baptiſmi*, *Spiritus baptiſmum intelligi*; Sed non affirmat quod meritò ita ſit concludendum. Ut hæc omnis Theologia Sociniana ſit Sceptica & conjecturalis, & ad ingenii luſus in rebus tam ſeriis referenda. Nec ideo de baptiſmo aquæ non eſt intelligendus Apoſtolus, quod *ſi ad ceremonias voluiſſet deſcendere & ex iis unitatem fidelium oſtendere*, *non videatur omiſſurus fuiſſe Euchariſtiam*, *quam unitatis Symbolum eſſe ipſemet alibi docuit*, 1 Cor. x, 17. Nam pari ratione dixeris Apoſtolum hoc loco non egiſſe de *Euchariſtia*, quia ſi ad ceremonias voluiſſet deſcendere, & ex iis unitatem fidelium oſtendere, non videatur omiſſurus fuiſſe baptiſmum. Sanè non fert omnia omnis tellus, nec omnia Apoſtoli omni loco dicere debuerunt. Potiùs baptiſmi voluit meminiſſe quam Euchariſtiæ, quod in baptiſmo, per ſynecdochem Euchariſtia ſubintelligatur, ſiquidem jus communionis Euchariſticæ nemini competat niſi jam baptizato: Quod Euchariſtia *ſubinde repetatur*, *idque à tota Eccleſia ſimul*, ad

Digitized by Google

adſtringendum vinculum pacis, id non impedit, quominus unus baptiſmus communis toti Eccleſiæ, illius vinculi retinendi argumentum urgentiſſimum eſſe queat: Certè Ignatius, quiſquis ille ſit ſcriptor vetus, ad *unius* Euchariſtiæ uſum retinendum & commendandum, utebatur hoc loco Paulino in quo de uno baptiſmo agitur: Verba illius hæc ſunt in *Epiſt: ad Philadelph. Hortor vos ut unâ fide, unâ prædicatione, unâ Euchariſtiâ utamini: una enim eſt caro Domini Ieſu, & unus illius ſanguis qui pro nobis effuſus eſt; unus item panis qui omnibus frangitur, & unus calix qui diſtribuitur omnibus; unum altare toti Eccleſiæ* (illud ſcilicet, myſticum de quo Paulus Heb. XIII, 10.) *& unus Epiſcopus cum presbyterio & diaconis conſervis meis. Quandoquidem & unus eſt ingenitus Deus & Pater, & unus unigenitus filius, Deus Verbum & homo, & unus paracletus Spiritus veritatis: una etiam prædicatio,* καὶ ἡ πίστις μία καὶ τὸ βάπτισμα ἕν, *& una Eccleſia.*

Sed demus nunc, baptiſmum aquæ hîc omninò eſſe intelligendum, voluiſſeque Apoſtolum fidei ipſi ſubjungere fidei teſſeram ac profeſſionem, ſeu initiationis Chriſtianæ ritum, quo conditio atque officium Chriſtianorum, ad quod vi religionis ſuæ ducantur, ante oculos omnium ponatur; num hinc protinus ſequetur, ritum hunc perpetuam quandam Chriſtianorum notam eſſe debere, ita ut nemo, qui Chriſtianus haberi velit, eo carere poſſit? nequaquam. Nam quòd interſeritur iis, quæ omnibus Chriſtianis in perpetuum conveniunt, id non evincit, baptiſmum etiam omninò talem eſſe: cum ſuprà oſtenſum ſit, interdum temporanea inſtituta æternis conjungi.

‡ *Sed demus*] Id non gratiæ Volkelii, ſed vi veritatis acceptum ferimus; nempe *baptiſmum aquæ hîc omninò eſſe intelligendum*, cujus intuitu ad concordiam tantò certiùs invitemur, quòd ſit militiæ & fidei noſtræ communis *teſſera, & initiationis Chriſtianæ ritus, quo conditio atque officium Chriſtianorum, ad quod vi religionis ſuæ ducantur, ante oculos omnium ponitur.* Hoc verò poſito, non eſt cur negetur *ritum hunc perpetuam quandam Chriſtianorum notam eſſe debere*; cujus non mera quidem privatio, ut ante ſæpiùs monui, ſed tamen neglectus & contemptus, hominem reddat indignum nomine Chriſtiano: Et quamdiu non demonſtratur ex Scriptura baptiſmum hunc eſſe abrogatum, vel abrogandum fuiſſe, tamdiu retinendus erit in Eccleſia unus baptiſmus, quoad Eccleſiæ neceſſaria erit unitas fidei: Licet enim non habeat baptiſmus quod ad actum exercitum, eam neceſſitatem medii ad ſalutem quæ convenit fidei, cùm nefas ſit eos damnationis æternæ ſubjicere periculo, qui præmaturâ morte erepti, baptizari nequiverint; habet tamen eam neceſſitatem præcepti & in actu ſignato, ut velle illum rejicere atque exturbare ex Eccleſia, ceu inutilem, ſit θεομαχεῖν, atque divinæ inſtitutioni proterviter reſiſtere.

Nam quod interſeritur] Sed de eo jam ſuprà dictum: Deberet probari non tantùm ſupponi, baptiſmum nonniſi ad tempus in Eccleſia obſervandum fuiſſe.

Nec

Digitized by Google

Nec magis id ex eo ſequitur, quòd ex baptiſmi unitate unitas fidelium probatur. Ad hoc enim ſatis eſt, eos generatim omnes, de quorum unitate iſtic loquitur Apoſtolus, quoſque ad concordiæ ſtudium hortatur; nempe Epheſios, & ſi qui illis eſſent ſimiles, aquæ baptiſmo tinctos fuiſſe; præſertim cum facilè conſtare poſſet, cæterorum omnium, qui eo fortè carerent, eandem eſſe rationem. Neque verò exiſtimandum eſt, baptiſmo aquæ ſublato unitatis illius vinculum ruptum iri: cùm cætera, quæ Apoſtolus enumerat, quæque Chriſtianis propria ſunt ac perpetua, validiſſimè Chriſtianos inter ſe colligent ac conſtringant. Vidimus paulò antè, Apoſtolum ex unitate baptiſmi ſpiritûs, qui in effuſione donorum illorum miraculoſorum, Eccleſiæ Chriſtianæ primordiis propriâ, conſiſtebat, ar- 683.
gumenta unitatis Eccleſiæ, ac concordiæ incitamenta petere: nec tamen quia baptiſmus ille ceſſavit, Eccleſiæ unitas ac concordia ceſſat, aut ceſſare ullo pacto debet.

1 *Nec magis id ex eo*] Sed & cùm cætera argumenta Pauli, ſint deſumpta ab iis quæ ſunt perpetua & communia omnibus fidelibus omnium ſæculorum, quâ probabilitate finges, niſi quia vis eſtque pro ratione voluntas, hoc unicum à baptiſmo deſumptum, ad ſolos illorum temporum Epheſios ſpectaſſe? Aut quî concipias *cœterorum omnium qui eo forte carerent, eandem eſſe ratio nem*, cum illa ratio unitatis ſervandæ, ab uno baptiſmo deſumpta, homines *aquæ baptiſmo* non *tinctos*, ſpectare & permovere nequeat? Non dixero, *baptiſmo aquæ ſublato, unitatis* omnis inter Chriſtianos omne *vinculum ruptum iri*: Sed ſaltem periret tum, illud ſpeciale vinculum, quo baptiſmus iſte conſtringit Chriſtianos. Et quamvis non proſint ſingula, multa juvant. Porrò falſum eſt, quod viſum paulò ante mentitur Volkelius, *Apoſtolum ex unitate baptiſmi Spiritus, qui in effuſione donorum illorum miraculoſorum, Eccleſiæ Chriſtianæ primordiis propriâ, conſiſtebat, argumenta unitatis Eccleſiæ ac concordiæ incitamenta petere*: Nam præterea quod non debeat reſtringi baptiſmus Spiritus ad dona illa extraordinaria, certè 1 Cor. XII, 13. argumenta concordiæ & unitatis petit Apoſtolus non ab illis donis Spiritus, ſed à baptiſmo aquæ, per Spiritum efficaci ad nos inſerendos uni corpori myſtico Chriſti, nec non ab uſu unius Euchariſtiæ, in qua potamur in unum Spiritum.

Sed jam tempus eſt videre, an ſublato aquæ baptiſmo, ſimul & cœnam Dominicam tolli neceſſe ſit. Dicimus igitur, nihil à vero alienius eſſe: cùm ſi ita ſeſe res haberet, aut neceſſe eſſet, ut baptiſmum cum cœna Domini indiſſolubili vinculo conjunctum eſſe ſtatueremus; aut utriuſque parem exiſtere rationem crederemus. Atqui neutrum verum eſt. Ac illud quidem probatione minimè indiget; cùm, ut ſuprà demonſtravimus, multos hoc, de quo agimus, baptiſmo nequaquam baptizatos, cœnâ Dominicâ uſos

 fuiſſe

fuiſſe conſtet. Adde, quòd alterum ſine altero, non ſolùm cogitari, ſed etiam uſurpari poteſt; nec ſolùm poteſt, verùm ita fieri & ſolet, & neceſſe eſt; cùm ſimul eodemque tempore & baptizari, & cœna Domini perfrui nequaquam poſſimus.

‡ *Sed jam tempus eſt*] Ullos *nequaquam baptizatos cœnâ Domini uſos fuiſſe* unquam, (niſi forte per errorem, quod vel ipſimet neſcirent ſe non eſſe baptizatos, vel pro baptizatis perperam haberentur, quo ſpectat Decretalium titulus *de presbytero non baptizato*,) non probabitur in æternum: nemo niſi lotus ad menſam Dominicam debet accedere; Ac ſicut ex baptiſmo naſcitur jus & obligatio communicandi Euchariſtiæ, ita hæc nonniſi baptizatis debet communicari: ut olim nemini incircumciſo jus erat veſcendi agno Paſchali. Quare in veteri Eccleſia miſſa fiebat Catechumenorũ, & exire jubebantur non baptizati, cùm ſacra Synaxis erat celebranda: quod horum myſteriorum ἐποψία ſolis initiatis conveniat. Et licet unum horum duorum *ſine altero, non ſolum cogitari, ſed etiam uſurpari* poſſit, *nec ſolum* poſſit, *verùm ita fieri & ſoleat & neceſſe* ſit, *cùm ſimul eodemque tempore & baptizari & cœnâ Domini perfrui nequaquam poſſimus*, prout nemo poteſt, quod ajunt, ſimul ſorbere & flare, ſimul ablui in balneo, & accumbere menſæ in cœnaculo; attamen, ita baptiſmus prærequiritur in acceſſuro ad Euchariſtiam, ut ſi illo carere deprehendatur, ad hanc admitti hæc duo nullo jure debeat. Atque hinc eſt quod conjunguntur ceu ejuſdem conditionis & naturæ 1 Cor. x, 2. 3. 4. xii, 13. 1 Joh. v, 8.

Hoc verò alterum eam ob cauſam, quòd, ut ſuprà docuimus, iſte baptiſmus nullo nititur nec Dei Chriſtive mandato, nec perpetua Apoſtolorum præſcriptione: Cœna autem Domini utroque corroborata, ſtabilis fixaque uſque ad ultimum Domini Jeſu adventum in Eccleſia primanere debet, ut Paulus luculentiſſimè teſtificatur. (1 Cor. 11, 26.) Præterea nulla eſt cauſa, cur olim magis, quàm hodie, aut hi potiùs, quàm illi, cœnâ Domini uti debeant: at cur baptiſmus aquæ primævæ Eccleſiæ magis, quàm noſtræ, convenerit, cauſæ ſuprà ſunt indicatæ, & ex parte aliquæ ſæpiùs repetitæ.

‡ *Hoc verò alterum*] Non minus Baptiſmus quam Cœna, nititur *Dei mandato & perpetuâ Apoſtolorum præſcriptione.* Expreſſum eſt Chriſti mandatum de omnibus baptizandis qui ſuis diſcipulis volunt accenſeri. Dubitant verò Scholaſtici ullum-ne extet mandatum divinum de Euchariſtia participanda. Et eadem facilitate ſacra Cœna poſſet eliminari, quâ baptiſmus, ſi luberet vitilitigationes Socinianorum imitari: Nam de Cœna quidem dictum eſt à Chriſto, *Hoc facite*, ſed quo uſque & quamdiu faciendum ſit non dicitur. Et cùm Paulus dicit (ſtylo utor Sociniano) eos annunciare mortem Domini donec veniat qui communicant Euchariſtiæ 1 Cor. xi, 26. eo ipſo non inſinuat Euchariſtiam celebrandam uſque dum veniat. Hæc non dico quod negem mandatum perpetuum extare de Euchariſtia celebranda, id abſit à me longiſſimè, ſed quò oſtendam nihil certi de eo futurum inter Chriſtianos, ſi luberet applicare illi mandato de Euchariſtia,

Digitized by Google

chariſtia, quæ Sociniani habent futiliſſima ac leviſſima de Baptiſmo. Aliquā etiam ſubeſſe vel ſubfuiſſe cauſam, *cur olim magis quam hodie, aut hi potius quam illi* baptiſmo *uti debeant*, pernegamus; cùm ſi quæ hic ſubſit cauſa diſcretiva baptiſmi reſpectu, ea æquè ad ſacram Cœnam extendi poſſit.

Urgent tamen, in hoc utriuſque paritatem cerni, quòd utrumque Eccleſiæ ſit ſacramentum. Atqui hoc nullo divino teſtimonio comprobatur. Inſtabunt autem, non fruſtra Paulum hæc duo conjungere ſolere, cùm ſimul & baptizatorum in Moſen nube, & ſpiritualis cibi ac potionis meminit. (1 *Cor.* 10. 2, 3.) Item, cùm nos omnes in unum corpus baptizatos eſſe, omneſque unum ſpiritum hauſiſſe aſſerit. (1 *Cor.* 12. 13.) Hîc reſpondemus, tantum abeſſe, ut Paulus hoc facere conſueverit, & porrò etiam in adductis teſtimoniis fecerit, ut potiùs contraria ratione Cœnam Domini commemoret, nulla baptiſmi adjecta mentione; & rurſus de baptiſmo orationem habens, nihil quicquam de Dominica Cœna loquatur.

† *Urgent tamen*] Quam hoc ſit appoſitum ex ſequentibus patebit, cùm certum ſit Paulum utroque hoc loco 1 Cor. x, 2. 3. 4. & 1 Cor. xii, 13. utrumque Sacramentum conjunxiſſe; etſi alibi ſeorſim de alterutro egerit.

Jam ut ad locos adductos reſpondeamus; intelligendum eſt, in priore Paulum nequaquam de Chriſtianorum Cœna baptiſmoque verba facere: cùm ipſa verborum complexio declaret, nonniſi de ſummis beneficiis, quibus Deus populum Iſraëliticum ornaverat, ibi ſermonem eſſe. Nam & 684
Moſi, quem ducem ejus populi eſſe voluit, eum veluti conſecraverat, &, ut ei penitùs fidem haberet, effecerat, quod baptiſmi in eum nomine indicatur, idque tunc, cum eoſdem Iſraëlitas ex hoſtium faucibus ereptos, per rubrum mare ſicco pede illius operâ deduceret, ſubque nube ſuam illis præſentiam declararet, & Mannam illis in cibum cœlitùs dederat; & admirabili quadam diviniſſimaque ratione aquam ex petra ad illorum potionem elicuerat. Quæ quidem Dei beneficia, abſque ulla ipſorum opera, in eos collata fuerunt. At longè alia Cœnæ Domini baptiſmique ratio eſt: quippe quæ nec dona ſint divinitùs in nos collata, nec abſque hominum manu operaque perficiantur, & ſic actiones ſint in noſtra quodammodo poteſtate poſitæ. Unde efficitur, hæc illis beneficiis à Paulo commemoratis nulla ex parte reſpondere; &, quod conſequens eſt, non hæc cibi potioniſque ſpiritualis, qui Chriſtianis hominibus ſit conceſſus, nomine Apoſtolum intelligere: ſed munera ſpiritualia, quibus fidelium natio per Chriſtum aucta ac locupletata eſt. Si igitur Apoſtoli verba attentiùs conſideraverimus, hanc illis ſententiam contineri facilè comperiemus: nempe ne-

 quaquam

quaquam ad veram felicitatem ſatis eſſe, multis Dei inſignibuſque donis cumulatum eſſe, niſi & illis rectè utaris, & ab omni ſcelere & impietate te removeas.

2 *Iam ut ad locos*] Hic furor dominatur, non ratio: Fateor in priori loco agi *de ſummis beneficiis, quibus Deus populum Iſraeliticum ornaverat*: Sed pertendo ſic de illis agi, ut eorum exemplo docerentur Corinthii, nec ipſos, nec Chriſtianos ullos, debere ita confidere ſuis Sacramentis, Baptiſmi & Cœnæ, quibus analoga Iſraelitæ obtinuerint in deſerto, ut ſe ſperent immunes futuros à juſta pœnitione, ſi in illa Baptiſmi & Sacræ Cœnæ uſurpatione, profani, impij & rebelles fuerint; cùm Chriſtianos terrere debeant veſtigia Iſraelitarum, pœnas commeritas luentium, etiam quo tempore his noſtris analoga Symbola & Sacramenta uſurpabant. Niſi eò collimaverit Apoſtolus, perabſurdè, quod nequidem cogitari debet, fuerit argumentatus, ab alliis, quod ajunt, ad cæpas tranſeundo: Quid enim illud quod contigit Iſraelitis nos Chriſtianos ſpectabit, niſi agnoſcatur identitas quædam inter illos & nos in Sacramentorum uſu quoad res ſignificatas, & qualem paſſim propugnavit Auguſtinus? Non diſputo nunc quo ſenſu εἰς τὸν μωϋσῆν Iſraelitæ dicantur baptizati. Id de Moſis miniſterio intelligendum, ſatis indicat Syrus interpres, illud reddendo בִּיד מּשׁא *in manu Moſis*: Sed pernego aliam eſſe rationem *Cœnæ Domini baptiſmique* quam nubis, maris, mannæ, & aquæ ex petra, quantum ad myſticam ſignificationem, in qua ratio Sacramentalis ſita eſt. Quamvis etiã hæc noſtra Sacramenta nobis non obtingant in actu exercito per ejuſmodi extraordinarium miraculum, quod in illis apparuit, illa tamen eſſe *dona, divinitùs in nos collata*, qui temerè negaverit, ad Anticyras debebit relegari. Nec ulla profertur ratio à Volkelio quâ demonſtret, contra Auguſtinum *tract. 26. in Ioh.* dicentem, *Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili quidem, tamen hoc idem ſignificante virtute Spirituali*, analogiam Sacramentorum noſtrorum ad iſta miraculoſa Iſraelitarum, in ordine ſignificandi à Paulo hîc non attendi. Quin abſurdiſſimum eſt quod obſervat hæreticus, quod noſtra duo Sacramenta *abſque hominum manu operaque* non *perficiantur*; Nam ſaltem ſunt in actu ſignato originis & inſtitutionis ſimpliciter divinæ, & præterea actus etiam nonnulli liberi & ſpontanei Iſraelitarum requirebantur, ut tranſirent per mare, ſub nube manerent, cibarentur mannâ, & aquâ Petræ potarentur. Et cùm dicat Apoſtolus omnes Iſraelitas *eandem eſcam ſpiritualem & eundẽ potum ſpiritualem* uſur paſſe, non utique inter ſe, quod ad rhombum non faceret, nec ad nos ſpectaret, ſed revera *nobiſcum*, ut ſenſit prudens Antiquitas, ſiquidẽ Petra illa ſpiritualis, non ſubſtantiâ, ſed ſignificatione, erat Chriſtus, eo ipſo illam analogiam quam propugnamus, luculenter comprobat: Perridiculè verò conditionẽ *cibi potioniſque ſpiritualis qui Chriſtianis hominibus ſit conceſſus*, diſtinguit Volkelius à muneribus ſpiritualibus, *quibus fidelium natio per Chriſtum aucta & locupletata eſt*; cùm etiam cibus & potus ille ſpiritualis qui in S. Cœna obtinetur, ad iſta *munera ſpiritualia* Chriſti maximè pertineat. Fateor lubens ſcopum generalem Apoſtoli cum eſſe, quem indicat Adverſarius, *nempe nequaquam ad veram fœlicitatem ſatis eſſe, multis Dei inſignibuſque donis cumulatum eſſe, niſi & illis rectè utaris, & ab omni ſcelere & impietate te removeas*

Digitized by Google

vetis; Id verò non impedit quominus Apoſtolus demonſtraturus, non eſſe quod Corinthii (eò enim collimat) malè vivendo niterentur egregiis illis donis & beneficiis, quæ ad nos ex Baptiſmo & Sacra Cœna redeunt, provocet eos ad exemplum Iſraelitarum, quibus his ſimilia & analoga, ad impunitatem in ſuis ſceleribus neutiquam profuerint. Porrò Apoſtolum voluiſſe agere cum Corinthiis de Sacramentis noſtris ac ſpeciatim de Cœna, patet evidenter ex totius ſui ſermonis eo capite ſerie, nominatim com. 14. 16. 17. 18. 21.

In altero quoque teſtimonio, nec de externo, nimirum aquæ baptiſmo, nec de Cœna Dominica quicquam commemoratur. Et de baptiſmo quidem aquæ Apoſtolum non loqui, ſuprà jam docuimus: cum de ſpiritûs baptiſmo, qui aquæ baptiſmo opponitur, apertiſſimè verba faciat. Ut verò nec de Cœna Domini Paulum hîc loqui oſtendamus, non multùm laborandum eſt. In promptu enim ſunt cauſæ, quibus ita ſentire planè prohibemur. Primò enim ſuo loco ſatis demonſtravimus, (*lib.* 4. *c.* 22.) non in hunc finem Cœnam Dominicam conſtitutam eſſe, ut ex ejus uſu aliquem fructum reportemus: ſed ut pro beneficiis per Chriſti mortem in nos collatis, ipſi Chriſto, ejuſque Patri Deo, ſolennes gratias agamus.

‡ *In altero quoque teſtimonio*] At nos *ſuprà* evicimus, de utroque noſtro Sacramento, Baptiſmi & Cœnæ, agi hoc loco 1 Cor. XII, 13. Quam ridiculè verò ac impiè ſtatuerit Adverſarius *loco hîc ſibi citato, non in hunc finem Cœnam Dominicam conſtitutam eſſe, ut ex ejus uſu aliquem fructum reportemus*, ibidem quoque à nobis oſtenſum eſt. Neque etiam hoc poſito, ſequeretur Paulum non conjungere Cœnam ſub potationis in eundem Spiritum nomine, baptiſmo *externo*, de quo agere Apoſtolum ſatis ſuperque demonſtratum eſt, cùm conſtet, judice ſuprà Adverſario, Paulum alibi, nempe 1 Cor. X, 17. Euchariſtiam produxiſſe ceu unitatis ſervandæ, de qua etiam agi fatetur 1 Cor. XII, 13. ſymbolum & argumentum.

Deinde, ſi de Cœna Domini Paulus ſermonem hoc loco inſtituiſſet, vel non ſolùm potionis, ſed comeſtionis etiam mentionem fecíſſet; vel, ſi per dicendi figuram partem totius loco ponere voluiſſet, eam, quæ præcipua eſt, & à qua tota interdum actio denominatur, (*Act.* 2. 42. 46: 20. 7.) potiùs commemoraſſet, nimirum panis fractionem eſumque, quàm potionem.

‡ *Deinde ſi de Cœna*] Hæc ratio eſt abſurda: Nam nihil obſtat quominus ſynecdochicè hoc loco potionis ac poculi nomine explicetur Euchariſtia (quod Proteſtantes omnes meritò ex hoc loco pertendunt, contra ſubtractionem calicis in communione Romana,) ac alibi per ſolam panis fractionem deſignatur: Act. II, 42. 46. XX, 7

Adde,

Adde quod non *potavimus*, ſed *potamus* dixiſſet, ſi de Cœna Dominica locutus fuiſſet: ut quidem alibi eum feciſſe palàm eſt, in illis præſertim lo-
685. cis, in quibus hunc in modum loquitur: (1 *Cor.* 10. 16.) *Calix benedictionis, cui benedicimus.* item, *Panis, quem frangimus* &c. Actiones quippe, quas ſemel perfeciſſe ſatis eſt, præteriti potiùs, quàm præſentis temporis verbo exprimi ſolent: hæc verò, cum & in poſterum, qualibet ſeſe offerente occaſione peragenda ſit, rectiùs & communi conſuetudini loquendi convenientiùs præſentis temporis verbo effertur.

‡ *Adde quod non*] Hæc obſervatio eſt abſurda. Nam antea potatos fuiſſe fideles in eundem Spiritum, certum erat; cùm ſæpiùs participaſſent Euchariſtiæ: Quid porrò futurum eſſet de iis, qui tum vivebant, θεῦ ἐν γνώσει repoſitum erat. Et ne dicam de enallage temporis, per Hebraiſmum frequentiſſima ſcriptoribus N.T. debuit Apoſtolus argumentari non ex futuro, ſed ex præterito, quod vim obligativam continebat ad præſens & futurum. Quare perineptè confundit Hæreticus loquutiones Sacræ Scripturæ, quæ docent quid fiat in Sacra Cœna, quo tempore ad illam accedimus, cùm iis phraſibus quæ inſinuant, ad quid obſtricti fuerimus, v. g. ad unitatem Spiritus, poſtquam ad menſam Domini acceſſimus.

Intelligendum igitur eſt, Apoſtolum duplici hac, nempe & baptizandi & potandi tranſlatione, ea de cauſa uti, ut oſtendat, veros Chriſtianos adeò largiter divino ſpiritu perfuſos eſſe, ut & intus eo repleti, & exterius eo quodammodo imbuti eſſe videantur. Comparatur enim Spiritus ſanctus, ut & alibi ſæpè, liquori cuidam, cujus tum demum quiſpiam perfectè fit particeps, ſi eo ſimul & tingatur, & potetur; & ſic tum extus, tum intus eo perfundatur atque imbuatur.

‡ *Intelligendum igitur*] Somnia ſibi fingunt & qui amant & qui oderunt. Talia ſunt quæ hîc proſtant. Non debemus à propriis vocabulorum ſignificationibus ad improprias & figuratas confugere, abſque neceſſitate. Et quamvis agnoſcam baptiſmi vocem quandoque de baptiſmo flaminis uſurpari, tamen nego nos dici vel *baptizari* vel *potari* in eundem Spiritum ab Apoſtolo, niſi per evidentem reſpectum ab baptiſmum & cœnam; cùm eo reſpectu ſepoſito, nuſquam illæ voces de Spiritu ſancto uſurpentur: Nolim ulteriùs urgere Volkelianos, ne ad incitas redigantur: Sæpè enim poculis liberaliùs tinguntur, etſi non *extùs*, ſed tantum *intùs* Bacchi rore perfundantur & imbuantur. Certè difficile eſt non indignari vel ridere ubi videmus homines naſutulos tanta cum αὐθαδείᾳ & ſui fiducia, tam abſurda & inficeta producere.

Conſtat igitur, hac ætate illos, qui ad Eccleſiam ſeſe aggregare cupiunt, aquæ baptiſmo non obſtringi. Quod tamen non perinde à nobis diſputatur, quaſi

Digitized by Google

quaſi ea ceremonia ſimpliciter ac penitùs rejicienda ſit. Aliud quippe eſt, re aliquâ non obligari, nempe ſimpliciter & abſolutè, aliud verò, eam penitus repudiare; quod quidem de aquæ baptiſmo minimè ſentimus: quinimò, ut omnia alia adiaphora, de quibus ſuo loco à nobis explicatum eſt, (*lib.* 4. *cap.* 5. & 6.) pro eo ac charitas præſcribit, jam uſurpari, jam omitti poſſunt: ita & baptiſmus iſte, divinæ gloriæ ratione, & proximi amore poſtulante, ut nimirum ſcandalum vitetur, adhibendus interdum planè videtur. Hoc autem vel tunc faciendum exiſtimamus, cùm, verbi gratiâ, Turca aliquis, aut Judæus, ſimilisve nationis homo, qui antea religionem Chriſtianam minimè deguſtavit, ad Chriſtum ſeſe ejuſve Eccleſiam vult adjungere, vel cùm periculum eſt, ne liberi noſtri non baptizati in Ethnicis numerentur, hominumque commercio eam ob cauſam indigni habeantur; propterea quòd omnes ferè in ea ſententia ſunt, ut neminem aquæ baptiſmo deſtitutum Chriſti membrum eſſe ſibi perſuadeant; vel denique, cùm quiſpiam in Chriſtianæ libertatis diſciplina nondum tantos fecit progreſſus, ut ſeſe absque aquæ baptiſmo Chriſti diſcipulum fieri poſſe intelligat, ideoque baptizari omninò cupiat. In hoc, inquam, ſimilive ſtatu, ſi res verſentur, dubium non eſt, quin charitati & ædificationi plus, quàm libertati noſtræ, tribuendum ſit. Extra hos tamen ſimileſve caſus, Eccleſia in recipiendis fidelibus ſuâ libertate uti poteſt, ita ut neminem, qui in Chriſtiana diſciplina educatus, & antea quacunque ratione baptizatus eſt, ad baptiſmi ceremoniam adigat.

† *Conſtat igitur, hac*] Ut falſum eſt id *conſtare*, ſic miror quî neget Volkelius velle ſe baptiſmum loco movere & abſolutè rejicere, poſt ea quæ hactenus diſputavit. Si diſputaſſet tantum de neceſſitate abſoluta baptiſmi, nos ſibi ὁμοψήφυς habuiſſet: Sed rem inſtitutionis divinæ, præcepto Chriſti munitam & perpetuâ ab Apoſtolorum temporibus praxi Chriſti anorum ſuffultam, ad *adiaphora* relegare, & pari loco habere cum ſigno crucis in Papatu, illi demum poſſunt, qui parietem integerimum, inter Chriſtianos & Turcas ac Judæos, etſi hos utcumque baptiſari poſſe dicis cauſâ inſinuet Volkelius, velint ſublatum; quod jamdiu moliuntur Sociniani. Quin rationes uſurpandi quandoque baptiſmi quæ hîc proferuntur, potiùs politicæ ſunt & hominum ſervientium tempori, quam Scripturariæ & Theologicæ; ea nominatim, quâ ſtatuit Volkelius tum baptiſmum eſſe uſurpandum, *cùm periculum eſt ne liberi noſtri non baptizati in Ethnicis numerentur, hominumque commerio eam ob cauſam indigni habeantur.* In ultimis autē verbis hujus pericopæ aliquod mendum videtur ſubeſſe, niſi Volkelius dum Catabaptiſtam agit, Anabaptiſtas velit confutatos, & ſtare decretis Veteris Eccleſiæ & ſtatutis Juſtinianeis C. *Ne ſanctum Baptiſma iteretur*; dum nempe ſtatuit Eccleſiam *neminem qui in Chriſtiana diſciplina educatus*, & *antea quacunque ratione*, etiam ergo in infantia, *baptizatus eſt, ad baptiſmi ceremoniam* adigere debere,

bere. Quid ſi verò, Volkeli, in infantia jam baptizatus in alia communione, aut etiam adultus alibi baptizatus, vellet apud vos rebaptizari, quod vel pædobaptiſmum vitioſum cenſeret, vel quod ab illis heterodoxis, quos deſereret, ſibi collatum baptiſmum, pro nullo haberet, quid hic faciendum duceretis? & utrum judicàretis conſultius *charitati & ædificationi?* Sed nolim hic adverſarium nimium urgere, ne ex deſperatione capiat conſilium. Hic certè error tantus eſt, ac ita communi ſenſui omnium Chriſtianorum ab ævo contrarius, ut pudeat me fere & pigeat, quod tantum operæ, dum ineptias Volkelianas ſigillatim expendo ac ſequor *κατὰ πόδας*, in illius examine & refutatione impendere debuerim.

Veruntamen cùm omnia ordine decenterque in Eccleſia fieri debeant,
686. neceſſarium planè videtur, ut qui in fidelium numerum adſcribi cupiunt, ii in publico eorum cœtu, vel ſaltem coram teſtibus fide dignis, qui poſtmodum rem totam Eccleſiæ exponant, fidei ſuæ confeſſionem edant; & vel à verbi divini adminiſtro, vel à quopiam alio ex ſenioribus, omnium reliquorum nomine, cum decenti quadam gravitate, admonitioneque ſeria ad pietatem, & in fide conſtantiam, devotis inſuper precibus Deo Chriſto-ve adhibitis, in Eccleſiæ gremium recipiantur.

† *Veruntamen cùm omnia*] Ut id ſolum ſervetur in iis qui ſectâ aliquâ erroneâ deſertâ, ad Orthodoxorum communionē tranſeunt, non improbo, ſi jam fuerint *quacunque ratione* ſufficienter baptizati: Sed aliter cùm nondum baptizatis agendum eſſe, omninò ſtatuo: In illis enim ab ovo, quod ajunt, auſpicium fieri debet.

CAP. XV.

De Diſciplina Eccleſiaſtica.

RESPONDENTE ad hoc & ſequens caput
LAMBERTO HEMBERGIO
Goezâ-Zelando.

HActenus quo pacto homines Dei ſtudioſi in Eccleſiam intromittantur, docuimus: ſequitur ut, qua ratione in officio ſint retinendi, videamus. Duplicem autem potiſſimùm hæc res viam habere videtur: quarum altera admonitio, altera reprehenſio eſt. Et admonitiones quidem ita ſunt inſtituendæ, ut propoſitis pietatis officiis, ad ea exequenda impellantur ii, qui calcaribus egent. Quam quidem ad rem tum aliæ rationes adhibendæ ſunt, ad hominum animos commovendos accommodatæ, tum verò inprimis incomparabilis fructus, quem, ſi officium fecerint, ſint reportaturi, aut contrà neglecti officii damna explicanda. Inſtandum autem *eſt* quotidie,

Digitized by Google

quotidiè, atque ut Apoſtolus loquitur, (1 *Tim.* 4. 1. *& d.*) tempeſtivè, intempeſtivè. Cùm enim neceſſe eſt monere, & res moram non patitur; etiam tum monendum eſt, cùm cæteroqui minus videtur commodum. Adhibendus autem eſt ſimul in hortando ardor ac gravitas, ut rem ſeriam agi appareat; admovendæ preces; vitanda arrogantis ac imperioſi hominis ſpecies: quod fiet, ſi certet cum gravitate atque auctoritate lenitas, humanitas, modeſtia.

‡ *Hactenus quo pacto*] Potiùs diſputavit Volkelius *quo pacto homines Dei ſtudioſi in Eccleſiam* non ſint intromittendi, dum baptiſmi ritum & uſum ad id ullo modo requiri, iniquiſſimè & fuſiſſimè diſputavit.

Jam ut ad reprehenſionis nos conferamus officium; ea vel ſimplex eſt, vel cum animadverſione ſeu pœna quadam conjuncta. Primò igitur, ut ſimplex reprehenſio juſta legitimaque ſit, delictorum genera diligenter ſunt ponderanda. Vel enim ita quiſpiam delinquit, ut unius ſolius mereatur reprehenſionem; vel ita peccat, ut à pluribus culpandus ſit. Ac primum quidem dupliciter evenit: vel enim te ſolum læſit, aliquave injuriâ affecit; vel eo ſeſe peccato obſtrinxit, quod præter te nemo habet cognitum. Utrumque igitur à te ſolo arguendum, & nequaquam ſtatim ad Eccleſiam aliumve quempiam deferendum eſt, ne & aliis fruſtrà moleſtiam doloremque afferas, & charitatis legem, quæ fratris exiſtimationi conſulere, ac pudori parcere jubet, violes. Dicimus autem unà cum Chriſto, (*Mat.* 18. 15.) fratrem qui in ejuſmodi culpam incidit, arguendum eſſe; ne quis eum 687.
probris maledictisque vexandum exiſtimet. *Arguere* enim eo in loco ita peccatum culpare ſignificat, ut illud peccatum eſſe convincas, nihilque aliud ſpectes, quàm ut fratrem lucreris, ut ex his Chriſti verbis perſpicuum eſt: *Si te audierit*, id eſt, ſi reprehenſionem grata voluntate proſecutus fuerit, *lucratus es fratrem tuum*. Hinc efficitur, & arguentem præclarum opus facere, utpote qui fratrem ab interitu vindicat, & eum, qui arguitur, inexplicabili beneficio affici, dum lucrifit, à morteque liberatur. Ex quo fit, ut quemadmodum ille tantam rem prætermittere nequaquam debet: ita huic minimè indignari conveniat, cùm reprehenditur: ſed potiùs ſummum apud ſe beneficium poni, planè ſibi perſuadeat.

Alterum verò, nimirum illud delictum, quod plurium reprehenſioni ſubjectum eſt, duplici etiam ratione committi ſolet: nempè vel ita, ut frater, qui in peccatum incidit, privatam unius correctionem contemnat; vel ut factum illius omnibus, vel ſaltem pluribus pateat. Jam ſi illud uſu veniat, duplex rurſus via fratris corrigendi ineunda eſt. Vel enim is, qui

 ſolus

Digitized by Google

ſolus eum peccati arguerat, unum adhuc alterumque aſſumere debet, ut aut eorum auctoritati cedat is, qui deliquit, aut ſi ad alios rem deferri ſit neceſſe, eorum teſtimonio, quid inter partes actum ſit, comprobari poſſit, atque ut Chriſtus loquitur, in ore duorum aut trium conſtet omne verbum: vel ſi is, qui delicti accuſatur, ne hos quidem teſtes audiat, omninò in Eccleſia deferendus eſt, ut ipſius factum ab omnibus vituperetur, & ſic, niſi præfractè delictum defendere, quàm corrigere malit, ad melioris vitæ rationem revocetur.

Jam quod ad peccata vulgò nota attinet; publicè, inque totius populi Chriſtiani eo in loco, ubi res perpetrata eſt, exiſtentis ore id reprehendendum eſſe, ipſum rectæ rationis judicium docere videtur: quippe quòd peccata publicè commiſſa, publicè corripienda eſſe ſuadeat. *Hinc efficitur*, eos, qui peccata ſua vel publicè, vel certè ita commiſſa, ut ad multorum aures pervenerint, privatim reprehendi volunt, rem & iniquam, & gloriæ divinæ aliorumque ſaluti noxiam poſtulare. Ut porrò omnium reprehenſionum, ita & iſtarum publicarum, nullus alius finis ſcopusque præter ædificationem, unquam eſſe debet. Quem ſcopum ut aſſequamur, intelligendum eſt, quemadmodum non unius generis medicina omnibus morbis adhibenda eſt: ita non eodem reprehenſionis modo omnes peccantes corripiendos eſſe, propter diverſa hominum ingenia, diverſasque peccatorum
438. cauſas. Duo autem potiſſimùm ſunt genera eorum, qui publico aliquo ſeſe alligant peccato. Quidam enim temeritate quadam levitateque ducti, nihil à peccato caventes, aut de carni obſiſtendo cogitantes, ejus laqueis implicantur. Hi ſanè acerrimè reprehendendi ſunt, peccatum verbis exaggerandum, ſuppliciorum divinorum metus mentibus incutiendus, ſempiternæ ſalutis jactura, ſumma cum orationis gravitate, prædicenda, nec non gravior ab Eccleſia animadverſio denuncianda. Quidam verò, tametſi à temeritate abeſſe ſolent, peccatis tamen irretiuntur; idque vel ignorantiâ, vel imbecillitate quadam animi fieri conſtat. Ac ignorantiâ quidem vel hoc pacto, ut ex improviſo, & antè, quàm ſeſe peccare ipſi animadvertant, delicto alligentur: quos quidem magna animi lenitate reficere convenit: vel ita per ignorantiam peccant, ut, quod fecerunt, peccatum eſſe neſciant. Id quod rurſus duplici ratione fieri poteſt. Vel enim peccatur per ignorantiam affectatam; vel per ignorantiam non affectatam, ac culpâ notabili vacantem. Affectata ignorantia eſt, cùm quis, quod ſcire poterat, ignorat: idque vel quia ſcire non curat; vel quia rem antea ſibi cognitam præ ſumma negligentia obliviſcitur. Qui igitur propter ejusmodi ignorantiam peccatis ſe obſtringunt, ii graviter & ſeverè objurgandi ſunt, & tanta in rebus

Digitized by Google

rebus graviſſimis negligentia, tamque fœda ignorantia illis exprobranda eſt. Quòd ſi per ignorantiam non affectatam peccatum à quopiam commiſſum eſt, ita reficiendus eſt, ut & peccatum illud eſſe, & quale quantumque ſit, intelligat, omniſque ei in poſterum ignorantiæ excuſatio præſcindatur.

Veniendum nunc eſt ad eorum peccatorum reprehenſiones, quæ ex quadam animi imbecillitate oriuntur. Quæ res quò rectiùs intelligi poſſit, animadvertendum eſt, peccata ſæpè ex duplici infirmitate profluere. Quidam enim ideò, quòd nondum Chriſti jugo ferendo adſueti ſunt, ſubinde cadunt atque impingunt, facileque vel aliorum exemplo, vel alia quacunque re ſtimulante, in peccatum impelluntur: quidam verò, licèt ut plurimùm peccatum vitent, interdum tamen ingenti quodam carnis impetu abrepti, vel quaſi fraude aliqua circumventi, in peccatum quodpiam inviti, quodammodò incidunt. Cum autem tam hi, quàm illi, ſui peccati conſcientiâ vehementer cruciari, ſeque ipſos accuſare ſoleant, ita corrigendi ſunt, ut nec peccatum, quo ſeſe contaminârunt, aſſentatione quadam extenuetur; nec altera ex parte ipſi reprehenſionis aſperitate de animi ſui ſtatu dejiciantur. Quare adhibenda eſt ea animi lenitas, quam Apoſtolus in iis corrigendis atque emendandis vult uſurpari, qui aliquo delicto fuerint occupati ac circumventi. (*Gal.* 6. 3.) Admonendi igitur, ut in poſterum cum 689.
metu & tremore ſuam ſalutem agant; & ſimul in hanc ſpem excitandi, fore ut, ſi ita ſeſe geſſerint, Deus illis peccata omnia clementiſſimè condonet.

Hactenus de ſimplici reprehenſionis genere egimus: conſequens nunc eſt, ut de illo explicemus, cui aliqua pœna ſeu animadverſio conjuncta eſt. Principiò autem hoc lectores monitos volumus, nos nequaquam de eo pœnarum genere loqui, quod à magiſtratu politico hominum corporibus irrogari ſolet. Loquimur enim de pœnis Eccleſiaſticis, in eum finem conſtitutis, ut, qui officium deſerunt, ad frugem revocentur. Quâ quidem pœnâ tunc homines in Eccleſia coërcendi ſunt, cùm in aliquo peccati genere, licèt ſæpiùs moniti, perſeverant; vel enormi quodam ſeſe flagitio adſtringunt, ita ut, niſi in illud animadvertatur, periculum ſit, ne & ſalutaris Chriſti diſciplina, & ſic Eccleſia etiam malè audiat, & una acerbitatis radice rurſum (*forte* ſurſum) pullulante (*Heb.* 12. 15.) multi contaminentur. Hæc porrò pœna hominis illius, qui ejuſmodi peccato ſe obligavit, potiſſimùm quadam à fidelibus ſeparatione continetur. Quæ quidem ſeparatio vel imperfecta eſt, vel perfecta, nempe pro peccati diverſitate. Ac imperfecta quidem eſt, cùm quiſpiam ab arctiſſimo fraternæ familiaritatis vinculo arcetur. Hanc autem

Digitized by Google

ſeparationem ea re imperfectam nominamus, quòd, qui eâ caſtigantur, Eccleſiæ tamen membra aliquâ ratione ſunt, quantumvis infirma. Perfecta autem ſeparatio, ut paulò pòſt videbimus, homines prorſus ex Chriſtiana republica exterminat. Ac imperfecta quidem ſeparatione illi caſtigandi ſunt, qui aut in plurium peccatorum conſuetudinem ita venerunt, ut tamen ſpes ſit, eos aliquando ſeſe collecturos, abjectaque impuritate ad officium redituros. Quam quidem ſpem tunc maximè dant piis hominibus, cùm ſeſe & fratres illorum nominant, & animo ſeſe nequaquam inimico erga illos eſſe, multis argumentis oſtendunt. Segregatio porrò iſta in hoc conſtituta eſt, quòd, qui pietatis ſunt ſtudioſi, ii ab iſtorum commercio, quantum poſſunt, ſeſe removent, id eſt, ut Paulus præſcribit, cum illis minimè commiſcentur: (2 *Theſſ.* 3. 6, 14.) vel, ut explicatiùs idem alibi dicit, ne cibum quidem cum illis capiunt. (1 *Cor.* 5. 11.)

‡ *Loquimur enim de pœnis Eccleſiaſticis*] In iis quæ hactenus diſſeruit Volkelius nihil occurrit aliquâ graviori cenſurâ dignum. Hìc tantum obiter moneo pœnas iſtas Eccleſiaſticas nonniſi catachreſticè pœnas dici, cùm nec fluant à juriſdictione propriè dicta, nec tam ſint τιμωρίαι quam παιδεῖαι, vel νουθεσίαι quæ ad ipſius peccatoris bonum, emendationem & ſalutem, non damnum aut confuſionem & infamiam, ordinantur. Porrò de *perfecta* iſta ſeparatione videbimus inferiùs: Certè per Excommunicationem etiam majorem nemini aufertur ſuus Chriſtianiſmus, & ſi illa *clave errante*, ut loquuntur Canoniſtæ, proceſſerit, ut evenit ſæpiùs, nihil operatur, tantum abeſt ut *homines prorſus ex Chriſtiana republica exterminet.*

Perfecta autem ſeparatio, eſt hominis in uno pluribusve peccatis mortalibus obſtinatè perſiſtentis, à fidelium cœtu ſegregatio, ſeu excluſio ejuſmodi, ut pro Eccleſiæ membro ampliùs nequaquam habeatur. Quæ porrò peccata mortalia ſint, ſuprà ſuo loco à nobis explicatum eſt. (*lib.* 4. *c.* 23.) Hìc verò, unde quempiam in ſcelere perſeverare conſtet, ponderandum eſt.
690. Intelligendum igitur eſt, rei iſtius hoc evidentiſſimum argumentum eſſe, quòd, qui in hoc ſtatu verſantur, ii peccata ſua nec lamentantur, nec pœnam deprecantur, nec ullam vitæ melioris concitant expectationem: quin imò omnes admonitiones atque reprehenſiones, omneſque labores, qui in illis corrigendis ponuntur, contumaciter reſpuunt, & ſuperbè contemnunt. Unde colligitur, eos, qui ita ſe gerunt, Chriſti diſcipulos jam nequaquam eſſe, remque ipſam efflagitare, ut ex Chriſtianorum numero exterminentur. Hanc autem rei iſtius poteſtatem Eccleſiæ datam

Digitized by Google

ditam concreditamque eſſe, tum inde poteſt intelligi quòd Paulus Corinthios reprehendit, qui inceſtum illum non excommunicaverint, (2 *Cor.* 5. 2, 6, 7.) tum quòd ipſe Chriſtus, hominem, qui & privatim & publicè peccati convictus, eoque nomine reprehenſus, culpam agnoſcere & deprecari, & ſic Eccleſiæ obtemperare nolit, pro Ethnico atque publicano habendum, & in cœlo ratum eſſe dicit, quicquid Eccleſia in terris ligat aut ſolvit, id eſt, quoscunque vel à fidelium commercio ſegregat, vel in eorum numerum reponit. Quo in loco nequaquam, ut & ſuprà monuimus, abſoluta, ſed conditionalis ligandi ſolvendique poteſtas cogitanda eſt, ſi nimirum vel à peccandi conſuetudine quiſpiam minimè diſcedat, vel ſcelere à ſe repulſo ad officium ſanitatemque redeat.

‡ *Perfecta autem ſeparatio*] Diſtinctio peccatorum in venialia & mortalia, ex rei natura, pugnat cum ſententia Pauli ſtatuentis ſtipendium peccati in genere, quodcunque demum illud ſit, eſſe mortem Rom. vi, 23. Sed & de eo ſuo loco actum eſt *lib.* 4 *cap.* 23.

Unde colligitur] Ut reſecentur ex ſocietate particulari cujus antea membra fuerant, æquiſſimum eſt; non item ut ex toto *Chriſtianorum numero exterminentur.* Nam cùm procedat iſta excommunicatio per aliquod jurisdictionis ſimulachrum, non poteſt latiùs extendi quā patet excommunicantis juriſdictio; cùm illud ſit notiſſimum *l*, 12. *ff. de Iuriſd. Extra territoriū jus dicenti impune non paretur.* Nec ipſe inceſtuoſus Corinthiacus fuit ex toto numero Chriſtianorū exterminatus, quippe qui traditus quidē fuerit Satanę ad interitum carnis, ſed ut ſpiritus ſaluus fieret in die Domini 1 Cor. v, 5.

Ut autem totum hoc excommunicationis negotium planè intelligamus, duo præterea animadvertenda ſunt, nimirum tum rei iſtius peragendæ modus, tum ejusdem uſus ac finis. Ac modus quidem duplex eſt: quorum alter primævæ illi Eccleſiæ diviniſque in ea viris proprius eſt; alter verò hodiernæ Eccleſiæ cum illa communis. Proprius illi Eccleſiæ, & viris divinis in ea exiſtentibus, excommunicandi modus erat, homines perditos ac contumaces Satanæ tradere. (1 *Cor.* 5. 5. 1 *Tim.* 1. 20.) Qua quidem re grave quoddam ſupplicium, divina voluntate per Satanam impiis hominibus infligendum continebatur. Erant quippe Apoſtoli ſingulari quadam autoritate præditi, poteſtateque ſceleratos puniendi divina quadam armati; ut apud Paulum Apoſtolum aliquot in locis ſcriptum legitur. (1 *Cor.* 4 21. 2 *Cor.* 10. 6, *&* *d. c.* 13. 2. *& d. &* ꝟ. 7. *&* 10.) Ex quo fit, ut hæc excommunicandi ratio noſtris temporibus revera non conveniat.

Jam quod ad communem excommunicandi rationem attinet; animadvertendum eſt, Eccleſiam loci illius, in quos res iſta geritur, totam in unum locum cogendam eſſe, ut nimirum tum omnes de ejus, qui excommunican-

municandus eſt, peccato juſtiſſimum judicium faciant; tum ipſius animadverſâ malitiâ, uno conſenſu eum in Chriſti membris nullo pacto haberi poſſe ſtatuant.

† *Iam quod ad communem*] Ut Excommunicatio pronuncietur in pleno cœtu Eccleſiaſtico, benè eſt; ut ſingula Eccleſiæ membra de ea facienda vel differenda judicent, malè: Procedit enim illa ex poteſtate clavium, quæ non toti multitudini, ſed, in ejus commodum tamen & ædificationem, ſolis illius Rectoribus ac Paſtoribus conceſſa eſt.

691. Sed ut tandem de ſegregationis atque excommunicationis uſu ſeu fine videamus; intelligendum eſt, eum quadripartitum eſſe. Primò enim hac ratione providetur, ne & Eccleſia & ſalutaris Chriſti doctrina malè audiat. Deinde fit, ut reliqui metu hujuſmodi animadverſionis, & cenſuræ Eccleſiaſticæ, quæ apud ipſum Deum rata eſt, in officio contineantur, aut, ſi fortè ab eo diſcedere inceperint, ad frugem redeant. Præterea eam ob cauſam à conſortio fidelium ſegregantur ii, qui in peccato aliquo hærent, ne, ut Apoſtolus loquitur, (1 *Cor*. 5. 6.) exiguo fermento tota maſſa fermentetur, & ad cæteros vitiorum contagio dimanet. Ad extremum, illud in iſtiusmodi hominibus ſegregandis Eccleſia ſpectat, ut iis, qui ita ſegregantur, pudefiant, eaque ratione emendentur; quin etiam ut ii ipſi, qui ab Eccleſiæ corpore penitùs reciduntur, ſi Deus permittat, quanto in periculo verſentur, mente animoque conſiderantes, de reſipiſcendo cogitent. Cujus rei argumentum illud eſſe videtur, quòd Paulus Hymenæum & Alexandrum Satanæ ſe tradidiſſe ait, (1 *Tim*. 1, 20.) ut diſcerent non blaphemare; id eſt, ut & à blaſphemando abſtinerent, & experiendo cognoſcerent, quantum ſit periculum, in Chriſtianam diſciplinam contumelioſum eſſe, &, quod conſequens eſt, aliis fidei naufragium afferre. Hinc colligitur, poſſe fieri, ut, qui excommunicantur, Deo illis miſericordiam tribuente, ad frugem redeant, & porrò Eccleſiam eos, ſi ita eveniat, recipiendi poteſtatem habere. Excommunicationis quippe cauſâ ſublatâ, ipſu rei iſtius effectum ceſſare neceſſe eſt. Qua de cauſa Chriſtus Eccleſiæ non ſolùm ligandi, ſed ſolvendi etiam poteſtatem dedit. Quam tamen ſuam poteſtatem Eccleſia, non abſque diligentiſſima hominis in eo caſu conſtituti exploratione exercere debet. Poteſt enim fieri, ut, qui denuò in Eccleſiam recipi cupit, ſimulationis artificio animum ſceleribus inquinatum ad tempus tegat atque occultet, & poſtea, naturâ malitioſâ vires ſuas exerente, ſummo cum Eccleſiæ & pudore & dolore ad vomitum redeat. Nonne igitur

rem

Digitized by Google

rem iſtam differre procraſtinareque ſatius eſt? cùm præſertim, ſi reſipuit, ideoque ſingularem Dei benevolentiam ea in re expertus eſt, hæc ei mora fraudi nequaquam futura ſit; & interim nihil Eccleſiæ, quàm ita ſe gerere, tutius eſſe queat. Interim tamen, qui iſtam pœnitentis animi dant ſignificationem, ii nequaquam aſpernandi ſunt, ſed ita à nobis explorandi, ut manifeſtò appareat, nos de illis ſervandis ſummopere laborare. Quòd ſi poſt diuturnam explorationem intelligatur, eos ſeriò & ex animo rem agere, nihil prohibet, quominùs Eccleſia ſolvendi poteſtate ſibi permiſſa li-
berè utatur. Recipiendi ergo ſunt in Eccleſiam ejuſmodi homines, ſed non 692.
citò. Atque huc nonnulli ſpectare cenſent id, quòd Paulus Timotheum manus cuipiam citò imponere prohibet, (1 *Tim* 5 22.) ne videlicet alienis peccatis participet. Nam eos, qui excommunicati fuerant, per manuum impoſitionem in Eccleſiam recipi ſolitos, non alienum à vero videbitur ei, qui antiquæ Eccleſiæ hac in re morem cognoverit: quem quidem diu admodum in Eccleſia viguiſſe, patet ex narrationibus Victoris de perſecutione Vandalica, qui in libro ſecundo ſcripti illius ſui hunc in modum loquitur: *Qui nobis pœnitentiæ manus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentiâ, obſtrictos peccato, peccatorum vinculis ſoluturi.* Quod idem & ex diſtinct. 50. quinti Canonis Concilii Carthaginenſis perſpicitur, qui ſic habet: *Presbyteris vel Diaconis, ſi quando de gravi aliqua culpa convicti à miniſterio remoti fuiſſent, manus non imponerentur, ut pœnitentibus, vel aliis ex fidelium laicis.* Idem & Fulgentius ſcribit Epiſtolâ primâ de conjugio. *Illa ægrota*, inquit, *accepta manus impoſitione, pœnitentiam ſecundum morem quem habet Chriſtiana religio, peregiſſe dicitur.* Ejuſmodi rei veſtigium adhuc in confeſſione Pontificiorum auriculari apparere videtur, in qua confitentes per eandem ceremoniam à peccato, ut quidem illis videtur, abſolvuntur.

‡ *Atque hic*] Etſi pœnitentes publici olim per quandam impoſitionem manuũ, (qui ritus in variis benedictionibus obtinebat) ad cõmunionẽ reciperentur, quò facere poſſunt loca citata Adverſario, tamẽ locus iſte Pauli 1 Tim. v, 22. non agit de excommunicatis pœnitentibus iterũ recipiendis in Eccleſiam, ſed de Paſtoribus & Miniſtris Eccleſiæ ordinandis & conſecrandis. Nec enim veroſimile eſt ita frequentem fuiſſe uſum excommunicationis in Eccleſia, Apoſtolorum tempore, ut de ritu eorum recipiendorum jam tum generalis Canon conſtitui debuerit. Neque ulla ratio nos cogit aliam hîc intelligere χειροθεσίαν quam illam ipſam cujus fit mentio 1 Tim. IV, 14. & 2 Tim. I, 16. quo utroque loco agitur de ordinatione & conſecratione Miniſtrorum.

Et hi quidem ſunt termini & quaſi cancelli, quibus ea Eccleſiæ poteſtas

Digitized by Google

circumſcripta eſt, quam in illis, qui peccant, puniendis exercere poteſt, ultra quos progredi nequaquam illi licet, & ſic minimè in ſontes tantam uſurpare licentiam, ut eos vel verberibus cædat, vel in carcerem detrudat, vel in exilium pellat, vel denique cruciatibus morteque afficiat. Divinus enim ſpiritus Eccleſiaſticæ diſciplinæ rationem ſat diligenter nobis explicans atque præſcribens, nullam iſtorum ſuppliciorum mentionem facit: ut nihil dicam, manſuetiſſimum Chriſti ſpiritum, quo Eccleſia gubernatur, nequaquam hoc fieri permittere. Loquimur autem hoc in loco, non de ſingulari illa Apoſtolorum autoritate, quâ & Sathanæ homines ſceleratos tradere, & veritati adverſantibus cœcitatem, pietatem ſimulantibus, & ſpiritum ſanctum in Apoſtolis habitantem tentantibus, præſentiſſimam mortem denunciare poterant; cujus poteſtatis effectus, à divina potentia penitùs proficiſcebatur. (1 *Cor.* 5. 5. 1 *Tim.* 1. 20. *Act.* 13. 11. *c.* 5. 1. *& d.*) Hæc enim poteſtas, ut ſuprà diximus, Apoſtolorum propria, planeque miraculoſa fuit, iiſque eam ob cauſam in ipſo Eccleſiæ primordio conceſſa, ut & cœleſtis veritas confirmaretur, & homines intelligerent, quantum periculum eſſet, aut contumaciter divinis monitis reſiſtere, aut viam Do-
693. mini pervertere, aut religionis ſtudio fallaciter aſſumto, pietateque ſimulatâ & compoſitâ, viris divino ſpiritu præditis, ipſique adeò Deo illudere. Hodierna verò Eccleſia iſtis tantùm diſciplinæ gradibus contenta eſt, qui generatim communiterque præſcripti ſunt, & extra hos quaſi limites prodire nefas eſſe ducit. Atque hanc ipſam ob cauſam ne in eos quidem ſævit, qui ab Apoſtolo hæretici nominantur. (*Tit.* 3. 10.) Neque enim ullam de illis interficiendis legem ſibi à Chriſto latam eſſe videt; ſed tantùm eos poſt unam atque alteram admonitionem vitandos, id eſt, à fidelium numero per excommunicationem arcendos eſſe, ab Apoſtolo didicit.

Cavendum autem eſt, ne Eccleſia per quendam errorem, eum hæreticum eſſe putet, qui ab hoc ſcelere quàm longiſſimè abeſt; intelligendumque eſt, eum jurè hæreticum nominari, qui ita à ſalutari Chriſti doctrina aberrat, ut in errore perſeveret. Hinc intelligitur, non ob quemlibet errorem, aliquem hæreſeôs damnandum eſſe. Sunt enim duo errorum genera. quorum alterum fidem obedientiamque Chriſto debitam peſſundat, & ſempiternam ſalutem adimit: veluti ſunt illæ diſciplinæ, quæ vel Jeſum eſſe Chriſtum, vel eum à mortuis reſurrexiſſe, vel in cœlo exiſtentem regnare, ſuorumque procurationem habere negant, quæque illum divino honore, qui in adorationis ac invocationis cultu conſtitutus eſt, ſpoliant. Huc & omnes illæ doctrinæ pertinent, quæ Deorum multitudinem revera introducunt; quæque rerum creatarum, ut imaginum, ſtatuarum, ho-

minum

Digitized by Google

minum mortuorum, paniſque Euchariſtici adorationem religioſamque venerationem præcipiunt. Horum errorum quicunque vel uno implicatus eſt, inque eo perſeverat, is & hæreticus habendus, & ex Eccleſia exterminandus eſt.

1 *Sunt enim duo errorum*] Atqui in horum priorum cenſu ſunt Socinianorum errores, quibus omne ſalutis fundamentum de Chriſti perſona, officio & ſatisfactione evertunt. Quin etiam, cum errorum hic enumeratorum nullum errent Proteſtantes, nec *Deorum multitudinem revera* introducant (etſi quandoque ita calumnientur noſtrates Antitrinitarii) ſed è contrario Socini proles ſint illi qui Chriſtum *divino honore*, *qui in adorationis & invocationis cultu conſtitutus eſt*, *ſpoliant*; imò doceant Sociniani revera hoc honore Chriſtum eſſe ſpoliandum, æternâ illius divinitate abrogatâ; nec poſſunt illi alio loco haberi quam Schiſmaticorum, quod ſegreges cœtus ſibi erigant, relictâ communione Proteſtantium, quos nullius hæreſeôs culpare poſſunt, & debent hæreticis annumerari, quod ea foveant vel directè, vel indirectè, per evidentem, proximam & neceſſariam conſequentiam, quæ ipſi hoc loco hæreſeôs inſimulant; & nigro notant lapillo.

Eſt autem & alterum errorum genus, quo quidem minimè implicari, ad multas res divinas intelligendas, ad ipſamque ſalutem plurimum prodeſt; non tamen ejuſmodi eſt, ut fidem obedientiamque Chriſto debitam extermінet. Cum porrò, qui Chriſto confidit atque obtemperat, ei ampliſſimus ad cœleſte patrimonium aditus pateat; quæſo, jure idem pro hæretico haberi, exque Eccleſia ejici poterit, quamvis in aliquo iſtius generis errore verſetur? Tales autem ſunt innumeri errores, qui in Chriſtiano orbe hinc inde vigent, utpote qui nec idololatriam conſtituunt, nec debitum Chriſto cultum negant, nec impietatem vitæ omninò ſecum trahunt.

Hic verò, qui aliter ſentiunt, non ſolum excommunicandum hæreticorum genus, ſed etiam hujus lucis uſurâ privandum eſſe aſſerunt. Quam quidem ſententiam ſuam hoc potiſſimum argumento confirmari putant, 694.
quòd non ſolum hæreticorum occiſio in diſciplina Euangelica interdicta nequaquam ſit, ſed inſuper etiam in Vetere Teſtamento mandata. Nos igitur, ut vaniſſimam iſtam ratiocinationem eſſe demonſtremus, primò ex ſolo novæ ſcripturæ hac de re ſilentio, nequaquam tanti facinoris licentiam concludi poſſe dicimus. Tametſi enim in illis rebus, quæ aut minoris ſunt momenti, aut quæ citra ullum proximi noſtri detrimentum, imò ſæpè illius commodo fieri poſſunt, locum illud axioma habere haud inviti concedimus, Quod interdictum non eſt, cenſetur eſſe permiſſum: tamen & ipſo rectæ rationis judicio, & ſanctiſſimorum hominum exemplo docemur,

 nunquam

nunquam eam rem à nobis abſque Dei mandato, aut expreſſa ſaltem aperta-ve permiſſione, ſuſcipiendam eſſe, quæ proximum noſtrum vitâ privet, aut fortunis omnibus evertat. An non potiùs nobis hîc imitandus eſt Moſes, qui expreſſo Dei mandato deſtitutus, non auſus fuit ſuo arbitratu cum eo agere, qui Deo maledixerat, aut qui die ſabbati ligna collegerat: ſed Dei demum requiſita voluntate, tam hunc, quàm illum lapidibus obruendum curavit? (*Lev.* 24. 11. *& d. Num.* 15. 34, 35, 36.)

‡ *Annon potius*] Neque nos ſupplicia capitalia heterodoxorum per omnia probamus. Quin tamen poſſit quandoque Magiſtratus Chriſtianus, ceu cuſtos utriuſque tabulæ, ſeductores & blaſphemos coercere, gladioque in illos animadvertere, ſi id judicaverit ſpectaturum & ad ædificationem Eccleſiæ, & potiſſimum ad tranquillitatem Reip. cujus ſalus ipſi eſſe debet pro ſuprema lege, dubitare nefas eſt; cùm id ipſum quod locis hîc citatis mandatum fuit Moſi & à Viro Dei factum, ipſi quoque, cœteris paribus, pro lege & canone eſſe poſſit.

Sedenim non usquequaque verum eſt, Novi Fœderis ſcriptis Eccleſiam hæreticorum occiſione minimè prohiberi. Satis enim interdictum in novo inſtrumento id cenſeri debet, quod cum ipſius analogia minimè congruit, imò repugnat illi charitatis benevolentiæ, quæ in eo nobis præſcribitur. Chriſtus quippe, ut omnium aliarum virtutum perfectiſſimum exemplar extitit, ita & charitatis iſtius clariſſimum lumen nobis prætulit: quandoquidem, ut ipſe de ſe loquitur, (*Luc.* 9. 52.) non venerat perditum homines, ſed ſervatum. Adde, quòd eo ipſo, dum jubemur hæreticum hominem pòſt unam alteramque admonitionem vitare, occidere eundem non obſcurè prohibemur.

‡ *Sed enim non uſquequaque*] Certè non exarmatur Magiſtratus ſuo gladio *novi fœderis ſcriptis*, quibus è contrario hæc illius poteſtas firmatur & ſtabilitur, Rom. XIII, 1. 2. 3. 4. 5. Nec capitalia ſupplicia facinoroſorum, repugnant *illi charitatis benevolentiæ* ad quam tenemur. Nec enim exercitium juſtitiæ vindicativæ, cùm publicè interſit delicta impunita non manere, pugnat cum charitate; tum quia virtus virtuti non eſt contraria, tum etiam quia coercitio malorum procedere debet ex charitate in bonos: Crudelis enim foret ea miſericordia quæ parcendo malis, noceret bonis. Chriſti exemplum ex Luc. IX, 52. huc perperam profertur: Nam Chriſti exemplū ſpectat communē vocationem omnium Chriſtianorum, non ſpecialem Magiſtratuum, mercatorum &c. Aliàs quia Chriſtus non venit ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret, non ut judicaret, ſed ut judicaretur, & noluit vel adulteram condemnare, vel familiæ erciſcundæ inter duos fratres judicium ad ſe rapere, poſſet quis fanaticus colligere, ergo nemo Chriſtianus debet famulos habere, ſed omnes debent ſervire; nulla item debent eſſe publica judicia à Chriſtianis exercenda; nulla judicum

Digitized by Google

cum tribunalia in quibus lites civiles cognoſcantur & dirimantur: Privatorum etiam officium eſt duntaxat vitare hæreticum; nec cuiquam privato licet eosdem occidere: Sed id quoque dixerim de furibus, de adulteris, de latronibus: An igitur in hos nulla animadverſio competet Magiſtratui?

Conſequens nunc eſt, ut de illo videamus, quod ſecundo loco ab adverſariis poſitum erat, nimirum in vetere inſtrumento de hæreticis interficiendis manifeſtum extare mandatum. Apud Moſen enim, inquiunt, ſcriptum legitur, (*Deut.* 13. 5.) illum vatem, aut ſomniatorem, qui Iſraëliticum populum ad alienos Deos colendos traduceret, occidendum eſſe. Atqui teſtimonium iſtud ad propoſitam quæſtionem nihil quicquam facere, duabus potiſſimùm rationibus demonſtrari poteſt. Primò enim, iſto in loco non de omni hæretico verba fiunt, ſed de illo tantummodo, qui hominibus ad Deos alienos colendos autor ſit, quique non modò alios ad eandem impietatem traducere conetur, ſed ſingulari etiam fraude hac in re utatur, falſo nimirum vaticinio, aut ſomnio, quod divinitùs ſibi immiſſum jactet. De- 694.
inde ſi maximè de quovis hæretico interficiendo ibi ſermo haberetur; quid hoc, quæſo, ad nos, qui alius ſpiritûs filii ſumus, nimirum non legalis, ſed Chriſtiani, qui clementiæ, manſuetudinis, humanitatiſque pleniſſimus eſt? Qui Chriſti ſpiritus nequaquam permittit, ut homini hæretico in errore peſtifero verſanti, unà cum temporaria & ſempiterna vita eripiatur. Id quod contingere neceſſe eſſet, ſi hæretici interficiendi forent. Sed non eſt facilè metuendum, ne vera Chriſti Eccleſia hæreticos occidat: cum veritatis illius, quam profitetur, natura tantopere ab ea re abhorreat; ſed illud potiùs verendum eſt, ne ii, qui Deum & Chriſtum ignorant, quique ipſi hæretici ſunt, eos, qui rectiùs ſentiunt, tanquam hæreticos damnent, & occidant, arbitrantes, ſe cultum Deo præſtare, quemadmodum diſcipulis ſuis Chriſtus prædicit. (*Ioh.* 15. 23. *c.* 16. 2. 3.)

‡ *Conſequens nunc eſt*] Iſta effugia Volkeliana, ſunt parvi momenti: Nam cùm omnis hæreſis abducat homines à vero Deo, eo ipſo cenſeri debet eos deducere *ad Deos alienos*: & tantundem eſt *fraudis* in jactando perperã Dei nomine vel verbo ad hæreſim incruſtandã, atque in *vaticinio* aut *ſomnio* divino comminiſcendo ad Idololatriam perſuadendam. Nos quoque *alius ſpiritus* eſſe filios, quam pios V.T. nimis crudè dicitur, cùm eorum Spiritus nonniſi comparativè ad noſtrum fuerit ſpiritus ſervitutis, quatenus hæres quamdiu infans eſt nihil differt à ſervo, licet ſit dominus omnium, Gal. IV, 1. Nec *Chriſtiani*, quod tales ſint, debent à judiciis capitalibus, ſi caſus poſtulet & res, penitùs abhorrere: cùm juſta ſeveritas miſericors ſit & miſericordi crudelitati præferenda. Etiam homo patitur unius membri gangrænã infecti extirpationem, ut toti corpori proſpiciat. Quin ut præſtat unũ perire quam unitatem, ſatiùs eſt hære-

ſiarchâ in ſuo errore peſtifero interire, & inſtar beſtiæ venenatæ aut canis lymphatici, tolli è medio, commiſsâ interim ejus ſalute occulto Dei judicio, quam ut ſinatur ſuum errorem multis aliis ad eorum perniciem affricare, & ſuum virus paſſim diſpergere. Neque hæc judicia capitalia tribuo *Chriſti Eccleſiæ*, ſed pio Magiſtratui, cui tamen in hypotheſi & praxi, ſemper molliora velim ſuaderi; cùm ſeductorum licentiâ, alio etiam modo quam gladiis & laqueis, poſſit coercere: Abſit enim ut probem ſanguinaria illa conſilia quæ Romæ cuduntur & exercentur in illius Adverſarios, juxta quæ Reſp. Chriſtiana in publicam lanienam ſæpiùs degeneravit: Sed cùm nonniſi obiter Volkelius hanc quæſtionem de coercitione hæreticorum, hoc loco moverit, non eſt quod in illius explicatione diutiùs hæreamus: Maneat hac in parte ſuum jus Magiſtratui pio; ſed in exercitio illius juris agat prudenter, clementer, moderatè, & illud ſemper cogitet, *Ne quid nimis*.

Cap. XVI.

De controverſiis Eccleſiæ adjunctis.

SEquitur tandem, ut de iis Eccleſiæ adjunctis dicamus, quæ in aliquam adducta ſunt controverſiam. Hæc autem in quatuor genera diſtribui poſſe videntur. Aut enim dubitatur, num ad ſempiternæ ſalutis adeptionem neceſſe ſit inquirere, ubi & penes quos Eccleſia Chriſti ſit: aut inveſtigatur, quibus ſignis Eccleſia ſit cognoſcenda: aut quæritur, utrum fieri poſſit, ut Eccleſia aliquando deficiat: aut denique, ſi ceſſet, an & quo pacto inſtaurari poſſit.

Primò igitur ad ſalutem conſequendam ſimpliciter neceſſarium eſſe non videtur, ubi Chriſti Eccleſia ſit, perquirere. Cùm enim in Chriſto fiduciam locatam habere, eique obtemperare, ad cœleſtem hæreditatem adeundam ſatis ſit, ut divinus ſpiritus non uno in loco teſtificatur; cumque nuſquam præcipiatur, ut unuſquiſque, ubi ſit vera Chriſti Eccleſia, perveſtiget; quis non videt, rem illam non eſſe ſimpliciter neceſſariam?

1 *Primò igitur ad ſalutem*] Iſtius quæſtionis negativa Volkeliana non poteſt defendi: Nam primùm cùm teneatur quilibet fidelis, ſe aliorum fidelium cœtibus adjungere quoad poteſt, & quo uſque eos quibit reperire, ad exercitia publica pietatis Heb. x, 25. eoipſo tenetur ex ſalutis ſtudio *perquirere*, ubinam talium cœtuum compos fieri poſſit, adeoque *ubi Chriſti Eccleſia ſit.* Nec enim evocat ſuos Chriſtus ad vitam μοναςικὴν & ſolitariam, ſed ad πολιτικὴν & ſocialem. Adhæc cùm hodie Chriſtiani in varios cœtus ſibi oppoſitos abierint, & quilibet eorum ſe jactet eſſe veram Eccleſiam, cui alii ſe debeant adjungere ut ſerventur, prout legimus Act. 2, 47. ſub primordiis Chriſtianiſmi, Deum addidiſſe quotidie Eccleſiæ qui ſalvi fierent, id eſt ut ſalvarentur, multum intereſt ſingulorum, ne Babel pro Sione illis obtrudatur, ut in hac diſtractione in veram Eccleſiam inquirant, & per genuinas ac certas notas, exercitati ſenſibus ad diſ-

cretionem

bretionem boni & mali Heb. v, 14. di gnoſcant genuinos cœtus à ſpuriis, & qui diſtent vera lupinis: Etenim *faciunt fa- vos & veſpæ, faciunt Eccleſias & Mar- cionitæ*, inquit Tertullianus *contra Mar- cionem lib.* 4. & juxta Lactantium *lib.* 4. *Divin. Inſt. cap.* 30. *ſinguli quique cœtus hæreticorum ſe potiſſimum Chriſtianos & ſuam Eccleſiam Catholicam putant*. Qua- propter ut ſingulorum eſt probare pro ſuo modulo ſpiritus num ſint ex Deo 1 Joh. iv, 1. ita ſingulorum eſt diſpicere qui-nam cœtus, Eccleſiaſtici dicti, ſint ex Deo nec-ne. Et quamvis ut confidas te membrum eſſe Eccleſiæ Catholicæ extra quam nulla eſt ſalus, ſufficiat *in Chriſto habere fiduciam locatam* (alio tamen quam Sociniano more) *eique obtemperare*, quod hæc ſint officia omnis veri fidelis cui cœleſtis hæreditas promiſſa eſt; tamen ut Chriſto ritè obtemperes, & defungaris omnibus officiis tibi injunctis, debes quoad fieri poterit alicui cœtui particu- lari te adjungere ut ſerveris; cùm ex illis cœtibus particularibus conſtet & in illis colligatur Eccleſia Catholica & Univer- ſalis, extra quam nemo ſervatur.

Atqui, inquiet quiſpiam, in Chriſto fiduciam collocare, illique parere is demum verè dicitur, qui & Apoſtolorum traditiones, & Eccleſiæ inſtituta conſervat; & porrò inquirendum eſt, ubi Eccleſia iſta ſit, quæ & Apoſto- lorum traditiones cuſtodiat, & ſua hominibus præcepta tradat. Nos verò iſtius argumenti antecedens haudquaquam admittimus. Ut enim quis in Chriſto fiduciam ſuam collocet, ipſique obtemperet, ſatis eſt, cum in iis promiſſis Chriſti acquieſcere, eaque ejus mandata exequi, quæ ſacris lite- ris ſunt comprehenſa: cum, ut ſuo loco demonſtravimus, (*lib.* 5. *cap.* 7.) ſacra Scriptura omnia complectatur, quæ ad ſempiternam felicitatem ſunt neceſſaria. Adde quòd, ut ſimiliter ſuprà oſtenſum eſt, (*ibid. cap.* 2.) nul 696 la ejuſmodi inſtituta certò oſtendi queunt, quæ ab Apoſtolis extra ſcriptu- ram Eccleſiæ de manu in manum tradita fuerint. Quid, quòd nec ejuſmo- di Eccleſiam exiſtere docuimus, quæ jurè ſeſe traditionum iſtarum cuſto- dem nominare poſſit. Quid verò de Eccleſiæ mandatis dicam? Ea enim vel eadem cum ſcriptis Chriſti mandatis ſunt, vel diverſa: ſi eadem, ſatis fue- rit, illa ex divino ipſius volumine haurire: ſi diverſa: nemo iis, præſer- tim ſimpliciter & abſolutè, obſtringitur, etiamſi, ut hîc ponimus, doctrinæ Chriſti adverſa non ſint; imò etiamſi ad rectum in Eccleſia ordinem tuen- dum aliqua ratione faciant. Tum enim demum hujuſmodi Eccleſiæ præ- cepta ac inſtituta hominem obligant, (licèt non ea prorſus neceſſitate, quâ Chriſti ipſius mandata) cùm is Eccleſiam veram agnovit, & ſic ſecundùm Chriſti doctrinam ei ſe adjunxit. Quæ cum ita ſint, planè corruit argumenti iſtius concluſio, nimirum Eccleſiam, ubi ſit omnino inquirendam eſſe.

‡ *Atqui, inquiet*] Quæ hic obſervan- tur de ſufficientia Scripturæ, traditio- nibus & mandatis Eccleſiæ ſunt *ἐξαγώ- για*; ſed nodum non ſoluunt, qui cen- ſeatur

ſeatur ſufficienter Chriſto parere qui ὅις ἄσημος nulli cœtui ſanctorum ſe adjungit ad exercitia pietatis, imò nec putat ſibi inquirendum talis-ne cœtus detur vel ubi ſit. Imò non capio qui conſiſtat negativa Volkelii cum hoc illius aſſerto, quod *Eccleſiæ præcepta ac inſtituta hominem obligant, cùm Eccleſiam veram agnovit, & ſic ſecundum Chriſti doctrinam ei ſe adjunxit.* Nam ſi ex doctrina Chriſti teneris te adjungere veræ Eccleſiæ jam agnitæ, immò illius inſtitutis ac præceptis te ſubjicere, illam perveſtigare debes, & quærere rationem eam cognoſcendi: Niſi forte ſtatuas, quod lepidum foret, præſtare eam ſemper ignorare, quoniam eo caſu non tenereris ejus inſtituta & præcepta ſervare, juxta proverbium Belgicum, **Ongebonde beſte.** Quod Socinianorum Libertiniſmo apprimè convenit.

At, inquiunt, quomodo quis Eccleſiam, ut Chriſtus apud Matthæum jubet, (*Mat.* 18. 17.) adire audireque poterit, niſi, ubi Eccleſia ſit, inquirat? Hìc reſpondemus, minimè conſequens eſſe, ut quia Chriſtus Eccleſiam adire atque audire jubet, idcirco, ea ubi exiſtat, inquirendum nobis omninò ſit: cum illos, qui Eccleſiam jam agnoverunt, eique ſe adjunxerunt, eo loco doceat, quomodo ſe in fratribus corripiendis atque ad officium reducendis gerere debeant: ubi ſimul indicatur, quid eos facere oporteat, qui ita ab aliis monentur, ac verbis caſtigantur.

‡ *At inquiunt, quomodo*] Objectionis iſtius ex Matt. XVIII, 17. hæc eſt ineptiſſima ſolutio. Nam qui vult conſequens, ut audias Eccleſiam, quam jam agnoveris cuique te adjunxeris, vult igitur ut per prius eam ſtudeas agnoſcere eique te adjungas, quam adire & audire debebis.

Ut autem nihilominus explicemus, quo pacto Eccleſiam Chriſti veram agnoſcere poſſis; intelligendum eſt, ad eam rem id unum eſſe neceſſarium, ut cognoſcatur, quænam ſit ſalutaris Chriſti doctrina. Nam cùm ea ſit vera Chriſti Eccleſia, quæ ſalutarem ejus doctrinam tenet ac profitetur; facilè apparet, eum, qui hanc probè cognitam habet, Eccleſiam Chriſti veram agnoſcere inde poſſe; præſertim ſi ſalutarem illam doctrinam ab aliis de religione dogmatibus, ad ſalutem licèt utilibus, non omninò tamen neceſſariis, accuratè nôrit diſcernere; ac ſimiliter errores, qui ſalutem prorſus adimunt, ab iis, qui eam non omninò eripiunt. Id quod propterea addimus, quia, ſi quis plura ad ſalutem ſcitu neceſſaria eſſe putet, quàm revera ſint, is, ſi vim ſententiæ ſuæ ſequatur, non quidem eam Eccleſiam pro vera Chriſti Eccleſia habebit, quæ vera non ſit: interim tamen eam, quæ vera ſit, pro vera poterit non agnoſcere: nempe, quia evenire poteſt, ut Eccleſia vera ab ipſo ea in re diſſentiat, quam is ad ſalutem putet omninò eſſe neceſſariam, cùm neceſſaria non ſit, etiamſi tandem ſit vera.

Atque

Digitized by Google

Atque hæc eſt cauſa, cur multi hodie ex iis, qui à Pontificiis diſceſſionem 697. fecerunt, licèt ſalutarem veritatem eatenus teneant, quatenus ea nôrunt ac profitentur dogmata, ſine quibus nemini ad ſalutem ſempiternam patet aditus; alios tamen, qui eandem veritatem vel non minùs, quàm ipſi, vel etiam exactiùs tenent, pro hæreticis habeant, & ex ſuis Eccleſiis expellant, imò quovis ſupplicio dignos judicent, id quod nequaquam facerent, ſi veritatem ſalutarem à reliquis Chriſtianæ religionis dogmatibus noſſent diſtinguere. Nos, cùm animadvertamus, ad ſalutem ſempiternam nihil requiri aliud, quàm fidem in Deo per Chriſtum collocatam, cujus ſpiritus atque anima eſt obedientia mandatis ejus debita, omnes omnium ſententias tolerandas cenſemus, quæ fidem obedientiamque illam non evertunt, ſed cum ea conſiſtere queant, licet alioqui valde erroneas. Interim tamen omnes monendos ſtatuimus, ut in veritatis cognitione longiùs progrediantur, quemadmodum ſacræ literæ partim apertè præcipiunt, partim optando monent, (*Heb.* 5. 12. *&* *d. c.* 6. 1. *&* *d. Eph.* 1. 17. *&* *d.* 3. 18, 19. 4. 13, 14. *Phil.* 1. 9, 10. *Col.* 1. 9, 10. 2. 2. 1 *Theſſ.* 3. 10. 2 *Pet.* 3. 18.) utque errores demonſtratos non pertinaciter defendant, ſed deponant. Etenim ſi in veritatis cognitione, ejus præſertim, quæ ad Dei gloriam illuſtrandam, ad pietatis ſtudium promovendum, ipſamque adeò ſalutem obtinendam plurimùm faciat, progredi, occaſione etiam atque opportunitate ad eam rem oblata, nolint, erroresque contrarios pertinaciter defendant; tanquam veritatis contemptores, & gloriæ divinæ pietatiſque hoſtes quidam meritò damnabuntur; idque tantò magis, ſi inde fiat, ut eos, quos tanquam fratres ſuos Deique filios diligere debebant, odio proſequantur, aut aliquâ ratione inſectentur. *Qui enim non diligit fratrem ſuum, manet in morte. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt: nôſtis autem, quòd nullus homicida habeat vitam æternam in ſe manentem*, inquit Joannes. (1 *Joh.* 3. 14, 15.)

‡ *Ut autem nihilominùs*] Iſtæ diſtinctiones, theticè conſideratæ ſunt optimę, ſed eas hypotethicè applicare ad hodiernas inter Chriſtianos Controverſias, haud ita facile eſt: Quin alia ſunt ſimpliciter neceſſaria, quæ in ſe paucis capititibus conſtant, alia verò ſunt neceſſaria ex hypotheſi, in rejectione errorum, qui vel articulis neceſſariis ſunt contrarii, vel pro neceſſariis tibi obtruderentur. Sed his miſſis, admittimus Confeſſionem Volkelii de Proteſtantium Eccleſiis, à quibus ergo non deberent ex hoc principio, ſui Sociniani receſſiſſe. Cur enim eas deſeruerunt Eccleſias, quam etiamnum veras eſſe profitentur? Cauſa verò ſontica eſt Proteſtantibus Socinianos refugiendi, ceu hæreticos teterrimos, quod religionis Chriſtianæ omnia capita fundamentalia ſubruant, & pro veritatibus neceſſariis peſtilentiſſima dogmata, maximè articulorum fundamentaliũ negativa, nobis obtrudant. Porrò ad fidem & obedientiã veram, veritates fun-

damentales nonnullæ requiruntur, quas dum rejiciunt & impugnant Sociniani, tolerantiâ illâ ſunt indigni, quæ ex charitate Chriſtiana debetur fratribus in fundamentum non impingentibus, citra diſpendium ſtudii, in Veritatis cognitione majori adipiſcenda, collocandi. Qua in re non reprobo quæ hîc generaliter dicta ſunt à Volkelio, ſi modò ritè diſtinxerimus inter tolerantiam merè civilem, & eccleſiaſticam; ut hæc non neceſſariò obtineat, ubi illi locus eſt; item inter tolerantiam cœtuum, qui diſtinctas habent ſocietates ac communiones, & perſonarum: illa enim prior hanc non neceſſariò ponit, præſertim reſpectu docentium, quorum diſſonantia in eodē cœtu non foret ædificationi.

Sed, ut ad inſtitutam diſputationem redeamus, nondum quieſcentes adverſarii dicent, eam ob cauſam Eccleſiæ inveſtigationem neceſſariam eſſe, quòd non niſi ipſius autoritate res controverſæ, quæ ad religionem ſpectant, definiri poſſint. Quod quidem nos pernegamus: cùm res in controverſiam adductæ, vel ſint ad ſalutem neceſſariæ, vel non ſint. Atqui nec illæ, quæ ad ſalutem neceſſariò requiruntur, Eccleſiæ judicio omninò indigent: cùm in divinis literis adeò clarè expreſſæ ſint, quemadmodum ſuo loco demonſtratum eſt, (*lib. 5. c. 6.*) ut à quolibet non ſocorde homine eâ, quâ ſuprà diximus, ratione, & cognoſci, & dijudicari poſſint: nec in iis, quæ ad ſalutem neceſſariæ non ſunt, ad Eccleſiæ autoritatem confugere, multò au-
698. tem minùs ex ea pendere neceſſe eſt: cùm in iis ipſa Eccleſia errare labique poſſit. ſiquidem ad Eccleſiam veram conſtituendam nil requiritur aliud, quàm ut ea omnia, quæ ad ſalutem ſunt prorſus neceſſaria, teneat ac profiteatur. Adde quòd, cùm iſtarum rerum cognitio non ſit omninò ad ſalutem neceſſaria, etiamſi ea nonniſi ab Eccleſia peti poſſet, non eſſet tamen ad ſalutem prorſus neceſſarium, eam ob cauſam Eccleſiam inquirere. Quòd ſi quis inde Eccleſiam omninò inquirendam, & judicio ejus ſtandum eſſe colligat, quia rudiores, niſi ab Eccleſia erudiantur, ne ea quidem intelligant, quibus ſalus æterna continetur, præſertim in magna ſententiarum diſcrepantia: reſpondemus, aliâ ratione ignorantiæ illi conſuli poſſe, ſublatis voluntariis ignorantiæ illius cauſis; quæ ſine dubio ſunt, quòd ſacras literas vel non legunt audiúntve, vel ad audiendum legendumque non eum animum, nec eam diligentiam probitatemque afferunt, quâ ad rerum ſalutarium intelligentiam opus eſt. Quibus cauſis ſublatis, omnis iſta ignorantia citra ullum Eccleſiæ judicium ceſſabit.

‡ *Sed ut ad inſtitutam*] Quæ hîc contra poteſtatem judiciariam Eccleſiæ eamque ἀνυπεύθυνον dicuntur, non poſſimus improbare. Sed negamus non poſſe in judicium, ſaltem diſcretivum, & controverſiam, vocari, ea quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, vel ἀποφατικῶς, vel καταφατικῶς; & quod hic ſubjicitur de rudioribus edocendis, circa capita controverſa, abſque ullo miniſterio Eccleſiæ, duriuſculè dicitur: Cùm miniſterium verbi ſui Deus vigere voluerit ad

Digitized by Google

ſit ad fidei productionem & confirmationem Rom. x, 17. Nec interea negligi debet lectio privata Sacræ Scripturæ, ſed potiùs illi publicæ inſtitutioni conjungi, ut fiebat à Beroenſibus Act. xvii, 11. Nam ſubordinata non pugnant.

Atque hæc quidem de confugiendo ad eccleſiæ autoritatem ſententia, cùm de religionis cauſa controvertitur, à Pontificiis in hunc finem inventa eſt, ut divinis voluminibus neglectis, à Romana eccleſia toti penderemus. Verum enim verò cum ipſa Romana eccleſia tot gentibus atque nationibus non ſuſpecta ſolùm, verùm etiam graviſſimorum criminum, & à ſalutari veritate defectionis, jam olim ab iis convicta ſit; quomodo, quæſo, judicis perſonam ſuſtinebit? Quis enim ſanæ mentis homo ejus judicio ſtabit, qui ipſe reorum loco ſtare jurè debebat, & dum alios accuſat, pars adverſa eſt? Ut facilè appareat, quàm ineptè nos Pontificii ad eccleſiæ ſuæ tribunal vocent, & ſimul, quia illud adire renuimus, quàm injuſtè tum ſuperbiæ, tum contumaciæ ab illis accuſemur: cùm ab æquitate & ſanæ mentis ratione alienum ſit, adverſæ partis judicium ſubire: quod omninò fieret, ſi à Pontificio in Pontificiorum judicium vocatus, illud adirem, & quidem ita, ut, quemadmodum illi poſtulant, ſine ulla provocandi facultate ei me ſubjicerem. Sola igitur, ut diximus, ſancta ſcriptura ea eſt, ex qua omnes de rebus divinis controverſiæ judicandæ, omnes de religione ſententiæ ponderandæ, omnes denique obſcuritates illuſtrandæ ſint; adeò ut rerum iſtarum cauſâ opus non ſit, eccleſiam, ubi ſit, inveſtigare. Interim tamen haud negamus, ſi contingat, ut cognitâ ſalutari Chriſti doctrinâ, non ſtatim cernas ejuſmodi hominum cœtum, qui eandem veritatem profiteatur, aut in illo verſeris, convenire, ut inquiras, extent-nè alicubi homines ejuſmodi; ut ita te illis, quoad fieri poteſt, arctiſſimè adjungas, & ſanctiorem amicitiam cum iis colas, & vel tu ab illis, vel illi à te, tum in cognitione rerum divinarum, tum in pietatis ſtudio juventur, & cætera, quæ conjuncta veluti manu à fidelibus peragenda ſunt, à te unà cum illis perficiantur. Et hæc quidem, quæ de eccleſiæ inquiſitione hucuſque diſputavimus, magis adhuc confirmabuntur, ubi docuerimus, nullas ejusmodi extare Eccleſiæ notas, ex quibus, ſi ſalutarem veritatem nondum habeas cognitam, certò poſſis ſtatuere, quænam ſit vera Chriſti eccleſia. Inde enim intelligetur, non eſſe neceſſe, ut cognoſcendæ ſalutaris doctrinæ cauſâ eccleſiam veram inquiras: imò illam omninò cognoſcendam eſſe, antequam ad certam hujus notitiam pervenias, contrà quàm à Pontificiis ſtatuitur. 699.

‡ *Interim tamen non negamus*] Hic quadantenus ad ſe & ad nos redit Volkelius, cùm homini cui jam fax veritatis quædam affulſit commendat perquiſitionem veræ Eccleſiæ, ad officia quæ ipſi commemorantur. Aliàs etiam certum

Digitized by Google

tum eſt non eſſe perquirendam Eccleſiam, ut ab ea omnem veritatem ediſcas; cùm perquiſitio veræ Eccleſiæ in eum ſolum cadat qui jam edoctus ex Dei verbo Chriſtum Servatorem mundi habere ſuam Eccleſiam in cœtus varios diſtributam, habet in Scripturis divinitùs inſpiratis lampadem, ad cujus lucem inter tot cœtus diſcrepantes, in veram quoque Eccleſiam inquirat. Sed accedendum propiùs ad Controverſiam de notis Eccleſiæ.

Cap. XVII.

De Notis Eccleſiæ.

RESPONDENTE ad hoc & duo reliqua capita
PETRO MEESIO, Groningano.

QUi ergo Eccleſiam veram unicuique neceſſariò inquirendam, eſſe ſtatuunt, atque inprimis ii, qui ab ea jam cognita ſalutarem veritatis notitiam petendam eſſe contendunt, proprias, inſeparabiles, indubitataſque eccleſiæ notas appoſitas eſſe aſſerunt, quorum admonitu, qui in ea veſtiganda occupantur, facilè illam agnoſcere poſſint. Nos longè aliter ſeſe rem habere conſtanter affirmamus, ſive inaſpectabilem, ſive aſpectabilem ſpectes eccleſiam. Ad inaſpectabilem enim quod attinet, ipſa inaſpectabilitatis appellatio, omnes notas, præſertim certas atque indubitatas, quibus cognoſci poſſit, excludit. Ea enim ſpectanda eſt non tantùm ex factis quibuſdam externis, quæ aliis quoque patent; ſed inprimis ex animo eorum, ex quibus conſtituta eſt; quem quidem ſoli Deo atque Chriſto cognitum perſpectumque eſſe nemo ignorat. Externa, quamvis alioqui præclara, ſimulari poſſunt; & licèt non ſimulentur, dubitari tamen poteſt, utrùm in eo homine, in quo illa cernuntur, omnia ea reperiantur, quæ ad membrum inaſpectabilis Eccleſiæ Chriſti conſtituendum pertinent: ut taceam, ne illa quidem omnia, utrùm Chriſti mandatis uſquequaque ſint conſentanea, dijudicari poſſe, niſi veritatis jam benè ſis gnarus.

Ut autem magis hoc appareat, videamus ſanè, quales ejus notæ à quibuſdam oſtendantur. Tres igitur potiſſimùm ſunt: Communio Spiritùs, fides, ac charitas. Verùm cùm ſignum re ſignatâ notius eſſe, &, ut Augu-
700. ſtinus, ipſaque adeò recta ratio teſtatur, & ſeipſum ſenſui, & præter ſe aliud animo oſtendere ac repræſentare debeat; cumque res paulò antè memoratæ ipſæ certò cognoſci non poſſint, nedum præter ſe aliud quiddam ſenſibus exhibeant; nonné clariſſimè patet, eas Eccleſiæ ſigna non eſſe? Spiritum enim ſanctum, ut Paulus luculentiſſimè teſtificatur, (*Gal.* 4. 6.) Deus in fidelium ſuorum corda mittit. Fidem etiam in cordibus incluſam eſſe, nemo ignorat: cùm, ut idem Apoſtolus teſtatur, corde ad juſtitiam credatur. (*Rom.* 10. 10.) Jam quid de charitate dicam? eam certè cordis affectum eſſe omnes nôrunt. Neque enim eſt, quòd quiſpiam ex præclaris

Digitized by Google

claris actionibus iſta certò cognoſci aſſerat : cùm nequaquam eadem ſit virtutum ratio, quæ vitiorum. Ut enim hæc ſimulari nequaquam poſſint, poſſunt tamen illæ. Unde ſacræ literæ & fidem & charitatem non ſimulatam requirunt, ac laudant, (1 *Tim.* 1. 5. 2 *Tim.* 1. 5. *Rom.* 12. 9. 2 *Cor.* 6. 6. 2 *Pet.* 1. 22.) eo ipſo indicantes, utramque ſimulari poſſe.

‡ *Qui ergo Eccleſiam*] Mira eſt ratio diſputandi Socinianorum adverſus homines communionis Romanæ; Nam quaſi res illa ad ſe non ſpectet, in ea admodum perfunctoriè verſantur, & ubique malunt nodum ſecare quam ſoluere: Ita ubi agitur de Tranſſubſtantiatione panis & vini in carnem & ſanguinē Chriſti, hanc controverſiam ſtatuunt inutilem, quod ex ſua imaginatione Chriſtus nunc carne & ſanguine deſtituatur. Ita ſi de ſanctorum demortuorum invocatione vel purgatorio agatur, rem putant expediri uno verbo, negando exiſtentiam animæ extra corpus, & ſtatuendo quod mortui non ſint, adeoque nec pati in Purgatorio, nec invocari poſſint à vivis. Ita ſi de Miſſæ ſacrificio, ceu propitiatorio, agatur, vel de propriis ſatisfactionibus, putant ſibi ſufficere quod negent ullā ſatisfactionem vel præſtandam Deo, vel præſtitam à Chriſto pro peccatis. Pari ratione hîc procedunt. Supponitur inter omnes Chriſtianos ſalutem poſſe obtineri in vera Eccleſia, adeoque nec oleum nec operam perdere eum qui in cognoſcenda vera Chriſti Eccleſia laboret, & in illius notas propiùs inquirat : Iſti verò homines putant ſe ab hac moleſtia liberari, & iſto labore defungi uno verbo, ſi negent neceſſarium eſſe in veram Dei Eccleſiam, cui ſe adjungant, inquirere, aut ullas notas dari ex quibus illa reperiatur aut cognoſcatur. Eò collimat Volkelius & hoc & præcedenti capite; ſed parum fauſtis avibus. Hîc enim ad rem non ſpectant quæ diſputat de notis Eccleſiæ quam inaſpectabilem vocat. Certum enim eſt electionem Dei, veram in Chriſtum fidem &c. non poſſe certò cognoſci à priori; ſolus namque Dominus novit qui ſui ſint 2. Tim. 11, 19. Sed tantum per conjecturam, judicio charitatis ſubnixam, colligi à poſteriori. Ibi *ſigna* quædam dantur, fateor, ſed tantum conjecturalia, non abſolutè demonſtrativa, qualia ſunt plerumque ſigna Medicorum, in ea parte ſuæ Diſciplinæ quæ *Semejotice* appellatur. Quin neque hæc Controverſia de *notis Eccleſiæ*, ſpectat abſolutè Eccleſiam univerſalem aſpectabilem, utor verbis Adverſarii; cùm ea ſatis diſtinguatur & dignoſcatur à Judæis, Turcis, Ethnicis, ſuâ nominis Chriſtiani profeſſione; ſed ſpectat cœtus particulares eorum qui Chriſtianum nomen profitentur palam, quorum tamen quilibet ſe ſolum jactitat veram ac legitimam Chriſti Eccleſiam eſſe, cui te debeas adjungere ſalutis obtinendę gratiâ; prout Eccleſia Romana pertendit hoc elogium ſibi ſoli deberi. Cùm igitur hæc quæſtio ſit merè comparativa inter varios Chriſtianorum cœtus, nec abs re quæratur cuinam cœtui id elogiū competat veræ Eccleſiæ, ut illi adhæreat homo ſalutis ſuæ ſtudioſus, qui jam quidem toto propendet animo ad religionis Chriſtianæ profeſſionem, & putat genericè loquendo, in ea ſola viam vitæ & ſalutis reperiri, ſed tamen dubius hæret inter tot ſectas, cuinam parti & cœtui ſe adjungat, ut monet etiam Chryſoſtomus *hom.* 17. *in Acta*, ea utique non erat per merum ἐκφαυλισμὸν rejicienda. Quia verò Volkelius ex profeſſo hîc impugnat eas notas Eccleſiæ quas

quas in hac Controverſia (circa quam ſtudent Pontificii nos detinere in id potiſſimum incumbentes cum priſcis Donatiſtis apud Auguſtinum, ne cauſa principalis agatur,) proferre ſolent Proteſtantes, breviter eas debemus vindicare.

Aſpectabilis quoque Eccleſiæ nullas proprias, taleſque, quales diximus, notas eſſe, inde patet, quòd omnes, qui in illis perquirendis plurimum conſumſerunt induſtriæ, quamvis maximo ingenio, ſingularique doctrinâ excelluerint, nullas invenire potuerunt, utut ſibi aliter perſuaſerint. Quod quidem ut clariſſimè pateat, intelligendum eſt, eos, qui in notis iſtis eccleſiæ apponendis elaborârunt, in duo genera diſtinctos eſſe. Alii enim Euangelicorum titulo gaudent, alii Catholicorum. Ac illi quidem eccleſiæ notas eſſe ajunt, tum puram atque incorruptam verbi divini prædicationem; tum legitimum ſacramentorum uſum.

†* *Ac illis quidem*] Has *Euangelicorum* notas eſſe genuinas, vel inde liquet, quod Chriſtus ſuis ovibus tribuat quod ſe cognoſcant & vocem ſuam audiant Joh. x, 4. 27. dicaturque Eccleſia vera ſuperſtructa ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum Eph. II, 20. Et hoc charectere diſcretivo inſigniatur Eccleſia Hieroſolymitana ſubnaſcens Act. II, 47. quod in illa pii perdurarent in *doctrina Apoſtolorum & communicatione & fractione panis & precibus*. Adde loca Matt. XXVIII, 19. 20. Joh. VII, 31. 1 Joh. IV, 4. Aliàs ſequuturi noſtrum Volkelium vix aliter quam *ἀνασκευαστικῶς* agere poſſumus.

Puram & incorruptam verbi divini prædicationem Eccleſiæ propriam notam minimè eſſe inde conſtat, quòd eccleſiæ conſtituit eſſentiam: cum eccleſia aſpectabilis, de qua hîc agimus, nihil ſit aliud, quàm is hominum cœtus, qui ſalutarem Chriſti veritatem tenet ac profitetur. Salutaris autem doctrinæ profeſſionem, divini verbi, quod hîc oratione perſequimur, prædicatione contineri inque ea includi, apertiſſimum eſt. Quod cùm ita ſit, quomodo, quæſo, ſalutaris doctrinæ prædicatio, citra principii petitionem, cùm de Eccleſia ex notis cognoſcenda agitur, proferri poteſt? id eſt, quomodo id, quod Eccleſiæ continetur eſſentiâ, & ſic ipſa aliqua ex parte eſſentia eſt, ſuum ipſius ſignum dici poteſt? Intelligendum enim eſt, de iſtiuſmodi ſignis hîc agi, quæ eſſentiam eccleſiæ nondum cognitam oſtendant ac patefaciant, adeoque non ex ipſa eſſentia, ſed ex ejuſdem propriis adjunctis ſumenda eſſe. Aliter enim, ut diximus, turpiſſima petitio principii nequaquam vitari poterit. Nam cùm quæritur, quo pacto eccleſia cognoſcatur, perinde valet, quaſi quæratur, quâ ratione ille cœtus hominum
701. cognoſcatur, qui ſalutarem doctrinam tenet ac profitetur. Ubi ſanè non idem, ſed aliud quidpiam reſpondendum eſſe, nemo non intelligit. Quod

ad legi

Digitized by Google

ad legitimum uſum ſacramentorum attinet; ne de ejus vocis uſu ac ſignificatione, aut earum rerum, quæ eo nomine appellantur, numero nunc quicquam dicamus; primùm de eo idem, quod de prædicatione verbi divini incorrupta dici poteſt, nempe eum ad eccleſiæ eſſentiam conſtituendam pertinere; quod ii, cum quibus nobis res eſt, non diffitentur, nec diffiteri poſſunt. Si enim cœtus aliquis ſacramenta, omnibus in perpetuum à Chriſto præcepta, qualia hîc intelliguntur, vel planè non uſurparet, vel legitimè non uſurparet, ob id ipſum eccleſia Chriſti non eſſet, nec ſalutarem veritatem uſquequaque profiteri cenſendus eſſet. Deinde cùm ſolus legitimus ſacramentorum uſus, qui quidem in hominum ſenſum incurrere queat, ad eccleſiam oſtendendam non ſufficiat, ſed cum pura verbi divini prædicatione conjunctus; cumque oſtenderimus, hunc eccleſiæ ſignum non eſſe; conſequitur, nondum eas nos habere eccleſiæ notas, ex quibus ea indubitatò cognoſci queat, etiamſi tandem legitimus ſacramentorum uſus extra eccleſiæ eſſentiam eſſe poſſet.

‡ *Puram & incorruptam*] Primò falſum eſt verbi divini puram prædicationem ſi alicubi quomodocũque obtineat, *Eccleſiæ eſſentiam* conſtituere. Nam poteſt verbũ prædicari apud homines adhuc incredulos & infideles, qui necdum ullam Eccleſiam conſtituant: Tum abſurdè ſtatuas Eccleſiæ eſſentiam conſtitui per externam & tranſeuntem aliquam actionem ſuorum Paſtorum, cujuſmodi eſt prædicatio pura verbi divini; ſiquidem jam præſupponitur eſſe cœtus aliquis qui Eccleſia dicitur in quo & apud quem illa prædicatio obtinet, & nihil alienum magis à recta ratione, quam id eſſentiam Eccleſiæ vocare, ad quod Eccleſia ſe habet objectivè. Nec debet ſtatui niſi ἀφιλοσόφως: *ſalutaris doctrinæ profeſſionem, divini verbi prædicatione contineri*, cùm illa ſit iſtius conſequens duntaxat vel adjunctum: Salutaris enim doctrinæ profeſſio, eſt totius multitudinis & cœtus; verbi divini prædicatio eſt tantum Miniſtrorum & Paſtorum illius. Præterea aliquid poteſt ſtatui eſſentiale bifariàm, vel conſtitutivè, vel conſecutivè; Ita ratio & diſcurſus pertinet ad eſſentiam hominis conſtitutivè, ſed riſibilitas, eodem ſpectat conſecutivè: Ita ignis eſt de eſſentia incendii conſtitutivè, fumus conſecutivè, quod ignis non ſoleat unquam abſque fumo procedere. Adhæc Eccleſia poteſt conſiderari vel in ſuo materiali tantum, ut eſt cœtus hominum ſibi tribuentium quod ſint Eccleſia, vel etiam in ſuo formali, ut habet quicquid ad veram Eccleſiam conſtituendam requiritur. His præmiſſis, dico Controverſiam de veris notis Eccleſiæ, ſupponere quidem Eccleſiam jam notam in ſuo materiali, ſed totam eſſe de Eccleſia cognoſcenda in ſuo formali; adeoque mirum non eſſe ſi tales proponantur notæ quæ ad illius formalem rationem inveſtigandam ſpectent: Ac ſicut Titium vel Mævium potes noſſe in ſuo materiali quà ſunt homines, & neſcire eos eſſe Philoſophos & eruditos, quales ſe jactant, niſi eos audiveris rectè philoſophantes; unde debes unicuique eorum dicere, cum priſco illo Philoſopho, *Loquere ut te cognoſcam*; ita hunc vel illum cœtum hominum unà convocari ſolitorum, poſſum cognoſcere

in ſuo

in ſuo materiali, quod ſint homines qui ſe vel Euangelicos, vel Romano-Catholicos appellent, ac ſeſe dicant veram Chriſti Eccleſiam: Sed quò mihi poſſit conſtare utri cœtui hoc elogium legitimè conveniat, debeo expendere uter habeat id quod formaliter conſtituit Eccleſiam veram, nempe profeſſionem ſalutaris doctrinæ; adeoque ex illa nota eam cognoſcere. Nec repugnat, aut ullam principii petitionem continet, ſupponere eſſentiam Eccleſiæ veræ, ſalutaris doctrinæ prædicatione & profeſſione contineri, & ex illo principio diſpicere, utri duorum cœtuum contendentium, hæc ipſa prædicatio & profeſſio conveniat. Immò non aliter agi poteſt: Et nihil falſius quam ſigna rerum cognoſcendarum, ad earum eſſentiam pertinere non poſſe: Nam ex fumo eminus conſpecto, cognoſcimus ignem ibi eſſe accenſum, & medicus ex ſiti ægri & calore intenſiori & vehementiori pulſu arteriæ, tanquam ex ſignis certis cognoſcit febrim adeſſe: Illa tamen omnia ad febris ipſius eſſentiam quadantenus pertinent. Et quò quid magis intimè rem afficit, vel ex ordine naturæ debet afficere, eò certiùs nos deducit in ipſius rei cognitionem; Nec poteſt Volkelius inficiari eam eſſe notam indubitatam cognoſcendi apud eum cœtum eſſe veram Eccleſiam, ex qua mihi conſtat aut conſtare poteſt illi cœtui id convenire quod ad veræ Eccleſiæ eſſentiam conſtituendam requiritur. Atqui ad veræ Eccleſiæ eſſentiam conſtituendam requiritur incorrupta verbi divini prædicatio & ſalutaris doctrinæ profeſſio; Ergo ſi mihi conſtiterit hanc vigere in aliquo cœtu hominum, ſe profitentium Eccleſiam, per eam ceu notam certam & indubitatam cognoſcam revera illum cœtum eſſe veram Eccleſiam. Hæc ita ſunt per ſe obvia & evidenti rationi conformia, ut debuerit Volkelius rationi ſuæ renunciaſſe, dum hîc tam operosè & intricatè diſſerit de eſſentia Eccleſiæ, de petitione principii, de ſigno rei cognoſcendæ, ad illius eſſentiam non ſpectante, de ſigni definitione Auguſtiniana; quæ omnia ſunt ἀπροσδιόνυσα, non alio fine excogitata quam gravandæ Euangelicorum ſententiæ de veris notis Eccleſiæ. Sanè vel non intellexit Volkelius quid ſentiant Euangelici, vel datâ operâ hunc fumum ſparſit, ut perſuaderet ſuo Lectori, eò ſubtiliorem Theologiâ à Socinianis tradi præ rudioribus iſtis Euangelicis, quod à nemine queat intelligi. Nempe illi ſoli ſapiunt, cœteri volitant ſicut umbræ. Cùm quæritur *quo pacto Eccleſia cognoſcatur*, vel quæ ſint notæ veræ Eccleſiæ, *non perinde valet quaſi quæratur quâ ratione ille cœtus hominum cognoſcatur qui ſalutarem doctrinam tenet ac profitetur*, ſed quâ ratione cognoſcatur hunc illum-ve cœtum hominum eſſe veram Eccleſiam: *ubi ſanè* non *aliud quidpiam reſpondendum* eſt quam id cognitum iri, ſi conſtiterit eum cœtum ſalutarem doctrinam tenere ac profiteri. Idem ſtatuimus de legitimo Sacramentorũ uſu, quem agnoſcimus aliâs neceſſarium nexum habere cum ſalutari doctrina & profeſſione illius: Quare ut *ſi cœtus aliquis Sacramenta omnibus in perpetuum à Chriſto præcepta, qualia hîc intelliguntur, vel planè non uſurparet, vel legitimè non uſurparet, ob idipſum Eccleſia Chriſti non eſſet*, fatente Volkelio, ita viceverſâ pro vera Chriſti Eccleſia agnoſci debebit cœtus ille in quo Sacramenta à Chriſto inſtituta *legitimè* uſurpari, (in qua vocula multum ſitum eſt) poſt diligens ſcrutinium conſtiterit. Quin etſi *ſolus legitimus Sacramentorum uſus*, Eccleſiæ notificandæ non ſufficeret, abſque præcedenti & priori ſigno, quod tamen in hoc *legitimo* uſu præſup-

ponitur

Digitized by Google

ponitur, hinc tamen non ſequeretur eum ſignis diagnoſticis Eccleſiæ annumerari non poſſe. Si non proſint ſingula, multa juvant.

Sed jam eas notas ſuis momentis examinemus, quæ ab iis, qui Catholicos ſe nominant, inventæ ſunt. Sunt autem numero quatuor potiſſimùm. Tametſi enim in illis percenſendis ſunt admodum varii cum alii plures, alii pauciores conſtituant: in hoc tamen, qui reliquis ingenio doctrinâque præſtant, conſentire videntur, quòd reliquæ omnes, ad quatuor iſtas, quas mox recenſebimus, referri poſſint. Eæ autem hæ eſſe ab illis dicuntur; nimirum quòd Eccleſia ſit una, quòd ſancta, quòd Catholica, quòd denique Apoſtolica.

1 *Sed jam eas notas*] Nec iſtas ſpurias notas propugnare debeo, alibi à me everſas, nec oſtendere quam ſubindè non ſatis ſolidè impugnentur à Volkelio.

Primò igitur, quod ad unitatem attinet; dicimus, eam eccleſiæ notam minimè eſſe: & ut hoc planum fiat, non Judæorum jam inde à Moſe ortum habentium, non Mahometanorum, non latronum aliorumve unitatem opponam, quamvis hoc ab aliis factum eſſe comperiam: ſed ponam, Pontificios, ut quidem cauſſæ illius patroni contendunt, de ea unitate ſermonem habere, quâ univerſa eccleſia, ſingulaque ipſius membra, cum ipſis Apoſtolis eorumque diſciplina, ipſaque inter ſe, indiſſolubili nexu conſtructa ſemper fuerint: num idcircò unitas eccleſiæ ſignum erit? Minimè gentium. Quid enim aliud hìc dicitur, quàm, ut quidam ex doctiſſimis adverſariis, (*Arcturus Ieſuita.*) ex Athanaſio explicat, Eccleſiam eadem ſemper cum Apoſtolis profiteri, id eſt, eandem cum illis ſalutarem veritatem retinere? id quod eccleſiæ notam minimè eſſe jam demonſtravimus; cum in aſpectabilis eccleſiæ eſſentia contineatur. Deinde, ſi quis hoc, ut illi volunt, ſigno Eccleſiam agnoſcere velit, neceſſe eſt eum Apoſtolorum doctrinam jam certò habere cognitam: at ipſi ab Eccleſia demùm eam petendam contendunt, ac proinde priùs Eccleſiam, quàm Apoſtolorum doctrinam cognoſci volunt. Huc accedit, quòd ejuſmodi unitas, 702.
quam Pontificii Eccleſiæ aſſignare videntur, quæ nimirum maximum in rebus etiam exigui momenti conſenſum in ſe comprehendat, ideo ejuſdem propria nota eſſe minimè poteſt, quòd ea aut nunquam, aut certè non ſemper in fidelium numero reperitur, reperta-ve fuit. Quid enim? an illi, qui Apoſtolorum ætate de ciborum dierumque diſcrimine, deque aliis rebus diſſentiebant, ejuſdem Domini Jeſu ſervi, & ſic illius Eccleſia non fuerunt? Quomodo igitur ſummus iſte de rebus hujuſmodi conſenſus, neceſſarium

inſeparabileque ac perpetuum ſignum Eccleſiæ eſſe poteſt? Satis quippe eſt, fidelium nationem de illis rebus conſentire, quæ ad ſalutis adeptionem ſunt neceſſariæ: quamvis ne hic quidem conſenſus, quippe quo ſalutaris veritatis contineatur profeſſio, eccleſiæ, ut oſtendimus, proprium ſignum ſit. Quòd ſi tamen contra omnem veritatem Pontificiis dare voluerimus, unitatem iſtam Eccleſiæ ſignum eſſe; quid, quæſo, hoc illorum cauſæ præſidii affert? vel potiùs an non evidentiſſimè convincetur, eos Chriſti eccleſiam nequaquam eſſe? quippe quorum unitas partim falſa, partim hominum prorſus indigna, partim ſervilis ſit. Ac falſam quidem eſſe unusquiſque comperiet, qui quàm longè à Chriſti Apoſtolorumque doctrina defecerint, conſiderabit, & quantoperè à ſe invicem diſſideant, animo agitabit: quorum illud nos plurimis in locis demonſtravimus, hoc alii viri docti docuerunt. (*vid. inter alia Eraſmum Rot. & Witakerum.*) Hominibus porrò unitatem iſtiusmodi prorſus indignam eſſe inde conſtat, quòd omnes, tanquam ſi ſanæ mentis ratione ipſimet careant, ita ſuo judicio minimè adhibito, duces Romanenſes ſequi, cumque illis ſentire oportet. Servilem denique eſſe inde perſpicitur, quòd vi ac ſuppliciis conſenſus ille, vel potiùs conſenſûs ſpecies quædam conſtituitur. Unde fit, ut, quamvis multi excellentes ingenio doctrinâque viri eccleſiam illam funeſtiſſimis erroribus implicatam eſſe videant; tamen ne & vitâ priventur, & fortunis evertantur, aſſenſum eos ſimulare, & à contradicendo ſeſe continere oporteat. Egregiam verò unitatem, & porrò egregiam populi Chriſtiani notam, Pontificiorum Eccleſiâ digniſſimam!

‡ *Quid enim aliud*] Ita redibunt iſti homines ad ſententiam Euangelicorum, ſed nullam notam Eccleſię, ut vellet Volkelius, non aſſignabunt. Cœtera hîc congeſta à Volkelio, cùm nos non ſpectent, ſicco præteribimus pede.

Videamus nunc, an ſanctitas vera propriaque eccleſiæ nota ſit. Dicimus igitur, longè ſecùs ſeſe rem habere. Vel enim hîc ſanctitatis nomine in-
703 telligitur ea Chriſtianorum à profano hominum vulgo ſegregatio, & ad divinum cultum conſecratio, quam veritatis ſalutaris cognitio ac *profeſſio* parit, utpote ob quam Chriſtiani omnes ſancti ab Apoſtolis nominantur, ut tum ex Actis, tum ex Epiſtolis Apoſtolicis manifeſtum eſt, vel vera vitæ pietas, & mores Chriſti præceptis conformes eâ voce ſignificantur. Atqui prior illa ſanctitas eccleſiæ aſpectabilis, de qua ſola illi loquuntur, eſſentiam conſtituit. Quare, ut ſuperiùs oſtendimus, nota ejus eſſe non poteſt. Quod ad poſteriorem attinet, ea humano aſpectui nequaquam ita ſubjecta eſt, ut aſpectabilis eccleſiæ ſignum meritò dici poſſit: cùm ſignum non ſolùm ipſum per ſe clarum, ſed etiam re ſignatâ clarius
eſſe

Digitized by Google

eſſe debeat. id quod de vitæ ſanctimonia dici nequit: cum hæc in hominis animo præcipuè lateat, & ideò non ſolùm non cerni, ſed nec ex actionibus externis neceſſariò colligi poſſit. Poteſt quippe, ut diximus, virtus ſimulari. Adde quòd, quæ vera ſit vitæ pietas, Chriſti præceptis conformis, nonniſi tum judicari poteſt, cùm doctrina ſalutaris jam eſt cognita. Verùm enimverò ſi pietas vera Eccleſiæ Chriſti nota eſt, nulla eſt cauſa, cur eccleſiam Pontificiam pro vera eccleſia Chriſti agnoſcamus; imò cauſſa eſt magna, cur eam pro tali minimè habeamus: quandoquidem non ſolùm in Pontificiorum plebe, ſed in ipſis etiam eorum paſtoribus, non unius generis vitia paſſim magnâ licentiâ graſſari, clariſſimè cernimus. Neque hïc eadem eſt ratio vitiorum, quæ virtutum. Virtutes enim ſimulari poſſunt; vitia & peccata non item: & virtus una atque altera, vel etiam plures, quæ in externis actionibus, licèt non ſimulatis, apparent, non protinus veram pietatem ac ſanctitatem conſtituunt: at vel unius peccati conſuetudo pietatem evertit.

‡ *Atqui prior illa*] Ad eundem lapidem impingit adverſarius, dum putat nullam poſſe dari notam Eccleſiæ hic vel illic dignoſcendæ, quæ ad veræ Eccleſiæ conſtituendæ eſſentiam pertineat; cùm è contrario nulla certior nota poſſit dari, eâ quæ ex rei ipſius intimis penetralibus educitur.

Jam videamus, an Catholicam eſſe, ſit eccleſiæ nota. Animadvertendum autem primò eſt, Pontificios hoc nomine, & amplitudinem & claritatem, & antiquitatem intelligere: Ac amplitudinem quidem in eo conſtitutam eſſe ajunt, quòd eccleſia per orbem terrarum longè lateque diffuſa, & ideò ubique ſit. Atqui hanc diffuſionem eccleſiæ ſignum non eſſe, hinc patet, quòd in ea nec neceſſariò, nec ſemper ineſt. Fuit quippe tempus, cùm Chriſti Eccleſia vix in una provincia conſiſteret, nimirum ſtatim poſt Chriſti in cœlum aſcenſum. Tantum enim aberat, ut tunc ſtatim apud Gentiles eſſet, ut nec in omnibus Judaicæ regionis partibus locum haberet. Deinde, cùm ſalutarem Chriſti doctrinam amplecti ac retinere in hominis arbitrio poſitum ſit; fieri poteſt, ut vel à paucis recipiatur, vel etiam à plurimis recepta tandem rejiciatur, ut quidem futurum fuiſſe Paulus prædixerat. (2 *Theſſ.* 2. 3, 9. *& d.* 1 *Tim.* 4. 1. 2 *Tim.* 4. 3, 4.) 704.
Atqui, inquiunt, hanc eſſe propriam eccleſiæ notam illis divinis teſtimoniis comprobatur: *In omnem terram exivit ſonus eorum.* (*Rom.* 10. 18.) Item *Fides veſtra annunciatur in toto mundo.* (*Rom.* 1. 8.) Item illud: *Dominabitur à mari uſque ad mare.* (*Pſal.* 71. 8.) Reſpondemus autem primùm, in teſtimoniis illis non dici, iſta ſemper ac neceſſariò in eccleſia futura eſſe, ſed vel

jam olim eveniſſe, vel aliquando eventura. Et quidem illa, quæ primo ſecundoque teſtimonio commemorantur, jam Pauli tempore completa fuiſſe, ex ipſis locis conſtat. Adde, quòd aliud ſit, vocem præconum Euangelii ubique perſonare, aut, fidem certæ alicujus eccleſiæ paſſim commemorari; aliud, ipſam eccleſiam ubique extare: cùm ibi etiam fieri illa, quæ diximus, queant, ubi nullus Chriſtianorum cœtus, præſertim verus, extet. Tertium verò teſtimonium, ad Dei conſilium referendum eſt, qui aliquando omnibus terræ nationibus veritatem ſalutarem amplectendi, Chriſtoque ſeſe ſubjiciendi ampliſſimam occaſionem daturus erat, & jam olim dedit. Nam ipſe ejus rei effectus in hominum arbitrio ſitus eſt. Quanquam & illud reſponderi poteſt, Chriſtum, uti & Deum, dominari à mari uſque ad mare, etiamſi nemo hominum eum agnoſcere eique parere vellet, quemadmodum alibi oſtenſum eſt. (*lib. 5. c. 27.*)

‡ *Deinde cum ſalutarem*] Quæ hic de libero arbitrio interſeruntur, valde lubrica, imò apertè falſa ſunt; niſi forte ea uſurpentur *ad hominem*, ut loquuntur, & Pontificio dogmati evertendo, ex Pontificiorum hypotheſi adhibeantur. Nec enim *in arbitrio hominum poſitum* eſt *ſalutarem Chriſti doctrinam amplecti & retinere*; ſed pendet id omne ex Dei beneficio & indebito gratiæ auxilio, quo in nobis operatur & velle & perficere. Quin etiã nequit fieri ut ea ſemel *recepta* verâ fide, *rejiciatur*; cum dona & vocatio Dei ſint ἀμεταμέλητα. Qui verò erant defecturi & facturi naufragiũ fidei, juxta Pauli dictum, erant deſerturi fidem quæ creditur, at non propriè eam quâ creditur, quã nunquam habuerunt. Sed hæc obiter, quia nonniſi & παρέργως inſinuata fuerunt à Volkelio.

Adde quod aliud] Ita fateris, Volkeli, hæc ipſam Eccleſiam non conſtituere, ut antea tam vehementer pertendebas.

Tertium vero teſtimonium] Fruſtrà refers ad meram occaſionem ſuggeſtam divinitùs aliquid faciendi, quod de ipſo eventu futuro, tam graphicè prædictum fuerat. Sed ita cordi eſt Socinianis Idolum arbitrii humani, ut ſtatuant per illud eventus & caſus prædictos in Scripturis intercipi & ſufflaminari poſſe. Chriſtum verò poſſe dici, *dominari à mari uſque ad mare*, etiam ſi nullos habeat uſpiam terrarum qui ipſi obſequantur, Parado xum eſt Volkelianum, ſuo loco refutatum.

Jam ut de eccleſiæ claritate dicamus; animadvertendum, eam à Pontificiis in multitudine potiſſimùm collocari, paucitatique opponi. Verùm ut paucitas non eſt ſignum falſæ, ita nec multitudo veræ eccleſiæ nota eſt: quippe cum, ut paulò antè demonſtratum eſt, nec ſemper multi Chriſtianam diſciplinam fuerint amplexi, nec neceſſe ſit, ut, ſi aliquando plurimi ſeſe ad eam contulerunt, eos nunquam ab ea defeciſſe ſtatuatur. Adde, quòd multitudo multis etiam aliis hominum generibus, quæ nihil minùs quàm Chriſti eccleſia ſunt, attribui poteſt. Quòd ſi dicant, ſe eam homi-

profitea-

num multitudinem oratione perſequi, quæ ſalutarem Chriſti doctrinam profiteatur ac teneat; primùm jam oſtendimus, eam nec ſemper, nec neceſſariò exiſtere. Deinde ſi maximè & ſemper & neceſſariò fuiſſet, id tamen pro ſigno eccleſiæ habendum non eſſet: cùm multitudo hominum ſalutarem veritatem profitentium, ipſam eccleſiæ eſſentiam conſtituat. Quid, quòd Romanam eccleſiam notâ iſtâ (ſi modò nota eſt) carere, & ſic veram Chriſti Eccleſiam minimè eſſe, ſatis jam demonſtravimus.

Antiquitatem ſimiliter eccleſiæ ſignum nequaquam eſſe, inde apparet, quòd nec ſola, nec ſemper antiqua fuit. Non ſola; quia multa ſunt alia hominum genera vetuſtiſſima, quæque multò antiquiore religione devincta 705.
ſunt, quàm Chriſtiani; ut Judæi, atque Ethnici. Accedit, quòd nullum tempus dari poteſt, quo unà cum vera religione falſa etiam non extiterit. Non ſemper; quia fuit tempus, quando Chriſti Eccleſia antiqua minimè dici potuit. Cùm enim Chriſti eccleſia primùm colligeretur, vetus ſive antiqua appellari non potuit.

Reliquum eſt, ut conſideremus, an Eccleſiæ nota ſit, eſſe Apoſtolicam quod ut exploremus, hac utemur diſtinctione, ut Apoſtolicæ Eccleſiæ appellationem dupliciter accipi poſſe ſtatuamus. Aut enim illam Eccleſiam ſignificat, quæ Apoſtolorum ætate floruit; aut eam, quæ Apoſtolorum ſequitur doctrinam. Ac priorem quidem ſignificationem, Eccleſiæ notam minimè conſtituere, ipſa ſanæ mentis ratio docet: cum Apoſtolorum tempore florere, Eccleſiam ſemper neceſſarioque comitari nequaquam poſſit. Alterum quoque nullam Eccleſiæ notam conſtituere, jam ſatis conſtare poteſt: cùm, ut jam ſæpiùs inculcatum eſt, Apoſtolorum ſequi doctrinam, ad Eccleſiæ eſſentiam ſpectet.

Verùm Pontificii, ut, quod volunt, aſſequantur, dicunt, Apoſtolicæ Eccleſiæ nomine tres ejuſdem notas contineri: nempe tum Apoſtolorum traditiones, ſeu verbum Dei non ſcriptum; tum continuam Epiſcoporum paſtorumque ſucceſſionem, jam inde ab ipſis Apoſtolis deductam; tum denique legitimam paſtorum ordinationem.

Primò igitur traditiones iſtas Apoſtolis affictas eſſe, ſuprà ſatis oſtendimus. (*lib.* 5. *c.* 8.) Deinde etiamſi veriſſimæ eſſent, Eccleſiæ tamen ſignum ea de cauſa dici non poſſent, quòd ſignum re ſignatâ notius eſſe debet. Atqui hîc contrà fieri inde conſtat, quòd verbum iſtud non ſcriptum exploratè cognoſci nequit, niſi priùs cognoſcatur Eccleſia, quæ iſtud conſervârit. Ex quo fit, ut non ex traditionibus iſtis Eccleſiæ, ſed contrà ex Eccleſia traditiones cognoſcendæ forent.

Jam quod ad Epiſcoporum paſtorumque continuam ſucceſſionem attinet;

Digitized by Google

aut perſonalem localemque ſucceſſionem Eccleſiæ notam eſſe volunt, aut doctrinalem. Ac perſonalem quidem localemque ſucceſſionem Eccleſiæ notam nequaquam eſſe, & ſuprà à nobis demonſtratum eſt, (*ſup. c.* 13.) & hoc in loco veteris teſtamenti Pontificum Levitarumque exemplo demonſtrare placet. Horum enim aliis alios in munere illo, continuata quadam minimeque interrupta ſerie ſucceſſiſſe, nemini dubium eſſe poteſt. Semper tamen penes populum illum veram Eccleſiam nequaquam fuiſſe, ex multis Vatum dictis clariſſimè patet, qui aſſerunt, ſacerdotes illos non cogitâſſe, ubi eſſet Dominus; Legisque profeſſores eum neſciviſſe, & paſtores
706. ab illo defeciſſe, & vates per Baalum vaticinatos fuiſſe, dixiſſe ligno, Pater meus es tu: Tu me genuiſti; Prophetas prophetâſſe mendacia & ſacerdotes applauſiſſe manibus ſuis, & populum Dei dilexiſſe talia: ut alia ſimilia, & ſcelera, quæ illis objiciuntur, prætercam. (*Jerem.* 2. 8, 26, 27. *c.* 5. 31. *c.* 8. 1, 2, 10, *& d. c.* 13. 13. *conf. cum* ℣. 10. *c.* 10. 1, 6: *c.* 23. 11, 14, *& d. c.* 26. 7. *& d. Eſa.* 28. 7. *& d Ezech.* 22. 25, 26, 28. *Mich.* 3. 11. *Soph:* 3. 4. *Malach.* 2. 8, 9.) Hæc enim omnia in veros paſtores veramque Dei Eccleſiam minimè convenire, quis non intelligat?

‡ *Semper tamen*] Hoc effatum juſto crudius eſt. Nam licet illa ſucceſſio nullam infallibilitatem præſtiterit ſacerdotibus, & per ſe non fuerit nota Eccleſiæ, attamen negari nequit *ſemper penes populum illum veram Eccleſiam fuiſſe*, uſque ad tempora N. T. quoniam etiam corruptiſſimis illius populi temporibus ſuperfuerunt ſemper quidam boni & pii in quibus vera Eccleſia conſervabatur. 1 Reg. XIX, 18. Eſ. I, 9.

Doctrinalem verò ſucceſſionem, quæ nunquam interrupta fuerit, nec interrumpi poſſit, nequaquam dari, ipſa à ſalutari veritate defectio per Antichriſtum facta, magno eſt argumento: ut minimè illa repetam, quæ de libero voluntatis humanæ arbitrio ſuprà diximus. Accedit, quòd Apoſtolis in veritatis doctrina ſuccedere, vel, quod idem planè eſt, eandem cum illis ſalutarem veritatem tenere ac profiteri, Eccleſiæ eſſentiam conſtituit, & ſic ejus ſignum proprium nequaquam eſt.

‡ *Doctrinalem verò*] Iſta *defectio per Antichriſtum*, non fuit ita univerſalis, quin Deus ſemper quoſdam ſibi ſervaverit, qui non ſolum non ſumpſerunt characterem Beſtiæ, ſed etiam illi cordatè ſe oppoſuerunt.

Accedit quod] Quæ de eo jam ſæpiùs dixi, nihil attinet hic repetere.

Poſtremò legitimam paſtorum ordinationem Eccleſiæ notam non eſſe hinc perſpicitur, quòd eam nec ſemper, nec neceſſariò comitatur. Nam & antequam paſtores Eccleſiis certis præficerentur, jam Eccleſiæ erant; & ſuprà

Digitized by Google

ſuprà demonſtravimus, Chriſti doctrinam ab illis etiam feliciſſimè prædicatam fuiſſe, quibus hæ partes nominatim nequaquam impoſitæ fuerant. Adde quòd, utrùm legitima ſit paſtorum ordinatio, dijudicari nequeat, antequam doctrina ſalutaris, quam illi tenere omninò debeant, ipſaque adeò Eccleſia fuerit cognita: præſertim cum adverſarii omninò contendant, veros paſtores nonniſi à legitimis veræ Eccleſiæ paſtoribus ordinari poſſe; ut quidem neceſſarium foret, ſi nemo abſque ejusmodi ordinatione legitimè verbum divinum prædicare, & cætera paſtoris munia obire poſſet, quemadmodum illi contendunt.

‡ *Poſtremò legitimam*] Eccleſiæ tamen nondum inſtructæ vel deſtitutæ Paſtoribus & Verbi Divini Miniſterio, nonniſi imperfectæ cenſeri debent Eccleſiæ: dixerit licet Tertullianus, *Ubi tres licet laici ibi eſt Eccleſia.* Ideo vapularunt nonnulli Jeſuitæ Janſeniſtis in communione Romana, quod ſcripſerint tempore perſecutionis Antichriſtianæ Eccleſiam latentem in deſerto, omnibus Epiſcopis & Miniſtris carituram, ac Angelos divinitùs ſubmiſſos horum vices ſuppleturos. Qui verò *Chriſti doctrinam feliciſſimè* olim prædicarunt ſine ſolita ordinatione, illi utique per extraordinariam vocationem, cujus ſibi benè conſcii erant, hoc opus aggreſſi ſunt.

Præſertim cùm] Etiam apud Schiſmaticos vel Hæreticos ordinationem validè fieri, fuit perſuaſum Veteribus, qui ſe oppoſuerunt Lucifero & Luciferianis, qui Epiſcopos ab Arianis ordinatos, reordinari, aut aliàs inter laicos cenſeri, volebant.

Cap. XVIII.

In quo quæritur, an Eccleſia deficere poſſit.

SEquitur, ut videamus, an Eccleſia ab agnita veritate deficere, & ſic Eccleſia eſſe ceſſare queat. Conſtat igitur, id fieri poſſe: cùm, ut ſæpiùs à nobis dictum eſt, homini liberum voluntatis arbitrium conceſſum ſit, nec ullam nobis Deus vim inferre velit, quominus abjectâ veritatis diſciplinâ, mendacio operam demus. Quorſum enim ſpectarent tot virorum ſanctiſſimorum, ipſiusque adeò Chriſti admonitiones, quibus ad animi conſtantiam fideique perſeverantiam concitamur? de quibus jam ſuprà non uno in loco docuimus. (*vid. inprimis cap.* 1. *lib.* 5.) Quid, quòd Paulus fore prædixit, ut homines à cœleſti veritate deficerent, (2 *Theſſ.* 2. 3, 9, *&* *d.* 1 *Tim.* 4. 1. 2 *Tim.* 4. 3, 4.) & nos id factum eſſe experientiâ cognovimus.

‡ *Sequitur ut videamus*] Nempe error errorem ſequitur ut vara vibiam; Nam liberi arbitrii dogma peperit apud iſtos homines hoc aliud monſtrum de interciſione

ſiſione & defectibilitate veræ Eccleſiæ, contra expreſſiſſimũ Chriſti dictum omnibus obvium Matt. xvi, 18. Primùm enim impoſſibile eſt, ut qui pertinent ad *inaſpectabilem* Eccleſiam, ut eam appellabat ſuprà Volkelius, totaliter & finaliter deficiant; cùm electos ſeduci poſſe neget Servator Matt. xxiv, 24. Nec tamen illis *Deus vim inferre* vult, ut perſeverent, ſed in illis efficit *inſuperabiliter*, ut velint perſeverare. Deinde cùm mundus non ſubſiſtat niſi propter Eccleſiam, non poſſimus concipere ea unquam poſſe dari tempora, per quæ mundus permaneat incolumis, & tamen nullam omninò Chriſti Eccleſiam in ſuo ſinu foveat. Et ſi nulla penitùs eſſet Eccleſia in mundo, nulla per conſequens ſupereſſet veritas, nullum Dei verbum, cujus cuſtodia ſoli Eccleſiæ credita eſt 1 Tim. iii, 15. *Admonitiones* ad perſeverandum, non oſtendunt quod electi quà tales poſſint deficere, cùm eorum reſpectu potiùs ſint media per quæ Deus illos in officio confirmat, & hanc ipſã perſeverantiam ad quam eos invitat in ipſis efficit, voce ſuâ imperativâ in operativam abeunte; Sic cùm Chriſtus mandabat Lazaro mortuo ut prodiret foras, eum unà vivificabat, eique indebat animum & voluntatem exeundi ex ſepulchro. Defectiones & apoſtaſiæ prædictæ à Paulo locis hîc citatis, non juvant cauſam Adverſarii; quia erant homines defecturi nõ à fide quâ creditur, ſed ab ea quę creditur; Nec eorum defectione deficiebat tota Eccleſia; ſed potiùs Eccleſiæ corpus hoc onere importuno levabatur 1 Joh. 11, 19. ut cùm quis liberatur lumbricis à quibus vexabatur. *Avolent quantum volent* (inquiebat olim Tertullianus *de præſcript. cap.* 3.) *paleæ levis fidei quocunque afflatu tentationum, eo purior maſſa frumenti, in horrea Domini reponetur.*

707. Neque enim unquam Chriſtus hoc ſuæ Eccleſiæ ſpopondit, in ſeque recepit, eam deſituram minimè eſſe: ſed, ſi officium nunquam proderet, ad extremumque ſtatum ſuum tueretur, fore promiſit, ut præſentem ipſius opem experiretur, & tandem in cœleſtis patrimonii poſſeſſione collocaretur. Cùm enim Eccleſia ex ſingulis fidelibus compoſitum quoddam corpus ſit, ſingulis autem hac lege atque conditione ſempiterna felicitas promittatur; quis non intelligat, eodem modo de univerſa Eccleſia judicandum eſſe?

‡ *Neque enim unquam*] Imò verò multifariàm id Eccleſiæ ſuæ promiſit Chriſtus: Nam eam inædificat petræ ut maneat inconcuſſa, & promiſſio eſt expreſſa Matt. xvi, 18. & Eſ. lix, 21. Nec promiſit ſuam *opem* Eccleſiæ *ſi officium nunquam proderet*, ſed ut nunquam illud proderet, & conſtanter ſibi illius capiti adhęreret; dona enim atque vocatio illius ſunt ἀμεταμέλητα Rom. xi, 29. Nec ſi ſinguli fideles diſtributivè & per partes deficere poſſent (quod falſum eſt, cùm vera fides, nunquam magis pereat quam verus amor, nec ille unquam ſtabili fuerit gradu, qui penitùs & totaliter cadat,) tamen non ſequeretur eos omnes ſimul ac collectivè ſumptos, ita poſſe deficere, ut nemo ampliùs fidelis reſtaret in mundo.

At inquient, Chriſtus ſeſe pro Petro orâſſe dicit, ut fides ipſius nunquam ceſſaret.

Digitized by Google

ceſſaret. (*Luc.* 22. 32.) Rectè; atqui Petrus Eccleſia non eſt, ſed homo ſingularis. Deinde id ad illud tempus revera pertinuit, quo Deus percuſſurus erat paſtorem, & diſpergendæ oves. Quia enim fieri poterat, ut eo metu perculſus Petrus, à Chriſto penitùs deficeret, Sathana illius & cæterorum Apoſtolorum fidei inſidiante, & ſic tum ipſorum, tum cæterorum hominum ſaluti ruinam moliente; ideò Chriſtus, ne id fieret, oravit. Præterea non eſt ſtatuendum, Dominum Jeſum oràſſe, ut ita deficere nullâ ratione poſſet; ſed ut Sathanæ vim ac fraudes cohiberet, & Petrum, ſalvo ipſius arbitrio, adverſus apoſtaſiam communiret. Quòd ſi ne Petro quidem libertas hac in parte ademta fuit, quantò minùs aliis à fide deſciſcendi facultas erepta eſt?

‡ *At, inquient*] Hunc nodum non ſolvit Volkelius, ſed adſtringit: Nam quod rogavit Chriſtus pro Petro, eique dubioprocul impetravit Luc. XXII, 32. petiit ſimiliter pro cœteris ac ſingulis ſuis fidelibus Joh. XVII, 9. 15. 20. Ac prout non ideo debuit vis fieri Petro ut ejus fides non deficeret, ita etiam agit Deus in cœteris ſuis fidelibus, ut *Satanæ vim ac fraudes* eouſque cohibeat, ut illi *ſalvo eorum arbitrio, adverſus apoſtaſiam*, tutiſſimè & infallibiliter communiantur. Diſtinctio temporis huc nihil facit: Nam de ſimilibus, ſimile debet eſſe judicium, ac metus iſte cenſetur recurrere quovis perſecutionis tempore. Nec *deſciſcendi facultas* perfectionis eſt in natura; ſed potiùs vitii.

Dices, & Petro, & univerſæ Eccleſiæ ſuper illum extructæ, hoc promiſſum eſſe factum, ut à fide ſponte ſuâ deficere nequeat, cùm Dominus orci portas *adverſus* eam non prævalituras dixit: (*Mat.* 16. 18.) item, Chriſtum ſuis Spiritum veritatis pollicitum eſſe, qui cum illis in æternum maneat: (*Joh.* 14. 16.) denique Chriſtum ſeſe ſuis uſque ad conſummationem ſeculi affuturum promiſiſſe. (*Matth.* 28. 20.) Sed nos, priora duo teſtimonia nullam rei iſtius confirmandæ vim habere, jam tum oſtendimus, cùm, quo pacto Eccleſia veritatis columna firmamentumque ſit, doceremus: poſtremum verò teſtimonium non magis, quàm priora, ſententiam illam confirmat. Neque enim iſtic Chriſtus pollicetur, diſcipulos ſuos omninò uſque ad conſummationem ſeculi extituros; ſed ſe illis, qui extiterint, perpetuò adfuturum. Illud tantùm hinc colligi poteſt, Chriſtum cupiviſſe, atque adeò curàſſe, ut ii perpetuò extarent: non verò, ut neceſſariò extarent, effeciſſe.

‡ *Dices & Petro*] Horum teſtimoniorum, duo priora magnam *rei iſtius confirmandæ vim habere* nos ſupra oſtendimus: Nam quomodocunque intellexeris in priori *portas inferorum* quæ adverſus Eccleſiam non poſſint prævalere, illinc conſtat eam invictam certò permanſuram: Et cùm *ſponte ſuâ deficere nequeat*, niſi *Satanâ illius fidei inſidiante*, etiam tum portæ inferorum adverſus eam prævaluiſſe cenſerentur, ſi ſponte ſuâ deficeret. Spiritus quoque

veritatis, quem Chriſtus ſuis promittit & confert Joh. XIV, 16. manet cum illis in æternum: adeoque ſimilis eſt igni continuo & ſacro in altari Dei, qui nunquam extinguebatur. Incorruptibile eſt illud Dei ſemen quo regenerantur fideles, & ſic perpetuò *manet* in illis Eſ. LIX, 21. 1 Pet. I, 23. 1 Joh. III, 9. Quantū ad locum Matt. XXVIII, 20. Chriſtus ibi ſatis indicat futuros in mundo pios & fideles uſque ad conſummationem ſæculi: Non vult quidem dicere *diſcipulos ſuos* quos tum perſonaliter compellabat, *omnino uſque ad conſummationem ſæculi extituros*; ſed docet extituros ſemper in mundo quoſdam ſuos diſcipulos, ejuſdem corporis myſtici cum Apoſtolis membra, eorumque in hoc diſcipulatu ſucceſſores, quibus *perpetuò ſit* adfuturus: Et ſi Chriſtus cupivit atque adeo curavit, *ut ii perpetuò extarent*, eo ipſo cenſendus eſt *ut neceſſariò* ac infallibiliter, licet non coactè, *extarent effeciſſe*. Valde enim abſurdum foret id non fieri & evenire, quod Chriſtus ſeriò *cupiviſſe atque adeo curaſſe* ſtatuatur.

Cap. XIX.

Quomodo Eccleſiæ, ſi ceſſet, inſtaurari poſſit.

Reliquum eſt, ut, ſi Eccleſia deficiat, an & quomodo inſtauranda ſit inſtaurarique poſſit, videamus. Quam quidem quæſtionem nequaquam
708. futilem inanemque eſſe, tum inſignis illa per Antichriſtum facta defectio, tum non paucorum hac de re dubitatio indicat. Intelligendum igitur eſt, & poſſe & debere omninò eam, quantum in nobis eſt, redintegrari. Ac poſſe quidem hoc fieri inde conſtat, quòd non ſolùm nihil eſt, quod huic rei impedimenta injiciat; ſed etiam quòd inſtrumenta, quibus hoc perficiatur, nequaquam deſunt. Cùm enim aſpectabilis Eccleſia corpus quoddam ſit, quod ſuis membris conſtet; cumque neceſſe ſit, ut membra iſta certo quodam ordine ac modo diſpoſita ſint; conſequens omninò eſt, ſi illud habeatur, unde talia membra fiant, & ordo conveniens Eccleſiæ reſtituatur, poſſe eam planè inſtaurari. Illud autem, quo utrumque perfici poteſt, ſalutaris Chriſti diſciplina eſt, Apoſtolorum monumentis conſignata, quæ Deus ſingulari ſuâ tum providentiâ, tum incredibili ſapientiâ, integra incontaminataque ſervavit. De quorum veritate cum omnibus Chriſtiani nominis hominibus perſuaſiſſimum ſit; cæteris autem eorum veritas certis argumentis, ut ſuo loco à nobis factum eſt, (*lib.* 5. *c.* 5, 6, 7.) demonſtrari queat; cumque eadem adeò, tum perfecta, tum perſpicua eſſe ſuo loco docuerimus, ut ex illorum fontibus omnia hauriri poſſint, quæ ad Chriſtianæ religionis profeſſionem, in qua aſpectabilis Eccleſiæ membrorum ratio ſita eſt, atque ad hominem verè Chriſtianum conſtituendum requiruntur, veluti eſt fides in Chriſtum, & obedientia mandatis

Digitized by Google

datis ejus debita, parumne liquet, Eccleſiam reſtitui poſſe? Jam quid de ordine ſtatuque illius externo dicam? is certè adeò & clarè & evidenter in divinis literis nobis ob oculos ponitur, ut & Paſtores, & Diaconi, aliaque quàm plurima, abſque ullo erroris periculo aut metu deligi ordinarique poſſint.

† *Reliquum eſt*] Hæc quæſtio ſupponit impoſſibile, adeoque futilis eſt: Etiam ſub Antichriſto Deus ſibi ſervavit ſuam Eccleſiam in media fornace Babylonis Apoc. XVIII, 4. Neque Reformatio Eccleſiæ eam de novo produxit, (ſic enim non reformatio foret dicenda Eccleſiæ quę deformata fuiſſet, verum potiùs formatio nova Eccleſiæ quæ antea penitùs interiiſſet,) ſed Eccleſiæ ſuum ordinem & ſplendorem priſcum reſtituit, eamque ſubduxit tyrannidi & preſſuræ Antichriſti. Nec enim è cœlo ſubmiſſi ſunt Angeli, qui Eccleſiam de novo excitarent, ſed ex ipſa Eccleſia prodière homines pii, qui cultum Dei publicè collapſum ſuo nitori reſtituerent. Et longè aliud eſt hominem ægrum ſanare, quod factum Eccleſiæ reſpectu per Reformationem, quam penitùs mortuum ad vitam revocare. Et cùm dicat Volkelius inſtaurationem ſive reformationem Eccleſiæ, procedere per quædam illius *membra*, ex *Apoſtolorum monumentis*, *quæ Deus ſingulari ſuâ cum providentiâ tum incredibili ſapientiâ*, *integra incontaminataque ſervavit*, neceſſariò ſtatuit Reformationem Eccleſiæ, totalem illius defectionem non præſupponere, quoniam debuit ſupereſſe aliqua Eccleſia, quæ reformationis faciendæ normam, ſcilicet oracula divina, cuſtodiret, & cujus membra Reformationem ipſam aggrederentur.

Ut porrò id fieri omnino debere doceamus, quatuor potiſſimùm argumenta in medium afferemus. Primum illis Chriſti verbis continetur, quibus ſe piorum cœtibus delectari, illiſque favore atque ope ſuâ adeſſe oſtendit. *Ubi*, inquit, *duo vel tres congregantur in nomine meo, in medio eorum ſum.* (*Matt.* 18. 20.) Deinde eas eſſe Chriſtiani hominis partes conſtat, ut Deum Chriſtumque quantis poteſt laudibus extollat, & utriuſque incredibilem erga ſe charitatem omnium præſtantiſſima ratione celebret. Quis autem non videt, nullam in vita Dei Chriſtique colendi excellentiorem rationem excogitari poſſe eâ, quæ publicè inque ſolenni piorum hominum congreſſu adhibetur? Inſignitè autem tunc id fieri cenſendum eſt, cùm Cœnam Domini ad ipſius commemorationem celebramus. Quod ſanè cùm tam diu facere jubeamur, dum ipſe veniat, cùmque hoc ſine Chriſtianorum conventibus fieri non poſſit; manifeſtum eſt, eccleſiam, quantum in 709. nobis ſitum eſt, Dei implorato auxilio, inſtaurandam eſſe. Conſtat præterea, ad veræ pietatis charitatiſque ſtudium nullâ re magis homines concitari, quàm crebrâ divini verbi auditione, mutuis cohortationibus, precum conjunctarum ardore, aliiſque rebus ſimilibus, quæ abſque con-

ventu exerceri nequeunt. Certè diſciplina eccleſiaſtica, quam à Chriſto atque Apoſtolis inſtitutam eſſe ſuprà vidimus, quæque ad homines in officio continendos admodum eſt neceſſaria, abſque eccleſia ſacroque conventu exerceri nequit. Qui enim illud præſtes, *Dic Eccleſiæ*? qui ab eccleſia ſegregari poſſit is, qui non ita, ut decet, vivit, ſi nulla ſit eccleſia? Taceo, quòd aliorum etiam hominum ſalus faciliùs conjunctis conſiliis, ſtudiis, laboribus, ſumtibus promovetur, quàm cum ſinguli idem agunt: faciliùs, ubi certus eſt conſtitutus ordo, certaque ſingulorum ſunt officia, fidelium omnium curantur neceſſitates, quàm ubi ejusmodi ordo deeſt. Ad extremum, ipſa temporum noſtrorum conditio evincit, Deum Eccleſiam, quæ inductâ errorum funeſtiſſimorum colluvie planè jam occiderat, omninò inſtaurari velle: quippe cùm multos viros pietate doctrinâque præſtantiſſimos incredibili ſtudio excitandæ veritatis ſepultæ, & Eccleſiæ reſtaurandæ, inflammaverit. Hos nullis laboribus peperciſſe, nullum periculum formidâſſe, nullam moleſtiam defugiſſe, nullum incommodum, nullam fortunarum vitæque jacturam recuſaſſe conſtat, ut Antichriſti fraude detectâ, Chriſti veritatem ab omni labe puram integramque terrarum orbi reſtituerent, & Eccleſiam Chriſti colligerent. Quibus eorum conatibus Deum ope ſuâ nequaquam defuiſſe, tot homines, totque adeo regiones ab Antichriſto abſtractæ magno ſunt argumento.

† *Ut porrò id fieri*] Iſtis argumentis optimè probatur, novos fuiſſe cœtus erigendos ab iis quos Deus excivit ex Babylone, & debuiſſe eam Reformationem inſtitui ſub qua Dei beneficio vivimus; ſed inde non colligitur τὸ κείμενον, videlicet penitùs antea interiiſſe in mundo omnem Dei Eccleſiam.

Hactenus & poſſe & debere Eccleſiam inſtaurari oſtendimus: ſequitur, ut eorum, qui aliter ſentiunt, argumenta excutiamus. Ea autem duo potiſſimùm ſunt. Primò enim negant, vera religionis placita hoc tempore mente comprehendi poſſe; propterea quòd tanta ſit facta à Chriſtiana veritate defectio, ut ipſum etiam fundamentum, quod Dei Chriſtique notitiâ continetur, prorſus convulſum fuerit. Horrendâ enim idololatriâ, unà cum aliis peſtilentiſſimis erroribus, in Dei populum inductâ, & ſic vero Dei cultu extincto, Chriſtique diſciplina ſalutari partim obſcuratâ tenebris, partim prorſus exterminatâ, nullum locum reſtituendæ eccleſiæ relictum eſſe ajunt. Reſpondemus autem, eos, qui ad iſtum modum argumentantur, ſuo ſeſe gladio jugulare. Cùm enim à ſalutari doctrina defe-
710. ctionem factam eſſe aſſerunt, & errores, qui cum ea pugnent, demonſtrant, hoc ipſo clariſſimè oſtendunt, ſe veritatis iſtius notitiam habere. Aliter enim, defectionem ab illa factam eſſe, & qua in parte defectio illa

facta

facta fuerit, haud intelligerent. Accedit, quòd conſecutio iſta peſſimè conſtituta eſt. Ut enim omnem inſtaurandæ Eccleſiæ aditum præcluſum eſſe oſtendatur, non ſatis eſt, docere defectionem à Chriſti doctrina factam eſſe; ſed inſuper demonſtrare oportet, etiam illud ipſum amiſſum eſſe, unde eccleſia inſtaurari poſſit. Quod ſanè nunquam fiet: cùm illud nihil aliud ſit, quàm ſacrarum literarum volumen, ſingulari Dei providentiâ conſervatum. Atqui, inquient, cum multa volumine iſto comprehenſa, obſcuritate quadam involuta ſint, ideoque à plurimis minimè intelligantur; cumque Chriſtiana religio in tanta ſectarum varietate ſit conſtituta, quarum quælibet de ſcriptura veroque illius ſenſu ſeſe jactet; haud ſatis aptum remedium illa eſſe videtur, ad tantum morbum ſanandum. Reſpondemus autem, neutram rationem hîc poſitam, quicquam ad hanc noſtram aſſertionem convellendam ponderis habere. Quòd enim multi ſcripturæ ſententiam, præſertim in rebus ad ſalutem æternam neceſſariis, minimè intelligunt; id non ad ipſius obſcuritatem, ſed ad illorum improbitatem referendum eſt. Neque enim rationi conſentaneum eſt, Apoſtolos ea ſalutis humanæ causâ literis mandâſſe, quæ ab hominibus intelligi non poſſent. Non eſt autem neceſſe, ut, ſi Eccleſia reſtaurari debeat, omnia ea, quæ in ſacris literis continentur, intelligantur: ſed ſatis eſt ea intelligi omnia, quæ ad ſalutem ſunt prorſus neceſſaria. Neque verò ſectarum varietas impedire poteſt, quominus ſacra ſcriptura defectionis malo medicinam afferat: quippe quæ nequaquam ex ipſius vel obſcuritate, vel alio quopiam vitio, ſed potiùs inde principium ducat, quòd multi divinis literis minimè contenti, in Conciliis, Patrum placitis, in antiquitate, aliiſque his ſimilibus rebus acquieſcant, aut ex his ſententiam illarum petendam arbitrentur; multi etiam, qui rerum ad ſalutem omninò neceſſariarum notitiam habent, quique porrò unam eccleſiam conſtituere poſſent, vel ambitione, vel præfervido præpoſteroque zelo ducti, in diverſas ſectas abeant.

Inſtabunt tamen illi, quibus alter videtur, Eccleſiamque illam primævam, non ſimpliciter per verbi diſciplinam, ſed per eandem miraculis confirmatam, collectam fuiſſe. Reſpondemus igitur, idem Dei verbum & hodie haberi, nempe miraculis confimatum. Neque enim quicquam refert, hodie iſta miracula non edi: cùm ſatis ſit, omnibus perſuaſum eſſe, 711.
eandem Chriſti diſciplinam olim portentis innumerabilibus anteaque inauditis corroboratam fuiſſe; indeoque nullum dubium eſſe poſſe, quin ſit veriſſima. Quod ſi quis dixerit, ſi olim Chriſti doctrinam miraculis confirmari neceſſe fuit, hodie re iſtâ in tanta diſſenſione multò magis opus eſſe; is nimirum vehementer errat; cùm de ſacrarum literarum veritate contro-

verſia ſit nulla, ſed tantùm de ſententia: ſententia autem in rebus ad ſalutem neceſſariis adeò ſit perſpicua, ut ſi quis eã, præſertim ab aliis admonitus atque edoctus, non videat, indignus planè ſit, qui miraculo ad eam agnoſcendam adducatur: ut taceam, de iſtiusmodi rebus inter eos, qui à Romana eccleſia diſceſſerunt, qui quidem nomen Jeſu Chriſti invocant, nullam eſſe controverſiam; ſed de illis, in quibus ſempiternæ felicitatis ſumma minimè conſiſtit; quarum proinde cognitio non eſt ad Eccleſiam inſtaurandam neceſſaria; ut nil ſit propterea opus nova edi miracula. Atqui, inquies non id tantùm curandum eſſe, ut qualemcunque extruamus eccleſiam; ſed ut eam aperiamus, quæ ſit Apoſtolica. Reſpondemus autem, ſatis Apoſtolicam eam eccleſiam eſſe, quæ ſalutarem Chriſti diſciplinam amplexa eſt. Miracula enim Apoſtolicam Eccleſiam minimè conſtituere, nec ejus propriam teſſeram eſſe, inde conſtat, quòd etiamſi nulla unquam facta fuiſſet defectio, omninò tamen ea ceſſare neceſſe fuiſſet: idque eam maximè ob cauſam, quòd Deus vult, ut ad amplectendam veritatem homines non vi aliquâ, ſed probitate impellantur, ut alibi eſt à nobis explicatum. (*vid. lib.* 3. *cap.* 24.) Hîc verò eandem iſtius rei cauſam & Apoſtolorum tempore extitiſſe, & ideo etiam tum miracula omittenda fuiſſe dices. Nos verò eandem planè cauſam tunc extitiſſe pernegamus: cùm ad hominum probitatem excitandam ſufficientiſſimo opus fuerit adminiculo, quale tunc nequaquam fuiſſet nuda divini verbi prædicatio. Continebat enim, ad illud tempus reſpectu habito, rem novam atque antea inauditam, humanamque intelligentiam ſuperantem, & ſimul non pauca eorum, quæ à Deo olim, vel conſtituta, vel permiſſa fuiſſe omnibus conſtabat, quæque ad illud uſque tempus immota permanſerant, tollebat. Hoc ergo totum, ut Deo auctore fieri intelligeretur, miraculis erat demonſtrandum. Hodie autem longè ſecùs res habet: cùm jam res Chriſti diſciplinâ comprehenſæ, nequaquam novæ inauditæque ſint, imò multis ſeculis ſummo conſenſu receptæ; nec dubitari de iis meritò queat, utrùm divinitus fuerint profectæ necne: cùm miraculorum,
712. olim religionis iſtius corroborandæ cauſâ editorum, tanta vis ſit, ut nunquam ulla temporum vetuſtas ex hominum animis ea delere poſſit.

‡ *Qui quidem nomen*] Ut autem Sociniani eos è ſuis non cenſent iſtis annumerandos, qui negant Jeſum Chriſtum invocandum & adorandum eſſe, ſic neque in iſtorum cenſum venire poſſunt ipſi-met Sociniani pudentiores; quippe qui negando veram æternamque Chriſti divinitatem, ſubruant invocandi Chriſti legitimum ac unicum fundamentum, & ſic nequeant iis accenſeri qui uti par eſt invocant nomen Jeſu Chriſti.

Miracula enim] Non ſtatim Deus *vim* adhibuit, cùm edidit miracula: Sed ea ſemel olim præſtita vim ſuam retinent perpetuam, ut ſint motiva ad fidem

dem & ſigilla veritatis divinæ. Hæc eſt vera ratio, cur miraculis opus non fuit ad Reformationis opus: cùm ſub illa non nova aliqua proponeretur doctrina, ſed ea demum quæ miraculis Chriſti & Apoſtolorum abundè fuerat confirmata: Adde quod cùm miraculis & prodigiis Antichriſtus ſtuduiſſet ſuos errores confirmare, aliis armis, nempe ex Dei Verbo petitis, fuerit expugnandus.

Adhuc primum argumentum eorum, quibus cum nobis res eſt, excuſſimus: alterum verò hujusmodi eſt: Externus, inquiunt, Eccleſiæ ſtatus, qui in paſtorum ſeniorumque ordinatione, aliiſque ſimilibus rebus conſiſtit, reſtitui nequit, & ideo fruſtra hodie in eo inſtaurando laboratur. Cujus argumenti ſui antecedentem partem duabus rationibus demonſtrare nituntur. Prima eſt, quòd qui olim primam illam eccleſiam fundârunt, illi ejus rei gratiâ legati fuerint, idque ita, ut niſi miſſi fuiſſent, tantum opus, ut teſtis eſt Paulus, (*Rom.* 10. 15.) aggredi nequaquam potuiſſent: ut facilè appareat, in re tanta abſque ſingulari & planè divina legatione nihil conandum eſſe, niſi in illam reprehenſionem incurrere velimus, quæ apud Hieremiam hunc in modum extat; *Non miſi eos, & tamen currebant?* (*Hier.* 23. 21.) Cùm igitur hodiè nullus ſit, qui de ejusmodi legatione jurè gloriari poſſit, conſequens eſt, ut conatu iſto ſuperſedeamus. Nec obſtare, inquiunt, ſalutarem Chriſti veritatem in ſacris literis comprehenſam integram incorruptamque permanſiſſe: cùm & Eliæ ætate, facta horribili quadam à uero Dei cultu defectione, divinæ legis diſciplina ſalva manſerit, nec tamen homines, ſed ipſe Deus ſingalari quadam ratione externum illius eccleſiæ ſtatum reſtituerit. Hìc reſpondemus, univerſam illam ratiocinationem nihil momenti afferre ad ipſorum ſententiam conſtituendam. Nam quod ad Apoſtolorum ætatem attinet; quantoperè ea à noſtris temporibus in eo, de quo hìc agitur, differat, partim ex iis intelligi poteſt, quæ paulò antè attulimus ad oſtendendum hodie miraculis ad reſtaurandam eccleſiam opus non eſſe; partim verò ex iis conſtat, quæ ſuprà de miſſione Eccleſiæ doctorum, (*ſup. cap.* 12.) ubi etiam illa Hieremiæ & Pauli teſtimonia, quæ hoc loco adducuntur, excuſſimus. Oſtendimus enim, loca iſta ad eos nequaquam pertinere, qui Chriſti & Apoſtolorum, cæterorumque divinorum virorum auctoritate ſuffulti, aliiſque certis & evidentibus rationibus nixi, diſciplinam Chriſti ſalutarem repetunt, explicant, inculcant, atque ad eam recipiendam, & factis ipſis exprimendam alios hortantur; quales quidem ſunt ii omnes, qui eccleſiam collapſam reſtaurant, aut reſtauratam ſartam tectam conſervant, ornant, atque amplificant. Longè enim aliam hujuſmodi hominum, aliam Prophetarum atque Apoſtolorum rationem fuiſſe conſtat. Ii namque res novas antea-que

Digitized by Google

teaque inaudita Dei nomine annunciârunt, & auctoritate ſuâ, divinitùs illis conceſſâ, nixi fuerunt: & Apoſtoli quidem eam diſciplinam poſt Chri-
713. ſtum primi orbi terrarum patefecêre, quæ omnibus religionibus, vel penitus, vel aliqua ex parte adverſabatur, & ſic eam ipſam, quam à Deo patefactam eſſe conſtabat, nempe Judaicam, abrogabat: Id quod abſque divina legatione nequaquam fieri poterat; præſertim cùm tam valida ejus religionis jacienda eſſent fundamenta, quibus totus orbis, uſque ad ipſum mundi hujus finem, fidem ſuam tutò firmiterque ſuperſtruere poſſet.

† *Adhuc primum argumentum*] Etſi opus Reformationis non proceſſerit per legationem immediatam & omninò extraordinariam, qualis fuit Prophetarum & Apoſtolorum, proceſſit tamen per eos homines qui legatione ordinariâ jam fungebantur in Eccleſia, & ita quoque divinitùs ad Dei Verbum annunciandum conſtituti fuerant: Quanquam Deus eorum miſſione & vocatione ordinariâ, ad opus hoc extraordinarium uſus fuerit per impulſum quendam heroicum, cujus admirabilis ſucceſſus, etiam pro grandi miraculo poſſet objici miriomibus & mirabiliariis hujus ævi.

Quod ad Eliæ tempora attinet, ſi id, quod tum temporis factum dicitur, nobis omninò expectandum eſt; non modò ſequetur, Eccleſiam collapſam ſine miſſione divinitùs facta, ſineque miraculis reſtaurari non poſſe; ſed ne licere quidem hominibus, qui à veri Dei cultu ad falſorum Deorum cultum deſciverunt, hoc relicto ad illum redire, atque ad Eccleſiam, quæ ſtatum ſuum externum adhuc retineat, denuo ſeſe adjungere, aut alios ad id faciendum hortari. Neque enim externus Eccleſiæ Judaicæ ſtatus eo tempore fuerat collapſus. (*vid. 3 Reg. c. 15. & ſeqq. 2 Paral. cap. 17. & ſeqq.*) Vigebat enim Hieroſolymis, inque regno Judæ, ſub Aſa & Joſaphato, qui toto eo tempore, quo Achabus Iſraëlitico regno potitus eſt, Judæ præfuerunt; nec deerant ſacerdotes, qui publico Dei cultui ex Lege vacarent: ſed regnum Iſraëliticum, cui Achabus præerat, ad falſorum Deorum cultum defecerat. Quanquam iſtic quoque aliquot ſupererant hominum millia, qui Baali genua nunquam flexerant. Quid verò? an non licuiſſet Achabo, aut unicuique ex populo, Deum magis, quàm homines metuenti, *ſine ulla miſſione, ſine miraculis*, tantùm ideò, quia & Lex divina, & res ipſa juberet, ad publicum Dei cultum, qui in Juda vigebat, ſeſe recipere, & alios, ut idem facerent, monere?

† *Neque enim externus*] Licet ſub Aſa & Joſaphato res Eccleſiæ Judaicæ ſatis floruerint, peſſimo tamen loco illæ fuerant antea ſub Rehoamo & Abia, & paulò poſt fuerunt ſub Joramo qui duxerat Athaliam Achabi & Jezabelis filiam, & Achaſia, horum malorum corvorum ovo malo. Et quam ſæpè debuerint boni Reges in Juda manum adhibere Reformationi & collapſum Dei cultum reſtaurare, etiam annotavit Jeſuita Becanus *de Anal. V. & N. T. cap. 26.*

Quòd

Quòd ergo illa ſeptem hominum millia, qui genua non flexerant Baali, id non fecerunt, in cauſa fuit, non Dei, ſed hominum metus, ſeu non Dei, ſed regis interdictum, ac pœnæ ab eo propoſitæ; qua in parte reprehendendi potiùs, quàm imitandi ſunt. Quòd verò Deus certos homines nominatim ad defectionem illam tollendam mittere, & miraculo eam ad rem uti voluerit; id nequaquam adeò abſurdè interpretandum eſt, ac ſi peccaturi fuiſſent homines, ſi ſponte ſuâ, non expectatis Dei Legatis, non expectatis etiam miraculis, id, quod ex lege facere tenebantur, feciſſent, & ad id faciendum alii alios incitâſſent: ſed benignitatis divinæ fuit, & conſuetudinis illorum temporum ferè propriæ, per prophetas & per miracula ad id homines impellere, quod ſponte ſuâ & facere, & ut ab aliis etiam fieret curare, debebant.

‡ *Quod ergo illa ſeptem*] Neſcio cur iſtis hominibus piis hanc notam velit inuſtam Volkelius; cùm non ſemper teneantur homines ad actus confeſſionis poſitivos, ſed tantum ad negativos; & horum temporum ea erat ratio, ut publicè Dei cultui, ſaltem qualis obtinebat apud Iſraëlitas, vacare, per vim majorem impedirentur; Et cùm ſe mutuo non noſſent, unoquoque eorum ſe conſervante à cultu Baalis citra conſcientiam alterius, qui quæſo potuiſſent junctis conſiliis id aggredi, quod in ipſis deſiderat Volkelius? Et cùm ſinguli ſe impares ſentirent iſti oneri, nec tutum aut facile eſſet conſilia inter ſe conjungere, nihil aliud ipſis reſtabat, quàm gemere ſub illo pondere, & liberationem Dei *ἀπὸ μηχανῆς* exſpectare: vide Mal. IV, 16.

Sed deinde demus, publicum Dei cultum, & externum Eccleſiæ ſtatum
tum temporis penitùs fuiſſe collapſum, & ipſos etiam ſacerdotes à vero 714
Dei cultu defeciſſe: nihil tamen id exemplum ad noſtra tempora pertinebit. Etenim tum temporis publicus Dei cultus, & ea, quæ ad externum Eccleſiæ Judaicæ ſtatum atque ordinem pertinebant, ad certam tribum, ac præcipuè ad familiam Aaronicam, ex qua ſola ſacerdotes eligendi, & certis ceremoniis conſecrandi, fuêre alligata, ac certo loco, nempe Hieroſolymitano templo adſtricta, ita ut nec extra tribum familiamque illam, nec exta illum locum, cuiquam publicis ceremoniis præeſſe, & externum illum Eccleſiæ ſtatum inſtituere liceret. Quid ergo mirum, ſi ii, ad quos ea res Lege fuerat adſtricta, à vero Dei cultu defeciſſent, Eliam & alios, ſine peculiari Dei mandato, ad eum reſtituendum ſeſe conferre non fuiſſe auſos? At hodie diuinus publicusque cultus, & externus Eccleſiæ ſtatus, nec certo hominum generi, aut familiæ, nec certo alicui loco alligatus eſt. Quid ergo vetat, quominus is, ſi deficiat, reſtituatur? cùm id,

Digitized by Google

cujus ope id fieri queat, nempe ſalutaris Chriſti diſciplina literis ſacris comprehenſa, in promtu ſit.

Altera ratio, quâ hodie externum Eccleſiæ ſtatum reſtaurari minimè poſſe demonſtrare conantur, eſt, quòd hoc tempore fidelium cœtus ipſi ſibi miniſtros paſtoresque eligant: quod contrà factum fuiſſe inquiunt in primæva illa Eccleſia; quippe cum non ab Eccleſiis, ſed ab Apoſtolis doctores ſenioresque Eccleſiis tunc fuerint præfecti. Reſpondemus autem, hoc paſtorum & ſeniorum primævæ ac hodiernæ Eccleſiæ diſcrimen prorſus accidentarium eſſe; nec ad legitimam muneris illius rationem neceſſariò pertinere, ut ii ab ipſis Apoſtolis, non verò ab Eccleſiis conſtituantur. Satis namque eſt, eos ſecundum Apoſtolicum canonem, de quo ſuprà egimus, (*ſup. cap.* 11.) conſtitui, ita nimirum, ut vitæ ſint inculpatæ, & ad docendam regendamque Eccleſiam apti, ac porrò huic ſuo muneri diligenter invigilent. Alioqui, ſi ad rationem officii hujus omninò pertineret, ut ii ab Apoſtolis conſtituantur; poſt Apoſtolorum ex hac vita exitum nulli legitimi ſeniores ac paſtores, in vera licèt Dei Eccleſia, conſtitui potuiſſent. Eſt autem animadvertendum, etiam Apoſtolorum tempore, iisque adeò præſentibus, & ſeniores conſtituentibus, plurimum hac in re ipſius Eccleſiæ ſuffragia potuiſſe. Unde Lucas cap. 14. Act. (*ỷ.* 23.) narrat, Paulum ac Barnabam in ſingulis Eccleſiis ſeniores per ſuffragia creâſſe. Id enim ſignificat vox χειροτονήσαντες, quâ Lucas utitur, ut viri doctiſſimi annotârunt. Adde, quòd Timotheus, vir tantus, non ſine impoſitione manuum Presbyterii, (*1 Tim.* 4, 14.) hoc eſt,
715. Senatûs, ut ſic dixerim, Eccleſiaſtici, qui ipſius Eccleſiæ perſonam quodammodò ſuſtinebat, ut Senatus urbis aut reipublicæ, ad munus doctoris delectus fuerit. Non ergo mirum, ſi, poſtquam Aopoſtoli jam dudum ceſsârunt, Eccleſia ipſa ſibi ſeniores conſtituat: aut doctores aliqui Eccleſiam colligant, & ex ejus conſenſu eidem porrò præſint.

‡ *Reſpondemus autem*] Ita certè ab *Apoſtolis doctores ſenioreſque Eccleſiis fuerunt præfecti*, ut etiam in eo populi ſuffragia experiverint; agnoſcente Volkelio ex Act. XIV, 23. Nec ita *fidelium cœtus ipſi ſibi miniſtros paſtoreſque eligunt* per χειροτονίαν, ubi *ſaltem* non obtinet Confuſio Socinianiſmi & Independentiſmi, quin in illis ordinandis, conſecrãdis, inſtituendis, ſuas obeant partes per χειροθεσίας, alii Paſtores & Miniſtri, exemplum in eo ſequuti Apoſtolorum, quod hic refertur. Non enim ſufficit ad Miniſterii exercitium legitimum, vel probitas vitę, vel aptitudo ad docendum, niſi cum vocatione atque legitima electione (quæ quam variè proceſſerit olim, ex hiſtoria & Canonibus priſcæ Eccleſiæ liquet evidenter; prout variat etiã hodie plurimum inter ipſos Proteſtantes: nam apud alios electio fit per ſuffragia totius Eccleſiæ; apud alios per Ec-

cleſiam

cleſiam repræſentativam; ſive Presbyterium; apud alios lege quaſi Regiâ, per eos in quos plebs cenſetur ſuam in eo poteſtatem tacitè tranſtuliſſe, vel jure Majeſtatis, per ſupremum Magiſtratum, vel jure Patronatus, per privatos, hac in parte publici curam ſuſtinentes:) acceſſerit quoque conveniens ordinatio, per impoſitionem manuum quam ipſimet Apoſtoli, Eccleſiis poſt ſe continuaturis, retinendam commendarunt. Sed manum de tabula.

Atque hæc de vera in Deum religione dicere habui. Quod ſupereſt, Deo ingentes ago gratias, qui his meis laboribus clementer adfuerit, eundemque ſuppliciter oro, ut eos ad gloriæ ſuæ amplificationem convertat, meique in illa die memor ſit, quâ per filium ſuum Jeſum Chriſtum pro ſuis quemque operibus remunerabitur. AMEN.

‡ Atque hæc ego pro veritate, contra tot impia & monſtroſa dogmata Socinianorum, dicenda habui in hoc opere, cui ſupremam manum & quaſi coronidem imponebam, in meo Muſæo, 29. Decembris ſt. Jul. Anno MDCLXI. Verùm hæc ultima pagina non fuit excuſa niſi XIV. Maij hujus anni. Quod ſupereſt Deo Opt. Max. ingentes ago gratias, quod his meis laboribus clementer adfuerit, meque miſerum peccatorem, eſſe voluerit vindicem Sanctiſſimæ ſuæ Veritatis, διὰ δόξας καὶ ἀτιμίας, & per varios caſus, per tot diſcrimina rerum; eoque tempore quo tantam contradictionem, invidiam, maledicentiam, debui ſubinde ſuſtinere à parte eorum quos minimè decuiſſet; Eundem Deum Unum & Trinum, quo auſpice hoc opus grande incœpi, continuavi, abſolvi, ſupplex veneror, ut & illud & reliqua mea ſcripta, velit dirigere ad Sacroſancti Nominis ſui gloriam & perpetuam Eccleſiæ ſuæ ædificationem, meque tandem ab omni opere malo liberatum æternâ donare Salute in regno Cœlorum, AMEN.

ELENCHUS LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

qui in hoc libro [*quoad quintum & ſextum librum Volkeliani Syſtematis*] integri explicantur, vel in parte aliqua illuſtrantur, [*ſive potiùs à Volkelio corrumpuntur & depravantur.*]

Geneſ.

Cap.	verſic:	pag.
1	1	404 & ſeqq.
	3.6. & d.	412.
	26	406.407.
3	5	407.
	22	407.
4	10	516.588.
6	5	549.
8	21	549.550.
11	7	408.409.
18	2.3.	411.
	13. & d.	411.
	17	411.
	20.22.	411.
22	2	477.
	12	477.
31	53	246.
49	10	594.595.

Exod.

30	6	576

Levit.

4	26	574.
	31.35.	ibid.
5	10.16.18.	ibid.
6	7	ibid.
12	7.8.	677.
15	15.30.	ibid.
17	30	677.

Numer.

7	8.9.	576.
4	2	615.616.
6	13	613.
10	20	612.

Deut:

Cap.	verſic.	pag.
12	32	615.
13	1 & d.	596.
	5	694.
24	1	580.581.
22	4	557.

Ruth.

1	9	522.

1 Samuel.

10	26	552.
		218.
ult.	13	503.504.

2 Samuel.

1	12	503.504.
7	2 & d.	616.

3 Regum.

8	39	454.

2 Paralip.

6	41	444.

Tobiæ.

4	18	503.

Job.

4	17.18	550.551.
14	4	550.501.
	12	514.
15	14. & d.	ibid.
25	4.5.	550.551.

Pla

Elenchus Locorum ſacræ ſcripturæ.

Pſal.

Cap.	verſic.	pag.
2		473.
	8	382. 383.
6		504. 505.
24	7. 8. 9.	444.
33	6	411. 412.
37	11	611.
38	1	504. 505.
50	10 & d.	545.
		207.
51	7	551.
58	4	551.
66	12	505.
	19	443. 444.
71	8	704.
72	7	515.
	18	454.
97	7	443. 444.
99	5	582, 583.
102	26	449. ſeqq.
110	1	605.
	3	472. 473.
119	114	385.

Proverb.

Cap.	verſic.	pag.
4	3	477.
7	4	471.
8	22 & ſeqq.	470. ſeqq.

Eſaiæ.

Cap.	verſic.	pag.
4	4	505. 506.
		327.
6	3	412. 413. 491.
	8	409. 410.
	9	490. 491.
9	18	506.
28	16	441.
35	4	428. 429.
41	4	441. 442.
43	11	454.
44	6	441. 442.
	7	454.
45	24	443. 444.
48	2	551.
	8	551.
	16	413.
49	1	551.
53	tot.	592.
63	9. 11.	473.
	16	586.
66	9	470.

Jerem.

Cap.	verſic.	pag.
7	4	412. 413.
10	23	558.
15	1	588. 589.
17	5	439.
18	6	557.
22	29	412. 413.
23	21	660. 661.
24	7	553. 554.
31	15	382.
	18	553. 554.
33	33	553. 554.

Baruch.

Cap.	verſic.	pag.
3	36 & d.	466.

Ezechiel.

Cap.	verſic.	pag.
21	27	412. 413.
34	24. 25	611.
36	26	553. 554.

Daniel.

Cap.	verſic.	pag.
9	24 & d.	595.

Oſeæ.

Cap.	verſic.	pag.
3	4	454.

Cap.	verſic.	pag.
	Michææ.	
5	2	423.
7	8.9	506.507.
	Aggæi.	
2	8.9.10	595.
	Zachar.	
2	8	439.443.
9	11	507.
12	10	443.
	Malach.	
1	2 & d.	532.
3	3	6.
4	4	473.
	2, Maccab.	
12	46	502, 503.
ult.	12 & d.	589.
	Matthæi.	
1	23	383.
2	15	382.
	18	382.
3	11	518.519.674.675.
4	3	369.
5	1 & d.	577. *ſeqq.*
	13	578.366.
	18	515.
	19	578.579.
	20	579.
	21	579.580.
	22	513.
	25.26.	513. *ſeqq.*
	27	580.
	28	363.
	31.32.	580.
	33	581.
	34.35.	582.
	38	580.
	43	581.

Cap.	verſic.	pag.
	48	433.
6	8	616.617.
	13	368.369.628.
8	4	500.
	22	522.
9	13	357.
10	40	439.
11	3.4	430.
12	18.19.20.	451.
	32	507.508.
	34	558.559.
13	19.38.	368.
15	8	382.
16	16	475.476.
	18	628 & *ſeqq.* 635. *ſeqq.* 648.649.707.
	19	498.499.604.635. 638. *ſeqq.* 677.
	23	367.
18	15	686.687.
	17	499.690.
	18	499.677.690.
	20	455.
	34.38.	515.
20	28	572.573.
21	16	382.
22	13.14.	538.
	31	585.586.
	32	585.586.
	45	469.
24	24	541. *ſeqq.*
25	34	534.
	36	460.
	40	439.
	45	439.
26	41	369.
	44	413.
	63	475.476.
28	18	600. *ſeqq.*
	19	414.415.496.497. 665.671.
	20	707.
	Marci.	
3	29	496.
13	32	460.

Cap.	verſic.	pag.
16	12	437.
	16	667. ſeqq. 671.

Lucæ.

Cap.	verſic.	pag.
1	2	395.
	35	478. ſeqq.
	76	417. 428.
2	26	494 495.
3	22	ibid.
6	36	433.
7	47	677.
10	16	439.
	20	541.
14	26	531.
15	31	440.
16	9	517.
	19 & d.	587.
	29	393.
20	38	585.
22	32	707.
23	42	517.

Johannis.

Cap.	verſic.	pag.
1	1	484.
	2 & d.	435. 436.
	3	446.
	10	446. 447.
	14	461. 462.
	17	447.
	18	434.
	32	494 ſeqq.
	50	476.
3	5	674. 675.
	11	407. 409. 410. 492.
	12	409. 410. 492.
	14	574.
	19 20.21	529.
	30	602.
	36	468.
4	10.13.16.	487.
	21	613. 614.
	32	487.
	34	487.
	35	487.
5	13	445. 446.
	18	433. 434. 445. 446.
	19	ibid. & 459.
	23	439.
	24	488.
	26	434.
	30	459. 460.
	44	558. 559.
6	27	487.
	44 & d.	554.
	53	488.
8	24 25.28	485.
	32	647.
	34	590.
	39	487.
	47	529.
	57	486.
	58	485. ſeqq.
9	34	551.
	41	560.
10	9	644.
	11	645.
	14	645.
	16	528. 529.
	26	528. 529.
	27	543. 544.
	30	430. ſeqq.
	36	423.
11	25	436.
12	23	487.
	31	369.
	34	487.
	44	439.
	45	438.
	49	459. 460.
13	18	534. 535.
	19	485.
	20	439.
14	1	421.
	6	436. 438.
	9	438.
	10	459. 460.
	12	458.
	16	415. 41[illegible] 494. 495. 638. 707.
	24	487.
	26	494. 495.
	28	459. 460.

Cap.	verſic.	pag.
15	390	
	22.24.	560.
16	7.8	493. & ſeqq.
	12	397.398.
	13	493. ſeqq. 648.
	15	440.
	28	492.
17	3	418.419.424.
	5	487. ſeqq.
	10	440.
	11	606.
	12	606.534.535.
	13	606.
	21	433.
	22	488.
	44	488.
18	36	606.
19	37	413.
20	23	498.499.638.639.677.
	28	423.
	30	397.
	31	475.
21	15. & d.	646.
	17. & d.	413.
	25	397.

Actorum.

Cap.	verſic.	pag.
2	3	519.
	16. & d.	451.
	22	535.
	24	517.
	25. & d.	451.
	27	440.
	29	383.
	30	467.470.
	38	671.677.
3	13	418.
4	28	535.
	32	440.
5	3	369.
7	5	496.
9	7	376.
	45	443.
10	16	413.
	18	480.
	38	519.
13	10	367.
	48	527.528.
14	23	714.
15	28	494.495.
16	14	552.553.
18	10	528.529.
20	16	542.
	28	495.572.578.
22	9	376.
	16	677.

Roman.

Cap.	verſic.	pag.
1	3.4	476.468.
	5	407.410.
	8	704.
	16	472.
	24	382.
2	4	382.
3	24	572.573.
	25	575.576.
4	3	565.566.
	5	565.566.
	8	565.566.
	9	565.566.
	11	565.566.
	13	447.
	22	565.566.
	23.24.	565.
5	8	571.
	10	575. ſeqq.
	12	567.568.
	13	567.568.
	18.19.	566.567.
6	3	664.676.
	6	561.
7	5.6	560.561.
	14	560. ſeqq.
	15	560. ſeqq.
	24	561.
8	1.2.	561.
	8	543.
	23	484.
	24	616.
	26	494.495.623.
	27	494.565.
	32	525.

Digitized by Google

Cap.	verſic.	pag.
	34	368.
		411. 482.
		368.
9	5 & d.	426. 467. 468. 469.
	11. 12.	529. *ſeqq.*
	18	855. 556.
5	21	556. 557.
	33	441.
10	15	661.
	18	704.
12	3	643.
	18	542.
13	14	438.
14	11	443. 444.
	15	571.
16	27	613

1 Corinth.

Cap.	verſic.	pag.
1	14. 15	666.
	17	*ibid.* 667.
		539.
	24	471. 472. 539.
	26	539.
	27. 28.	537. 539.
	30	471. 472. 466.
2	1	502.
	10	494. 495.
	14	561.
3	11	628. *ſeqq.*
	13	509.
	15	508. *ſeqq.*
4	7	555.
5	5	690.
7	5	369.
8	6	419. 420. 422. 584.
10	2	683. 684.
	3	489. 683. 684.
	4	489. 490.
	16. 17.	676.
11	23	395.
12	11	494. 495.
	13	675. 683 *ſeqq.*
	21	635.
	28	642.

Cap.	verſic.	pag.
15	3	395.
	4. 5.	395.
	23	612.
	29	511.

2 Corinth.

Cap.	verſic.	pag.
1	5. 6	571.
3	4. 5	555.
4	3	386.
	4	369. 434.
5	1	488.
	17	438. 446.
	18. 19	575. *ſeqq.*
6	9	467.
	19	714.
	19	714.
11	3	368.
12	8	413.
	9	624. 625.
	10	624. 625.

Galat.

Cap.	verſic.	pag.
1	8	407. 588.
	9	407.
2	7. 8	631.
3	19	461.
	27	438. 673.
	28	642.
4	23. 29	468.
5	6	389. 390.
	27	664. 676.

Epheſ.

Cap.	verſic.	pag.
1	4	487. 538.
	5	526.
	7	572. 573.
	13	647.
2	2	369
	5. 6.	538.
	8	554.
	17	520.
	20 & d.	627. 628.
3	1	571.

Cap.	verſic.	pag.
	13	571.
4	4	682.
	8	443.444.
	11	642.
	20	438.641.
5	26	675.
6	12	368.369.

Philip.

Cap.	verſic.	pag.
1	27	554.625.
2	5 & ſ.	436.437.
	7	466.
	9.10	458.
	11	439.458.
	13	554.
3	7.8.	509.
4	3	535.536.

Coloſſ.

Cap.	verſic.	pag.
1	5	647.
	14	572.573.
	15	4[illegible]4.474.
	16	448.449.
	17	*ibid.* 453.
	18	449.
	24	371.
	27	438.641.
2	6	438.
	8	640.641.
	9	437.438.640.641.
	11	680.681.

1 Theſſal.

Cap.	verſic.	pag.
1	4	537.
3	5	369.
5	14	362.363.

2 Theſſal.

Cap.	verſic.	pag.
2	13	537.
	15	395.
3	2	558.559.

1 Timoth.

Cap.	verſic.	pag.
1	17	613.
	20	690.691.
2	4	647.
	18	461.575.
		572.573.
3	8.9.	659.
	12	627.628.647. *ſeqq.*
	16	462.463.
4	14	714.715.
5	22	692.
6	16	613.

2 Timoth.

Cap.	verſic.	pag.
1	9	487.538.
2	8	467.468.
	25	558.
3	15. & ſ.	593.
4	8	628.

Tit.

Cap.	verſic.	pag.
1	1	647.
	2	389.
	13	425.426.
3	5	517.676.
	10	693.694.

Hebr.

Cap.	verſic.	pag.
1	2	451.
	3	435.453.
	6	443.444.
	9	451.
	10	449. *ſeqq.*
2	5	447.
	8	623.
	14	369.463.464.
	16	463.464.
	17	576.
3	12.14	362.
	16	490.
5	11	407.
6	9	407.
	11	407.
	20	364.
7	25	616.
	26	388.
8	2.3	574.573.574.
	9	464.
	10	553.554.

Cap.	verſic.	pag.
10	1.2.	573. 574. 573. 574.
	3	573. 574.
	5	464. 465.
	13	605.
	14	607.
	16	553. 554.
	22	675.
	34	488.
11	6	389. 390.
	17	477.
13	8.9.	442.
	18	407.
	20	645.

Jacob.

Cap.	verſic.	pag.
1	5	616. 617.
	12	628.
	18	647.
5	16	500. 501.
	20	363

1 Petr.

Cap.	verſic.	pag.
1	1	537.
	15	433.
	21	439.
2	5	632.
	8	526. 527.
3	18	469. 519. *ſeqq.*
	19	519. *ſeqq.*
	21	668. 669. 676.
4	1	522. 571.
	6	521.
5	4	628. 645.
	8	368.

2 Petr.

Cap.	verſic.	pag.
1	10	547.
	20	386.
	16	388. 389.

1 Johann.

Cap.	verſic.	pag.
1	2	485.
	8	559. 560.
2	13	368.
3	7	569.

Cap.	verſic.	pag.
	15	488.
4	2	465. 566.
	10	576.
5	7	497. 476.
	12. 13.	488.
	19	365.
	20	423.

Iudæ.

Cap.	verſic.	pag.
	4	426. 427.
	5	489.
	22.23.	363.

Apocal.

Cap.	verſic.	pag.
1	1	588.
	5	419. 474.
	7	413.
	8	428.
	17	441. 442.
	18	442. 604.
3	7	604.
	8	604.
	11	588. 471.
4	*tot.*	590. 591.
	8	412. 413.
5	*tot.*	590. 591.
	9	576. 587. 588.
	10	590. 591. 610. 611.
6	9. 10.	576. 587. 588.
7	13. 14.	588.
11	8	489.
12	1. 2.	590. 628.
	3. 4.	368. 590.
	7. 9.	367. 368.
	10	367. 368.
17	8	535. 536.
19	13	435.
20	2	368.
	4. 5. 6.	610.
	11	518.
21	14	628. 522. 523. 535. 536. 639.
22	12	588.
	13	441. 442.
	20	588.

ELENCHUS RERUM PRÆCIPUARUM,

quæ in hoc libro [5. *&* 6. *Volkelij*] tractantur.

A.

Abelo *peccatum paternum non fuit ingeneratum pag.* 548.
Abluere *pro allutum declarare.* 677.
Abrahami *nomen quid ſignificet*, 489. *quando is pater multarum gentium revera extiterit*, ibid. *veri ejus filii qui ſint*, 529, 530.
Abſolutio *à peccatis perfecta ſub N. fœdedere quid ſit*, 502. *quando futura ibid.*
Actiones *bonas ordinariè Deus à nobis vult perfici*, 546. 229, 330. *Multæ quæ Spiritui ſancto in ſacris literis tribuuntur, aliis quoque rebus aſſignantur*, 494.
Ad *pro* de, 450.
Adami *peccatum illius poſteris non imputatur*, 566. *ſcientiam boni & mali ex eſu fructus vetiti ipſe verè conſecutus fuit*, 407. 408.
Adhortationes *ad conſtantiam in fide & pietate*, 706. *fidem ac pietatem deficere poſſe arguunt*, 541. 542. 706. *adhortationes ad homines in officio retinendos quomodo adhibendæ*, 686.
Adon *in plurali ſæpè habet ſingularem*, 406.
Adonai *aliter ſcribitur de hominibus uſurpatum*, 444.
Adoptio *quâ conditione nobis à Chriſto oblata*, 526.
Adoratio *ab honore ſacris rebus tributo differt*, 582. *quomodo ſoli Deo competat*, 613.
Adoratio Chriſti *quibus argumentis nitatur*, 613. *mandata eſt* ibid. *etiam Angelis* ibid. 613. *mandatum de ſolo Deo adorando non infringit*, 613. *quibus argumentis impugnari ſoleat*, 613.
Adumbrans *ſemper analogum quid habet ei, quod adumbratur*, 574.
Æqualitas Chriſti cum Patre *quibus in rebus conſiſtat* 433. *eadem in operibus faciendis omnimoda non eſt*, 434. 445. *conſubſtantialitatem non infert, ſed potiùs evertit*, 433. 445. 446.
Afflictioni *Chriſtiani omnes ſunt obnoxii*, 571.
Aliquid *pro* magno *&* eximio, 555.
Ambitio *diſſenſionum in religione cauſa*, 373.
Amicorum *quomodo communia*, 440.
Angeli *Chriſto ſubjecti ſunt*, 449. *eum adorare tenentur*, 449. *eidem ſerviunt*, ib. *Chriſti reſpectu ſervi potiùs, quam filii Dei dicendi*, 483. *creatione ſtatim Dei filii fuerunt*, 483. *eorum operâ Deus in operibus præſtantibus ſæpè uſus eſt*, 409.
Animæ *vox interdum pro* homine *ponitur*, 520. *ſed non niſi impropriè*, 456. *ejus conditio poſt hominis mortem*, 521.
Animus *hominum ſoli Deo & Chriſto perſpectus eſt*, 699. *ejus intentio unde ponderanda*, 620.
Antiquitas *cur Eccleſiæ nota non ſit*, 704. ſeqq. *nec ſoli nec ſemper convenit*, ibid.
Aoriſtorum *Græcorum natura*, 485.
Apocalypſeos *librum à Iohanne ſcriptum eſſe, unde conſtet*, 375.
Apoſtoli *quinam fuerint*, 642. *ex diſcipulis jam antea factis à Chriſto electi*, 642. *quando*, 578. *cur non ſolum ante mortem Chriſti baptizarunt ſed etiam poſtea*, 670. *ad baptizandum non fuerunt miſſi*, 666. 667. *cur quædam illis myſteria ante Chriſti mortem non revelata*, 398. *novam doctrinam quâ ratione tradere & confirmare debuerint*, 661. *eorum doctrinam ſequi ad Eccleſiæ eſſentiam ſpectat*, 705. *ejus ſumma*, 669. *quâ ratione fundamentum Eccleſiæ dicantur*, 620. *quorumque reſpectu*, 628. *in ligandi ſolvendique poteſtate ſucceſſorem*

rem nullum habuerunt, 499. multa abſque mandato citra peccatum facere potuerunt, 670. occulta etiam multa in ſpiritu viderunt, 454. poteſtas eorum in puniendis ſceleratis, 690. 692. cur iiſdem conceſſa, 692. ſalutis noſtræ miniſtri tantùm fuerunt, 454. Spiritus ſanctus quàm ardua ipſis revelaverit, 398. officium illorum perſonas eorum non egreditur, 639. ſuccedere apoſtolis in officio, & doctrinam eorum tenere ac repetere differunt, 640.

Apoſtolicam eſſe Eccleſiam quot modis dicatur, 705. quomodo ex mente Pontificiorum, ibid. an Eccleſiæ nota ſit, ibid.

Applicatio meriti Chriſti à quibuſdam excogitata refellitur, 569.

Arboris ſcientiæ boni & mali vis, 407. 408. item arboris vitæ, 480.

Arca fœderis adorata revera non fuit, 582. aſcendere & ingredi dicitur ſimulque Deus, 444. præſentiæ Dei ſymbolum fuit, 444. 582.

Argumenta contra Iudæos ex quibus principiis ſumenda, 591. autoritatem ſcriptorum N. fœderis per ſe probantia firmiora ſunt, quàm quæ per ſe veteris, 598. 599. πρὸς ἄνθρωπον quæ dicantur, 512. à teſtimoniis negantibus ducta quando valeant, 457.

Arma Chriſtianorum contra Satanam, 621. ſeqq. arma cùm ad res ſacras acceditur, geſtare non decet, 657.

Articulus unus diſtinctis vocabulis adjectus quid denotet, 456. nomini Filii Dei additus quid, 485. 476.

A ſeculo quid ſignificet, 471.

Aſſenſus doctrinæ Chriſti abjici poteſt, 540. 541.

Auctorem libri alicujus eum eſſe, cujus nomen adſcriptum eſt, unde conſtet, 374.

Auctor ad Heb. ſacrificium Chriſti cum anniverſario potiſſimum confert, 573.

Auctoritas ſine ratione nihil valet, 506.

Audire pro intelligere, 376.

Auguſtini explicatio loci Ioh. 17, 5. 487. 488. teſtimonia de norma controverſiarum fidei, 611. 612. quo ſenſu ſe crediturum fuiſſe negaverit, niſi ipſum Eccleſiæ autoritas permoviſſet, 652. 653. quomodo ſignum definiat, 699.

Auricularis confeſſio nullam legitimam ob cauſſam inſtituta, 497. 498. nec Apoſtolorum nec proximè ſubſequentium patrum tempore uſitata, 497. quæ incommoda pariat, 498. quibus argumentis ſtabiliatur à Pontificiis, eorundemque refutatio, 498. 499.

Auxilium Chriſti nemini ipſum invocanti denegatur, 546. quod ad conſtantiam in fide neceſſarium, omnibus ab ipſo promiſſum, 541. contra inſidias carnis quod ſit, & quomodo obtineatur, 364.

B.

Baptizari in nomen Chriſti quid, 414. 666. baptizando in nomen Chriſti, an baptizarint Apoſtoli in nomen Patris, Filii, & Spiritus ſancti, 665. ſeqq. baptizari perſonâ nemo dicitur, 493. baptizari in ſpiritu quid, 493. 675. baptizari in rem aut perſonam, quæ Deus non eſt, dicuntur homines in ſ. literis, 415. baptizatorum olim ab Apoſtolis aliiſque viris divinis, eorumque qui hodie baptizantur, diverſa ratio, 655.

Baptiſmi vox variè in ſacris literis accipitur. 665. pro afflictionibus, 511. initiatione, 665. pœnitentiâ, 669. naſpiam pro precibus & beneficientia, 511.

Baptiſmus aquæ quid, 664. immerſionem, non aſperſionem aquæ ſignificat, 668. quæ de eo potiſſimùm conſideranda, 663. Chriſto conſentiente ab Apoſtolis ante reſurrectionem ejus uſurpatus, 660. poſt aſcenſionem ejus retentus, 645. ejuſdem formula, 605. 668. quinam eo tincti fuerint, 656. cur eo homines in Eccleſiam

cleſiam recepti fuerint, 664. 665. 670. *ſine illo tamen id fieri potuit*, 678. *eo per ſe non obſtringuntur omnes omnium temporum homines*, 670. *ſeqq. à Chriſto Apoſtolis mandatus non eſt*, 665. *nec omninò ac per ſe neceſſarius*, 656. 668. ſeqq. *non tamen rejiciendus*, 685. *quando adhibendus*, 685. *circumciſioni neceſſitatis ratione par non eſt, nec in ejus locum ſucceſſit*, 679. 680. *eo non regenerantur homines*, 674. 680. *peccata non aufert*, 680. *an ſacramentum ſit*, 683. *an propria Chriſtianorum nota*, 679. *cum Euchariſtia à Paulo non ſolet conjungi*, 683. 684. *ſine eo non concidit unitas fidelium*, 682. *cujus rei ſymbolum ſit*. 664. 672. 677. *ſepulturæ & reſurrectionis adumbratio eſt*, 668 *ad adumbrandum Chriſtianorum ſtatum aptus*, 665. *Infantibus adhibitus formam Apoſtolici tollit*, 668. *Baptiſmus* ignis *non eſt purgatorium*, 519. Spiritûs, *aquæ baptiſmo opponitur*, 673. *multum ad unitatem fidelium confert*, 681. *baptiſmus* pro mortuis *erroneus*, 512. *quomodo à Paulo ad probandam reſurrectionem adductus*, ibid.

Bellum *veritatis hoſtibus inferre ſub prætextu gloriæ & tranquillitatis Eccleſiæ, Diaboli ſtratagema*, 619.

Beneficentiæ *vis & præmium*, 782. *quatenus remiſſionem peccatorum & vitam æternam pariat*, ibid.

Blaſphemia *etiam in rem tendere poteſt*, 496. 388. *in Spiritum ſanctum, eum perſonam eſſe non arguit*, 496.

Bona *aliena quot modis intervertantur*, 575.

Bonitas *hominibus etiam competit*, 455.

C.

Canticum novum *quando & quomodo Eccleſia canere cœperit*, 590. 591.

Caput Eccleſiæ *vid.* Eccleſia.

Carnalis *homo ab animali differt*, 562.

Caro *pro infirmitate*, 463. *pro homine mortalitati & infirmitatibus obnoxio*, 462. *cur & quomodo fidei hoſtis*, 364. *quomodo eidem reſiſtendum*, ibid.

Catechumenorum *nulla in Scripturis mentio*, 673.

Catholicam *eſſe Eccleſiam quo ſenſu dicatur à Pontificiis*, 703. *idem Eccleſiæ nota non eſt*, ibid.

Ceremoniæ *demtâ Dei autoritate neminem obligarunt*, 596. *cur abolendæ fuerint*, 596. *earundem abrogatio haud quaquam oſtendit Ieſum Nazarenum Chriſtum non eſſe*, 596. 597. *ad quodnam ejus munus ſpectaverit*, 500. 596.

Charitas *interdum totam pietatem comprehendit*, 390. *non ſimulata eſſe debet*, 700.

χειροτονεῖν *quid ſignificet*, 714.

Cherubinis *ſuper arca Deus ſingulariter præſens fuit*, 582. *adorati non fuerunt*, ibid.

Chriſtus *adorandus eſt*, 591. *ipſo adorato Pater adoratur*, 613. 614. *id à prophetis prædictum fuit*, 597. 598. *magnum præſtat ſolatium*, 623. *ante Abrahamum non fuit*, 485. *à ſeipſo nihil fecit*, 433. 454. 459. *nihil etiam locutus eſt*, 459. *auxilio divino ad pietatem indiguit*, 391. *auxilium fidelibus promiſit in periculis, quod per angelos etiam iis præſtare poteſt*, 455. *Baptizarit quomodo ſpiritu & igni*, 519. 674. 675. *Caput eſt Eccleſiæ*, 633. *& quidem ſolus*, 633. *Chriſtus jam in terris, non deſignatione tantum, ſed & reipſis quodammodo fuit*, 692. *quando Chriſtus perfectè evaſerit*, 496. *conjunctio ejus cum Deo major, quam ullius creaturæ*, 414. *quibus in rebus iſta conſiſtat*, 443. *conſecratio ejus ad munus propheticum*, 454. *in cœlum aſcendit antequam munus ſuum aggreſſus eſt*, 492. *cœlum terramque aliquando deſtructurus*, 450. 451. *creator cœli & terræ rerumque omnium non eſt*, 446. *ſeqq. ipſe creatura eſt*, 449. *curam ſuorum abiturus è mundo cur Patri*

Patri commendarit, 606. *quomodo etiam reſpectu temporis exaltationis ſuæ*, ib. *curam ſuorum poſt reſurrectionem & exaltationem geſſit*, ibid. *deſcendiſſe de cœlo quomodo dicatur*, 491. 492. *Deus ille ſummus non eſt, ſed ab eo diſtinguitur*, 421. 428. *& quidē ratione totius ſuppoſiti*, 421. *etiam ubi de divino cultu ſermo eſt*, 428. *à vero illo Deo diſtinguitur*, 424. *verus tamen Deus eſt, licèt non eadem prorſus ratione, quâ Pater*, 423. 425. *nec Deus ille Iſraelis eſt*, 418. *Deus tamen eſt, & quidem præſtantiori modo, quàm angeli aut homines*, 422. 423. *ſed non ille unus*, 420. *nuſpiam Deus altiſſimus appellatur*, 427. *ſed ejus filius*, 432. *nec Deus magnus, licèt ſic appellari poſſit*, 425. *non eſſentiâ, ſed Dei beneficio Deus eſt*, 468. *quo pacto & Filius eſt*, 468. 469. *eum Deum eſſe ſecundum divinam naturam nugatoriè dicitur*, 468. *etſi humanam naturam ſibi adjunctam haberet, à Deo tamen, ſi eidem coeſſentialis eſſet, diſtingui non poſſet*, 421. *Deo quâ ratione ſimilis*, 483. *Dei perſonam in officio ſuo ſuſtinuit*, 427. *Deo propriam divinitatem ſibi non arrogavit*, 432. *Deum nobis ſpectandum exhibuit*, 434. *eidem per ipſum reconciliati ſumus*, 422. *Diſcipulus ejus ſine profeſſione doctrinæ ejus nemo eſſe poteſt*, 633. *Dominium ejus etiam ad mortuos extenditur*, 469. *Dominus angelorum eſt*, 449 vid. inf. *Imperium Chriſti domum Dei totam ſuſtinet*, 627. *donis præſtantioribus, quàm reliqui omnes tum angeli, tum homines, à Deo exornatus*, 423. *Eſſentiæ ejuſdem cum Patre eſſe nequit*, 431. *Fidelibus ſuis quomodo adſit*, 455. *fiduciam per eum in in Deum collocamus*, 422. 468. *cur Filius Dei dicatur*, 468 *quomodo ob conceptionem* 478. *ſeqq ſingulariſſimâ ratione filius Dei eſt*, 475. *adoptivus filius Dei propriè loquendo non eſt, licèt ita appellari poſſit*, 483. *inter Dei filios ipſi chariſſimus eſt, & præſtantiſſimus*, 477. 478. *filius Dei naturaliter dici poteſt, & quidem ſolus*, 483. *licèt nullibi ita appelletur in ſacris literis*, 479. *quomodo filius Dei proprius*, 477. 481. 482. *filius Dei viventis*, 475. 476. *ſeqq. ſpiritus ſancti filius cur non dicatur*, 481. *fratres ei ſunt plurimi, ex eodem Deo generati*, 477. *fundamentum cur appelletur*, 628. *futura prædixit*, 454. *Generatio ejus ex Deo ſingulariſſima fuit*, 475. *quando & quomodo facta* 474. 475. 483 *gloriam ſuam per quid conſecutus fuerit*, 489. *eandem per obedientiam propriè loquendo meritus non fuit*, 563. 564. *glorificatus caro non eſt*, 462. *Hæres omnium à Patre conſtitutus*, 477. *homo in cœlis fuit indeque deſcendit*, 491. *hominibus generatim ratione muneris, antequam illud aggrederetur, ignotus fuit*, 485. *honos ejus divinus cedit in gloriam Dei Patris*, 445. *Idolis nuſpiam opponitur in ſacris literis*, 424. *immenſitas eidem nullibi tribuitur*, 455. *imperium ejus quantum ſit*, 604. *in vivos & mortuos*, 469. *interpellare pro nobis quomodo dicatur*, 368. 618. *interrogantibus non ſemper directè reſpondit*, 486. 487. *invocandus non ut primus bonorum omnium autor, neque ut ultimus precum finis*, 617. *iram Dei morte ſuâ non placavit*, 576, 577. *Iſraelitas non eduxit ex Ægypto*, 489. *Iudæos & gentes in unum Dei populum redegit*, 627. *judicatum quomodo venturus ſit*, 426. *judicat facta & cogitata noſtra*, 426. *Lapis offenſionis eſt incredulis ab ipſo Deo conſtitutus*, 443, 527. *legi naturæ ſubjectus fuit*, 563. *eidem ſummo noſtro bono paruit*, 564. *non verò noſtro loco, neque ut ſibi gloriam, nobis vitam æternam propriè mereretur*, 563. *leges quas-nam quando & quomodo abrogarit*, 500. *Mandatum à Patre accepit, quid annunciare hominibus deberet*, 448 *quæ mandato Patris præſtitit, cauſſa ſunt juſtificatio-*

nis &

Digitized by Google

nis & ſalutis noſtræ, 564. mediator eſt novi fœderis, 461. miraculorum faciendorũ poteſtatem adhuc mortalis aliis concedere potuit, 437. in iis patrandis Prophetas & Apoſtolos longiſſimè ſuperavit, 452. mortuus quo fine, 570. 571. 623. nihil morti æternæ æquivalens ſubjit, 571. loco noſtro mortuus non eſt, 571. quomodo ut nos à morte liberaret, ibid. Nativitas Chriſti naturalis & ſpiritualis, 478. 479. naturam cum Patre eandem non habet, 456. ſeqq. natura ejuſmodi & ſatisfactio pro peccatis ſe mutuò evertunt, 460. nomen Chriſti quid ſignificet, 436. Deo altiſſimo non competit, 436. ſed homini tantùm, 446. ſumitur interdum pro ejus doctrina, 641. item pro eo, quod ad ipſum reſpicit, aut ab eo profectum eſt, 438. 458 Omnia ſua Patri accepta tulit, 607. omnia ex Patris imperio præſtitit, quæcunque præſtitit, 564. operandi diverſitas inter ipſum & Patrem, 453. Paſtor cur appellatus, 644. ejus officii partes, 645. paſtorum princeps ſolus eſt, 646. Patrem alium præter Deum non habuit, 479, 481, 483. eidẽ coeſſentialis non eſt, 420. ſeqq. ei in imperio & honore ſubordinatus eſt, 445. 613. vid. ſup. Dominium Chriſti. eundem quomodo repræſentarit, 438. pœnitentiam in initio muneris ſui prædicavit, 669. populum Dei excellentiſſimâ ratione gubernat, 599. potentia ejus ante reſurrectionem quæ & quanta, 478. unde eam acceperit, 433, 434. poteſtas ejus in terris, 454. 602. in collatione ſalutis æternæ, 423. propter eam invocandus eſt, 584. Chriſtus præcepta ſua Matth. 5. quibus præceptis oppoſuerit, 578. 579. præſcientiâ rerum futurarum homines omnes longiſſimè ſuperavit, 454. præſtantia ejus præ Moſe, 372, 373. reliquis ſervis Dei poſt ipſum, 442. Reconciliavit angelos cum hominibus, 443. regnantis majeſtas in ultimo judicio ſufficienter declarabitur, 608. religionis cauſſâ quid fecerit, atque etiamnum faciat, ac facturus ſit, 497. à quo reſuſcitatus fuerit 401. in terris etiam regnat, 600. ſeqq. Salutis noſtræ qualis cauſſa, 421. 422. ejuſdem principium & finis eſt, 422. 445. 455. quid ſalutis noſtræ cauſſâ egerit, agat & acturus ſit, 442. ejuſdem primus annunciator fuit, ibid. ejuſdem dator eſt, 442. 445. 455. ſanctimoniam majorem populo ſuo præſcripſit, quàm Moſes, 578. ſermo à Iohanne ſolo appellatur, 435. in ſolio Davidis ſedet, 599. ſapientia ejus quanta, 478. 479. ſervandi munus à quo acceperit, 454. Spiritum Sanctum à Patre accepit, 415. piis eodem præſtò eſſe poteſt, 455. ſuos à morte excitabit vitaque æternâ donabit, 422. ſuis adeſſe poteſt etiam corpore abſens, 611. Veritatem divinam nobis annunciavit & confirmavit, 422. 432. virtutum exemplum perfectum eſt, 694. vitam æternam nobis propriè non meruit, 563. 564. vid. ſup. ſalutis noſtræ qualis cauſſa.

Chriſtianus quis ſit, 708. quodnam ejus officium reſpectu Dei, ibid. hoſtium, 363. muneris alicujus ſuſcipiendi, 643. quanta in officio adhibenda diligentia, 643. Chriſtianiſmi teſſera, 679.

Circumciſio quo cum rigore præcepta, 679. eadem Chriſtiani non obſtringuntur, 670. à primæva Eccleſia ad tempus retenta, poſtmodum abrogata, 654.

Circumſtantiarum loci cujuſque conſideratio, quantum in legendis ſacris literis proſit, 386.

Claves regni cœlorum quid, 638. quorum fuerint propriæ, 639. ſoli Petro non fuerunt traditæ, 638. à clave Davidis, item mortis & inferni, quas Chriſtus habet, differunt, 604. Papæ quâ ratione à Pontificiis tribuantur, 638.

Cœlorum deſtructio Iobi temporibus incognita, 514.

Coeſſentialitatis Chriſti cum Patre dogma falſum, 420. ſeqq. quibus argumentis adſtruatur

adſtruatur ab adverſariis, *eorundemque ſolutio*, 422. ſeqq.

Cognitio Dei *quatenus ad ſalutem neceſſaria*, 435. *qua in re conſiſtat*, ibid. 419. *in cognitione religionis Chriſtianæ ſemper progrediendum*, 697.

Collatio *locorum Scripturæ ſimilium ad ejuſdem intelligentiam facit*, 386.

Communicationis *figura Deus ipſe uſus*, 410. 411. *Communicatio idiomatum in Chriſto commentitia*, 491.

Confeſſio *peccatorum aliis quomodo & cur fieri debeat*, 500. 501. *Confeſſio auricularis*, vide *Auricularis confeſſio*.

Confirmatio promiſſorum Chriſti *aſſiduè conſideranda*, 364.

Confirmatio *fidei unde petenda*, 621. *ejuſdem vis* ibid. & ſeqq.

Cohortationes *mutuæ ad pietatem quàm neceſſariæ*, 362. *quales eſſe debeant*, ibid. & ſeqq.

Congregationibus *publicis Chriſtus delectatur*, *iiſdemque adeſt*, 709. *quantum ad pietatem*, & *ſalutem aliorum promovendum faciant*, ibid.

Conſenſus *in rebus ad ſalutem neceſſariis*, *fidelibus ſufficit*, 702. *Eccleſiæ nota non eſt*, *ſed quippiam eſſentiale*, ibid.

Conſequentiæ *ex ſcripturis petitæ non ſunt repudiandæ*, 394. 395.

Conſilia divina: *eorum effectus non rarò in arbitrio hominum poſitus eſt*, 740.

Conſilia *Pauli citra mandatum Domini*, 670.

Conſtantia *eorum*, *qui Chriſtum à mortuis excitatum ſe vidiſſe teſtati ſunt*, 593. *item eorum*, *qui illorum fide nixi ſunt*, ibid. *quantum utraque valeat ad probandum quòd Ieſus ſit Chriſtus*, ibid.

Controverſiæ *de religione unde decidendæ*, 698. *auctoritate Eccleſiæ non ſunt decidendæ*, 697. *quales inter eos*, *qui à Pontificiis diſceſſerunt*, 711.

Converſationis *cum impiis fuga*, *magnum mundi vincendi adjumentum*, 366.

Converſio *hominibus ipſis præcipitur*, 553. *quomodo à Deo fiat*, ibid. & ſeqq.

Copulationes *matrimoniales per miniſtros Eccleſiæ convenienter fiunt*, 655.

Cor *ac ſpiritum novum ipſi homines ſibi facere jubentur*, 553. 554.

Creare *pro renovare*, 448.

Creaturæ *propter ſolam relationem ad Deum adorandæ non ſunt*, 582. 483. *creatura* pro *creatura nova*, 448. *eadem quid ſit*, 449.

Credentes *tantùm juſtificare Deus conſtituit*, 533. 534. Credere in Deum *quid*, 389. 390. *quid* in Chriſtum, 390. *Credentes in eum filii Dei viventis appellantur*, 475. *non pudefient*, 576. *credens in Chriſtum hominem maledictus dici non poteſt*, *nec carnem ponere brachium ſuum*, 439. *credere aut confiteri Ieſum eſſe Filium Dei*, & *Ieſum eſſe Chriſtum*, *Iohanni idem ſunt*, 476.

Crucis *fructus*, 624. vide etiã Afflictiones.

Cultus *imperfectionem per Meſſiam tolli conveniebat*, 596. *quâ auctoritate ab eodem mutatus ſit*, ibid. & ſeqq. *ejuſdem mutatio medium fuit omnes nationes terræ ad Dei cultum pertrahendi*, 596. *ad gloriam Dei Patris tendit*, 439. *tantùm Deo & Chriſto exhibendus*, 584. *abſque fratris offenſi reconciliatione Deo ingratus*, 516.

Curam *noſtram in Chriſtum conjiciendo eam in ipſum Deum conjicimus*, 607.

D.

Danielis *vaticinium de Chriſto*, *ejuſdemque adventus tempore*, 595.

Dare *pro certò deſtinare*, 487. 488. *Dare Deus interdum dicitur*, *cùm ſunt*, *qui oblatam ejus gratiam recipiunt*, & *contrà*, 558. *Dare* pro *permittere*, 440.

David *Chriſti typus fuit*, 605. *ejus regnum Chriſto promiſſum*, 599. 600. *cur non fuerit idoneus judicatus ad ſtructuram* *templi*

Digitized by Google

templi Iehovæ, 605. *quomodo ipſi Deus hoſtes ſubjecerit*, 605.

Decorum *in ritibus Eccleſiaſticis obſervandum*, 654. *illius in nonnullis certa præcepta tradi nequeunt*, ibid. *de eo tamen quædam præcepta Pauli extant*, 654. 655.

Decretum *Apoſtolorum de ſanguine & ſuffocato quàm diu vigorem habuerit*, 656.

Decretum Dei *abſolutum de ſingulorum hominum ſalute aut exitio, ante ipſorum pietatem aut impietatem, factum non eſt*, 524. 525. *Decreta de Chriſto per aliquem ex domeſticis prodendo, & à Iudæis occidendo; qualia fuerint*, 535. *ex decreto de Iacobo & Eſavo, quid de ratione ſalutis noſtræ colligendum*, 532. 533. *decreta Dei non adimunt hominibus libertatem arbitrii*, 533. *qualia*, 525. ſeqq.

Defectio *à veritate à Paulo prædicta*, 703. 706. *experientiâ ipſâ probata*, 706.

Deſcendere *è cœlo quænam in S. literis dicantur*, 492.

Δεσπότυ *nomen Patri in divinis ſoli tribuitur*, 427.

Dei *nomen quid ſignificet*, 422. *ſuâ naturâ proprium non eſt, ſed appellativum*, 422. *ſubjecti loco poſitum quem denotet*, 423. 463. *ſummum illum Deum quomodo denotet*, 423. *ſimpliciter abſoluteque poſitum etiam aliis præter ſummum illum Deum tribuitur*, ibid. *quomodo Angelis & magiſtratui competat*, 422. *Chriſto tributum coeſſentialitatem ejus cum Patre non evincit*, 422. 423. *adoratio & preces olim illi ſoli adhibitæ*, 591. *Beneficia ſua præcipua omnibus populis vult eſſe communia*, 539. *cur ſolus bonus dicatur*, 455. 456. *cur Chriſti caput & Deus appelletur*, 426. *in & per Chriſtum adoratur*, 436. *per eum nos ſervat*, 429. *in eo aliqua ratione venit*; 428. *cupit ut homines conditiones fœderis amplectantur atque ita ſeruentur*, 544. *conjunguntur eidem in rebus maximi momenti ſæpiſſimè res aliæ*, 415. *quomodo ex eadem maſſa aliud vas in honorem, aliud in ignominiam fingat*, 556. *credentibus in Chriſtum ſalutem pro voluntatis ſuæ arbitrio pollicitus eſt*, 556. ſeqq. *curam noſtri gerit per Chriſtum*, 607. *de eo dicta in vet. fœdere, in Chriſto impleta dici poſſunt abſque coeſſentialitate*, 443. ſeqq. *omnis divinitatis fons eſt ac primus autor*. ibid. Elohim *cur dicatur*, 406. *vide* Elohim. *eſſentiam ejus corporaliter in aliquo habitare oſtendi nequit*, 641. *indiviſibilis eſt*, ibid. *Facere aliquid cùm dicitur, non excluduntur cauſſæ mediæ*, 429. *futura ſolus prædicit*. 445. *Generationem propriè dictam ſibi non tribuit*, 470. *quid in generatione Chriſti ex virgine præſtiterit*, 479. *Deus & homo ſubſtantiæ ſunt qualitatibus contrariæ*, 456. *in unum ſuppoſitum coire nequeunt*, ibid. *hominum omnium Deus eſt ſub novo fœdere*, 597. *eum humanam naturam aſſumere debuiſſe, ut pro peccatis hominum ſatisfacere poſſet, erroneum eſt*, 459. *cur Immortalitatem ſolus habere dicatur*, 455. 456. 482. *citra incarnationem ab hominibus videri interque eos converſari potuit*, 466. *incredulos pro arbitrio, nulla generis operumve ratione habita, punit, & ad ſupplicium induratos aſſervat*, 556. 557. *in Chriſto tanquam imagine quadam intuendus eſt*, 434. *Miracula ſolus facit*, 423. *multiplicari nullo modo poteſt*, 482. *ſolus novit ſecunda hominum*, 454. *quomodo Paſtor omnium dici poſſit*, 64[illegible]. *peccata gratis remittit*, 570. *eadem ſub veteri fœdere ſine ulla ſatisfactione remiſit*, 571. *primus & noviſſimus cur dicatur*, 411. *primo Decalogi præcepto ſibi non eripuit poteſtatem honorem ſuum alteri communicandi*, 611. *Redemptionis noſtræ pretium non accepit*, 572. 573. *regnat, etiamſi multi ſint rebelles*, 604. *ſaluti*

omnium

Digitized by Google

omnium vult conſultum, 539. *ſolus ſervat*, 453. *quomodo vita æterna ſit*, 424. *in quem finem rebus omnibus utitur*, 570.

Diabolus *ſpiritus eſt*, 369. *ejus nomina*, 367. ſeqq. *cur appelletur accuſator*, 367. *Diabolus*, ibid. *draco*, 368. *deus & princeps hujus mundi*, 369. *princeps aëris*, 369. *ſerpens antiquus*, 368. *tentator*, 369. *Satanas*, 367. *Adverſarius eſt Dei*, 365. 367. *majeſtatis Chriſti*, 613. *fidelium*, 367. *ejus aſtutia*, 368. *præſertim in hominibus à Verbo Dei ad commenta hominum traducendis*, 370. *quomodo iis, qui veritatis ſunt gnari, imponat*, 618. 619. *auditores interdum à doctoribus alienet*, 621. *mendax & calumniator eſt*, *& ad mendacia ac calumnias impellit*, 367. *crudelitas ejuſdem*, 368. *errores cur diſſeminet*, 618. *diſſenſionum in Eccleſia autor eſt*, 373. *cur*, 621. *quænam in Eccleſia offendicula adperniciem fidelium ponat*, 621. *fidem ac pietatem quot modis impugnet*, 369. 370. *quibus gradibus homines in impietatem præcipitet*, 620, 621. *quomodo inſidietur iis*, *qui aliis bono exemplo eſſe debent*, 621. *quomodo eos impugnet*, *qui pietatis ſtudio ducuntur*, 619. *quomodo eos*, *qui non admodum*, 619. ſeqq. *quantùm in mundo poſſit*, 369. *ſtratagematis ſuis & mentem & voluntatem hominis impetit*, 369. 370. *quomodo mentem*, 370. ſeqq. *quomodo voluntatem*, 618. ſeqq. *quibus armis hæc repellenda*, 621. ſeqq. *ubi degat*, 369. vide etiam, Dæmones.

Diaconi *quales eligendi*, 659. *eorum officium*, ibid. *eorundam uxores quales eſſe debeant*, ibid.

Diaconiſſæ *quæ ſint*, 660. *earum officium*, ibid. *quibus fœminis id demandandum*, ibid.

Dies dominicus *potiùs quàm Sabbatum celebrandus*, 656.

Dies ſeculi *pro diebus antiquis*, 473.

Diluvium *cur primo mundo immiſſum*, 549. *cur idem terris non ſit ampliùs immiſſurus Deus*, 550.

Diſciplina Eccleſiaſtica *à Chriſto & Apoſtolis inſtituta fuit*, 709. *& ſubſequentibus temporibus in Eccleſia viguit*, 497. *toti Eccleſiæ tradita eſt*, 498. 709. *per auricularem confeſſionem malè certis hominibus alligatur*, 498. *cur neceſſaria*, 709. *ejus ſcopus*, 686. *diverſitas pro diverſitate peccantium & peccatorum*, 687. ſeqq.

Diſcipulorum *nomine quinam apud Euangeliſtas intelligantur*, 577. *quando ſoli Apoſtoli*, ibid. & ſeqq.

Diſcordias *in Eccleſia cur excitet Diabolus*, 621. *quomodo eædem pietatis & conſtantiæ materiam præbeant*, 623.

Diſſenſiones *Chriſtianorum in religione*, *ejus veritatem non convellunt*, 373. *unde oriantur*, ibid. *an aliquæ inter ſcriptores novi fœderis*, 376. 377.

Divinitas Chriſti *qualis in ſacris literis conſideranda proponatur*, 458. 459. *quænam commentitia*, 434. *Divinitas* pro *voluntatis divinæ notitia*, *& ratione Deum colendi*, 437.

Doctrina Chriſti *quam perfecta ſit*, 641. *modus eam incorruptam conſervandi tutiſſimus, ſcriptura*, 392. 393. *Doctrina Chriſti ſalutaris quæ ſit*, 647. *priùs cognoſcenda eſt*, *quàm Eccleſia*, 384. 699. *cur non ab Eccleſia*, *ſed aliunde potiùs cognoſcenda*, 292. *cur non à Romana Eccleſia*, ibid. 698. 699. *eandem amplecti ac retinere in hominis arbitrio ſitum eſt*, 703.

Doctorum *Eccleſiæ officium*, 650. 651. *eorum ambitio*, *peccata*, *aut imprudentia*, *quàm noxia Eccleſiæ*, 621. *quod adverſus ea mala remedium*, 623. *in eorum electione multùm valuerunt ſuffragia Eccleſiarum*, *etiam Apoſtolorum tempore*, 714.

Dogmata fidei *quomodo defendenda & propugnanda*, 650. *alia neceſſaria ad*

 ſalutem

ſalutem, alia utilia tantùm, 674. ad ſalutem neceſſaria clariſſimè in ſacris literis expreſſa ſunt, indeque à quovis non ſocordi cognoſci poſſunt, 697. dogmata fidei autoritate Eccleſiæ definiri nequeunt ibid. & ſeqq. omnia ſecundùm ſcripturas examinanda & judicanda, 397. de quibuſdam ipſa ratio & ſenſus communis judicare poteſt, 397. quæ ſcripturis nec continentur, nec illis repugnant, ſine ſalutis periculo rejici & admitti poſſunt, 397. ſalutem prorſus adimentia quæ ſint, 581. quæ in Chriſtum blaſphema, 591. quæ ſtudium pietatis labefactent, 497.

Domini vox quomodo de Deo & Chriſto uſurpatur, 420. abſque articulo poſita, apud quoſdam N. F. ſcriptores Deum plerumque deſignat, cum articulo Chriſtum, 427. eadem vox ad vetus fœdus reſpiciens Deum denotat, 489.

Dominari Deus & Chriſtus dici poſſent, etiamſi nemo iis pareret, 704.

Domus Dei & Chriſti domus, quæ eſt Eccleſia, partes, 627. ſeqq.

Donec an terminum rei ſemper denotet, 514. 515.

Dona ſibi divinitus data ad Eccleſiæ utilitatem non conferentes graviter peccant, 644. 684. donis pluribus ornati ſuperbire non debent, 643.

Donum Dei non poteſt eſſe perſona divinitatis, 493.

Duarum naturarum in Chriſto diſtinctio commentitia, 421. 459. ſacris literis probari nequit, 456. 457. iiſdem repugnat, 456. duos Chriſtos introducit, ibid. cum ſana ratione pugnat, ibid. earum conjunctio in Chriſto ſupervacanea & inutilis eſſet, 448. 459. partes Chriſti eſſe negantur ab adverſariis ſubtiliùs diſputantibus, 456. quibus argumentis dogma illud adſtrui ſoleat, eorundemque ſolutio, 460. ſeqq. idem dogma ſcitu ad ſalutem neceſſarium non eſt, 457.

E.

Eccleſiæ vox unde ducta, 626. Græcis ſcriptoribus quid ſignificet, ibid. Eccleſia quid, ibid. quinam ejus nomine intelligantur, ibid. quotuplex, 626. inaſpectabilis quid, 626. cur ſic dicatur, ibid. quomodo ab aſpectabili differat, 626. unde ſpectanda, 699. aſpectabilis quid, 626. 700. quotuplex, 626. univerſalis quid, 627. quid particularis, ibid. adjuncta ejus quotuplicia, 627. unde agnoſcenda, 696. antiqua dici non ſemper potuit, 705. antiquitas ejus nota non eſt, 704. 705. Apoſtolica quæ ſit, 711. autoritas ejus ſcriptura major non eſt, 652. eam autenticam non facit, ibid. in numero canonicorum librorum conſtituendo & adſtruendo qualis, ibid. cur eandem tantopere urgeant Pontificii, 698. quoſnam eam audire jubeat Chriſtus, 696. caput ejus quodnam ſit & quale, 633. capitis & fundamenti Eccleſiæ ratio diverſa, 634. viſibile caput in Eccleſia nec neceſſarium, nec à Chriſto conſtitutum, ibid. quale corpus Chriſti ſit Eccleſia, 633. quomodo, 640. quænam pro Chriſti corpore non habendæ, ibid. quæ ejus membra, 760. quotuplicia, 658. claritas ejus in quo conſiſtat ſecundùm Pontificios, 704. ejuſdem nota non eſt, ibid. collapſa cur & quomodo reſtauranda, 708. Deficere à fide poteſt, 392. 706. ſeq. diffuſio ejuſdem per totum terrarum orbem illius nota non eſt, 703. 704. eidem nec ſemper, nec neceſſariò ineſt, 703. dignitas ejus in quibus conſiſtat, 627. 628. cur domus Dei dicatur, 627. domeſticarum Eccleſiarum exempla, 657. duratio ejus continua uſque ad finem mundi à Deo decreta non eſt, 385. 391. 392. ejus circa dogmata fidei officium, 650 ſeqq. alios in ſuam ſententiam adigere non debet, 650. elogia ejuſdem, 627. ſeqq. an & quatenus errare poſſit, 647. 698.

ei rei

ei rei non obſtat, quòd ſpiritu Chriſti gubernetur, 648. *errores ejus ſub Antichriſto*, 709 *hodierna Eccleſia quos ritus ex primitiva retineat*, 655. *inquirere Eccleſiam ſalutaris doctrinæ cognoſcendæ cauſâ neceſſe non eſt*, 699. *Iudaica non ſemper vera Eccleſia fuit*, 705. *ejuſdem ſtatus externus Eliæ tempore penitùs collapſus non fuit*, 713. *ejuſdem & Chriſtianæ diverſitas reſpectu externi ſtatus & ordinis*, 714. *Eccleſiæ judicium ſcripturæ ſubjiciendum eſt*, 651. 652. *eadem miniſtros conſtituere poteſt*, 714. 715. *cur* ovile Chriſti *dicatur*, 614. *notæ ejus an ſint aliquæ*, 700. *quænam à Pontificiis conſtituantur*, 701. *quænam ab Euangelicis*, 700. *ejus ordo & ſtatus externus evidenter in ſcriptura expreſſus*, 708. *ea ſuper Petrum alioſque Apoſtolos ædificata eſt*, 629. ſeqq. *perſeveranti in officio quid à Chriſto promiſſum*, 707. *perſonæ publico munere in Eccleſia fungentes quotuplices*, 658. *poteſtas ejuſdem in perſonas*, 458. ſeqq *in privatas quotuplex*, 663. *in ritibus qualis*, 653. ſeqq. *quomodo eâdem primæva Eccleſia uſa fuerit*, 654. *Chriſtũ in religione ducem ſequitur*, 640. 641. *quantùm aliis cœtibus religionem aliquam profitentibus præſtet*, 649. *quomodo ſolvat & liget*, 499 *florentiſſimus eius poſt aſcenſionem Chriſti ſtatus*, 550. *Eccleſia tempora certa cultui divino ac jejuniis deſtinare poteſt*, 655. *ex traditionibus cognoſci nequit*, 705. *nulla extat, quæ traditionum Apoſtolicarum cuſtodem ſe eſſe gloriari poſſit*, 696. *Eccleſiam aliquam veram eſſe unde conſtet*, 381. [illegible]. *quænam illa ſit*, 696. *eadem quæ & ubi ſit. jam inde ab Apoſtolorum temporibus dubitatum fuit*, 399. *quid eam ſcire ſatis ſit*, 698. *eadem ſalutarem veritatem tenet, fovet, defendit, propagat*, 617.

Eccleſia Romana, *non eſt vera Eccleſia* 399. 649. 650. *multa credenda & facienda ſtatuit, quæ pietati adverſantur; & ſalutem adimunt*, 392. 650. 668. *Romanam etiam Eccleſiam fide excidere poſſe Paulus docet*, 392.

Eccleſiaſticæ animadverſiones *quales*, 692. 693. *in quos inſtituendæ, & quomodo*, 689 *quo fine*, ibid.

ἐγίνετο *pro fuit*, 462.

Ego ſum, *pro, ego ſum lux mundi, vel Meſſias*, 486.

Electionis *decretum quomodo accipiendum*, 538. 539. *quid ſit*, 539. *ex abſoluta ſolius Dei voluntate non pendet*, 536. *ſine noſtra voluntate ad effectum non perducitur*, ibid. & ſeqq. *quotuplex ſit*, 537. firmior *quid*, ibid. *quibus competat*, ibid. & ſeqq. infirma *cum vocatione idem*, 539. *quibus competat*, 538. 539. *citra aſſenſum hominis conſtare nequit*, 539 *Electio ex parte* Dei *ſemper rata ac firma eſt*, 537. *ex parte noſtra irrita reddi poteſt*, 537. 540. ſeqq. *quomodo firma reddenda*, 537.

Electi ante conditum mundum quomodo dicamur, 538. *electus quis appellari poſſit*, 537. 538. *interdum ii tantum dicuntur electi in ſacris literis, qui firmiori ratione electi ſunt*, 538. *cauſſa paucitatis eorum ad Deum referenda non eſt*, 539. *an aut quatenus ſeduci ac perire non poſſint*, 541.

Eligend. verbum quam in ſe vim habeat, 537.

Elias *cur cultum divinum propriâ autoritate non reſtaurarit*, 714.

Ellipſis *adverbii ſimilitudinis*, 521. *nominis objectum denotantis*, 490.

Elohim, *quid naturâ ſuâ ſignificet*, 406. *ſæpiſſimè ſolum Patrem ſignificat*, 405. *interdum Chriſtum*, ibid. *unicum angelum, hominem*, ibid. *idolum*, ibid. & 405. *cum ſingulari conſtructum quid ſignificet*, 404. ſeqq. *cum plurali conſtructum etiam Deum illum unum ſignificat*, 405. *quo ſenſu de Deo uſurpetur*, 406. *qui-*

Digitized by Google

406. *quinam præterea eo nomine appellentur*, 405. 444.

Emanuelis *nomen quid ſignificet*, & *cur Chriſto tributum*, 383.

ἐν ᾧ, *pro* eò quòd, *vel* quatenus, 567.

Enochus *generatione ex Adamo non obſtante, voluntatem ſcelere puram habuit*, 548.

ἐπ' αὐτῷ *uſurpari non ſolet, cùm aliquid in re vel perſona aliqua, aut per eam factum fuit*, 567.

ἐφ' ᾧ *pro* quatenus, *vel*, *eà quòd*, 567.

ἐπιλαμβάνεσθαι *quid ſignificet*, 464.

Epiſcopi *omnes olim muneris ratione æquales fuerunt*, 647. *ſecundùm quam normam inſtituendi*, 658. *uxores eorum quales eſſe debeant*, 660.

Epiſtolæ Apoſtolicæ *ad quales homines ſcriptæ fuerint*, 385. *Epiſtola ad Coloſſenſes compendium eſt Epiſtolæ ad Epheſios*, 418. *Epiſtola ad Hebræos cur recipienda*, 375.

ἐρχόμενος *pro* futurus, 428.

Errorum *genera*, 693. *gloriæ divinæ & hominum ſaluti noxii quinam*, 401. 693. *quinam hæreticum conſtituant*, 693. *eorum, qui à Papatu ſeceſſerunt, quinam*, 523. 524. *errores in rebus ad ſalutem non neceſſariis quatenus tolerandi*, ibid.

Eſavus *quomodo reprobationis typus*, 532. 532. *ipſe fratri nunquam ſervuit*, 532.

Eſſe *quid ex Deo*, 529.

Eſſentia *individua intelligens, à perſona nihil differt*, 40?.

Eſſentia divina ſub hominũ mortalium cognitionem non cadit, 434. *ac porrò ad ſalutem neceſſaria nõn eſt*, ibid. *nec à Chriſto hominibus repræſentata*, 438. *ſubſtantia prima eſt*, 403. *numero una*, 402. *in pluribus perſonis ſubſiſtere nequit*, 402. 463. 420. 421. *nec dividi, nec multiplicari, nec tota communicari poteſt*, 470. *nulla imagine exprimi poteſt*, 434. *mortalibus inviſibilis*, 438.

Eſſentia hominum : ab eadem quiſque non niſi verbis & cogitatione differt, 431.

Et *pro* id eſt, 480. 519. 674.

Euangelii *initium quodnam*, 484. *perfectam voluntatis divinæ cognitionem continet*, 437. *quibus opertum ſit*, 383. *ejuſdem tranſlatio ad Gentes cum rejectione Iudæorum conjuncta fuit*, 486. *ab iis etiam feliciter prædicatum fuit qui ordinati non fuerunt*, 706.

Euangeliſtarum *in ſcribendo ſcopus*, 390. 391. *quænam ſcripſerint*, ibid. *Euangeliſtæ quinam ex ſcripturæ ſententia fuerint*, 642. *eorundem munus in Eccleſia ceſſavit*, ibid.

Euchariſtia *malè appellatur Sacramentum*, 683. *præceptum eſt* Chriſti, ibid. *non eſt donum divinitùs in nos collatum*, 684. *infantibus à veteribus quibuſdam adminiſtrata fuit*, 399. 400.

Eventus *conſiliorum actionumque humanarum in Dei poteſtate eſt*, 558.

Excommunicationis *modus*, 690. *quinam primævæ Eccleſiæ proprius*, ibid. *quinam hodiernæ communis*, ibid. *ejus uſus*, 691.

Excommunicati ad frugem redire poſſunt, 691. *quando in Eccleſiam recipiendi*, ibid.

Exiſtentia Chriſti *ab æterno quibus argumentis adſtruatur, eorumque ſolutio*, 484. ſeqq.

Exſpectare *quomodo ſubjectionem inimicorum dicatur Chriſtus*, 605. *id cum regno Chriſti hodierno non pugnat*, ibid.

Expiare, *pro* expiatum *declarare*, 677.

Expiatio non fuit abſoluta in morte Chriſti, 575. *ab eodem adhuc in cœlis peragitur*, ibid.

ἐξουσία *ſimpliciter poſita quid ſignificet*, 601. 602.

F.

Facere *pro* *reficere*, 418.

Facta

Facta *abſque divino mandato ſuſcepta quando pro peccatis habenda*, 616.

Familiaritas *cum hominibus mundanis quàm periculoſa*, 619.

Fides *ſalvifica quænam*, 389. *quid ſecundùm Euangelicos*, 569. *eo ſenſu ſanctimoniam non producit neceſſariò*, 570. *in quem ſub N. F. collocanda*, 389. *fides in Chriſtum ad ipſum Deum refertur & quomodo*, 339. *obedientiam mandatorum ejus poſtulat ac neceſſariò ex ſe parit*, 570. *quomodo vel pœnitentiam comprehendat, vel ab eadem diſtinguatur*, 670. *interna fidei in hominibus cauſſa*, 529. *cur & quomodo donum Dei dicatur*, 554. 555. *quomodo non ex nobis*, 555. *homo eandem liberè amplecti & repudiare poteſt*, 554. *non ſimulata eſſe debet*, 700. *ejuſdem vis contra Satanam*, 622. *in perſecutionibus*, 623. *abjici poteſt*, 540. 541. *cur & quomodo non ſit omnium*, 558. 559. *in iis, quæ rationem ſuperant, unde fluere debeat*, 404. *ejus meritum tolleretur, ſi Chriſtiana religio planè cogentibus argumentis niteretur*, 377. 387.

Fideles *quomodo filii Dei ſint*, 483. *cur filii adoptivi dicantur*, ibid. & ſeqq. *quomodo in Deo ac Chriſto ſint maneantve*, 432. 433. *eorum circa fidei dogmata officium*, 650. 651. *eorundem concordia & pietas quantum aliis ad amplectendam veritatem adjumentum*, 653. *regnare poſſunt in terra, Chriſto in cœlis exiſtente*, 611. *fideles ex gentibus, ſpirituales ſunt filii Abrahami*, 486. *Deo maximè curæ ſunt*, 621. *quod ipſis evenit, quomodo Deo aut Chriſto contingat*, 439. 443. *viventibus in adventu Chriſti quid eventurum ſit*, 508.

Figuræ *figuratorum nomine appelari ſolent*, 489.

Figuratè *dicta in V. F. ſæpè in novo propriè accipienda ſunt*, 382. ſeqq.

Filiatio *angelorum ex Deo quomodo à filiatione Chriſti differat*, 479.

Filium *Dei, & Chriſtum eſſe, ſæpè idem ſunt*, 476.

Filii Dei ex Chriſto genus ducunt, 477.

Filius hominis *à natura humana ſingulari nihil differt*, 491. *ei rectè tribui non poſſunt ea, quæ ſoli divinæ naturæ ſunt propria*, 491.

Filius proprius *quis*, ibid.

Finis regni Chriſti & ſeculi hujus *quando futurus*, 612.

Fœderis novi *conditiones*, 361. *perpetuum eſt*, 442.

Fœminam *idololatricam ducere quàm periculoſum*, 619.

Formæ *ſubſtantiales duæ perfectæ in unum ſuppoſitum cadere nequeunt*, 456.

Frater *peccans quomodo & cur arguendus*, 687. *offenſum non reconciliare quantum peccatum*, 515. *cur quamprimùm reconciliandus*, 516. *fratri ignoſcere nolle quantum peccatum*, 615. 516.

Fundamentum *Eccleſiæ primarium quodnam*, 628. 630. *quodnam ſecundarium*, 628. ſeqq. *quomodo eadem appellatio Chriſto & Apoſtolis tribuatur*, 630.

G.

Gehenna *quomodo ad ſupplicium impiorum tranſlata*, 513.

Generantis *& generati eſſentia ſemper numero differunt*, 470.

Generatio *propriè dicta quid*, 470. *cur inſtituta*, 482. *mutationem infert in generato & generante*, 470. *carnalis à Deo in ſalutis negotio non habetur ratio*, 531. *propriè dicta nec in angelos cadit, nec in beatos homines olim cadet*, 482. *nec in Deo locum habet*, ibid. *generatio æterna Filii Dei ex eſſentia Patris quibus argumentis adſtruatur ab adverſariis, eorundemque refutatio*, 470. ſeqq. *ejuſdem abſurditas & im-*

Digitized by Google

& impoſſibilitas, 469. 470. 476. 482.
Generatio ex virgine virtute Dei facta & creatio differunt, 479.
γεννᾶσθαι quomodo pro locorum diverſitate vertendum, 485.
Gentivus materiæ vel certæ ſpeciei, 628.
Gentes quomodo juſtificationem aſſecutæ fuerint, 533.
Gloria qualis Chriſto à Patre data, 439. 440. quomodo eandem Chriſtus diſcipulis dederit, 488.
Gloria Dei propria quæ ſit, 439. quibus in rebus gloriandum ſit, 540. in gloria pro glorioſè, 463.
Gratiæ Dei magnitudo ſub novo fœdere, 571.
Græca V. T. verſio quantæ autoritatis fuerit, 381.

H.

Habitantium in locis à publicis religionis exercitiis remotis incommoda, 620.
Hæreticus quis ſit, 693. quomodo in eum animadvertere debeat Eccleſia, ibid. hæretici orthodoxos hæreſeôs accuſare & occidere ſolent, 695.
Hæreticidium ex veteri fœdere probari nequit, 694. illicitum eſt Chriſtianis, ibid. quibus argumentis id adſtruatur ab hæreticidis, eorundemque ſolutio, 693. ſeqq.
Hebræi carent verbis compoſitis, 448. eorundem loco ſimplicia uſurpant, 448. nomina autoritatem ac poteſtatem denotantia etiam uni tributa plurali numero efferre ſolent, 406.
Heri nomen ſoli Patri in divinis attribuitur, 427.
Hieronymi teſtimonium de Scripturarum more in obſcurioribus explicandis, 386.
Hodie nuſpiam æternitatem ſignificat, 474.
Homo pro homine vulgari, 437. dignitas ejuſdem, 407. quomodo per Chriſtum homines facti & illuminati dicantur, 447.
Honor Chriſto tributus ad gloriam Patris tendit, 439. divinus cur alicui debeatur, 458.
Hoſtes Chriſtianorum ſpirituales qui ſint, 364. quibus armis vincendi, ibid. quomodo ſub lege odio proſequi hoſtes convenerit, ibid.
Hypocritæ quantum Euangelii curſui obſtent, 558. ut ab illis liberemur Deus rogandus eſt, ibid.

I.

Jacobus Patriarcha quomodo electionis typus, 531. 532. ejus præ Eſavo electio & dilectio qualis, 530. 531.
Jacturæ bonorum & vitæ ob religionem ſolatia, 623.
Idololatria in quo conſiſtat, 581. ejus pœna, 680. Pontificiæ quæ genera, 581.
Jehovæ nomen quam ſignificationem habeat, 406.
Idumæi Iſraelitis quando & quàm diu ſervierint, 532.
Jejunium laudabile eſt & utile, 657. Patrum diſſenſiones de tempore jejuniorum, 399. die Dominica an inſtituenda, 657.
Jeroboam ceremonias legis non abrogavit, 597.
Jeſu nomen nonniſi homini competit, 436. 446. idem verus homo fuit & quidem divinus, 592. 593. religionis Chriſtianæ dux & autor, 370. quid de eo fateantur Iudæi, 370. 371. eum eſſe Chriſtum quomodo probetur, 591. ſeqq. id cur nonnulli olim negârint, 465. homines ad Deos alienos non abduxit, 596. ſeqq. vide etiam Chriſtus.
Ignis & aqua pro maximis periculis, 505. ignis probationis, 509.
Ignorantia generatim quotuplex, 688. quomodo utraque corrigenda, ibid. rerum

Digitized by Google

rum ad ſalutem neceſſariarum, quæ cauſa, 698. 710. quomodo ei conſulendum, 698.

ἱλάσκεσθαι apud Græcos interpretes ſæpiſſimè expiare, ἱλασμὸς expiationem ſignificat, 576.

ἱλαστήριον nomen cur Chriſto tribuatur, 575. ad quid alludat, 373.374.

Imagines in templis collocandæ non ſunt, 582. 583. eas Deus præſentiâ ſuâ non conſecrat, ſed averſatur, 582. 583. res ſanctæ non ſunt, 548. quomodo à Pontificiis defendantur, & ad ea reſponſio, 582. ſeqq. vide etiam Idola & Idololatria.

Imaginis natura, 434. Imago Dei, ipſe Deus eſſe nequit, 434.

Immundi ſpiritualiter quinam cenſendi ſint, 523.

Impii ſuâ culpâ pereunt, 546.

Impoſitio manuum ab Apoſtolis citra mandatum adhibita, 670. eadem olim uſurpata fuit in initiatione Seniorum & Diaconorum, 655. item in receptione excommunicatorum, 692.

Improbitas incredulitatis cauſa, 529. 530. & inobedientiæ, 546.

Imputari fidem ad juſtitiam quid, 555. 566. quid imputari juſtitiam, ibid.

Imputationis ubi fiat mentio in ſacris literis, 565. imputationis juſtitiæ Chriſti dogma in ſcripturis nullibi extat, 564. ſeqq. eidem repugnat, 565. 568. ſeqq.

In pro per, 474. ſæpè redundat, 675.

Incarnatione Filii Dei ad ſalutem noſtram opus non fuit, 458. 459. eadem impoſſibilis, 459. à Matthæo & Luca in deſcriptione conceptionis ac nativitatis Chriſti non commemoratur, 457.

In carne ambulare, vivere, permanere, is ipſe interdum dicitur, cujus pars quædam caro eſt, 466.

Incredulitatis hominum & nominatim Judæorum, cauſæ, 529.

Incredulos, qualeſcunque alioqui ſint, quo jure induret & damnet Deus, 534.

Induratio qualis pœna, 555. libertatem voluntatis planè non auſert, 556. nec ſemper ineluctabilis eſt, ibid.

Infernus quid ſignificet, 649. quomodo in in lacum ignis conjiciendus, 518.

Infirmi in fide quinam, 362. quomodo ſublevandi, ibid.

Ingreſſus Chriſti in mundum ejus nativitatem non deſignat, 464. 465.

Inimicus in lege quis, 581.

Innocentes à Deo revera non puniuntur, 572. idem Deus prohibuit, 572. cur interdum ab hominibus id fiat, 572.

Innocentiam Deus ab initio mundi ab hominibus exegit, 544.

Inobedientiæ culpa penes hominem eſt, 546.

Inordinati quinam, 362. quomodo monendi, ibid.

Inſtituta Eccleſiæ quænam conſervanda, 656.

Interitus ſempiternus ipſorum hominum contumaciæ adſcribendus eſt, 539.

Interpellatio Chriſti quomodo intelligenda, 618.

Invidia in Eccleſia dominari non debet, 643. quomodo Deus eidem occurrerit, ibid.

Invocari Deus ſine mandato poſſet, & potuit ſub lege, 614. 615. quis præter eum invocari poſſit, 616. invocare Dei aut Chriſti nomen quid, 616.

Invocatio abſentis quid requirat, 585.

Invocationem Dei quid præter mandatum ſuadeat, 615. nunc & mandato, & exemplis ſanctorum nititur, 584. ejusdem & invocationis Chriſti diſcrimen, 617.

Invocatio Chriſti quibus argumentis impugnetur, eorundemque ſolutio, 614. ſeqq.

Invocatio ſanctorum mortuorum erronea eſt & impia, 584. ſeqq. nullo mandato

Digitized by Google

aut exemplo ſacrarum literarum nititur, 584. 585.

Jobi *amici non planè juſtam cauſſam defenderunt*, 551. *ejus tempore de reſurrectione mortuorum, & cœli deſtructione non conſtitit*, 514.

Iſaacus *quomodo Iſmaëlem naſcendi ratione ſuperârit*, 478. *quomodo ſecundùm ſpiritum ab Abrahamo genitus*, 468. *cur dicatur unigenitus*, 477. *ſolus hæreditatem paternam adiit*, ibid. *ab eodem ſolo poſteritas Abrahami denominata*, ibid. *Idem Chriſti typus fuit*, ibid. *item fidelium*, 532.

Iſmaël *quomodo ſecundum carnem generatus*, 468. *infidelium typus*, 532.

Judæi *quibus argumentis convincendi*, 591. 600. *argumenta eorum quomodo ſolvenda*, 595. ſeqq. *hodierna eorum calamitas unde*, 598. 599. *ceremoniis valde fuerunt delectati*, 665. *ex ſcriptis V. fœderis initio Chriſtianæ religionis faciliùs convinci potuerunt, quàm hodie*, 591. *eorum fabulæ unde ortum traxerint*, 393. *quid de Ieſu Nazareno fateantur*, 370. 371. 592. *eorundem de eo mendacia*, 593. *cur juſtificationem non aſſecuti*, 533. *quomodo & cur ad Chriſtum occidendum adhibiti*, 635. *jure ideo à Deo puniti*, ibid. *eorundem opiniones de religione ſæpè mutatæ fuerunt*, 393. *unde error earum deprehenſus & correctus fuerit*, ibid. *eorum pertinacia in religione Chriſtiana repudianda unde*, ibid. *cur rejecti & excæcati ſunt*, 544. 545. *iiſdem graviſſima ſcelera olim objecta*, 705.

Judas *proditor quomodo à Deo ad ſcelus illud deſignatus fuerit, & cur*, 535. *ejus tum ſcelus tum pœna ſingulare quid eſt, ad communem ſalutis humanæ rationem non pertinens*, 534.

Judicium *de dogmatis fidei cui competat*, 651. *quæ ejus norma*, ibid. *judicia publica quænam tempore Chriſti in populo Iudaico fuerint*, 513. *Iudicium* ultimum *ſubitò futurum eſt*, 608. 609. *cum adventu Chriſti conjungendum*, ibid. *ejuſdem nunc regnantis majeſtatem & potentiam declarabit*, 608.

Juramenta *quæ per cœlum terram &c. fiunt, an earum rerum cultum aliquem contineant*, 583.

Juſtificatio, *quid ex parte hominum requirat*, 526. *Operibus non acquiritur*, 533.

Iuſti eſſe, ſicut Chriſtus eſt, quatenus poſſimus, 569.

K.

Καταρτίζω *quid ſignificet*, 465.

L.

Laici, *quos vocant, à ſcripturæ lectione arcendi non ſunt*, 388. 389.

Lapſus Adæ *amiſſione liberi arbitrii punitus non fuit*, 547.

Legatis *quod evenit, ei à quo miſſi ſunt, eveniſſe intelligitur*, 443.

Levitæ *quos myſticè deſignent*, 506.

Leges. *Digniſſimi & viliſſimi nulla eſt in obedientia legis diverſitas*, 564.

Lex Moſis etiam ab homine animali intelligi poteſt, 562. *intellectu difficilis propter umbras rerum futurarum dici non debet*, 387. *in ea ſcripta fuerunt omnia factu tum temporis neceſſaria*, 390. *rationem humanam ſuperare non videtur*, 562. *umbra eſt doctrinæ Chriſtianæ*, 641. *umbram tantum futurorum bonorum habuit*, 437.

Lex Moralis, *à Chriſto abrogata non eſt, ſed aucta & perfecta*, 579. ſeqq

Liber, *cujus auctor ignoratur, non protinus rejiciendus*, 375.

Liber vitæ. In eum inſcribi quid ſignificet, 536. *quando id nominatim fiat, & quâ con-ditione*, ibid.

Liberatio *Iſraelitarum ex captivitate Babylonica quomodo ab ipſo* Deo *facta*, 429. *cujus liberationis typus fuerit*, ibid.

Libertas Chriſtiana. *Quæ nam ejus abuſum ſequantur damna*, 602.

Digitized by Google

Liberum arbitrium *etiam* homini *à Deo conceſſum eſt*, 541. 706. *& poſt lapſum etiam relictum*, 533. 534. 547. *quouſque ſe porrigat*, 546.
Ligandi *munus qualem autoritatem poſtulet*, 498. *ad quem pertineat*, 499.
Loca *ex veteri Teſtamento ad Chriſtum accommodata*, 594. *loca veteris teſtamenti quomodo in novo citari ſoleant*, 382. *interdum integra ad rem, cujus gratia citantur, non pertinent, ſed pars eorum tantùm*, 451.
λόγυ *vox quomodo Chriſto tribuatur*, 435.
Lucis *appellatio omnibus Chriſtianis communis*, 578. *quomodo iidem lux mundi eſſe debeant*, 366.
Lydiæ *cor quomodo & cur apertum fuerit*, 553.

M.

Maccabæorũ libri *non ſunt canonici*, 502.
Mala *facienda non ſunt ùt eveniant bona*, 620.
Malitiam *hominum quomodo Scriptura exaggeret*, 551.
Manna *cur dicatur cibus ſpiritualis*, 489.
Μαθητεύειν *quid ſignificet*, 766.
Matrimoniorum *copulatio publica cur retinenda*, 657.
Matthæus *dictorum & factorum Chriſti ordinem diligenter obſervat*, 578.
Mediator *quis ſit*, 575. *ejus officium per ſe non eſt diffidentes in gratiam reducere*, 461. *eandem ad rem divina in Chriſto natura opus non fuiſſet*, 461. *officium mediatoris, ſatisfactionis Chriſti dogma non probat*, 575. *nec ejuſdem invocationem tollit*, 618. *ad quodnam ejus munus ſpectârit*, 618.
Membra Eccleſiæ *quot modis conſiderentur*, 64?. *varia eorum munera*, ibid. *mutua officia*, 642. 644. *dona ſua cui rei impendere debeant*, 643. *eorundem convenientia inter ſe*, 642.
Meminiſſe *pro benefacere*, 517.
Mendaces *cur appellentur filii Diaboli*, 367.
Mendacia *quæ nam ſub novo fœdere prohibita*, 374. *mendacium dicere quiſpiam quibus de cauſſis dicatur*, 373.
Mens *hominis quomodo à Diabolo impetatur*, 370.
Mereri *propriè nõ dicitur, qui lege ad aliquid faciendum ſimpliciter obſtrictus eſt*, 563.
Meritum Chriſti *quotuplex ab adverſariis ſtatuatur*, 563. *quid de eo ſentiendum*, ibid.
Meſſiæ *quodnam officium fuerit*, 597.
Millenarium *Chriſti regnum quale à nonnullis ſtatuatur*, 608. *quid de eo ſentiendum*, ibid. & ſeqq.
Miniſtris *hodiernis Eccleſiæ quæ ordinatio ſufficiat*, 661. *quomodo ritè officio ſuo fungantur*, ibid. *Prophetas ſe eſſe non gloriantur*, 660. *doctrinam Apoſtolicam repetunt & inculcant*, ibid. *quatenus ſibi credi poſtulent*, ibid.
Miracula *cur ceſſarint*, 711. *Eccleſiam Apoſtolicam non conſtituunt*, 711. *iisdẽ ad inſtaurationem Eccleſiæ opus non eſt*, 710. 711. *eorum poteſtatem nemo niſi Deo volente poteſt habere*, 593. *cur in principio prædicationis Euangelii neceſſaria*, 711.
Miracula Chriſti. *A quo eorum poteſtatem Chriſtus acceperit*, 454. *eadem in ipſo ſemper reſedit*, 454. *aliis etiam communicata fuit*, ibid. *cur cognoſcenda*, 397. *ea, quæ ab Apoſtolis ſcripta non fuerunt, ad ſalutem ſcitu neceſſaria non ſunt*, ibid. *certam eorundem notitiam Pontificii jactare nequeunt*, ibid.
Miracula diſcipulorum Chriſti. *Eorundem vis etiamnum durat*, 711. 712.
Miſericordia Dei, *libertatem deficiendi à gratia hominibus non adimit*, 556.
Miſſione *à Deo ad docendum nunc opus non eſt*, 660. ſeqq.
Modeſtiæ *Chriſtianæ non repugnat, auctoritatem ſuam, ubi res poſtulat tueri*, 637.
Μωρὸν *in ſacris literis quid ſignificet*, 437.

Mors *quatenus Chriſti hoſtis*, 612. *quando delenda*, ibid. *cur in omnes tranſiverit*, 567. *qualem peccatis meritis ſimus*, 571. *mors violenta pro fratribus ſuſcipienda eſt*, 571.

Mortis Chriſti *nulla ad mortem æternam proportio*, 571.

Mortui *quomodo in ultimo die reſuſcitandi ſint*, 508. *quinã ſpiritualiter mortui*, 512.

Moſes *quomodo mediator fuerit veteris fœderis*, 461. 575. *quantum precibus populo ſuo profuerit*, 589. *mortuus pro iisdem non oravit*, 588. 589. *ob peccatum terrâ promiſſâ excluſus*, 372. *cur ejus ſcriptis credendum*, 379. 380. *quantus Propheta fuerit*, 380.

Mulieribus *publicè docere prohibitũ eſt*, 655

Multitudo *veræ Eccleſiæ ſignum non eſt*, 704.

Mundanorum *hominum conſortium cur & quâ ratione fugiendum*, 366.

Mundi *vox ambigua eſt*, 447.

Mundus quinam, quando, & quomodo per Chriſtum factus, 447. 452.

Mundus pro beatis ſedibus, 447. 465.

Mundus pro impiis, 365. *quomodo Chriſtianorum hoſtis ſit*, 365. 366. *quomodo eidem reſiſtendum*, 366. *eidem dediti inimici Dei ſunt*, 365. *cum Diabolo conſpirat*, 365. *maxima hominum pars ad eum pertinet*, 369.

Muneribus *pluribus quomodo unus fungi poſſit*, 643.

N.

Naturæ in Chriſto *plures unâ non ſunt*, 456. ſeqq.

Neceſſaria *à Chriſto diſcipulis ſunt tradita, & ab Euangeliſtis deſcripta*, 390. 391. *& quidem ſatis perſpicuè*, 384.

Neceſſitatibus noſtris Deus nunquam defuturus eſt, 622.

Neutrum *genus pro* Maſculino, 639.

Nomen *pro re ipſa*, 414. *pro virtute, ac dignitate*, 458.

Nomina Chriſti *primaria etiam aliis pleraque ſunt communia*, 630.

Nomina eorum, qui in libro vitæ ſcripti ſunt, deleri poſſunt, 536. 541.

Non poſſe *quo ſenſu interdum dicatur*, 558. 559.

Notæ Eccleſiæ, *vide* Eccleſia.

Novæ *doctrinæ promulgatio cujus ſit propria*, 660.

O.

Obedientia Chriſti *an aliquid propriè meruerit*, 563. ſeqq. *nobis non imputatur*, 564. ſeqq. *qualis Deo placeat*, 545. *obedientia & liberè ſuſcipitur, & cœpta deſeri poteſt*, 536. 540. ſeqq.

Obſcuritas *Prophetiarum an perſpicuitatem ſacrarum literarum tollat*, 387.

Occidere *patrem pro filio, aut contrà, à Deo prohibitum eſt*, 572.

Odiſſe pro *minus amare*, 531.

Omne quod eſt, *vel creaturam, vel creatorem eſſe, an verum ſit*, 473.

Vox omne *vel* omnia *ſimpliciter poſita ad ſubjectam materiam reſtringenda eſt*, 446. *omnes* pro *omnibus hominibus*, 426. *omnia* pro *omnibus ad novum fœdus ſpectantibus*, 446.

Opera. *Secundum illa Deus ac Chriſtus unicuique redditurus eſt*, 570.

Operculum *arcæ cur* ἱλαςήριον *ſeu propitiatorium dicatur*, 576.

Ordinatio *paſtorum Eccleſiaſtica ab ipſis Apoſtolis introducta eſt*, 661. *quando in Eccleſia ſervanda*, ibid. *citra eandem quando & quibus docere licitum ſit*, ibid. *non eſt nota Eccleſiæ*, 706.

Oves Chriſti *pro* hominibus probis, 644. *cur ſic appellentur Chriſtiani*, 644. *quâ ſignificatione Eccleſiam conſtituant*, ibid. *in eadem non habetur ratio prædeſtinationis Calvinianæ*, 5 8. *quatenus perire poſſint*, 543. 544.

Pec

P.

Panis Euchariſticus *quomodo dictus communicatio corporis Chriſti*, 676.

Papa *caput Eccleſiæ non eſt*, 433. *nec paſtorum princeps*, 645. *nec ſucceſſor Petri*, ibid.

Parabolis *interdum nihil præfigitur, quod indicet eas parabolas eſſe*, 587. 588. *ejus, quæ de divite & Lazaro eſt, ſcopus*, 587.

Partis adverſæ *judicium cogi ſubire iniquum eſt*, 698.

Paſcere oves Chriſti *quid*, 646.

Paſſiva *interdum reciprocam habent ſignificationem*, 527.

Paſtoris *vox quid ſignificet*, 654. *cur tribuatur Eccleſiæ miniſtris*, ibid. *eorum officium adhuc durat*, 642. *quodnam illud ſit*, 645. 646. *abſque dominatione illis commiſſum eſt*, 645. *veri eſſe poſſunt, etiamſi in Apoſtolorum locum ſeu munus non ſucceſſerint*, 602.

Patefactio divina *cognitione naturali perfectior eſt*, 586.

PATER *bonorum omnium primus autor eſt*, 616. 617. *Chriſto poteſtatem beneficia hominibus conferendi cum ſummo imperio conceſſit*, 616. *id eum jure facere potuiſſe*, ibid. *Chriſto major eſt*, 431. 459. *ſolus eſt unus & ſummus ille Deus*, 418. ſeqq. 424. 458. *per Filium nihil agit, quin ſimul id efficiat Filius*, 607. *idolis ſæpiſſimè opponitur*, 424. *quomodo invocandus*, 617. *quomodo per Chriſtum invocetur*, ibid. *quibus in rebus invocandus ſit*, ibid. *invocatio ejusdem mandata eſt*, ibid. *precum noſtrarum finis eſt ultimus*, 617. *religionis Chriſtianæ primus autor eſt & ſcopus*, 497.

Pati pro Chriſto *cur donum appelletur*, 625.

Patres *errare potuiſſe ipſi Pontificii fatentur*, 648 *quorundam teſtimonia de perf[illegible] in rebus ad ſalutem neceſſariis*, 386. 387. *de perfectione Scripturæ*, 394.

Paucitas *Eccleſiæ falſæ ſignum non eſt*, 704.

Paucitas electorum *cui adſcribenda*, 539. ſeqq.

Paulus, *cur in afflictionibus lætatus fuerit*, 624. *ad baptiſandum miſſus non fuit*, 666. ſeqq. *citra mandatum Timotheum circumcidit ſine peccato*, 670. *pro Eccleſia multa adverſa ſuſtinuit*, 572. 573. *cur eloquentiâ humanâ uſus non fuerit*, 502. *nuſquam fideles monuit, ut ad Petrum velut ſummum Pontificem recurrerent*, 638. *ratione muneris eidem ſe æquat*, 637.

Peccantium *ex infirmitate & ex malitia diſcrimen*, 363. *quomodo cum utriſque agendum*, 363. *peccantium publicè quæ genera*, 688. *quomodo quolibet eorum reprehendendum*, ibid. *peccantes ex levitate quomodo arguendi*, 688.

Peccatorem *in viam revocans quàm bonum opus faciat*, 363.

Peccati *ablutio quid*, 677. *peccatum* Adami *vim non habuit ad totius hominis naturam corrumpendam*. 548. *peccati conſuetudine quinam teneantur*, 560 *contagium ejuſdem fugiendum*, 563. *peccata eorum enormia, qui aliis exemplo in pietate eſſe debent, quantum noceant Eccleſiæ*, 621. *genera peccatorum varia*, 686. ſeqq. peccatum habere *quid ſignificet*, 559. ſeqq. *idem & conſuetudine peccandi teneri quomodo differant*, ibid. *peccata nobis non imputari quid*, 565. 566. *peccatum per ignorantiam quot modis committatur*, 688. *credentibus non imputatur*, 523. *purgatorio igni ad ſui expiationem non indiget*, ibid. *quomodo reprehendendi ſint illi, qui eo ſe obſtringunt*, 688. *peccatum ex infirmitate quot modis committatur*, ibid. *quomodo corrigendum*, ibid. I & [illegible] *quod ſemel iterumque* [illegible]

commit-

Digitized by Google

committendum inducere, ſtratagema Diaboli, 620. peccatum originale quid eſſe dicatur, 547. ejus nulla in ſacris literis eſt mentio, 548. iiſdem & ſanæ rationi repugnat, 547. reprehenſionem plurium quænā mereantur, 687. quomodo corrigenda, ibid. *reprehenſionem unius quæ mereantur, 686. 687. unius etiam conſuetudo pietatem evertit, 703. vulgò nota quomodo reprehendenda, 678.*

Pecuniam *cumulare divinæ gloriæ propagandæ proximique juvandi prætextu, Diaboli ſtratagema, 619.*

Perſecutiones *Chriſtianorum graviſſimæ eſſe conſueverunt, 372. earundem metu & periculis multi à veritate & pietate abducuntur, 621.*

Perſeverantia *Eccleſiæ nullibi promiſſa, 702. perſeverantia in fide ſalutis noſtræ conditio eſt, 361. in hominum arbitrio poſita eſt, 392. perſeverantia alicujus in peccatis unde pateat, 689.*

Perſeverantes *in peccatis ex Eccleſia exterminandi, 690.*

Perſona *quid, 402. perſona omnis intelligens eſt, 435. in altera perſona naturaliter eſſe non poteſt, præſertim reciprocè, 432. 493. nullâ perſonis pluribus longiſſimè inter ſe diſtantibus eodem tempore dari poteſt, 433. perſonis interdum res, quæ perſonæ non ſunt, conjunguntur, 494. 495. perſona in Deo ab eſſentia ipſius non differt, 402. 404. 416. unica tantùm eſt, 418. 492. 493. quænam illa ſit, 418 earundem pluralitas unitatem eſſentiæ divinæ tolleret, 402.*

Πέτρα & πέτρος *apud Græcos tantùm terminatione differunt, 629.*

Petrus *Apoſtolorum reliquorum perſonam interdum geſſit, iiſdemque præivit, 631. 635. 636. in Apoſtolatu nullum habet ſucceſſorem, 636. nec in adminiſtratione clavium, 639. 640. Eccleſiæ caput ab Apoſtolis reliquis nunquam fuit agnitus, 637. confeſſionem de Chriſto omnium Apoſtolorum nomine edidit, 631. 632. quomodo à defectione ſalvo ipſius arbitrio cuſtoditus, 707. quæ vera ejus dignitas, 636. quantum ab illa, quam ipſi Pontificii tribuunt, differat, 636. fundamentum Eccleſiæ à Chriſto ſolus dicitur, 630. 631. ea in re nullum habet ſucceſſorem, 631. 632. ejuſdem nomine interdum reliqui etiam Apoſtoli comprehenduntur, 631. cur paſcendi oves officium ipſi ter à Chriſto demandatum fuerit, 646. paſtorum princeps à Chriſto conſtitutus non fuit,* ibid. *titulum Pontificis non modeſtiæ, ſed veritatis cauſſâ nunquam uſurpavit, 637. cur Satanas à Chriſto appellatus, 367.*

Pharao *indurationem fuit meritus, 555.* ſeqq.

Φέρειν pro *regere aut movere, 452.*

Philoſophicis *inſtitutis à doctrina Chriſti abduci non debemus, 641.*

Pietas. *In ea ſtrenuè pergendum, 558. ejus ſpecie quomodo ſeducantur homines à Satana, 619. 620.*

Pii *quamdiu in ſtatu mortis futuri ſint, 518.*

Pluralis *numerus pro ſingulari quando ab Hebræis uſurpetur, 407. cum ſingulari non ſemel permutatur apud Hebræos, Græcos & Latinos, 409. apud Ciceronem nominatim, 410. pluralis numerus in omni celebriori lingua uſurpatur, quando quis ſeipſum ad aliquid faciendum hortatur, 406. 409.*

Pœna *divina remitti nequit citra remiſſionem culpæ, 508.*

Pontificii *à doctrina Chriſti & Apoſtolorum diſſentiunt, 642. 702. quantum inter ſe diffideant,* ibid. *titulo Eccleſiæ falſò gloriantur, 641. 642. eorum Eccleſia ſpiritu Chriſti non regitur, 642. idololatriam manifeſtè exercet,* ibid. *ſancta dici nequit, 642. 703. eorum errores de imaginibus earumque cultu, 582.* ſeqq. *de Scripturæ obſcuritate, 384.* ſeqq. *de Traditionibus, 395.* ſeqq. *de Deo, 400.* ſeqq. *Chriſto, 420.* ſeqq. *Spiritu ſancto,*

ſto, 492. ſeqq. de auriculari confeſſione, 497. ſeqq. de purgatorio, 501. ſeqq. de ſatisfactione Chriſti, 570. ſeqq. de invocatione ſanctorum, 584. ſeqq. de Eccleſia, lib. 5. paſſim. de ſenſu verborum Chriſti; Tu es Petrus &c. 630 ſeqq inepte ſibi iudicii partes in eos qui ab illis diſſentiunt, vendicant, 698. eorum ritus & opera abſque divina auctoritate ſuſcepta cur repudianda, 616. Traditionum Apoſtolicarum cuſtodes non ſunt, 398. & ſeqq.

Populus Chriſti interdum denotat eos qui apti ſunt ut populus Chriſti verè fiant, 528

Portæ mortis & inferni pro ipſa morte & inferno, 649.

Poſſibilia. Verba ſi poſſibile rem impoſſibilem eſſe nequaquam arguunt, 542.

Poteſtas Chriſti quanta, 601.

Poteſtas Eccleſiæ quid, 650. quanta, ibid. quotuplex, ibid. quatenus ad dogmata pertineat, ibid. poteſtas ligandi & ſolvendi qualis ſit, 690. poteſtas recipiendi fideles in Eccleſiam quouſque ſe extendat, 663.

Poteſtas remittendi peccata quomodo Chriſto competat, 638. quomodo Apoſtolis conceſſa, ibid. & ſeqq. iis omnibus communis fuit, 638.

Præceptorum quorundam Chriſti depravatio, 577. ſeqq. ea, quæ Matth. 5. deſcripta ſunt, ad quos ſpectent, 577. ſeqq.

Præceptis Dei aliquid addere vel demere quid ſignificet, 615. 616. accedente ejus auxilio ſervari poſſunt, 544.

Præcepta Eccleſiæ quænam & quatenus obligent, 696.

Præcepta Euangelii perfectiora ſunt præceptis Legis, 572.

Præceptũ de ſanguine & ſuffocato ab Apoſtolis traditum non fuit perpetuum, 672.

Prædeſtinationis Calvinianæ ſumma, 524. abſurditas, 524. 525. quibus argumentis adſtruatur, eorundemque ſolutio, 525. ſeqq.

Prædeſtinatio in adoptionem filiorum de quibus & quomodo facta fuerit, 526.

Prædicatio Euangelii in toto mundo jam olim facta eſt, 704. ſemper futura in ſacris literis non dicitur, ibid. prædicatio Euangelii incorrupta an Eccleſiæ nota, 700.

Præmium labore majus ex merito non datur, 395.

Prærogativa ſine poteſtate in alios eſſe poteſt, 636.

Præſcientia rerum futurarum Chriſto data eſt, 454.

Præſciti à Deo qui ſint, 525.

Præſtantia ſua homini Chriſtiano ſubinde conſideranda eſt, 365. quam vim habeat adverſus carnem, ibid.

Præteritum ad quas actiones exprimendas rectiùs adhibeatur, 685.

Preces ad quem dirigendæ, 584. preces in lege nuſpiam præceptæ, & cur, 615. preces pro mortuis purgatorium non probant, 517. vis earum in afflictionibus & perſecutionibus, 623. in Satanæ ſtratagematis repellendis, 622.

Primæva Eccleſia quoſnam & quomodo in numerum Chriſtianorum receperit, 663.

Primatus Papæ unde originem traxerit, 647.

Primogeniti ſemper ex eorum ſunt numero, quorum ſunt primogeniti, 474.

Primus ac noviſſimus cur Deus appellatus, 441. cur Chriſtus, 442.

Principii vox ſemper ad ſubjectam materiam referenda, 473. 484.

Pro in locutionibus de paſſione & morte Chriſti quid ſignificet, 571.

Probitas fidei cauſſa eſt, 527. ſeqq. probitatis vis in amplectenda doctrina Chriſti, 553.

Proditio Chriſti cur multo antè decreta, 534. in Davidis perſona adumbrata fuit, ibid.

Profeſſio Chriſti publica & ſolennis per Baptiſmum quibus convenerit, 672. quomodo etiam extra baptiſmum fieri poſſit, 677.

Digitized by Google

Profeſſio fidei *quàm neceſſaria ſit*, 663. 677.

Prohibita *quænam cenſenda ſint* 694. *quod prohibitum non eſt, quando permiſſum eſſe cenſendum ſit*, 615. 694.

Promiſſa *eadem & ipſe* Chriſtus *adeptus, & aliis dandi poteſtatem conſecutus eſt*, 372. *promiſſis ſtare negandus non eſt, qui plus præſtat quàm promiſit*, 598. *promiſſorum vis major eſt ad pietatem quàm comminationum*, 545.

Prophetæ *miracula patrarunt*, 454. *quodnam eorum proprium officium*, 491. *iidem paſſiones & glorias Chriſti prædixerunt*, 597. 598. *quomodo de regno Chriſti vaticinati fuerint*, 609. 610. *cur videntes appellati*, 491. *quomodo occulta viderint*, 454.

Prophetæ novi Teſtamenti *qui fuerint*, 642. *aliquoties à Paulo cum Apoſtolis conjunguntur*, 628. *quâ ratione fundamenta Eccleſiæ appellentur*, 630. *eorundem munus ceſſavit*, 642.

Prophetiæ *de Meſſia quotuplicem ſenſum habeant*, 591. 592. *quatenus obſcuræ ſint*, 386. *myſticus quatenus in novo fœdere explicatus ſit*, 386. *quatenus non ſint propriæ interpretationis*, ibid.

Propitiatorii *nomen cur Chriſto tribuatur*, 575.

Propriè dicta *in veteri T. ſæpè in allegoricum ſenſum in novo accipiendæ ſunt*, 611.

Proprii *vox quid ſignificet cùm rei alicui ſimpliciter adjicitur*, 481. ſeqq.

πρόθεσις *vel* propoſitum Dei *quid ſignificet*, 525.

Proſopopœia *Paulo uſitata*, 560. 561.

Proximus *nunquam vitâ privandus abſque mandato vel ſaltem aperta permiſſione Dei*, 694.

Publicorum exercitiorum religionis *neglectus quàm pernicioſus*, 620.

Punire *aliquem, quòd id non præſtiterit quod præſtare non potuit, injuſtum*, 543.

Purgare pro *purgatum declarare*, 677.

Purgatorium *Bellarmino quid*, 505. *quænam peccata eo purgari putentur*, 506. *quando ceſſaturum*, 508. 509. *in eo conſtitutis ſuffragia viventium prodeſſe exiſtimantur*, 501. *commentitium eſt*, ibid. *argumentorum pro eo adductorum ſolutio*, 502. ſeqq.

Puſillanimes *qui*, 362. *quomodo conſolandi*, ibid.

Q.

Quatuor animalia Apocalyptica *quos deſignent*, 591.

Particulæ Quicunque *vel* quotquot *quæ vis ſit*, 673.

R.

Rationis *uſus à rebus fidei removendus non eſt*, 651. *in ſacris literis quomodo ei acquieſcendum*, 404.

Receptio in Eccleſiam *quomodo fieri debeat*, 686.

Reconciliatio *noſtra cum Deo ſatisfactionem Chriſti non probat*, 576. *reconciliatio fratris offenſi maturanda*, 515. *eam negligentium quæ pœna*, 514. 515.

Redemptio *quomodo Chriſto tribuatur*, 572. 573. *ea ipſi quoque Deo tribuitur*, ibid. *à quibus hoſtibus aut malis redempti ſimus*, 573.

Regeniti *peccati conſuetudine non tenentur*, 559.

Regnum *non ex ſubditorum obedientia, ſed ex imperandi poteſtate ponderandum eſt*, 600. 604. *regnum terrenum & cœleſte plurimum differunt*, 608.

Regnum Chriſti *eius coeſſentialitatem cum Patre non infert*, 604. 605. *conſiſtere poteſt, etiamſi homines ei non obediant*, 608. *quando finem habiturum ſit*, 606. *gloriæ*

Dei

Digitized by Google

Dei nil derogat, ſed ad eam redundat, 605. à Patre ipſi traditum eſt, 605. ad omnes perſonas ac bona æquè pertinet, 607. omni poteſtate in cœlo & terra continetur, ib. à Prophetis clariſſimè prædictum, & olim in Ioſepho adumbratum fuit, 605. quale ſit, 608. quænam ei adhuc reluctentur, 603. terrenum non eſt, 597. ſeq. quo ſenſu terrenum eſſe negetur, 608. tantùm unicum eſt, ibid. & ſeqq.

Relativa pronomina ſæpè ad remotiora ſpectant, 424. 425.

Religio falſa ſemper unà cum vera extitit, 705. ejuſdem prætextu multi religionis veræ ſectatores perſequuntur, 610. & parum cauti in gravia ſcelera impelluntur, ibid.

Religionem veram diſſimulare vel negare, ob ſpem lautioris fortunæ, Satanæ ſtratagema eſt, 620.

Religionem Chriſtianam, quibus argumentis adducti homines primùm amplexi fuerint, 371. autor ejus, 370. ejus circumſtantiæ autoritatem Scripturæ novi Teſtamenti probant, ibid. & ſeqq. ob varias diſſenſiones profeſſorũ ejus aſpernanda non eſt, 373. duratio ejuſdem, 472. 391. unde indubitatò cognoſci poſſit, 391. fidem poſtulat, 377. ejus incrementa, 372. intelligentiam humanam ſuperat, 711. præſtantior eſt omnibus aliis, etiam Moſaicâ, 372. 373. multa tollit, quæ olim à Deo conſtituta vel permiſſa fuerunt, 711. reſurrectione Chriſti nititur, 371. ſcriptis veteris Teſtamenti quomodo nitatur, 380. 381. ſumma ejus, in qua omnes Chriſtiani conveniunt, N. T. continetur, 373. veritas ejus quibus argumentis nitatur, 370. ſeqq. qualibus, 377. 378.

Religio Judaica cur nunc amplectenda non ſit, 379. eſt antiquior Chriſtianâ, 704. ejus circumſtantiæ quædam veritatem ipſius probant, 379. cur in hunc uſque diem duret, 379. eandem Meſſiæ adventu & novi fœderis pactione terminandam eſſe, ipſa indicat, 379. quam perſpicua fuerit, 387.

Remiſſio peccatorum auriculari confeſſione non indiget, 499. quinam & quâ conditione eam conſequantur, 498. 499. an & qualis in futuro ſeculo futura ſit, 507. 508. planè gratuita eſt, 570. per quem ea promiſſio ſancita fuerit, 575. ad quos remiſſio peccatorum ſpectet, & unde id conſtet, 671.

Remittere pro remiſſum eſſe declarare, 677. remitti peccata eademque punire contraria ſunt, 507.

Reprehenſionibus homines in officio quomodo retinendi, 686. quotuplices ſint, ibid. ſimplex quomodo inſtituenda, ibid. quomodo ea, quæ cum pœna eſt conjuncta, 689.

Reprehenſus à fratre quid facere debeat, 687.

Res divino præcepto & exemplis aliiſque indiciis carens neminem obſtringere poteſt, 672. rei familiaris conſtituendæ cauſſâ ſeſe in hominum mundanorum amicitiam inſinuare ſaluti periculoſum, 620. res inanimata externam perſonæ formam referre poteſt, 495. rem non mandatam faciens quando peccet, 670. res interdum in oratione conjunguntur, quarum aliæ perpetuò omnes obſtringunt, aliæ non item, 672. 682. rebus ea ſæpè tribuuntur, quæ perſonarum ſunt propria, 494. res perſonis ſæpè in ſcriptura in rebus arduis conjunguntur, 496. res rationem ſuperantes, ſi ad ſalutem neceſſariæ ſint, ſæpiſſimè & diſertiſſimè à Spiritu ſancto inculcari ſolent, 457. rebus quibuſdam ea in ſacris literis tribuuntur, quæ aliis tributa vix leguntur, 494. res ſanctæ quomodo venerandæ, 583. 584. res umbris in lege ſignificatæ ſufficienter ex novo fœdere intelligi poſſunt, 387.

Digitized by Google

Reſtauratio *cultus divini ſub veteri fœdere unde pependerit*, 713. *reſtauratio Eccleſiæ collapſæ, an & quomodo fieri poſſit*, 707. ſeqq.

Reſurrectio Chriſti *reſurrectionis noſtræ ac vitæ æternæ firmiſſimum argumentum eſt*, 401. *eâ ſublatâ religio Chriſti tollitur*, 371. *ejus veritas quo argumento nitatur*, 371.

Reſurrectio mortuorum *quam neceſſaria creditu*, 457. 585. *Iobi tempore incognita fuit*, 514. *rationem ſuperat*, 457. *quando futura ſit*, 612.

Rituum *ſacrorum quæ genera*, 653. 654. *ritus* domeſtici *quomodo ab Eccleſia ordinandi*, 657. Eccleſiaſtici *quid ſint*, 653. *quales eſſe debeant*, ibid. *quinam & quando abrogandi vel retinendi*, 656. 657. *publici ritus quotuplices ſint*, 654. *quinam in primæva Eccleſia viguerint*, ibid. *eorum ſcopus* 655. *eorum à traditionibus Pontificiis differentia*, 657. 658.

S.

Sabbathum *quam ſeverè præceptum*, 679.

Sabellii *de Deo opinio*, 402.

Sacerdotes *minores inter Leviticos quos præfigurarint*, 500. 573. *ſacrificulorum Pontificiorum typum non geſſerunt*, 500. *Sacerdos* ſummus *Chriſti typus fuit*, 500. *ejus honorem nemo ſibi arrogare debet*, 634. 635. *victimas offerendo non ſatisfecit Deo pro peccatis*, 574. *nec ſatisfactionem Chriſti adumbravit*, ibid.

Sacrificium cordis *quomodo noſtrum cenſeatur*, 544. *Deo quàm gratum*, 545.

Sacrificium Chriſti *adhuc durat*, 575. 607. *morte totum perfectum non fuit*, 575. *pro omnibus hominibus peractum eſt*, 573. *ſatisfactionis dogma non confirmat*, 573. *unicum eſt*, 607.

Sacrificia pro peccatis Deo non ſatisfecerunt, 573. 574. *quænam Chriſti ſacrificium adumbrârint*, 573. *ea ſatisfactionem Chriſti non adumbrârunt* 574. *quænam ſacrificia noſtra ſpiritualia adumbrârint*, 573.

Sal terræ *omnes ſunt Chriſtiani*, 578. *quomodo eſſe debeant*, 366.

Salomon *quomodo unigenitus coram matre ſua dictus*, 477.

Salus *an iis neganda, qui aquâ non ſunt baptizati, ſi cæteroqui pii ſint*, 669. *ſalus ſub qua conditione hominibus decreta*, 697. *ad eam conſequendam quid ſufficiat*, 695. *unde primò pendeat*, 559. *ſalutem quinam errores non eripiant, & quatenus*, 697.

Samuel *precibus ſuis Iſraelitis multùm profuit*, 589. *mortuus pro iisdem orare ſolitus non fuit*, 588. 589.

Sancti *etiam in infernum deſcendere, & ab illo liberari in ſacris literis dicuntur*, 518.

Sancti *homines gaviſi ſunt, quòd Chriſti cauſſa affligerentur*, 624.

Sancti mortui *actu ipſo nec vivunt nec intelligunt quicquam*, 585. 586. *non eſſe in Scriptura dicuntur*, 585. *perperam adorantur, & ut interceſſores quidam invocantur*, 585. ſeqq.

Sanctimonia *qualis ſub* N. F. *requiratur*, 619. *quàm neceſſaria ſit ad ſalutem* 568. 569. *ejus neceſſitas tollitur dogmate de imputatione juſtitiæ Chriſti*, 569. *ſanctimonia non eſt ſignum Eccleſiæ aſpectabilis*, 730. *priùs cognoſci nequit, quam ſalutaris doctrina*, ibid.

Sanctitas *quot modis accepiatur fidelibus tributa*, 702. 703.

Sanguis *Abel quomodo clamare dicatur*, 516. 517. 588. *ſanguine & ſuffocato veſci Chriſtiano quatenus licitum*, 670.

Sapientia *quomodo ſoli Deo tribuatur*, 455. 456.

Satanas *quid ſignificet*, 367 *quoſnam errores ex ſcriptura eliciat*, 401. vide Dæmones, *item* Diabolus. *Satanæ nomine quinam homines interdum appellentur*, 367.

Satisfactio *pro peccatis, qualis vulgò ſtatuitur, impoſſibilis eſt*, 460. *ad quempiam placandum neceſſaria non eſt*, 576. *eandem nemo pro altero ſibi ipſi præſtat*, 460.

Satisfactio Chriſti *quid denotet adverſariis*, 563. *quibus argumentis adſtruatur, eorundemque ſolutio*, 571. ſeqq. *finem mortis Chriſti evertit*, 570. *pietatem impedit*, 570. *remiſſionem peccatorum gratuitam tollit*, 570. 571.

Scandala *quomodo materiam pietatis & conſtantiæ præbere poſſint*, 623.

Sceptrum *de Iuda jam dudum receſſit*, 59[illegible].

Scientia *rerum omnium cur Chriſto à Patre data*, 454.

Scriptorum *Novi fœderis auctoritas probatur*, 370. & ſeqq. *certiora nos argumenta habemus eorum auctoritatis, quàm Iudæi ſcriptorum Veteris Teſtamenti*, 598. *Ea in rebus majoris præſertim momenti depravata non eſſe*, 377. *Scriptura Veteris Teſtamenti corrupta eſſe probari nequit*, 380. *eorum auctoritas unde probetur*, 378. ſeqq. *eorum multa perierunt*, 381. *quantam rerum ſalutarium cognitionem ſuppeditent*, 393. *obſcuriùs ſcripſiſſe, quàm viva voce docuiſſe, credibile non eſt*, 385. *nec rebus neceſſariis omiſſis, de non neceſſariis ſcripſiſſe*, 391. *multa eorum ſcriptis continentur, quæ ſine jacturâ ſalutis ignorari poſſunt*, ibid. *quædam nominatim ſcribere ſunt juſſi*, 393.

Scriptores N.T. *quomodo loca Veteris Teſtamenti citârint*, 381. ſeqq. *eorum autoritati non obſtat, quòd nonnulla ab ipſis è Vetere Teſtamento citata hodie in eo non extent*, 381. *eorum conſenſus*, 375. *de probè cognitis ſcripſerunt*, 374. *cur iis fides habenda*, 373. 374. *quâ re impulſi ſcripſerint*, 374. 375. *cur ſeptuaginta interpretum verſionem plerumque ſecuti fuerint*, 381. *cur hiſtoricis aliis longè præferendi*, 375.

Scriptum eſſe in libro vitæ *quid ſignificet*, 536.

Scripturæ ſacræ *anologia animo comprehenſa ad ejus intellectionem multùm facit*, 388. *ejus autoritas quibus argumentis nitatur*, 370. ſeqq. *corruptioni minùs obnoxia eſt, quàm traditio*, 393. *à corruptione cur ſervata fuerit integra*, 708. *detorſiones ejus ad cujusvis affectum, diſſenſionum in Eccleſia cauſſæ ſunt*, 393. *difficultates earum quibus in rebus occurrant*, 386. ſeqq. *quomodo ſuperandæ*, ibid. *eadem ad doctrinam Chriſti conſervandam & propagandam aptiſſima eſt*, 393. *Eccleſiæ autoritate non nititur*, 652. *eidem ſubjicienda non eſt*, 651. *priùs hodie cognoſcenda eſt, quàm Eccleſia*, 384. *ejus lectio ſine commentariis & ante Chriſtum, & in Chriſtianis Eccleſiis uſitata fuit*, 385. *ejus perfectio qualis aſſerenda*, 389. 390. 393. 394. 696. 708. *quibus argumentis*, 389. ſeqq. *Patrum de eâ teſtimonia*, 394 *quatenus ſit perſpicua*, 384. ſeqq. 708. 710. 711. *ejuſdem perſpicuitatis argumenta*, 384. 385. *teſtimonia ex Patribus*, 386. ſeqq. *ejuſdem obſcuritas unde*, 387. *quomodo ſuperanda*, 388. *ſcriptura norma eſt controverſiarum de religione*, 651. *reſtaurandæ Eccleſiæ inſtrumentum*, 708. 710. *cur eam Deus per tot ſecula conſervare voluerit*, 384. 400. *de ejuſdem ſenſu, non veritate, bodie inter Chriſtianos controvertitur*, 711. *idem ab Eccleſia petendus non eſt*, 384. ſeqq. *cur quidam eum non percipiant*, 388. *quænam ab Apoſtolis vivâ voce tradita, in ea non contineantur*, 396.

Sectarum *quæ cauſſæ*, 710. *earundem varietas non impedit reſtaurationem Eccleſiæ per Scripturam*, ibid.

Seculum *futurum quid*, 508. *ejuſdem initium*, ibid.

Secundùm carnem *quid ſignificet*, 468. *cui rei id opponatur*, 468.

Sedere ad dextram Dei *quid*, 605.

Semen *Abrahæ quid ſignificet*, 464.

Digitized by Google

Seniorum quotuplex in ſacris literis ſignificatio, 658. cur interdum adjungantur epiſcopis, 659. quomodo & à quo eligendi ſint, 714. quales, 659. eorum officium, ibid. eorundem reſpectu electionis in primæva & hodierna Eccleſia diſcrimen quale, 714.

Senſus myſticus in teſtimoniis Prophetarum de Chriſto ſæpè obſcurus eſt, 592.

Separati ab Eccleſia quando ſpem bonam de ſe præbeant, 689. quomodo fideles erga eoſdem gerere ſe debeant, ibid.

Separatio peccantium ab Eccleſia quotuplex, 689. quid utraque, & quinam eâ caſtigandi ſint, ibid.

Septuaginta interpretum verſio Hebraicis fontibus præferenda non eſt, 472. de eadem inter eruditos controverſia eſt, ibid.

Septuaginta ſeptimanæ apud Danielem quid ſignificent, 595. quodnam earum initium & finis, ibid.

Sepulturæ honor à primæva Eccleſia retentus fuit, 655.

Sermonis nomine cur Chriſtus apud Iohannem appelletur, 435. 461. 482. 484. quomodo in principio & quidem apud Deum fuerit, 484. quomodo caro fuerit, 462.

Serpens æneus à Moſe fabricatus imaginum fabricam & cultum non confirmat, 582.

Servatoris nomen quomodo tribuatur aliis hominibus præter Chriſtum, 454.

Servi conditio qualis, 436.

Servum arbitrium quid nonnullis ſit, 544. quibus argumentis idem aſſerant, eorumque ſolutio, 537. ſeqq. ejus aſſertores Deum injuſtiſſimum, & autorem peccati conſtituunt, 547.

Sicut particula quam vim habeat, 433.

Signorum quæ natura, 699. eadem re ſignatâ notiora eſſe oportet, 699. 703. 705.

Similitudo cum Deo in perfectione & miſericordia, qualis ſit, 433.

Sixti Senenſis teſtimonium de perſpicuitate ſacrarum literarum, 387.

Particula ſolus attributis Dei addita quid excludat, 613.

Sonte impunito ſponte dimiſſo, in innocentes & ſibi conjunctos nemo ſævit, 572.

Spiritus alicujus non eſt perſona ab eo diſtincta, 492. ſpiritu Chriſti regi quis dicatur, 648. ſpiritus divinus ſibi ipſi non repugnat, 399. ſpiritus pro hominibus, 520 poſt mortem redit ad eum qui dedit eum, 585. ſpiritus piorum ante reſurrectionem propriè loquendo nec vivunt, nec quicquam agunt aut ſentiunt, 501. 585. nec felicitate ſempiternâ fruuntur, 585. ſeqq. ſpiritus legalis & Euangelici diſcrimen, 694. aliter de Deo, aliter de Spiritu ſancto dicitur, 416.

Spiritus ſanctus quot modis conſideretur, 495. quomodo in Deo ſit, 493. cur & quomodo eidem actiones perſonarum propriæ tribuantur, 493. ſeqq. æquari Deo non poteſt, 415. 416. quomodo Apoſtolis in æternum adfuturus fuiſſe dicatur, 648. ejus apparitio in corporali ſpecie qualis fuerit, 495. 496. quædam ei attribuuntur, quæ aliis rebus attributa vix leguntur, 494. nec creator, nec creatura eſt, 493. cur conjungatur interdum Patri & Filio, 496. 497. Dei donum eſt, 494. quibus & cur datum fuerit, 675. quàm multis, 493. ejuſdem effecta, 494. 495. baptiſmo alligatum non fuit, 678. 680. quibus promiſſus ſit, 678. cur Spiritus ſanctus ignis appelletur, & ſub ignis ſpecie Apoſtolis datus fuerit, 519. per impoſitionem manuum dari ſolitus fuit, non tamen ſemper, 678. quomodo pro nobis interpellet, 495. legati cujuſdam inſtar à Chriſto introducitur, 494. cur liquori comparetur, 685. quò mittatur, 700. quid obſignet, 497. Patris rationem in Chriſti ex virgine generatione

Digitized by Google

non habuit, 481. perſeverantiam in fide & pietate, ac patientiam in cruce efficit, 623. perſona non eſt, 415. 481. 492. argumenta quibus id adſtrui ſolet, eorumque ſolutio, 493. ſeqq. quomodo tanquam perſona introducatur, 415. quomodo ſcrutari dicatur omnia, 495. vis ejus quanta in negotio religionis, 497. in ſanctificandis hominibus, 675. contra Satanæ inſidias, 922. quomodo eidem ſpiritui voluntas tribuatur, 416. quomodo unum cum Patre & Filio dici poſſit, 497.

Spirituale dicitur quicquid myſticum ſenſum habet, 489. ſpiritualis non ſtatim evadit, qui animalis eſſe deſiit, 562.

Status mortuorum quis, 518. cum purgatorio nihil commune habet, ibid.

Subſtantiæ duæ qualitatibus contrariæ non poſſunt de eodem ſubjecto prædicari in quid, 456. ſubſtantiæ primæ & ſecundæ diſcrimen, 402. 403. ſubſtantia prima intelligens perſona eſt, 403. in una impoſſibile eſt plures perſonas eſſe, ibid.

Succeſſio quotuplex, 705. collatio utriuſque cum generatione carnali & ſpirituali ex Abrahamo, 662. ſucceſſio in doctrina ſana ab Apoſtolorum temporibus perpetua non fuit, nec Eccleſiæ nota eſt, 760. perſonalis ab Apoſtolis ſpectata non fuit, nec aliis ſpectanda eſt, 601. 602. eadē manente, doctrina mutari poteſt, 602. non eſt nota Eccleſiæ, 705. ſucceſſio perſonalis Pontificum & Levitarum Veteris Teſtamenti multò certior eſt, quam Pontificiorum, 662. 705. cur ab iiſdem excogitata ſit, 602. qualis in paſtoribus Eccleſiæ requiratur, 602.

Superbia diſſenſionum in religione Chriſtiana cauſſa, 373.

Superſtitio ſedulò cavenda, 653.

Suppliciis etiā temporariis Deus peccata hominum punire ſolet, 513. vid etiam Pœna.

T.

Tangere corda hominum quomodo dicatur Deus, 552.

Temporalia inſtituta interdum perpetuis conjunguntur, 672. 682.

Tentationis Diabolicæ exempla & mentio in ſac. literis, 363.

Terna ejuſdem vocis repetitio in ſac. literis quid ſignificet, 412. 413. quid ternarius numerus, 413.

Terra pro beatis ſedibus, 611.

Terrena bona Chriſtiano quærenda non ſunt, 607. quanta eorum vis in hominibus ad peccata pertrahendis, 620. ſtratagema Diaboli in iiſdem adhibendis, ibid.

Teſtimonia vet. Teſt. de Ieſu Chriſto loquentia pleraque duplicem patiuntur ſenſum, 591. 592. quænam inter ea ſint evidentiora, quæ ipſum eſſe Chriſtum probent, 591. ſeqq.

Timore ac tremore opus non eſt, ſi Deus ſalutem in nobis ſine noſtro ſtudio efficit, 554.

de Toto negandum ſimpliciter non eſt, quod ei ſecundum unam partem, præſertim ineſt, 459.

Traditio quid ſit, 395. quotuplex, ibid. eas ad noſtra uſque tempora illibatas conſervatas eſſe cur dubium ſit, 399. 400. 696. in earum cuſtodibus quid requiratur, 398. ſeqq. eædem ſcripturæ repugnare non debent, 399. Eccleſiæ ſignum dici nequeunt, 705. ad doctrinam Chriſti conſervandam & propugnandam tam aptæ non ſunt, ut Scriptura, 393. Traditiones, quas Pontificii jactant, quales ſint, 398. 658. cur repudiandæ, ibid & 400.

Trahi à Patre quinam & quomodo dicantur, 554.

Tres viri, qui Abrahamo apparuerunt, qui fuerint, 411. cur unus eorum ab Abrahamo adoratus fuerit, ibid. ad ſtabiliendum Trinitatis dogma nihil faciunt, ibid.

Trinitatis dogma refutatur, 401. ſeqq. gloriæ Dei hominumque ſaluti officit, 401. 402.

401. 402. *in ſacris lit. non continetur*, 404. *fatentibus quibusdam ejus patronis*, ibid. *ſac. lit. repugnat*, 405. & *contradictionem implicat*, 401. & ſeqq. *quibus argumentis defendatur, eorundemque ſolutio*, 404. & d.

Turpitudo *cupiditatum carnis, homini Chriſtiano ſubinde cogitanda eſt*, 365.

V.

Vas *in honorem vel dedecus quomodo fingat Deus*, 557.

Vaticinia *nonnulla ſolo eventu innoteſcunt*, 612. *vaticinia quæ de felicitate regni Meſſiæ terrena loqui videntur, quomodo intelligenda*, 599.

Venire *Deus quomodo dicatur*, 429. *venire in mundum, & in mundo eſſe, quid ſignificet in ſcriptura*, 447. 448. Venturus *pro* futuro, 428.

Verbum *pro juſſu*, 412. 453. *verbum carnem fieri, & Deum fieri hominem differunt*, 461. 462. *verbum Dei unde petendum*, 651. *verbum Domini, quo cœli facti ſunt, quid denotet*, 412. *verba & phraſes non protinus rejiciendæ, ſi in ſac. lit. non ſint expreſſæ*, 394. 395.

Veritas *pro doctrina Chriſti*, 647.

Veritatem amplecti & profiteri in hominum arbitrio poſitum eſt, 385. 391. 392. *quomodo Eccleſia ejus ſit columna; vide* Eccleſia.

Verſio *ſacrarum literarum quænam recipienda*, 472.

Veſte nuptiali *non indutus in parabola quos deſignet*, 538.

Vetus fœdus, *De Deo in V. Fœderis libris dicta quomodo in Novo ad Chriſtum accommodentur*, 441.

Veterum *Patrum de quibuſdam ritibus, rebuſque ad religionem pertinentibus diſſenſiones*, 399. 400.

Via ſalutis *quæ ſit*, 540, *in cognitione Dei & Chriſti conſiſtit*, 419. *cur viam ſalutis faciliùs ingrediantur ſtulti, infirmi & ignobiles hujus mundi*, 540. *cur talem viam Deus elegerit*, ibid.

Victimæ *Deo pretii loco perſolvi non potuerunt*, 574.

Victor *Epiſcopus Romanus Eccleſias Aſiaticas de tempore paſchatis diſſentientes excommunicavit, ab Irenæo aliiſque reprehenſus*, 399.

Viginti quatuor ſeniores *Apocalyptici quos deſignent*, 591.

Vindicta *ſub N F. probibita, etiam per magiſtratum*, 580.

Virtutes *interdum ita hominibus tribuuntur, ac ſi ipſis innatæ eſſent*, 551. *virtutum præcepta ſufficienter in ſacris literis ſunt deſcripta*, 309. *omnes ad veram ſanctimoniam conſtituendam requiruntur*, 703. *virtus ſimulari poteſt*, 700. 703.

Virtus altiſſimi, *quæ Mariæ obumbravit, quid denotet*, 480. *quod ejus vi naſcitur, jure Dei filius dicitur*, ibid.

Vis *nulli à Deo infertur, ut credat*, 706.

Viſionum *quæ ſit ratio*, 587. 589. 590.

Vitæ æternæ *contemplatio quantam vim habeat contra voluptates & calamitates hujus mundi*, 622. 623. *quando cuique nominatim vita æterna deſignetur*, 536. *eâ quinam excludendi ſint*, 623. *ejus explorata notitia ſanctimoniam in homine parit*, 377. *promiſſio ejus aperta in veteri fœdere nulla*, 609. *ſine remiſſione peccatorum obtineri nequit*, 677.

Vita libenter, ſi velit Deus, ponenda eſt, 624.

Vitam in ſeipſis habere Pater & Filius diverſimodè dicuntur, 437.

Vitia *ſimulari non ſolent*, 700. 703.

Viventis *vox cur Dei nomini apponatur*, 475.

Viva voce *à Chriſto aliiſque divinis viris tradita, partim eadem cum iis, quæ ſcripta ſunt, partim iis ſimilia fuerunt*, 385. *ab auditoribus nondum excæcatis in-*

Digitized by Google

tis intelligi potuerunt, ibid.
Umbrarum *Legis ſingularum ſignificationes cognoſcere ad ſalutem neceſſarium non eſt*, 387. *ſub umbris rerum terrenarum Deus res cœleſtes ſolet promittere*, 600.
Unigenitus *quis dicatur in ſac. lit.* 476. *quomodo & cur Chriſto id nomen reſpectu Dei competat*, 476. ſeqq.
Unitas Dei *qualis ſit unitas*, 402. ſeqq.
Unitas *an Eccleſiæ nota*, 701. *qualis à Pontificiis conſtituatur, & quibus mediis ad eam utantur*, 702.
Una *eademque res diverſis perſonis communis eſſe poteſt*, 441. *unum eſſe cum altero nuſpiam in ſac. lit. coeſſentialitatem ſignificat*, 430. *unum eſſe perſonæ diverſæ quomodo poſſint*, ibid. *unus Deus quomodo ab uno Domino, & uno ſpiritu diſtinguatur*, 416.
Vocatio *an reddi poſſit irrita*, 540. ſeqq. *vocatum eſſe ſecundum Dei propoſitum quid*, 525. 526.
Volendi facultas *homini naturaliter ineſt*, 554.
Voluntatis humanæ *actus tantùm internus in hominis poteſtate eſt*, 545. 546. *in mundi gubernatione nullum momentum habet*, 546. *externus in Dei poteſtate eſt*, 544. *eandem ita conſtringere, ut bona nec cogitare nec moliri queat, à juſtitia Dei alienum eſt*, 547. *libera eſt*, 544. 445. 455. *etiam in rebus ad ſalutem neceſſariis*; ibid. *voluntatis libertas relicta nobis eſt, ut virtuti & vitio, præmio & pœnæ locus eſſe poſſit*, 545. *eadem gubernationi Dei in mundo nihil detrahit*, ibid. *poſt lapſum amiſſa non eſt*, 544. *voluntatem rectè agendi à primordio mundi Deus ab hominibus exegit*, 544. *ex voluntate pietas proficiſcitur & æſtimatur*, 545.
Vota *Legalia quàmdiu ſub novo Fœdere duraverint*, 656.
Uſus ſacramentorum *legitimus non eſt nota Eccleſiæ*, 701.
Vulgatæ verſionis Latinæ *erratum in loco Iud. v.* 5. 489.

Z.

Ζημία & ζημιοῦσθαι *interdum ſimplicem jacturam ſignificant*, 509.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORUM SCRIPTURÆ;

quæ in Cenſuris Anti-Volkelianus hoc tomo tertio citantur, explicantur, aut vindicantur.

Geneſ.

Cap.	verſu.	pag.
1	1	66.273.400.
	2	95.821.
	26	62.86.74.78. 79.273.
	27	258.
	28	393.
2	7.18.	258.
	17	541.548.550.625.
3	15	79.
	16.17.	548.
	18.19.	548.
	22	62.74.79.86.
	23	85.
	24	649.
4	4	367.
	7	265.
	10	673.
6	5	504.539.541. 552.
8	1	504.
	4	73.
	21	541.552.630. 647.
9	6	657.
	27	561.
11	3	88.
	5.8.9.	87.
	7	86.87.
	17	74.
15	1	16.
	5	87.
	6.7.8.	255.
17	5	405.
18	2.3.	93.
	2	290.
	21	87.
19	5	290.
	12	298.
	24	94.235.274.

Cap.	verſu.	pag.
20	13	69.86.
22	2	375.378.379.
	12	375.
	13	631.
	17	375.
	18	255.
24	9.51.	71.
	21	88.
25	23	509.
	31	365.
27	36	508.
28	24	539.
29	31	565.
30	1	88.
	13	364.
32	17	508.
	24	290.
	28	508.
	53	604.
33	1	508.
34	16.19.20.	71.
35	7	86.
	19	30.
38	16	88.
41	12	70.
	40	246.
42	23	438.
	30	71.
45	8	546.
46	27	360.
47	15	88.
49	18	165.
50	20	546.

Exod.

Cap.	verſu.	pag.
1	10	88.
3	4.6.7.8	165.
4	6.	70.

Digitized by Google

Cap.	verſic.	pag.
6	3	139
7	1	70.
13	15	367.
	21	165.
14	19	419.
	21.24.	165.
	31	108.
15	11	141.
	25	624.
18	25	649.
20	5	626.
	19	641.
	29	73.
21	4.6.8.32.	71.
	6	141. 194.
	12. 14.	657.
	23. 24.	658.
	29	72.
	30	643.
22	12. 14.	72.73.
	28	141.
23	4	15.661.
	20. 23.	165.419.
30	12	643.
32	4	69.
	33	519.
33	20	70.

Levitic.

1	3.7.	632.633.
10	1	788.802.
11	45	15.
13	3	364.
	13	*ibid.*
	37	*ibid.*
16	*tot.*	643. *& d.*
	14	643.
17	11	631.634.635.
19	2	658.
	17. 18.	657.659.
26	45	641.
	46	312.

Numer.

Cap.	verſic.	pag.
5	8	644.
12	3	15.
18	9	436.
20	16	165.
21	5.6.	419.
23	14	668.

Deutor.

1	30	165.
	44	250.
4	2	712.
	7	87.
5	5	312.641.
	26	87.
6	4	140.
	13	419.661.664. 704.708.
7	6	263.
9	3	165.
10	17	141.
	20	419.704.708.
12	32	712.714.715.
18	15	312.
24	16	626.
25	15	71.
29	4	578.
30	3.6.	165.
	0	578.
	12	422.
	19.20.	16.
32	6	75.
	6. 15.	258.
	12	123.
	18	365.
	33	674.
33	2	244.
	27	361.
34	4	139.

Joſuæ.

5	13	93.
24	17	69.87.

Index locorum Scripturæ, in Cenſuris.

Cap.	verſic.	pag.
	19	165.

Judic.

Cap.	verſic.	pag.
1	15	88.
3	25	71.
6	6	335.
	24	713.
7	18	108.
8	27.	713.
11	34	375.
13	22	70.
14	15	335.
16	7. 11.	196.
	23. 24.	69.
19	9. 13.	30.
20	11.	446.

1 Sam.

Cap.	verſic.	pag.
7	23	87.
8	7	307. 793.
10	26	562.
11	10. 11.	773.
12	6	258.
	18	108.
15	22	634.
16	7	283.
	13	364.
17	26. 36.	87.
	45	445.
20	2	250.
28	13	70.

2 Sam.

Cap.	verſic.	pag.
7	2	714.
	13	695.
12	23	668.
18	3	623.
	33	625.

Cap.	verſic.	pag.
19	23	298.
20	6	71.
23	2. 3.	114.

1 Reg.

Cap.	verſic.	pag.
3	11. 12.	356.
8	17. 19.	714.
	39	281. 283.
	46	585.
11	33	69.
12	3	643.
	9	76.
18	27.	81.
19	18	866.
22	17	72.
	19	184.
	31	76.

2 Reg.

Cap.	verſic.	pag.
2	11	241.
6	15. 17.	244.
14	6	626.
22	20	667.

1 Chron.

Cap.	verſic.	pag.
3	5	375.
16	39	354.
29	29	27.

2 Chron.

Cap.	verſic.	pag.
1	10. 11.	356.
6	7. 8. 9.	714.
	41	242.
9	29	27.
10	9	76.
20	20	242.

Digitized by Google

Cap.	verſic.	pag.
		Eſdr.
4	15	361.
		Job.
1	6	184.
	11	9.
	26	384.
2	5	9.
3	19	71.
4	16	193.
	18	86.
5	2	657.
7	10	468.
9	2	557.
	3	608.
	19.20.	557.
	28.31.	557.
10	20	669.
14	4	380.552.
	5	556.
	12	468.
	21	667.
15	14.16.	556.
17	13	556.
19	25	454.468.
	26	316.700.
25	4	380.556.
	5	557.
26	13	432.
31	18	558.
	19.20.	658.
33	4	432.
	23	438.
	24	639.
35	10	87.
38	7	359.
	28	389.
		Pſal.
1	7	298.341.347.

Cap.	verſic.	pag.
		363.364.365.
	7. 12.	120.
	8	255.
	10	141.
	11	508.
	12	347.370.
3	4	476.
5	7	504.
7	10	283.
8	3	29.
	6	142.
	8	70.
9	8.9.	283.
11	1	476.
	5	504.
14	3	557.
16	9	315.
	10	31.225.
18	2	140.
	11	244.
19	1	421.
22	2	140.
	10.11.	559.
	14	476.
	17.18.	364.
	21	375.
23	2	759.
24	1	336.
	7.8.9.	242.
25	6	354.
30	6	94.
33	6	273.313.432.
	9	66.
	10	335.
	15	255.
35	17	375.
36	7	278.
	10	135.146.181. 289.
37	10	668.
39	14	669.
40	7	194.326.
45	7.8.	268.
	7	67.
	8	126.132.191.244.

Digitized by Google

Cap.	verſic.	pag.
	8	126. 132. 191. 244. 274. 345. 373. 504.
	12	704.
47	10	277.
48	2	643.
49	7. 10.	629.
50	1	142.
	8	634.
	10	543. 629.
	12	336.
	15	710.
	19	657.
51	4	820.
	6	155. 345.
	7	354. 504. 552. 557. 558.
	12	262. 543. 566.
	18	543. 634.
57	6. 12.	421.
58	4	504. 558.
	12	87.
60	13	88.
63	1	140.
64	3	642.
65	13	434.
68	14	442.
	18	476.
	26	140.
69	29	519.
72	6	431.
	18	281.
77	42	642.
78	9	642.
	19	238.
82	1. 6.	70. 142.
	7	196.
86	14	140.
88	39	315. 321.
89	7	384.
	16	140.
90	2	354. 361.
93	2	354.
94	1	674.
97	7	70. 142. 245. 248.

Cap.	verſic.	pag.
98	8	434.
100	3	258.
102	26	136. 235. 267.
	27. 28.	235.
104	4	95.
105	29	419.
108	6	421.
110	1	119. 155. 274. 337. 335. 760.
	3	358.
	4	635. 700.
115	1	445. 569.
118	10. 11.	108.
	12	445.
	22	737.
124	8	108. 445.
132	1	242.
136	4	281.
138	1	70.
	8	532. 575.
	24	567.
139	7. 8.	286. 431.
	9. 10.	286.
	15.	327. 354. 425.
	16	354.
143	2	557.
147	19. 20.	483.
148	5	66.
149	2	87.

Proverb.

Cap.	verſic.	pag.
1	26	80.
3	18	81.
4	3	375.
7	4	355. 356.
	9	355.
	23	238.
8	1	92.
	15. 16.	355.
	22	252. 341. 355. 356. 400. 521.
	23	251. 316. 354. 356. 361. 400.

24. 251

Cap.	verſic.	pag.
	24. 25.	354.
	30	189. 400.
9	11. 13.	355.
11	12.	657.
13	7	335.
14	17	657.
	21	657.
15	18	657.
16	4	129. 256. 260.
20	22	659.
21	1	544. 545. 562.
23	21	335.
24	29	659.
25	22	661.
	27	439.

Eccleſ.

9	9	667.
11	3	456.
12	1	64. 87.
	9	668.

Cantic.

1	4	561. 584.

Eſa.

1	3	72. 73.
	5	555.
	9	866.
	11	634.
	16	556.
6	1	94. 119.
	2	673.
	3	97.
	4	89.
	8	74. 87.
	9	114. 119. 420. 421. 526. 578.
7	3	732.

Cap.	verſic.	pag.
8	14	32.
	8	33.
	13. 14.	234. 235.
	18	33.
	20	162.
9	4	96.
	5	175. 233. 348.
	6	92. 341. 695.
14	12. 13.	79.
19	4	72.
22	11	87.
28	16	234. 235. 734. 737.
29	13	28.
31	3	315. 321. 331. 339.
35	4. 5.	163. 333.
36	18. 19.	139.
37	16. 20.	123.
40	1. 2.	163.
	6	315. 321.
41	4	230. 260.
42	1	272.
	8	158. 224. 706. 715.
43	7	258.
	10	230.
	11	281.
	25	165.
44	6	230. 231.
	7	281.
	13	193.
	24	119.
45	9	29.
	12	66.
	23	245.
46	3	359.
	10	487. 522.
48	2	224.
	8	558.
	11. 12. 13	230. 231.
	13	66.
	16	101.
49	6	286.
51	9. 11.	361.
52	12	139.
53	1	357. 386. 420.
	4. 5.	309.

Digitized by Google

Cap.	verſic.	pag.
	4. 5.	309. 621. 627. 647.
	6	648. 757.
	9	73. 420.
	10	327. 339. 617. 631. 638. 646.
	11	194.
54	5	87.
55	1	628.
	12	434.
57	5. 7.	668.
59	2	648.
	21	96. 763. 868. 870.
61	1	101. 168.
63	2	644.
	3	165. 624.
	9	419.
	10	433.
	16	131. 671.
64	6	4. 585.
65	16	664.
66	3	634.
	9	352.

Jerem.

Cap.	verſic.	pag.
2	3	263.
4	2	664.
	4	661.
	14	820.
5	8	658.
7	4	98.
10	10	87.
	11	123. 708.
	23	544. 545. 579.
11	10	283.
13	23	554.
17	3	539.
	5	108. 134. 222. 299.
	7	1.
18	6	29.
	11	566.
20	7	561.
22	29	99.
	30	555.
23	5. 6.	342. 357. 601.
	6	142. 132. 135. 309.
	21	582.
	24	286.
	36	87.
24	7	566.
25	5. 6.	178.
30	15	669.
31	15	30.
	18	566.
	32. 34.	561.
	33	565. 566.
	34	124.

Lament.

Cap.	verſic.	pag.
3	27	555.
5	7	669.

Ezech.

Cap.	verſic.	pag.
11	19. 20.	566.
18	6	807.
	20	626.
	30	566.
31	6	578.
33	8	566.
36	22. 23.	29.
	26	69.
	26. 27.	541. 561. 566.
37	5. 6.	700.

Daniel.

Cap.	verſic.	pag.
2	31	193.
	44	695.
4	10	668.
	33	193.
5	6. 9. 10.	193.
7	10	244.
	13	276. 361. 694.

14

Anti-Volkelianis occurrunt.

Cap.	verſic.	pag.
	14	695. 700.
	28	193.
9	24	601.
12	2	700.

Hoſ.

Cap.	verſic.	pag.
1	7	130.
	10	370.
2	14	561.
4	8	636.
7	5	476.
11	1	30.
13	4	281.
	9	462.
	14	623.

Joel.

Cap.	verſic.	pag.
2	28	546.

Jon.

Cap.	verſic.	pag.
1	4	434.

Mich.

Cap.	verſic.	pag.
5	1	284.
	2	233. 341. 347. 359.
6	6. 7.	543. 634.

Nah.

Cap.	verſic.	pag.
1	9	9.
3	13	476.

Habac.

Cap.	verſic.	pag.
1	12	361.

Zach.

Cap.	verſic.	pag.
8	8	237.

Cap.	verſic.	pag.
3	1	9.
9	2	75. 700.
12	10	236. 537. 546. 725.
13	7	132.

Mal.

Cap.	verſic.	pag.
1	2	509.
	6	71. 156.
	11	772.
2	14. 15.	660.
3	1	159. 164.
	4	362.
	6	648.
4	2	715.
	16	877.

Matth.

Cap.	verſic.	pag.
1	1	324. 392.
	16	384.
	18	385. 387.
	20	191. 384. 385. 387.
	23	308.
	25	367.
2	2	296. 404.
	11	142. 296.
	13	30.
	15	159.
	18.	30. 669.
3	2	789. 814.
	3	159.
	11	160. 387. 430.
	16	434. 441. 442.
	17	250. 353. 365. 377.
	30	158.
4	4	607.
	7	419.
	10	129. 223. 245. 271. 296. 704. 706. 708.
	18	653.
5	tot.	651. 652.
	6	482.

12. 19. 654

Digitized by Google

Index locorum Scripturæ; quæ in Cenſuris

Cap.	verſic.	pag.
	12.19.	654.
	14.15.	738.
	17.20.	655.656.
	19	131.
	27	658.
	29.30.	328.
	32	660.
	33	159.
	34.37.	661.
	46.47.	662.
	48	169.178.624.
6	10	169.178.
	12	585.624.
	22.23.	328.
	24	139.
7	12	659.
	18	539.
	23	490.
	24	739.
	28	653.
	29	426.653.
8	2	717.
	16	526.
	20	335.336.
9	27	717.
10	1	653.
	25	157.
	58	453.668.725.
	37	505.
11	3.4.5.	163.167.
	10	159.160.
	19	289.318.353.
	21.22.23.	447.
	25	564.
	27	144.228.302.427.
	28.29.	355.
12	1.2.	73.
	18.20.	272.
	21	434.
	31	433.443.
	34	582.
	49.50.	356.
13	11	581.
	14	526.607.

Cap.	verſic.	pag.
	17	404.
14	30	717.
15	7	28.
	9	712.788.
	22	717.
16	1.6.	152.
	16	369.371.374.
	17	439.
	18	536.735.764.868.
	27	151.
17	1	151.
	2.3.4.	427.
	3	16.
	5	353.365.377.
	16	717.
18	4	495.
	5	607.
	7	136.
	10	322.
	17	852.
	18	450.741.
	20	431.666.
19	4	400.660.
	8	400.660.
	13	798.
	14	824.
	15	803.564.
	16	16.
	17	15.651.
	28	151.
20	1	157.
	10	730.
	15	483.564.
	18	309.
	28	194.318.339.621.628.
	44	100.
21	7	419.
	9	259.
	12	152.
	16	29.
	25	788.
	37	175.
	42.43.	234.

Digitized by Google

Cap.	verſic.	pag.
22	23	668. 789.
	32	453.
	37. 40.	16.
	44	159.
	46	345.
23	3	656.
	12	495.
	16	661.
	34	353.
	37	541.
24	24	481. 518. 524. 533. 565. 868.
	33	419.
	47	607.
25	30	151.
	34	513.
26	21	79.
	24	136.
	28	2. 617. 630. 638. 642.
	51	777.
	63	371.
	64	73.
	65	372.
27	5	319.
	44	325.
	46	138.
	51	327.
	52	54. 328.
	56	152.
28	18	113. 128. 172. 279. 719.
	19	77. 90. 103. 413. 441. 772. 789. 795. 858.
	20	55. 287. 666. 763. 789. 870.

Marc.

Cap.	verſic.	pag.
1	1	406.
	2	158. 160.
2	4	607.
	7	286.
3	29	443.
4	12	526.
	30	77.
5	19	159.
	30	319.
6	39	607.
7	3	796.
	4. 8.	796.
8	22	371.
	38	151.
9	1	196.
10	17	270.
	45	621.
	47	717.
11	15	152.
12	32	139.
13	6	607.
	32	307.
14	21	136.
	24	309.
	61	154.
15	34	140.
16	12	196.
	16	789. 795. 800.
	18	803.
	19	318. 319.

Luc.

Cap.	verſic.	pag.
1	4	811.
	6. 9.	15.
	25. 28. 46.	159.
	8. 9.	632.
	15	379.
	17	158. 159. 471.
	26	28[illegible].
	30	38[illegible].
	33	635.
	35	246. 341. 380. 384. 385.
	68	628.
	69	256.
	76	158. 296.

Index locorum Scripturæ, in Cenſuris.

Cap.	verſic.	pag.
2	7	324
	11	159. 296. 255. 341.
	12	334.
	15. 22. 23. 38.	159.
	20	607.
	29	157.
	34	491. 526.
	35	238.
3	4	158. 159.
	14	777.
	32	441.
	38	360. 384.
4	18	168.
	25. 27.	564.
5	25	607.
	36	178.
7	17	471.
	27	160.
	35	353.
	47	248. 380.
8	10	526.
	31	765.
	46	282. 285.
9	6	151.
	20	371.
	47	325.
	52	848.
10	1	810.
	16	78.
	17	494.
	20	494. 517.
	23	518.
	25	270.
	28	651.
	29	662.
	34	651.
11	2	713.
	22	607.
	25	625.
	38	375.
	49	353. 427.
12	36	153.

Cap.	verſic.	pag.
	47	588.
13	25	157.
14	4	325.
	26	504. 505.
15	21	377.
	22	366.
	31	227.
16	9	470. 668.
	13	139.
	22	424. 453. 668.
	23	764.
	29	15. 42.
17	5	717.
	10	595.
	7. 19.	564.
18	18	77. 270.
19	33	325.
20	4	788.
	35. 36.	393. 398.
	38	139.
	42	159.
	45	563.
21	18	727.
	28	398.
22	20	309.
	22	416.
	32	565. 869.
	38. 39.	777.
	51	336.
	67	372.
	71	372.
23	34. 36.	297.
	34	336.
	39	325.
	42	471.
	43	336. 453. 454. 668.
	46	668.
24	3	316.
	15	196.
	26	151. 417.
	39	293.
	47	801.
	51	318.

Johan.

Digitized by Google

Cap.	verſic.	pag.
		Johan.
1	1	66. 187. 275. 415.
	1. 2. 3.	313. 316. 347. 353. 401. 411.
	3	95. 125. 135. 136. 155. 224. 273.
	4	144. 286. 402. 715.
	5	257.
	9	326.
	10. 11.	313.
	10. 17.	255.
	12	108. 309. 377. 490. 500.
	13	377.
	14	109. 132. 135. 144. 182. 183. 191. 197. 257. 295. 313. 329. 330. 333. 341. 342. 347. 374. 402. 423. 427.
	17	135. 620. 752.
	18	183. 189. 200. 237. 333. 353. 374. 402. 423. 436.
	19	144.
	23	158.
	29	309. 617. 621. 631. 635. 647.
	32	426.
	33	772.
	34	788.
	37	810.
	49	404.
	50	872.
	52	255.
2	1	438.
	6	796.
	19	54. 140. 337. 681.
	20	238.
	21	140. 752.
	23	108.
	25	308.
3	3	377.
	5	809. 814.
	6	330. 339. 364. 377. 504. 552. 556.
	8	434. 821.
	11	77. 90. 426.
	13	286. 422. 425.
	14	635.
	16. 18.	132.
	15. 36.	108.
	16	286. 318. 337. 347. 374. 400. 430. 565. 627.
	19	326. 499.
	20. 21.	499.
	28	108.
	32	436.
	33	422.
	34	143. 198. 341. 419. 443.
	35	228. 302. 422.
	36	414. 577.
4	1. 2.	802. 810.
	7	410.
	9	409. 410.
	10	55. 430.
	13	409. 410.
	21	772.
	23	707.
	24	111. 343.
	32	409. 410.
	37. 38.	733.
5	2	140.
	4	319. 330.
	10	180.
	17. 19.	280.
	17. 18.	285. 806.
	18	142. 179. 192. 250. 372. 391. 629.
	19	95. 121. 129. 306.
	21	345.
	22. 23.	94. 221. 219. 704. 706.

Index locorum Scripturæ, quæ in Cenſuris

Cap.	verſic.	pag.
	24	414.
	26	135. 144. 171. 181. 228. 270. 284. 351. 369. 415.
	30	94. 436.
	39	26. 42. 232.
	44	582.
	45	108.
6	14	326.
	27	410.
	32	134. 286.
	35. 39.	286.
	37	497.
	38	422. 427.
	39	497.
	40. 57.	286.
	41. 42.	422.
	44	542. 561. 569. 581.
	50	422.
	51	424. 430.
	52. 53.	315. 414.
	56	177. 431.
	57	369.
	61. 62.	422. 427.
	63	424.
	69	369. 371.
7	16. 17.	77. 550.
	31	835.
	37. 38.	355.
8	12	405.
	16	77. 90.
	19	123.
	24	405.
	25	406.
	26	436.
	34	539.
	36	543.
	37	491. 565.
	39	410.
	41	391.
	44	81. 400. 548.
	47	500.

Cap.	verſic.	pag.
	54	119. 136.
	56	94. 408. 410. 603.
	58	403. 404. 405.
9	34	558.
	39	326.
	41	587.
10	4	858.
	7. 9.	734.
	11	627. 759.
	16	325. 397.
	18	597.
	25	285.
	26	498. 500.
	27	538. 858.
	28	186. 533.
	29	171.
	30	54. 110. 129. 130. 135. 160. 178. 200. 280. 285. 302. 306. 430. 706. 717.
	31	177.
	33	192.
	34. 35.	70. 142.
	36	130. 149. 341.
	38	169.
11	21	498. 581.
	24	700.
	25	135. 140. 144. 189. 289. 402.
	27	326.
	52	325.
12	23	410.
	32	325.
	34	409. 410.
	35. 36.	409. 410.
	37. 38.	420.
	40	89. 421. 526.
	41	119. 152. 420.
	44	211.
	45	183.
	46	326.
	49	307. 402.
	50	402.
13	3	360.
	18	514. 577

Cap.	verſic.	pag.
	18	514. 577.
	19	405. 406.
	22	70.
	35	330.
14	1	131. 134. 135. 222. 286. 710.
	2	255. 318. 524.
	3	6.
	6	41. 144. 182. 222. 402. 718.
	7. 11.	200.
	9	182. 333. 404. 706.
	9. 10.	67. 146. 170. 171. 174. 306.
	10	285. 430.
	11. 20.	177.
	16	97. 109. 433. 434. 437. 438. 763. 870.
	17	109.
	22	405.
	23	410. 431.
	26	109. 110.
	28	172
	29	404.
15	1	114.
	4	199.
	5	516. 616.
	13	621.
	15	42. 436.
	16	525.
	18	7.
	19	520.
	22	587.
	23	123.
	25	109. 433. 434. 437.
	27	404.
16	7	109. 433.
	8	109.
	12. 13.	42.
	13 14. 15.	109. 282.
	13	115. 433. 434.

Cap.	verſic.	pag.
		436. 440. 762.
	14	437.
	15	125. 227.
	17	433. 437.
	22	404. 427.
	23. 24.	710.
	28	254. 257. 326. 360.
	30	282.
17	2	286. 497.
	2. 6. 7. 8.	302.
	3	113. 122. 145. 148. 184. 705.
	3. 5.	300.
	5	142. 248. 344. 347. 411. 597.
	5. 10.	152.
	6. 9.	228. 497.
	9	869.
	10	120. 172. 217.
	11	171. 257.
	11. 21 22. 23.	169.
	12	514.
	17	171.
	18	326.
	19	318. 598. 599. 620.
	20. 21.	555.
	21. 22.	171. 178.
	22	415.
	23	172.
	24	411. 415. 497.
18	[illegible]	336.
	19	596.
	37	326.
19	2	370. 372.
	27	256.
	30	327.
	37	236.
20	6. 7.	316.
	17	140. 154.
	19	772.
	22	110.
	23. 24.	741.
	28	130. 139. 145. 163.

Cap.	verſic.	pag.
		666.
	29	14.22.
	31	371.
21	17	100.308.
	19	282.

Actor.

Cap.	verſic.	pag.
1	3	337.
	5	430.
	11	316.318.
	15	810.
	24	283.
2	4	431.821.
	10	226.
	12.16.	194.
	16.17.& *ſeqq.*	272.
	17	431.526.
	17.33.	297.
	21	445.
	24	142.341.623. 627.
	25.26.27.	272.
	25.34.47.	159.
	27	225.
	28	103.444.819.
	29	31.
	30	296.337.339.
	33	431.
	34.35.	297.
	36	719.373.
	38	107.789.791. 806.812.
	39	776.808.
	41	291.797.
	42	835.
	47	850.858.
3	12	282.285.
	13.15.16.	297.
	16	136.285.
	21	266.
	31	122.
4	11	149.
	12	282.297.603. 620.735.
	24.27.	157.
	28	485.515.
	32	217.829.
5	3	11.
	3.4.	97.197.114.
	31	286.297.
6	6	774.
7	2	155.404.
	14	291.
	19	149.
	32.35.	165.
	33	159.
	41	145.
	43	139.
	51	444.
	59.60.	297.
	59	668.
	60	453.
8	4	783.
	5	812.
	10	447.
	12	789.821.
	15	821.
	16	104.791.
	17	821.
	25	812.
	36	297.795.799.
9	4.5.	237.
	5.6.10.13.15.	297.
	9.10.	812.821.
	18	789.797.
	27	325.
	31	159.
	33	607.
	37	466.
10	6	149.
	16	100.149.245.
	25.16.	706.
	36.42.	297.
	38	387.
	42	283.
	43	733.
	44	281.

Digitized by Google

Anti-Volkelians occurrunt.

Cap.	verſic.	pag.
	44	281.
	47	797. 821.
	48	789. 791.
11	16	159.
	27	776.
	18	286. 599.
	28	136.
12	21. 27.	159.
13	3	419.
	7	298.
	32	341. 342. 365.
	33	298.
	35. 36.	31.
	39	602.
	43	564.
	46	494.
	48	44. 481. 492. 500. 510. 526. 565. 581.
14	11	139. 183. 334.
	12	189.
	14	245.
	15	298. 370.
	16	483.
	23	878.
15	9	493. 616.
	11	159. 603. 620.
	17	159.
	18	515.
	20	803. 807.
	24	771.
	28	77. 493. 771. 803. 807.
16	3	803.
	6	811.
	14	539. 562.
	15	789. 797.
	18. 31.	299.
	30. 33.	812.
	34	532.
17	10	811.
	11	26.
	18. 23. 31.	299.
	25	277.
	26	256.
	27	159. 666.
	28	260. 546.

Cap.	verſic.	pag.
	31	283.
18	6	494.
	10	497.
	23	811.
	25	789. 810. 811.
19	3	443. 789.
	5	299. 444. 791. 810.
	6	821.
20	7	772. 835.
	13	495.
	16	535.
	21	274. 801.
	27	197.
	28	139. 145. 293. 299. 301. 309. 319. 423. 433. 440. 595. 629.
	32	108. 188. 446.
21	25	771.
22	16	819.
23	8	385. 670.
	19	325.
26	2. 18. 23.	299.
	6	607.
	22	733.
	24	768.
28	25. 26.	89. 98. 114. 119.
	26	526.
	31	159.

Rom.

Cap.	verſic.	pag.
1	3	299. 305. 315. 318. 331. 337. 339.
	4	141. 196. 318. 331. 337. 342. 365. 424.
	5	343.
	6	90.
	7	159.
	15	77.
	16	15. 109. 357. 765.
	18	625.
	19	321.
	20	138. 197.
	24	515.

Digitized by Google

Cap.	verſic.	pag.
	24	515.
	25	154. 223. 245. 704.
	30	650.
	32	619. 630. 648.
2	16	283.
	18	811.
	20	196.
	24	29.
	28. 29.	338.
3	4	29.
	10. 11.	557.
	19	309. 617.
	24. 25.	369. 512. 618. 619. 621. 628. 642.
	25	303. 312. 638. 640. 642. 643. 644.
	34	641.
4	1	338. 620.
	3. 22.	601.
	6	601.
	11. 12.	407. 795. 804.
	13	255.
	25	309. 621.
5	6. 7.	621.
	7	625.
	8	627.
	9	647.
	10. 11.	135.
	10	627. 647. 649.
	12	504. 550. 552. 554. 598. 607. 627.
	13	609.
	15. 16.	612. 620.
	18. 19.	607. 612.
6	1. 4.	595.
	1. 15.	613. 617.
	3	104. 107. 466. 786. 791.
	8	621.
	14	620.
	16	539.
	21	607.
	23	843.
7	4	331. 589.
	14. 15.	589. 657.
	19. 20.	573.

Cap.	verſic.	pag.
	22. 23.	331. 591.
	24	6.
8	1	595. 647. 786.
	2	331. 538. 591.
	3	299. 315. 320. 602. 608.
	4	328.
	7	321. 494. 539. 527.
	8	331. 502.
	9	110.
	14	500.
	15. 16.	377. 390. 398.
	17	434.
	19	262.
	22	522.
	23	398.
	26	434. 546. 725.
	27	433. 437.
	28	265. 522. 527. 528. 730.
	29	367. 377. 485. 500. 512. 520. 528.
	30	485. 512. 528.
	32	132. 337. 347. 360. 390. 619. 621. 627. 629. 646. 648.
	33. 34.	9. 536. 697.
	34	719.
	37	136.
	38	71.
	39	565.
9	3	338.
	4	398.
	5	125. 132. 135. 139. 145. 172. 246. 299. 300. 301. 303. 305. 315. 324. 337. 339. 519. 666. 704. 744.
	7. 8. 9.	507.
	11	487. 501. 520.
	12	576.
	15	572. 582.
	16	500. 518. 520. 574. 582.

Digitized by Google

Cap.	verſic.	pag.
		574. 582.
	17	484. 516.
	18	572.
	20	29.
	21	491. 520.
	22	574.
	25	782.
	26	370.
	33	234. 607.
10	3	494.
	6	422.
	9	159.
	9. 10.	603. 795. 801.
	11	607.
	12	159.
	14	710.
	18	90.
	19.	574.
11	6	620. 618.
	8	526.
	12	607.
	13	574.
	20. 22.	575.
	23. 25.	574.
	29	44. 519. 522. 565. 868.
	34	92.
	35	483.
	36	126. 129. 130. 136. 260. 273.
12	1	275. 543. 632.
	10	632.
	14	199.
	18	535.
	19	674.
	20	661.
13	1	495. 848.
	2	444. 494.
	8. 10.	16.
	14	787.
14	6	250.
	9	247. 345.
	11	245.
	14	159. 772.
	15	621. 622.
	16	444.
	23	493. 497. 500.
15	4	806.
	8	135.
	11	159.
	12	607.
16	3	625.
	5	778.
	25	317.

I Cor.

Cap.	verſic.	pag.
1	1.	592.
	3. 9.	159.
	5	336.
	7	153. 336.
	13	104. 106. 592. 622. 789. 793.
	17	793.
	21	357.
	24	353. 357. 386.
	26	527.
	27. 28.	522. 564.
	30	135. 353. 357. 601. 604. 616. 628.
2	3	568.
	8	151. 224. 242. 309. 412. 423.
	9. 12.	22.
	10	92. 433. 434. 439.
	11	429.
	14	62. 290. 539. 568. 572.
3	1. 3. 4.	592.
	5	222. 561. 793.
	8	170.
	9	108.
	11	733.
	16	114.
	21	508.
	22. 23.	261.
4	1	77.
	4	139.
	5	383.
	6	712.
	7	23. 494. 495. 507. 543. 552. 571.
5	7	617. 631.
	19	114.

Digitized by Google

Index locorum Scripturæ; quæ in Cenſuris

Cap.	verſic.	pag.
6	9	493.
	11	569. 786.
	20	595. 613. 617. 628. 649.
7	4	328.
	12	803.
	14	395. 398. 798.
	15	319.
	25	159.
8	5	141.
	6	126. 129. 136. 146. 161. 666. 707.
	8	772.
	11	621. 622.
	16	145.
9	20. 22.	771.
	27	328.
10	2	104. 107. 311. 319. 444. 790. 832. 833.
	4	107. 419. 603. 817.
	9	119. 165. 241. 419.
	16	817. 818.
	17	815. 828. 829. 835.
	18	338.
	19. 20.	146.
	21	159.
	25. 27.	772.
	26	159.
11	3	155.
	5	170.
	7	184.
	23	789.
	24	817.
	26	832.
12	3	107. 159.
	4	114. 431. 440. 444. 447.
	4. 5. 6.	110.
	5	129.
	6	546.
	7. 11.	191.
	9	571. 828.
	11	111. 115. 431. 433. 434. 437. 440. 821.
	12	199.
	13	430. 815. 827. 828. 831. 835.
	14	328.
	28	450. 733. 780.
14	19	811.
	27	773.
	34	773.
15	3	621. 789.
	6	810.
	9. 10.	77.
	10	569.
	12	318.
	18. 19.	669.
	20	54. 368.
	22	504. 552. 598. 607. 608.
	24. 25.	695.
	27	154. 155. 251.
	29	465.
	30. 32.	669.
	47	422.
	50	315. 316.
	54. 56.	624.
	55	765.
16	2	772.
	9	778.
	15	495.

2 Cor.

Cap.	verſic.	pag.
1	4	607.
3	4	571.
	5	536. 596. 568.
	7. 8. 11.	319.
	17. 18.	114.
	18	65. 97.
4	3. 4.	35. 152.
	4	145. 183.
	5	159.
	6	561.
	7	321.
	13	828.
	15	591.

Cap.	*verſic.*	*pag.*
	15	591.
5	1. 2.	332.
	1	414. 413. 668.
	4	608.
	10	626.
	14	598.
	15	621.
	16	338.
	17	199. 252. 262.
	18	649.
	19. 20.	77. 266.
	19	135. 158. 312. 601. 641. 649. 650.
	20	78. 187.
	21	309. 327. 600. 604. 617. 621. 627. 628. 631. 638. 644. 646.
6	15. 16.	146.
7	1	814.
	11	320.
	15	568.
8	9	191. 303. 334. 335.
10	3	331.
	5	22.
11	5. 23.	27.
	7	495.
	15. 16.	526.
	31	154.
12	2	426. 668.
	4	426.
	8	100.
	11	27.
	18	338.
13	4	319. 346. 434.
	8	22.
	13	107. 111. 153. 161.

Galat.

Cap.	*verſic.*	*pag.*
1	1	130.
	8. 9.	77. 78. 712.
	16	317.
2	3. 5.	803.
	4. 5. 9.	77.
	7. 8.	741.
	17	130.
	20	616. 621.
3	9. 11.	324.
	13	601. 620. 621. 627. 630. 646.
	14. 15.	324.
	16	324. 376.
	19	254. 311. 641.
	27	104. 199. 787. 791.
	28	170. 325. 824.
4	1	849.
	4	192. 384. 597. 598. 601.
	5	398.
	8	123. 125. 137. 138. 145. 146. 245. 300. 344. 704. 708.
	19	196.
	22	507.
	23	340.
	29	340. 508.
5	2	771. 803.
	3	824.
	6	615. 617.
	10	159.
	16. 17.	550.
	27	331.
6	5. 8.	626.
	6	811.
	15	262.
	17	328.

Eph.

Cap.	*verſic.*	*pag.*
1	3. 4.	489.
	4	303. 524. 361. 411. 481. 489. 520. 521.
	5. 7.	309.

Cap.	verſic.	pag.
	5. 7.	309.
	5	398. 500.
	6	489.
	7	628. 630. 638. 642.
	10	263.
	11	487.
	14	414. 595. 814.
	17	22. 154.
	19	346.
	20	264
	21	263. 344. 719.
2	1. 2.	493. 548.
	2	11.
	3	377. 398. 500. 504. 550. 552. 554. 569.
	4. 5.	493. 504.
	5	524.
	8	510. 512. 539. 552. 570. 581.
	9	417.
	10	162. 258.
	12	493. 788.
	14. 15.	312.
	18	719.
	20	152. 733. 858.
	24	309.
3	3	317.
	5	152. 317. 733.
	8	77.
	9	262.
	10	322.
	11	487.
	12	136.
	15	338.
	16	591.
	17	177.
	19	122.
4	3	827.
	4. 5.	113.
	4	828.
	5	40. 803. 828.
	6	161.
	7	153.
	8. 9. 10.	238.

Cap.	verſic.	pag.
	9. 10.	422. 425.
	11	112. 739.
	12	733.
	14	569.
	17	569.
	17. 18.	497.
	18. 19.	548.
	20	199. 754.
	24	202.
	30	433. 434. 814.
5	2	152. 309. 617. 629. 630. 638. 645.
	8	493.
	25. 27.	786.
	26	816.
	29	657.
	30	635.
6	6	568.
	9	159.
	10	108. 446.
	12	11. 71.
	23	159.

Phil.

Cap.	verſic.	pag.
1	6	2. 532. 967. 574.
	15	318.
	18	581.
	21	471.
	22	331.
	23	493. 668.
	24	331.
	29	481. 570. 581. 728.
2	5. 7.	150.
	6	123. 132. 138. 142. 150. 155. 179. 281. 285. 306. 342. 360. 412. 597. 726. 744.

Cap.	verſic.
	6. 7.
	6. 1[illegible]
	7
	8
	9
	9. 1[illegible]
	11
	12
	13
3	3.
	9
	12
	20
	2[illegible]
4	[illegible]
	1[illegible]
	1[illegible]
1	
2	

6. 7

Cap.	*verſic.*	*pag.*
	6. 7.	290. 293. 303.
	6. 10.	300.
	7	334. 342. 412.
	8	620.
	9	270. 344. 704.
	9. 10.	172. 150. 248. 249.
	11	159. 224.
	12	567.
	13	43. 500. 520. 528. 531. 546. 561. 582.
3	3. 4.	338.
	9	318. 601. 604.
	12	607.
	20	153. 159. 266.
	21	286. 328.
4	3	517.
	10	607.
	19	319.

Coloſ.

1	14	428. 630.
	15	181. 347. 366. 368.
	16	136. 142. 263. 271. 307. 316. 401.
	16. 17.	155. 277.
	17	159. 269.
	18	54. 264. 368.
	20	263. 264. 641.
	27	198. 754.
2	3	282. 308. 355. 357. 402.
	6	138. 199.
	8	752.
	9	123. 143. 145. 166. 197. 238. 242. 299. 303. 313. 337. 388. 706.
	11	776. 798. 808. 816. 824.
	12	466. 824.

Cap.	*verſic.*	*pag.*
	14	634. 824.
	15	71. 347.
	16	772.
	17	197. 199. 637. 752. 754.
	23	710.
3	4	145. 153. 317.
	10	317.
	17	159.
	22	338.
	23	159.

1 Theſſ.

1	4	521.
	9	145.
	10	153.
3	5	11.
	7	607.
4	1. 17.	159.
	7	471.
5	2	159.
	8	481.
	9	491. 595.

2 Theſſ.

1	12	152. 159.
2	4	138.
	8	95. 151. 317.
	9	147.
	13	361. 521.
3	2	481. 509. 512. 570. 581.
	16	159.

1 Timot.

1	5	15. 615.
	15	326.
	16	607.

Digitized by Google

Cap.	verſic.	pag.
	22	774.
2	5	135. 139. 301. 308. 311. 641. 719.
	6	309. 628.
	8	772.
	9	621.
	11.12.	773.
3	15	239. 762. 868.
	16	33. 164. 166. 183. 191. 196. 200. 290. 313. 315. 316. 318. 321. 330. 333. 341. 346. 402. 416. 424.
4	1	272.
	4	450.
	10	278.
	14	129. 845.
	28	803.
5	17	780.
	21	152. 153. 159.
	22	803. 845.
6	1	444.
	9	335.
	14	151. 153.
	19	200.

2 Timot.

Cap.	verſic.	pag.
1	9	361. 411. 487. 524.
	10	81. 151. 317. 402.
	16	845.
2	8	337.
	11.12.	625.
	13	708.
	19	107. 445. 486. 538. 857.
	20	486.
	25	579.
3	5	193.
	8	441.

Cap.	verſic.	pag.
	12	625.
	15	559.
	16	19.
4	1	151. 153.
	8	153. 734.
	11	444.

Tit.

Cap.	verſic.	pag.
1	1	44. 481. 492. 510. 565. 581.
	3	317.
2	3	125.
	5	414.
	11	317. 595. 613.
	12.14.	613. 617.
	13	139. 151. 153.
	14	630.
3	3	569.
	4	317. 569.
	5.6.	786. 817.

Philem.

Cap.	verſic.	pag.
	2	778.

Heb.

Cap.	verſic.	pag.
1	1	254.
	1.2.	175. 183. 250.
	2	66. 113. 126. 154. 155. 228. 270. 273. 275. 276. 277. 335. 378. 402.
	3	95. 135. 136. 159. 181. 186. 347. 357. 367.
	3.5.	248.
	5.10.	28.
	5	363. 365.
	6	70. 141. 142. 243.

Anti-Volkelianis occurrunt.

Cap.	verſic.	pag.
		248. 276. 326. 367. 704. 706.
	6. 7.	194. 307.
	7	250. 284. 476.
	8	145.
	8. 9.	139.
	9	125. 154. 155. 191. 272. 373.
	10	136. 267.
	10. 11.	235. 316. 399.
	12	233. 399.
	14	716.
2	1	627.
	2. 5.	254.
	4	431.
	5	276.
	7	70. 766.
	7. 9.	142. 366.
	9	194. 270. 297. 416. 623.
	10	130
	10. 13.	122.
	11. 14.	170.
	11	322. 377. 635.
	12. 13.	710.
	12. 13.	710.
	14	11. 196. 315. 322. 627. 764. 423.
	16	200. 322. 324.
	17	315. 642.
	18	608.
3	2	258.
	4	255.
	5	736.
	5. 6.	16. 194.
	6	153.
	12	3
	16	419.
4	2	539.
	15	315. 320.
5	1	377.
	5	149. 298. 342. 365.
	11	78.
	14	851.
6	4	825.
	9. 11.	78.
	12	188.
	16	662.
	18	542.
	19	524.
	20	6
7	5.	362. 365.
	9. 10.	607.
	14	619.
	22	637.
	24. 25. 26.	223.
	25	719.
	26. 28.	635.
8	1. 2.	638.
	2. 11.	159.
	3	632.
	4	639.
	6	637. 641.
	9	325.
9	4	609.
	5	643. 644.
	9	634. 637.
	10	788. 796.
	12. 13. 14.	327. 632.
	12	595. 629. 639.
	13	633. 634. 635. 796.
	14	318. 331. 337. 339. 343. 617. 629. 631. 647.
	17	607.
	18	634.
	19	15.
	22	327. 620. 631. 640. 642.
	24	640. 798.
	25. 26.	327. 638.
	26	317. 647.
	28	153. 327. 631.
10	1. 2. 3.	634. 637.
	5	194. 326.
	5. 10.	627. 632.
	10	328.

Digitized by Google

Index locorum Scripturæ, quæ in Cenſuris

Cap.	verſic.	pag.
	10	328. 631.
	12	327.
	14	327. 631.
	20	327.
	25	850.
	29	434.
	34	414.
11	1	49.
	3	66. 275. 276. 279. 327.
	4	552.
	6	40. 497.
	7	554.
	8. 9.	341.
	13	561.
	16	334.
	17	325. 541.
	25. 26.	15. 16.
12	2	233.
	9	318. 331. 338. 494.
	16	504.
	23	671.
	24	630. 645. 796.
13	8. 9.	233. 404. 603. 620. 678.
	10	830.
	12	629.
	15	632.
	20	759.
	28	78.

Jacob.

Cap.	verſic.	pag.
1	1	159.
	12	734.
	15	215.
	17	86. 131. 648. 715.
	18	263. 364. 377. 396.
2	5	529.
	14	615.
	18	614. 617.
3	2	585.
	6	328.
4	6	494.

Cap.	verſic.	pag.
	7. 10.	494.
5	6	494.
	7	607.

1 Pet.

Cap.	verſic.	pag.
1	1. 2.	522. 796.
	5	519. 565. 574.
	11	101. 282. 417. 475.
	12	318.
	15	178.
	18	628. 630. 634. 649.
	20	55. 317.
	21	222.
	23	377. 870.
	24	291. 315.
2	4. 5.	736.
	5. 6.	632.
	6	234.
	8	491.
	14	136. 309.
	21	624.
	24	377. 617. 627. 631. 635. 638. 647.
3	1	812.
	18	305. 309. 315. 318. 322. 331. 337. 343. 346. 413. 424. 475. 626.
	19	101. 343. 424. 475. 626.
	20	478. 554.
	21	801.
4	1	595. [illegible]
	2	332.
	6	477.
5	4	734. 759.
	5. 6.	494.

2 Pet.

Cap.	verſic.	pag.
1	10	481. 522.

11 538.

Cap.	*verſic.*	*pag.*
	11	538.
	13. 14.	332.
	19. 20.	36.
	21	19. 106.
2	1	157.
	2	444.
	14	541. 658.
	19	537.
3	4	476.
	5	66.
	13	255. 277.
	16	35. 617.

1 Joh.

Cap.	*verſic.*	*pag.*
1	1	22.
	1. 2.	144. 317. 402.
	3	146.
	7	640.
	8. 9.	585.
2	1	719.
	2	9. 235. 303. 309. 311. 312. 617. 621. 631. 640. 644. 646.
	2. 3.	123.
	4	124.
	5. 6.	177.
	8	144.
	19	535. 868.
	23. 24.	146.
3	2	153. 398. 402.
	3	607.
	7	614.
	8	317.
	9	565. 584. 870.
	10	377. 519. 786.
	15	414. 657.
	16	621. 624.
	24	177.
4	1	851.
	2. 3.	315. 319. 329. 372.
	4	858.
	6	500.
	7. 8.	124.
	9	330. 471.
	10	641. 646. 648.
	13. 15.	177.
	14	286.
	16	330.
5	1. 3.	342.
	6	96. 434.
	7	55. 62. 94. 95. 110. 116. 123. 126. 132. 162. 430. 433. 445. 447.
	8	170. 832.
	11. 12.	144.
	12. 13.	114.
	20	120. 124. 125. 132. 139. 141. 144. 286. 300. 303. 337. 704. 759.
	21	710.

2 Joh.

Cap.	*verſic.*	*pag.*
	3	159.
	7	149. 330. 372.

3 Joh.

Cap.	*verſic.*	*pag.*
	11	124.

Judæ.

Cap.	*verſic.*	*pag.*
	3	44. 565.
	4	113. 123. 156. 159. 482.
	5	417.
	23	4. 316.

Apoc.

Cap.	*verſic.*	*pag.*
1	1. 7. 11.	161.
	1	284. 287.
	4	230.
	4. 5.	161.
	4. 8.	162.
	5	54. 367.
	6	632.
	7	236.
	8. 11.	129. 399.
	11	153.
	13	287.
	17	230. 232.

Digitized by Google

Index locorum Scripturæ, quæ in Cenſuris

Cap.	verſic.	pag.
	17	230. 232.
2	1	153.
	7	81. 416.
	8	161.
	10	144.
	17	416.
	23	283. 308.
	26	416.
3	4	519.
	5	517.
	4. 5.	674.
	7. 14.	144. 563.
	12	155. 446.
	13	162.
	14	263.
	17	336.
	18	335. 336.
	21	161. 162. 416.
4	8. 11.	97. 98. 162.
5	9	309. 325. 628.
	10	632.
6	2	607.
	8	764.
	9	453. 668. 673.
	10	157.
	11	675.
7	14	675.
	17	759.
8	3	632. 719.
	3. 4.	719.
9	1. 2.	765.
10	1	422.
11	7	765.
	8	517.
	19	243. 302.
12	1	734.
	3	154.
	19	9.
13	1	517.
	6	444.
	8	603. 640. 678.
14	7	260.
	13	463. 668. 674.
17	8	517. 765.
18	4	871.
	13	291. 328.
19	10	165. 245. 284. 706.
	11	144.
	13	187.
	16	128. 142. 159. 355.
20	12	517.
	14	472.
	15	519. 632.
21	4	166.
	6	161. 230.
	14	734.
	22	159.
	27	517. 519.
22	2. 14.	144.
	4. 14.	81.
	8. 9.	165. 245. 271. 706.
	9	284.
	13	129. 161. 230. 231. 233.
	19	519.
	20	153.

Apocryph:

Sap.

18	1	193.

Ecclesiaſt.

4	32	325. 326.

Baruch.

3	3. 37. 38.	333.

Digitized by Google

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM
quæ in Cenſuris Anti-Volkelianis hoc tomo tertio continentur.

A.

A. & ω. rei eſſe, & tamen merè miniſterialiter ad eam ſe habere repugnat, 232.
Aaron quomodo erat vice oris Moſi, 70.
A principio quid notet, 379.
Abeſſe Deum longiſſimè à ſe invocantibus vitioſè dicitur, 666.
Ablutio non ſemper requirit immerſionem, cùm poſſit etiam aſperſione fieri, 796. Abluendi verbum cùm ad peccata refertur, ſignificat non propriè dictam, ſed figuratam ablutionem, 820.
Abraham quomodo viderit diem Chriſti? 94. obedientia ejus qualis fuit? 541. quomodo dicitur fuiſſe poſt Chriſtum, 403. 404. 405. 406. 407. Pater multarum gentium quare dicitur, 407.
Acceptilatio quid? 601. in noſtra juſtificatione locum non habet, 603.
Accidens idem numero, diverſis numero ſubjectis convenire nequit, 229.
Accipere aliquid à Patre, quo ſenſu de Chriſto dicatur? 270. non obeſt ejus coëſſentialitati cum Patre, ibid. 302.
Actiones ſunt ſuppoſitorum, quomodo intelligendum? 413.
Actualis donatio gratiæ poteſt ſtatui ab æterno, 524.
Adamo & Evæ quomodo oculi aperti dicantur, 82. 83. Adami poſteri etiam ipſo ſtante, non fuiſſent exempti à labendi periculo, 549. erat ſtirps totius generis humani, ibid. proinde habitualem corruptionem quam contraxit ſuo peccato, propagat ad poſteros vi generationis, 550. 551. neque poſt lapſum vires benè volendi & benè agendi in illo remanſerunt, 551. tranſgreſſio ejus fuit naturalis, ibid.
Addere vel minuere de præceptis Dei quid? 713.
Adhortationum Dei quis finis eſt? 531. ſunt officii noſtri norma, 531. 546. 582.
Adiaphora quænam? 712.
Admonitiones ad perſeverandum, non oſtendunt defectibilitatem electorum, 868.
Adonai cum Camez, ſoli Deo proprium, 71. 244. nunquam abſolutè de uno aliquo homine uſurpatur, 72. Propriè quid ſignificat? ibid. Adon in plurali uſurpatur per enallagen numeri, 73. 76.
Adorationis religioſæ objectum eſt ſolus Deus, 224. 245. 704. 719. adoratur autem quia habet immortalitatem originaliter, eſſentialiter &c. quæ nulli creaturæ competere poteſt, 245. 705. Adorationis jus cui competit, naturâ Deus eſt, 245. 246. Adorato filio, pater adoratur, 706. Errat Volkelius, qui mandatum de ſolo Deo adorando ad tempora Vet. Teſt. reſtringit, 706. & ſeqq. Chriſtus non excludendus ab adoratione Patris, 707. Adoratio quæ præcipitur primo Decalogi præcepto Chriſto quoque tribuitur, 708. Omnes ex mandato ipſius ad Dei adorationem tenentur, 711. 712. 715.
Adoptio quid? 397. non præcurrit prædeſtinationi, 450. non poteſt eſſe ratio perfectior generationis eâ, per quam quis filius naturalis conſtituitur, 397.
Advocati diſtincti à Patronis, 438.
Ædificii unius duplex fundamentum fingere, eſt monſtroſum, 745.
Æqualitas Filii cum Patre in Trinitate non eſt reſtringenda ad operum tantùm ac virtutis & poteſtatis ſimilitudinem, 180.
Æternitatis Pater Chriſtus, 276. 347. 348. 403. quare, ibid. Æternitas ſub imagine temporis concipitur, 163. in eam non cadunt partes & differentiæ, 163.
Agere & operari ut quod, quid ſit, 433.

Ἀληθινὸς, & ἀλήθεια, *Chriſti ſunt epi-theta*, 141.
Ἀναμαρτησία *regenitis non competit*, 584. 585. 586.
Angelus *eſt ſubſtantia cogitans*, 348. *intellectio Angeli eſt ſimul naturâ & tempore cum ipſo*, ibid. *Angeli ſunt filii Dei*, 384. 395. *Cur non generentur*, 393. *poſſunt dici præditi imagine Divinâ*, 384. *nomen Elohim in communi ipſis tribuitur*, 72. *non ſunt conſulti ſuper creatione primi hominis*, 75. 79. *nec eos alloquutus eſt Deus, cùm homini miſeriam ſuam exprobraret*, 84. *ipſorum operâ hominem è Paradyſo non ejecit*, 85. *nec linguas confudit ipſorum ope*, 84. *Chriſtus eſt conditor ipſorum*, 271. 257. 260 *eum adorant*, & *quare*, 271. *ſubjecti ſunt Chriſto*, 266. *ſubjectio iſta eorum renovatio dici nequit*, ibid. *Angelus qui Manoæ apparuit erat increatus, quod probatur*, 70.
Anima rationalis, *eſt ſubſtantia cogitans*, 453. *eſt immortalis*, 668. 726. & ſeqq. *Socinianorum contraria argumenta refutantur*, 669. & ſeqq. *vivit propriè poſt ſeparationem à corpore*, 453. *regno & gaudio cœlorum non excluditur ante reſurrectionem*, 454. 456. 674. & ſeq. *triumphat cum Angelis in cœlo*, 674. *ſumitur aliquando pro tota perſona*, 475.
Animalem & carnalem *dici hominem coincidunt*, 592.
Animus *liber quomodo in noſtra poteſtate*, 543.
Ἀντὶ *particula ſubſtitutionem quoque notat*, 621.
Antiqui *quorum meminit Chriſtus in ſermone in monte, quinam ſint*, 627.
Aperire *in ſcriptura quid notat*, 563.
Apollos *quomodo dicatur tantum ſciviſſe baptiſma Iohannis*, 782.
Apoſtoli *Spiritum S. plenè habuerunt ſibi communicatum*, 197. *habuerunt proinde plenam Divinæ voluntatis notitiam*, 197. *rationem Dei colendi perfectè propoſuerunt*, ibid. *nunquam à formula baptizandi, ſibi à Chriſto præſcripta, receſſerunt*, 789. & ſeq.
Aptitudo *nulla eſt in hominibus ad diſcipulatum* Chriſti, *ante vocationem*, 497.
Arbitrium *humanum quam labile*, 532. *poſt peccatum potius ſervum quam liberum dici debet*, 539. *quomodo à voluntate poteſt diſtingui*, 541. *arbitrii vires evertit Paulus*, 582.
Arbor *ſcientiæ boni & mali ab eventu ſic dicta*, 81. *non habuit vim rationem accelerandi*, 82.
Arbor *vitæ erat ſacramentum immortalitatis tantùm*, 81. *cur* Chriſtus *ita appelletur*, ibid. *cur ab eâ Adamum prohibuerit Deus*, 83.
Arcæ *fœderis introitus in templum quid præfiguraverit*, 242
Arma *offenſivè non ſunt ſumenda contra veritatis inimicos*, 723.
Articulus *Græcò nomini* Θεῦ *præfixus, non ſemper ſummum Deum notat*, 139. & *cùm illum notat non ſemper præfigitur*, 138. *quin & cum Chriſto tribuitur præfixus ſæpè legitur*, 139. *ejus verò vis per pronomina* μȣ, & ἡμῶν *non infringitur*, 140. *in nomine verò* κύριος *omiſſus, non ſtatim Deum ſummum notat*, 159. *uno articulo duo plerumque ejuſdem ordinis exprimi ſolent*, 152. *maximè cùm Deo & Chriſto unus tantum tribuitur*, ibid.
Aſcenſio *Chriſti in cœlum qualis*, 425. 427.
Aſſenſus *qualiſcunque Divinæ diſciplinæ non ſufficit ad homines conſtituendos in ordine efficac ter vocatorũ*, 524. *noſter aſſẽſus quomodo ſe habet ad Dei gratiã*, 568.
Aſpectus *vitioſi prohibiti*, 658.
Aſſumi in gloria & *in gloriam non differunt*, 310. *diſcrimen aſſignant inter ea perperam adverſarii*. ibid *quo fine*, ibid. *utrumque competit Chriſto*, ibid. *quando illa aſſumptio in gloriam facta*? 320.

Aſtrologi

Aſtrologi *Iudæorum quomodo vocant ſigna zodiaci*, 33.

Attributorum Divinorum *pluralitas non repugnat unitati Eſſentiæ Divinæ*, 59. *Attributa eadem eſſentialia arguunt eandem naturam & eſſentiam*, 334. *ea ab eſſentia ſaltem ratione diſtinguuntur*, 185. *in nullam poſſunt cadere creaturam*, 689. 704. 710. 711. 712. 719.

Auguſtinus *habetur à Volkelio pro genuino veræ Chriſti Eccleſiæ membro, licet cordatè Patriarchis Socinianorum ex S. Scriptura in os reſtiterit*, 720.

Auris Chriſti *perforata cur dicatur*, 194.

Auxilium gratiæ *Volkelius cum Pelagianis rejicit*, 532. *& ſubjicit hominis voluntati*, ibid. *eſt perquam neceſſarium ad præconium externum*, 539. *ſiquidem hoc ſine illo nihil efficere poteſt*, 546. *non conſiſtit in illuminatione theoretica, ſed practica*, 547.

B.

Baal, *Idolum ſignificat*, 72. *in plurali nunquam abſolutè dicitur, ſed tantum cùm ex Idolis Iudæorũ agitur*, ibid. *In* בעלי *ſæpè* Jod *redundat, & æquipollet* τῷ בעלו *Bagnalo, quod probatur*, 72. 73.

Balaami *inobedientia unde?* 541.

Βάπτειν & Βαπτίζειν, *quid ſignificant?* 796.

Baptiſmus *utpote Inſtitutionis Divinæ non debet nec poteſt adiaphoris annumerari*, 771. 803. *antiquiſſimis Chriſtianis habitus eſt pro reali Confeſſione S. S. Trinitatis*, 10[illegible]. *eſt Sacramentum initiale fœderis Euangelici*, 776. *quid ſit propriè*, 786. *quam variè ſumitur*, 789. *nunquam uſurpatur pro baptiſmo luminis*, ibid. *eſt initiatio ad Chriſtianiſmum & nota Chriſtianiſmi*, 790. 812. 824. *citra Baptiſmum nullus eſt admiſſus ad Eccleſiam per Apoſtolos*, 785. *ſucceſſit Circumciſioni*, 808. 824. *ritus illius non ſunt introducti per Iohannem privatâ ipſius authoritate*, 772. 788. *adminiſtratus olim fuit ab ipſis Apoſtolis ſub hac formula, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*, 791. *Forma ejus eſſentialis non eſt ſita in voto*, 797. *lavacrum regenerationis quare dicitur*, 817. *non eſt merum ſymbolum profeſſionis fidei*, 807. *quid obſignet & ſignificet?* 785. 786. 788. *obligat omnes homines ad vitæ innocentiam*, 823. *quomodo per baptiſmum conſepelimur Chriſto & ipſum induimus*, 785. *quomodo nos ſervare dicitur*, 798. *eſt militiæ noſtræ teſſera*, 830. *non ſolum pertinet ad adultos ſed etiam ad infantes*, 776. *non ſolùm immerſione olim peragebatur, ſed & aſperſione*, 796. 797.

Baptiſmi ſuſcipiendi obligatio ſpectat omnes omnium temporum homines, qui Chriſto nomen dant, 804. 805. 808. *eſt neceſſarius neceſſitate præcepti non medii*, 789. 795. 830. *Contemptus ejus non privatio damnat*, 795. 813. 822. 830. *Baptiſmus Spiritus & aquæ quomodo invicem opponuntur*, 815. 825. *Baptiſmo nihil decedit honoris, eo quod inſtitutus ſit ad quoddam imitamentum cæremoniarum Iudaicarum*, 788.

Baptizari *in aliquem, & in nomen alicujus, non ſunt idem*, 107. *quid ergò differant*, 105. *in nomen alicujus baptizari cultum illius religioſũ importat*, 106. 107. *Baptizari* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν *quid ſit*, 465. *Baptizari in uno ſpiritu, quid*, 815. *baptiſmus in uno ſpiritu & potatio in unum ſpiritum, ſunt ſynonyma*, ibid. *Baptizari in Iohannis baptiſma quid*, 443.

Baruch *liber Apocryphus, & quare*, 343.

Beth Din *Rabbinis quid ſignificet*, 75.

Beneficium *invito & nolenti non datur*, 615.

Blaſphemia *& blaſphemari quid*, 443. 444. *res, quæ non ſunt perſonæ, di-*

cuntur ſemper. blaſphemari per reſpectum ad Deum, ibid.

Bona opera *unde fluunt*, 513. *quomodo dicuntur fieri à nobis*, 545. *ſunt neceſſaria ad ſalutem*, 613. 616. *non tamen iis juſtificamur*, 613. 614. *ſunt via ad regnum*, 513. *præcurrunt ſaluti non electioni*, 521. *quo fine Deus ea à fidelibus exigat*, 615. *qui bonorum operum neceſſitatem ad ſalutem non admittunt, ea tamen à fide non ſeparant*, 616.

Bonitas *quo ſenſu Chriſto conveniat*, 289. *non eſt ejuſdem ordinis cum bonitate creaturarum*, ibid. *illi propria*, 288.

C.

Caput Chriſti *quomodo Pater dicatur*, 155.

Caro *ut hoſtis eſt, quid in ſcriptura ſignificat*, 5. *Carnis & concupiſcentiæ motus primi difficulter reprimuntur*, 6. *Carnis ſignificatio in ſcriptura varia*, 315. 316. 321. *Caro & ſpiritus quid in Chriſto notent*, 346. *aliquando naturam humanam ſignificat*, 338. *Chriſto tribuitur*, ibid. *non qualitativè ſed ſubſtantivè*, 315. 321. *Carnem & ſanguinem aſſumere idem eſt quod naturam humanam aſſumere*, 323. *probat duas in Chriſto naturas*, ibid. *in carne venire quid?* 330. *non eſt idem quod cum infirmitate carnis venire*, ibid. *aut acerbam mortis crucem experiri*, ibid. *in carne venire, manifeſtari, factum ex patribus ſecundum carnem, ſunt ſynonyma*, 320. 321. *in carne vivere ſeu ambulare aliquando idem quod affectibus vitioſis obſequi*, 331. *in carne militare, quid*, 332. *in carne confidere quid ſignificet*, 338. *Carnis & ſpiritus oppoſitio eſt varia in ſcripturis*, 339. 331. *quid utraque ſignificet*, 331.

Κατηχεῖν *quid notat*, 811. *Catechumeni, quinam erant*, ibid. 812.

Ceremoniarum *abrogatio per Chriſtum pertinuit ad tria ejus officia*, 452. 685.

Certitudo *electionis ſubjectiva, non debet confundi cum certitudine objectiva*, 538. *diſcrimen quale ſit inter hæc duo oſtenditur*, ibid.

Χειροθεσία *olim in primis Diaconis uſurpata, an poſtea uſurpata fuerit, dubitatur*, 774. *non debet in ordinatione Paſtorum, adiaphoris annumerari*, 830. *cum* χειροτονίᾳ *conjungenda eſt*, 878.

Chriſtus *an ſemper notet perſonam* Θεάνθρωπου, 198. *nunquam ſumitur pro ipſius doctrina, oppoſitè ad ipſius perſonam*, 754. *debet conſiderari vel Theologicè vel Oeconomicè*, 303. *cur ea conſideratio ſit neceſſaria*, ibid. *Angelis eſt præſtantior*, 269. *quæ præſtantia non arceſſitur à tempore quo conſedit ad dextram Dei Patris*, 270. *eſt principium opificii*, 368. *primogenitus creaturarum*, 366. & ſeqq. *erat in principio*, 251. 252. 400. 402. 403. 404. 405. *non tantum reparavit & refecit, ſed fecit etiam homines*, 257. *Angelorum quoque creator eſt*, 259. 260. *non tamen ipſorum mediator*, 260. 261. *quo ſenſu omnia per ipſum facta dicuntur*, 252. *Fuit Deus Iſraelis*, 110. *Deus benedictus in ſecula quo ſenſu dicatur*, 342. 344. 744. *num ita dicatur ſecundum ſanctificationis ſpiritum*, 343. *quomodo eſt ex Patribus ſecundum carnem*, 342. *non eſt tantum divinus homo, ſed verè* Θεάνθρωπος, 681. *Cur?* 54. 309. Divinitas *ejus probatur*, 109. 161. 163. 167. 179. 181. 190. 197. 221. 228. 234. 238. 245. 251. 259. *vindicatur*, 164. & ſeqq. 171. 172. ſeqq 182. 183. ſeqq. 187. 188. 191. 197. 221. ſeqq. 229. ſeqq. 241. 245. 251. ſeqq. 259. 260. 685. 691. & ſeqq. Æternitas *ejus probatur*, 347. 403. *quæ non obſtat ejus præordinationi in redemptorem noſtrum*, 55. *nec mors ipſius quicquam præjudicat æternitati ejus*, 232. *eſt* Filius Dei

proprius

proprius & naturalis, non ex adoptione & gratia, 179. Unigenitus, 374. 375. nec ita dicitur ob miraculoſam conceptionem, 380. 396. longè excellentiori modo Deus dicitur quam alii qui Dii vocantur in ſcriptura, 174. 175. 176. Generatio ejus hyperphyſica, 347. æterna, 348. 349. 350. 359. confertur cum ſole, ibid. eſt univoca, 348. eſt Patri coëſſentialis, 179. tota Patris Eſſentia etiam eadem numero ipſi eſt communicata, 350. 351. unus cum Patre, 54. 169 & ſeqq. 694. 712. cujus fundamentum eſt æterna ejus generatio, 180. unio ejus cum Patre non eſt ſaltem myſtica & fidei, 171. ſed eſſentialis, 169. & ſeqq. Alius eſt à Patre non aliud, 709. Eadem facit quæ Pater, 697. quo ſenſu negat ſe quicquam à ſe ipſo operari, 180. 250. quomodo interdum ſe diſtinguit à Deo, 121. 122. Diſtinguitur à Patre cum perſonaliter, tum naturaliter, 133. apparuit etiam Abrahamo, 93. miſſionem ſuam adſcribit Iehovæ & Spiritui ejus, 101. Gloriam habuit à jactis mundi fundamentis, 411. 412. non per prædeſtinationem, ut vult Socinus, 413. 414. 415. hanc Eſaias vidit, 420. 421. eſt primogenitus omnis rei conditæ, 181. quomodo eſt imago Patris ſui, 182. 366. dicitur ſic, non præciſè reſpectu humanitatis, 185. ſed quia eſt Filius Dei, per generationem non per reſurrectionem, 341. 372. 382. 382. 392. ſubſtantivè, 374. 377. non poſt primam ſuam nativitatem, eſt genitus à Deo, 396. 397. 398. Chriſtum eſſe imaginem Patris ſui & Deum inviſibilem, non pugnant, 183. ut & unctum eſſe, & Deum eſſe altiſſimum, 191. Omnia ipſi ſunt ſubjecta, 228. 344. etiam Angeli, 255. eſt Omniſcius, non quod raptus fuerit in cœlum ut Paulus ut ea quæ doceret audiret, 427. eſt ipſiſſima ſapientia, 353. increata, 354. Eſt vita, 402. petra, 419. via quâ itur ad Patrem, 720.

Theologicè conſideratus eſt λόγος Dei æternus, 251. poteſt dici λόγος Elohim & cur, 66. quare de ſe ipſo in plurali loquitur, 77. Conſilium ipſius unum idemque eſt cum Patre, 171. non ob ſolum munus Propheticum λόγος dicitur, 186. 188. 189. eſt abſolutè primus & ultimus, 231. eſt Angelus fœderis, 165. ultio & retributio, 163. quomodo eſt poſitus in caſum & reſurrectionem, 526. quo ſenſu dicatur in mundum veniſſe, 256. 257. quomodo illuminat omnem hominem venientem in mundum, 256. non omnes illuminat ſupernaturaliter, ibid. Miſſio & ſanctificatio Chriſti non eſt cauſa eſſendi ſuæ divinitatis & filiationis, ſed cognoſcendi, 175. Exinanitio non tollit ipſius divinitatem, 191. 344. 412. quomodo ſe exinanivit, 191. quomodo fuit in forma Dei, 179. non duxit rapinam Deo æqualem eſſe, 192. 196. realiter non δοξαςικῶς & apparenter aſſumſit formam ſervi, 196. quomodo & quando eam aſſumſit, 195. tàm verè ipſi convenit forma Dei, quàm forma ſervi, 144. μορφοῦσθαι quo ſenſu dicatur, 196. Miracula aliter patravit quam Moſes & Prophetæ, 250. non fuit eorum inſtrumentum Morale ſed cauſa principalis, 250. quod arguit eſſentiæ & naturæ cum Deo Patre identitatem, 250. Chriſtus cum Patre eſt fidei noſtræ unicum & adæquatum objectum, 199. 201. eſt caput & frater fidelium, 237. in quo ſufficientiſſimè habemus quicquid requiritur ad ſalutem, 752. eſt ſupremus Paſtor ſuarum ovium, & quare ita vocatur, 759. Spiritum S. accepit ſine menſura, 198. eſt Servator noſter principalis, non ſecundarius & miniſterialis, 201. ſalus & ſalutare Dei, 201. ſalutem nobis non tantum annunciavit, ſed etiam confecit, & acquiſivit, 233. Mors mortis quare dicitur, 623. ſuſtinuit pœnas nobis debitas, 621. 623. Mortuus eſt

pro

pro nobis ſubſtitutivè, quod probatur, & vindicatur, 621. 622. & ſeqq. *quomodo ſanguine ſuo dicatur redemiſſe Eccleſiam*, 629. *reconciliavit nos Deo*, 649. Propitiatio *pro peccatis dicitur*, 647. Propitiatorium, 642. *num per reſpectum ad operculum arcæ*, 643. *Mors ejus eſt ſacrificium Deo gratum*, 630. Oblatio *quomodo dicatur*, 638. *ingreſſus ejus in ſanctuarium qualis*, 639. Meritum *ipſius probatur*, 595. *vindicatur*, 600. 601. & ſeqq. *ſibi ipſi nihil meritus eſt*, 596. 597. *quid ſuis eſt promeritus*, 596. *ſponte legi pro hominibus fuit obnoxius*, 597. 599. *quomodo factus eſt ſuis ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemtio*, 605. *juſtitia & obedientia ejus non imputatur toti generi humano*, 611. *ſatisfactio ejus non ponit fideles extra ſtudium bonorum operum*, 515. 517. *eſt gratia & veritas*, 620. Exaltatio *ipſius qualis*, 341. Regnum *quale*, 471. *quomodo dicatur vivificatus ſpiritu*, 475. *ad ſuam reſurrectionem non habuit ſe merè paſſivè*, 54. *ejus vis & Patris virtus non ſunt opponenda*, 55. *præconium ejus ad ſpiritus in carcere quale*, 475. 476. *eum & ejus doctrinam repudiare non ſunt diſtincta*, 491. *ad eum ut lapidem impingere & eo conteri, quid?* 492. Aſcenſio *in cælum facta eſt propria ipſius virtute*, 238. *triumphus ei longè nobiliori modo competit quam arcæ fœderis*, 243. *eſt etiam nunc* advocatus *noſter qui pro nobis intercedit*, 9. Dominium *ipſius quale*, 445. *non fundatur in ipſius morte, nec eſt merces & præmium ejus*, 247. *ſupponit ejus divinitatem*, ibid. *ne nunc quidem deſtituitur carne & ſanguine, quod Sociniani volunt*, 857. *Chriſtus authoritatem ſuam & potentiam aliis non communicat*, 194. *opponitur interdum idolis*, 146. *appropriantur ipſi διακονίαι in Eccleſiâ*, 111.

Ciceronis *quædam loca ubi de ſe in plurali loquitur, explicantur*, 91. *ex ipſius ſtylo de phraſiologia S. Scripturæ non eſt judicandum*, ibid.

Circumciſio *eſt abrogata divinitùs, & quomodo*, 771.

Clinici *quinam vocabantur*, 465.

Cœli *& terræ creatio tribuitur Chriſto*, 267. 271. *ſimiliter eorundem abolitio*, ibid.

CœnaDomini: *quomodo in ea dicitur edi & bibi corpus & ſanguis Chriſti*, 243. *in ea debet diſtingui qui panem Domini, ab eo qui panem Dominum ſubminiſtrat*, 814.

Cognitio *Dei practica ſalutaris demum eſt*, 124. 185. *eſt in cœlo potiùs apprehenſiva quàm comprehenſiva*, 185. *convenit multitudini credentium in abſolutè neceſſariis ad ſalutem*, 762.

Columbæ *ſpecies ad Iordanem verè apparuit*, 442. *non fuit ignea*, ibid.

Communicatio *in Divinis non implicat contradictionem*, 59. idiomatum *communicatio quid infert in Chriſto*, 224.

Communitas *omnium infert communitatem naturæ*, 227. 228. *communitatis inter primos Chriſtianos fundamentum erat triplex*, 227.

Compoſitio *in Deum ex ſubjecto & accidentibus non cadit*, 60.

Conceptio *Chriſti qualis*, 380. *fuit ab Angelo annunciata*, 386 *non facit ut per eam Deus ſit*, 341. 380. 396.

Conditio *divina infert naturam atque eſſentiam divinam*, 195. *ſervilis infert ſervilem*, ibid.

Confeſſio *auricularis*, 448. *non ſemper tenemur ad actus confeſſionis poſitivos*, 877.

Conjunctio *Filii cum Patre qualis*, 218 *non conſiſtit in conſenſu voluntatis ſolùm ſed etiam in identitate eſſentiæ*, 160 ſec

Conſervatio, *portandi vocabulo quandoq in ſcriptura exprimitur*, 276. *ſignific idem quod gubernare, regere*, ibid. *opus ſolius Dei*, 277. *tribuitur Chriſt* ibid. *quo ſenſu*, 279. *exinde benè pr batur ejus divinitas*, ibid.

Conciliu

Conſilium Dei eſt ipſius decretum, 515. de electis ſervandis non eſt aliud quid ab electione, 524. non poteſt irritum reddi, 34. de homine creando, non inibatur cum creaturis, 74. nec cum Angelis, 75. 80. ſed cum Filio & Spiritu S. 92.
Converſio eſt opus ſolius Dei, 542. eſt irreſiſtibilis, 22. fit ſuaviſſimè & efficaciſſimè, 566. citra coactionem, 567. non eſt præmium virtutis, ſed cauſa pietatis conſequentis, 23.
Cordium & renum ſcrutatio nulli creaturæ convenit, 282. 283. Chriſto tribuitur, 281. 282. unde habeat, 283. argumentum eſt divinitatis Chriſti, ibid.
Corpus accipitur in ſcriptura pro homine toto, 197. 328. quandoque ſignificat naturam humanam Chriſti, ibid. probat incarnationem ejus, 326. adaptare corpus quid ſignificet, ibid. ſimilitudo hæc unde deſumpta, 327. 328. Chriſti corpus mortale fuit, ibid. immortale evaſit per ſuam reſurrectionem, ibid. nec novum ei donatum fuit quocum in cœlum aſcenderit, 326.
Creandi vocabulum ambiguum, 262. aliquando abſolutè. aliquando reſtrictivè ponitur, 263. abſolutè poſitum quid ſignificet, 265. aliquando renovationem notat, 262. complectitur creationem primam & ſecundam, ibid. ſecunda quid ſit, 266. non ſpectat Angelos, ibid. Creationis opus non infert in Deo mutabilitatem, 350. creare aliquando idem quod gignere, ibid.
Creatura mera non eſt Chriſtus, 256. primitiæ creaturarum quinam, 263. cur ita dicantur fideles, ibid. primogenitus creaturarum cur Chriſtus vocatur, 263. 265. 366. & ſeqq. quorſum reſpiciatur ea voce, ibid. prærogativa primogenitorum, 265. omnes creaturæ imago Dei, 182. alio ſenſu dicuntur ſanctæ, miſericordes, perfectæ, quam Deus, 178. nunquam à Deo evehitur ad participationem cultus & honoris ſibi ſoli debiti, 224. 225. 246. ideo nec religioſè invocari poteſt, 666.
Credere citra Dei auxilium non poſſumus, 572. quinam debent credere quod ſint ex electorum numero, 536.
Cultus religioſus ſoli Deo debetur, 247. 314. arguit naturam divinam, 194. 224. quapropter Sociniani qui negant Chriſti Divinitatem, nequeunt illum rectè colere, 314. 412. Cultus religioſus creaturæ delatus non ſubordinatur, ſed opponitur cultui divino, 226. & ſeqq. in rebus ad cultum Dei ſpectantibus quid noſſe oporteat, 788.
Cupere quomodo dicatur Deus, 496.
Currere homo non poteſt ex ſe, nec præcedit Dei miſericordiam, 582.

D.

Dare quotuplici ſenſu ſumatur in ſcriptura, 225. data eſſe Chriſto omnia à Patre quid ſignificet, 302.
David ſenſit corruptionem, 31. conſilium ipſius de ædificando templo etſi in ſe honeſtum erat, cur à Deo improbatum, 714.
Debiti remiſſio ac condonatio excludit ſatisfactionem propriam debitoris, non verò alterius ſponte pro eo ſatisfacientis, 619. debitorum pœnalium & pecuniariorum differentia qualis, 638.
Decretum Dei quid eſt propriè, 525. nulla decreta dantur conditionata, 509. 525. ſunt æterna & immutabilia, 349. 509. 576. duo decreta de fidelibus & infidelibus in idea, in Deo ſtatuere eſt abſurdum, 509. 616. decretum ejus de Eccleſia ſua conſervanda non mutat religionis naturam, 43.
Deleri ex libro vitæ, quid ſignificat, 519.
Deſideria fruſtratoria non cadunt in Deum, 514. Deo tribuuntur ἀνθρωποπαθῶς, ibid.
Deſcenſus Chriſti è cœlo qualis, 422. 425.

424. non impedit quo minus Chriſtus fuerit in cœlo, ibid.
Deus pater in terris nunquam viſus, 343. inter homines nunquam verſatus, ibid. Dei nomen proprium eſt ſupremo numini, 132. Chriſto φυσικῶς convenit, ibid. non νενομιστικῶς ſicut idolis, angelis vel magiſtratibus, 141. ſoli Patri interdum appropriatur & quare, 65. 111. 126. perſonam Dei nemo repræſentare poteſt, 158. abſurdè Deus diſtinguitur in ἄσημον & ſignatum, 150. Deus eſt unus, etiam ſuo ſenſu ratione unius perſonæ, 112. Chriſtus dicitur Deus non prædicativè tantum, ſed ſubjectivè, 299. 300. Deus & homo cur debuerit eſſe in una perſona, 54. 309. Deus Chriſti quomodo Pater dicatur, 154 quo ſenſu unigenitum ſuum in mundum introduxerit, 254. nihil eſt in Deo quod non ſit ipſe Deus, 185. 190. ſumma ſapientia ejus elucet in reperienda ratione redemptionis hominum. 619. cultum ſibi debitum meræ creaturæ nequit conferre, 225. 226. quomodo cupere dicatur, 496. typicè inhabitavit ſanctuarium, 753.
Δεσπότου nomen Chriſto etiam convenit, 157.
Deitas ſive Θειότης quomodo differt à Θεότης, 752. quid hæc duo important, 197. Θεότης appellatur in ſcriptura μορφὴ Θεοῦ, & φύσις Θεοῦ, 752. uſurpantur tantum ſubſtantivè, 753. quid denotet propriè, 753.
Deitas tota in ſingulis S. S. Trinitatis perſonis eſt, 754. quomodo plenitudo Deitatis in Chriſto eſt σωματικῶς, 197. 752. 754.
Διὰ, cum genitivo non notat ſemper cauſam inſtrumentalem, 115. ſed ſæpè etiam principalem, 130. 136. imò nonnunquam finaliter accipitur, 129.
Diabolus quomodo eſt accuſator piorum, 9. cur dicitur Princeps poteſtatis aëris, 11.
Dies aliquando pro æternitate ponitur, 361.
Diei Dominicæ author eſt Chriſtus, 772. quem profanis uſibus relinquere, & alium ejus loco aſſignare non licet, 773. 775.
Diluvium quare à Deo immiſſum, 552.
Diſpoſitio major vel minor ad bonum ſpirituale in irregenitis non datur, 529. 569.
Diſputandi ratio Socinianorum cum Pontificiis eſt perfunctoria, 837.
Dives quo ſenſu dicatur Chriſtus, qui tamen fuit pauper, 335. non ſignificat ſpiritualium donorum copiam, collatam Chriſto, 336. argumentum eſt divinitatis ejus, 335. 336.
Divinitas abſurdè in primitivam & derivativam diſpeſcitur, 138. Divinitatis Chriſti ratio formalis, nec in exaltatione, nec in conſecratione in Mediatorem conſiſtit, 142. 143. malè quoque diſtinguitur in ſubſtantivam & qualitativam, 303. ſola poſterior non convenit Chriſto, 304. quare, ibid. non repugnat ipſius divinitati, quod habeat omnia à Patre ſibi data, 284. an quicquid habet à Patre, id habeat per æternam generationem, ibid. Divina elogia quæ ipſi in ſcriptura tribuuntur, arguunt ejus conſubſtantialitatem cum Patre, 233. etiam poſitâ diſtinctione inter Patrem & Filium, 201. Divinitati Chriſti caro præciſè conſiderata opponitur, 424.
Divortia in caſu tantum adulterii permittendo, Chriſtus legem non mutavit, 660.
Dolor & pœnitentia Deo conveniunt ἀνθρωποπαθῶς, 353.
Domini nomen Chriſto appropriatur, 111. 126. quid ſignificat ſi de uno Domino accipiatur, 113. Dominium Chriſti non eſt ſubordinatum, 113. 128. duplex tamen ejus adminiſtratio, ibid.
Dona ſpiritualia collata Chriſto, 336. Donatio gloriæ qualis, 416. ea quam Pater dat Chriſto, & quam Chriſtus dat fidelibus quomodo diſtinguantur, ibid.
εἰ δυνατὸν particula quid notat, 533

fal

falſa interpretatio Volkelii refutatur, 536

E.

Eccleſiæ *nomen unde?* 35. 730. *definitio à Volkelio allata non ſatis accurata*, 230. *debet conſiderari in ſuo materiali & formali*, 859. *uſus iſtius diſtinctionis illuſtratur*, 860. Caput & *fundamentum unicum ejus eſt Chriſtus*, 733. 743. *præter quod nullum aliud admitti debet*, 744. 745 *ceu merus homo non poteſt ſtatui caput, ſed debet agnoſci ut* θεάνθρωπος, 744. *proinde Chriſtus Eccleſiæ partibus materialibus incommodè accenſetur*, 232. *Diſtinctio fundamenti in primarium & ſecundarium eſt abſurda*, 733. 738. & ſeqq. 745. *Apoſtoli non fuerunt fundamenta ſed fundatores*, 733 & ſeqq. *argumenta in contrarium allata refutantur*, 734. & ſeqq. Notæ *Eccleſiæ veræ quales*, 858. 860. 861. *Eſſentiam ipſius non conſtituit prædicatio Verbi Divini quomodocunque obtineat*, 859. *in quo propriè conſiſtat*, 860. *Controverſia hæc de notis Eccleſiæ non ſpectat Eccleſiam univerſalem ſed particularem* 857. inaſpectabilis *nullæ poſſunt dari certæ notæ, ſed tantum ſigna conjecturalia*, 857. *ſumitur pro cœtu eam regentium*, 450. *repræſentativa quid*, 451. *particulares ad univerſalem pertinent*, 731. *adjuncta ejus ex Dei revelatione ſunt cognoſcenda*, 732. *vocatur* Ovile *Chriſti & quare*, 757. *Eccleſiam in hoc mundo perpetuo manſuram* Deum *decreviſſe probatur*, 43. *non ſemper in oculos incurrit*, 43. infallibilitas *ei omni modo non competit*. 43. 44. *non poteſt* perire *aut ſuâ fide excidere*, 45. 44. 868. *non deficiet defectione quorundam*, 868. 871. *nec defectio ejus univerſalis fuit per Antichriſtum*. 866. 867 *ſemper manſit penes Dei populum uſque ad tempora Novi Teſt*. 868. *Eccleſiæ deſtitutæ Paſtoribus ſuis, nonniſi imperfectæ cenſeri debent*, 867. *ubinam eſſet Eccleſia, nunquam ferè olim cum aliis quam cum Donatiſtis fuit diſputatum*, 51. *poteſt ea inſtituere quæ ſpectant ad* εὐταξίαν, 778. *perquiſitio Eccleſiæ in quem cadit*, 856.

Ἐγένετο, *quam variè ſumitur*, 254. 255.

Egreſſus *quàm de Chriſto dicitur quid ſit*, 360. 362. *eſt æternus*, 361.

εἰς & ἐν *in ſcripturis ſæpè permutantur*, 107.

Electio *quid propriè ſonat*, 574 *Electio ad ſalutem & prædeſtinatio æterna ſunt ſynonyma*, 520. *diſtinctio electionis in firmam & infirmam eſt abſurda*, 524. *ut & illa in electionem & conſilium eligendi*, ibid. *interdum uſurpatur pro vocatione*, 521. *cùm opponitur vocationi quid ſonat*, 523. *infirmior electio correſpondet vocationi multorum*, 524. *Eſt certorum hominum*, 525. *eſt indebita, nec procedit ex prævíſis conditionibus perſonalibus*, 520. 524. 527. *non ex operum reſpectu*, 506. 507. *quare vocatur* gratiæ, 520. *cur dicitur facta ex mundo*, ibid. *quo ſenſu dicatur* æterna, ibid. *quomodo id intelligendum, cùm dicitur, paucos nobiles, & ſapientes eſſe electos*, 629. *Electio Iacobi & reprobatio Eſavi pendet ex liberrimo Dei beneplacito, & prædeſtinationis decreto*, 503. 504. *veri electi non poſſunt ſeduci*, 533. 537. *conſideratio electionis eſt motivum ad pietatem potiùs quàm ad licentiam*, 482.

Electio *Paſtorum quàm varia*, 878.

Elohim *in* N. T. *exprimitur per* Θεός, 74. *interdum cum ſingulari conſtruitur & quare*, 76. *notat pluralitatem perſonarum*, 64. *etſi non præciſè Trinitatem*, 68. *hinc argumentum pro Trinitate deductum non contemnendũ licet non ſit apodicticũ*, 64. 65. *quomodo ſumitur*, 65. 66. *propriè de vero Deo uſurpatur, figuratè de aliis*, 69. *abuſivè tribuitur idolo & quare*, ibid. *nunquam cum ſumitur nuncupativè, perſonam aliquam ſingularem angelicam vel humanam notat*, 70. 244. *non notat robur vel imperii dignitatem*, 71. 74. *unde*

unde derivatur, 21. non poteſt in eo ſtatui enallage numeri, 23.
Emanuelis nomen Chriſto ſoli convenit, 33. quare hoc nomen ipſi tribuitur, ibid.
Ἐμπεριχώρησις Græcorum quid, 177. non lædit diſtinctionem perſonalem in Trinitate, ibid.
ἐν pro εἰς ſæpè ſumitur, & ſignificat etiam motum ad locum, 471.
Enallage numeri frequens in ſcriptura & ubi obtinet, 73. 76.
ὁ ἐνεργῶν quid notat, 567.
ἐφ' ᾧ, quomodo ſumendum, 607. in ſcriptura ſubjectivè plerumque, cauſaliter rariſſimè ſumitur, 607. 608.
ἐπιφάνεια nunquam de Patre dicitur, ſed ſemper de Chriſto, 151. 153.
Eſavus ab utero matris erat odio digniſſimus, 504. propter peccatum Originale, 505. Eſavus & Iacobus poſſunt dici typi duorum populorum & quare, 507. quomodo ſervus erat Iacobi, 508.
Eſſe, poſſe, operari in Deo ſolâ ratione diſtinguuntur, 350.
Eſſentia à perſona eſt diſtinguenda, 57. diſcrimen quale ſit inter hæc duo oſtenditur, ibid. 63. 64. unicam eſſentiam divinam pluribus ſuppoſitis communiabilem eſſe probatur, 58. unâ perſonâ Divinâ plures eſſentiæ divinæ contineri non poſſunt, 63. 64. Eſſentia ſingularis finita eſt incommunicabilis pluribus ſuppoſitis, 173. ab eſſentia ſua quiſque plus differt, quàm verbis & cogitatione, 173. Eſſentia in Patre dupliciter concipitur, 351. quomodo communicatur perſonæ, 64. eſſentia divina habetur à perſonis diverſimodè, 113. eſſentiæ divinæ & humanæ communicatio quomodo inter ſe differant, 351. eſſentia Divina & attributa ejus non debent opponi, 185. cognitionem eſſentiæ divinæ in hac vita non poſſumus attingere, 185. ſuo tantum modo id obtinebit in futura, ibid.
Eſſentiale quàm variè ſumi poteſt, 859.
Euchariſticæ communionis jus nemini competit niſi baptizatis, 829. 832.
Euangelium eſt potentia Dei, 357. æternum Euangelium, 233. cur odor mortis dicatur, 23. quod alii obediant Euangelio alij non, unde, 22. illi credere citra Dei gratiam illuminantem homo animalis non poteſt, 540. ejus doctrina homines non reddit ſecuros, 594. 595. mortuis quo ſenſu annuntiatum, 478. etiam ante Chriſti incarnati tempora prædicatum, ibid.
Eventus rerum ſunt in Dei poteſtate, 580.
Exaltatio humanæ naturæ Chriſti, non infert factitiam divinitatem ejus, 294.
Excommunicatio procedit ex poteſtate clavium, 844. debet pronunciari in pleno cœtu Eccleſiaſtico, ibid.
Excuſabilitas à tanto, non tollit ſed minuit culpam & reatum, 588.
Exinanitio Chriſti ejus Divinitati nil præjudicat, 191.
Exiſtentia ante omnes Angelos & homines arguit æternitatem, 260.

F.

Facies Dei Chriſtus ſæpè appellatur, 159.
Faciendi vocabulum abſolutè poſitum, nunquam renovationem ſignificat, 275.
Factus ex ſemine Davidis quo ſenſu dicatur Chriſtus, 337. diſtinctionem naturarum in Chriſto probat, ibid. Dominus & Chriſtus quo ſenſu factus, 298.
Facultas volendi qualis ſit in genere entis & in genere moris, oſtenditur, 567.
Fides in Chriſtum eſt argumentum divinitatis illius, 201. 299. noſtra fides in illo debet terminari, 201. in eo terminata terminatur etiam in Deo Patre, ibid. alio modo in Chriſtum quàm in Prophetas fertur, 108. fides in Deum à fide in Chriſtum non eſt diſtinguenda, 40. eſt

Dei

Digitized by Google

Dei donum ſolis electis propria, 512. *non pendet ex arbitrio hominis*, 44. 510. 516. *quare dicitur Dei donum*, 570. 571. *indoles vera fidei, quæ*, 532. *Objectum ſummum & ſubalternum fidei non datur*, 201. *quomodo per Chriſtum in Deum fertur*, 222. *quomodo eſt habitus inevidens*, 49. πληροφορία *fidei ſuperat Mathematicam demonſtrationem*, 22. 23. *Myſteria fidei ſuperant rationem, non tamen contrariantur ei*, 61. *eſt neceſſaria neceſſitate medii*, 800. *cùm conjungitur baptiſmo, non conſtituitur par utriuſque neceſſitas*, ibid. *quo ſenſu imputatur ad juſtitiam*, 601. 602. 603. & ſeqq. *fides qualis ſtatuitur ab orthodoxis non eſt promiſcuè communis bonis & peſſimis*, 616. *non excludit bona opera*, 616. *ſi ſola eſſet, tunc eſſet fides æquivocè tantum ſic dicta*, 801. *profeſſio fidei eſt ſemper neceſſaria quoad ſuos actus negativos, non poſitivos*, 800. *per fidem ſalus quomodo obtinetur*, 512. *in Catechumenis ejuſdem confeſſio prærequirebatur*, 821. *fides electorum eſt inamiſſibilis*, 41. 512. 565. *naufragium fidei quinam faciunt*, 864.

Fideles *dicuntur filii Abrahami ex Dei electione*, 506. *unde dicuntur filii promiſſionis ſicut Iſaac*, 507. *fideles & infideles non debent opponi ſingulis hominibus*, 509. *fideles quod ſint tales, id debent Dei gratiæ indebitæ*, 510. *quamdiu in hac vita ſunt, non ſunt liberi ab omni peccato*, 584. *non tamen propriè tenentur peccãdi conſuetudine*, 585. *quouſque ſunt liberi à lege peccati & mortis*, 591. *verè fideles damnari non poſſunt*, 510. *ſinguli diſtributivè non poſſunt deficere*, 868. *donantur Spiritu Sancto & ab ipſo reguntur*, 763. *per baptiſmum ſunt mortui peccatis*, 786.

Fiducia *in Chriſto debet collocari*, 1.

Filius *quotupliciter ſumatur*, 369. 377. 382. 384. *Filius Dei & Chriſtus quomodo idem ſunt*, 371. *filius naturalis quid ſit*, 383. 396. *adoptivus*, 395. *filius quomodo dependet à Patre*, 176. *eſt imago non eſſentiæ divinæ, ſed perſonæ Patris*, 182. *æqualitas ejus cum Patre conſubſtantialitatem ſupponit*, 250. *eſt commune principium cum Patre omnium operationum ad extra*, 250. *ipſi exhibitus honor cedit in honorem Patris, quod non præjudicat ipſius Divinitati*, 249. *Abrahami filius quo ſenſu dicitur*, 341. *an ſecundum carnem ex eo genitus ſit ut Iſmael*, ibid. *Filiatio ejus non eſt arceſſenda à miraculoſa conceptione ex Spiritu* S. ibid. *nec ab ordinatione ejus ad munus ſacerdotale*, 342.

Finiti *& infiniti nulla poteſt concipi æqualitas*, 250.

Fœdus *Dei in Chriſto ſempiternum dicitur multifariàm*, 232. 233. *fœderis duplicis typus in Iſaaco & Iſmaële*, 507.

Forma *Dei quid ſignificet in ſcriptura*, 334. *non notat ſpeciem externam*, 193. *importat naturam eſſentiamque Divinam*, 190. *forma Dei exterior, accidentalis* & δοξαστικὴ *non datur*, ibid. *eſſentialiter Chriſto convenire probatur*, 190. *vindicatur*, 191. & ſeqq. *eam nunquam depoſuit*, 192. *duæ formæ ſubſtantiales in eodem ſuppoſito poſſibiles*, 290. *oſtenditur exemplo Angelorum apparentium formâ corporeâ, ut & energumenorum*, ibid. 291. 292.

Fundamentum *quid dicitur*, 747. *duplex ejuſdem ædificii fingere eſt abſurdum*, ibid. 738.

Futura *contingentia quid ſunt ſenſu Sociniano*, 515. *rerum futuritio eſt certa & determinata*, ibid.

Futurorum *prædictio eſt ſolius Dei*, 281. *quomodo conveniat prophetis*, 282.

G.

Galatarum *converſio quando facta*, 811.

Digitized by Google

epiſtola ad ipſos quando ſcripta, ibid.
Gaudium fidelium in quo conſiſtit, 532.
Gedeonis factum de extruendo altari explicatur, 713.
Generationis vocabulum quotupliciter ſumatur, 384. hyperphyſica per emanationem, non per tranſmutationem procedit, 173. eſt æterna, quæ non infert inæqualitatem cum Patre, 181. non eſt facta demum per reſurrectionem, 365. non fuit impoſſibilis, 375. non conſiſtit ſolùm in ſimilitudine, 387. genitum eſſe à Deo, quomodo uſurpetur, 384. 385. non alia eſt gignentis natura quam geniti, 351. generatio ſpecifica, Chriſti non infert multiplicationẽ eſſentiæ in Deo, 394. naturalis generatio cum regeneratione non eſt confundenda, 552.
Gloria Chriſti quomodo ſimul ſua ſit & Patris, 151. 152. nihil gloriæ patris detrahitur quod Chriſtus, ſit ejus filius proprius & coeſſentialis, 694.
Gnolam, 354. dum conjungitur cum Gned ſignificat æternitatem, 361.
Gratia Dei operans non eſt tantùm ſuaſio moralis, ſed certiſſima perſuaſio, 561. non eſt univerſalis, 481. Vide Univerſ. gratia.

H.

Habitus vitioſus quàm noxius, 551.
Hava ſemper dirigitur ad alium, & ſi hortativè ſumatur, ſæpè etiam ad alios, 88.
Habitare in Chriſto corporaliter plenitudo Deitatis, quo ſenſu dicatur, 313. opponitur inhabitationi Dei in ſanctuario mundano, 752. inhabitatio deitatis alia diminuta alia plenaria, 753. 754.
Hæreditandi vocabulum quo hæreditavit Chriſtus nomen ſuprà omne nomen, non evertit ipſius divinitatem, 270.
Hæreticum privato accidere non licet, 849.
Hebraicus ſtylus ridiculè ex Ciceroniano judicatur, 91. non admittit ut aliquis ſingularis homo de ſe in plurali loquatur, 75. 79. 77. Epiſtolæ ad Hebræos author eſt Paulus, quod probatur, 18.
Helleniſtæ Græcam LXX. Interpretum ſequebantur, 28.
Hierologia matrimonialis ab ævo fuit in Eccleſia recepta, 775. ſpectat potiùs τὸ πρέπον & benè eſſe, quam ſimpliciter ipſam matrimonii eſſentiam, ibid. non eſt pars ordinarii cultus divini, 777.
Hieroſolyma nulli tribui aſſignata, ſed communis omnium fuit, 30.
Hodie quomodo ſumatur, 364. non ad Davidem cùm unctus fuit refertur, 364. cur à Paulo citatur id, 365. num etiam ad Chriſti reſurrectionem pertineat, 365.
Hominis ſignificatio in ſcripturis varia, 292. Chriſtus non eſt merus homo, 274. quo ſenſu dicatur Chriſtus hominem aſſumpſiſſe, 292. ejus humana natura non negat Divinam, 274. homo quomodo dicitur imago Dei, 182. eſt agens liberum dependens à Deo, 544. quomodo hoc intelligendum, Deũ creaſſe hominem bonum, 534. primus homo peccando, in quam incidit mortem, 541. eſt cauſa ſui interitus, 526. quomodo ei competat velle & nolle, 539. quare homo dicitur immundus, 552.
Honor eſt ſolius naturæ intelligentis, 663. paritas honoris, non minus Filio quàm Patri convenit, 264. dum terminatur in Filio terminatur etiam in Patre, 201. 202. eſt argumentum coeſſentialitatis ejus cum Patre, 201. 284. ejus Divinitatem indicat. 300.
Humiliatio & exinanitio quo ſenſu conveniat Chriſto, 191.

J.

Jah quid ſignificet in Deo ſecundum Kabbaliſtas,

Digitized by Google

ſtitas, 224. *de creatura uſurpari nequit*, ibid.
Jaclar hirang *notat habitualem corruptionem*, 551.
Idololatria *quid*, 663. *eſt ſpiritualis ſcortatio*, 807.
Ideo *quotupliciter ſumatur*, 388.
Jehova *exprimitur in Novo Teſt. per* κύριος, 74 *quid notat*, ibid. *Iehova Elohim cur Deus dicatur*, 74. *elogia & attributa Iehovæ cui propriè & illimitatè conveniunt*, *Deus eſt*, 231. *talia competunt Chriſto*, 759. *Iehovam & Dominum eſſe*, *& à Iehova ad aliquid poni & conſtitui non pugnant*, 235. *Iehova qui Abrahamo apparuit fuit filius Dei*, 93. 94. *neutiquam verò creatus Angelus*, ibid.
Jeſu *nomen eſt proprium ei qui eſt Deus altiſſimus*, 101. *nequit eſſe meri hominis ſi ſumatur in propria ſua ſignificatione*, ibid.
Ignorantia *ultimi diei cujus naturæ reſpectu convenerit Chriſto*, 307. *non pugnat cum ipſius Deitate*, ibid.
Imago *Dei triplex*, 182. *hominis quoque triplex datur*, ibid. *imago Dei reſpectu omnium creaturarum in quibus conſiſtat*, 182. *in quibus reſpectu hominis*, ibid. *in quibus reſpectu Filii unigeniti*, ibid. *non conſiſtit in eo quòd ex ipſo voluntatem Dei cognoſcamus*, 183 185. 186. *imago alicujus rei poteſt eſſe inviſibilis*, 184. *non ſemper ſenſibus externis rem præſentem facit*, 184. *fundamentum imaginis divinæ in Chriſto eſt identitas naturæ cum Patre*, 182. 184. 186. *imago Dei per peccatum in homine deleta*, 550.
Immenſitas, *Dei attributum*, 286.
Imperium *ſummum in omnes & omnia ſupponit naturam & eſſentiam divinam*, 236. *abſurdè divinum imperium diſtribuitur in dependens & independens*, 758. *imperium Patris in Filium eſt Oeconomicum*, 597
Impingere *ad ſermonem & ei non aſſentiri quid ſit*, 491.
Impuritas *angelorum & cœlorum qualis*, 557. *hominis eſt abſoluta*, ibid.
Incarnationis *myſterium inculcarunt paſſim Apoſtoli*, 296. *Patri nequit tribui incarnatio*, 319. *argumentum pro divinitate Chriſti ab incarnatione deſumptum*, ibid. *non confundit proprietates naturarum*, 310 *quo fine incarnatio ſit facta*, ibid *negant eam Sociniani*, 303. *quare*, ibid.
Incredulitatis *cauſa quæ eſt*, 581. *eſt culpabilis*, ibid.
Induere *Chriſtum quid ſit*, 787.
Induratio *eſt actus juſtitiæ & beneplaciti*, 573. *paradoxum Volkelii de induratione refutatur*, 574.
Infantes *tranſgreſſionis Adamicæ ſunt rei*, 612. *debent baptizari*, 824. *per baptiſmum aggregantur Eccleſiæ, ut olim per circumciſionem*, 785.
Inimici *quo ſenſu diligendi*, 661.
Initiatio *quid & quotuplex*, 795. *notat ſuo ſignificatu aliquid rituale & ceremoniale*, 790.
Inſtaurandi *vox quid ſignificet*, 263. *quorum ſit*, 363.
Interceſſio *Chriſti quomodo fiat*, 721.
Invocatio *quid*, 709. *invocari & religioſè coli ſupremo Numini proprium*, 223. 709. 710. *Invocationis præceptum in ſcriptura quotuplex*, 710. *Chriſtus invocandus æquè ac Pater*, 710. 220. *de invocatione Chriſti error Socinianorum*, 667. *non invocatur ut par eſt ab illis*, 854. 874. *invocationis mandatum in V. T.* 710. *diſtinctio invocationis mediæ & ultimæ explicatur & rejicitur*, 715. *an juſta ſit invocationis ratio ex eo deſumpta quod Deus ſit Pater luminum*, 715. & ſeqq. *cur Pontificii invocant ſanctos*, 716. *nulla diſtinctio eſt inter invocationem Patris & Filii*, 718. 719. *Chriſtus quomodo dependeat à Patre in exaudiendis*

Digitized by Google

dis precibus noſtris, 729. non poteſt Chriſtus ritè invocari, negato mandato, quo ad id obſtringimur, 720. axioma Volkelii, Nihil prohibet, quo minus is qui aliũ rogat, ab aliis rogetur, falſiſſimum, 722.

Jobi amicorum dicta ſunt theticè Canonica, 558.

Johannis baptiſmus cum noſtro convenit in rei ſubſtantia, 810.

Joſephus vindicatur, 82.

Ironica locutio an Deo competat, 80. Ironicè Deus lapſo homini miſeriam ipſius exprobravit, 81. 82.

Iſaac quo ſenſu dicatur ſecundùm ſpiritum natus, 340. unigenitus, 375. 376. 377. 378. 383. de jure erat Dominus Iſmaelis, 508.

Iſmaël quomodo ſecundùm carnem natus, 340. quo ſenſu Iſaaco opponitur, ibid.

Iſrael ſecundum carnem quis, 338. cui opponatur, ibid.

Judas filius perditionis reprobus, 514. non caſu aliquo factum, quod Chriſtum prodiderit, ſed ex conſilio Dei, 515.

Judæi quam ſuperſtitioſi in conſervando codice ſacro, 26. corrupti codicis ſacri non poſſunt argui, ibid. improbant verſionem Græcam, 28. per umbras ad corpus deducebantur, 38. ob neglectum fidei in Chriſtum meritò ſunt rejecti, 541. non ſequitur illos habuiſſe poteſtatem credendi vel obediendi, 542.

Judex totius terræ Chriſtus, 299. non poteſt talis eſſe niſi ſit Deus, ibid.

Judicia Iudæorum qualia, 466. Judicii reum eſſe quid ſit, 657. Judiciorum divinorum varii gradus, 466.

Juramentum quid, 664. ſoli Deo legitimè præſtatur, ibid. quomodo tertio præcepto prohibitum, 661.

Jus Dei eſt ſummum in creaturas, 29. commune jus, arguit imperium commune, 227. Juris Divini communio, infert eſſentiam divinam, 127.

Jus eligendi non infert imperium in electum, 776. 777.

Juſtificatio quomodo fidelibus decernitur, 510. non poteſt eſſe ſine fide, 512. juſtificationem ex fide aſſequi quid ſignificat, ibid. procedit ex imputata Chriſti juſtitia, 601. eſt gratuita, 618. excludit noſtra bona opera, ibid. juſtificari gratis quo ſenſu dicamur, 309. in ſpiritu juſtificari quid, 322. fide juſtificari, item obedientiâ & ſanguine Chriſti ſunt ἰσοδυναμοῦντα, 601. fide, ex fide, per fidem, non verò propter fidem juſtificamur, 603. in Chriſto juſtificamur non per imitationem & exercitium bonorum operum, ſed per imputationem, 612. 613. non ſubjectivè & formaliter, 613. Iuſtificatio patrum V. T. & fidelium N. T. eſt eadem, 620.

Juſtitia Chriſti quo ſenſu nobis aliena, 603. quo ſenſu noſtra, ibid. non excludit bona opera, 615. non niſi eam cupientibus obtingit, ibid. quomodo ejuſdem ſimus participes, 614. Iuſtitiæ dilectio tribuitur Chriſto, 272. quid denotet, ibid. vindicativæ Iuſtitiæ actus ſupponit peccatum, 573.

L.

Lapſus primi hominis factus permittente Deo, 552. effecta iſtius lapſus reſpectu poſterorum quàm noxia, 551.

Lex ſancitur à Deo ſub pœnis & præmiis, 824. eſt data & promulgata per Angelos, 254. legi mente ſervire quid importet, 591. ſervare legem, eâque quoad hominem interiorem delectari, pendet à virtute Spiritus S. 592.

Liberum arbitrium primi hominis quale erat, 541. per lapſum Adami quale amiſimus, 547. 548. non fertur ad ullum ſalutare bonum, niſi per gratiam Chriſti, 560. in quo ſita eſt libertas arbitrii, 541. 548. non ei reluctatur quælibet neceſſitas, ſed ſolùm coactio & violentia, 22. nihil detrahitur hominis libertati ſtatuendo, gratiæ Dei id deberi, quod

Digitized by Google

quòd ea quæſunt fidei ſectetur, 57 . liber-tas indifferentiæ credendi Euangelii non datur, 512. 513. nec in ea poſitum eſt ſalutarem Chriſti doctrinam amplecti & retinere, 863. dogma liberi arbitrii peperit errorem de defectibilitate Eccleſiæ, 867

Liberatio hominum à peccatis ſoli Deo abſque ſubordinatione creaturæ competit, 165.

Liber vitæ quid continet, 518. duplex non poteſt ſtatui, ibid. ſcriptio nominum in eo ſpectat ipſas perſonas, non qualitates in idea, ibid eſt abſoluta, immutabilis & irrevocabilis, ibid. nulla eſt conditio quæ huic inſcriptioni præcurrat ibid. ſemel inſcripta nomina non poſſunt deleri, quod probatur, 519. deleri ex eo quo ſenſu quis dicatur, ibid.

Λόγος Chriſtus cur dicitur, 66. 187. λόγος Dei ἐνδιάθετος & προφορικός, 187 per λόγον Dei Veteres Hebræi intellexerunt Meſſiam, 187. eſt intimus Deo & mentalis, ibid. λόγον Dei Patris eique coeſſentialem eſſe non pugnant, 187. in homine λόγος duplex, 187.

Lotiones mortuorum quales, 465.

Lux ſuo conceptu nihil dicit primarii, 739. Chriſtus quare ita vocatur, ibid.

Lydia quomodo ſe habuit ad ſuam converſionem, 563. Deo adſcribenda non orationi Pauli, ibid. fuit proſelyta, 564.

M.

Magiſtratui cur nomen Elohim tribuitur & quomodo, 70. nuſpiam in ſingulari dicitur Deus, 300. jus gladii poteſt exercere in ſeductores & blaſphemos, 848.

Major omnibus quomodo ſe profiteatur Chriſtus, 173. majores omnibus, plures dari eſſentiâ diverſos, eſt ἀδύνατον, ibid.

Malitiam homini eſſe innatam ſcriptura probat, 553. diſtinctio inter malitiam innatam & voluntariam eſt abſurda, 555.

Manuum impoſitio in ordinatione miniſtrorum neceſſaria, 878.

Maria Deipara, 388. quid ſibi voluit dum interrogaret angelum de poſſibilitate ſuæ conceptionis, ibid.

Maſſa de qua agit Paulus Rom. 9. non eſt creationis, ſed corruptionis, 579. quid propriè ſignificat, ibid.

Μαθητεύειν & βαπτίζειν, non poſſunt ſumi pro eodem, 790. inter μαθητεύειν, βαπτίζειν, & τὸ διδάσκειν quidnam ſit diſcriminis, 794.

Mathematici Orientales cur Virginis ſignum in Zodiaco poſuerunt, 33.

Matrimonium quomodo ineundum, 777.

Mediator inter Deum & homines, eſt ſolus Chriſtus, 311. Moſes quo ſenſu dicatur, ibid. non derogat divinitati Chriſti, 312. munus Chriſti Mediatorium exigit naturam divinam. 386. complectitur ſub ſe Sacerdotale, Regium & Propheticum, 921 quâ Mediator Chriſtus eſt adorandus, 722.

Mens humana ſupra ſe reflectendo, ſui ipſius imaginem excitat, 184.

Meritum Chriſti & ejus ſatisfactio ut ſunt diſtinguenda, 596. habet quandam proportionem, condignitatem & æquivalentiam, 595. merito Chriſti conveniunt conditiones veri meriti, 594. multum ei accedit ex dignitate ſolventis in proportione geometrica, non arithmetica, 599. merita de congruo vel condigno damnantur, 564. 583. meritum Chriſti & ſtudium pietatis in negotio noſtræ ſalutis non debent opponi, 613.

Meſſias promiſſus & ex Virgine natus, eſt Chriſtus, 32. quomodo obtinuit ſolium Davidis, 688. Sociniani id quoque ore confitentur, re verò ipſâ abnegant, ibid.

Methodus eſt arbitraria, 485.

Michaël à Iudæis Abrahamo apparuiſſe dicitur, 93. id nominis ſoli Chriſto competit, ibid.

Digitized by Google

Mikkedem *idem quod ab æterno*, 362. ſeqq.
Milites *ad S Cœnam acceſſuri non ſunt cogendi ut balteum deponant*, 777.
Mimmenu *eſt primæ perſonæ pluralis* Gen. 11 1. 22. *non verò tertiæ ſing.* 86.
Miniſtri *Euangelici quomodo ſucceſſores Apoſtolorum*, 450.
Minoritas *Oeconomica non derogat Divinitati Chriſti*, 270.
Miraculorum *patratio eſt opus Omnipotentiæ*, 250. *non cadit per ſe in meram creaturam*, ibid. *quomodo Prophetis & Apoſtolis tribuatur*, 167. 282. 283. 285. *poteſtas patrandi miracula non data eſt Chriſto in tempore*, 284. *olim erant motiva ad fidem, non principium credendi*, 15. 874. *ad reformationem cur non opus fuit miraculis*, 875. *ipſum opus reformationis pro miraculo poteſt haberi*, 867.
Miſericordia *Dei ſupponit peccatum*, 573. *hæc præcurrit omnibus noſtris conatibus*, 582 *hanc Deus exerit intuitu ſatisfactionis Chriſti*, 3.
Miſſio *Chriſti non eſt ejuſdem ordinis cum miſſione hominum*, 175.
Modus *habendi non infert inæqualitatem rei quæ habetur*, 181.
Modi *ſubſiſtendi in divinis quid inferunt*, 60.
Monitiones *ſunt adjumenta fidei*, 536.
Mors Chriſti *ſe extendit ad fideles V. T.* 145. *ejus cauſæ*, 345. 372. *non obeſt quominus Chriſtus ſit Deus*, 377. *illa quoad omnes ſuas circumſtantias à Deo erat prædefinita*, 516. *non conjecturaliter ſed certò & infallibiliter*, ibid. *ſuppoſitâ prævià conditione lapſus*, ibid. *Mors Mortis Chriſtus*, 623. *Mors quam homo contraxit per peccatum qualis erat*, 550. *mori pro alio quo ſenſu licitum*, 626. *mors ſomnus*, 468. *mortuus quo ſenſu dicatur non amplius exiſtere*, 472 *mortuis quomodo annuntiatum Euangelium*, 277. 478. *mors æterna Socinianis eſt omnium pœnarum leviſſima*, 3.
Moſes *cur dicitur Elohim datus Pharaoni*, 70. *Moſes & Chriſtus quoad perſonas diſtinguuntur*, 16. *ejus doctrina non adverſatur Chriſti doctrinæ*, 15. 16. *Moſes cur petit deleri ex libro Dei*, 519. *petitio hæc erat conditionata*, ibid. *Mediator nuſpiam dicitur*, 640. *Moſaicæ & Mahometanæ doctrinæ diverſitas*, 15.
Multitudo *qualis Deo conveniat*, 63. *per eam potius denotatur perſonarum pluralitas quàm virtutum perfectio*, 68.
Mundi *ſignificationes variæ*, 254. 275. *pro genere humano aliquando accipitur*, ibid. *aliquando abſolutè, aliquando reſpectivè ponitur*, 327. *abſolutè poſitum hoc vocabulum nunquam de futuro mundo intelligitur*, ibid. 254. *Mundus cujus hæreditatem Abraham expectavit, quis fuerit*, 255. *quando à Chriſto factus*, 256. 275. 258. *in mundum venire non ſignificat publicam alicujus officij adminiſtrationem ſuſcipere*, 257. *in mundo hoc Chriſtus ſuum obtulit ſacrificium*, 327. *cur mundus noſter hoſtis eſt*, 7.
Myſterium *pietatis eſt incarnatio Chriſti*, 318. *idem eſt, quod myſterium Dei manifeſtati in carne*, ibid. *de Patre intelligi nequit*, 319.

N.

Nadab & Abihu *graviſſimè peccarunt rem non mandatam faciendo*, 802.
Naſci *ſecundum ſpiritum quid*, & *naſci ſecundùm carnem*, 339. *naſci ex ſterilibus parentibus*, 385.
Nativitas *in Chriſto duplex*, 380.
Nathanis & *Gad Prophetarum libri quinam*, 22.
Natura *divina & humana quomodo communicantur*, 58. *Divina natura eſt maximè una, nullo modo diviſibilis, aut multiplicabilis*, 174. *non poteſt multiplicari numericè, & ad numerum perſonarum*, ibid.

ibid. *eam Chriſto falſò affingi, blaſphe mè aſſeritur*, 134. *Naturarum unio in Chriſto neceſſaria*, 301. *quare*, ibid *non repugnat rationi*, 291. *habent rationem extremorum componentium, ex quarum unione totum perſonale exſurgit*, 292. *non ſe invicem perficiunt ut partes*, ibid, *non ſunt ſibi contrariæ ſed diſparatæ*, 293. *poſſunt prædicari in concreto de uno ſuppoſito*, ibid.

Naturale *non pugnat cum libertate voluntatis*, 557.

Naturalizari *de quibus dicatur*, 398.

Neceſſitas *eventus quæ à Dei decreto arceſſitur homines non excuſat*, 481. *non pugnat cum libertate voluntatis*, 541.

Noachi *admonitiones cui uſui inſtitutæ*, 553. *pietas ejus cui adſcribenda*, 554.

Nobilitas *& ignobilitas nihil per ſe conferunt ad ſalutem*, 529. *non ſunt cauſæ meritoriæ electionis vel reprobationis*, 530.

Nognar *&* Negnurim *quomodo ſumuntur*, 555.

Nomen *Dei pro ipſo Deo*, 445. *Nomen Chriſti donatum quid denotet*, 300. *donatio illa non eſt ipſa divinitas ejus*, ibid. *Mediatoria nomina ipſi κατ' ἐξοχὴν competunt*, 184. *Nomen Spiritui S. per proſopopœiam non convenit*, 106. *quid denotet in formulâ baptiſmi*, 104. *in Dei ſolius nomine quid fieri dicitur*, ibid. *in nomen alicujus baptizari, quid ſit*, ibid. *cur dicatur, in nomen Patris, Filii, & Spiritus S.* 105. *nomen habere in cœlo ſcriptum quid importat*, 532.

Novum Teſtamentum *labaſcente authoritate V.T. ſtare non poteſt*, 26. *illud ex V.T. debet probari & confirmari*, 23. *dicta quæ ex Veteri in N.T. citantur, non adferuntur maximam partem per meram alluſionem*, 28.

Nuptialis Veſtis *quid denotat*, 523.

O.

Obedientia *omnium hominum ergà Deum non datur*, 610.

Oblatio *quid ſit*, 638. *Chriſti oblatio in morte facta, non in cœlo*, ibid.

Obſignatio *quæ fit in baptiſmo gratiæ Sp. S. non debet ad chariſmata extraordinaria referri*, 821. 831.

Odium *Dei eſt ejus conſtans voluntas puniendi*, 504. *non poteſt ſolam temporariam benignitatem reſpicere*, 503. *odium directè opponitur amori*, 504. *non poteſt dici amor diminutus*, ibid. 509. *Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς*, ibid. *quid propriè ſonat in Deo*, 504. *quo ſenſu dicitur Deus odiſſe Eſavum*, 504. *parentes & liberos odiſſe quid ſignificat*, 505.

Officium *Chriſti mediatorium quodnam fuerit*, 309. *nihil derogat æternæ illius divinitati*, 719.

Omnia *dicuntur eſſe per Chriſtum abſolutè & illimitatè*, 719.

Omnipræſentia *eſt attributum Dei*, 286. *agnoverunt eam Ethnici*, ibid. *Chriſto tribuitur*, 287.

Opera *divina arguunt eſſentiam divinam*, 194. *opera Trinitatis ad extra cur Deo Patri ſæpiùs in ſcriptura appropriativè tribuantur*, 214. *opera charitatis nemo perfectè in hac vita implere poteſt*, 4P.

Operatio *Chriſti quâ à Patre operatur, non tollit ejus divinitatem*, 306. *operatur eâdem virtute quâ Pater*, 280.

Ordinatio *Chriſti ad munus mediatorium, non repugnat divinitati Chriſti*, 297. *Ordinatio ad vitam æternam qualis*, 492. & ſeqq. *Ordinatio in Eccleſia jam conſtituta eſt neceſſariò retinenda*, 782. *legitimæ vocationi adjungi debet*, 878. *olim à ſchiſmaticis peracta valida erat*, 867.

Oves Chriſti *quædam*, 757. *ſe ipſos tales homines ipſi non faciunt*, 498. *tales ut ſunt antecedenter ad vocationem*, ibid. *non habent internam aptitudinem ad ve-*

ad veritatem amplectendam ſed objectivam, per Dei liberrimam electionem, 757. non poſſunt eripi ex manu Chriſti, 338.
Στος plerumque reſpicit præcedentem caſum rectum, 159.

P.

Panis Eucharisticus ſignum & figura eſt corporis Chriſti, 233.
Paracletus, 438.
Parentes primi qualem affectarint ſimilitudinem cum Deo, 79.
Parochiarum diſtinctio unde, 778.
Paſſiones fidelium à perpeſſionibus Chriſti diſtinguendæ, 614.
Paſtoratus quid, 759. Paſtores ſunt legati Chriſti, 750. quorum Chriſtus caput eſt, 759. non ſunt prophetæ extraordinariè & immediatè à Deo miſſi, 782. ſunt tamen divinitùs miſſi, ibid. debent eſſe inſtructi honeſtâ vocatione, ibid.
Pater in Divinis, cur nunquam dicatur mitti, dari &c., 110. illi appropriantur, ἐνεργήματα in Eccleſiâ, 111. quomodo poſſit dici unus Deus, ibid. Pater & Filius quomodo inter ſe diſtinguuntur, 125. 125. Pater non eſt in Filio per meram repræſentationem legationis jure, 158. 160. quo ſenſu eſt major Chriſto, 306. non id repugnat Filij divinitati, ibid. Pater omnibus major dicitur non oppoſitè ad Filium, ſed conjunctim cum illo, 122. Pater & Filius ſunt alius & alius, non aliud & aliud, 226. non ſunt duo diſtincta objecta fidei, 201. quomodo Pater in Filio viſibilis factus, 183. 184. 200. Diſtinguuntur ab eſſentia quam habent communem, ratione, 163. quomodo à Patre Filio aliquid eſt datum, 171. Patris nomen in oratione Dominica quomodo ſumatur, 717. 718.
Patres Vet. Teſt. habuerunt promiſſiones ſpirituales, 503.
Patroni ab Advocatis diſtincti, 438.
Paulus quomodo intelligendus cùm de ſe in plurali loquitur, 77. alio ſenſu ac modo paſſus eſt pro corpore Chriſti, quam ipſe Chriſtus, 622. quomodo de ſe dicat, quod non ſit miſſus ad baptizandum, 791. an in ſuum nomen quemquam baptizarit, ibid.
Pauper natus eſt Chriſtus, 335. pauperem eſſe nuſpiam ſignificat ſe pauperem ſimulare, 335. 336.
Peccatum Adami qualem vim habuit, 551. eſt omnibus ejus poſteris commune, 610. ejuſdem pœna in nobis arguit quoque culpam in nobis, 609. peccare poſſe eſt imperfectionis, 544. peccatum habere quid importet, 585. 586. peccare & peccati reum eſſe non ſunt diverſa, 597. habere peccatum & peccati conſuetudine teneri differunt, 585. non hoc ſed illud cadit in fideles, ibid. quomodo unius delicto multi peccatores ſunt conſtituti, 611. fideles quomodo careant peccato, 479. quo ſenſu peccatum uſque ad legem in mundo fuiſſe dicatur, 610. Peccatum Originale Sacra Scriptura probat, 552. Sociniani cum Pelagio illud impugnant, 547. unus peccandi actus totam naturam corrumpere poteſt, 550. Peccata ex ſubreptione ſunt etiam peccata, 573. diſtinctio in mortalia & venialia eſt abſurda, 843. autor peccati Deus ſtatui nec poteſt nec debet, 533. Deus peccatâ odit abſolutè & naturali odio, 504. Peccatorum remiſſio nulla poſt hanc vitam, 455. alia ſolemnis, alia proviſionalis, 461. quomodo ablui dicuntur peccata, 819.
Per non ſemper cauſam inſtrumentalem denotat, 273. per Filium quomodo Pater mundum condiderit, 337.
Permiſſio Dei non eſt otioſa ſed efficax 546. circa quæ verſetur oſtenditur, ibid.
Perſeverantia eſt Dei beneficium, & fluit ex gratia Dei, 244. eam in nobis Deus efficit,

Digitized by Google

ficit, 868. electorum eſt infallibilis, 530. quare, ibid. hominis eſt ſubjectivè, Dei efficienter, 531.

Perſonæ in divinis quid ſunt, 60. quomodo in divinis perſona & eſſentia diſtinguuntur, 112. æqualitas perſonarum per proceſſiones divinas non tollitur, 110. diſtinguitur perſona, in civilem & naturalem, 461. perſonæ ad perſonam non poteſt eſſe par ratio quæ eſt rei inanimatæ & typicæ ad perſonam, 243. non ſemper eſt id cujus virtute generatio perficitur, 389.

Perſuaſio Dei eſt interna, 561. operativa, 562.

Petrus non eſt petra, 741. inter πέτρον & πέτραν nihil eſt diſcriminis ſi appellativè ſumatur, 736.

Pii unum ſunt in Patre & Filio per communionem ſpiritualem, 170.

Πληροφορία Spiritus S. nequit haberi in ſchola Socini, 724.

Pluralis numerus in viginti ſcripturæ locis de Deo uſurpatur, 86. pluralis enallage non habet locum, cum quis de ſe in prima perſona loquitur, 88. & ſi quid tale fiat apud profanos authores non enallage eſt ſed ſynecdoche, 91. ſæpè pro ſingulari in ſcripturâ ponitur, 325.

Pœnæ Eccleſiaſticæ nonniſi catachreſticè pœnæ dicuntur, 842.

Pœnalitas quid ſonat apud Scholaſticos, 551.

Pœnitentia requiritur ad ſalutem, 512. non eſt pars fidei ſalvificæ, ſed adjunctum neceſſarium, 801. non eſt conditio meri arbitrij, 512. pertinet ad omnes Chriſtianos, 806. quomodo Deus pœnitentiam dicatur dare, 579.

Pontifex ſummus in ſuo munere Chriſtum repræſentavit, 452.

Portæ inferorum quid, 764. mortis, 765.

Poſtulare quid ſit, 438.

Potentia prædicatur de Chriſto, 357. diſtinguitur à poteſtate, 180.

Poteſtas & potentia diſtinguuntur, 180 judiciaria convenit Chriſto, 283. adminiſtratio poteſtatis ſummæ & infinitæ, ſummam quoque & infinitam potentiam requirit, 236.

Poteſtas clavium ad ordinarios Eccleſiæ Miniſtros omnes pertinet, 750. 767. in quo propriè conſiſtat, 751.

Præcepta Chriſti in monte non ſpectant ſolos Apoſtolos, 952. opponuntur tantum corruptelis Phariſæorum, 655. affirmantia præcepta quomodo obligent, 813.

Prædeſtinatio definitur, 480. Auguſtini definitio, 576. electione & reprobatione conſtat, 506. typus prædeſtinationis æternæ in Iſaaco & Iſmaele, 507. ſoli prædeſtinati juſtificantur, 512. per media executioni mandatur, 481. malè ad religionis ſtudium prorſus exterminandum magnam vim habere dicitur, 482. 483. juſtiſſima eſt, 482. pendet ex Dei decreto, 520. procedit ex maſſa communi, 520. præcurrit pietati, 486. fidei, 520. certa eſt, 489. eſt certarum nominatim perſonarum, 489. facta eſt non ex præviſione fidei vel operum, ſed ad fidem, opera, & ſalutem, 470. non procedit ex antecedanea nedum dubia quadam conditione in hominibus, ibid.

Prædilectio Dei, 486.

Præordinati ad vitam æternam, 492. præordinationis & ordinationis differentia, 493.

Præſcientia Dei, 480.

Præſentia Chriſti nobiſcum ad conſummationem ſeculi, probat ejus divinitatem, 288. præſentia ejus quæ gratiæ dicitur, impoſſibilis eſt ſine præſentia eſſentiali, ibid.

Præviſio rerum futurarum, fundatur in Dei decreto, 515.

Preces legitimæ includunt in ſuo objecto ipſum Chriſtum, 720. ad eas fundendas requiritur Spiritus precum, 725. preces

Digitized by Google

pro mortuis à Græcis retentæ, 456. *non poſſunt ſtabiliri ex Luc.* XVI, 9. 470.
Pretium *redemptionis à Deo & Deo datum*, 629.
Primatus *Eccleſiæ Romanæ non eſt nota Eccleſiæ*, 51.
Primitiæ *creaturarum Dei quinam*, 263. *cur fideles ita appellentur*, ibid.
Primogenitus *creaturarum Chriſtus*, 366. & ſeqq. *cur ita dicatur*, 265. 367. *quò reſpiciatur eâ voce*, 265. *mortuorum*, 367. *primogenitorum prærogativa*, 265. *primogenitus quomodo dicatur*, 265. *quorum reſpectu talis dicatur*, ibid.
Primum *& noviſſimum eſſe, notat abſolutam æternitatem*, 230.
Prohibitum *quid propriè eſſe cenſetur in rebus ad pietatem ſpectantibus*, 712.
Prophetæ *omnes locuti ſunt Spiritu Chriſti*, 101. *quomodo Chriſtus ſub ipſorum perſona in V. T. locutus ſit*, ibid. *Spiritus S. participes fuerunt ad menſuram*, 198. *prophetare quid propriè ſignificat*, 773. *perſpicuitas prophetiarum probatur*, 36.
Propitiatorium *quid ſit*, 642. *Chriſtus an tale per reſpectum ad operculum Arcæ*, ibid. *propitiatio pro peccatis*, 647.
Propoſitum *Dei quid*, 486.
Proprietates *divinæ incommunicabiles creaturis*, 278.
Proprius *filius cui opponatur*, 390. 391. *Chriſtus talis eſt, non adoptivus*, 391. 392. *ejus productio*, 394.
Proſopopœia *quid propriè ſit*, 115. 589. 673. *dantur ejus ſpecies in S. Scriptura*, 432. *quale ſubjectum neceſſariò connotant*, 434. 674.
Proſelyti *qui dicuntur*, 594.
Providentia *Dei dicitur continuata creatio*, 250. *eſt cauſa omnium rerum citra læſionem arbitrii humani vel excuſabilitatem peccantium*, 516. *ei ſubſunt actiones liberæ*, 544.
Purgatorium *ex Judæ Machabæi facto non poteſt ſtabiliri*, 456. *à Græcis non admiſſum*, ibid.
φωτίζειν *quid denotat*, 256.

Q.

Quaternitas *in Deo non ponitur ab Orthodoxis*, 66.
Quærere *Deum quid ſit*, 40.
Quemadmodum *ſimilitudinis ſæpè, non ſemper æqualitatis*, 642.

R.

Rachelis *planctus qualis erat*, 31.
Rama *civitas*, 30.
ῥαντισμὸς & λουτρὸν *pro ſynonymis veniunt*, 816.
Raptus *Pauli in cœlum qualis*, 426.
Rationis *ſanæ uſus*, 768.
Reatus *ſupponit culpam*, 611.
Reconciliatio *per Chriſti ſanguinem facta*, 649. *effectus illius quis*, 266. *ad quos ſpectet*, ibid. *Angelorum cum Deo non datur*, 261. *eſt tantum hominum*, ibid.
Reformatio *Eccleſiæ non eſt nova formatio*, 871. *neceſſitas reformationis non ſupponit Eccleſiæ abſolutum interitum*, 872. *opus reformationis proceſſit per eos, qui legatione ordinariâ jam fungebantur*, 876.
Redemptio *per Chriſtum vera*, 628. *ejus pretium à Deo & Deo datum*, 629.
Regenerari *qui olim dicebantur*, 398. *regeniti ex parte tantum comparantur infantibus*, 502.
Regnum *Chriſti*, 471. *diſtinctum à Davidis regno*, 362. *requirit fidelium obedientiam*, 698. *non pertinet ad omnes*, 698. *eſt Spirituale & æternum*, 695. 700. 703. *argumenta contraria Socinianorum refutantur*, 695. 703.
Regnum *cælorum quibus paratum*, 513. *præparatio illius non præcurrit Dei decreto*, ibid. *fluit ex indebita Dei gratia*, 514. *in V. T. notum fuit*, 700.

Rela-

Digitized by Google

Relatum *correlato non ſemper immediatè jungitur*, 608.

Religio *Chriſtiana non habet certitudinem Mathematicam ſed fidei*, 22. *malè dicitur à Volkelio lydius lapis*, ibid. *dogmata religionis fide ſuſcipienda*, 49. *finis intermedius religionis non datur*, 129.

Remiſſio *peccatorum gratuita*, 309. *non excludit Chriſti meritum, ſed benè ſtare poteſt cum pleniſſima ejus ſatisfactione*, ibid. 618. *ad victimarum legalium oblationem qualis*, 637. *eſt duplex, abſoluta & conditionata*, 619. *ſolemnis & proviſionalis*, 461. *remiſſio peccati & debiti pecuniarij non pari paſſu ambulant*, 619. *hanc ab ipſo mundi initio fideles nonniſi in Chriſto per fidem ſunt conſecuti*, 619. *nulla eſt poſt hanc vitam*, 455.

Remonſtrantes *cum Socinianis non per omnia conveniunt in doctrina de gratia ſufficienti*, 568.

Renovatio *cadit in ſolos homines per peccatum corruptos*, 265. *non in Angelos vel beatos*, ibid.

Reprobatio *juſtiſſima*, 482. *abſolutè conſiderata eſt actus juſtitiæ divinæ*, 498. 526. *fundatur in corruptione & peccato*, 530. *invitatio reproborum per Dei Verbum eſt admodùm ſeria*, 483.

Res *una numero duobus diverſis ſubjectis inhæſionis convenire nequit*, 229. 234.

Reſipiſcentiæ *invitatio facta reprobis ad quid ordinatur*, 516.

Reſiſtere *Deo internè vocanti nemo poteſt*, 565.

Reſurrectio *noſtra benè deducitur ex reſurrectione Chriſti*, 54. *eſt certò futura*, 454. 727. *malè vocatur remiſſio peccatorum*, 468. *credita tempore Iobi*, ibid.

Reſuſcitatio *alicujus à Deo facta non fundat adorationem*, 140. *ſed demum reſuſcitatio ſui ipſius qualis Chriſti*, ibid.

Ritus *inſtitutionis divinæ non debent adiaphoris annumerari*, 771.

S.

Sabbatum *eſt legis moralis*, 807.

Sacerdos *ſub V. T. aliquo modo etiam victima*, 636.

Sacramentis *gratia Dei non eſt alligata*, 813.

Sacrificia *expiatoria nullum niſi Chriſti Sacrificium repræſentare potuerunt*, 631. *continuerunt ſatisfactionem*, 633. *imagines habuerunt ſuppliciorum capitalium*, 634. *Chriſti ſacrificium peractum eſt in cruce, non repetendum, tamen continuaturum in æternum*, 636. *ſacrificare animum quid*, 543. *ſacrificare λογικὴν λατρείαν quid*, 543.

Salus *non obtinetur ſine ſatisfactione præſtita juſtitiæ divinæ*, 303. *merus miniſter ſalutis Chriſtus non eſt*, 286. *ex miniſtro non eſt factus princeps ſalutis*, ibid. *ſalus per Chriſtum promiſſa non procedit ex mero Dei Dominio abſoluto*, 612. *fundatur in Chriſti ſanguine*, ibid. *indiſcriminatim proponitur & quomodo*, ibid. *in vera Eccleſia obtinetur*, 867. *ſalutaris doctrinæ profeſſionem verbi divini prædicatione contineri ἀφιλοσόφως ſtatuitur*, 859.

Samaritana *mulier à Chriſto ad aquam ſpiritualem ducitur*, 410.

Samuel *à Pythoniſſa ſuſcitatus, quis erat*, 70.

Sanctificatio *Chriſti non eſt ejuſdem ordinis cum ſanctificatione aliorum hominum*, 175. *quid propriè ſpectet*, ibid.

Sapientia *Chriſti non ejuſdem ordinis cum creaturis rationalibus*, 289. *eſt ſapientiæ fons*, ibid. *ita dicitur citra proſopopœiam*, 353. 355. *ſumitur vel ſubjectivè vel objectivè*, 357. *aliquando in concreto*, 355. *in abſtracto*, 357.

Satisfactio *pro peccatis noſtris cui præſtita*, 309. *Chriſtum ſibi ipſi ſatisfeciſſe non*

repugnat, ibid. *quo ſenſu id intelligendum*, ibid. *ea requirit acceptationem à parte ejus cui ſatisfit*, 615. *ſatisfactio Chriſti probatur*, 617. ſeqq. *hanc Sociniani negant*, 857. *vindicatur*, 617. & ſeqq. *non repugnat ſcripturæ nec rectæ rationi*, ibid. *figurativa & realis*, 633. *neceſſitas ipſius non ideo tollitur, quia ex parte noſtri nihil requiritur ad remiſſionem peccatorum, præter fidem & reſipiſcentiam*, 450. *non tollit ſtudium ſanctitatis, ſed impellit ad gratitudinem & exercitium pietatis*, 617.

Scheol *quid ſignificet*, 472.

Scortatio *non debet annumerari adiaphoris*, 771. *apud ſaniores è gentilibus exoſa fuit*, ibid.

Scriptura *ſacra perfecta, ſufficiens*, 709. *Canon ſcripturæ Veteris nunc idem obtinet qui erat olim*, 27. *non ſtatim canonicus eſt cenſendus liber qui nominatur in ſcriptura*, 27. *in ſcriptura Euangeliſtarum etſi eſt diverſitas, nulla tamen eſt diſſenſio*, 19. *quomodo & quibus eſt perſpicua*, 34. *ſenſus ejus eſt unicus*, 30. *ſtylus ſcripturæ hoc interdum habet ut duo ſimul conjungantur, quantumvis non pari loco habeantur*, 800. *nec inſolens eſt, ut videatur aliquid abſolutè negari, quod non niſi comparatè & ſecundùm quid debet intelligi*, 793.

Sæculorum *nomen in plurali homines nunquam ſignificat*, 275. *per ſæculum futurum ſapè dies Meſſiæ intelliguntur*, 254.

Secundum *carnem & ſpiritum quomodo de Chriſto accipiendum*, 343.

Sedis æternæ *conditorem eſſe, arguit æternitatem & omnipotentiam*, 255.

Semen *Abrahæ aſſumere quid*, 324. *non eſt idem quòd ſublevare, redimere, opitulari*, ibid. 325. *metaphorica locutio unde deſumpta*, ibid. *probat naturam humanam Chriſti*, ibid. *ſemen Dei incorruptibile quodnam*, 870.

Serpens *qualem ſimilitudinem cum Deo primis parentibus promiſerit*, 79.

Servare *homines Deo proprium*, 281. *quomodo tribuatur hominibus*, 282.

Servitus *Eſavi qualis*, 508 *pependit ex liberrima Dei prædeſtinatione*, 509.

Si, *non eſt ſemper dubitantis*, 533.

Sicut *tàm ſimilitudinis quàm æqualitatis nota*, 169. 175. 178. *aliquando ſubintelligitur*, 476.

Si poſſibile *quid notat*, 534. 535. *falſa* παράφρασις *Volkelij horum verborum refutatur*, 536.

Signis *quæ propriè competunt, rei ſignificatæ metaphoricè conveniunt*, 243. *ſigna rerum cognoſcendarum, pertinent ad earum eſſentiam*, 860.

Simplicitas *in Deo adſtruitur*, 58. 60.

Sion *Eccleſia militans in terris, & triumphans in cœlis*, 166.

Sociniani *quibus ſimiles*, 346. 350. *cum Marcionitis & Manichæis conveniunt in oppugnanda doctrina legis*, 23. *cum Saducæis idem ſtatuunt de morte*, 554. *ſchiſmaticis & hæreticis ſunt annumerandi*, 847. *Theologia ipſorum eſt ſceptica*, 829.

Solum *verum Deum eſſe, quid ſit*, 123.

Sophiſma *adverſus Trinitatem*, 120. 121.

Spiritus *vocabulum quandoque ſumitur pro Dei verbo, ut annuntiatur hominibus*, 96. *uſurpatur vel eſſentialiter vel perſonaliter*, 114. *nunquam de tota perſona humana dicitur*, 475. *Spiritus in carcere qui*, 475. 478. *probare ſpiritus quorum eſt*, 850.

Spiritus Chriſti *oppoſitè ad ejus carnem divinitatem notat*, 343.

Spiritus Sanctus *cur appellatur Spiritus Elohim*, 65. 66. *Dei quomodo & cur dicatur*, 428. *figuratè effunditur*, 431. *diſtributiones ejus*, 431. *Creator eſt*, 432. *Deus eſt & perſona divina diſtincta*, 55. 97. 101. 106. 108. 109. 118. *ipſi appropriantur chariſmata*, 111. *quorum ipſe eſt principium quod*, 115. *fuit Deus Iſraëlis*, 119. *quomodo Pater & filius*

Digitized by Google

Filius per ipſum agant, 114. *quomodo Chriſtus roget illius miſſionem*, 110. *actiones ejus*, 433. *per proſopopœam non poſſunt intelligi omnia perſonalia quæ ei tribuuntur*, 434. *non obſtat perſonalitati ejus quod ἀνθρωποπαθῶς dicatur audire à Patre & Filio*, 436. *afflatus ejus in Apoſtolis*, 437. *interpellatio ejus pro nobis*, ibid. *Paracletus eſt*, 438. *ſcrutatur profunda Dei*, 425. *conſideratur vel ut eſt Dei ac Chriſti, vel quatenus eſt in homine & in ipſo reſidet*, 440. *Paſtores in Eccleſia conſtituit*, ibid. *apparitio ejus columbinâ formâ*. 441. *In ejus nomen baptizamur*, 443. 444. *blaſphematur*, ibid. *ei reſiſtere quid ſit*, ibid. *non eſt accidens, aut res tantum, ſed perſona*, 429. 430. 445. *dicitur donum Dei non tam ſui, quàm Patris & Filij reſpectu*, 430. *efficacia Dei poteſt dici ſine præjudicio perſonalitatis*, 447. *eſt ſimilis igni altaris*, 870. *quibus eſt promiſſus*, 763.

Spontaneitas *in homine qualis*, 548.

Subjectio *Deo*, 494.

Subordinatio *Filij qualis*, 281.

Subſiſtentia *in Divinis quid*, 50. *tres ſubſiſtentiæ in Deo concipi poſſunt, non tamen tres ſubſtantiæ in abſtracto*, 57. 60.

Subſtantiæ *vox quàm variè ſumitur*, 56. 358. *ſubſtantia prima in divinis quid*, 58. *diſcrimen inter ſubſtantiam primam & eſſentiam*, 59. *ſubſtantia prima quam variè ſumitur, & quomodo ſumenda de divinis*, 60. 68. *duæ ſubſtantiæ qualitatibus contrariæ poſſunt de eodem ſubjecto enuntiari*, 293.

Subſtitutio *ad mortem oppetendam pro alio*, 625. *quo ſenſu prohibita*, 626.

Succeſſio *non eſt nota Eccleſiæ*, 866.

Supplicia *Iudæorum*, 466.

Suſcitatio *mortuorum eſt opus Omnipotentiæ*, 55. *noſtra qualis eſt futura*, 54.

Suaſio *miniſtrorum & Dei qualis*, 561.

Sybillæ *Cumanæ carmen de partu Virgineo*, 33.

Σωματικῶς, σῶμα, σωματοποιΐα *quid*, 434. 752.

T.

Talionem *quo ſenſu abrogaverit Chriſtus*, 658.

Tebeth *menſis reſpondet Decembri*, 28.

Templum *Domini ter acclamatum, quid ſignificet*, 98. *fiſſura templi Hieroſolymitani quid adumbraverit*, 327.

Tentare *& in tentationem induci non eſt reſtringendum ad ſolas afflictiones*, 11.

Ternarii *numeri myſtica ſignificatio unde nata*, 100. *ternæ interrogationis Petri à Chriſto quæ ſit ratio*, ibid.

Teſtimonium *Chriſti non eſt ipſius ſolius, ſed plurium ſemper*, 90.

Theologia *Sociniana eſt ſceptica*, 829.

Thomas *cur Chriſtum Dominum & Deum ſuum dixerit*, 140.

Thyatirorum *urbes quales erant*, 565.

Timor *& tremor qualis à Paulo inculcatur*, 568.

Tingere *quid*, 796.

Tractio *Dei reſtringenda, non ad externam inſtitutionem, ſed pertinet ad internam operationem*, 569.

Traditionis *vocabulum quid notat*, 48.

Tranſgreſſio *Adami erat certo ſenſu naturalis*, 551.

Trinitatis *articulus eſt fundamentalis religionis Chriſtianæ*, 50. *non debet annumerari commentis humanis*, 55. *non implicat contradictionem*, 62. 68. *ſuperat rationem*, ibid. *poteſt conſiſtere cum unitate eſſentiæ*, 54. 55. 56. *non infert compoſitionem in Deo & quare*, 58. *ex Veteri & Novo Teſt. adſtruitur*, 62. 63.

Triplicitas *ſonat multiplicationem*, 68. *Orthodoxi eâ voce non utuntur*, 74.

τετράγιον *ſeraphicum tres demonſtrat perſonas Trinitatis*, 98.

V.

Vas *ad gloriam quid ſignificet*, 576. *ad dedecus*, 577.

Vaticinia *V. T. de Iehova in Chriſto impleta arguunt ejus naturam divinam*, 235. *in illis applicandis Chriſto Sociniani errant*, 679.

Ubiquitas *creaturæ impoſſibilis*, 287.

Verbum *caro factum quid ſignificet*, 313. *quomodo intelligendum*, 314. ἐνδιάθετον *eſt Chriſtus*, 95. προφορικὸν *verò eſt juſſum Dei efficax*, ibid. *quod tamen vocum prolationem ſenſibilem non notat* 96.

Veritatem *amplecti & profiteri pendet ex gratia Dei*, 35.

Vet. Teſt. *libri Canonici nulli perierunt*, 26. 27. *teſtimonia ex V. T. ab Apoſtolis citata an ſæpè non faciant ad eorum ſcopum*, 272.

Veteres *ante Chriſtum habuerunt omnia neceſſaria ſibi & in eo ſtatu ad ſalutem*, 41.

Via *hominis quid notat*, 580.

Victimæ *V. T. ſignificarunt ſatisfactionem Chriſti*, 620.

Vir *Dei Chriſtus*, 299.

Virtutes *in Deo ſola ratione diſtinguuntur*, 68. *infinita virtus & potentia, nonniſi in infinitam cadunt eſſentiam*, 150.

Vita æterna *Chriſti eſt epitheton*, 144. 289. *nec enim objectivè, ſed formaliter & ſubjectivè talis dicitur*, 147. *illa per Moſen in V. T. promiſſa & cognita erat*, 16. *eſt conſequens ac fructus remiſſionis peccatorum*, 456. *partialiter non totaliter obtinetur ab homine, reſpectu ſcilicet animæ ſeparatæ à corpore, ante reſurrectionem à mortuis*, 456.

Unctio *in Deum cadere poteſt*, 191.

Unio *myſtica piorum cum Chriſto non eſt ejuſdem ordinis cum unione quæ intercedit Deo Patri cum Filio*, 170.

Unus *Deus dici poteſt etiam ratione perſonæ, ſed ſano ſenſu*, 112. *Unitas teſtimonii ex unitate eſſentiæ meritò infertur*, 118. *Unum eſſe & in unum eſſe quid diſtent*, 119. *Unum eſſe cum altero notat aliquam coëſſentialitatem*, 169. *unus poteſt ſatisfacere pro omnibus*, 598.

Univerſalis *depravatio omnium poteſt dici naturalis*, 557. *gratia univerſalis malè colligitur ex eo quod Deus omnibus ſuam gratiam offerat*, 526. *refutatur*, 529.

Vocatio, *duplex ſtatuitur*, 521. *diſtinguitur ab electione æterna*, 522. *quid tùm ſonat*, 523. *alia latiùs patet electione, alia ei adæquatur*, 527. *multi vocati dicuntur oppoſitè ad electos*, 424. *efficax, miſericordiæ Dei eſt adſcribenda*, 23. *vocationem ſuam firmam facere quid notat*, 522. *non eſt univerſalis*, 483. *reproborum admodum ſeria*, ibid. *ea quæ eſt* κατὰ πρόθεσιν *oppoſita generali*, 485. *quid notat*, 528.

Vocatio miniſtrorum *alia ordinaria, alia extraordinaria*, 867.

Voluntas *præcipiens cum decernente non eſt confundenda*, 516. *Velle Dei præceptivum cum decretivo non pugnat*, 546.

Voluntas *hominis citra læſionem ſuæ intrinſecæ libertatis poteſt determinari ad bonum*, 22. *eſt libera à coactione*, 540. *non tamen à ſervitute*, ibid. *in noſtro arbitrio eam ſitam eſſe abſurdum eſt*, 544. *ſubeſt gubernationi divinæ*, 545. 567. 569. 580. *actus interni & externi voluntatis quinam ſint*, 545. *Volentis & currentis hominis eſſe, quo ſenſu poſſit dici in ordine ad ſalutem noſtram*, 585.

Votum *quod Paulus fecerat, quo animo ſuſceperat*, 771.

ὑποτάττεσθαι *quid ſignificet*, 495.

INDEX

Digitized by Google

INDEX AUTHORUM QUI SPARSIM vel laudantur vel citantur in Cenſuris Anti-Volkelianis.

ABæbardus.
Aben Ezra.
Adamus Sasbout.
Æthiops Interpres.
A Lapide.
Alcuinus.
Alſtedius.
Sixt. Amama.
Ambroſius.
Amelius.
Andreas Cæſarienſis.
Andreas Hieroſolymitanus.
Anſelmus.
Antiochus.
Apollinaris.
Aquila.
Arabs Interpres.
Arias Montanus.
Ariſtoteles.
Athanaſius.
Athenæus.
Auguſtinus.

B.

Baſilius.
Baudius.
Becanus.
Beda.
Belgæ Interp.
Bellarminus.
Joh. Benedictus.
Bernardus.
Beza.
Biel.
Blandrata.
Blondellus.
Boderiana verſio.
Boëthius.
Buchenhagius.
Bullingerus.
Petr. Bungus.
Paul. Burgenſis.
Buſtamantinus Medicus.
Buxtorfius uterque, Pater & Filius.

C.

Cajetanus.
Calvinus Theolog.
Calvinus JurisConſ.
Camero.
Campanella.
Canones Apoſtolorum.
Carteſius.
Carthuſianus.
Caſaubonus.
Caſtalio.
Catharinus.
Chaldæus Paraphraſtes.
Chryſoſtomus.
Cicero.
Clarius.
Clemens Alex.
Clemens Romanus.
Coccejus.
Complutenſis codex.
Concilium Arauſicanum.
Laodicenum.
Sirmienſe.
Cunæus.
Curcellæus.
Cyprianus.
Cyrillus.

D.

Dallæus.
Damaſcenus.
Deodatus.
Didymus.
Diodorus.

E.

Enjedinus.
Epiphanius.
Eraſmus.
Eſpenſæus.
Eſtius.
Euclides.
Eugubinus Steuchus.
Euripides.
Euſebius.
Euthymius.

F.

Paul. Fagius.
Flaminius.
Franciſcus Davidis.
Frantzius.
Fulgentius.

G.

Gaffarellus.
Gagneius.
Galatinus.
Genebrardus.
Genevenſes Interpp.
Alb. Gentilis.
Glaſſius.
Gloſſa Interlinearis & Ordin.
Gothofredus.
Gratianus.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nyſſenus.
Grotius.

H.

Haymo.
Heinſius.

Digitized by Google

Heraclitus.
Heraclitus Dalmata.
Heſiodus.
Heſſelius.
Hieronymus.
Hilarius.
Homerus.
Horatius,
Hoſius.
Hugo.
R. Huna.
Hyginus Epiſc. Rom.

I.

Janſenius.
R Sal Jarchi.
Idacius.
Ignatius.
Lxx. Interpretes.
Johannes II.
R. Jonathan.
Joſephus.
Irenæus.
Iſendornius.
Iſidorus.
Junius.
Juſtinus Hiſtoricus.
Juſtinus Martyr.

K.

Kalendarium Judæorum.
Dav. Kimchi.
R. Moſes Kimchi.

L.

Lactantius.
Laertius.
Lancèllotius.
Corn. à Lapide.
Leo Judæ.
Leo Romanus.
Leo X.
Lintrenſis.
Livius.
Lombardus.
Lorinus.
Lovanienſes Theologi.
Ludovicus Capellus.
Lutherus.
Lyranus.

M.

Maimonides.
Maldonatus.
Marochianus.
Marollius.
Martialis.
Jac. Martinus.
Menaſſe ben Iſraël.
Mercerus.
Montanus Arias
Muſculus.

N.

Georg. Niſſelius.
Nobilius.
Nonnus Panopolitanus.
Novatianus.
Numedius.

O.

Oecolampadius.
Oecumenius.
Onkelos.
Origenes.
Orpheus.
Ovidius.

P.

Pagninus.
Pareus.
Paſor.
Petavius.
Theod. Petreus
Pererius.
Philo { Antiochus. Judæus.
Photius.
Pindarus.
Piſcator.
Plato.
Pleſſæus.
Plotinus.
Plutarchus.
Poſſidonius.
Primaſius.
Primaticcius.
Proclus.
Procopius.
Proſper.

Q.

Quiſtorpius.

R.

Raymundus Martini.
Raymundus de Sabunde.
Remigius.
Reuchlinus.
Ribera.
Richelius.
Rittangelius.

S.

Sà.
Salmaro.
Samoſatenus.
Samuel Marroch.
Sanhedrim.
Scaliger.
Schickardus.
Schmidius.
Scholiaſtes Græc.
Sedulius.
Serarius.
Simplicianus.
Socinus.
Strabus.
Strabo.
Suareſius.
Symmachus.
Synodus Dordracena.
Syrus Interpres.

Taci-

T.

Tacitus.
Targum Hieroſolymitanum.
Tatianus.
Tertullianus.
Thalmud.
Theodoretus.
Theodotion.
Theophilus.
Theophilactus.
Thomas { Anglicus. Aquinas.
Tirinus.
Titelmannus.
Toletus.
Toſtatus.
Tremellius.

V.

Vaſquezius.
Vatablus.
Victor Uticenſis.
Virgilius.
Voſſius.
Vulgata Verſio.
Wickus.

Z.

Zermannus.
Zeno.
Zwicherus.

ERRA-

Digitized by Google

Errata Typographica, quæ raptim annotari potuerunt.

Pag.	lin.	col.	pro	lege
19	36	b	nt	ut
22	30	a	flagitum	flagitium
30	18	b	ſic	ſit
33	16	a	*atro*	*alto*
56	28	b	decantiſſimis	decantatiſſimis
62	10	a	penderetur	pònderetur,
63	38	b	inſompletum	incompletum
65	11	a	perivcaciam	pervicaciam
	34	a	ȣ̓σιοδως	ȣ̓σιωδῶς
66	21	a	ſnpto	ſumpto
67	6	b	anthor	author.
	18	b	mannum	manuum
	19	b	Apologotico	Apologetico
69	24	b	diſpecendo	diſpeſcendo
71	27	b	congreſſit	congeſſit
72	4	b	aggegatione	aggregatione
76	21	a	indididua.	individua
78	16	b	oſlendat	oſtendat
	19		cupiamur	cupiamus
79	9	a	eſte	eſſe
	17	b	conſtantur	conſtanter
80	25	a	inmenſus	immenſus
	19	b	imprebos	improbos
84	38	a	Judæis	Judæus
87	9	a	*Elohim*	*Eloah*
88	28	b	אבנה	נבנה
	32	b	אבה	הבה
93	30	b	proprietatis	proprietates
98	39	a	*dictatem*	*dignitatem*
106	2	b	cum	cur
111	10	a	diſerè	diſertè
113	40	a	ad	ab
129	12	a	*noſtris*	*noſtræ*
130	4	a	בוחה	ביהֹה
139	5	b	περιποιήσατο	περιεποιήσατο.
142	27	a	aqualem	æqualem
	33	a	נערת	בערת
144	26	b	ἄμτελος	ἄμπελος
148	30	a	His	Hic
154	18	b	tali	talis
156	13	a	nomiatim	nominatim
	15	b	Chriiſti	Chriſti
	16	b	mentæ	mentio
	40	b	loo	loco
162	36	a	ſeptiſomi	ſeptiformi
163	12	a	quipe	quippe
165	36	b	mlniſtros	miniſtros
168	18	b	ed	ad
169	9	a	Chlſtus	Chriſtus
173	38	b	iu	in
182	16	b	ullius	ullus
191	7	a	non	nos
ibid.	12		111, 26.	111, 16.
197	25	b	communitū	communicatum
216	18	b	datuvam	daturam
235	5	a	ſuæ	ſua
246	9	a	fuiſtra	fruſtra
275	29	a	coleſcit	coaleſcit
321	43	a	tais	talis
322	2	b	Paulus	Paulum
346	36	a	ſpiribus	ſpiritibus
353	38	b	Jotham	Jothami
			iaibores	aibores
354	13	b	1.Par.14.	1.Par. 16.
384	20	a	Pſal. 99.	Pſal. 89.
390	8	b	זררת	זררח
391	29	a	*ἰδία*	*ἴδια*
398	9	a	imaginario	imaginariæ
434	31	b	fnſe	fuſè
436	34	a	ſcentiam	ſcientiam
437	14	b	Sibyilla	Sibylla
	36	a	inenarribiles	inenarrabiles
440	7	b	Apoc. 13	Act. 13
484	7	b	ſultiſſimus	ſtultiſſimus
488	6	b	determinatu-rum	determinatu-rus
491	31	a	attit	attinet
503	10	b	eſſet	eſſe
504	33	b	imquitatem	iniquitatem
505	12	b	inſinnari	inſinuari
	20	a	Matth. 10.27.	Matth. 10.37.
507	25	a	perpoſito	propoſito
	41	a	qnicquam	quicquam

Digitized by Google

Pag.	lin.	col.	pro	lege
	11	b	fuit	fuit
	35	b	alternm	alterum
510	5	b	infidelnm	infidelium
	34	a	vl	vel
512	13	b	fnndetur	fundetur
513	4	a	militia	malitia
516	10	b	Dco	Deo
	16	b	Phaaronis	Pharaonis
517	37	a	novis	nobis
518	23	a	ngreſſi	ingreſſi
	29	a	pore	pro re
523	15	b	imperfectioni	imperfectiori
524	11	b	falſis	falſis
529	34	b	electnm	electum
532	7	a	tamen	tantum
550	41	a	numo	nummo
551	4	a	לער	יער *bis.*
564	29	a	qaod	quod
562	22	b	Chriſtiano	Chriſtiani
565	31	b	dicebatur	dicebantur
570	23	b	paterrentur	paterentur
574	8	a	hominum	hominem
576	34	a	veveritate	ſeveritate
579	4	b	ammos	animos
	33	a	eſſc	eſſe
651			Cap.XXXIII.	Cap.XXIII.
662			Cap.XXXIV.	Cap.XXIV.
666	5	a	promittar	promittat,
668	13	b	firmamentis	argumentis
671	5	b	que	quæ
ibid.	7		organicæ	inorganicæ
678	5	a	futnri	futuri
	8	b	invecatione	invocatione
	2	a	Socinia	Sociniani
685	9	b	unibras	umbras
706.	12.	a	capitivi	captivi
707	3	b	ijlius	illius
	12	b	geuuit	genuit
710	7	a	euius	cujus
711	8	b	divinæ	divina
717	13	a	mitam	mittam
719	42	b	auguſtia	anguſtia
745.	10.	a	inibuti	imbuti
752.	22.	b	ſone	ſonet
759	28	a	præternavigabanc,	præternavigabant
780	2	a	peſtoribus	paſtoribus
795	19	a	eſſet	eſſe
796	10	a	ῥαντομὸν	ῥαντισμὸν
799	8	a	Chricti	Chriſti
800	23	a	credidederit	crediderit
801	24	a	trabuas	tribuas
802	3	b	quicqnam	quicquam
804	23	b	qnid	quid
810	14	b	tiucti	tincti
816	10	b	fingi	fingit
	15	b	partimin	partim in
860	ult.	b	juod	quod
876	35	a	externas	externus.

In paginis quoque annotandis immediatè tranſitum eſt à 200. *ad* 221. *ſic tamen ut ideò nihil deficiat, & poſt* 238. *ſtatim* 241. *& ſic porrò : Item poſt pag.* 718. *iterum,* 717. 718. *& ſic deinceps : Item poſt* 331. *pone* 332. 333. *pro* 322. 323. *Item poſt* 602. *pone* 603. *pro* 589.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-3-3
576 — gl
Digitized by Google